



32
1 F
3







Sic facunda Deo LIMBORGI *cernimus ora,*
Talis Episcopii vixit in aere nepos:
Quo duce Romanae natuere tyrannidis artes,
Abramidumque silet, victa pudore, domus;
Ingenii quo grande decus, doctaque paci
Dedita quo chartis panditur ubique fides.

C Brandt

PHILIPPI A LIMBORCH

S S. Theologiæ inter Remonstrantes Professoris Celeberrimi

THEOLOGIA CHRISTIANA

Ad praxin pietatis ac promotionem pacis Christianæ unice directa.

EDITIO QUINTA.

Adjuncta est

RELATIO HISTORICA


DE ORIGINE ET PROGRESSU CONTROVERSIARUM

In Fœderato Belgio

E PRÆDESTINATIONE.

TRACTATUS POSTUMUS.





AMSTELÆDAMI,

Apud BALTHAZAR LAKEMAN,

M. DCC. XXX.



PRÆFATIO
AUCTORIS.

Quod Apoſtolus fidelibus olim commendatum voluit, Christiane Lector, ut veritatem ſectantes in charitate creſcant per omnia in Chriſto, qui caput eſt: id hoc præſertim controverſiarum feraciſſimo ſeculo omnibus Dominum Jeſum ſincero corde invocantibus commendatiſſimum eſſe oportet. riſtianiſmi ſtatum ſi quis vel leviter intueatur, non tantum maximam dehendet opinionum diverſitatem, & acres animorum concertationes; ſed & mites ac crudeles condemnationes, quibus alter alteri anathema eſt: non a-ꝛr, ac ſi ſubtilium ac ſpinoſarum quæſtionum enodationi humani generis ſatem alligatam voluiſſet benigniſſimus hominumque amantiſſimus Deus. tque ita, dum utrimque cuncta magiſtrali autoritate definiunt, teneris conientiis ſcrupulum, vix ullâ arte aut induſtriâ eximendum, injiciunt; & fidei ogmata temerè ſtabiliendo, fidem ex animis hominum eliminant, omniumue incertos relinquunt.

Ut hic innoxiè procedamus, & evitatis periculoſis hiſce ſcopulis veritatis ıc ſalutis portum tutò obtineamus, duo præcipuè videntur neceſſaria. Unum, ut, quantum humana permittit imbecillitas, ab erroribus nobis caveamus: Alterum, ut controverſiarum momenta prudenter inquiramus, quò ſic non obſtantibus opinionum divortiis animorum unitatem conſervemus, & evitatis temerariis anathematiſmis Chriſtianâ caritate innoxiè errantes complectamur. Utrumque difficile meritò videri poteſt: Quoniam inter tot diſcordantium ſectarum pugnantes opiniones, quæ utrimque rationum probabilitate fulciuntur, arduum planè eſt verum à falſo diſcernere, & rejectis errorum ambagibus rectâ ad veritatis arcem contendere. Difficultatem auget, quod plerumque errores aſſentientium multitudine, patronorum auctoritate, commodis ac emolumentis hujus mundi, ſe commendent; veritas autem plerumque nuda ſit, omnique præſidio humano deſtituta. Similiter opiniones quiſque ſuas perditè amat, & quodcunque verum credit, ab aliis, ſi ſalvi eſſe velint, admitti poſtulat, & quemcunque à veritate diſceſſum hæreſin exitialem pronuntiat. Inde anathematiſmi in diſſentientes temerè vibrati, & ſchiſmata in Eccleſiam Chriſti invecta; ut ſub ſpecioſo prætextu fraterna communio ac charitas denegetur iis, quos cœco judicio nullam in cœlo partem credimus habituros.

Ut ex illis nos difficultatibus feliciter extricemus, & tam propriæ ſaluti, quàm charitati ac paci Chriſtianæ conſulamus, eò unicè adſpirandum, ut via certa indagetur, per quam & errores exitiales vitari, & temerariæ condemnationes, quæ ſchiſmata & perſecutiones parere ſolent, præcaveri ac tolli poſſint.

Via hæc facilis eſt ac compendioſa, ſi, ſepoſitis affectibus carnalibus, unice ac ſincerè ſpectemus gloriam Dei, æternamque noſtri ac proximi ſalutem:

Nimirum, si unicum veritatem salutarem cognoscendi medium, à Deo nobis datum, Scripturam nimirum Sacram, debitâ habeamus in veneratione; hoc est, ex illâ solâ veritatis salutaris hauriamus cognitionem; nihil in divinis & ad salutem necessariis præter illam sapiamus; quicquid illâ clarè revelatum non est, temerè non decidamus; præsertim quæ subtili ratiocinatione, in quâ lapsus facilis, colligi debent, & subtilitate suâ mentis nostræ aciem fugiunt, nulliusque, aut saltem exigui, ad pietatem sunt usus: sed potius, infirmitatis nostræ memores, assensum circa illa modestè suspendamus, aut saltem cautè procedamus; cogitantes, temerarium talium scrutatorem, præsertim Scripturâ non præeunte, in præcipitia abduci, unde pedem referre vix possit: Ac proinde illa non ea animi certitudine affirmanda, quâ in Scripturâ expressè & clarè definita à nobis affirmari possunt ac debent. Huc, inter alia, referri possunt, quæ modum ac rationem formalem (uti in Scholis loqui amant) attributorum divinorum concernunt. Ipsa attributa divina clarè ac perspicuè in Scripturâ traduntur, à mente nostrâ facile apprehenduntur, ac cultus divini fundamenta sunt: modum autem ac rationem formalem Scriptura non definit, & illius contemplatione caligat mens nostra, tanquam oculus ad solem. Sed nec illius investigatio magni ad promotionem pietatis est momenti. Imò quoniam eum Deus nusquam nobis revelavit, eo ipso curiositati nostræ modum ponere voluit, ne ardua illa & intellectui nostro ἀκατάληπτα nimis anxiè scrutantes ab infiniti numinis gloriâ opprimamur. Laudanda ignorantia est, non sapere velle ultra id quod à nobis cognosci voluit Deus. Et qui suspenso hic procedit gradu, nihilque dogmaticè in alterutram partem definit, sed absque Scriptura Sacra loqui veretur, erroribus, saltem exitialibus & saluti æternæ noxiis, nequaquam implicabitur.

Eadem Scriptura regula nobis est certissima ac minimè fallax, cujus ductu quascunque temerarias condemnationes ac injusta anathemata facilè præcavebimus: si nempe in ipsa sola salutis ac damnationis legem quæramus, nullique homini, aut cœtui, quantumvis conspicuo, & cujus membra, quantumcunque se commendent numero, eruditione ac autoritate, homines tamen sunt, & ab errandi periculo nullo privilegio divino exemti, eam deferamus auctoritatem, ut eorum decreta, quicquam præter aut ultra Scripturam definientia, regulam fidei credamus, à qua si quis deflectat, de ejus salute actum sit. Sed solummodò ex ipsa Scriptura salutis fundamenta inquiramus, in illa non clarè definita nulli tanquam fidei regulam imperiosè præscribamus, neminemque condemnemus, nisi quem Dei, unici legislatoris ac judicis, qui solus perdere potest ac salvare, sententia in Scriptura condemnatum sumus persuasi. Breviter, non ipsi legem vitæ ac mortis audacter feramus, sed à Legislatore Deo modestè accipiamus, & reverenter suspiciamus: ne nos involati tribunalis divini reos constituamus, decretaque nostra legibus Dei exæquemus.

Hanc ego, ut tutissimam viam, mihi sequendam proposui in Theologiæ Christianæ explicatione. Scriptura clarè definita etiam certò affirmare non dubito. Scriptura non definita, & subtilitate sua intellectui nostro impervestigabilia, quæ plerumque non rem ipsam, sed rei modum, concernunt, non

de-

definio; sed ignorantiam meam hic ingenuè fateri, & assensum suspendere malo quam temerariâ decisione errandi periculo me exponere. Ad contemplationem infiniti numinis mentis nostræ acies hebescit. Atque utinam omnes attentius expendamus, quousque ingenii nostri acumen sese extendere valeat, & intra quos cancellos ejus sagacitatem circumscripserit Deus? Modestè pedem referremus à contemplatione eorum, quæ nunquam nos comprehendere posse ipsâ experientiâ convincimur; & in quæ quicunque temerario ausu pedem inferre non sunt veriti, temeritatis suæ pœnas luerunt; dum vanas, stultas & inutiles quæstiones curiose inquirendo, & audacter definiendo, in varias portentosas Deoque indignas opiniones inciderunt; atque sterili quæstionum inutilium enodationi toti intenti, animi purgationem, quâ solâ Deo placemus, neglexerunt; & contemto vero ac solido bono inani illius umbra se pascere maluerunt. Quid quod tales, ex quæstionum, ipsâ suâ subtilitate evanescentium, labyrintho sese extricare non valentes, & in utramque partem de iis disputantes, sensim in tota fide vacillent, & de omnibus, etiam fidei ac salutis fundamentis, quodlibeticè (ut barbarè loquuntur) ad ostentandum ingenii acumen disputare incipiant, iisque non majorem, quàm suis argutiis, inesse certitudinem tandem credant. Ita dum (ut præ se ferunt) ne in Scepticismum incidant, de quibusvis, etiam circa quæ Scepticum agere laudabile est & modestiæ indicium, curiosè & acriter contendunt, & sententiam audacter pronuntiant, in turpissimum Scepticismum præcipites ruunt, totaque religio ipsis ludibrio esse incipit. *Finis præcepti est charitas*, inquit Apostolus, *1 Tim. 1. 5, 6. ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ: à quibus quidam aberrantes inciderunt in matæologiam.* Absit ut talium exemplo ab officio me abduci patiar. Turpe mihi non est, ea non comprehendere nec definire, quæ à nullo hominum in hoc seculo, in quo tantum ex parte cognoscimus, comprehendi voluit Deus.

De aliis, præsertim quæ relationem quandam ad pietatem habent, sententiam meam clarè, rotundè ac candidè, propono, & ex Scripturâ, & ratione adstruo. Errores subinde impugno, maxime eos, à quibus religioni ac pietati pernicies imminet. In controversiis, quæ Prædestinationem divinam, eique annexa, & exinde dependentia, concernunt, excutiendis, prolixior paulò fui. Cujus instituti mei rationes fuere plures. Rogatus sum à pluribus, præsertim Exteris, sententiæ nostræ penitiorem ac magis distinctam explicationem desiderantibus, ut ea, in quibus à reliquis dissentimus, fusiore & pleniore tractatione explicata, distinctè ac dilucidè repræsentem: cui piæ curiositati ut satisfacerem, officii mei esse duxi. Tum & quæstio est valde fœcunda, quæ ramos suos late per totam ferme Theologiam diffundit, & non exiguam ad praxin pietatis relationem habet. Ac tandem, quæstio hæc unica fuit causa, ob quam à Synodo Dordracena condemnati fuimus; ac proinde unica occasio tristis illius diffidii ac schismatis, quod Ecclesiam Reformatam, magno bonorum scandalo, discerpsit. Quam proinde exactius inquirere & explicare operæ pretium est, ut quam non æqua fuerit condemnatio, & quam injustum schisma & expulsio Remonstrantium, tantò facilius dignosci queat. Quoniam

autem controversia hæc vix alibi quam in Actis nostris Synodalibus plenè est tractata, quæ ob prolixitatem suam rarò leguntur, ego totam disputationem in compendium redegi; præcipua argumenta selegi, eaque à præcipuis, quæ postmodum contra ea excogitatæ sunt, exceptionibus vindicavi; & ad argumenta nobis opponi solita respondi: in quibus si forte aliquando ad altiora illa, quæ essentiam ac decreta divina concernunt, adscendero (quod tamen quantum potui declinavi) id necessitati materiæ & aliorum argumentationibus imputari velim, quæ aliquoties pedem inferre coëgerunt in ea, quæ intacta maluissem. Selegi autem mihi præcipuè refutanda Wilhelmi Amesii Anti-synodalia; non tam, quia ille reliquis acutior est, & gravioribus nos premit argumentis; sed quia à multis invictus creditur, qui eum, quoniam hactenus à nemine Remonstrantium expressè est refutatus, malleum Remonstrantium subinde indigitare solent. Ego, omissis ejus vitilitigationibus de verbis ac phrasiologiâ, & argutiis nullius momenti, quæ majoris videbantur ponderis selegi; & in eorum refutatione specimen me dedisse confido, quam facili negotio omnia illius argumenta, omnes exceptiones & cavillationes, refelli queant. Quæ ex hac doctrinâ dogmata alia deducuntur, etiam explicatius paulò tractavi. Et quoniam doctrina Christiana est cognitio veritatis secundum pietatem, in tradendis virtutibus Christianis prolixior fui: Quarum amore ut tantò fortius lectorum meorum animos imbuerem, singulorum dogmatum tractationi multiplices illorum usus & quos habent ad pietatem respectus plerumque subjunxi: ratus scientiam, etiam abstrusissimorum mysteriorum, absque pietate nullius apud Deum esse pretii; imò quantò exactior obtigit scientia, tantò gravioris condemnationis fore causam, si destituta sit studio pietatis. Tandem, nulli, Scripturam Sacram mecum reverenter agnoscenti unicam fidei morumque, quibus salvari debemus, normam, & quæ clarè in eâ expressa sunt sincerâ fide recipienti, ob dissensum in aliis non præcisè necessariis, anathema dico: regulas necessaria ad salutem à non necessariis discernendi, ex Scriptura depromtas, varias proposui, fundamento Reformationis consentaneas, à quibus discedi nequit, nisi Reformationis fundamento aut deserto, aut everso. Quibus ritè ad quæstiones hodie tanta animorum vehementia inter Christianos agitatas applicatis, facile liquebit, vix ullas, imò nullas earum, de quibus inter Reformatos concertatur, fidei fundamentum concutere: ac proinde iis non obstantibus pacem inter omnes posse & debere coli, ac mutuam tolerantiam. Ut ita, depositis odiis ac inimicitiis, sincera alii alios charitate in Christo complectamur, omniumque fidelium, perinde atque in Ecclesia primitiva, sit anima una ac cor unum. Quod si nondum obtineri queat, ex Ecclesiis saltem Reformatis eliminetur penitus pestiferum & exitiale de errantium persecutione dogma, nulliusque conscientiæ vel minima vis inferatur: ita sensim, dum errantem odisse nefas credimus, illius misereri, eumque ut fratrem in Christo sincera complecti charitate discemus. Tu, Lector, quæ in opere hoc fusius de hisce disserui benignè excipe, in timore Domini expende, ac liberè sine præjudicio sine affectu judica. Scribebam Amstelædami: Anno æræ Christi CIƆ IƆ C LXXXVI. Calendis Februarii.

JOAN-

JOANNIS CLERICI
ORATIO FUNEBRIS
IN OBITUM
REVERENDI ET CLARISSIMI
VIRI
PHILIPPI A LIMBORCH
S. Theologiæ, apud Remonstrantes, Professoris,
DEFUNCTI d. XXX. APRILIS,
ANNO MDCCXII.

Habita d. VI. *Maii, quo sepultus est.*



I totius humanæ Societatis & præsertim necessitudinis, quæ cum amicis nobis intercedit, naturam expendamus; ejusmodi eam esse comperiemus, ut quo arctior est, eo suavior sit, & ad vitam benè & beatè agendam adcommodatior. Homines inter se leviter conjuncti, quique nulla, aut exigua tantùm officia sibi mutuò præstare solent, perinde fermè sunt aliis alii, ac si in rerum natura non essent. Qui in remotis à nobis oris habitant, nec umquam sedibus patriis egressi nullo consanguinitatis, adfinitatis, communium negotiorum, amicitiæ, vel benevolentiæ vinculo nobiscum sunt conjuncti, eodem propemodum loco nobis sunt, quo ii qui ante aliquot sæcula obiere, nósque vicissim iis, quasi nondum essemus nati. Si id inter omnes homines esset frigus, eaque animorum, ut ita dicam, disjunctio; infelicissima esset, quam in terris agimus, vita. Cùm enim nemo nostrûm sibi de necessariis omnibus prospicere possit, nec facere quæcumque sibi sunt utilia factu; aliorum opem implorare cogitur, mutuámque vicissim, ut eam impetret, operam polliceri, eáque reverà facere, quæ aliis utilia ac jucunda sunt, quatenus quidem potest, necesse habet. Ex mutuis hisce officiis primùm civium, deinde amicorum conjunctio nascitur; quâ nihil utilius, jucundius ac melius excogitari potest. Hæc inter amicos, ut fert dictum vetus, omnia communia facit, opes, operam, consilium, ingenium, solatiúmque in adversis, & in secundis voluptatem. Quo factum ut à Priscis Philosophis inter ipsas virtutes meritò numeraretur, & qui amicitiam hominibus eriperet, idem solem de mundo tollere diceretur.

At, proh dolor! dulcissima illa & longè utilissima copula, ut cetera omnia mortalium, cum ipsa eorum vita abrumpitur; ita ut nihil ejus supersit præter memoriam, quæ grata quidem est, sed acerbum dolorem secum trahit, cùm reputamus quid cum amicis amiserimus, quantâque suavitate nobis sit carendum, si amicis diu nos superstites esse contingat. Cui incommodo mederi conati sunt ii, qui divinâ nullâ revelatione collustrati fuerant, fictione camporum Elysiorum, aut Fortunatarum Insularum, & beatæ vitæ, post hanc mortalem, in iis agendæ, cum veteribus amicis; si modo se ea dignos præstitissent. Sed cùm optarent potiùs hæc doctissimi etiam viri, quàm futura scirent; animi luctum & tristem jacturæ sensum vix ac ne vix quidem lenire poterant, eâque infelicitate etiamnum laboraremus, nisi Deus Opt. Max. per Christum nos de meliore vita certiores fecisset; unde intelligimus & certò speramus fore ut brevi amicis amici redditi immortale ævum simul agant, ínque summi boni fruitione unà conquiescant, & sine anxietate ac metu, quibus hæc mortalis angitur vita, ac perturbatur, æternæ conjunctionis suavissimis fructibus pascantur.

Cùm Christianos hæc omnes solentur, tum me potissimùm, hoc tempore, Reverendum & Clarissimum Virum PHILIPPUM LIMBURGIUM, S. Theologiæ, in Remonstrantium Societate, Professorem, quem parentis loco colui ac suspexi, ab eo redamatus & omni officiorum genere devinctus, lugentem, mœstâ quadam dulcedine perfundunt. Optimum, nimirum,

mirum, Collegam diu non desiderabo, sed, impetratâ à divini misericordia delictorum veniâ, quando ei visum fuerit, videbo, & cum eo in beatitudinis æternæ sedibus communi Servatori gratias sempiternas agam & laudes ejus jugiter celebrabo; quod ut mihi & ceteris omnibus ejus amicis contingat, Deum enixis precibus oro. Verùm licet hæc dolorem nostrum non parum leniant, attamen infirmitatem meam prorsus dissimulare nequeo, fateórque me luctu & desiderio ita maceratum esse, ut ne solitis quidem laboribus obeundis aptus sim; nedum ut quidquam studio, ingenio ac eloquentiâ elaboratum & eruditis auribus dignum, apud vos, AMPLISSIMI & ORNATISSIMI AUDITORES, hodierno die, depromere possim. Grati tamen animi officium nequaquam defugiendum, conjunctionisque & amicitiæ jura me huc protraxerunt, ut justa ei, hoc in loco, more solemni persolverem. Quare me paucis, nec ornatè, sed amicè & candidè dicentem quæ ad ejus honorem & memoriam colendam faciunt, æquis auribus audiatis etiam atque etiam rogo. De viro primùm dicam, virtutésque ejus, pro ingenii modulo, prædicabo; quas utinam imitari, vobisque dictis, factis & scriptis præsentes aliquo modo sistere possem! Simul de ejus operibus agam, ac denique ab eo numeros omnes boni viri & veri Theologi Christiani impletos ostendam.

Sed pauca priùs de ejus Majoribus præmittenda censui; in eorum enim, quos amamus, genus libenter inquirimus: quamvis non diffitear, nihil hoc ad eorum veras laudes facere. Non facile fuit familiis, quæ à Romana Ecclesia secessionem fecerunt, in Belgio, orisque vicinis, nomina Majorum suorum, antiquáque instrumenta, quæ ad eos pertinebant, incolumia servare atque ad posteros transmittere; quippe quibus fuit sæpiùs aliò migrandum, expilationésque facultatum & chartarum nimis quàm frequentes ferendæ. Itaque LIMBURGIÆ familiæ conditor fuit, quatenus quidem servata est ejus rei apud posteros memoria, NICOLAUS A LIMBORCH; quem vixisse & mortuum esse constat ante annum sexti decimi à C. N. sæculi LVII. suburbio Trajecti ad Mosam, quod *S. Petri Fanum* dicitur, & Leodicensi Episcopo subest. Obiisse fertur NICOLAUS anno ætatis CXV. tanto etiamnum artuum vigore, ut multa manibus suis in tam provecta ætate faceret. Quare eum ajunt *grandis natu* cognomen retulisse.

Sustulerat filium FRANCISCUM, qui, nomine Leodicensis Episcopi, *Gubernator* & *Scabinus*, apud S. Petri Fanum, ad mortem usque fuit. Is memorati sæculi anno XVIII. uxorem duxit *Mariam Schenckiam*, *à Niddegem*, è familia Geldrica, ad quam pertinuit *Martinus* ille *Schenckius*, qui audacibus facinoribus ingentem sibi famam bellis Hispanicis peperit. Ex ea matrona tredecim liberos suscepit, éque altera, & tertia uxore duodecim, ut viginti quinque liberorum pater fuerit. E *Maria Schenckia*, anno sæculi XXX. natus est FRANCISCUS LIMBURGIUS alter, qui anno L. duxit Mechliniæ uxorem *Catharinam Wilsam*; cum qua septennio pòst ante mortem patris, quæ paullò post contigit, Emdam in Frisiam Orientalem migravit; & causa quidem migrationis fuit, quòd *Mennonis Simonis* F. sententiam Ecclesiæ Romanæ dogmatibus præferret, timerétque sibi, ne ejusmodi dissensionis pœnas, pro crudelitate temporum, capite lueret. Natus est illi Emdæ filius, cui FRANCISCO etiam nomen fuit, anno LXIII. ejusdem sæculi, & qui ante mortem patris uxorem duxit *Perinam*, *Hermanni à Monstage* filiam, divitiisque Emdæ aliquamdiu floruit. Mox coortâ acri Emdanæ plebis seditione in Magistratus, quibus successores suffecit, cùm ei negotio misceri nullo modo vellet, Amstelædamum anno XCV. cum uxore migravit.

Hac in urbe natus est ei filius, cui FRANCISCO quoque nomen indidit. Is verò anno sæculi septimi decimi XXIII. uxorem duxit *Gertrudam Episcopiam*, *Remberti*, *Simonis* fratris, filiam. Ei nati sunt plures liberi, è quibus nos hic tres novimus. Maximus natu fuit, *Rembertus Limburgius*, qui in lucem editus est anno præteriti sæculi XXIX. quique cùm Jurisprudentiæ operam dedisset, summi Jurisconsulti famam sibi paravit, atque ad munus Advocati Fisci Hollandiæ, sine ullo ambitu, solius eruditionis & integritatis causâ, est provectus; quamvis constanter Remonstrantium cœtibus adfuerit, & se se etiam adfuturum priùs testatus esset. Minor natu fuit PHILIPPUS noster, quem mater enixa est anno XXXIII. d. 19. Junii. Minimus est vir consultissimus SIMON LIMBURGIUS, qui fratris funus, cum filio itidem Jurisconsulto, est prosequutus.

Franciscus quidem horum pater studiis operam dare instituerat, sed consilio Soceri *Remberti Episcopii*, mercaturæ se se eo vivo tradidit; cui tamen, mortuo socero, mox valedixit & ad studia iterum conversus ad Jurisprudentiam animum adpulit, primùm Ultrajecti, dein Lugduni; unde tandem Amstelædamum rediit, ubi se Jurisconsultum professus, causas agere non sine felici successu cœpit. Sæpissimè secum difficilium causarum arbitrum electum esse, non ita pridem, memorabat Vir Amplissimus *Cornelius Hopius*, qui supremi Hollandiæ Concilii Senator obiit.

Iis in locis, in quibus vixit eo tempore pater, *Philippus* noster pueritiam exegit, & anno quidem XLVII. ad Academicas prælectiones, è Scholis inferioribus, est admissus. Eodem anno, audire cœpit doctissimos & celeberrimos viros *Caspar. Barlæum*, Ethicam, in Athenæo Am-

Amstelædamensi docentem, & *Joan Ger. Vossium*, qui Historiam Romanam & Sacram, magno hominum concursu, interpretabatur. In Philosophicis etiam audivit *Arnold. Senguerdium*, & ea emensus celeberrimum virum *Steph. Curcellæum*, qui, in Remonstrantium Auditorio Amstelædamensi, S. Theologiam, post *Sim. Episcopium*, profitebatur. De hoc suo magistro, prout dignus erat, & prout pium discipulum decebat, summa cum reverentia loquentem semper audivi Quod honoris ejus causâ commemoro, & ad me aliquo modo pertinere puto, cùm *Curcellæus* aviæ meæ frater fuerit. Profectus inde est noster *Limburgius* Ultrajectum, ut etiam illic audiret, qui vir celeberrimus *Gisb. Voetius*, qui tum etiamnum vivebat, aliique Theologiam docerent & dogmata sua tuerentur.

Rediit illinc Amstelædamum, circa Mensem Maium anni LIV, ubi mense Octobri primam Concionem, quæ exercitationis causâ fit, pronunciavit, in Ephes. v. 14 deinde mense Augusto, anni LV. examen Theologicum subiit & ad publicas conciones admissus est, concionatúsque est primùm Harlemi, in Matth. VII. 12. Eodem anno LV. vocatus est Alcmariam, ut ordinarii pastoris illic, in Ecclesia Remonstrantium, munere fungeretur. Sed adolescens modestus & summopere alienus ab illorum vili & abjecta indole, qui cruda studia in suggestum propellunt, quòd festinent in artis, quam exercent, magisterium, recusavit; ut diutiùs studiis operam daret & adparatum majorem Sacrarum Orationum paullatim pararet, antequàm statis temporibus Conciones habere adgrederetur. Quod exemplum non proponere non possumus iis, qui hæc sacra colunt, ne rem sanctissimam & pulcherrimam in contemtum adducere velint, dum se gerunt hoc in negotio, sicut sellularii artifices in vilissimis artium, dantque operam ut quàm primùm magistri habeantur; quo sibi & familiæ de pane prospicere possint, non quò operâ suâ Rempublicam, aut Civitatem juvent. Meminerint S. Theologiæ studiosi, sicut præproperi illi sellulariarum artium magistri persæpe nihil habent quod edant, quia sunt artis suæ imperiti: sic & Concionatores illos præcoces, fructus immaturos semper proferre, qui acerbitate suâ omnibus displicent.

Sed ut in viam redeam, *Limburgius* noster, antequàm Ecclesiæ curam susciperet, pulcherrimas illas edidit Conciones *Episcopii*, in Cap. v. Matthæi, quæ in lucem anno LVII. prodierunt. Eodem anno Gaudam, ut Pastor illic esset, vocatus, vocationem accepit, primámque illic Concionem habuit in 1. ad Corinthios Cap. XIII. 12. atque in ea urbe, donec Amstelædamum vocaretur, Pastoris munus, cum summa illius Ecclesiæ ædificatione, obiit. Conciones quidem non componebat calamistris inustas, sed in quibus, ut par est, rerum quàm verborum, majorem multò rationem habebat, quæque rectis Scripturæ Sacræ expositionibus, firmis argumentis, apto ordine dispositis, ut *Episcopii* & *Curcellæi* discipulum agnosceres, refertæ erant; quales etiam Amstelædami habentem audivistis, & nos quoque interdum auribus nostris accepimus.

Cùm verò è Chartis *Episcopii*, quæ ad eum hereditate pervenerant, atque aliunde, nactus esset magnam Epistolarum copiam, quæ pertinebant ad res Remonstrantium Ecclesiasticas, nec lucem umquam viderant; ex iis, socio & adjutore *Christiano Hartsoekero*, erudito Concionatore Roterodamensi, conflavit eximium illud corpus Epistolarum Præstantium & Eruditorum Virorum, quas anno LX. ediderunt. Cùm verò exemplaria ejus collectionis in Officinis Librariis deessent, multásque deinde accepisset Litteras similis argumenti, eas multò auctiores & emendatiores, anno LXXXIV. majore formâ recudi postea curavit. Quin & anno hujus sæculi IV. postquàm hoc Volumen sibi alius Bibliopola comparasset, viginti Epistolarum elegantem accessionem addidit; ex quibus omnibus fermè tota, à *Jacobo Arminio* usque ad tempora, quæ Synodum Dordracenam sequuta sunt, Historia rerum ad Remonstrantes pertinentium colligi possit. Quod eò tutiùs ac certiùs fieri queat, quòd amici ad amicos sine fuco scripserint, nec ad occultandum, aut dissimulandum quod agebatur ullam artem, in ejusmodi Epistolis, adhibuerint.

Eodem etiam anno, quo hæc edidit noster, uxorem duxit d. 15, Augusti lectissimam virginem *Elisabetham van Zorgen*, celeberrimi Jurisconsulti *Nicolai van Zorgen* & qui summus amicus *Joan. Utembogardi* fuerat, filiam; ex qua masculam nullam prolem suscepit, sed dumtaxat filiam; quæ cùm in infantia matrem amisisset, ipsa etiam in adolescentia diem suum obiit.

Anno vero LXI. edidit libellum, sermone Belgico, dialogisticâ formâ cònscriptum, pro Tolerantia Mutua, contra *Joannem Sceperum*, qui eam libello quodam oppugnarat. Is fuit primus fœtus ingenii *Limburgii* nostri, idémque bonâ fruge refertus & Theologo moderationi & paci addicto dignus. Non putandum est ejusmodi opusculis quietem tantùm unius Ecclesiæ, aut Societatis, apud Præpotentes defendi; agitur illic de libertate & quiete Christianorum omnium, imò & totius Humani Generis. Quid enim esset tranquillum inter homines, si omnium animis insideret crudelis illa sententia, quâ alıter de Religione sentientes vexari posse & debere à ferocibus & imprudentibus quibusdam Theologis censentur? Non tantùm gentes gentibus, sed & cives civibus, Christiani Christianis collidererentur & omnia

rapinis, cædibus, incendiis, vastationibúsque urbium & provinciarum turbarentur & miscerentur. Tum verò homines hominibus lupos, aut si quid deterius est, fieri videremus. Est ergo officii omnium, qui rem Christianam florentem, & incolume Humanum Genus optant, dictis ac libris in tam fœdum dogma ubique invehi, ut ex hominum, Christianorúmque præsertim animis, si fieri possit, prorsus evellatur, & in posterum inter fœdissimas hæreses ab omnibus habeatur.

Cùm à *Stephano Curcellæo*, acceptis à *Francisco Limburgio* Chartis, editum dudum esset primum Operum *Sim. Episcopii* volumen, alterum est anno LXI. à *Limburgio* nostro emissum, adjectâ egregiâ Præfatione, quæ *Poelemburgianæ* subjecta est. *Episcopii* & Remonstrantium famam pulcrè in ea defendit, & calumniæ ipsi virulentum os, quà fieri potuit, occlusit.

Anno LXVII. Amstelædamum est vocatus, ut Concionatoris munere fungeretur. Defuncto doctissimo viro *Arnoldo Poelemburgio*, qui *Curcellæo* successerat, suffectus erat vir disertissimus *Isaacus Pontanus*, ejusdem Ecclesiæ Pastor. Sed eo mox ad concionandi munus reverso, cui mirum in modum aptus erat, Professorium est *Limburgio*, ei feliciter obeundo non minùs idoneo, mandatum primùm in annum, tum in perpetuum, d. 19. Aprilis anni LXVIII. quam in rem studia omnia sua convertit, & ad mortem usque, non sine summo totius Societatis Remonstrantium fructu, impendit.

Biennio pòst, varias Conciones *Episcopii*, etiamnum in ejus chartis delitescentes, in publicam lucem protraxit. Deinde anno LXXIV. d. 9. Januarii *Corneliam van der Kerk*, castissimam viduam, uxorem duxit, geminámque ex ea prolem sustulit. Sequente verò anno, operibus magistri sui *Steph. Curcellæi*, quorum maxima pars inedita etiamnum erat, obstetricatus est, & de moderatioris Theologiæ amantibus egregiè eâ re meritus. Sed cùm nec *Episcopius*, nec *Curcellæus* integrum Theologiæ corpus absolvere potuissent, morte impediti; ipse paullò brevius, quod postea ad umbilicum perduxit, hisce temporibus, de sententia Societatis Remonstrantium, scribere adgressus est.

Morbo, aliisque interpellationibus impeditus operi colophonem imponere non potuit, nisi circa ad tempus, quo nos in hanc urbem adpulimus, hoc est, circa annum LXXXIII. quo tempore, ut & anno sequente, nonnullas ejus partes nobiscum, quâ erat humanitate & modestiâ, communicavit. Nec potuimus id opus non vehementer probare, auctorésque ei non esse, cum multis aliis, ut quàm primùm usui publico consecraretur, quod anno LXXXVI. factum ab eo est.

Non vereor ne amicitiæ, aut etiam præjudiciis nimiùm tribuere videar, si dixero nullam antea prodiisse Institutionem Theologicam, in qua veritas, brevitas, perspicuitas & ordo commodus inter se magis certarent, aut in qua Adversariorum placita majore fide & moderatione confutarentur, vel pleniùs universa rerum divinarum scientia traderetur. De Veritate Theologiæ nostræ, ad res ipsas quod adtinet, ne aliter quidem sentientes dubitare queant; cùm dogma nullum, ex iis quæ saluti necessaria putamus, ab aliis Christianis non admittatur; qua de re an ulla alia Christianorum familia gloriari jure possit nescio, nisi si qui Remonstrantes, hoc in negotio, sint imitati. Quis id verum neget & creditu etiam necessarium, quod, initio à Christo & Apostolis facto, omnibus terris ac temporibus, à Christianis, sine dubitatione, admissum est? Itaque credunt omnes, quod quasi necessarium à nostro proponitur; unum discrimen est in iis, quæ minùs necessaria putat, & in quibus sine salutis jactura labi & errare licet; si modo præcepta Christi vitâ exprimamus, promissisque ejus ex animo fidem habeamus. Ad quod accedit quòd Remonstrantes ab omni vi, in Religionis negotio, abstinendum censent, nec nisi rationibus & suasione utendum, quod licèt verè Christianum dogma, ab omnibus, qui se eo nomine censeri volunt, proh pudor! non admittitur, aut certè usu ipso non confirmatur. Hæc ergo est Limburgianæ Theologiæ summa, quam eâ brevitate proposuit, vix ut ullum verbum, aut ulla periodus abesse posse, sine sensus jactura, videatur. Nec ideò tamen minor est styli & rerum perspicuitas, quia omnia dictione clarâ & minimè procul quæsitâ, nec scholasticâ barbarie corruptâ, exprimuntur; neque quidquam eorum, quæ intelligentiæ necessaria sunt, prætermittitur. Ad perspicuitatem non parum etiam contulit ordo idoneus, quo singula suis locis sunt collocata, nec prius dicendum usquam postpositum est aliis postea rectiùs & commodiùs memorandis; quam in rem judicium singulare, ut in cetera eruditio & scribendi exercitatio, postulabatur.

Quin & Adversariorum placita breviter quidem, ut omnia, exponuntur, sed, ne fides nostri accusari possit, ipsorum verbis frequentissimè exprimuntur; quod eum sæpe dicentem audivimus, & intelligent qui vel *Gulielmi Amesii* scripta cum hisce contulerint. Ceterùm quamvis ostendat quæ è falsis dogmatibus consectaria nascantur, ea minimè negantibus se ea admittere tribuit, rationibusque omnia, non conviciis, aut contumeliosè dictis, confutat. Præterea, quod perperam omitti in Theologicis Institutionibus solet, hîc præceptorum divinorum, vel Ethicæ Christianæ integram delineationem habemus; sine qua theoreticæ quæstiones nullius, aut exigui sunt usûs, quam universa Theologia spectat, & quæ proinde num-

numquam debet prætermitti. Non satis est homines quid sit verum & credendum doceri; sed & quid sit faciendum iis qui vera credunt, qua in re, si rem probè perpendamus, situs est veritatis usus, docendi sunt. Quare mancæ sunt Theologicæ Institutiones, quæ hac parte Religionis Christianæ carent.

Hæc ita habere, nec quidquam à me honoris ejus causâ exaggeratum, aut fictum norunt quicumque eximium Opus evolverunt; quos scimus non discipulorum tantùm ejus numero contineri, sed per omnes Christianorum familias latè sparsos esse; cùm non semel atque iterum, sed tertiùm etiam editum sit, & quartum prope diem prælo subjiciendum. Ea verò est in me, puto & in aliis, veri fiducia, ut ejusmodi Opus studiosè legi non posse credam, ab homine, qui Veritatem prorsus non spernat, cui multum ex ea lectione animo non adhæreat. Erit fortè aliquando tempus, quo hæc occulta semina in hominum animos jacta, copiosos fructus proferent, Christianósque per orbem terrarum dissitos, veri amantiores & in dissentientes mitiores reddent.

Verùm ne hoc solo Opere prædicando tempus teram, ad alia ejus Scripta me conferam. Anno LXXXVI. contigit *Isaacum Orobium*, Hispalensem Judæum, qui ex Inquisitionis carcere, quòd se Pontificium simulasset, exierat, & tandem Amstelodamum venerat, ubi Medicinam, non sine laude, faciebat, aliquando de Religione colloqui cum *Egberto Venio*, Medico celeberrimo, & *Limburgii* nostri consobrino atque amico. Ea re factum est ut *Orobius*, auditâ à *Venio* nostri eruditione, eum videre cuperet; quod & in Ædibus *Venii*, me præsente, contigit. *Orobius*, post multa de se narrata, varias objectiones in Novum Testamentum, doctrinámque Christianam protulit, eóque res rediit, ut scripto potiùs agendum videretur, quàm verbis; quò in disceptatione ordo melior observaretur & digressiones omnes resecarentur; atque inde conflatum est volumen, quod anno sequente in lucem prodiit, & *collatio amica de Veritate Religionis Christianæ, cum erudito Judæo*, inscriptum est. Si res hîc mihi exponenda sit, plerisque, qui librum legerunt aut eam aliunde norunt tædio sim. Hoc unum dicam, in ea disceptatione, eruditionem, & judicium *Limburgii* summopere eluxisse; cùm desultorium Adversarii ingenium non modò directis responsionibus ad ejus quæsita coërcuerit, sed & quæsitis contrariis eò adegerit, ut veritatem Legis Mosaicæ probare necesse haberet; ex quo ostendit *Limburgius* eadem argumenta, quæ ad Mosaicæ Legis confirmationem à Judæis proferuntur, pro veritate Legis Christianæ longè longéque vehementiùs posse urgeri; ac proinde si Mosi crederent Judæi, credere etiam eos oportere Jesu Christo, nisi secum dissentire vellent. Jam autem si quis crediderit Christo, non difficilem fore liquet solutionem objectionum Judaicarum è Vetere Testamento, contra Novum, prolatarum. Quod ita demonstravit, in eo Opere, *Limburgius*, itáque etiam in sermone cum *Orobio* habito, ostenderat; ut audiverimus Judæum dicentem, quemque in sua Religione manere oportere, quandoquidem multò esset alienam oppugnare, quàm suam probare, facilius. Quin & eò devenit ut diceret, si natus esset è parentibus, qui Solem colerent, se non videre cur eam Religionem deserturus esset, ac aliâ mutaturus; usque adeo ei proclivius videbatur objectiones, quam Veritatem, invenire. Sed Judæus ille, acceptis à parentibus præjudiciis excæcatus & confirmatus ad pugnam, cognitione Philosophiæ Scholasticæ, quæ in Hispania docetur, verum à falso secernere non potuit. Interea fruimur volumine egregio, quo ad ejusmodi pugnas, si necesse sit, depugnandas instructi sumus; cujus rei Deo primùm Opt. Max. Veritatis omnis auctori, tum etiam *Limburgio* nostro gratiam debemus.

Paullò pòst, edidit libellum Belgicum *Episcopii*, quo continetur summi viri disceptatio cum *Guilielmo Bommio* Romanæ Ecclesiæ Presbytero, in qua aliquot Epistolis Ecclesiam Romanam neque esse erroris immunem, neque judicem controversiarum supremum, firmis argumentis, pro more suo, evincit.

Anno XCII cùm incidisset in manus amici *Liber Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ*, ab anno MCCC VII. ad annum MCCC XIII. ejus editionis curam suscepit in se *Limburgius*; quâ occasione adductus, dum in res ad Inquisitionem de Fide pertinentes inquirit, quatuor libros scripsit; quibus origo Inquisitionis & totum regimen ejus, ex ipsis Inquisitorum Scriptis, accuratè describitur. Hosce autem Libros præfixit volumini, de quo dixi, gratiámque ejusmodi rerum curiosorum maximam inivit. Ex historia Limburgiana summa iniquitas crudelis illius Tribunalis, sub quo Hispania & Italia gemunt, intelligi, éque *Libro Sententiarum* multa ad historiam illius ævi pertinentia, colligi possunt. Hinc *Valdensium* & *Albigensium* placita à plerisque non satis intellecta quicumque Librum hunc legent animadvertent, quod in Præfatione sua monuit *Limburgius*.

Sequente anno XCIII. iterum editæ sunt & in unum volumen majus collectæ omnes *Episcopii* Conciones; quibus noster non Præfationem tantùm, sed etiam prolixam vitam *Episcopii*, Belgicâ Linguâ, præfixit. Verùm cum magni illius viri fama intra Belgii fines non coërceatur, fuere etiam Linguæ Belgicæ ignari, præsertim in Anglia, qui eam vitam legere cuperent. Quare est ab adolescente, *Limburgii* amico, versa, atque in lucem anno deinde MDCCI.

 emissa,

emissa, ac libenter ab iis, qui quanti sit faciendus *Episcopius* norunt, excepta.

Verùm contigit anno XCIV. quod *Limburgio*, apud omnes æquos judices, honori fuit, & Remonstrantium Theologiæ decorum. Rem apertiùs proloquar, quia ea, quæ præcipuas partes, hoc in negotio, sustinuit, jam fato functa est. In hac urbe, puella viginti duos annos nata, cùm à Judæo Linguam Hebraïcam discere cuperet, ita paullatim ab eo est decepta, ut Religionem Christianam deserere vellet, Judaïcamque amplecti. Quod cùm mater animadvertisset, Concionatores aliquot adhibuit, ut à tam pravo consilio revocaretur, sed frustra; nam eorum ratiocinationibus in dies Judaïsmo addictior fiebat. Quod eo factum est; quia Christianam Religionem, *à priore*, ut loquuntur Philosophi, omissâ aliquantisper Novi Testamenti auctoritate, probare instituerant. Tum verò locis Veteris ab iis prolatis Judæorum responsiones, quas edocta erat, opponebat; nec quidquam reponere poterant, quod dubitanti satisfacere posset. Cùm eo æstu ingeniosa alioqui puella agitaretur, contigit *Venium*, de quo antea dixi, ægri visendi causâ, in eas Ædes vocari, deinde ab anxia matre audire quibus dubitationibus animus filiæ distraheretur. Ibi *Venius*, injectâ mentione disceptationis *Limburgii* cum *Orobio*, eo mulierem adduxit, ut cuperet eum cum filia colloqui; si forte dubitationes ei eximere posset, puellamque ad Religionem Christianam revocare, quo nihil gratius sibi contingere posse confirmabat. Itaque *Limburgius* hebdomadis Paschalis altero die, qui fuit 12. Aprilis, eam invisit, eadémque viâ & ratione ingenium fluctuans adgressus, quâ *Orobium*, brevi ad saniores cogitationes adduxit. Volebat quidem illa sibi ante omnia è Vetere Testamento probari Deum fidem in Messiam ab Israëlitis postulasse; sed ostendit noster prius oportere de veritate Religionis Christianæ constare, quâ adsertâ, mox esset è Vetere Testamento quod optabat ostensurus, quemadmodum fecit. Primâ illâ congressione, ita labefactatus est ab eo puellæ animus, nihil ut respondere se ei posse fateretur.

Mox colloquiis intra eamdem hebdomadem habitis, ita ei satisfactum est, dubii ut illi nihil superesset, quorum colloquiorum summam *Limburgius* est in Epistola ad *Joan. Lockium*, amicum nostrum, complexus; è qua, si quando edatur, rem totam meliùs intelligere poterunt, quibus erit cordi singularem methodi Limburgianæ usum cognoscere. Nos plura nunc, hac de re, verba facere, iniquis spatiis exclusi, non possumus. Addemus tantùm matrem puellæ, quidquid nonnulli oggannirent, non sine Divina Providentia, *Limburgium* domum suam ingressum professam esse, ipsamque virginem eruditissimum Theologum patris instar esse deinde veneratam. Eant nunc illi, qui ratione & viâ in Religione nihil confici posse dicunt! Habemus egregium exemplum, quo vel pertinaces ad silentium adigamus.

Contigit postea anno XCVIII. virum celebrem *Joan. vander Waeyen*, S. Theologiae Professorem Franckeranum, contra nos scribere libellum περὶ τῦ Λόγυ, hoc est, *de Verbo*, vel *Ratione*, cujus meminit Joannes initio Evangelii; eâque occasione datâ, non in me & Remonstrantes tantùm, sed & in *Limburgium* graviter invehi, & pro calumniatore eum traducere, quòd in *Theologia Christiana* dixisset *Franc. Burmannum*, Theologum Ultrajectinum, *sine judicio Spinosam exscripsisse*. Nihil verò à se dictum, quod non verissimum esset, prolatis utriusque locis, demonstravit *Limburgius*, aliáque *Waeyenii* placita in libello confutavit; qui tertiæ *Theologiæ Christianæ* Editioni postea subjectus est, ne tenuitate suâ periret. Fuere & alii qui *Burmannum* defenderent, sed res adeò erat liquida, nihil ut iis respondendum censuerit, cùm præsertim Adversariorum scripta à nemine legerentur, aut verò sine summo fastidio legi possent. Quamobrem eum meritò laudasse videor in Dissertatione, *an semper respondendum sit calumniis Theologorum*, quam ipsi lubens, meritóque dicavi.

Nec tamen, quamvis ætatis venia, jure suo, uti posset, quiescere voluit; sed edidit, anno superioris sæculi ultimo, libellum Belgicum *de ratione bene moriendi, & solandi ægros*, atque adgressus est scribere Latinum *Commentarium in Acta Apostolorum, inque Epistolas ad Romanos & ad Hebræos*, qui anno demum hujus sæculi XI. prælo subductus ab omnibus legi cœpit, & legetur in posterum ab iis, qui eos libros penitus intelligere cupient, memoriámque auctoris ad ultimam posteritatem, unà cum ceteris ejus lucubrationibus, transmittet.

Hæc sunt optimi & doctissimi Viri Opera, quibus & sæculo suo & futuris ita profuit, proderitve, ut æqui omnes homines & Veri amantes æternas ei gratias sint habituri. Reliquit & nonnulla, quae nondum edere constituerat, ut Librum qui complectitur sævas & imprudentes nonnullorum Protestantium sententias de *Pœnis Hæreticorum*, alium *de origine & progressu controversiarum de Prædestinatione & Gratia*, tertiùmque *de ratione concionandi*. In hisce omnibus conscribendis, munerisque adsiduis functionibus, quas diligentissimè obibat, vitam contrivit.

Cùm verò præterito autumno jam cœpisset laborare morbo cutis molestissimo, qui *Herpes* à Medicis, aut etiam *Ignis Sacer* dicitur; instante hieme, graviùs adflictari cœpit, ut vix ad Natalis Domini ferias prælectiones quotidianas habere potuerit. Mox aucto morbo, pruritúque perquàm molesto, cum pustulis undecumque erumpentibus, quæ somnum ei eripiebant, non decubuit quidem initio; sed postquàm vi longioris morbi exhaustis viribus sedere ampliùs non potuit, lectulo se se continuit; ubi licèt nullâ febre laboraret, nec erumperent ampliùs pustu-

pustulæ ullæ, prioresque etiam exsiccatæ essent, in tantum fastidium incidit, tantáque debilitate est adfectus, ut vires recuperare non posset; quo factum ut, ultimo Aprilis die, Deo Opt. Max. spiritum, quem ab eo acceperat, reddiderit, dum LXXIX. ætatis annum decurreret. Longa sanè ei fuit ætas, & ad quam pauci perveniunt; sed tamen familiæ, amicis & Societati Remonstrantium mors est immatura; quibus operâ, consilióque & exemplo multùm etiamnum prodesse potuit.

Hic in lessum & clamores non erumpam, quibus quám luctuosa fuerit mihi mors Collegæ ostendam vobis, AUDITORES ORNATISSIMI. Multi vestrûm norunt quàm amicè, per hosce viginti septem annos, vixerimus; iis verò qui ignorant hæc Oratio mea, quocumque pervenerit, probabit. Pergam potiús ejus dotes ac virtutes describere, paucisque verbis amicum, quasi brevi tabellâ, in æterno Memoriæ Templo adpendendâ hic pingam.

Quamvis Linguarum cognitionem, quasi finem studiorum numquam sibi proposuerit, tamen multa ad eas pertinentia ab eo fuisse lecta, multos evolutos veteres & recentiores Scriptores mihi constat. Quin & ei studio aptissimus fuisset, ni majora spectasset; nam & singulari ingenio, & insigni memoria præditus fuit, ut experti sunt omnes, quibuscum aliquando versatus est. Si voluisset etiam ad Mathematicas disciplinas se convertere, res ei sine dubio optime cessisset, cùm Arithmeticæ peritissimus esset. Historiam patriam ita noverat, præsertim à sesquisæculo, ut vel minutas circumstantias teneret, & tempora ipsa quibus singula gesta sunt, veluti scripta in animo haberet; ut vix quisquam eum, hac in parte, fallere posset. Gravis fuit, sine tetricitate; comis, sine simulatione; hilaris & facetus, ubi tempus & res ferebant, sine scurrilitate ac malignitate ulla. Iis dotibus, omnibus, qui in eum incidebant, gratus ac jucundus erat, amicis carus, consanguineis & propinquis amabilis, ut numquam non eum libentissimè viderent, comitémque sibi exoptarent. Amicos habuit multos & eruditos, cùm in patria, tum in exteris oris, ut ostendunt litteræ acceptæ & scriptæ, quæ in scriniis ejus servantur; exceptis paucis, quæ cum Lockianis luce publica, ab anno hujus sæculi octavo, fruuntur.

Si quæras quæ in Theologo præsertim desiderantur, in eo omnia abundè inveneris. Veritatem ante omnia amabat, noctuque & interdiu, lectione Scripturæ Sacræ & optimorum quorumque Interpretum ac Theologorum, quæsiverat & invenerat. Ei constanter adhæserat, itaque eam in animum & memoriam admiserat, ut quidpiam de Theologia quærentibus, etiam in rebus arduis, nullo negotio satisfaceret. Vel ex Epistolis ad *Lockium* scriptis, ubi libertatis naturam, viro magno non satis notam, egregiè explicuit, rem intelligere possis. Candore fuit omnibus noto, & cum tanta humanitate conjuncto, ut nemo dictis ejus offendi unquam posset. Summâ perspicuitate, & quàm commodissimo ordine in docendo utebatur, quibus sine dubio multum juvabatur ejus memoria, quâ omnia fermè quæ scripserat verbo tenus complectebatur. Quamvis longâ docendi adsuetudine auctoritatem sibi, apud suos, parasset, reverentiámque grandior ætas ei conciliasset; non ægrè tamen dissentientes à se ferebat & sine iracundia confutabat, ac confutari se ab iis patiebatur; erga Discipulos etiam, severitatem inter & indulgentiam, medius. Mansuetudo ejus in Orobiana disceptatione, quam memoravi, magnopere emicuit, & in ejus *Collatione* edita omnibus, nedum ut reprehendi queat, semper admirationi erit, qui sciunt quàm facilè ira in Theologorum animos subrepat & sub specie zeli fallat; præsertim ubi sunt iis principia ipsa Religionis, contra dissentientes, defendenda. Quia enim reverenter solent à Christianis, & quidem meritò, admitti; sæpe boni viri vix æquo animo patiuntur à Judæis, aliisque ea rejici; quod tamen, ut ab erroribus revocari possint, ferendum est. Rationibus & mansuetudine sunt oppugnandi, non conviciis & irâ. Nec eò fecius in nostro fuit summa erga Divinum Numen Religio, eáque eò purior & flagrantior, quod sine superstitionis, pravarúmque opinionum ulla fuligine esset. Erga proximum iis moribus erat, quos laudarunt semper qui eum norant, aut quibuscum aliquid ei fuit negotii. Eâ denique temperantiâ vixit, quæ & in Christiano & in Theologo postulari potuit, & quâ etiam factum ut sanam mentem in sano corpore ad provectam usque ætatem, quæ nonnullis fuit summa votorum, habuerit, integrisque sensibus & bonâ spe plenus animam Deo Creatori moriens commendarit. Dixi.

F I N I S.

E CARMINE

HUGONIS GROTII

IN MORTEM

JACOBI ARMINII,

quem adloquitur.

IBI ſatur quiete, gaudii plenus,
Quæſita quondam diſcis, & vides quanta
Involvat homines inſcientiæ nubes:
Quàm nil ſit illud, quod vocamus hîc ſcire,
Quo nos ſuperbi tollimus caput cœlo,
Calcamus alios, invicémque calcamur.
Hinc tanta bella ſæviunt magiſtrorum,
Hinc odia plebis; interim fugit longè,
Nec ſe videndam dimicantibus præbet
Amica Sanctæ Sancta Veritas Pacis.
Unde iſta rabies & libido pugnandi
Inſedit animos? cur placet Deus, belli
Materia? quò tot ſtudia, tot novæ partes?
An hoſtis atrâ nocte peſtilens Chriſti
Inſparſit agro ſemen? An furor pugnax,
Mortalitatis ingeniique corrupti
Alimenta quævis ſumit, & Dei cauſæ
Permiſcet hominem? Curioſus an mundus,
Dum nil latere patitur, & ſequi gaudet
Sciri negata, jure ſentit hanc pœnam? &c.
Heu! quid paramus? lectus orbe de toto
Grex ille parvus lancinamur, heu! fœdè,
Iterúmque & iterum, ſcindimúrque diſcordes,
Ridente Turcâ, nec dolente Judæo.
Felix remota factionibus vulgi
Relligio ſimplex, arte non laborata;
Quæ morte Chriſti certa dilui culpas
Hic ſpem, fidémque ponit, & dari credit
Gratis ſalutem, promerentibus pœnam;
Sanctique amoris lene munus exercens,
Non curat altùm ſapere, nec nimis quærit,
An lege certâ veniat omne venturum,
Exſors malorum, quomodo malum nolit,
Velitque Rector, ſumma quatenus cauſa,
Potente nutu, velle temperat noſtrum.
Felix & ille quisquis ambitu liber,
Nec vana captans lucra, nec leves plauſus,
Cœleſtiores excitatus ad curas,
In aſtra tendit, & Deum ſtudet noſſe
Quà ſe ipſe pandit, ambulátque ſuſpenſis
Periculoſas greſſibus per ambages,
Non mentientis fila perſequens libri;
Cui caritate temperata Libertas
Certat manere diſſidentibus concors.
Piæque purus æquitatis adfectus,
Damnatus aliis, ipſe neminem damnat;
Modeſtiæque limitem premens donat
Nunc verba Vero, nunc ſilentium Paci, &c.
Deum precaris det gregi ſuo lucem
Hîc quanta ſatis eſt, hac det eſſe contentum;
Det non loquentes ſua reperta doctores;
Det conſonantes ſemper omnium linguas,
Aut corda ſaltem; præpotente vi flammæ
Caliginoſas litium fuget ſordes,
Ut ſpiret unum tota Civitas Chriſti,
Vitámque terris adprobet, fidem cœlo.

INVI-

INVITATIO
REFORMATORUM DISCORDIUM
AD
CONCORDEM THEOLOGIAM
REMONSTRANTIUM

editam à

CL. V. PH. LIMBURGIO SS. Theol. Prof.

O Cymba Christi, in inqaiete jam salo
Jactata, ventis omnibas ludibriam,
Nunc anchoram demitte postremam, omnibas
Et occupare viribas portam para;
Dam fervet æsta pelagus, & vastæ impetu
Volvuntur undæ, spumeiqae vortices,
Dumque obruit procella proram Gallica,
Æstuque sævo littas Armoricum gemit;
Aliunde dum tremenda tempestas, minax
Nimbûm nigrore, corda aaatarum gelat.
Jam cura sit servare pappim saaciam.
Sed ipsa posset hoc salas? Nunc animam agit
Deformis atqae lurida Reformatio,
Omnem & medelam respuens, exaggerat
Vesana morbum, ferme ineluctabilem.
Ah, ite fuaus exequi. Actam est. Ilicet.
Non cura restaarare Cymbam debilem
Exasperatas omnium mentes subit.
Iaternecinis nauitæ rixis fremunt,
Premuat, premuntur, dum premuntar (vah) premunt.
Papatai futura fœda victima
Cordis remittit baud ferociam sal.
Cadmea ceu propago dentibas sata
Draconis atri, conditara mœnia
Thebes, aigravit cæde fraternâ manus,
Prostrata Marte pessimis modis sao;
Sic conditores civitatis lucidæ
Se destruunt, dum substraant domum Dei.
Quid restat? anne qaispiam monitis bonis
Addacetur in viam? O agamas boc.
Qaicunqae opacas inter erroris vias
Iaterque Sectas congreges, sectas male
Diu vagatus devia mente, uritur
Amore tandem Veritatis simplicis,
Et actuosæ, Charitatis enthea,
Concorditatisque aureæ qaæ mater est,
Ac restitutrix Cymbulæ, mox naufragæ,
Faveto linguâ, dicta quo migrent mea
Ad cordis imam. Regiam pandit viam
Limburgius, *quam straverat Deo satas*
Apostolorum & triverat chorus sacer
Integritas hic prisca, puri & seculi
Non arte ficta, Religio, ast simplex, radis
Cultæque fuco falsimoniæ vacans
Demum refulget. Hanc Superstitio nigra,
Caliginosa nube terris incubans,
Fædarat, osa aaditatem simplicem
Veri, venasti proprio mando sao,
Et obtegens, velansque aativum decus,
Lenocinante vestiam gestamine,
Ac illecebris, condecentibas male,
Inventionum, Præsules qaas consaunt,
Ut obvolata veritas solis sibi,
Plebeculæ sed non patescat obviæ,
Qaam in atili scientiâ sibi parent
Trahunt in admirationem frivolis,
Discrimen ut sit inter & mystam & gregem;
Aut veritatis limpidam oblimans aquam
Luto Platonis ac Sophoram sordibus;
Aut implicans ambagibus sophismatum
Ac quæstionam corda valgi simplicis.
Superstitio sed unde terris edita?
Muadas Satanæ quicquid est debet mali.
Qui cum videret pristinas artes sibi
Neqaissime cessisse, Ecclesiam Dei
Mediis ovantem persecationibus,
Jam Martyrum craore succretam, sais
Damnis adauctam, & invalescentem malis;
Virtate, Charitate subnixam, & Fide,
Placavit ipse mox procellas turbidas;
Ut, qaos nequibat dura per discrimina,
Felicitate proditoriâ domet.
Malacia terris orta videt subdole.
Obsessa Virtus affluentibus bonis
Velui veterno tacta marcuit cito.
Sævis tyrannis parta sævior quies
Expectoravit (heu) viriles impetus,
Constantiæqae vim retadit mascalæ.
Velutque pigra mole torpentes aquæ
Halant mephitim; sic tumens Saperbia;
Ambitio cruda, & arrogans Amor sal
Tranqaillitatis perfidæ fætor fuit.
Tunc prodiit monstrosa terris bellua;
Fucata Sanctimoniæ choragio,

Quà

Quæ sana fœdans cuncta, vastans, proterens,
Humana scriptis scripta glutinans Dei,
Et inquinato terrenum miscens polo,
Quassavit orbem motibus feralibus.
Tunc factiosa Concilia turbas cient,
Triasque primus actus est tragœdiæ.
Hic sola, pura, nuda fulget Veritas.
Fundamen hoc, quod constat ex auro mero,
Invitat omnes, ligna, fœnum vel leves
Stipulas, profana prurientis ingeni
Commenta, ne quis conferat levi manu;
Aurum ast probatum & uniones lucidos;
Ut unicam ex conglutinatis cordibus
Et universam Pacis ædem substruant,
Opinionibusque vanis dissitos
Omnes adunent Charitatis vinculo.
Antiquitas quod credulo mundo dedit,
Quam veritatis proma, tam falsi tenax,
Aut, seculis adulta, falsi Authoritas,
Usu recepto nacta vim tyrannicam,
In mentibus cuniculos ægris agens,
Sensim & supinas conscientias ligans
Canonum numellis, Symbolorum cassibus,
Hic ponderatur, non probatur, anxie.
Concilia Patrum, aut instituta quælibet
Humana, lege quæ magistra sanciunt
Quod lege non sancivit ætheria Deus,
Injuriosæ & Spiritum in Sanctum, novæ
Hominum loquendi formulæ, ceu Dia mens
Neglexerit sese explicare clarius,
Vel ferre jussa, quæ saluti sint satis,
Hic sedulo exiguntur ad normam Libri
Non mentientis. O profana sint procul!
Cœleste verbum utramque paginam facit.
Hoc nobis est at Numen aspectabile
Sacramque, ceu fatale Palladium, via,
Nulli movendus Terminus, dux, lux, pedum.
Est Manna vesca, melle lympha dulcior,
Vitæ magistra, Veritatis regula,
Et actionum norma constans omnium.
O quisquis altum sapere sudas & viam
Cœlo, gigantum more vecordi, paras,
Audax recessus intimos tentans Dei,
Quid egerit, vel orbis Artifex agat,
Intelligendus terreo cum carcere
Mens emigravit, patriæ compos suæ,
Definiensque mentis angusto sinu
Non æther ipse quem queat complectier,
Qui curiosum ludit examen, tuum &
Animi retusum acumen in se replicat;
Sciri negata captitans, jam præteris,
Ardelio vecors, quæ scienda sunt tibi.
Parubiles scientiæ sunt utiles.
Divina, rerum nunc potens, sapientia
Incedit omnium per ora publice,
Non flamines duntaxat invitans sacros,
Sed septuennes, simplices sed fœminas,
Plebemque proletariam. Quia Deus
Necesse quod, commune fecit, quempiam
Nec scire vult, quam quod sciendum est omnibus.
Hæc, nota paucis Veritas, est obvia
Cunctis: sed angue pejus odit ac fugit
Mentes retortas, ac sui non compotes,
Aperta, plana, trita quæ fastidiunt;
Laborioso sed conatu nodulos
Quæ quæritant in scirpo inenodabiles;
Imaginosa de Deo mysteria,
Et captiosas mentis ambages rudis,
Umbrasque inanes aucupant, ac somnia.
Ut muscæ adhærent asperis semper locis,
Sed transeunt polita. Verum detur hoc
Febricienti insaniæ mortalium,
Quod inquies, servare nesciens modum,
Mediocritatis finibus nec comprimi,
Putere cuncta postulat menti suæ,
Male feriatæ mentis ex deliriis.
Ast consequentiarum iniqua fingere
Portenta, definitionum aut formulas,
Quæ carceres, bojæque conscientiis
Nunc servitutis fasce sub duro premunt
Christi redemptos luculento sanguine;
Nec ferre, qui dissentiant sensu à suo,
Ac veriori jam receptam posthabent;
Commenta tam vesana dictatoria
Authoritate, vi, minisque obtrudere,
Ac respuentes igne, ferro tollere,
Et ense terminare controversias,
Est omne fas & jus, sacrumque abrumpere.
Si factiosæ Religiones, quæ vigent,
Inventiones seculentur, quas homo
Excogitavit, more despument bono,
Credenda pauca singulis super forent.
Theologia ast augusta, quæ privo suo
Decet lepore, comitur cultu male
Lenocinante, ut improbæ merces solent.
Dat parparissam Logica fallax, quæ bonæ est
Mentis Charybdis, atque vestes instruit,
Transgressa rerum terminos, Metaphysica,
Et Veritatis subruens almæ basia;
Togamque non concinnat ex verbo Dei,
Sed exoletis ex Stagyritæ senis
Gentiliumque rancidis scriptis suit.
Sic omnis apparatus esset Ethnicus,
Arcana gentes fingerent nobis Dei,
Ni Scotus is, tenebrionum qui pater,
His invidisset palmulam, qui somnia,
Et vorticosas atque morosas strophas,
Aculeatis intricatus vepribus,
Latoque sparsu verba miscens barbaro,
Tentavit ipse cuncta, quæ scit nesciens,
Næ intelligendo intelligens merum nihil.
Hic Veritas incompta, nativo suo
Fulgore nitens, amputare docet
Fidenter accrementa rejectanea,
Solum ut supersit quod necesse est omnibus.
Quæcunque non docere vult Verbum Patris
Nescire, pars scientiæ est hic maxima;
Nihilque definire, quam quod finiit
Summus Magister, una definitio est.
Fert omne punctum hæc erudita inscitia.
Ast bracteata, cassa fruge, nænia,
Lanæ caprinæ quæstiones aridæ,
Luxuriantis ingeniique argutiæ,
Nunc Christianis maximam messem ferunt
Contentionum, personant quibus scholæ:

Hinc

Hinc omnis altercando Veritas perit;
Amica Pacis, ventilantes quæ fugit.
Hinc cestus ille Charitatis rumpitur,
Vestisque Christi scinditur non futilis.
Passim cruentas hinc tragædias cient,
Et quicquid Atreus ausus est, aut Oedipi
Propago dira, lusus hic nunc est merus.
Frater cruore fratris imbuit manus,
Et Christianum Christianus dat neci.
Ah mitiores se suis præbens lupi!
Quæ causa motus tam ferinos concitat?
Mentis tuendi scita pertinacia,
Dissentientes non ferens, ac deputans
Errare, qui suis parum consentiunt
Cum formulis. Hæc hæreses, non februis
Ullis piandas, ferrum & ignem mox crepat,
Tentare si quis jam recepta sustinet,
Aut ferre veritatis invisam facem
His, cæcitate qui frui gaudens sua.
Confessionum obstricta vinculis, suis
Opinionibusque fœde serviens,
Servire cunctos cogit, ut nemo Deo
Liber, suique juris annos exigat;
Sed mancipetur, quantus est, homo sibi,
Et aure, linguâ, corde sub jugo gemat,
Obnoxias quod conscientias premit.
Si quis repugnet, hæresis scribit dicam,
Anathematisque fulmen horridum vibrat,
Proscriptione, vinculis, minis, fame,
(Si quis potestas) igne, ferro sæviens.
Culpate nunc jam Galliorum maximum
Regem, subesse subditos qui propriis
Placitis sacrisque cogit armata manu,
Modicque sævis; si cerebrosus, ferox
Ac Presbyter, moraute conservos ferit
Domino, arrogatque vim tyrannicam sibi,
Servasque mentes torquet ad nutum suum.
Fas esse dicunt pullulantes hæreses,
Diaque messi noxias, evellere.
Sed deputemus rectiore rem viâ.
Errare non est, formulis contrariis
Sentire vestris. Lis adhuc sub judice est.
Nec error insons est vocandus Hæresis.
Iris malignis atque diris persequi,
Velut bidental execrare, vel truci
Urgere pœna innoxios erroneos,
Ac ustulatos ignibus lentis, velut
Piaculares immolare victimas,
Germana, pura, puta genuina Hæresis,
Et Christianæ est pestifer pestis rei.
O innocens meretur error veniam
Jure æquiore, quam cruenta veritas,
Immane quantum invisior Pacis Deo,
Quam quivis error, proba mens quem prætegit.
Peccat voluntas. Lex voluntati data.
Non peccat error. Nam quis errabit volens?
Cæleste donum est Veritas. An demetet
Quod ipse non obsevit orbis Arbiter?
Aut postulabit ante quod minus dedit?
Damnatur error uspiam, an flagrans nefas?
Errare proni singuli sumus, proin
Sibi severus, quisquis est erraribus.
Errori iniquus errat impudentius.
Erroris expers ille vitam transigit
Qui semper hæret, atque suspenso gradu
Procedit anceps, ipse suspectus sibi,
Semperque opacos inter anfractus manu
Tenet magistra fila veracis libri,
Nihilque certum, sive credendum putat,
Quam voce clara quod ratum fecit Deus.
Contentus hac scientiâ parabili,
Errore cassus, æquus aut erroribus,
Fomesque Charitatis annos exiget.
Audite sultis. Summa rerum hæc omnium,
Et cardo causæ est, quam docet Limburgius,
Peccore, non errare deputans nefas.
Hic ferre, nec inferre discimus mala;
Nec quempiam damnare, sed damnarier
Pro Veritate gloriosum ducimus.
Dissentientes ut ferant, ferri ut volunt,
Hæc prima cunctis regula est, quam sanxerat;
Quemcunque lege metiens sua, Deus.
Pro veritate confidenter vel loqui,
Pro pace vel tacere, si res postulat,
Vel si tyrannus Error intentat minas,
Et experiri dura per discrimina,
Quanti æstimemus Veritatem, contigit,
Docemur hic timere pro Concordiâ
Et Veritate cuncta, pro vitâ nihil.
Modulo suo metitus, altum nec studens
Sapere, modestiæque semper limitem
Premens, habetur doctus & verus Thales.
Inventa mentis qui staterâ ponderat,
Obnoxieque in verba jurat neminis,
Amatque diffidere dogmati sibi
Placito, iste liber, & sui juris cluet.
Deum vereri, proximum numen Deo
Cunctis colendum, quod Magistratum gerit;
Pronis tributis, ac honore prosequi,
Doctrina singularis est hic, & caput
Sapientiæ, quâ discrepamus omnibus,
Inauspicatum molientibus sibi
Imperium in imperio, quieta vel quibus
In pace turbæ sunt, vel in turbis quies.
Hæc promicundus enthea Scientiæ,
Et plura donat seculis Limburgius.
Te, macte cuncta laude, servatos manet
Ob plurimos cives benigne civica
Corona, qui vagantibus præfers facem,
Ut inquiete fluctuantibus mari
Gemellus ignis, lumen exerens polo,
Et avios deducis in portum bonæ
Concordiæ, atque veritatis candidæ.
Quam latus ad tuas laudes campus patet?
Severta gyro sed statuto pagina est.
Tum vita scripta, scripta vitam comprobant.
Nam vita, quicquid scripseris, refers tua,
Et scripta sunt specimen indolis piæ.
Hæc pauca dicam. Magni Episcopii nepos,
Celsissimæque mentis hæres, arduæ
Virtutis, ac vastissimæ Scientiæ
Non deneger, quid expetas? an gloriam
Levesque plausus? gloriæ vanæ tuus
Contemptor animus major omni gloria est.

C. D.

*** INDEX

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.
LIBER PRIMUS.
De Scriptura Sacra.

LIBER SECUNDUS.
De Deo & Operibus Divinis.

LIBER TERTIUS.

De Redemtione.

LIBER QUARTUS.

De Prædestinatione Dei.

LIBER QUINTUS.

De Præceptis Novi Fœderis.

LIBER SEXTUS.

De Promissis & Minis Novi Fœderis.

LIBER SEPTIMUS.

De Ecclesiâ Jesu Christi.



THEO-

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ
LIBER PRIMUS
DE SCRIPTURA SACRA.

CAPUT I.

De Theologia ac Religione, in genere.

Quid Theologia. I. Heologia est doctrina sive scientia, docens verum de Deo sensum, & qui ex sensu isto fluit cultum, expressa ad exemplar notionis illius, quam Deus in seipso concepit libera sua voluntate, & secundum quam homini præscripsit officium, quo circa ipsum versari debet.

Illius divisio. II. Solet vulgo Theologia dividi in Archetypam, quâ Deus se ipsum novit & omnia divina: & Ectypam, quæ expressa sit ad illam ideam, & communicata tripliciter: 1. per unionem hypostaticam, Jesu Christo: 2. per visionem, Angelis: 3. per revelationem, hominibus. Sed vitiose. Theologia enim revelata non est expressa ad ideam cognitionis illius, quâ deus seipsum cognoscit naturaliter: nam præterquam quod ea sit unica; Deus vero diversum pro temporum ratione cultus modum præscripserit, primo legem operum, deinde legem fidei; sequeretur & gravissimum hoc absurdum, Deum necessario hunc cultus modum, quem revelavit, nobis præscripsisse, neque potuisse alia ratione, præter eam quam in verbo suo nobis manifestavit, nos ad salutem perducere: quod non tantum libertati divinæ quam maxime præjudicat, Deumque in agens necessarium ac naturale transmutat: sed & è diametro Scripturæ adversatur; docente Paulo *Eph.* 1. 5. quod Deus *nos prædestinavit in adoptionem filiorum per Jesum Christum in seipsum, secundum beneplacitum voluntatis suæ.* Et Dominus Jesus gratias Patri agens quod doctrinam Euangelii absconderit a sapientibus & prudentibus, eamque parvulis revelaverit, addit: *Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te. Matth.* XI. 26.

Objectum. III. Objectum proximum & immediatum Theologiæ est cultus Deo exhibendus, quem religionem vocamus; cultus vero hujus objectum est Deus. Male ergo Deus Theologiæ objectum vocatur; cum sit objectum non proximum, sed solummodo remotum, alias Theologia consisteret in nudâ Dei scientiâ. Prærequiritur quidem scientia de Deo, antequam debite coli possit; sed in hac scientia Theologia non acquiescit, verum (ut mox videbimus) eam totam cultus solius gratia tradit, quatenus illius fundamentum est; adeo ut, si rigide loquendum sit, scientia hæc non tam ipsa Theologia, quam Theologiæ quoddam sit antecedens.

Finis. IV. Finis Theologiæ est, ut homo, Deum juxta formulam ab ipso præscriptam colens, vitam æternam tanquam obedientiæ præmium assequatur, ad summam bonitatis, sapientiæ ac justitiæ divinæ laudem ac gloriam.

Est scientia practica. V. Inde manifestum est, Theologiam non esse scientiam speculativam, aut mixtam, partim nempe speculativam, partim practicam; sed pure pute practicam, quoniam ultimus illius finis est praxis. Disciplinæ autem ex ultimo ipsarum fine sunt dijudicandæ. Theologiam in sola speculatione terminari, nemo sanus dixerit. Nec etiam partim in speculatione, partim in praxi terminari exinde constat; quia nihil in Theologia traditur, in cujus solâ ac nudâ cognitione homo acquiescat: licet enim multa tradat de Deo, quæ in speculatione consistunt, videlicet quæ divinam naturam & attributa, ejusque decreta & opera spectant; non tamen in nuda illorum scientia acquiescit; sed ea ad cultum Dei, tanquam unicum ac ultimum finem, dirigit; adeo quidem, ut quicquid nullam ad Dei cultum relationem habet, nec Theologiæ pars, nec scitu necessarium sit. Hinc 1 *Tim.* 1. 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ad fidem quippe ac mandatorum divinorum obedientiam omnia referuntur. Ad fidem quidem, *Joan.* XX. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus.* Ad obedientiam, *Joan.* XIII. 17, *Si hac scitis, beati eritis si feceritis ea. Cap.* XV. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Hinc I. *Cor.* XIII. 2. *Si novero mysteria omnia & omnem scientiam*, &c. *charitatem autem non habuero, nihil sum.* Exigit illud etiam natura religionis, quæ constat præceptis, promissionum ac minarum additione sancitis: illa enim non tra-

duntur ut ſciantur ſolummodo, ſed ut præſtentur. Imo omnium diſciplinarum maxime practica eſt; quia quicquid in reliquis morale eſt, id omne ad Theologiam refertur.

Explicatio Joan. XVII. 3.

VI. Dices. Legitur tamen *Joan.* XVII. 3. *Hac eſt vita æterna, ut te cognoſcant ſolum verum Deum*, &c. Reſp. Non agitur illic de nuda ſcientia Dei, quæ in ſola contemplatione conſiſtit; ſed de practica, ſeu quæ cum praxi eſt conjuncta: hoc enim eſt *noſſe Deum*, convenienter cognitioni quam de Deo habemus ipſum colere: ut 1 *Joan.* II. 4. *Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Cap*, IV. 8. *Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas eſt.* Phraſi apud Hebræos, qui conſequentia antecedentibus includere ſolent, uſitatâ: eodem modo quo audire pro intelligere, intelligere pro credere, credere pro ex fide obedire accipi ſolet. Aliàs ſequeretur, ſolam cognitionem Dei theoreticam medium eſſe conſequendi vitam æternam; ac proinde impium, modo hac Dei cognitione non ſit deſtitutus, vitæ æternæ fore hæredem. Quod abſurdum.

Quid ſit religio.

VII. Religio, quam Theologiæ objectum diximus, eſt recta verum Deum cognoſcendi & colendi ratio, ſub certâ ſpe remunerationis ab ipſo obtinendæ: complectiturque in ſe amorem, timorem, fidem, ſpem ac obedientiam. Sic *Tit.* I. I. religio Chriſtiana vocatur *agnitio veritatis quæ ſecundum pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ.*

Eſt vel naturalis,

VIII. Religio autem, vel eſt naturalis, vel revelata. Naturalis nititur dictamine rectæ rationis à Deo cordibus hominum inſcriptæ, per quam homo in Dei cognitionem deducitur; uti liquet *Act.* XIV. 16, 17. XVII. 26, 27. *Rom.* II. 14, 15. Eſtque ſufficiens quidem, ad hominem officii ſui convincendum, non autem ad peccatorem in gratiam cum Deo reducendum; quia ſolius arbitrii eſt divini, & peccatorem in gratiam recipere, & conditionem, quâ intercedente recipiendus ſit, præſcribere: hinc *Matth.* XI. 27. *Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* I *Cor.* II. 9, 10. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt ipſum; nobis revelavit Deus per Spiritum ſuum.*

Vel revelata.

IX. Revelata nititur patefactione divinâ. Prout autem revelationes divinæ variæ fuerunt, ita etiam religio perfectior exſtitit aut imperfectior. Non enim ſtatim Deus voluntatem ſuam plene hominibus patefecit, ſed ſenſim & per gradus. Primo monita quædam generalia præſcripſit, quibus tanquam regulis quibuſdam generalibus homines officii ſui commonefecit. Dein fœdus pepigit cum Abrahamo ejuſque poſteris, in quo, ſingularia quædam officia ſtipulatus, ſe promiſſis etiam Abrahamo obſtrinxit. Poſtea per Moſen Iſraëlitis legem dedit, varia continentem præcepta, variiſque promiſſis ac comminationibus ſancitam. Tandem pleniſſime suam voluntatem per dilectum ac unigenitum ſuum Filium Jeſum Chriſtum in plenitudine temporum revelavit. Ita *Hebr.* I. I. *Deus olim* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, id eſt, per varias particulas, non ſimul & ſemel, & variis modis, per angelos, in viſione, in ſomnio, *locutus patribus in Prophetis, noviſſime diebus hiſce locutus eſt nobis in Filio:* per quem nimirum *bonam beneplacentem & perfectam ſuam voluntatem*, ut eſt *Rom.* XII. 2. patefecit, & in quo *omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter. Coloſſ.* II. 9.

X. Et de hac revelatione potiſſimum acturi ſumus: De reliquis non aliter, quam quatenus huic præluxerunt, & ad hujus pleniorem intelligentiam inſervire poſſunt.

CAPUT II.

De Exiſtentia Dei.

I. UT autem diſtincte de Religione dicamus, tria conſideranda ſunt. I. Ejus fundamentum. II. Norma. III. Ipſa religio, & partes quibus conſtat.

II. Fundamentum omnis religionis eſt, Deum eſſe: fruſtra enim de cultu Dei diſquiſitio inſtituitur, quamdiu Deus eſſe non præſupponitur. Hinc *Hebr.* XI. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere Deum eſſe, & præmia largiri quærentibus ſe.* Quoniam autem fundamentum hoc à quibuſdam in dubium vocatur, nos, ut religionis certitudo ſolidius cognoſcatur, illud contra Atheos adſtruemus.

Deum eſſe.

III. Voce Dei intelligimus. I. Ens ſupremum ac independens, quod nullam ſui cauſam agnoſcit. II. Quod cauſa eſt omnium aliorum entium. III. Quod etiamnum omnia entia ſapientiſſimo conſilio dirigit ac moderatur.

Quid voce Dei ſignificetur.

IV. In modo probationis de exiſtentiâ illius entis non omnes conveniunt. Quidam volunt, notionem divinitatis à natura cordibus noſtris eſſe inſcriptam: Alii, non quidem Deitatis notionem cordibus noſtris eſſe inſcriptam; attamen in natura ejuſmodi eſſe principia, per quæ homo beneficio rectæ rationis, & facultatis ratiocinatricis, homini naturalis, in cognitionem Dei pervenire poteſt. Alii rurſus ne hoc quidem concedunt, ſed urgent omnem Dei cognitionem haberi ſolummodo per fidem, quæ nititur patefactione divina. Poſtremam hanc ſententiam tuetur Fauſtus Socinus, Prælect, Theol. cap. 2.

Triplex ejus exſtentiam probandi modus.

V. Quod primam ſententiam attinet, nos de eâ acriter contendere nolumus: veriſimilius tamen nobis eſt, nullam homini ideam eſſe innatam, ſed intellectum ejus in nativitate tabulæ eſſe inſtar raſæ; nullamque

Idea Dei non videtur nobis innata.

nos

nos rei notitiam aut perceptionem, nisi ministerio sensuum, ope institutionis, aut ratiocinationis, acquirere. Inde est, quod in initio, ratiocinandi facultate nondum ad perfectionem sui perducta, ideas rerum admodum confusas formemus: accedente inquisitione & experientiâ sensim vis ratiocinandi perficiatur, & ideæ magis distinctæ concipiantur.

Ex natura tamen ejus existentia probari potest.

VI. Licet autem notionem Dei nobis naturaliter innatam non credamus, ex naturalibus tamen principiis ope facultatis ratiocinatricis Deum esse solide demonstrari potest. Nos argumenta tantum præcipua seligemus.

1. Nihil est à se ipso

VII. Primo. Quicquid est, non est à se ipso, sed alium ortis sui autorem agnoscit: hoc autem rursus ab alio est; nec ulla ex causis naturalibus reperitur, quin alteri priori causæ originem suam debeat: sicut enim nos originem ducimus à parentibus nostris, ita illi vicissim à suis: neque ad ullum mente nostrâ adscendere possumus hominem, quin perinde atque nos à parentibus suis originem traxerit. Aut itaque in causis naturalibus progressus dari debet in infinitum; aut agnoscendus est circulus causarum naturalium: aut tandem ad causam aliquam primam, quæ à seipsa est, omniumque aliarum causa, deveniendum. Atqui ea est Deus.

Non datur causarum naturalium progressus in infinitum.

VIII. Progressus causarum naturalium in infinitum dari non potest: I. Quia in infinito nullus causarum ordo esse potest, qui in causarum subordinatione & concatenatione necessario requiritur: in infinito enim nullum est primum: nullum itaque nec secundum, nec medium, nec ultimum; sed omnes æqualiter ab initio distant; quod meram parit confusionem. II. Indigent omnes causæ tempore aliquo ad effectum suum producendum: omne autem tempus habet initium, unaquæque ergo causa operationis suæ initium habet. Atqui in æternitate nullum est initium: non itaque causarum operatio ab omni æternitate esse potuit. Dices. Progressus causarum in infinitum dari potest in descendendo, ita ut causa una alteri continuo subordinetur in infinitum, ita ut nunquam ad ultimum effectum perveniatur: Quid ni itaque idem progressus in infinitum adscendendo in causis dari possit? Resp. Diversa plane est ratio. Descendendo progressus in infinitum concipi potest: quia tum concipimus, fieri non posse, ut unquam ultimum effectum, seu effecta omnia, existant; sed quousque descenderimus, ulterius semper descendi possit. In adscendendo id locum habere nequit: quia in adscendendo omnes causas jam exstitisse præsupponimus: omnes enim & singulæ aliquando suum præsens nunc habuerunt, quo exstiterunt. Si ergo eodem modo in ascendendo procedi potest, dicendum: sicut in descendendo impossibile est ut omnia effecta unquam existant; ita etiam impossibile est, ut in adscendendo omnes causæ in infinitum usque exstiterint. Quod evertit hanc objectionem; quia omnes causas præsupponit extitisse. III. Nec hominum generationem ab æterno esse, rerum humanarum quæ extat memoria satis evincit: Ea enim recens est, numerum quinque aut sex millium annorum vix excedens. At quæ ratio concipi potest, si ab æterno exstiterint homines, quod eorum memoria nulla exstaret, nisi pauculorum tantum seculorum, quæ ad æternitatem collata vix exiguam conficiunt particulam? Quin potius illa argumentum est non contemnendum, illo circiter tempore progeniem hominum recens enatam, & antea nullos exstitisse homines.

Nec circulus.

IX. Nec etiam causarum naturalium circulus dari potest: Ille enim concipi nequit, nisi ultimum effectum statuatur ex se reproducere causam primam; eaque rursus per continuas progenerationes tandem reproducat ultimum effectum. Atqui sic tandem effectum causa foret suæ causæ, & causa effectum sui effecti: idemque seipso prius, imo & sui causa, saltem remota, quatenus causæ suæ causa est. Quæ omnia cum sint absurda ac contradictoria; sequitur tandem ad primam aliquam causam esse deveniendum, quæ à nulla alia sit, sed existentiæ suæ principium in se habeat, reliqua omnia pro arbitrio suo produxerit, omnibusque esse dederit. Atqui illa causa est Deus.

2. Omnia agunt propter finem.

X. Secundo. Causam hanc etiam omnium esse rectricem & gubernatricem hoc argumento evincimus. Omnia quæ in mundo sunt, non tantum ratione utentia, sed & ratione, imo vitâ destituta, finis alicujus gratiâ agunt; id est, semper feruntur in certum aliquem finem, quem consequuntur. Illa autem aut per se finem illum appetunt; aut ab alio in finem illum diriguntur, Per se finem illum non appetunt, quia multa consilii sunt incapacia; ut animantia, plantæ, aliaque vitâ destituta: videmus tamen, ex. gr. plantas alimentum rite assumere, & in partes debitas distribuere, ut primo ex semine nascatur planta, ex planta exili arbor, eaque fructus & semina sua producat. Hæc absque certo consilio ita disponi si quis urgere velit, cum ratione desipiat, imo rationem exuat necesse est. Quis jaculatorem continuo scopum ferientem, & nunquam aberrantem, cœcum aut jaculandi imperitum credet? ac non potius jacula ejus sapienti consilio dirigi? Quid itaque in admirando hoc naturæ opere sapientissimam, directionem, quæ sese ubique oculis nostris ingerit, non agnoscimus? Atqui directio illa non est in rebus ipsis, quæ ad finem illum tendunt: illius enim prorsus sunt ignaræ, & consilii incapaces. Imo licet quædam consilii capaces sint, quæcunque tamen naturæ instinctu agunt, etiam sine consilio agunt: sic operationes nutritionis ac gene-

nerationis homo certo consilio non dirigit: non enim deliberat quomodo cibum in ventriculo concoquere, partes heterogeneas discernere, & singulas per varia corporis membra distribuere velit: non deliberat pater filium generaturus, quomodo omnia membra & viscera legitime distributurus, totumque corpus, ut aptum animæ organum sit, compacturus sit: Sed illa omnia absque consilio hominis fixâ ac ordinatâ lege peraguntur. Ergo est causa superior directrix, cujus arbitrio singula in finem suum, quem ignorant, diriguntur. Atqui illa causa est Deus. Dices. Causa illa est natura. Resp. Illa natura, aut est cujusque rei natura singularis: atqui id est falsum: sicut enim res ipsæ consilio carent, ita & cujusque rei singularis natura: Aut est natura generalis omnium: sed ea constat ex naturis singularibus, nihilque est reale, sed tantum per mentis nostræ abstractionem concipitur, quatenus omnium rerum naturæ singulares unico conceptu universali menti nostræ repræsentantur. Si itaque directio hæc penes unamquamque naturam singularem non reperiatur, nec in universali residebit. Aut per naturam intelligitur substantia à rebus naturalibus distincta, quæ suâ sapientiâ ac potentiâ omnia in finem suum dirigit. Atqui ea est Deus. Atque ita tales, dum Deum declinare cupiunt, cum reverâ sub nomine naturæ agnoscunt.

3. Omnia in mundo destinata sunt usibus hominum: tum cælestia.

XI. Tertio. Omnia, quæ in mundo sunt, ita sunt ordinata, ut universæ ac singulæ ejus partes optimam inter se habeant symmetriam & harmoniam, adeo ut aliæ aliarum usui sint destinatæ, viliores nobilioribus, vitâ destitutæ viventibus, & omnes tandem uni homini, atque humanæ speciei conservandæ. Constat id ex omnibus creaturis. Corpora cœlestia, sol, luna, astra, sibi non lucent, nec cursum suum peragunt: nullam enim inde sibi utilitatem reportant: sed soli homini tam luce suâ, quam cursu ordinato, ministrant. Dices. Credibile non esse, tam vasta corpora inservire uni homini, creaturæ adeo exili, ut ad illa collata vix puncti instar ac minimi pulvisculi sit. Resp. Moles dignitatem non confert, sed naturæ præstantia. Homo, utpote non tantum vitâ, & ratione præditus, creatura multo nobilior est vastis hisce corporibus, vita omnique sensu ac cognitione destitutis. 2. Homini cum hæc inservire dicimus, non unicum intelligimus hominem, sed totum genus humanum per totum terrarum orbem dispersum, & continuâ generatione propagatum. 3. Etiam sol, luna, pluvia, ipsaque terra inserviunt uni grano tritici, rei minutissimæ & vitâ destitutæ, producendo: Quid mirum, corpora cœlestia inservire homini, rei nobilissimæ? 4. Si homini non inserviunt, cui fini destinata sint explicari nequit. Et frustra esse nemo dixerit, quin ordinato ipsorum cursu, & multiplici, quem humano generi præstant, usu mox sit redarguendus.

Tum terrestria.

XII. Descendentes ad inferiora deprehendimus aërem, terram fluviis ac fontibus interspersam, mari cinctam, meatibus ac venis subterraneis interstinctam, pluviis irriguam, fœcunditatem concipere ad herbas ac plantas producendum & nutriendum: plantis, quas produxit, vestitam, ut cedant in alimentum brutorum & hominum; tandem ipsa bruta homini inservire. Quin & in ipso homine omnia adeo apte & ordinate sunt disposita, ut corpus inserviat animæ, tanquam organum summo artificio constructum; omniaque membra corporis, carne, nervis, ossibus, aptaque compagine ita sunt digesta, operationibusque accommodata, ut si quis vel unum membrum demat, aut loco suo moveat, statim opus elaboratissimum à se mutilatum sit deprehensurus. Recte ergo dicitur, omnia propter hominem, (cui inserviunt, quique solus hæc contemplari, admirari, & in usum suum convertere potest) hominem vero esse propter Deum. Adeo ut merito Psalmista dicat, *Psal.* XIX. 1, 2, 3. &c, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, &c.

Non ergo facta ex fortuito atomorum concursu.

XIII. Hæc omnia cum Epicuro fortuito atomorum concursui adscribere, desipere est. Videmus quidem multa in natura certo ordine ac mensura ex minutissimis particulis concrescere. Sed & illa regulata sibique semper uniformis methodus, sapientem rectorem, cujus nutu ita coalescunt, arguit. Neminimum quidem opus, in quo artis cujusdam vestigia elucent, conspicimus, quin ex eo opificem ejusque ingenium colligamus: ex lapidibus inter se temere ejectis nemo egregium ædificium, aut ex literis temere inter se commistis elegans poëma enatum credet: Et machinam adeo & mole & ordine stupendam, in qua se summæ sapientiæ documenta undiquaque spectanti ingerunt, temere absque consilio & ex fortuito atomorum concursu enatam credemus?

4. Universalis omnium hominum consensus.

XIV. Quarto. Universalis omnium gentium & hominum consensus arguit esse Deum. Est quippe hæc opinio omnibus hominum animis indita, nec ullâ ratione exinde evelli potest, esse Deum. Inde colligimus, hanc non esse opinionem aut falsam, aut arbitrariam; quia ejusmodi opiniones non sunt universales, nec diuturnæ; sed esse veritatem certam ac indubitatam. Fieri enim nequit ut sit fides adeo universalis ac constans, nisi ortum habeat, aut ex evidentiâ rei, quæ sese menti ratione utenti statim ingerit; aut ex certa ac constanti traditione: at hæc traditio adeo constans ac universalis ortum habeat necesse est, aut ex ipsa rei evidentia, aut ex oraculo divino, quo Deus sese hominibus quibusdam revelavit

vit

vit, qui continuâ traditione revelationem illam ad posteros propagarunt. Quicquid dixeris, Deum fatearis necesse est. Pauci, qui se universali omnium gentium consensui opposuerunt, ut, Diagoras Melius, Theodorus Cyrenæus, Euhemerus Tegeates, & nostro sæculo Julius Cæsar Vaninus, in computum venire non debent. Quanquam & sint, qui putent priores illos non tam negasse Deum, quam fictitia Ethnicorum numina, præter quæ cum Ethnici nullum agnoscerent Deum, eos infami atheorum nomine traduxerunt.

5. Conscientia.

XV. Quinto. Tandem existentiam Dei ejusque providentiam comprobat vis conscientiæ, quæ homines ob peccata, licet maxime secreto in loco perpetrata, accusat, damnat, & torquet; & ob benefacta, etiam in mediis miseriis, solatur & exhilarat. Atqui illa homines non torquet metu pœnæ ab hominibus infligendæ; quia peccata, quorum pœnam horrent, sæpe hominibus sunt ignota: vel ipsi tantâ in sublimitate positi, ut nullum hominem metuant; quin imo, pœnam quandoque ab hominibus expetunt, ut à conscientiæ cruciatu liberentur. Ergo torquet metu judicis superioris, & pœnæ gravioris ab ipso infligendæ. Ille autem judex est Deus. Dices. Exinde non recte existentiam divinam colligi: sed quidem, opinionem de divina existentia hunc in hominibus metum excitare. Resp. Quoniam metus ille etiam ab improbissimis, quantumvis annitantur, excuti nequit, ut in Tiberio, Caligula aliisque videre est, sequitur opinionem illam de Deo universalem, indeque ortum metum, ab ipso Deo ortum suum habere, qui sceleratos, etiam dum sibi ab hominibus tuti videntur, securos esse non finit.

Posse cognosci esse Deum absque revelatione.

XVI. Ex quibus liquet, licet nulla Deitatis notio nobis sit innata, in natura tamen exstare principia, quibus homo ope rectæ rationis in cognitionem Dei non tantum pervenire possit, sed &, si rationem in consilium adhibeat, pervenire debeat. Socinus autem, qui fide solâ Deum cognosci vult, hæc potissimum pro se loca urget: *Heb.* XI. 6. *Accedentem ad Deum credere oportet, Deum esse*, &c. Fidem autem omnem revelatione divinâ niti, probare contendit ex *Rom.* X. 16. *Fides est ex auditu; auditus vero per verbum Dei.* Resp. Per *fidem*; *Hebr.* XI. 6. generatim intelligitur assensus quicunque firmiter rei adhibitus, qui non tantum nititur revelatione, sed & ratiocinatione solidâ, quæ assensum elicere queat. Nec contrarium evincitur *Rom.* X. 16. illic enim sermo est de fide Euangelica, quæ fides est eorum, quæ non nisi per solam Dei revelationem cognosci possunt.

Optime vero per miracula.

XVII. Scientia autem Dei, quam ex natura haurimus, admodum debilis est, multisque erroribus obruta, ut patet in Ethnicis: docetque tantum in genere esse Deum, & remuneratorem quærentium se: non autem distincte quis qualisve sit Deus, multo minus, qua ratione coli velit: posteaque segnitie ac socordia hominum sensim corrumpi; ideo Deus, ut sui cognitionem efficaciter hominum animis imprimeret, seipsum hominibus patefecit, & patefactiones suas variis miraculis confirmavit. Ex miraculis itaque novum ac irrefragabile existentiæ divinæ ducimus argumentum: miraculum quippe est opus, omnes naturæ creatæ vires excedens, & ab ordine, naturæ semel indito, recedens, quo Deus se naturæ Dominum, omniaque pro arbitrio virtute sua potente regere ac administrare confirmat: hinc Deus illis legatos ac ministros suos instruere solet, ad legationis ac doctrinæ ipsorum confirmationem. Sic *Psal.* LXXII. 18. Deus dicitur *facere mirabilia solus*: ut & *Psal.* LXXXVI. 10. Ipsumque legatos suos iis instruere ac autoritatem conciliare, comprobant *Joan.* III. 2. V. 36. X. 37, 38. XV. 24. *Act.* II. 22. X. 38. & alibi. Facta autem esse illa miracula constat testimonio hominum fide dignorum, qui ipsi testes oculati fuerunt: uti in sequentibus ostendetur.

nem & miracula.

Dari miracula:

XVIII. Sed quoniam nuper exorti sunt, qui omnia miracula respuunt, nihilque supra naturæ vires fieri posse nec factum esse contendunt, operæ pretium est, paulo pressius argumentum hoc urgere: & ut invicte contra atheos divina existentia adstruatur, ostendere, opera hæc naturæ vires superare, ac proinde non posse nisi à naturæ Domino, qui sicut ab initio leges illius fixit, ita & pro arbitrio refigere, immutare, ab iisque recedere potest, esse profecta.

Quæ naturæ vires superant.

XIX. Certum est, & utrinque conceditur, naturam certis quibusdam legibus esse adstrictam, secundum quas operatur, & à quibus recedere non potest: Quod vel exindeq; manifestum est, quia semper operationes suas exacte secundum illas edit, neque unquam ab illis recedit; imo tales ab omnibus illius agnoscuntur leges, ut ab iis recedere minime queat. Ita videmus solem quotidie oriri & occidere, sibi mutuo succedere per vices æstatem & hyemem, res materiales oriri & interire, aliaque plura, quæ secundum leges motus ab initio naturæ inditas necessario contingunt, neque iis positis aliter contingere possunt. Videmus tamen nonnunquam præter istum naturæ ordinem opera quædam fieri, ad nutum & imperium quorundam hominum, qui se à Deo naturæ Domino missos prædicant, eaque opera in missionis suæ confirmationem edunt, quæ naturæ leges superant, imo juxta eas fieri nequeunt. Inde colligimus, esse supremum naturæ Dominum ac rectorem, qui, uti naturam certis quibusdam legibus adstrinxit; ita &,

&c, quando ad hominum salutem consultum judicat, ab iis recedere potest; illisque operibus homines de sua majestate ac imperio in omnia convincere, & legatis suis fidem & autoritatem, tanquam à se missis, conciliare.

Deum aliquid posse facere contra natura ordinem.

XX. Verum negant illi aliquod opus contra naturæ ordinem semel institutum fieri posse, quia quod Deus constituit & determinat, æternam veritatem in se involvit; ideoque opera ea, quæ nos contra naturæ ordinem facta esse dicimus, aut facta negant, aut secundum leges naturæ semel constitutas facta contendunt. Obscurius & intricatius hoc argumentum est: itaque ut solide illi occurratur, sensus ejus elucidandus est. Nihil itaque aliud innuere velle videntur, quam omnium eorum, quæ fiunt, æternam esse veritatem ac necessitatem; ac proinde nihil quicquam contingere posse, nisi secundum illas leges in natura, juxta quas jam ab omni æternitate inevitabilis necessitas ominum eventuum effluxit. Verum cum hoc sit ipsum illud κρινόμενον, ad cujus destructionem opera hæc admiranda producuntur, pro responsione servire nequit, nisi solido aliquo ratiocinio adstruatur.

Intelligere & velle Dei non esse idem.

XXI. Ajunt itaque: Eadem necessitate, qua ex natura & perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam, ut est, intelligere, ex eadem sequitur, Deum eandem, ut est, velle: quia, ut omnes Theologi consentiunt, intellectus Dei à voluntate ejus non distinguitur. Resp. Theologi essentiam divinam concipiunt ut simplicissimam & unicam perfectionem; sed quam unico simplici & adæquato conceptu integre sibi repræsentare nequeunt: quia pro diversitate objectorum, circa quæ operatur, etiam diversimode se explicat, & diversa admodum producit effecta; hæc autem effectorum diversitas causa est, quod diversa attributa in unica simplicissima Dei essentia considerant; ideoque secundum illam diversitatem plures formant conceptus inadæquatos, qui singuli eandem quidem essentiam divinam repræsentant, sed non plene & adæquate, verum sub alia notione à nobis consideratam. Hinc sequitur quidem, quatenus essentia divina concipitur sub ratione intellectus, hoc est, facultatis seu principii intelligendi, à nobis non concipi aliam, aut sub alia perfectione, quam quando concipitur sub ratione voluntatis, hoc est, principii volendi: Quia est eadem simplicissima Dei essentia, quæ per seipsam immediate intelligit, & vult. Inde tamen minime sequitur, ipsos intelligendi & volendi actus in Deo confundi, aut unum esse ac idem dicere, Deum quid intelligere, & velle. Intelligere enim & velle diversi admodum ac distincti sunt cogitandi modi. Licet enim in ipsa divina essentia, quatenus in se consideratur, nulla sit diversitas inter facultatem intelligendi & volendi; illa tamen est in operationibus divinis, quæ pro ratione diversorum objectorum, circa quæ occupantur, etiam admodum, diversæ sunt. Ita licet misericordia & severitas Dei, respectu Dei sint una ac eadem perfectio; non tamen remittendi & puniendi actus unum ac idem sunt. Licet ergo, quando Deum concipimus ut intelligentem, & ut volentem, eandem in Deo concipiamus perfectionem à parte Dei, non tamen eam concipimus sub eadem notione, aut eodem modo operantem; sed notio, qua Deum concipimus ut intelligentem, alia est ab ea, qua eum concipimus ut volentem: illiusque diversitatis fundamentum est diversitas quæ est in ipso intelligendi ac volendi actu.

Multa Deus intelligit, quæ non vult.

XXII. Hoc fundamento everso, simul & tota structura illi innixa corruit: Quia enim maximum inter actus volendi & intelligendi discrimen est, ideo nulla consequentia deduci potest, quia ex natura & perfectione divina sequitur, Deum necessario rem aliquam, ut est, intelligere, ex eadem etiam sequi, Deum eandem, ut est, velle: Sed contrarium plane, Deum multa intelligere, quæ non vult. Posset hæc assertio aliis rationibus refelli, & præsertim absurdis, quæ inde consequuntur, manifestis: videlicet, quod Deus convertatur in agens naturale ac necessarium: quod Deus omnia peccata ac scelera quæ novit etiam velit; quod tollatur omnis ratio legislationis obedientiæ & inobedientiæ, remunerationis & pœnæ; aliisque: Verum quia illa nullius apud atheum, cui nunc refellendo intenti sumus, sunt ponderis; sed solummodo apud eos, qui Deum divinamque providentiam agnoscunt, pondus habent, iis ulterius deducendis nunc supersedebimus.

Potentia naturæ non est Dei potentia nec essentia.

XXIII. Hoc argumento refutato, difficile non erit alterum, ex illo aliquatenus fluens, evertere; Quod nimirum potentia naturæ sit ipsa divina potentia & virtus, divina autem potentia sit ipsissima Dei essentia: unde concludunt, si quid contra naturæ leges fieret, id contra ipsam Dei naturam & essentiam fieri. Quod absurdum. Verum quis non videt, hic iterum assumi, quod in quæstione est? Qui enim contendit, esse Deum summum rectorem, & natura superiorem, is negat, naturæ potentiam esse ipsam Dei potentiam: Cum itaque ad sententiæ suæ probationem miracula affert, respondere nequit, illa non esse opera supra naturam & contra ordinatas naturæ leges, quia naturæ potentia est ipsa Dei potentia; quia id quod in quæstione est, præsupponit. Verum enim vero, quoniam hæc opera à naturæ ordine recedunt, dicant illi, secundum quas naturæ leges ea fiant. Ajunt, fieri quidem secundum naturæ leges, verum nobis in-

incognitas; ideoque homines stolida persuasione deceptos credere, ea contra naturæ leges fieri. Verùm quoniam sunt opera extraordinaria, & secundum naturæ leges nobis ignotas fiunt; qua ratione fieri potest, ut ea ad quorundam hominum jussum fiant, qui se à Deo missos prædicant, & ad missionis suæ confirmationem cedunt: nunquam autem ab aliis fiant? Quoniam fiunt (ipsis fatentibus) opera rara & extraordinaria, & secundum occultas naturæ leges fiunt, qui fieri potest, ut homines, qui se à Deo missos prædicant, talia opera eventura norint, & expresse ipsum momentum quo, & objectum circa quod futura sunt, prædicere queant? Præterquam quod quædam opera sint, quæ, ipsis fatentibus, per naturæ vires fieri nequeunt; qualis est, resuscitatio hominis ex morte; ideoque ea negare, & alio sensu explicare solent, quoniam fieri non posse ab ipsis creduntur. Verùm hoc est historiæ fidem in dubium vocare; de qua hic non est disserendi locus, sed in sequentibus, quando de veritate & autoritate Scripturæ Sacræ disseremus.

Opus captum nostrum superans recte probat existentiam Dei.

XXIV. Sed porro argumentum hoc nostrum alia ratione eludere conantur: Quia dicimus miraculum esse opus captum nostrum superans: Atqui, ajunt, ex opere, quod captum nostrum superat, nec Dei essentiam, nec existentiam, nec absolute aliquid de Deo concipere possumus. Sed vero nulla in hac argumentatione est consequentia: Quia enim miraculum est opus, recte & evidenter exinde colligimus, aliquam ejus esse causam: Et quia nihil perfectionis est in effecto, quin eadem vel excellentior, seu, ut Scholastici loquuntur, formaliter, vel eminenter sit in causa, non minus evidenter ex opere captum nostrum superante concludimus, in illius causa eam esse perfectionem, quæ captum nostrum superat. Estque id valde usitatum in vita nostra. Quot & quanta in Mathesi quotidie fiunt, quæ Matheseos imperitorum captum plane superant? An ex illis nihil illos posse colligere dices? Imo exinde non tantum in stuporem ducuntur; sed & in admirationem & venerationem eorum, à quibus opera ista producta sunt; eamque in illis esse scientiam & peritiam colligunt, quæ captum suum longe excedit. Licet ergo ignorem, qua ratione causæ secundæ disponantur, & naturalis earum motus immutetur, ut fiat miraculum: evidenter tamen intelligo, causam illam, quæ causarum secundarum motus naturales, & secundum naturæ leges necessarios, sistit & immutat, superiorem esse ipsa natura: alioqui enim leges ejus immutare non posset.

Etiam opus limitatum.

XXV. Sed ajunt; cum miraculum sit opus limitatum, nec unquam nisi certam & limitatam potentiam exprimat; certum est nos ex tali effectu non posse concludere existentiam causæ, cujus potentia sit infinita. Verùm ex eo, quod miraculum sit opus limitatum, male colligunt, quod non exprimat nisi limitatam potentiam. Sic enim sequeretur, ut illimitata colligi possit causæ potentia, necesse esse, ut & opus sit illimitatum: at quid eo absurdius? Contradictoria enim sunt, alicujus causæ esse opus, & tamen esse illimitatum. Licet enim nos ejus limites exacte definire nequeamus, à causa tamen ut definiti sint, necesse est. Sed ut pressius respondeamus, dicimus, licet opus ipsum illius sit naturæ, ut necessariò sit limitatum, quia in singulari & definito objecto producitur; inde tamen recte inferri posse, operis illius causam esse illimitatam; quando nimirum inter terminum ejus à quo, & terminum ad quem tanta est distantia, ut illimitatâ potentiâ sit opus, ad eam superandum. Si negent eam distantiam dari posse: Quæro, an non agnoscant inter mortem & resuscitationem ex morte illam esse distantiam, quæ non nisi per illimitatam potentiam superari queat? Non crediderim eos id negaturos, qui resuscitationem ex morte, perinde atque omnia vera miracula, quoniam illimitata ad eam requiritur potentia, inter impossibilia habent. Atqui si contingeret resuscitatio ex morte, foret ea opus limitatum, & in uno homine produceretur: Ergo concedere debent, ex ea resuscitatione, siquidem contingeret, ac proinde ex opere limitato, colligi posse existentiam causæ, cujus potentia sit infinita. Et hæc quidem pro institutionis hujus ratione sufficiant, ad argumentum nostrum pro existentia divina à miraculis desumptum breviter à præcipuis atheorum cavillis vindicandum.

CAPUT III.

De Libris Canonicis & Apocryphis.

Scriptura Sacra,

I. FUndamentum religionis excipit ejus Norma. Circa hanc duo sunt consideranda: I. Ejus attributa. II. Illius tractatio. In primo hæc distincte erunt explicanda. 1. Quænam sit illa norma. 2. Illius veritas & auctoritas. 3. Ejus Pefectio. 4. Illius Perspicuitas.

Constat libris Canonicis.

II. Quod ad primum: Norma religionis est Scriptura Sacra, seu libri Veteris ac Novi Testamenti: illis enim solis Deus voluntatem suam revelavit. Hisce autem alios non intelligimus, nisi eos, quos maxima Christiani orbis pars hactenus pro canone ac normâ fidei & morum constantissime agnovit: unde & Canonici dicuntur. Sunt au-

autem juxta Patrum antiquissimorum testimonia viginti duo libri Veteris Testamenti, juxta numerum litterarum Hebraica runt: ita numerantur ab Hieronymo in prologo suo galeato; & Nazianzeno in disticho suo Græco,

Ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύω καὶ εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.

Iidem nempe, quos Ecclesia Judaica semper pro Canonicis agnovit. Et non alios, quam istos, pro Canonicis receperunt, præter duos illos nominatos, Synodus Laodicena, celebrata anno CCCLXIV. Melito Sardensis, qui vixit anno CLX. Origenes, anno CC. Athanasius, anno CCCXX. Hilarius Pictaviensis, anno CCCL. Cyrillus, anno CCCLXV. Ruffinus Aquileiensis presbyter, anno CCCLXXX. Epiphanius, anno CCCLXX.

Non Apocryphos. III. Ex eorum itaque numero expungimus, quotquot à primitiva Ecclesia post accuratam ac diligentem inquisitionem nunquam in Canonem fuere recepti, quorum autores constat divinitus non fuisse inspiratos, & quorum quidam vel fabulosa, vel aperte falsa, & secum, aut etiam cum Scripturis Canonicis pugnantia, tradere deprehenduntur. Vulgo hi vocantur Apocryphi; sive quod autores eorum lateant, sive quod debeant abscondi & occultari, quoties controversiæ fidei ex verbo Dei decidi debent. Hi sunt, Liber Tobiæ, Judith, Baruch, Liber Sapientiæ, Ecclesiasticus Jesu Syrach, tertius & quartus Esdræ, tres libri Machabæorum, additiones ad Estherem & Danielem, Oratio Manassis: Ex quibus Pontificii tertium & quartum Esdræ, ut & tertium Machabæorum, Apocryphos censent; reliquos vero Canonicis annumerant.

Tres librorum sacrorum classes. IV. Notandum autem, in tres classes libros sacro codice contentos olim fuisse distributos; in Canonicos, ex quibus dogmata fidei probantur: Apocryphos, qui in Ecclesia legi non poterant, domi tamen legi permittebantur: & Medios, ex quibus articulos fidei confirmare quidem non licebat, legebantur tamen in Ecclesia ad ædificationem plebis. Hi postremi etiam aliquando Canonici vocantur à Patribus, voce Canonici latius accepta, quod contineant quandam quasi morum normam. Illos autem expresse distinguunt ab iis, quorum auctoritas valet ad dogmata Ecclesiæ probanda. Inde est, quod inter Pontificios Doctores quidam libros Canonicos soleant distinguere in Protocanonicos & Deuterocanonicos. Nos, ut ambiguitatem illam tollamus, priores solummodo pro Canonicis habemus; posteriores vero in Apocryphorum censum referimus.

Probatur quosdam libros esse Apocryphos. V. Illos autem merito à nobis Apocryphos haberi, hisce argumentis comprobamus. I. Ecclesia Judaica eos nunquam pro Canonicis recepit: quod exinde liquet: quia nunquam comprehensi fuerunt in archetypo Hebræo, qui viginti duos tantum libros continebat; nec scripti fuere linguâ Hebræâ, uti omnes libri divini Veteris Testamenti, sed Græca. Judæis autem credita sunt eloquia Dei, *Rom.* III. 2. Licet autem à Domino Jesu accusati sint, quod Scripturas male intellexerint, & traditionibus suis perverterint, nunquam tamen mutilationis Scripturæ nec à Domino Jesu, nec ab Apostolis, postulati sunt: Gravius autem crimen est, Scripturam mutilare, quam male intelligere. II. Dominus Jesus & Apostoli nullum unquam ex iis testimonium citant. Quod tamen argumentum ultra verisimile non procedere libentes agnoscimus; cum non ex omnibus Canonicis testimonia proferantur, & Apostolus Judas Apocrypha Enochi citet. III. Nulli horum librorum scripti fuere à Prophetis; utpote post tempora Malachiæ, qui Prophetarum ultimus fuit: Canonici autem omnes à Prophetis scripti sunt; unde & passim Prophetæ, & scripta Prophetarum vocantur; *2 Pet* I. 19, 20, 21. *Rom.* XVI. 26. *Luc.* I. 70. XVI. 39. XXIV. 27, 44. *Rom.* I. 2. *Heb.* I. 1. *Eph.* II. 20. *Actor.* XXVI. 27. XXVIII. 23.

VI. Nec ullum Pontificii solidum habent fundamentum, quo probent, libros, quos nos vocamus Apocryphos, in canonem esse referendos. Proferunt Concilium Florentinum & Tridentinum. Sed illa nimis sunt recentia, quam ut tam unanimi Antiquitatis consensui opponi possint: & auctoritate Papæ sunt celebrata, nihilque in illis, nisi ex Papæ Romani nutu, determinatum. Concilium Carthaginense III. quod proferre solent, fuit tantum Provinciale. In actis Concilii Trullani approbatum quidem legitur Concilium Carthaginense: Sed ipsi Pontificii conqueruntur, illius Concilii Acta admodum esse vitiata: Quin & aliquot continet Canones, quos Pontificii rejiciunt; ut Can. XXXVI. de æquatione Episcopi Constantinopolitani cum Romano. LV. qui Ecclesiæ Romanæ Jejunii legem præscribit, &c. Tum & Canones Apostolorum LXXXV. approbat: quos manifeste constat supposititios esse. Tandem nec ab ipsis Pontificiis Concilio huic illa auctoritas definiendi, quinam libri sint Canonici, adscribitur; quia post celebratum illud Concilium etiam libri illi à variis, ut Apocryphi, fuere rejecti, Isidoro, Damasceno, Nicephoro, Rabano Mauro, Hugone, Lyrano, Cajetano, aliisque. *Refutatio objectionis.*

VII. Tandem, singulos si inspiciamus, ex ipsis illis libris constabit, eos divinæ auctoritatis esse non posse. Quidam sunt pseudepigraphi: ut liber Baruch; quem ab amanuense Jeremiæ, quem se simulat, non esse conscriptum, arguit, quod, contra stylum Hebrææ linguæ, septem generationes accipiat pro septuaginta annis: *Cap.* VI. 2. Et liber *Quidam sunt pseudepigraphi.*

liber Sapientiæ, cujus auctor se regem Salomonem venditat, *Cap.* IX. 7, 8. cum tamen *Cap.* XV. 14. Israëlitas ab inimicis suis oppressos dicat: quod Salomonis felicissimis temporibus minime congruit. Aliorum auctores constat divino spiritu actos non fuisse. Ecclesiasticus Jesu Syrach versus est ex Hebræo avi sui: ipseque veniam sibi dari petit, si quædam minus recte verterit. Idem de libris Machab. dicendum. Nam de primo *Cap.* IV. 46. IX. 27. dicitur expresse, nullos tum in populo Prophetas exstitisse. Secundus dicitur esse compendium quinque librorum Jasonis Cyrenæi. *Cap.* II. 24. quem Prophetam non fuisse constat. Tum & in fine auctor veniam sibi dari petit, si quædam minus digne scripserit, *Cap.* XV. 39. Quod Scriptore θεοπνεύςῳ indignum.

Continent quædam fabulosa. Liber Tobiæ. VIII. Omnes autem fabulosa quædam continent, quædam etiam aperte falsa, & cum Scripturis Canonicis, veritate historiæ, ac secum nonnunquam pugnantia. Libri Tobiæ non extat textus Chaldaicus, & magna inter Græcam & Latinam editionem est diversitas, imo & contrarietas. Fabulam sapit, quod de dæmone rivale maritorum Saræ narrat, & de eo fugando suffitu ex jecore piscis, *Cap.* VI. *Cap.* V. angelum Raphaëlem inducit mentientem. *Cap.* III. 7. dicitur Sara habitasse Rages: & *Cap.* IX. 3. Tobias dicitur Angelum è domo Saræ misisse in civitatem Rages. Quæ pugnantia sunt.

Judith. IX. Historiæ, quæ libro Judith narratur, conveniens assignare tempus non potest: nam *Cap.* V. 23. dicuntur reversi ex dispersione: post reversionem autem ex captivitate nullus fuit Nabuchodonozor. Contigisse non potuit tempore Regis Manassis, ut volunt Bellarminus & Petavius: illo enim tempore dici non possunt recens conversi ex captivitate, & Templum, quod eversum non fuerat, denuo struxisse. Nec etiam Holofernes ex ducibus quærere potuisset, quis ille populus, quis Rex sit? cum Rex paulo ante in Assyriâ captivus detentus fuisset. 2. Nullam ejus mentionem facit, nec Scriptura, nec Josephus, in gestis Manassis. 3. Multa tribuuntur Judithæ non decentia fœminam piam. *Cap.* IX. in oratione sua dicit Deum Simeoni dedisse gladium. *Cap.* X. XI. XII. XIII. non tantum mentitur, sed & falso jurat; & se in manifestum pudicitiæ amittendæ periculum conjicit. Videtur à nugatore quodam Judæo conscriptus, qui nullo adhibito judicio historiolam ad gentis suæ laudem fingere voluit.

Machabæorum. X. Libri Machabæorum in nonnullis cum veritate historiæ pugnant. 1 *Machab.* I. 7. dicitur Alexander ante mortem amicis suis distribuisse regnum: cum ex omnibus historicis constet, divisionem imperii factam demum post Alexandri mortem. *Cap.* VIII. 16. de Romanis dicitur, quod quotannis uni imperium suæ civitatis credebant: cum constet, duos tum quotannis Consules fuisse Romæ. *Lib.* 2. *Cap.* II. *vers.* 4, 5, 6, 7. arca dicitur per Jeremiam occultata; quod fieri non potuit, nec ante captum urbem; quia tum Jeremias carceri fuit inclusus; nec post eam captam: quia Chaldæi tam opimam prædam sibi eripi & occultari non permisissent. Tum additur, quod Deus hæc denuo sit demonstraturus: Quod non est factum. In nonnullis secum pugnantia habent: nempe de morte Antiochi, qui *lib.* I. *cap.* VI. 16. dicitur domi mortuus. At *lib.* 2. *cap.* I. 16. dicitur in templo Naneæ occisus: & *Cap.* IX. 28. peregre in montibus miserabili obitu vitâ functus. Et de Juda Machabæo, qui *lib.* I. *cap.* IX. 3. dicitur anno CLII. in prælio occubuisse; & 2. *lib.* I. 10. anno CLXXXVIII. epistolam scripsisse, id est, XXXVI. post mortem suam annis. Tum I. *lib.* IV. 36. dicitur templum purgasse ante mortem Antiochi: at 2. *lib.* X. 2, 3. biennio post mortem Antiochi. Et ne quis hic excipiat, non esse intelligendum biennium à morte Antiochi, sed à profanatione templi; sciendum, seriem textus non tantum aliud docere: sed & nec sic cum libro primo conciliari posse; quoniam purgatio demum triennio à profanatione facta est; facta est quippe profanatio die XV. mensis Chasleu anni CXLV. *lib.* I. *cap.* I. 57. purgatio vero die XXV. ejusdem mensis, anni CXLVIII. *lib.* I. *cap.* IV. 52. Tandem quædam Canonicis Scripturis adversa iis continentur. *Lib.* 2 *cap.* XII. 39. laudatur factum Judæ Machabæi, sacrificium pro mortuis, & quidem in peccato mortali obeuntibus, contra legem offerentis: vel potius auctor imperitè de facto Judæ judicat. *Cap.* XIV. 37. laudatur Rasias, quod nullam hostium manus evadendi viam inveniens, seipsum interemerit.

XI. Additiones ad Estherem in quibusdam recedunt à vera historia: ut, quod Mardochæo fuerint tradita bona pro detectione conjurationis: quod Aman ob illam detectionem illi fuerit infensus: quod Aman fuerit Macedo: quod Rex Estherem ad se ingredientem ardentibus oculis, furorem animi indicantibus, intuitus sit, ita ut in animi deliquium inciderit. Quæ omnia aliaque à vera historia falsitatis coarguuntur. *Additiones ad Estherem.*

XII. De tertio & quarto Esdræ, ut & tertio Machabæorum, & oratione Manassis, nihil addemus; quia ipsi Pontificii illos apocryphos agnoscunt. Nos brevitati studemus. *Tertius & quartus Esdræ.*

XIII. Sed vero nolim ego acriter cum Pontificiis de horum librorum auctoritate digladiari; licet enim omnino libros humanos à divinis accurate distingui velim; tamen in disputationibus cum Pontificiis litem de eorum auctoritate movere necessarium non puto: quia nullius dogmatis inter nos ac *Cautio.*

ipsos controversi stabilimentum exinde peti potest. Illud autem imprimis cavendum judico, ne inter rationes, cur hosce libros non recipiamus pro divinis, assumantur dogmata inter nos ac ipsos aliosve controversa: quasi indicium auctoritatis minime divinæ sit, quod ejusmodi dogmatis inde aliquale patrocinium peti possit. Hac enim ratione Pontificiis ansam præbemus cavillandi, quasi illorum librorum auctoritatem revereamur; & assumimus quod in quæstione est. Ab hac culpa, aut imprudentia, immunes non sunt translatores Novæ Versionis Belgicæ, qui in præfatione libris Apocryphis præfixa, ejusmodi inter alias rationibus, eos è Canonicorum numero expungendos volunt: veluti, quod auctor libri Sapientiæ se absque peccato originis natum dicat, *cap.* VIII. 19, 20. & Ecclesiastici, quod peccata expientur honore parentum & eleëmosynis; *cap.* III. 3. XXIX. 15. & quod passim adstruat liberum arbitrium. Quid enim est Pontificiis cavillandi ansam præbere, si hoc non est? Sicut & Bellarminus falsè satis Calvinum perstringit, quia factum Judæ Machabæi reponit inter rationes, cur librum illum habeat pro Apocrypho, *Lib.* I. *de verbo Dei*, *cap.* 15. quasi nempe ex illo purgatorium indubitato adstruatur. Nos autem factum illud Judæ recensuimus, non quia in eo ullum pro purgatorio præsidium credimus; sed quia, juxta Scriptoris libri illius interpretationem, directè legi Mosaicæ adversatur, ac proinde à Scriptore divino laudari non potest. Hæc de Veteris Testamenti libris.

Libri N. Testamenti. XIV. Novi Testamenti libri omnes sunt Canonici. Dubitatum tamen aliquando fuit de nonnullis; ut de secunda Petri, secunda & tertia Johannis, Epistola Judæ, Jacobi, ad Hebræos, & Apocalypsi Johannis; quia seriùs ad Ecclesiarum notitiam pervenerunt. Sed re diligentius explorotâ, compertum est esse Canonicos, & à viris divinis conscriptos.

Epistola ad Hebræos. XV. Speciatim de Epistola ad Hebræos dubitatum fuit, quia *cap.* VI. *&* X. lapsis post acceptam gratiam omnem veniæ spem præcidere videtur. Sed Scriptoris illius sensus à legentibus male fuit perceptus: loquitur enim solummodo de apostatis; & docet, quò peccatum, contra Religionem Christianam commissum, natura sua ducat; & quid apostatæ secundum ordinariam Dei gratiam exspectandum sit; extraordinariæ vero nihil præjudicatum vult.

Epistola Jacobi. XVI. De Epistola Jacobi etiam posterioribus hisce seculis quidam litem moverunt, eo quod crederent, Jacobum in doctrina de justificatione adversari Paulo; quoniam doceat hominem non tantum ex fide, sed etiam ex operibus justificari; cum Paulus dicat, hominem justificari ex fide absque operibus Legis. Hinc ipsi Luthero Epistolæ hujus auctoritas vilior fuit: & ex ejus sequacibus Andreas Althamerus eò usque processit, ut dicat, Jacobum mentiri in caput suum. Ille tamen Paulo non adversatur, qui non omnia, sed sola Legis opera à justificatione excludit: uti id ab aliis fusè est ostensum, & à nobis in sequentibus ostendetur.

CAPUT IV.

De Auctoritate Scripturæ Sacræ.

Auctoritas S. Scripturæ. I. Librorum, quos Religionis normam diximus, Auctoritas dependet ab eorum veritate & divinitate: illa itaque primo & ante omnia adstruenda est. Libros illos diximus comprehendi Veteri & Novo Testamento. Libri Veteris Testamenti veritatis & divinitatis suæ peculiaria habent κριτήρια; Lex enim, libris Mosis tradita, in universæ gentis Israëliticæ cœtu in monte Sinai cum variis prodigiis ac ostentis ab ipso Deo lata est, adeo ut ab impostore, tot millibus consciis, confingi & conscribi hæc non potuerint. Continet præterea varias futurorum eventuum prædictiones: quas omnes eventus comprobavit. Hæcque veritas ac divinitas adeo alte Judæorum animis est infixa, ut nullis miseriis, etiam in miserabili sua dispersione, ad ejus desertionem compelli queant. Nec minor certitudo est reliquorum librorum Propheticorum, qui extra Mosen non loquuntur; & quorum divinitatis eventus, ipsorum prædictionibus per omnia respondens, non minus quàm librorum Mosis, argumentum est invictum. Verùm quoniam Novi Testamenti Scriptores Veteri divinitatis testimonium præbent, necesse non est seorsim operose Veteris Testamenti divinitatem adstruere: adstructâ quippe Novi Testamenti divinitate, eâdem opera & Veteris Testamenti divinitas comprobata erit.

Librorum N. Test. veritas comprobatur: quia illorum auctores vera scribere potuerunt. II. Ad veritatem historiæ alicujus comprobandam duo requiruntur: primo, ut illius scriptor vera potuerit; secundo, ut vera voluerit scribere. Hæ duæ conditiones, si in ullo unquam scriptore, certe in Novi Testamenti scriptoribus reperiuntur. Illos vera potuisse scribere, exinde evidentissime constat, quia historias non tradunt rerum in longinquis regionibus, aut aliquot ante suam nativitatem seculis gestarum; sed quarum ipsi oculati testes fuerunt, quas oculis suis viderunt, auribus suis audiverunt, & manibus contrectaverunt; ut ipsi Apostoli inquiunt, Johannes 1 *Epist* 1. 1, 3. & Petrus 2. *Epist.* 1. 16. Matthæus unus fuit è duodecim Apostolis, qui ab initio cum Domino Jesu conversatus est. Marcus & Lucas nihil fere singulare scribunt extra Matthæum:

tum

tum præterea Marcus fuit individuus Petri comes, ex cujus potissimum ore Euangelium suum scripsisse creditur. Lucas Euangelium conscripturus accurate omnia ex iis, qui ab initio cum Domino Jesu conversati fuerunt, indagavit, *Luc.* 1. 3,4. Actorum Apostolicorum historiam partim ex ipsis Apostolis cognoscere potuit; partim ipse illi interfuit. Paulus testatur, se Euangelium doctum non ab homine, sed ab ipso Deo, *Gal.* 1. 1. Tum & testatur Eusebius *lib.* III. *cap.* 21. Joannem trium Euangelistarum scripta legisse & approbasse: ejusdem itaque sunt auctoritatis, atque si ab ipso Joanne scripta essent. Auctor Apocalypseos solummodo refert revelationem sibi divinitus factam, de qua proinde plenissime persuasus esse potuit. Nihil itaque ipsis defuit, quo minus certissimam eorum, quæ scribunt, cognitionem haberint. Si quid ergo scripserunt contra aut præter veritatem, non ignorantia aut errore aliquo lapsi sunt; sed scientes volentes quæ falsa esse noverunt commenti sunt. Qui enim omnia, quæ scribunt, oculis suis se vidisse, auribus audivisse ac manibus palpasse scribunt, non alia quam quæ aut vera aut falsa esse & à se conficta certissime persuasi sunt, tradere possunt.

Au- tatis scri- pturæ.

Et voluerunt. III. Voluisse autem vera scribere, neque fabulas aut mendacia à se conficta tradidisse, rationibus non minus evidentibus confirmatur. Primo enim, si scriptorum horum conditionem consideremus, ea non permittit, ut credamus eos ejusmodi commentum confingere potuisse. Fuere enim homines plebeji & idiotæ, piscatores manuum labore victum tolerantes; qui, etiamsi voluissent, fabulam ita apte secum cohærentem, & per omnia sibi respondentem, excogitare non potuissent. Sed pone astutiores fuisse; quomodo sperare fuissent ausi, se tam putidum commentum toti mundo persuadere posse? Res enim scribebant, ea qua vivebant regione gestas coram oculis hominum innumerabilium, adhuc, dum hæc scribebant, vitali aura fruentium; quorum consentientibus suffragiis, siquidem mentiti fuissent, statim mendacii coargui potuissent; præterea res, quarum Magistratus, sub cujus imperio vivebant, maxime intererat ne veræ crederentur; qui etiam gravissimarum pœnarum interminatione earum disseminationem vetuit: Qui itaque facile, siquidem vera non dixissent ac scripsissent, figmentum illud detexisset, ac instrumentis publicis falsitatem illius coarguisset; atque ita statim omnis ipsorum impostura concidisset. Secundo: multa sunt indicia, ex quibus manifeste colligitur, quod fuerint homines pii vitæque inculpatæ; in quos proinde criminis adeo enormis, ac mendacii tam detestandi suspicio cadere non potest. Primo enim vitia sua, nulli hominum præterquam sibi ipsis cognita, ingenue propalant; non tantum ambitionem suam & contentionem de primatu, sed & credendi tarditatem, magistri sui tempore captivitatis desertionem, Petri abnegationem, Pauli & Barnabæ contentionem, aliaque. Hæc autem, si fallaciam intendissent, dissimulassent, quo sibi majorem apud homines auctoritatem conciliarent. 2. Ipsa Religio Christiana, quam annuntiant, omne mendacium prohibet, sub æternæ mortis condemnatione. An itaque credibile est, ipsos mendaciis voluisse fallere totum genus humanum, atque ita seipsos deditâ opera, juxta religionis, quam annuntiabant, sanctionem, æternæ condemnationis reos reddere? Dices. Sciebant & æternæ condemnationis minas esse fictas; illis ergo, utpote à se confictis, eos terreri neutiquam potuisse. Resp. Sed 1. Hoc non cadit in homines cætera pios, vitæque inculpatæ; quales hos fuisse constat. 2. Quid ergo infami adeo commento spectarunt? An emolumentum aliquod in hac vita? At nullum ejusmodi concipi potest. An honores & famam post mortem? At nullam nisi infamiam ac dedecus ex tam infami mendacio sibi polliceri potuissent. Nec ipsos eam spectasse, evincitur, quia vitia sua, nulli nota, ipsi ingenue propalant. An divitias, aut corporis voluptates? Atqui non tantum Religio, quam annuntiarunt, eas abnegandas docet: sed & omnia contraria ipsis quotidie eveniebant: bonorum direptiones patiebantur, ut blasphemi traducebantur, quin & quæcunque tormenta, tandemque mortes acerbissimas sustinere coacti sunt. Neque hæc præter exspectationem ipsis evenisse, constat, tum ex doctrinæ genio; tum quia ante se habebant præceptoris sui Jesu Christi exemplum, variasque ipsius prædictiones, quibus crucem ipsi sustinendam docuit; adeo ut, qui illam subire recusaret, illius discipulus esse nequeat. Atqui in hominem sani cerebri non cadit, quamcunque crucem ultro quin & alacriter subire, ob annuntiationem, quam persuasus est falsam esse: præsertim cum mortem sola illius abnegatione redimere possit.

Libri sunt genuini eorum, quorum nomina præferunt. IV. Sed vero quærat quis, utrum libri sint eorum, quorum nomina præferunt? an non ab impostore aliquo sub eorum nomine falsò sint suppositi? Resp. Genuinos auctorum, quorum nomina præferunt, esse libros, perpetua ac constanti traditione eorum, qui cum viris illis conversati fuerunt, ac proinde certissimam eorum notitiam habere potuerunt, constat. Non enim temere libros, de quorum αὐθεντίᾳ evidentibus documentis persuasi non erant, sibi obtrudi passi sunt; sed quos non nisi adhibita diligentissima inquisitione, & quidem eo tempore, quo supposititia à genuinis facile discerni potuissent, ab ipsis Apostolis profectos esse

compererunt. Non enim tam ſocordes aut negligentes quis imaginari poteſt homines ſalutis ſuæ adeo ſtudioſos, ut pro fide doctrinæ Chriſtianæ quævis ſupplicia mortemque maxime horrendam ſubire parati fuerint, & quotidie ſubierunt, ut non exactiſſime inquiſiverint, & poſt exactam inquiſitionem, eo præſertim tempore, quo id facillime fieri potuit, pleniſſime perſuaſi & convicti fuerint, genuinos eſſe libros, & ab ipſis, quorum nomina præferunt, auctoribus conſcriptos, antequam eos pro divinis receperint. Eſtque hæc traditio ab ipſis conſtantiſſime per omnes populos & ætates conſenſu invariato propagata. Adeo ut nulla de ipſorum auctoribus dubitandi cauſa ſit: minor multo quam de aliorum ſcriptorum auctoribus, in quibus inveſtigandis tantâ diligentiâ laboratum non eſt, nec ullius refert, utrum veri ſcriptorum auctores ſint an ſuppoſititii: quos tamen nemo, propter conſtantem traditionem, eorum, quibus abſcribuntur, genuinos libros non eſſe aſſerere ſuſtinet. Traditio autem haec manifeſta eſt; quia iidem illi libri, quos nunc habemus, ab antiquiſſimis ſcriptoribus pro genuinis ſunt recepti, & ſub iiſdem nominibus, quæ nunc præfixa habent, paſſim citati.

Nec ſunt corrupti

V. Ulterius quæri poſſet; an non libri hi quibuſdam in locis ſint corrupti? Reſp. 1. Affirmanti incumbit probatio. 2. Corruptioni reclamat omnium exemplarium, in quaſcunque terras diſperſorum, & in quaſcunque linguas tranſlatorum, unanimis conſenſus. Fieri quippe nequit, ut ulla unanimis mutatio in tot exemplaribus quocunque diſperſis à quoquam peragatur, aut ut tot homines diverſarum gentium, inter quas nullum fere commercium, nullo excepto, in eandem ſimul fraudem conſpirent. Variæ, quæ occurrunt, lectiones exigui ſunt momenti; ut editas a viris doctis conſulenti liquet; ſi quædam, quæ paucæ admodum ſunt, paulò majoris videantur momenti; veræ à ſpuriis dignoſci poſſunt à prudente lectore, qui laborem ad emendatiores ac vetuſtiores codices recurrendi non detrectat. 3. Nec providentia divina, quæ nobis abunde de omnibus ad vitam hanc animalem neceſſariis proſpexit, permittit ut ulla corruptio oboriatur in libris illis, quâ vitæ ſpirituali ac æternæ ulla labes contingat.

Librorum ſacrorum divinitas comprobatur eorum veritate, & miraculis.

VI. Ex librorum ſacrorum veritate colligitur eorum divinitas. Primo. Quia ipſi præcones, quos jam probavimus vera locutos, ſe doctrinam ſuam, quam annuntiant, à Deo habere teſtantur. *Joan.* XIV. 26. & XVI. 13. dicuntur donati Spiritu Sancto, qui ipſos docuit omnem veritatem. Et 1. *Corinth.* 11. 7, 8, 9, 10. dicitur Deus per ſpiritum ſuum ſapientiam, quam prædicabant, ipſis revelaſſe. Et præſertim primus illius doctrinæ præco dicit ſe à Patre ſuo miſſum, *Joan.* VI. 40. ideoque doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed ejus qui miſit ipſum, *Joan.* VII. 16. Secundo. Quia doctrinam ſuam variis miraculis ac prodigiis, omnem vim creatam & angelicam longe exſuperantibus, confirmarunt, in conſpectu millenorum teſtium; adeo ut eorum virtute omnes ad fidem doctrinæ ſuæ pertraxerint. Tertio. Auctor ipſe doctrinæ Jeſus Chriſtus ex mortuis eſt ſuſcitatus & in cœlum exaltatus: quod divinitatis doctrinæ ipſius invictum eſt documentum, præſertim quoniam ad illud, tanquam miſſionis ſuæ divinæ ſignum, jam ante provocaſſet, *Matth.* XII. 39, 40. *Joan.* II. 19, 20, 21. Non enim permittit Dei ſanctitas & φιλανθρωπία, ut tam evidenti ſigno hominem inpoſtorem illuſtrem reddat. Hinc *Rom.* 1. 4. dicitur *demonſtratus filius Dei per reſurrectionem ex mortuis.*

Ex natura hiſtoria & doctrina illis contenta.

VII. Quarto. Ipſa hiſtoria, ac doctrina eâdem contenta, divinatis ſuæ ſufficiens eſt teſtimonium. Hiſtoria continet admiranda ejuſmodi opera, quæ non tantum vim Angelicam longe exſuperant, ſed & quæ nulli homini in mentem venire potuiſſent, adeo à communi rerum inter homines ordine recedunt, niſi à Deo revelata eſſent: qualis inter alia eſt, partus virginis, aliaque ſimilia. Doctrina conſtat præceptis & promiſſis. Hæc nullam niſi Deum auctorem habere poſſunt. Præcepta quidem; ſive officia quæ, ſive perſonas quibus, ſive modum quo præcipiuntur, conſideremus. Officia ipſa vel rationi humanæ videntur ridicula & ſtulta, ut fides in Jeſum Chriſtum crucifixum; vel affectui naturali adverſa; ut, abnegatio voluptatum hujus mundi, tolerantia crucis & mortis acerbiſſimæ ob profeſſionem nominis Jeſu Chriſti. Perſonæ ſunt omnes omnino homines, tam Reges & Principes. quàm plebeii, nemine excepto. Modus eſt, ut omnia præſtentur ex intimo corde. Promiſſa non ſunt bonorum hujus vitæ, ſed vitæ æternæ poſt mortem demum conſequendæ, & ad quam reſurrectione ex morte pervenitur. Hæc omnia nec hominem auctorem habere poſſunt: quia homo ſibi duram adeo ac cupiditatibus carnalibus repugnantem religionem, abſque ullâ ſpe melioris boni, præſcribere non poteſt; nec niſi ſtulte admodum cogitationibus cordis legem præſcribet; quia immorigeros punire non poterit; nec talis doctrinæ ullos aſſeclas ſperare poteſt. Nec dæmonem: quia religio eſt ſancta, & dæmonis regno adverſa. Non autem poteſt dæmon homines ad ſanctimoniæ ſtudium, ac proinde ſui deſertionem, allicere ſpe præmii excellentiſſimi, cujus amore homines cupiditatibus ſuis, licet iis ſummopere addicti, renuntiare facile poſſent, & renuntiaturos fore credibile erat: ſic enim ſibi ipſi adverſus fuiſſet. Nec refert, quod promiſſa illa falſa ſciret; hominibus enim ea perſuadere

dere voluiſſet: atqui perſuaſio de præmio, licet falſa, eandem ad ſanctimoniæ ſtudium excitandum cum vera perſuaſione efficaciam habet. Reſtat ergo, ut ſolus Deus illius auctor dicatur, qui & ſapientiſſime præcepta hæc præſcribere, utpote omniſcius, & promiſſis vitæ æternæ ſancire, utpote omnipotens, poteſt. Dicere Angelum bonum illius auctorem eſſe; tantundem eſt, atque eam ad Deum auctorem referre: Angelus enim bonus extra Deum, cujus eſt legatus, nihil poteſt.

Ex admirabili ejus efficacia.

VIII. Quinto. Admirabilis doctrinæ efficacia, quæ per paucos, eoſque viles & abjectos homines, nullâ potentiâ, nullis perſuaſionis aut eloquentiæ humanæ artibus inſtructos, per totum terrarum orbem eſt propagata, omneſque homines cujuſcunque generis ac conditionis, non tantum viles & abjectos, ſed & nobiles ac potentes, non tantum indoctos & ſimplices, ſed & doctiſſimos ac ſagaciſſimos, in ſui obſequium traxit, licet præcepta contineat carni non tantum dura & ingrata, ſed & eidem ridicula: adeo ut relictis patriis, in quibus nati ac educati erant, religionibus, certatim uni huic ſeſe dederint, & præjudicium illud magnum ac efficax, quod patria religio ingenerare ſolet, abjecerint; non tantum nullâ emolumenti aut commodi alicujus terreni ſpe allecti, ſed nec graviſſimorum, quæ intentabantur, malorum, quin nec ipſius mortis crudeliſſimæ metu deterriti; ſed ſola doctrinæ ſanctitate, promiſſorum magnitudine, ac miraculorum virtute convicti. Hæc autem doctrinæ efficacia pro fundamento habeat hiſtoriæ Scripturâ Sacrâ contentæ veritatem, omnino neceſſe eſt; adeò ut, ſicut ex mirabili doctrinæ propagatione hiſtoriæ veritas confirmatur, ita & abſque hiſtoriæ veritate mirabilis hæc doctrinæ propagatio fieri non potuiſſet. Majus ſiquidem miraculum foret, doctrinam hanc eo, quem diximus modo, ſine miraculis propagatam eſſe, quàm ipſa miracula, quæ ad doctrinæ confirmationem facta narrantur, Adeo ut quis; miracula hæc in dubium vocans, ea tollendo majus miraculum ſtatuere neceſſe habeat.

Et Apoſtolorum inter præcepta Dei & ſuas ſententias diſtinctione.

IX. Tandem nec leve divinitatis doctrinæ Scripturâ Sacrâ contentæ argumentum eſt, quod Apoſtoli adeo ſollicite & diſerte præcepta, quæ juſſu divino præſcribebant, diſtinxerunt à ſententiis, quas ipſi, tanquam viri prudentes & ſpiritu Dei donati, tanquam præceptis divinis conſentaneas in medium proferebant. Sic Apoſtolus, 1 *Corinth.* VII. 10. & 12. *Iis qui matrimonio juncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus. Cæteris ego dico, non Dominus.* Et *verſ.* 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino ut ſim fidelis.* Manifeſto indicio, nihil illlos ut mandatum divinum Eccleſiis præcepiſſe, niſi de quo expreſſum à Deo mandatum acceperant.

Errare non potuerunt Scriptores Sacri.

X. Concludimus hinc, libros hoſce à viris divinis ſcriptos, qui non tantum non errarunt, ſed &, quia Spiritu Dei regebantur, in tradenda voluntate divina errare non potuerunt: qui ſicut non propriâ voluntate, ſed inſtinctu Spiritus ad ſcribendum ſe accinxerunt; *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* 2 *Pet.* I. 21. Ita etiam in ſcribendo à Spiritu Sancto directi fuerunt: *Omnis namque Scriptura divinitus eſt inſpirata,* 2 *Tim.* III. 16. Adeo ut errorem nullum committere potuerint, nec in ſenſu ipſo exprimendo, nec in verbis ſenſum continentibus divinum conſcribendis aut dictandis. Si quædam non exacte definiverint; fuere ea non res fidei, aut præcepta morum; ſed rerum majorum parvæ cirumſtantiæ, ad fidem fulciendum nullum habentes momentum: circa quas tamen non errarunt aut memoriâ lapſi ſunt: ſolummodo eas, quia neceſſe non erat, accurate & præciſe non determinarunt.

Scripturæ auctoritas quoad nos non dependet ab Eccleſia.

XI. Ex veritate ac divinitate Scripturæ dependet ejus auctoritas. Si enim Scriptura eſt à Deo, etiam à Deo auctoritatem ſuam habeat neceſſe eſt: omnis ſiquidem ſcripti auctoritas ab auctore ſuo dependet. Id evidentis adeo eſt veritatis, ut nemo inter Chriſtianos in dubium vocare ſuſtineat. Sed diſputant de medio ac inſtrumento, quo intercedente Scriptura auctoritatem ſuam in nos exerit. Diſtinguunt itaque Pontificii inter fidem & acceptationem fidei; illius fundamentum ajunt eſſe auctoritatem Dei revelantis; hujus verò, teſtimonium Eccleſiæ: ſeu, ut alii loquuntur, Scripturam in ſe quidem eſſe divinam, ſed ejus auctoritatem quoad nos dependere à teſtimonio Eccleſiæ. Sed ineptum eſt illud effugium: auctoritas enim non eſt quid abſolutum, ſed reſpectivum, ſemperque refertur ad alios, in quos obtinetur. 2. Confunduntur hic duæ quæſtiones multum diverſæ; ſcil. utrum Scriptura ab hoc aut illo auctore ſit conſcripta: &, utrum Scriptura, à tali auctore conſcripta, ſit divina. Primam quæſtionem dependere fatemur à teſtimonio Eccleſiæ, primitivæ ſcilicet, quæ ipſa ſcriptorum divinorum autographa vidit, adeoque ſenſuum externorum teſtimonio certa fuit, ab iiſdem auctoribus, quorum nomina præferunt, eſſe conſcripta. Illud autem teſtandi privilegium habet, non quatenus eſt Eccleſia, & auctoritate quadam ſpirituali à Deo donata; ſed quatenus conſtat hominibus fide dignis, quorum teſtimonio jure quis fidem habeat, ſine ullo ad Eccleſiam reſpectu. Imo & jus illud habent infideles, modo eâdem ad teſtandum notitiâ ſint inſtructi.

Ideo non contemnendum testimonium infidelium circa initia Euangelii, concedentium Scripturas à viris iisdem, quorum nomina præferunt, esse exaratas. Ad alterius quæstionis dicisionem Ecclesiæ testimonium non requiritur; sed sola Scriptoris divina missio; auctor enim scriptis suis auctoritatem conciliat. Non enim Ecclesia auctoritatem habet definiendi, an libri à talibus auctoribus conscripti sint canonici & divini; sed obligata est eos pro divinis recipere. Nec etiam testimonium Ecclesiæ necessarium est: ipsi enim auctores se à Deo missos testantur, testimoniumque suum multis confirmarunt miraculis.

Quale jus testandi Ecclesia habeat.

XII. Dices. Atqui Ecclesia jus habens testandi, libros illos à talibus viris esse conscriptos, eo ipso etiam jus habet testandi libros esse divinos. Resp. Quod testetur libros illos esse divinos, per accidens tantum est; neque illud dependet ab auctoritate testimonii, quod Ecclesia præbet; sed à divinà scriptorum auctoritate. Non enim Ecclesia de Scriptorum divinitate testimonium præbet; illa constat ex historia ipsa; sed tantum de eorum scriptione, quod ipsi veri ac genuini illorum scriptorum sint auctores. Ecclesia hic solummodo fidelis notarii aut scribæ officio fungitur, qui testatur edictum aliquod vere à rege aut Magistratu decretum, & à se fideliter asservatum. Testatur ille quidem, edictum, quod vim subditos obligandi habet, esse genuinum, & revera à Magistratu promanasse: non autem ipsi edicto ullam confert auctoritatem, quæ tota à Magistratu aut principe dependet.

Per istam rationem probandi committitur circulus.

XIII. Secundo. Eccclesia totum id, quod sit Ecclesia, debet Scripturæ: per fidem enim Scripturæ, ut divinæ, adhibitam est Ecclesia. Ergo jam scripturæ divinitas certa esse debet, antequam Ecclesia esse possit; & quamcunque sibi arrogat Ecclesia auctoritatem, ea à Scriptura dependeat necesse est. Non itaque Scripturæ auctoritas ab Ecclesia dependere potest: aliàs committitur circulus; qui ineptus est disputandi modus. Quærentibus enim, cur Scripturam recipiant pro divina? Respondebunt: Quia Ecclesia testatur Scripturam esse divinam. Instantibus, cur illi testimonio Ecclesiæ acquiescant? Respondent: Quia Scriptura Ecclesiæ jus illud concedit. Atqui sic committitur circulus; & sicut Scripturæ auctoritas probatur per Ecclesiam; ita vicissim Ecclesiæ auctoritas probatur per Scripturam. Secundo. Si porro urgeantur, an unicuique Ecclesiæ jus illud testandi conveniat? Respondebunt, nequaquam; sed suæ tantum Romanæ. Si quæras, unde id constet? Respondent, ex certis notis, veræ Ecclesiæ indiciis, quæ suæ soli insint. Si porro quæras, unde constet, Ecclesiam, cui notæ illæ insunt, veram esse Ecclesiam? Proferent loca aliquot Scripturæ, ex quibus id comprobare cupiunt. Ecce iterum commissum circulum.

Occurritur exceptioni.

XIV. Concedunt, circulum committi, si velint adstruere auctoritatem Ecclesiæ per Scripturam, & rursus auctoritatem Scripturæ per Ecclesiam, apud illum, qui utrumque negat, scil: Ethnicum: non autem quando ita procedunt apud illos, qui alterutrum tantum negant; & alterum concedunt. Sic apud hæreticos, admittentes Scripturam, probant per Scripturam Ecclesiæ auctoritatem: apud simplices Catholicos, admittentes Ecclesiam, probant per Ecclesiam auctoritatem hujus vel illius scripti, de quo dubitant. Resp. Hac exceptione conceditur, Ethnicum per Ecclesiæ testimonium non posse convinci de auctoritate Scripturæ Sacræ: quid ergo remedii, ut ad agnitionem auctoritatis Scripturæ perducatur? Necesse ergo est, præter testimonium Ecclesiæ alia esse argumenta, quibus homo de divinitate Scripturæ persuaderi possit, antequam Ecclesiæ testimonium audiat. Atqui hoc est, quod nos urgemus, 2. Nec etiam in disputatione contra hæreticos evitatur circulus, salvo ipsorum fundamento: Nullius enim textus Sacræ Scripturæ veram explicationem haberi posse contendunt, absque judicio Ecclesiæ: non ergo hæreticus potest convinci de vero Scripturæ sensu, nisi per Ecclesiam: Atqui cum illius auctoritatem non admittat, necesse est committi circulum. Adstructuri enim contra hæreticum Ecclesiæ auctoritatem, proferunt Scripturam: Si ille neget, hunc esse Scripturæ sensum: allegabunt explicationem Ecclesiæ, cui acquiescendum sit. Ecce iterum commissum circulum.

Ecclesiæ testimonium est humanum.

XV Tertio. Ecclesiæ testimonium est humanum. Si ergo auctoritas Scripturæ dependet à testimonio humano; fides nostra innitetur testimonio humano; & quidem hominum sæpe non piorum, imo aliquando sceleratorum. Contra id quod Joannes ait 1. *Epist.* v. 9. *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est*

Ecclesia non est antiquior Scripturâ.

XVI. Atqui dicunt, Ecclesia est antiquior Scripturâ. Resp. 1. Inde nullum Ecclesiæ jus in Scripturam deduci potest: Uxor etiam potest esse major annis quàm maritus, tamen illi est subjecta: & subditi majores natu principe. 2. Verum non est, Ecclesiam antiquiorem esse Scriptura. Distinguendum enim est inter verbum divinum, & ejus scriptionem. Verbum divinum proprie constat sensibus Scripturâ comprehensis: illi autem procul dubio antiquiores sunt Ecclesia: per fidem enim sensibus illis adhibitam est Ecclesia. Scriptio vero est accidentale quippiam, eaque Ecclesiæ antiquitate cedere potest.

XVII.

Quid hic praestet testimonium Spiritus Sancti.

XVII. Alii pro testimonio Ecclesiæ, quo divina Scripturæ auctoritas nobis innotescat, substituunt internum Spiritus Sancti testimonium, quo nobis divinam illam Scripturæ auctoritatem, ex characteribus ipsi impressis, persuadet. Nos agnoscimus quidem, Spiritus sancti gratiam argumentis, quibus Scripturæ Sacræ divinitas probatur, conjungi, ut eorum vis ad persuadendum magis roboretur, aut ut mens hominis ad eorum vim percipiendam, sibique fortius applicandam reddatur idonea: fatemur etiam, Spiritum Sanctum fideles, qui jam Scripturæ Sacræ auctoritatem ex notis ac argumentis Scripturæ propriis, agnoverunt, plenius de ea persuasos reddere, atque ita testimonium hoc fideles ad plenam fidei πληροφορίαν perducere: non tamen credimus, testimonium Spiritus Sancti, ut internum testimonium, peculiare ac distinctum ab argumentis externis, ac vi sua peculiari agens, necessarium esse, ut homo infidelis de Scripturæ divinitate convincatur: 1. Quia Spiritus ille intus confirmans & obsignans non datur, nisi jam credentibus; uti ex pluribus Scripturæ locis liquet: *Joan.* VII. 38. XIV. 17. *Act.* V. 32. *Gal.* III. 2. IV. 6. *Act.* XV. 7, 8. 2. Esse talem Spiritum nemo scire potest, nisi ex Scriptura: & Spiritus suggestio etiam ad Scripturam, tanquam Lydium lapidem, exploranda est. Præsupponi ergo & agnosci debet Scripturæ divinitas, antequam certus esse quis possit testimonium, quod in corde suo sentit, esse Spiritus Sancti testimonium: aliàs via panditur ad Enthusiasmum. Quin & sic committitur circulus, quem antea in Pontificiis damnavimus. Si enim quærantur, unde cognoscant Scripturam esse divinam? Respondebunt, ex testimonio interno Spiritus Sancti. Si urgeantur: Unde cognoscant, testimonium illud, quod in corde sentiunt, esse instinctum Spiritus Sancti? Respondebunt, ex Scriptura: Sicut Becanus, in libello *de Circulo Calvinistico*, hoc in Paræum, qui Pontificiis circulum objecerat, ingeniose retorquet. 3. Testimonium illud Spiritus illis solummodo confirmandis inservit, quibus contigit; non enim ex privato alicujus Spiritu alius convinci potest: At nos quærimus argumenta, quibus Scripturæ divinitas aliis persuaderi, aliique ad eam agnoscendum adduci possint.

CAPUT V.

De Perfectione Scripturæ Sacræ.

Perfectio Scripturæ Sacræ.

I. ALterum Scripturæ attributum est Perfectio, qua denotamus, Scripturam omnes sensus, qui omnibus ubique & semper ad salutem scitu, creditu, speratu & factu necessarii sunt, plenissime continere, adeo ut nullus sensus, qui ea non contineatur, pro necessario habendus sit. Ut autem sententia nostra de Scripturæ Perfectione plenius cognoscatur, eam thesibus aliquot distincte comprehendemus.

Omnia necessaria ad salutem Scriptura continentur.

II. Primo. Omnia necessaria ad salutem dicimus Scriptura contineri: non tamen perinde volumus, omnia, quæ Scriptura continentur, esse necessaria ad salutem. Scimus enim omnium, quæ Scriptura continentur, non idem esse momentum in negotio salutis nostræ: Quædam enim absolute necessaria sunt ad salutem: Alia utilia tantum; interque ea alia majoris, alia minoris utilitatis, prout majorem vel minorem cum necessariis conjunctionem & affinitatem habent: imo quædam illa contenta hodie exiguæ admodum esse utilitatis: Qualia inter alia sunt, quæ de variorum genealogiis in Veteri Testamento leguntur. Sed mens nostra est, omnia, quæ pro necessariis ad salutem à nobis recipi debent, in Scriptura exstare, adeo ut nullus sensus ad salutem creditu sit necessarius, quin Scriptura contineatur.

Et quidem duobus modis.

III. Secundo. Necessaria hæc non omnia eodem modo exstant in Scriptura Sacra. Quædam totidem verbis, & cum addita necessitatis nota: veluti cum Scriptura expressis verbis docet, qui hoc non credit aut facit, salvari non potest; qui credit, aut facit, salvabitur. Quædam ex iis, quæ totidem verbis in Scriptura exstant, per consequentiam & ratiocinationem, sed adeo claram & evidentem, ut cuivis rationis suæ compoti animumque attendenti statim obvia sit, necessaria esse arguuntur. Talis enim hic consequentia requiritur, quæ sua luce clara est, omniumque animis sese manifestat. Consequentiæ obscuræ & inevidentes in negotio, ubi æternæ salutis & damnationis causa agitur, non sufficiunt. Non enim Deus hominum æternam salutem hujus aut illius, errori obnoxii, homuncionis ratiocinationi alligatam voluit, sed suæ legi. Cui inclusum censeri debet, quicquid arctam adeo cum ea connexionem habet, ut sine ejus cognitione aut fide lex salva esse non possit. Sic Dei præceptis obedire, promissis confidere, comminationes metuere, ad salutem necessarium est. Quando itaque demonstratur, sine fide aut spe alicujus dogmatis, aut præstatione cujusquam actus, non posse præceptis Dei obediri, promissis confidi, nec comminationes metui, eo ipso per evidentissimam consequentiam ad salutem necessarium esse arguitur.

Quid hic sentiant Libertini.

IV. Huic nostræ sententiæ duo hominum genera sese opponunt, Libertini nimirum, & Pontificii. Libertini, qui & Enthusiastæ seu Spirituales vocantur, negant,

gant, Scripturam esse verbum illud divinum, quod sensus ad salutem sufficientes continet; sed prima tantum perfectæ religionis elementa ea comprehendi ajunt, & servire tantum præparandis rudiorum animis, ad verbum perfectum recipiendum: Verbum autem illud esse internum, quod Deus immediate hominum animis suggerit, essèque perfectum, quo homines dirigantur, & ad quod omnes Scripturæ sensus explorandi sint.

Et Pontificii. V. Pontificii agnoscunt quidem doctrinam à Domino Jesu & Apostolis traditam esse perfectam ac sufficientem ad salutem; sed negant integram ipsorum doctrinam Scripturâ esse comprehensam; sed Apostolos varia ad salutem necessaria Ecclesiæ viva voce tradidisse: ideoque præter Scripturam requirunt traditiones non scriptas, quas ab Apostolis traditas & ab Ecclesia continuâ traditione asservatas volunt, quarumque observatio necessaria sit ad salutem.

Libertinorum sententia est absurda. VI. Quod ad Libertinorum sententiam attinet, illa est absurda, & summe periculosa. Absurda est; quia verbum ipsorum internum aut habet sensum intelligibilem, aut non. Si nullum habet, est verbum ridiculum & fatuum: verba enim constant sensu. Si habet sensum intelligibilem, potest etiam ille verbo externo, ac per consequens scripto exprimi. Quemcunque enim sensum intelligibilem homo mente concipit, eundem etiam verbo ac scripto exprimere potest: sunt enim illa signa internorum mentis conceptuum. Atqui tum, juxta ipsorum opinionem, erit perinde atque Scriptura litera mortua, & scriptura atramentaria.

Et periculosa. VII. Summe periculosa est: quia introducit vagam, incertam, imo nullam religionem. Quævis enim deliramenta cerebri pro verbi illius inspiratione haberi possunt; quia nullam agnoscunt regulam, ad quam spirituales illæ verbi interni suggestiones explorari possunt; quin potius eas supremam omnium aliorum verborum, etiam ipsius Scripturæ, normam habent, ad quam Scripturæ sensus expendendus sit. Inde sequitur, unumquemque, quicquid imaginatione, sive læsa, sive recta, sibi persuadet, pro verbo illo interno ac spirituali suggestione posse admittere: Et quoniam imaginationes illæ in omnibus, imo in uno eodemque homine diversis temporibus, non sunt eædem, sed pro diversa cerebri ac sanguinis dispositione ac temperatione admodum sunt diversæ; etiam exinde sequetur, religionis normam, ac proinde ipsam religionem, variari, aliamque esse huic, aliam alteri homini, imo eidem diversis temporibus diversam. Quod vagam ac incertam religionem introducit; imo omnem ex animis hominum religionem expellit. Unde & omnem peccati conscientiam exstingui necesse est. Qui enim quæcunque agit, licet maxime irrationalia, verbo isti interno consentanea fieri credit, ea, licet verbo scripto maxime adversantia, ut peccata condemnare nequit; sed in mediis sceleribus, perinde atque in exactissima sanctitate, securus erit.

Tria de Scriptura probanda. VIII. Ut autem plenius, tam Libertinorum, quàm Pontificiorum sententiam refellamus, tria nobis distincte probanda sunt. I. Apostolis omnia omnibus ubique & semper ad salutem necessaria à Domino Jesu patefacta. II. Apostolos ea omnia fideliter Ecclesias viva voce docuisse. III. Etiam omnia necessaria scriptis mandasse, eaque exstare libris illis sacris, quos Scripturam vocamus. Duo priora proprie adversus Libertinos, tertium vero adversus utrosque, & præsertim quidem Pontificios, adstruemus.

I. D. Jesum Apostolis omnia ad salutem necessaria revelasse. IX. Quod ad primum attinet, Apostolis omnia omnibus ubique & semper ad salutem necessaria à Domino Jesu Christo & Spiritu Sancto patefacta esse, clarissime ex Scriptura Sacra evincitur. A Jesu Christo quidem, *Joan* XV. 15. *Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcunque audivi á Patre meo, nota feci vobis.* Vide & *cap.* XVII, 14, 17, 22. Jesum Christum autem omnia novisse constat ex *Joan.* I. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Unde *Coloss.* I. 15. vocatur *imago Dei invisibilis.* Et *cap.* II. 9. dicitur *in ipso habitare omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* A Spiritu Sancto: *Joan* XIV. 26. *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret omnia, quæcunque dixero vobis.* Et *cap.* XVI. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* &c. Spiritum Sanctum autem omnia nosse, docetur I *Corinth.* II. 10, 11. *Spiritus omnia scrutatur* (id est, scrutantium instar exactissime novit) *etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Et patefacta fuisse omnia, quæ semper ad finem usque mundi necessaria sunt, docetur *Matth.* XXVIII. 18, 19, 20. ubi postquam Dominus dixisset, *Euntes docete omnes gentes,* &c. addit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Unde & *Joan.* XVII. 19, 20. in precatione ad Patrem ait: *Pro eis* (nempe Apostolis) *sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Hinc 2 *Cor.* III. 11. Euangelium

gelium vocatur verbum *quod manet;* opposite ad legem, quæ aboletur, & perfectiori revelationi cedit.

2. Apostolos ea prædicasse.

X. Quod ad secundum attinet, Apostolos omnia ad salutem necessaria, sibi a Domino revelata, etiam fideliter Ecclesiis prædicasse, docemur *Marc* XVI. 20. *Illi* (Apostoli) *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Idque adeo plene & perfecte, ut Apostolus Paulus non vereatur contestari Seniores Ecclesiæ Ephesinæ, quod *mundus sit à sanguine omnium: quia non subterfugit, quo minus ipsis annuntiarit omne consilium Dei, Act* XX. 26,27. & Corinthiis affirmare, quod per Euangelium à se prædicatum sint *salvandi, si modo illud retineant, prout à se annuntiatum erat,* 1 *Corinth.* XV. 2. Unde & verbum Euangelii, quod prædicaverunt, vocatur *sermo salutis, Act.* XIII. 26 verbum, vel, *verba vitæ, Act.* V. 20. *potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.* I. 16. *odor vitæ ad vitam,* 2 *Cor.* II. 16 *semen incorruptibile* per quod *regignimur,* 1 *Pet.* I. 23. & fides, verbo illi adhibita, vocatur *victoria quæ vincit mundum,* 1 *Joh.* V. 4. Et *si quis aliud Euangelium annuntiet, etiamsi sit Angelus de cœlo, anathema* esse jubetur, *Gal.* I. 8. Hinc & Paulus dicit, Deum *occulta hominum judicaturum, secundum Euangelium, per Jesum Christum; Rom.* II. 16. Omnia erga, juxta quæ sententia salutis vel damnationis pronuntianda est, perfecte annuntiarunt, adeo ut perfectior revelatio aut doctrina exspectanda non sit: imo juxta hanc solam salus assignanda dicitur.

3. Scriptis mandasse. Sententia Pontificiorum de traditionibus non scriptis.

XI. Tertium antequam probemus, Pontificiorum, quibus proprie hoc opponitur; de Traditionibus sententiam specialius paulum proponemus. Traditiones itaque, quas vocant verbum non scriptum, quia non sunt scriptæ à primo illarum auctore, dupliciter distinguunt: 1. Ratione auctoris, in. divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas. Divinas traditas dicunt ab ipso Jesu Christo Apostolos docente; sc. quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent: Apostolicas, ab Apostolis institutas, non sine Spiritus Sancti assistentia; ut, jejunium quadragesimæ, & quatuor temporum; &c. Ecclesiasticas, consuetudines ajunt esse antiquas, à prælatis vel populis inchoatas, quæ paulatim tacito consensu populorum vim legis obtinuerunt. Eas dicunt continua successione in Ecclesia observatas, & porro in Ecclesia observandas urgent: tantæque esse auctoritatis, quantæ est ille, illiusque scripta, cujus traditiones sunt. 2. Ratione materiæ: Quod aliæ sint traditiones de fide; vid. de perpetua virginitate Mariæ, &c. aliæ de moribus: eæque variæ: vel enim sunt perpetuæ, ut, quod signum crucis in fronte pingendum, quod certis diebus jejunia aut festa celebranda sint: vel temporales; ut observatio quarundam ceremoniarum legalium in initio Ecclesiæ: vel universales: ut Paschatis, &c. observatio · vel particulares: ut, olim jejunium sabbathi a Petro Romanæ Ecclesiæ traditum: vel necessariæ; ut, celebratio Paschatis dominicâ post XIV. lunam Martii: vel liberæ; ut, aspersio aquæ lustralis, &c. Vide Bellarminum *De verbo Dei lib.* IV. *cap.* 2.

Sententia vera de perfectione Scripturæ.

XII. Nostra vero sententia est, Deum omnia ad salutem necessaria Scripturâ comprehendisse, nihilque nobis scitu, creditu, aut factu ad salutem esse necessarium, quod ea non contineatur, quocunque sub prætextu Ecclesiæ obtrudatur. Quod hisce argumentis evidentissime adstruimus.

Adstruitur. 1. quia docet fidem in Jesum Christum.

XIII. Primo. Nihil ad salutem necessarium est, præter fidem in Jesum Christum, quæ per charitatem efficax est: *Gal.* V. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem efficax:* Et 1 *Tim.* I. 5. *Finis mandati est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta* Atqui eam plenissime docet Scriptura, adeo ut qui illis, quæ scripta sunt, fidem adhibet, vitam æternam sit consecuturus. Sic *Joan.* XX 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Filium Dei; & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Excipiunt: Joannem tantum respicere miracula Jesu Christi à se in Euangelio suo narrata, eaque docere sufficientia esse ad fidem in Jesum Christum concipiendam: non autem, fidem plene in suo Euangelio tradi; ipsius enim Euangelium omnia ad salutem necessaria non continere. Resp. Verum est, Joannem quidem respicere miracula Jesu; verum non miracula sola, sed doctrinam Jesu miraculis confirmatam. Sola enim miracula, absque doctrinæ Jesu Christi cognitione, homini fidem ingenerare, neque salutem conferre possunt. Sensus ergo est: hæc quæ scripta sunt sufficere, ut homines doctrinam Jesu Christi perfectè cognoscant & fide recipiant, & per fidem doctrinæ isti adhibitam, salutem æternam consequantur. Omnia quippe, quæ ad fidem in Jesum Christum, & obedientiam ex fide præstandum, necessaria sunt, Euangeliis plene docentur; uti inductione factâ plene demonstrari posset, & in singulorum dogmatum tractatione in sequentibus plenius docebitur. Et licet omnia unico Joannis Euangelio non comprehendantur, id responsionis nostræ vim non infringit. Hæc enim verba, non sui Euangelii solummodo, sed omnium Euangeliorum, quæ Joannes, teste Eusebio *Hist. Eccl. lib.* III. *cap.* 21. vidit & approbavit, conclusionem Joannes esse voluit,

iisque declarare, doctrinam salutarem illis plene esse comprehensam.

XIV. Secundum argumentum est. Scriptores Sacri non tantum ad salutem necessaria in Scriptura tradiderunt; sed & multa non plane necessaria, sed utilia tantum, imo quædam non magnæ hodie utilitatis, scripta reliquerunt, ut homines plenius de omnibus instruerent: Non igitur credibile est, ipsos quicquam eorum, quæ absolute necessaria sunt, omisisse; sed Dei Spiritum ipsos potissimum direxisse, ut necessaria, quæ pauca sunt numero, scripta relinquerint. Excipiunt: Deum id non intendisse, quia alias divinos Scriptores direxisset, ut integrum doctrinæ Christianæ corpus conscriberent, quod non est factum; sed singuli particulatim quædam conscripserunt: quod argumentum est, ipsos non certo consilio, sed fortuito quodam qui se offerebat casu, ad scribendum se accinxisse. *Resp.* 1. Exceptionem hanc in Scripturam admodum esse injuriam, de qua expresse legitur, quod inspiratione divina sit conscripta, 2 *Pet.* 1. 21. non itaque arbitrio humano, aut fortuito quodam casu. Interim non est negandum, Deum scriptoribus sacris aliquando occasiones occurrere voluisse, quas ut arriperent ipsos Spiritu suo impulit: nonnunquam & spiritu suo motum illis pium impressit, quo ipsi sibi occasionem fecerunt, seque ad scribendum accinxerunt: quod in Luca manifestum est, ex initio Euangelii & Actorum Apostolicorum. 2. Quod vero Scriptores Sacri nullum religionis Christianæ corpus aut syntagma conscripserunt, exinde neutiquam arguitur, omnia ad salutem necessaria Scriptura non contineri: Deus enim doctrinam tradens, omnes homines, tam rudes & plebejos, quàm doctos & sublimes, ad salutem instruendi idoneam, etiam sese omnium captui attemperavit. Voluit itaque historiam vitæ ac mortis Jesu Christi, nec non resurrectionis & adscensionis in cœlum conscribi, in qua omnia ad salutem necessaria, non semel tantum, sed aliquoties, ne ignorari possent, recensentur; omniaque miracula, variasque circumstantias, quibus homines ad fidem adhibendum moverentur, accurate enarrari: Quæ sane ratio accommodatissima est ad homines instruendum. Tum leges suas voluit concionibus aliquot comprehendi, quæ sint regulæ vitæ ac morum. Addere possumus, Deum aliquid industriæ nostræ reliquisse, ut quæ sparsim in historia Sacra & Prophetarum ac Apostolorum scriptis exstant, à nobis in unum corpus brevemque summam colligerentur, ut in compendio habeamus omnia nobis creditu, speratu ac factu necessaria, quæ sparsim in libris Sacris, & non uno loco, exstant.

2. Quia & multa non plane necessaria tradit.

XV. His addimus tertium argumentum: quod Pontificii nullum dogma ad salutem creditu, aut officium factu necessarium proferre possint, Scripturâ non contentum. Quas enim proferunt traditiones non scriptas, eas creditu aut factu necessarias non esse eo ipso liquet, quod nullum earum necessitatis argumentum proferre, neque ex analogiâ cum iis, quæ Scriptura necessaria docet, earum necessitatem evincere possint: ut ex omnium examine facile demonstrari posset: sed id supervacaneum est, & prolixioris paulo tractationis: Nos brevitati studemus.

3 Nullum dogma necessarium, Scripturâ non contentum, proferri potest.

XVI. Ita adstructa Scripturæ Sacræ perfectione, videamus nunc, quid tam Libertini, quam Pontificii, pro sententiæ suæ defensione adferre soleant. Nos præcipua tantum considerabimus.

XVII. Libertini primo argumentatione utuntur à verbi divini natura. Verbum Dei, inquiunt, est æternum, & ipsa Dei essentia; proinde æternum & incorruptibile, nullique periturae chartæ inscribi potest. *Resp.* Prodigiosum est dicere, verbum Dei esse ipsam Dei essentiam; quia enim est liberæ voluntatis divinæ actus, ab essentia distingui debet. Est nempe proprie revelatio mentis divinæ, seu conceptus, qui in mente divina est, sive ea fiat externo sermone, sive scripto. Hoc sensu Scriptura verbum Dei vocatur, non quia ipsum Dei verbum est; sed quia verbum Dei, hoc est, mentis divinæ sensum, continet. Et licet ea atramento periturae chartæ sit inscripta, non tamen est verbum instabile, inefficax, spiritu & vitâ destitutum, ut illi blasphemant: sed est *vivum & efficax*, *Hebr.* IV. 12 *incorruptibile*, 1 *Pet.* 1. 23. *potentia Dei ad salutem omni credenti*, *Rom.* . 16. quia sensus verbo isto contenti, nullique præter hos, ad salutem perducere homines possunt. Eorum autem pretium scriptione non minuitur; scriptio enim & enuntiatio sensus divini sunt vehicula; quæ sicut absque eo essent inania, ita & ab illo tanquam spiritu informata vim salutarem habent.

Solutio objectionis Libertinorum.

XVIII. Alterum argumentum desumunt à locis aliquot Scripturæ, quæ verbo ipsorum interno testimonium præbere urgent. Præcipua sunt; *Joan.* VI. 45. *Erunt omnes docti à Deo.* Resp. 1. Διδακτοὶ Θεοῦ significat proprie, non, *docti à Deo*, sed *docti de Deo*; id est, voluntatis divinæ, lege contentæ, cognitione probe imbuti: quod arguunt verba sequentia, in quibus dicitur, eum *ad Dominum venire*, id est, ad cognoscendum doctrinam ejus plenamque Dei voluntatem, *qui audivit & didicit à Patre*, hoc est, qui cognitione Legis seu voluntatis divinæ instructus est. 2. Esto, legendum sit, *docti à Deo*; non tamen exin-

Explicatio Joan. VI. 45.

de

de sequitur immediate à Deo doctos: etiam qui ministrorum ope docentur, à Deo docti dicuntur; sicut Dei opus, quos Apostoli plantarunt & rigarunt, 1 *Cor.* III. 5, 6, 7, 8, 9. Et hic docendi modus evincitur: 1. Quia dicuntur doceri per auditum, *qui audivit à Patre*, 2. Quia à Patre *discere* dicuntur; quod institutionem respicit.

Luc. XVII. 20. XIX. Secundus est, *Luc.* XVII. 20. *Non venit regnum Dei cum observatione. Ecce regnum Dei intra vos est.* Est ergo spirituale & internum. Resp. 1. Esto, regnum Dei sit idem quod verbum Dei; recte illud vocatur spirituale, quia sensus illius est spiritualis, hominisque spiritum intus afficit: verbum autem, quo sensus ille continetur, non propterea necesse est ut sit spirituale & internum. 2. Sed nec regnum Dei proprie verbum Dei est, sed regnum Messiæ, spirituale quidem & ad cœlestia ducens; sed tamen externe & visibiliter appariturum in mundo, per regis ipsius præsentiam, & verbi externam annuntiationem, quâ regnum hoc erectum est & inter homines propagatum. Dices. Sed non est cum observatione. Resp. Non est cum externa pompa, qualis est regum mundanorum, qualemque exspectabant Judæi: non autem absque omni observatione. Hinc Dominus Jesus Judæos reprehendit, quod signa regni sui, tam evidentia, quæ ipsis dabat, non observarent: *Matth.* XVI. 1, 2, 3, 4. Dices. Dicitur tamen regnum Messiæ ἐντὸς ὑμῶν. Resp. Sensus non est: Regnum Dei tantum est internum, & in cordibus vestris; sed, in medio vestri, seu inter vos: Quo sensu & particula ἐν accipitur, *Matth.* XX. 26. *Luc.* XVI. 15. *Rom.* XVI. 7. 1 *Cor.* 11. 6. Et sensus hic exinde evincitur; quia *Matth.* XXI. 43. regnum à Judæis tollendum dicitur, & alii genti, quæ fructus ferat, tradendum. Non autem poterat tolli & alii tradi, si plane esset internum.

Hebr. VIII. 8, 9, 10, 11. XX. Tertius locus est *Hebr.* VIII. 8, 9, 10, 11. *Ecce venient dies, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Juda testamentum novum: non secundum testamentum, quod feci patribus eorum*, &c. *Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus; Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas:* &c. Resp. 1. Est promissio de temporibus Messiæ: ille autem verbo externo docuit homines. 2. Promittitur inscriptio legum in cordibus: illa autem fieri non potest, nisi per verbum, quod sensum legum proponit. 3. Non proprie promittitur inscriptio sensus legis in cordibus, quam modus inscriptionis per beneficia: quorum magnitudine homines excitabuntur & quasi rapientur in legis divinæ amorem: uti vers. 12. clarissime indicat: *Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatum eorum non amplius memorabo.*

XXI. Quartus locus est 2 *Corinth.* III. 6. *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* Resp. *Litera* hic non denotat Scripturam Novi Testamenti, quæ literis exarata est; sed legem Mosis opposite ad Euangelium; uti ex totius capitis inspectione liquet. Illa autem vocatur *litera*; quia elementa tantum continet religionis, non perfectam religionem: *Gal.* IV. 3. unde & *pædagogus noster* vocatur *ad Christum Cap* III. 24. Pædagogi autem est, pueros prima tantum elementa docere. Dicitur autem *occidere*, quia transgressores mortis reatui involvit, absque remissionis promissione: ea enim non Legis, sed gratiæ est. *Spiritus* autem vocatur Euangelium; quia virtute spirituali ac vivificâ præditum est, quâ homines in peccatis mortuos in vitam spiritualem excitare potest, & in alios quasi homines mutare, ut jam non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum: Opposite ad legem, quæ virtute illa spirituali erat destituta, & *nihil ad perfectionem adducere poterat*, *Hebr.* VII. 19. 2 *Corinth.* III. 6.

XXII. Pontificii ad sententiæ suæ confirmationem varia adferre solent: Primo adhibent argumenta, quibus Scripturam insufficientiæ convincere volunt. Hunc in finem primo proferunt duo Scripturæ loca. Primus est: *Joan* XVI. 12. ubi Dominus Apostolis suis dicit: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Sed vero, quid loco illo probare contendunt? Dominum Jesum omnia necessaria ad salutem Apostolis suis non revelasse? Nequaquam, ajunt: Sed Dominum Jesum ea, quæ hic promisit se Apostolis dicturum, ipsis dixisse post suam resurrectionem, quadraginta illis diebus, quibus cum ipsis de regno Dei locutus est. Resp. 1. Probandum ipsis est, per *multa* hæc, necessaria ad salutem intelligi: Certe ea non intelligenda esse, hoc unum arguit, quod Dominus dicat, Apostolos ea tum temporis non potuisse ferre. An vero credibile cuiquam videri potest, Apostolos quæ ad salutem plane necessaria sunt, quæ pauca admodum & perspicua sunt, non potuisse ferre, Dominumque ea propterea ipsos celasse? præsertim cum id, quod maximæ offensioni esse poterat, crucem suam, ipsis jam significaverat? Credibile nobis est, respici hic vocationem gentium, & Euangelii propagationem per totum terrarum orbem, quam Apostoli etiam post resurrectionem Christi ferre non poterant; & Petrus speciali visione cœlesti admoneri debuit, ne quem in posterum impurum haberet, *Act.* X. 10. & *seqq.* 2. Licet pauca eorum, quæ Dominus post resurrectionem

Solutio objectionum Pontificiorum.

Explicatio Joan. XVI. 12.

ſuam cum Apoſtolis locutus eſt, in eorum ſcriptis recenſeantur, oſtendendum ipſis eſt, quædam neceſſaria ipſos omiſiſſe. Sermones illi procul dubio concernebant munus Apoſtolorum, qui miniſtri Domini Jeſu futuri erant ad omnes gentes. Atqui licet Apoſtoli iſta inſtructione ad muneris ſui functionem indigerent, non tamen omnibus hominibus neceſſariò credenda Dominus illis præcepit, quæ ipſi nunquam ſcriptis reliquerunt: Non enim, ut Bellarmini verbis utar, invidi aut obliviosi erant, ut nollent aut non poſſent ea ſcribere.

Joan. XXI. 25. XXIII. Alter locus eſt *Joan.* XXI. 25. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Reſp. Manifeſtum eſt hic non reſpici doctrinam Jeſu Chriſti, quaſi pars tantum illius ſcripta ſit: ſed miracula, quæ numero ingenti Dominus ad doctrinæ ſuæ confirmationem fecit. Dicit Joannes, omnia illa ſingulatim non eſſe ſcripta: quia illa, quæ ſcripta ſunt, ad fidem ingenerandum abunde ſufficientia ſunt.

Integrum eſſe Scripturæ canonem. XXIV. Secundo ita argumentantur: Ex Scriptura non poſſe haberi ſufficientem doctrinam ad ſalutem, quia multi libri Sacri & vere canonici perierunt, ut libri Nathan Prophetæ & Gad videntis, 1 *Paral.* XXIX. 29. Ahiæ Silonitis & Addo videntis, 2 *Paral.* IX. 29. Parabolæ Salomonis & carmina, 1 *Reg.* IV. 32, 33. Tum ex Novo Teſtamento epiſtola ad Laodicenſes, *Coloſſ.* IV. 16. & alia ad Corinthios, cujus mentio fieri videtur 1 *Corinth.* V. 9. Reſp. 1. Ipſos neutiquam probare poſſe libros illos, quos enumerant, periiſſe: Certe libros Nathan, Gad, Ahiæ & Addo contineri libris Samuelis & Regum dubitandum non videtur; ex illorum enim ſcriptis hi libri in unum volumen conflati, & à ſequentibus Prophetis continuati videntur. Epiſtolæ ad Laodicenſes non meminit Apoſtolus, ſed ex Laodiceà ſcriptæ: Atqui quæ ad Timotheum exſtat prima Laodicea miſſa eſt: Illa itaque reſpici poteſt. 2. Eſto, periiſſe aliquos libros Sacros: oſtendendum Pontificiis eſt, antequam Scripturam inſufficientiæ arguant, quædam in illis neceſſaria ad ſalutem fuiſſe contenta, quæ libris quos habemus non exſtant. Atqui hoc ab ipſis fieri nequit. Imo ratio contrarium ſuadet; quia credibile non eſt, Deum, ſalutis hominum amantiſſimum, permiſſurum fuiſſe, ut libri quidam, neceſſaria ad ſalutem nuſquam alibi ſcripta continentes, interciderent. Dices. Atqui ſic non habemus integrum Scripturæ canonem. Reſp. Canon Scripturæ non conſtat certo quodam librorum numero in unum volumen, tanquam corpus quoddam canonicum collectorum; ſed ſenſibus divinis & ad ſalutem neceſſariis, libris illis comprehenſis. Licet itaque deeſſent aliqui libri, imo etiam ex illis, qui nunc ſuperſunt, integrum tamen haberemus Scripturæ canonem, quia omnes ſenſus ad ſalutem neceſſarios in libris ſuperſtitibus haberemus expreſſos. Sed adeo benigna eſt Dei erga humani generis ſalutem cura, ut neceſſaria, non ſemel, ſed ſæpius, eaque in diverſis libris repetita, exſtare voluerit.

Quales traditiones Scriptura commendet. XXV. Præter hæc, argumentis quibuſdam traditiones expreſſe propugnare intendunt. Hunc in finem proferunt primo aliquot Scripturæ loca, quibus traditiones expreſſe commendantur; ut 1 *Corinth.* XI. 2. *Laudo vos, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et *verſ.* 23. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et *verſ.* 34. *Cætera cum venero diſponam* 2 *Theſſ.* II 15. *Itaque, fratres, tenete traditiones quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* 1 *Timoth.* VI. 20. *O Timothee depoſitum cuſtodi.* &c. Reſp. 1. Traditio ſignificat quamlibet doctrinæ communicationem, quocunque modò fiat, tam ſcripto, quam ore: ut liquet ex 2 *Theſſ.* II. 15. Quod ſi Apoſtolus in quavis epiſtola omnia non ſcripſerit, ſed quaſdam Eccleſias vivà tantum voce inſtituerit, exinde nullo modo ſequitur, ea, quæ Apoſtolus docuit, nec in aliis epiſtolis ſcripſiſſe, nec ab aliis Apoſtolis uſquam ſcripta eſſe. Certe quod de cæna tradidit etiam in Epiſt. ad Corinthios ſcribit. 2. Traditiones aut neceſſariæ ſunt ad ſalutem, aut non: Si non ſunt neceſſariæ non ſunt hujus loci. Si intelligunt neceſſarias, oſtendendum ipſis eſt, eas nunquam ab ullo Apoſtolorum ſcriptas. Atqui cui veriſimile fiet, Apoſtolos multa non neceſſaria ſcripſiſſe, quædam vero neceſſaria ſcribere noluiſſe? Credimus itaque in quibuſdam locis Apoſtolum reſpicere traditiones de variis rebus, quæ externam Eccleſiæ εὐταξίαν ſpectant; quæ licet neceſſariæ non ſunt ad ſalutem, magno tamen in pretio apud nos eſſe oportet, ſiquidem genuinas quaſdam per continuas & nunquam interruptas traditiones haberemus.

Quomodo per traditionem habeamus genuinum Scripturæ canonem. XXVI. Secundo hac utuntur argutatione. Genuinum Scripturæ canonem habere eſt ad ſalutem neceſſarium: Atqui eum debemus habere per traditionem. Reſp. 1. Nos jam oſtendiſſe, genuinum Scripturæ canonem, eo quo illi accipiunt ſenſu, non eſſe præciſe ad ſalutem neceſſarium: poſſe nimirum quempiam habere genuinum Scripturæ canonem, etiamſi nullam aliquorum librorum, qui in canone ſunt, notitiam habeat; modo ex libris, quos agnoſcit,

omnes

omnes sensus ad salutem necessarios agnoverit. 2. Nos, quando traditiones impugnamus, non intelligimus ejusmodi, quæ sensatâ & experimentali notitiâ nituntur; qualis est traditio, qua cognoscimus quinam sacrorum librorum auctores sint; sed quæ speciali divina revelatione cognoscuntur, qua Deus quibusdam revelasse dicitur omnibus ad salutem creditu & factu necessaria, quæ tamen à scriptoribus Sacris scribi noluerit; quæque ab omnibus Christianis ubique & semper receptæ sint pro Apostolicis, perinde atque libri, qui Apostolorum nomina præferunt. Tales traditiones nullas esse dicimus; nec quæ in Ecclesia Romana venditantur ejusmodi sunt; sed ab hominibus sunt excogitatæ, & Ecclesiæ maxima cum tyrannide impositæ, qui, ut speciem quandam haberent, ab Apostolis traditas esse confinxerunt.

CAPUT VI.

De Perspicuitate Scripturæ Sacræ.

Perspicuitas S. Scripturæ.

I. Tertium Scripturæ attributum, ut fidei morumque nostrorum norma sit, est Perspicuitas. Hæc ejusmodi attributum est, quo Scriptura omnia, quæ omnibus ac singulis creditu, speratu ac factu ad salutem sunt necessaria, perspicue & clare continet; adeo ut à quovis sana ratione prædito & mentis suæ compote, modò sibi ipsi propriâ suâ culpâ impedimento non sit, sufficienter & plene intelligi possit.

In rebus quæ tractantur.

II. Duo in Scripturis sunt consideranda: Res quæ tractantur: & tractandi modus. Res quæ tractantur vel necessariæ sunt ad salutem, vel utiles tantum, interque illas aliæ majoris aliæ minoris utilitatis. Posterioris generis plures abstrusas & obscuras exstare in Scriptura ultro agnoscimus: Prioris vero generis omnes adeo esse faciles & perspicuas, ut nullius tam indocti quàm docti, qui modo animum attendit, captum superent, sed ab omnibus, quantum ad salutem satis est, intelligi possint, affirmamus.

In tractandi modo.

III. Tractationis modus licet sæpius obscurus sit, propter phrasium ambiguitatem, historiæ ordinem nonnunquam interversum, & præcipue linguarum originalium rituumque inter Judæos olim vigentium ignorantiam; necessaria tamen phrasibus adeo planis, perspicuis, nullique ambiguitati ob noxiis traduntur, ut nemini de genuino eorum sensu, nisi sibi ipsi propriâ suâ & evitabili culpâ obstaculo sit, ullum superesse possit dubium.

Omnia verba ac phrases non sunt obscura.

IV. Absurdam itaque ac ineptam censemus illorum sententiam, qui, quoniam Scriptura ex verbis constat, eam etiam necessariò obscuram esse pertendunt: hac argutatione usi: Quoniam verba sunt signa rerum & conceptuum, non à naturâ, sed à beneplacito & instituto hominum; homines vero pro arbitrio varias unius vocis aut phraseos significationes instituunt, aut phrasibus ambiguis utuntur; ideo & omnibus verbis ac phrasibus obscuritas ac ambiguitas inest: indeque inferunt, & Scripturam, quia ex verbis constat, non posse non esse ambiguam & obscuram.

Alias sermo esset frustra datus.

V. Verum quis non videt quæsitam hanc esse, & infirmam admodum argutationem? Licet enim multæ ambiguitatum & obscuritatum in oratione sint species: non tamen inde sequitur, omnem orationem esse ambiguam aut obscuram: alioquin homini frustra sermo ad mentis suæ sensus aliis aperiendum datus esset. Cum enim oratio obscura interpretatione indigeat ut intelligi possit, necesse est, juxta hoc præsuppositum, quamvis orationem interpretatione indigere: quæ cum non possit nisi oratione proferri, etiam hæc oratio suâ interpretatione indigebit, atque sic in infinitum procederetur: Quod est omnem sermonis usum inter homines tollere.

Voces sunt signa conceptuum.

VI. Ut vero plenius sententiam hanc evertamus, præsupponendum est, quando dicimus; Scripturam omnia ad salutem necessaria clare ac perspicue tradere, ut per nudam simplicemque intelligentiam apprehendi possint, Scripturam proponi homini mentis suæ compoti, qui beneficio rationis, usu, ac multiplici experientia jam didicit, quid unaquaque voce significetur, rerumque vocibus illis significatarum cognitionem habet, si non distinctam ac intellectualem, generalem saltem ac sensualem. Conceptus autem illi de rebus in omnibus hominibus sunt uniformes, adeo ut, si rem aliquam mente sint concepturi, licet unus distinctiorem & perfectiorem quàm alter, omnes tamen eandem illius ideam formaturi sint. Vocabula autem, quibus conceptus suos aliis repræsentant, signa sunt conceptuum; adeo ut, quodcunque homo mente concipere potest, etiam ore proferre ac scripto exprimere possit. Quæ enim homo distincte percipit, sensum in se continent intelligibilem: omnis autem sensus intelligibilis ore ac scripto exprimi potest. Verba ergo sunt signa ac repræsentamina cogitationum humanarum, non tantum respectu illius, qui verbis illis utitur; sed & ejus, coram quo verba usurpantur; adeo ut eandem cogitationem, quam ille verbis hisce utens in mente sua habuit, etiam producant in animo audientis. Sicut enim literæ sunt imago vocis, quibus non tantum is, qui literas scribit, voces animo conceptas exprimit; sed & qui illas legit easdem voces in iis tanquam in imagine videt; ita etiam voces sunt repræsenta-



sentamina mentis, quibus sicut unus mentem suam exprimit; ita alter eandem in illis, non aliter quàm in speculo contemplatur.

Varia causa obscuritatis; sed necessaria exstant clare in Scriptura.

VII. Fatemur interim, quædam esse abstrusa, quæ licet verbis clare ac distincte enuntientur, non tamen propter suam sublimitatem, nisi ab ingenio per crebras meditationes exercitato, rerumque adeo sublimium capaci, intelligi possunt: Fatemur etiam, verba posse ita ambigue proponi, phrasesque adeo obscuras adhiberi, ut, licet de re captum nostrum non excedente disseratur, tamen propter sermonis obscuritatem percipi nequeat: quia non adhibetur sermo aptus ad repræsentandum conceptum mentis. Sed interim verum est, quædam esse principia adeo per se nota ac cuivis obvia, & verba adeo ad significandum apta & perspicua, ut distinctam sui apprehensionem statim menti nostræ ingenerent. Ac talia esse omnia necessaria ad salutem, atque hoc modo in Scripturis tradi, asserimus.

Non tamen ubique, sed alicubi saltem.

VIII. Nec tamen id volumus, necessaria ubique æque clare in Scriptura exstare; contingit enim nonnunquam, ut alicubi obscurius proponantur: eadem tamen, quatenus necessaria sunt, alicubi clare exstant, adeo ut nullam disceptationem patiantur. Inde colligimus, nullum dogma aut articulum fidei ad salutem necessarium loco controverso aut obscuro inædificandum esse; sed semper observandum, quid de eodem dogmate aliis in locis minime controversis enuntietur, & ex illis de dogmatis illius necessitate est judicandum. Ex: gr: *Joan.* III. 5. dicitur, ***Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.*** Et *cap.* VI. 53, 54. ***Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.*** Loci isti, ut inspicienti liquet, rem ad salutem necessariam continent; & tamen sunt obscuri & ambigui, & variis interpretum explicationibus vexati. Sed vero, quicquid ibi ad salutem necessarium præscribitur, aliis locis Scripturæ clare ac perspicue traditur, adeo ut dogmatum ac præceptorum illorum cognitionem plenam habere possimus, licet horum locorum distinctam cognitionem non habeamus. Regenerationem ad salutem esse necessariam, baptismum esse suscipiendum, alibi nos diserta Christi præcepta docent. Baptismum medium esse regenerationis, nusquam disertis verbis docetur; ac proinde tanquam articulus fidei ex hoc loco obscuro ac ambiguo, deduci nequit. In Jesum Christum esse credendum, & doctrinæ ipsius, per mortem & sanguinem ejus confirmatæ, fidem esse adhibendam, plurimis in locis Scriptura inculcat: Utrum vero caro ejus in cœna sit comedenda, & sanguis ejus bibendus, non ex hoc loco, obscuro ac controverso, sed ex aliis claris ac perspicuis dijudicandum est. Quicquid circa cœnam necessarium observatu est, non semel distincte & perspicue in Scriptura traditur: Quæquid perspicue non traditur, eo ipso, quod perspicuum non est, necessariis annumerari non debet. Licet itaque horum locorum sensus non recte percipiatur, fides tamen circa necessaria propterea nullum patitur detrimentum.

Non opus est Ecclesiæ interpretatione.

IX. Itaque ad sensum Scripturæ Sacræ, in omnibus ad salutem necessariis, plene percipiendum, nullâ Ecclesiæ interpretatione, quæ cum magistrali auctoritate fit, aliisque quid credendum sit dictet, opus est: sed requiritur solummodo, ut quis mentem adferat à præjudiciis, affectibus, ac malitiâ vacuam.

Pro perspicuitate Scripturæ ratio prima.

X. Hanc perspicuitatem Scripturæ Sacræ competere adversus Pontificios probamus hisce argumentis. 1. Ex variis Scripturæ Sacræ, quæ perspicuitati huic testimonium dant, locis. *Deut.* XXX. 11, 12, 13, 14. ***Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,*** &c. ***Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*** Excipiunt, non agi de facilitate intelligendi, sed implendi legem. *Resp.* Lex impleri non potest, nisi intelligatur: omnis namque impletionis fundamentum est intelligentia legis: norma enim non intellecta observari nequit. Dicunt 2. Agitur tantum de decalogo, cujus præcepta, utpote naturalia, facile intelliguntur. *Resp.* Agitur de tota lege, quæ constat præceptis, statutis, & judiciis Dei, *vers.* 16. & ob cujus præstationem populo Israëlis in terra Canaan benedictio promittitur: illa autem non erat sola lex decalogi, sed & præcepta ceremonialia & judicialia. Huic loco alia adjunge. *Psal.* XIX. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Psal.* CXIX. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Proverb.* VI. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Excipiunt: Scripturas dici lucidas, non quod facile intelligantur, sed quod intellectæ cum fuerint, mentem illustrant. *Resp.* Hoc sensu obscurissima ænigmata dici possent lucida, quia & illa intellecta cum fuerint, mentem illustrant: quo quid absurdius? Manifestum est, Scripturas dici lucidas respectu mentis, cui proponuntur; quia pedibus nostris dicuntur prælucere, hoc est, actiones nostras dirigere: Si vero à mente intelligi non possint, quomodo observabuntur, seu actiones nostras dirigent?

XI.

XI. In Novo Testamento similes occurrunt locutiones. *Joan.* I. 9. & VIII. 12. Christus vocatur *lux*, & *lux mundi, illuminans omnem hominem veniens* (seu venientem) *in mundum*. Sic & Apostoli vocantur *lux gentium*, qui earum *oculos aperiunt*, &c. *Act.* XIII. 47. XXVI. 18. Excipiunt, hæc dici de verbo vivâ voce prædicato. Resp. Scriptio nullam verbo adfert obscuritatem; eâdem enim perspicuitate, qua enuntiatur, etiam verbum conscribi potest. Cum itaque eum in finem conscriptum est, ut eundem usum seculis sequentibus præstet, quem in initio vivâ voce enuntiatum præstitit, nimirum, *ut credamus in Jesum Christum Filium Dei, & ut credentes vitam æternam habeamus in nomine ipsius*, *Joan.* XX. 31. sequitur, quemadmodum ratione prædicationis vivâ voce peractæ lux est, etiam quatenus scriptum est lucem esse.

Secunda. XII. Secundo. Omnes tenentur sensus ad salutem necessarios credere sub pœnâ æternæ mortis ac condemnationis: Ergo omnes isti sensus clare ac perspicue in Scripturâ exstant, ut ab omnibus eam legentibus intelligi possint. Nemo enim obligari potest, ad assensum præbendum sensibus obscuris ac dubiis, quorum certam cognitionem habere nequit. Sicut enim lex non publicata nullam obligandi vim habet; ita etiam adeo obscure proposita, ut intelligi non possit: assensus enim & obedientiæ fundamentum cognitio est. Nec ob non præstitam legem, adeo obscure propositam ut intelligi non possit, quisquam pœnæ, nedum æternæ, reus fieri potest.

Tertia. XIII. Tertio. Si Scriptura in articulis ad salutem necessariis est obscura, illud inde est, aut quod Spiritus Sanctus non potuerit, aut quod noluerit mentem suam clarius exponere. Utrumque absurdum est & Spiritui Sancto summè injurium. Spiritum Sanctum mentem suam non potuisse clarius exprimere, quis absque summa blasphemia dicat? cum & ipsi homines sibi arrogent, quod sensus à Spiritu Sancto obscure propositos interpretatione sua claros reddant. Noluisse vero Spiritum Sanctum clarius mentem suam exprimere, non minus illi injurium est: utpote qui hominibus legem vitæ æternæ præscribens adeo obscure eam proponere voluerit, ut intelligere eam non possint; ac proinde hominibus non medium ad vitam perveniendi, sed necessario in æternam mortem incidendi, dederit.

Quarta. XIV. Quarto. Necessaria ad salutem ab omnibus, debitam Scripturæ Sacræ reverentiam exhibentibus, ubique & semper eodem modo intellecta & credita fuerunt. Ergo clare in Scriptura exstant. Si enim quædam vel minima in iis esset obscuritas, non esset tam unanimis omnium, etiam in multis aliis quam maxime dissentientium, in horum intelligentia consensus. Dices. Anathemata tamen variorum Christianorum arguere, non esse adeo unanimem in necessariis consensum. Resp. Anathemata Christianorum arguere quidem, multa tanquam necessaria à Christianis quibusdam esse determinata, quæ ab aliis non recipiuntur: non vero, in Scriptura eadem ut necessaria creditu præscribi. Imo dicimus, non obstantibus hisce anathematibus, nihilominus mirum esse & semper fuisse, in recipiendis quæ Scriptura necessaria dictat, consensum. Sequitur quidem, omnes non fuisse unanimes in definiendo, quænam ad salutem necessaria sint; quia propria auctoritate, Scriptura non definiente, dogmata quædam ut necessaria determinarunt: non autem, dissensum fuisse in illis, quæ Scriptura ut necessaria exigit. Potuissent itaque anathemata hæc præcaveri, si hominibus tam constitutum fuisset Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem ducem sequi, neque arctiori, quam Scriptura, vinculo conscientias hominum alligare; quàm propriæ ambitioni, iræ ac vindictæ indulgere, in summum nominis Christiani opprobrium.

XV. Pro sententia autem sua Pontificii varia objiciunt. Ac primo quidem argumentum desumunt ex aliquot Scripturæ Sacræ locis, quibus eam esse obscuram indicetur. Primus locus exstat *Psal.* CXIX. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Et *vers.* 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Unde sic colligunt: Si David, qui Propheta erat, orat à Deo intelligentiam legis; ergo Scriptura est obscura. Resp. Davidem illic non petere intelligentiam necessariorum ad salutem: Ecquis enim credere possit ea Davidem, in lege Dei exercitatum, latere potuisse? Præsertim cum in toto illo Psalmo passim de se fateatur, quod legis cognitionem haberet, præ docentibus & præ senibus ipsis: Vide inter alia *vers.* 99, 100, 104, 105, *&c.* Petit ergo David cognitionem mysteriorum legis, ac imprimis, quomodo salvâ Dei lege, quæ piis benedictionem promittit, impiis vero maledictionem comminatur, piis hic quandoque male, impiis vero bene sit; quæ cogitatio ipsum, ut & alios, valde sollicitum habuit. Vel potius, experimentalem legis intelligentiam petit, ut Deus reipsa ipsum, qui probitatis erat studiosus, ex manibus hostium, ipsum injuste persequentium, liberet; atque ita oculos ejus illuminet, ut experimento divinorum promissorum certitudinem cognoscat. Ad hoc enim ipsum respicere, varia hujus Psalmi loca arguunt. Vide inter alia *vers.* 87, 88, 115, 116, 117, 124, 132, *&c.*

Responsio ad objectiones Pontificiorum, ex Ps. CXIX. 34.

XVI. Secundus est, *Luc.* XXIV. 45. *Tunc ape-*

Ex Luc. XXIV. 45.

aperuit (sc. Dominus) *illis*, (nempe Apostolis) *sensum ut intelligerent Scripturas*; quibuscum tamen jam per triennium conversatus erat, quosque continuo docuerat. Resp. Agitur illo in loco de intelligentia prophetiarum, in quibus Christi adventus & munus Servatoris prædictum erat; præcipue, quibus Christi passio, mors, & resurrectio prædicebatur, uti ex vers. antecedente & sequente evidentissime liquet: quas antea, communi Judæorum præjudicio, de regno Christi mundano, præoccupati non intelligebant. Atqui licet ea cognitio Apostolis in functione muneris sui necessaria erat ad convincendum Judæos; non tamen simpliciter ad Christi cognitionem necessaria erat. Potest siquidem ex sola Novi Testamenti lectione Christus salutariter cognosci, licet quis sensum prophetiarum de Christo differentium cognitum non habeat.

Ex Act. VIII. 30, 31. XVII. Tertius locus est *Act.* VIII. 30, 31. ubi Philippus eunuchum reginæ Candaces legentem Scripturam, interrogat: *Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Respondeo idem quod ad præcedentem locum; non respici hic sensus ad salutem scitu necessarios, sed intelligentiam prophetiæ alicujus de Christo. Mirum autem non est, eunuchum istum prophetiæ illius sensum non percepisse, cùm omnis prophetia, antequam impleta est, aut impleta esse cognoscitur, obscura sit. At sine illius prophetiæ intelligentia potuisset vere fidelis esse in Christum. Nos autem non omnia, sed sola ad salutem cognitu necessaria perspicue in Scriptura exstare urgemus.

Ex 2 Pet. III. 16. XVIII. Quartus locus est 2 *Pet.* III. 16. ubi Apostolus Petrus dicit, in Epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Resp. 1. Dubitari posset, an Petrus dicat, in epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu: non enim dicit ἐν αἷς, prout loqui debuisset, si epistolas Pauli respexisset: sed, ἐν οἷς. Unde non male colligitur, Petrum respicere res, quæ in epistolis Pauli tractantur, præcipue quæ respiciunt adventum Domini ad judicium, de quo Petrus paulo ante disseruerat, & de quo Paulum in epistolis suis scribere dicit: Atque in his quædam intellectu difficilia occurrere. Potest autem res, intellectu difficilis, clare & perspicue proponi, ut intelligatur. 2. Concedamus Petrum respicere epistolas Pauli, ad summum inde sequitur, quædam in iis occurrere difficilia intellectu: quod ultro concedimus. Dices. Hic respici necessaria ad salutem, quia *indocti & instabiles* dicuntur ea *depravare*, *sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Resp. 1. Non loquitur Petrus de quibusvis, sed de ἀμαθέσι καὶ ἀστηρίκτοις: ἀμαθεῖς autem non sunt proprie homines *indocti*, sed *indociles*, aut discere nolentes, qui animum habent à doctrina pietatis alienum, & difficilibus perscrutandis solummodo intenti ingenio suo abutuntur ad fastum & ostentationem: homines, de quibus Paulus dicit, quod *semper discant, nunquam autem ad cognitionem veritatis perveniant*, 2 *Tim.* III. 7. *Instabiles* autem sunt, qui in doctrina pietatis neutiquam sunt radicati, & quovis doctrinæ vento circumferuntur. 2. Potest locus, qui sensum ad salutem necessarium non continet, ita detorqueri, ut inde sensus saluti noxius eruatur; quia loco male intellecto consequentia perniciosa superstruitur, quæ actum in se damnabilem producit. Ita ad salutem præcise necessarium non est, genuinum verborum Christi, *hoc est corpus meum*, sensum nosse. Potest tamen quis ex verbis hisce male intellectis hunc sensum deducere, quod in cœna panis sit transsubstantiatus in corpus Christi: indeque porro elicere, in cœna nobis exhiberi integrum Christum, Deum ac hominem: atque ex ista sua opinione tandem deducere, panem illum, quem credit esse Christum, cultu religioso esse adorandum: atque ita actum idololatricum ac damnabilem committere. Non fit hoc vitio Scripturæ, quasi in necessariis obscura sit, sed vitio hominis, Scriptura abutentis, & ex Scriptura male intellecta præter Scripturam alia, saluti suæ noxia, comminiscentis.

XIX. Præter Scripturæ loca, aliud desumunt argumentum à rebus, quæ in Scriptura tractantur, & tractandi ratione. Sed illud argumentum jam in propositione sententiæ nostræ expedivimus. Præter hoc adhud desumunt ab adversariorum, ut ajunt, testimonio: Si Scriptura esset adeo clara, Reformati tot non scripsissent commentaria in Scripturam, non tantum diversa, sed & contraria & inter se pugnantia. *A diversis commentariis in Scripturam S.* Resp. 1. Fatemur in Scriptura multa occurrere obscura, quæ interpretatione indigent: sed ea negamus continere sensum ad salutem necessarium: aut si contineant, eam alibi clare exstare affirmamus. 2. Etiam commentatores aliquando præjudicio, affectibus, aliisve pravis vitiis excæcati, clarioribus locis tenebras offundunt. 3. Licet quàm maxima interpretum sit discrepantia, nullus tamen in necessariis ad salutem est dissensus: aut si de loci alicujus, quo dogma ad salutem necessarium continetur, sensu, aut de quibusdam ipsius dogmatis circumstantiis forte discrepantia sit, de dogmate ipso tamen, quatenus creditu necessarium est, nullus est dissensus: quia, uti diximus, si forte illud uno in loco obscure sit enuntiatum, in alio perspicue traditum est.

XX.

Sententia Contraremonstrantium affinis Pontificiæ.

XX. Affines admodum Pontificiis sunt plerique, si non omnes, Contraremonstrantes; qui, licet contra Pontificios Scripturæ perspicuitatem in omnibus ad salutem necessariis tueantur, eam tamen ita restringunt, ut Scripturæ in sese consideratæ perspicuitatem quidem competere asserant: verùm intellectum nostrum contendunt adeo esse cœcum & corruptum, ut sine speciali Spiritus Sancti illuminatione eam intelligere nequeat. Si comparationem inter horum & Pontificiorum sententiam instituamus, comperiemus exiguum inter utramque esse discrimen. Quid enim magnopere refert; sive dicam Scripturam esse obscuram; sive, eam quidem perspicuam esse in se; sed mentem nostram adeo cœcam, ut intelligere eam non possit? Porrò, Pontificii, Scripturæ obscuritatem urgentes, dicunt eam per interpretationem infallibilem Papæ, qui Spiritu Dei ducitur, ut errare nequeat, illustrari, adeò ut quivis, qui Papæ interpretationem audit, genuinum ejus sensum statim cognoscere queat: Contraremonstrantes verò, per dictamen Spriritus Sancti cœcitatem hanc tolli; adeo ut, quando ille intus cor nostrum illuminat, nosque regenerat, verus Scripturæ sensus nobis aperiatur. Hoc solum est discriminis, quod Contraremonstrantes spiritum illum, quem Pontificii soli suo Papæ vendicant, omnibus electis faciant communem.

Illius absurditas.

XXI. Sententiæ autem hujus absurditas inde constat: quod perspicuum & obscurum velint esse affectiones absolutas, cùm sint respectivæ, semperque cum respectu ad alterum dicantur. Quod inde evidentissime patet; quia una eademque res huic est perspicua, alteri obscura. A parte rei etiam quidem est perspicuitatis quædam aut obscuritatis ratio; quatenus res quædam ita rationi nostræ sunt proportionatæ, ut statim, atque ipsi repræsentantur per simplicem mentis apprehensionem, intelligantur: aliæ verò vel ob suam exilitatem, vel sublimitatem, tam malè rationi nostræ sunt conformatæ, ut illius cognitionem fugiant: potest tamen mens nostra crebra & assidua rerum ejusmodi meditatione habitum & aptitudinem sibi comparare eas facilius & perfectius comprehendendi; quia mens nostra continuo illo exercitio majorem cum rebus illis proportionem acquirit: sicque eadem res, quæ antea obscura erat, perspicua nobis redditur. Quod evidens signum est, perspicuitatem & obscuritatem semper cum respectu ad mentem nostram dici. Unde concludo, si Scriptura non possit à mente nostra intelligi & comprehendi, eam revera nobis esse obscuram.

Genuinus controversiæ status.

XXII. Ut autem sententia hæc penitius confutetur, status controversiæ ante omnia rite formandus est. Non itaque quæritur, utrum homo ex seipso, absque verbo aut revelatione divina, sensus ad salutem necessarios excogitare possit? Quis enim, nisi amens, id affirmaverit? cùm tota salutis ratio, modusque eam consequendi, à beneplacito divino dependeat, ac proinde non nisi per revelationem divinam cognosci possit. Nec etiam, utrum homo quivis, Scripturam legens eamque intelligens, illius sensum sibi salutariter applicare, & fidem ac assensum illi præbere possit? Aliud quippe est, Scripturam intelligere; aliud sensui Scripturæ intellecto assensum præbere. Etiam irregeniti, profani, scelerati, athei, imo diaboli ipsi, sensus Scripturæ ad salutem necessarios intelligere possunt: assensum vero præbere illi soli, quorum in animis nondum omne honesti & inhonesti discrimen exstinctum est, quibusque ea remansere probitatis ac pietatis semina, ut, majore Euangelii luce accedente, ad solidam pietatem ac vitæ æternæ amorem illius ope incitari possint. Quæstio solummodo est de nuda simplicique sensuum ad salutem necessariorum intelligentiâ; an videlicet requiratur illuminatio specialis ac regeneratio per Spiritum Sanctum, ut homo, Scripturam legens, sensus ad salutem necessarios, ea comprehensos, intelligere possit? an verò propria sua luce ita sit accommodata menti nostræ, ut sensus illi ad salutem necessarii, illâ comprehensi, ab unoquoque mentis suæ compote, solo rationis naturalis lumine intelligi possint? Nos posterius hoc affirmamus, sententiamque nostram hisce argumentis adstruimus.

Etiam irregeniti Scripturam in necessariis intelligere possunt.

XXIII. Primo. Irregenitis & impiis tribuitur, quod cognitionem habere possint, imo habeant, voluntatis divinæ ad salutem necessariæ: *Luc.* XII. 47. *Servus qui cognoverit voluntatem domini, neque se præparaverit nec fecerit secundum eam, pluribus plagis vapulabit.* 1 *Cor.* XIII. 2. dicitur fieri posse, ut quis *noverit prophetiam, & omnia mysteria, & omnem scientiam*, & tamen charitate destitutus sit. *Jacob.* IV. 17. *Scienti facere bonum, & non facienti, peccatum est illi.* 2 *Pet.* II. 20, 21. dicitur de iis, qui ad vitæ prioris prosanitatem relabuntur, quod *inquinationes mundi effugerint in cognitione Domini nostri Jesu Christi*, & quod *cognoverint viam justitiæ*; quem tamen locum illi de irregenitis solent accipere. Atqui hæc cognitio absque sensuum ad salutem necessariorum intelligentiâ haberi nequit. 2. Si impii & irregeniti Scripturam quoad necessaria ad salutem intelligere non possunt, nec etiam in ipsis dari potest peccatum contra conscientiam: illud enim est, quod conscientia ut legi divinæ repugnans damnat: non autem conscientia peccatum ut legi divinæ repugnans da-

 mnare

mnare potest, nisi sensum legis cognitum habeat. In illis autem peccatum contra conscientiam dari, nemo opinor negaturus est; Apostolus certe Ethnicis tribuit *cogitationes accusantes & excusantes*, *Rom.* II. 15. 3. Non poterit ex illorum doctorum mente dari peccatum in Spiritum Sanctum, quod tamen committi, & à solis irregenitis committi posse, asserunt. Quoniam peccatum in Spiritum Sanctum definiunt, contemtum & oppugnationem malitiosam Christi, & gratiæ Euangelicæ per externum verbi auditum cognitæ, & per Spiritum Sanctum intus persuasæ.

Explicatio 1 Cor. II. 14. XXIV. Solent tamen pro sententia sua allegare 1 *Cor.* II. 14. *Naturalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est ipsi; neque potest percipere, quia spiritualiter dijudicantur.* Ubi per *naturalem hominem* intelligunt hominem in puris naturalibus constitutum. *Resp.* 1. Concessâ hac ipsorum explicatione, ad summum nihil ulterius ex hoc loco concludi potest, quàm, hominem naturalem solius rationis naturalis virtute non posse excogitare ea, per quorum fidem & observationem ad salutem æternam perveniendum est. Atqui de eo nulla inter ipsos & nos controversia est. Non verò, hominem lumine rationis utentem non posse verbum Dei sibi revelatum intelligere: quod probandum erat. 2. Sed nec hoc ex hoc loco evincitur. Per ψυχικὸν enim hominem, non intelligitur homo *naturalis*, sed *animalis*; id est, vitæ hujus animalis voluptatibus totus immersus. quo sensu vox hæc legitur *Jacob.* III. 15. *Non est ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica.* Et *Judæ vers.* 19. *Hi sunt qui segregant se ipsos, animales, spiritum non habentes.* Ita etiam interpretatur Augustinus *de Civit. Dei* lib. XIV. cap. IV. §. 2. *Non est aliud animalis homo, aliud carnalis, sed idem ipsum est utrumque, id est, secundum hominem vivens homo.* Nec de talibus dicitur, quòd verbum sibi revelatum intelligere nequeant; imo intelligere illud dicuntur; quia verbum Dei illis *stultitia esse* dicitur; hoc est, doctrinam verbo traditam stultam judicant; non autem id facere possunt, nisi eam intelligant: sicut enim ignoti nulla cupido, ita nec fuga. Verum δέχεσθαι, non *intelligere* seu *percipere* significat; sed *recipere*, fide scilicet; hoc est, assensum illi præbere. Quo sensu voc hæc legitur *Act.* XVII. 11. ubi de Judæis Berœënsibus dicitur, quod *verbum receperunt*, ἐδέξαντο, *cum omni aviditate.* Et *Jacob.* I. 21. *In mansuetudine recipite*, δέξασθε, *insitum verbum.* Vide & *Luc.* VIII. 13. *Act.* VIII. 14. XI. 1. 1 *Thess.* I. 6. II. 13. & alibi pluribus locis. Non recipit itaque animalis homo verbum Dei, non quia non intelligit; sed quia intelligit, & doctrinam eo contentam stultam judicat. Euangelium nempe promissa habet spiritualia & futuræ vitæ, & præceptum abnegationis omnium hujus mundi bonorum, quin & vitæ ipsius. Hoc verò animalis homo stultum judicat, qui, voluptatibus vitæ hujus immersus, solidam in illis collocat felicitatem: bonis autem spiritualibus ac futuræ vitæ, quorum gustum nunquam percepit, neutiquam afficitur.

XXV. Scripturæ Perspicuitate ita sufficienter adstructa, exinde porro deducimus hoc consectarium: In explicandis fidei articulis necessariò credendis, neminem alligandum esse verbis & phrasibus Scripturâ non contentis, sed ab hominibus excogitatis. *Nemo alligandus est verbis ac phrasibus Scriptura non contentis.* Quia enim Scriptura omnia ad salutem necessaria perspicue continet, etiam ad eorum explicationem, quantum ad salutem necessarium est, sufficiunt verba & phrases Scripturâ contentæ. Neque credendum, ab hominibus aptiores & commodiores voces & phrases excogitari posse, quibus mens Dei in Scriptura loquentis exprimatur, quàm quibus ipsi Deo uti placuit. Quæres: An non ergo alias voces ac phrases in explicandis fidei dogmatibus adhibere liceat, præter eas, quas Scripturâ expressas reperimus? *Resp.* Omnino: Videmus id ab omnibus doctoribus cujuscunque sectæ fieri. Unusquisque nempe Scripturam explicans interpretationes suas exprimit vocibus ac phrasibus, quibus mentem suam commodissime enuntiari credit: attamen neminem phrasibus nostris alligatum esse, statuendum est: sicut enim nos phrasibus alterius extra Scripturam alligatos nolumus; ita & nostrum est, neminem nostris alligare phrasibus, sed eandem, quam ipsi nobis vendicamus libertatem, aliis concedere. Quare sicut nemo dogmatibus Scripturâ non contentis alligari debet; ita nec phrasibus à Spiritu Sancto non usurpatis adstringendus est. Dices. Scripturæ phrases nonnunquam sunt ambiguæ, & latibula, sub quibus hæretici hæreses suas tegunt: quare alias adhibere phrases necesse est, ut detegantur, & ab orthodoxis discernantur. *Resp.* 1. Neminem Spiritus Sancti mentem aptioribus phrasibus ac vocibus, quàm ipsum Spiritum Sanctum, exprimere posse: adeo ut verè ac optimè dixerit Beza, *Annot. in Act.* X. 45. *Digress. de dono ling. Cùm Apostolos unos delegerit Deus, per quos scribi vellet, quæcunque ad nostram salutem necessaria sunt, illud quoque nobis est constituendum, eundem illum Deum ita esse ipsorum linguas moderatum, ut ne verbum quidem temerè ipsis exciderit; imo verò cuncta sic planè, aptè ac appositè dixerint, ut planius ac melius a quoquam de his dici nunquam potuerit.* Et in *Opusc. Theol. vol.* I. *p.* 432. *ad defens. & reprehens. Seb. Castellionis. Video omnes pios & eruditos*

tos Theologos semper existimasse, Spiritum Sanctum non animum duntaxat, sed etiam linguam & calamum gubernasse, adeo ut περὶ τῶν Θεοῦ μεγαλείων non modo nihil verius aut sanctius, sed etiam nihil tam graviter, tamque proprie dici à quoquam mortali possit. Si qui ergo id sibi arrogent, tacite Spiritum Sanctum insimulant, quòd commodioribus phrasibus uti aut non potuerit, aut non voluerit, & quidem in dogmatibus ad salutem creditu necessariis. 2. Si phrases illæ adhibeantur ad detegendum illos, qui Scripturæ phrases recipiunt, jam non ipsam Scripturam, sed nostram Scripturæ explicationem aliis ut necessariam creditu præscribimus. At vero, ubi Scriptura ulli homini auctoritatem dedit definiendi, quod ipsa indeterminatum reliquit? Dices. Hisce phrasibus continetur verus ac genuinus Scripturæ sensus, quem hæretici pervertunt. Resp. Cùm de sensu phraseos Scripturæ dissensus sit, quis pro nobis pronuntiavit, aut nobis dedit auctoritatem illius sensum definiendi, aliisque præscribendi? Nisi enim evidentibus rationibus explicationem nostram adstruamus, illiusque veritatem aliis persuadeamus, non major nobis est auctoritas nostram explicationem aliis, quàm aliis suam nobis præscribendi. Imo, quia Deus mentem suam non explicuit, nisi vocibus ac phrasibus diversum sensum recipientibus; eo ipso satis demonstravit, se nullum istorum sensuum ut creditu necessarium definivisse, neque ab hominibus, quorum nullæ explicationes ab errandi periculo sunt immunes, definiri, aliisque, tanquam necessariò credendum, imponi voluisse. Quicunque hîc sensum aliquem definire audent, aliisque sub hæreseos denuntiatione & anathematis pœnâ præscribere, illi in unam partem decidunt, quod Deus in verbo suo indeterminatum reliquit; atque ita non ipsam Scripturam, sed suam Scripturæ explicationem aliis fidei regulam constituunt. Quare concludimus, dogmata fidei ad salutem necessaria, quorum fidem & consensum ab aliis requirimus, vocibus ipsius Scripturæ exprimenda esse, neque quenquam arctioribus vinculis adstringendum, quàm quibus nos Deus in verbo suo adstrictos voluit: ut ita cum Scriptura non tantum sentiamus, sed & loquamur; & Apostolorum imitati exemplum, res divinas tradamus non humanæ sapientiæ verbis, sed illis, quæ Spiritus nos eloqui docuit.

CAPUT VII.

De promiscua S. Scripturæ Lectione.

I. Attributa Scripturæ excipit ejus tractatio. Hæc triplex est, Lectio, in linguas vernaculas Versio, & Interpretatio.

Scriptura promiscue ab omnibus est legenda.

II. Quod lectionem attinet, quoniam Scriptura omnia ad salutem necessaria perfecte & perspicue continet, sequitur eam ab omnibus promiscue sine discrimine legi debere. Quod cùm à Pontificiis negetur, qui plebem ab ore Sacerdotum suorum dependere volunt, & propterea Scripturæ lectionem laicis (quos vocant) neutiquam, aut saltem ægre, & non nisi plurimis adhibitis limitationibus concedunt, aliquot argumentis adstruendum est.

1. Quia Deus id mandat.

III. Primo ergo habemus expressum Dei mandatum, quod lectionem hanc non tantum licitam, sed & necessariam reddit. Id clarissime exstat *Deut.* VI. 6, 7, 8, 9. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Et *cap.* XXXI. 11, 12, 13. *Convenientibus cunctis ex Israël; ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israël, audientibus eis: & in unum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus: filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, & timeant Dominum Deum suum, &c.* Quo etiam refer præceptum regibus (quos in laicorum numero habent Pontificii) datum, ut legem diligenter evolvant. *Deut.* XVII. 18, 19. præscribitur regi, ut sibi *describat exemplar legis in volumine*, idque *secum habeat, & legat omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum.* &c. Simile præceptum Josuæ datum est *cap.* I. 7, 8. Hisce gemina habemus in Novo Testamento. Dominus Jesus inquit Judæis, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in eis vitam æternam habere: Joan.* V. 39. Perinde autem est, sive vox ἐρευνᾶτε sit modi imperativi; tùm enim præceptum Domini continet, sive indicativi; quia tum denotat consuetudinem inter Judæos usitatam, scrutandi Scripturam: quam & Dominus hoc suo dicto approbat. Et Paulus *Coloss* III. 16. *Verbum Domini habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commonentes invicem*; id est, ita ut alii alios docere & commonere possitis.

2. Ex fine in quem data Scriptura.

IV. Secundo. Finis, in quem Scriptura nobis à Deo data est, idem probat, qui alius non est, quàm ut cognitionem habeamus eorum, quæ scripta sunt, iisque cognitis credamus, atque ita vitam æternam consequamur.

mur. Lucas *cap.* I. 3, 4. dicit Theophilo, se omnia ea ordine ipsi scribere, *ut cognoscat eorum verborum, de quibus eruditus est, veritatem. Joan.* XX. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* Et 2 *Tim.* III. 17. *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.* Hoc autem absque assidua Scripturæ lectione fieri non potest. Inde etiam epistolæ ad omnes fideles & totas Ecclesias, non ad doctores solos, scriptæ sunt, & coram tota Ecclesia legi jubentur, *Coloss.* IV. 16. Quin & Paulus fideles adjurat, ut epistolam suam coram omnibus fratribus legant, I *Thess.* V. 27.

3. *Ex elogiis Scripturæ.* V. Tertio. Huc accedunt elogia, quibus passim Scriptura insignitur. Est *verbum vitæ*, I *Joh.* I. I. *potentia Dei ad salutem cuivis credenti, Rom.* I. 16. *gladius spiritus, Eph.* VI. 17. quo non tantum diabolo resistere, omnesque ejus insultus avertere possumus; sed & ipsum à nobis propellere, ad exemplum Servatoris nostri, *Matth.* IV. 10, 11. Estque ad omnia, quæ ad vitam spiritualem faciunt, utilis: ad consolationem, *Rom.* XV. 4. ad doctrinam, redargutionem, correptionem, & institutionem, 2 *Tim.* III. 16. Unde recte vocatur spirituale armamentarium, unde omnia arma depromi possunt & debent ad diaboli insultus retundendum. Quid exinde aliud concludemus, nisi, eos, qui lectione Scripturæ Sacræ laicis interdicunt, velle eos inermes & nudos exponere insidiis ac fraudibus hostis illius, qui tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret?

4. *Ex elogiis eam legentium.* VI. Quarto. Laudantur passim & beati prædicantur, qui in verbi divini lectione assidui sunt. *Psal.* I. 2. Beatus prædicatur vir, *qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Luc.* X. 42. Maria beata pronuntiatur à Domino, quòd, sermonibus ejus intenta, unum elegerit quod necessarium est. *Act.* VIII. 27. *& seqq.* laudatur reginæ Candaces eunuchus, quod in via legerit prophetam Esaiam. *Cap.* XVII. 10, 11, 12. Berœenses, quod generosiores fuerint Thessalonicensibus, utpote quotidie scrutantes Scripturas; num hæc, quæ à Paulo dicebantur, ita se haberent. *Cap.* XVIII. 24, 25, Apollos, tanquam vir *potens in Scripturis*, & Timotheus, 2 *Tim.* III. 15. quod *ab infantia Scripturas noverit.* Unde Petrus 2 *Epist.* I. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes*, &c.

5. *Ex praxi Judæorum.* VII. Tandem illud persuadet continua quæ inter Judæos obtinuit consuetudo, qui in Scripturæ lectione assidui fuerunt. *Nehem.* VIII. 2, 3. Esdras legit legem coram omni multitudine virorum & mulierum, & cunctis qui poterant intelligere. *Luc.* IV. 16. *Actor.* XIII. 15. liquet, Judæis in usu fuisse, diebus sabbathi Scripturam in Synagogis publice legere: unde & Apostolus Jacobus *Actor.* XV. 21. ait: *Moses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbathum legitur.* Et hæc laudata consuetudo etiamnum hodie inter Judæos viget, quorum diligentia in evolvenda Scriptura merito Christianis pudorem incutere potest.

VIII. Frivolum itaque est ac dilutum Pontificiorum effugium, plures ex Scriptura Sacra ab hominibus, non, prout oportet, eam legentibus, errores ac hæreses imbibi, ideoque ejus lectionem non promiscue omnibus concedendam esse. Non enim illud Scripturæ, sed legentium vitio imputandum est. Scripturæ lectio omnibus necessaria est, utpote ea continens, sine quorum fide & observatione æterna salus obtineri nequit. Si quis autem, quia homines propriâ culpâ Scriptura abuti possunt, ejus lectione hominibus in totum interdicere vellet, perinde faceret, ac si ob cibi ac potus abusum, inter homines admodum frequentem, omnem cibi ac potus usum tolleret, hominesque fame ac inedia ad mortem compelleret. *Solutio objectionis.*

CAPUT VIII.

De Scripturæ Sacræ in linguas vernaculas Versione.

I. Quoniam Scriptura ab omnibus promiscue legi debet, sequitur, eam etiam verti debere in linguas unicuique genti vernaculas. Quia enim omnes linguarum originalium, Hebrææ ac Græcæ, quibus conscripta est, cognitionem non habent, in linguas vernaculas, ut ab omnibus legi possit, verti debet. Est autem hæc non necessitas absoluta, sed ex accidenti tantùm, propter socordiam hominum, qui si eandem, quam propter hujus mundi bona sæpe adhibent, diligentiam, ut æternæ vitæ ac cœlestis fœlicitatis hæredes sint, adhiberent, omnes Scripturam linguâ originali legerent. Estque id quàm maxime optandum, ut Christiani hac in parte Judæorum diligentiam imitarentur, quos videmus liberos suos ab ipsa infantia Hebrææ linguæ cognitione imbuere, ut legem Dei linguâ originali, quâ eam Deus prolocutus est, legere & intelligere possint. Nam Scripturam linguâ nostrâ vernaculâ legentes aliquatenus ab auctoritate translatorum, quæ humana tantùm est, pendere necesse habemus. Incommodo tamen huic aliquatenus mederi possumus diligenti & accuratâ variarum versionum, etiam à diversarum sectarum profes- *Quæ necessitas vertendi Scripturas.*

professoribus factarum, collatione; inter quas cum consensum deprehenderimus, certi erimus de horum & peritiâ & fidelitate: si verò dissentiant, diligens exploratio rationum, quibus quisque suam propugnat versionem, aliquatenus nobis monstrare poterit, quæ versio sit præferenda. Non sunt quidem metaphrastarum verba divina: verum Dei verbum proprie externis vocabulis non constat, sed sensu divino verbis expresso, qui unus idemque est quacunque linguâ & quibuscunque verbis proferatur.

axis :lesia.

II. Versionem hanc suadet etiam Ecclesiæ praxis. Jam enim ab antiquis temporibus Scriptura in varias linguas est translata, ut ab omnibus nationibus legi possit. Non tantùm fuit Veteris Testamenti versio LXX. interpretum: sed & variæ olim tam Novi quàm Veteris Testamenti fuere versiones Latinæ. Hieronymus Scripturam vertit non tantùm in linguam Latinam, sed & Dalmaticam; Chrysostomus in Armenicam, Ulphilas, Gothorum Episcopus, qui Concilio Niceno interfuit, in Gothicam. Syriaca Novi Testamenti versio est antiquissima. Tum & concedunt Pontificii doctores, Armenos, Russos, Æthiopas, Dalmatas & Muscovitas Scripturas legisse linguâ vernaculâ.

erat. ;ft. Ec- f. lib. '. cap. i.

futatio ectionis ma.

III. In contrarium tamen objiciunt Pontificii: quòd Scriptura Veteris Testamenti post reditum ex captivitate Babylonica non sit versa in linguam Chaldaicam: licet populus in diuturna illa captivitate jam linguæ patriæ plane oblitus fuerit, adeo ut necesse habuerit, ut alius sibi Scripturæ textum interpretaretur; uti liquet ex *Nehem.* VIII. 3. & 8, 9. *Resp.* Non prorsus erant obliti patriæ suæ linguæ: non enim credibile est, integrum populum Judaicum, linguæ suæ adeo retinentem, septuaginta annorum spatio plane potuisse illius oblivisci; præsertim cum viveret inter populum impium, idololatram, hostilem in se animum gerentem, & à cujus conversatione abhorrebat: credibile magis est, linguam Hebræam à parentibus in liberos propagatam, & si quid diuturna illa inter Chaldæos commoratione vitii contraxit, præcipua tamen illius linguæ inter ipsos remansisse. Quod vero lex prælecta dicitur iis qui poterant intelligere; per eos non intelliguntur periti linguæ Hebrææ, contradistincte ab illius ignaris: sed adulti, qui hac notâ discernuntur ab infantibus. Interpretatio etiam legis, quam Levitæ populo fecerunt, non significat versionem textus ex linguâ Hebræa in Chaldæam; sed textus obscuri explicationem; adeo ut sensum legis populo expofuerint. Dices. Attamen Pharisæi dicunt *Joan.* VII. 49. quòd turba non noverit legem. *Resp.* Accipiendum id similiter de sensu legis, cujus interpretationem sibi solis arrogabant, plebemque à suo ore pendere volebant: quod ex omnibus textus illius circumstantiis liquet.

IV. Secundo argumentantur: Quòd Apostoli Scripturas tantum conscripserint linguâ Græcâ. *Resp.* 1. Dubitatur de quibusdam libris: uti de Euangelio Matthæi. 2. Factum id est, quia lingua Græca tum dispersa fuit per totum terrarum orbem; ideoque omnes homines, Judæis exceptis, nomine Græcorum comprehensi sunt, totusque orbis divisus est in Judæos & Græcos. Scripserunt itaque eâ linguâ, quæ ab omnibus intelligebatur; ut non tantum populi, ad quos scribebant, sed & alii, libros ipsorum legere & intelligere possent. Alia autem nunc est ratio, quando lingua Græca inter angustos Græciæ limites est conclusa, Euangeliumque prædicatum gentibus linguæ Græcæ prorsus ignaris. *Secunda.*

V. Tertio ita argutantur. Si Scriptura esset vertenda in linguas vernaculas, ideo esset vertenda, ut populus eam intelligeret: sed non potest eam intelligere, imo ne docti quidem. *Resp.* 1. Possunt saltem intelligi necessaria ad salutem, quæ clare in Scriptura exstare probavimus. 2. Quod alia non absolute necessaria attinet, ut eorum intelligentia obtineatur, Scriptura non tantum legenda, sed accurate legenda est, & Deus orandus ob spiritum, qui mentes nostras illustret. Quod si id præstantes tamen quædam non intelligamus, ignorantia hæc saluti nostræ obfutura non est. 3. Si hæc ratio valeat, etiam nec doctis Scriptura erit legenda, quos dicunt eam intelligere non posse. *Tertia.*

VI. Illud vero attendendum, nullam versionem tantæ esse auctoritatis, atque ipsum textum authenticum Hebræum Veteris, & Græcum Novi Testamenti: quia omnis versio ad fontes ipsos, qui ipsa Dei verba continent, expendenda est. Unde „ intolerabilis est Synodi Tridentinæ tyrannis; quæ *Sessione* IV. statuit & declarat, *ut ipsa Vetus & Vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authenticâ habeatur; &* „*ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Præterquam enim quòd repugnantia sint, versionem esse, & authenticum esse; non est facta hæc versio ab interprete infallibili: nec est genuina Hieronymi versio, ut Pontificii volunt; nec, si Hieronymi esset, interprete infallibili gauderet; tum & plurimis in locis à veritate Hebraica & Græca aberrat, uti à pluribus ostensum est; & post decretum Concilii Tridentini quædam sunt emendata à Sixto V. & Clemente VIII. & alia *Versio Vulgata non est authentica.*

lia adhuc emendanda restare, ipsi Doctores Pontificii confitentur.

Nec id evincit ejus Antiquitas. VII. Neque est, quòd hic Versionis Vulgatæ antiquitatem jactent Pontificii. Præterquam enim quod antiquitas nullum conferat infallibilitatis privilegium; certum est, quamcunque versionem à textu authentico Hebræo & Græco antiquitate superari. Dices. Textus Hebraicus Veteris Testamenti & Græcus Novi Testamenti est corruptus. Resp. Negamus, si corruptionem intelligant, quæ sensum necessarium aut valde utilem pervertat. Sunt quædam variantes lectiones; verùm providentia divina ita prospexit Ecclesiæ saluti, ut illæ non nisi in rebus minoris momenti inveniantur; & tales etiam in Vulgata Versione reperiuntur, & ab ipsis Doctoribus Pontificiis annotatæ sunt. Speciatim quod textum Hebræum Veteris Testamenti attinet, is à Judæis non est corruptus. Fuisset enim corruptus, aut ante adventum Jesu Christi in mundum, aut post illum. Non ante Christi adventum; quia Judæi, licet variorum criminum à Christo rei sint acti, hujus tamen nunquam postulati sunt: quod tamen gravissimum fuisset. Nec post: 1. Quia si corrumpere textum voluissent, imprimis sustulissent vaticinia Prophetarum de Christo: at illa nunc omnia exstant in Veteri Testamento & eodem modo, prout ab Apostolis olim fuere citata. Tum & summe religiosi sunt Judæi erga Scripturam, adeo ut quidam inter ipsos omnes literas & apices in numerato habeant. 2. Etiamsi textum corrumpere voluissent, non tamen potuissent; quomodo enim per totum terrarum orbem & inter varias gentes dispersi, in unam fraudem simul conspirare potuissent? Tum, & multa exemplaria in manibus erant Christianorum, quæ corrumpere non poterant. Summus tamen hodie est inter omnia exemplaria consensus.

Solutio objectionis. VIII. Sed, dicunt, Hebræi habuere authenticam Scripturam in suâ linguâ; sic & Græci versionem authenticam LXX. Veteris Testamenti; & Novi Testamenti ipsum fontem: ergo & Latina Ecclesia debet habere versionem authenticam; quæ præter Vulgatam est nulla. Resp. 1. Nullam esse versionem authenticam antea ostendimus: ideoque, nec LXX. versio authentica est. 2. Hæc consequentia si valeret, requireretur ut omnes gentes habeant versionem authenticam: atque ita Vulgata nullum præ reliquis habitura esset privilegium

Quæ in Scriptura versione sint observanda. IX. In Metaphraste, qui se ad vertendam Scripturam Sacram accingit, requiritur ut sit peritus, & fidelis. Peritus ut sit; requiritur solida cognitio non tantum linguæ Hebrææ & Græcæ, sed & illius, in quam Scripturas translaturus est: ut ita sensum Scripturæ, quem recte percepit, etiam plene in alia lingua exprimere possit. Fidelis ut sit, requiritur 1. Ut quantum fieri potest, & cujusque linguæ genius permittit, verbum verbo reddat. Quia enim hic in aliam linguam transfertur verbum Dei, regulam vitæ ac mortis æternæ continens, summe religiosos nos esse decet, ut id, quantum linguæ genius permittit, iisdem verbis ac prasibus, quibus in textu originali exstat, exhibeamus; & si vox quædam, ad sensûs complementum, inseri debeat, ea parenthesi, aut alia quacunque nota, discernatur; neque nobis auctoritatem arrogemus, verba nostra, quibus pro conceptu nostro periodum in Scriptura complemus, absque ulla nota pro divinis lectori obtrudendi. Qua in parte maxime sunt reprehendendi Novæ Versionis Belgicæ auctores; qui voculas exiles, nulliusque ad sensum complendum momenti, *ende*, & similes, scrupulosè solent parenthesi includere, ut incautis & imperitis speciem præbeant summæ fidelitatis, quasi vel minutissima, quæ interserunt, annotare voluissent: interim integra verba, quibus tota periodi constructio constat, sæpius interjiciunt, nullâ additâ parenthesi, eaque pro verbis divinis obtrudunt: quæ est audacia nullatenus excusanda. Secundo. Ut ambigua in textu authentico, si fieri possit, etiam ambigue reddat; aliàs non metaphrasten, sed paraphrasten agit. Præsertim id observandum in ejusmodi locis, qui à diversum sentientibus, ut opinionis suæ fulcra, passim allegari solent: aliàs contendendi materia non præciditur, sed augetur, majorque animorum exacerbatio exspectanda est, dum qui in diversa sunt opinione, ejusmodi versione sententiæ suæ præjudicium fieri ægre ferunt; neque versioni sibi præjudicanti unquam acquiescent. Non itaque ambiguitas illa per versionem tollenda est; sed solidis rationibus versio non genuina falsitatis est convincenda: aliàs nihil promovemus, quoniam ipsis semper ad fontes recurrere integrum est, in iisque locutionis ambiguitate ostensâ, eandem in versione retinere, atque ita eludere argumentum, ex versione ipsis præjudicante depromtum. Ante omnia verò cavere debet, ne vertendo textum mutet, aliaque verba substituat, quibus peculiaria sua placita, quibus textum authenticum non favere deprehendit, aliquatenus incrustet. Tales vix à crimine falsi excusare possunt.

CAPUT IX.

De Scripturæ Sacræ Interpretatione.

I. INterpretatio Scripturæ Sacræ est sensûs illius obscuri elucidatio. Non est *Scripturæ Interpre-* ea

Rationis necessitas.

ea absolute necessaria: quoniam (ut ante evicimus) Scriptura omnia ad salutem necessaria clare ac perspicue continet; adeo ut quivis pius, eam attente legens, sensum ad salutem sufficientem, sine ulla alterius ope aut explicatione, ex ea haurire possit. Per accidens tamen necessaria est, propter multa obscura, quæ in Scriptura continentur. Primo enim, licet necessaria clare in Scriptura exstent, non tamen ubique clare sunt proposita; sed eadem, quæ uno in loco clare, & verbis nulli ambiguitati obnoxiis, expressa sunt, alibi obscurius & quandoque verbis figurato sensu acceptis sunt tradita. Deinde multa sunt, licet non necessaria, utilia tamen, ut in necessariorum fide magis magisque confirmemur: quorum pro diverso, quem cum necessariis habent, nexu, etiam major minorve utilitas est: quæ non omnia eâdem perspicuitate, quâ necessaria, proponuntur. Horum genuinus sensus ut eruatur, interpretatione opus est.

Causa obscuritatis Scripturæ.

II. Hujus obscuritatis causæ sunt vel in homine, vel extra hominem. In homine; quòd animo non debite præparato ad Scripturæ lectionem accedat; vel non attente satis legat, nec quæ consideranda sunt satis consideret. Extra hominem sunt, vel materiæ, quæ tractatur, difficultas, vel tractationis modus. In materia est difficultas, cùm tractantur res arduæ, captumque nostrum excedentes: quales quasdam à Paulo in Epistolis suis tractari testis est Petrus 2 *Epist.* III. 16. quas vocat δυσνόητα, intellectu difficilia. In tractationis modo: quando res, licet captum nostrum non excedentes, traduntur phrasibus obscuris & ambiguis, adeo ut de genuino verborum sensu dubitatio oboriatur; tales sunt, voces homonymæ, phrases & constructiones ambiguæ, figuræ & tropi, idiotismi linguarum originalium, vid. Hebraismi & Græcismi, consuetudines olim inter Judæos usitatæ, quæ jamdudum exoleverunt, ideoque nos jam latent, historiæ ordo nonnunquam inversus, & ἐναντιοφάνειαι variæ, quæ hîc illic in Scriptura occurrunt.

Interpretis munus.

III. Interpretis munus est, ut verum Scripturæ sensum eruat: is autem verus est, qui menti sive intentioni Dei, qui Scripturæ auctor est, conveniens est: illeque sensus semper est veritas. Hæc quippe Scripturæ sacræ supra alia omnia scripta prærogativa est, quòd illius verus sensus etiam sit veritas; utpote à Deo, veritatis fonte, qui que falli nequit, profectus; cùm scriptorum humanorum veri & auctoribus intenti sensus sæpissime sint errores, & veritati ex diametro adversi.

Scriptura sensus literalis & mysticus.

IV. Solet à Scholasticis communiter Scripturæ sensus distingui in Literalem & Mysticum. Literalis est quem verba immediate præferunt: Spiritualis seu Mysticus, qui aliò refertur, quàm ad id quod verba immediate significant. Estque triplex; Allegoricus, cum verba Scripturæ, præter literalem sensum, significant aliquid in Novo Testamento, quod ad Christum & Ecclesiam spectat. Ut, *Gal.* IV. 24. quod de duabus Abrahami uxoribus, alterâ liberâ, alterâ ancillâ, item duobus filiis dictum est, ad duo testamenta refertur. Tropologicus; cùm verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores: quomodo illud, quod legitur *Deut.* XXV. *non alligabis os bovi trituranti;* ab Apostolo 1. *Cor.* IX. 9, 10. applicatur ad Ecclesiæ ministros. Anagogicus; cum verba de rebus terrenis dicta, aut facta ad hanc vitam pertinentia, referuntur ad significandum vitam æternam. Ut *Psal.* XCV. 11. *quibus juravi in ira mea, si in requiem meam ingressuri sint:* quod ad vitam æternam refertur, *Hebr.* IV. 9. Sed verò Literalis sensus solus genuinus ac proprius est Scripturæ sensus. Quod mysticum attinet, ille non est totius, sed tantum particularum quarundam Scripturæ; nec tam est Scripturæ sensus, quàm sensus Literalis extensio ad aliud quippiam, quod Deus præter id, quod litera præcise sumta significat propositum habuit, & suo tempore patefacere decrevit. An verò triplex illa mystici sensus distributio solidâ ratione nitatur, non inquirimus.

Latet hic plerumque sub illo.

V. Illud certum est sub sensu literali, præsertim in prophetiis, sæpe latere sensum mysticum, qui Christum respiciat, ejusque regnum. Non enim Deus Christum directe in prophetiis delineavit, sed sub typô rerum eximiarum, quibus Christum adumbrare & rudi quasi penicillo delineare voluit: ita ut, sicut res illæ typi fuere Jesu Christi, ita etiam verba, quibus res illæ sunt descriptæ, duplicem habeant sensum, unum literalem, secundum literæ sensum olim in typo impletum; alterum mysticum, secundum plenam Dei intentionem in Christo perfecte impletum. Hi tamen non tam sunt duo verborum sensus, quam duæ sensus quasi partes: & mysticus sensus non in omni Scripturæ loco est quærendus, aut proprio ex ingenio fingendus; hoc enim casu verum est commune Theologorum effatum, Theologia symbolica non est argumentativa: sed tunc solummodo admittendus est, quando Spiritus Sanctus eum indicat, aut certis & indubitatis signis dignoscendum dat; quorum præcipua, quia observatio hæc in disputationibus contra Judæos magni usus est, paucis proponemus.

Aliquando verba prophetiæ nihil continent eximium.

VI. Dicimus ergo, in plerisque prophetiis, paucis forsitan exceptis, duplicem latere sensum, literalem unum, olim in typo, mysticum alterum, in Jesu Christo impletum: itaque, ut genuinam prophetiarum habeamus interpretationem, ante omnia literalem

teralem ſenſum eſſe inveſtigandum, eoque invento, typum eſſe applicandum Chriſto. Contingit autem nonnunquam, verba prophetiæ nihil continere eximium, quod non in typo ſit impletum; ita ut in latiſſima ſua ſignificatione accepta omne in typo complementum habeant; neque ex verbis ipſis myſticum ſenſum colligere poſſemus, niſi Spiritui Sancto placuiſſet verba illa myſtico ſenſu ad tempora Chriſti referre. Hujus generis ſunt, quæ *Eſa.* IX. 1, 2. de liberatione populi Judaici ab inimicorum ſuorum afflictionibus dicta, *Matth.* IV. 15, 16. referuntur ad liberationem Galilæorum & tribus Sabulon ex cœcitate ſpirituali, per habitationem Jeſu Chriſti in ipſorum civitate Capernaum. Similiter quod *Hoſe.* XI. 1. *ex Ægypto vocavi filium meum*, de liberatione populi Iſraëlitici ex Ægypto dictum, *Matth.* II. 15. refertur ad fugam Chriſti in Ægyptum, unde poſtea revocatus eſt.

Aliquando ita ſunt eximia, ut ad ſenſum myſticum nos ducant.

VII. Nonnunquam prophetiæ verbis adeo eximiis ſunt conceptæ, ut in typo non niſi diluta admodum earum impletio reperiatur, verbaque ſenſu admodum anguſto & ſignificatione impropria ſint accipienda, ut typo applicari poſſint. Quod evidens ſignum eſt Deum auguſtius quid verbis illis promittere voluiſſe, quod ſuo tempore declaraturus eſt; adeo ut verba ipſa nos ducant ad ſublimiorem illum & myſticum ſenſum indagandum. Ita quod *Eſa.* VII. 14. exſtat, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Immanuel*; olim quidem in typo impletum eſt tempore Eſaiæ, cùm puella, tunc adhuc virgo, poſtquam marito nupſit, gravida facta filium peperit, quem Deus voluit ſignum eſſe liberationis terræ Judaicæ à duobus regibus eam infeſtantibus. Sed cuique facile eſt videre, hanc eſſe dilutam admodum ac imperfectam impletionem: verbaque hæc, juxta propriam ac genuinam ſignificationem, demum impleta, quando virgo, abſque mariti aut viri opera, ſola Spiritus Sancti virtute, filium parit. Quod in Maria matre Domini impletum eſt, cujus prior illa virgo typus fuit. Similiter, quod *Pſal.* XVI. 10. David de ſe dicit, *non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; typice in Davide impletum eſt, quando Deus, Davidem à Saulis inſidiis & perſecutione protegens, eum eruit, ne interficeretur, & in ſepulchro corrumperetur. Attamen non niſi admodum dilute hæc de Davide dici poſſunt; quia licet illo tempore David à morte conſervatus ſit immunis, poſtea tamen in ſenectute obiit, ſepultus eſt, caroque ejus corruptionem vidit. Plene autem & juxta propriam ac genuinam verborum ſignificationem hæc impleta ſunt in Chriſto, qui mortuus non vidit corruptionem, ſed tertia die reſurrexit, antequam caro corruptionem ſentiat.

Aliquando, deſerta typica ſignificatione, ſolus retinetur ſenſus literalis.

VIII. Sed & hujuſmodi prophetiarum diſpar eſt ratio. In quibuſdam enim duplex hic ſenſus, literalis & myſticus, ſemper obſervatur, adeo ut omnes illarum particulæ ſenſu utroque, tam literali quàm myſtico, ſint interpretandæ: & hæc eſt communis prophetiarum ratio. Aliquando autem ſenſus literalis etiam typice involvit ſenſum myſticum; ſed in progreſſu ulteriore à typica ſignificatione receditur, & typus ſolus reſpicitur, non amplius conſideratus ut typus; neque ullus latet ſenſus ſpiritualis qui ad Chriſtum referri poſſit: talia namque de typo dicuntur, quæ nullum ad Chriſtum reſpectum habere poſſunt. Sic 2 *Sam.* VII. 12, 13, 14. ſub typo Salomonis ejuſque poſterorum promittitur Davidi Meſſiæ ortus ex ſemine ipſius: ſed *verſ.* 14, 15. *qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: miſericordiam autem meam non auferam ab ea, ſicut abſtuli à Saul*, &c. ita propria ſunt Salomoni ejuſque poſteris, ut Chriſto nequaquam applicari poſſint.

Aliquando, relicto typo, in progreſſu ſolus deſcribitur Chriſtus.

IX. Ab altera parte contingit nonnunquam, rariſſime tamen, prophetiam à ſenſu literali ac typico incipere, & ſub typo Chriſtum deſcribere; in progreſſu vero à typo recedere, Chriſtumque directe deſcribere; ita ut non amplius duplex ille ſenſus in verbis quæri debeat, ſed unus tantum, qui Chriſtum deſcribat: quia verba adeo ſunt eximia, ut nulli niſi Chriſto applicari poſſint; typo verò ſi quis ea applicare velit, ita extra propriam ipſorum ſignificationem detorquere debeat, ut quivis videre poſſit, interpretationem illam violentam, contortam ac quæſitam eſſe. Illuſtre habemus exemplum *Eſa.* LIII. Capite namque præcedente LII. propheta ſub typo liberationis populi ex captivitate Babylonica deſcribit liberationem ſpiritualem ex ſervitute peccati & mortis per Jeſum Chriſtum. In fine autem capitis, relicto typo, incipit directe antitypum, Jeſum Chriſtum, deſcribere; eamque deſcriptionem continuat *cap.* LIII. de Chriſto adeo eximia, ipſique ſoli propria dicens, ut nullo modo, ne quidem ſenſu improprio ac figurato, ulli typo applicari poſſint. Quod ſapientiſſimo conſilio feciſſe Deus videtur, ut fideles illius temporis doceret, in ſenſu literali, cujus tunc complementum dedit, non omne, quod prophetia illa promiſit, fuiſſe impletum; ſed majus aliquid atque illuſtrius illâ contineri, & ſub ſenſus literalis cortice latere; quod tum involutè indicare, & aliquatenus mentibus eorum inſinuare, cujuſque indagatione & exſpectatione animos eorum erectos & ſuſpenſos detinere voluit, donec ſuo tempore plenâ

plena & integra rei promissæ exhibitione id esset patefacturus. Hisce observatis, interpres non facile in prophetiarum explicatione errabit.

Scripturæ verba semper id omne significare, quod possunt, quo sensu admittendum.

X. Ex his jam facile colligere est, quid statuendum sit de sententia eorum, qui urgent, verba Scripturæ (nimirum θεόπνευστα quæ in textu originali occurrunt) quovis loco hoc omne significare, quod significare possunt. Sane si id intellectum velint, non de quibusvis verbis separatim sumtis, sed prout in contextu integro occurrunt, & de significatione, quam tota orationis series & contextus requirit, verissima est hæc sententia, & utroque pollice amplectenda. Deus enim, qui aptissimis verbis mentem suam exprimere novit, ea frustra adhibuisse censendus non est; ac proinde quodcunque pro cujusque loci circumstantiis verba ejus significare possunt, etiam illo loco significasse credendus est. Adeo ut non satis verborum divinorum reverentes se ostendant, qui, vim verborum locique circumstantias augustiorem admittere posse sensum agnoscentes, eum tamen repudiant, & in exiliori acquiescere cupiunt. Nisi enim magis eximium quid significare voluisset Deus, verba, quorum tota vis ac ἐνέργεια illo sensu exhausta foret, solummodo adhibuisset. Ita recte colligimus adversus Judæos, prophetiis contineri sensum multo sublimiorem ac illustriorem eo, qui olim secundum literam impletus est; quia verba, quibus conceptæ sunt, adeo sunt illustria, ut non nisi dilute admodum olim complementum suum habuerint; ideoque Deum multo illustrius quid illis significatum voluisse, cujus complementum in Jesu Christo, tanquam typorum & umbrarum antitypo & corpore, ostendit.

Quo sensu repudiandum.

XI. Si verò hac speciosâ suâ doctrinâ abuti velint, ad quasvis etiam maxime contortas, & à scopo auctoris alienas explicationes incrustandum, hoc unico prætextu, quòd verba in sese spectata sensum hunc continere possint; nullatenus sunt audiendi. Hac enim ratione explicationes non tantum longe petitæ & violentæ, sed & absurdissimæ, & non tantum sanæ rationi, sed & aliis clarissimis Scripturæ Sacræ locis directe adversantes, admittendæ forent. Cùm enim plurimæ sint voces πολύσημοι, plurimæ constructiones ambiguæ, quarum tamen significationes ex toto contextu clare & evidenter cognoscuntur, multæ sententiæ, quæ nude & in sese spectatæ alium longe sensum continere possunt, quàm occasio, quâ prolatæ sunt, quæ ex antecedentibus & consequentibus eruenda est, permittit: nunquam curiosis ingeniis prætextus deësse poterit sensum, quemcunque libuerit, Scripturæ verbis affingendi, & per multas consequentias ex Sacrorum Auctorum verbis sensum eliciendi, ab ipsorum mente quàm maxime alienum. Et sane, si explicationes illorum, qui hanc Scripturas interpretandi methodum urgent, penitius inspiciamus, comperiemus quasvis ex hoc fonte monstrosas manasse explicationes. Inde est, quod in Veteris Testamenti prophetiis, imo in variis illarum laciniis totum Novum Testamentum, imo res gestas Ecclesiæ, etiam posterioribus hisce temporibus, deprehendere se credant; interpretationibus adeo obscuris & involutis, contortis & longe petitis, ut à nemine, nisi ipsorum præjudiciis penitus imbuto, distincte percipi aut admitti queant. Inde tot alienæ & violentæ explicationes, quibus loca Scripturæ, aliud longe sonantia, ad particularium dogmatum, & quandoque veritatis contra communes religionis hostes, probationem trahuntur, quæ sensim paradoxis istis ingeniis ita allubescere incipiunt, ut, validioribus post habitis, in illis præcipuum veritatis præsidium ponant, magno sæpe veritatis præjudicio. Quod plurimis exemplis, si institutum nostrum ferret, ostendi posset.

Hac via non facilius confutantur errantes.

XII. Quod verò existimant hac methodo se validius hæreticos, quos vocant, refellere posse, qui omnes plenam verborum Scripturæ significationem restringere & attenuare soleant, ridiculum plane est: nam idem ipsis à vulgo ita appellatis hæreticis regeri potest. Ut id exemplo manifestum faciam: Ajunt, Remonstrantes id facere circa operationem gratiæ & Spiritus Sancti in nobis. Sane si simpliciter verba considerent, præsertim in locutionibus figuratis, nullo habito ad rem ipsam, neque scopum auctoris, respectu, fatemur, si plenam eorum vim urgere velint, posse ea ad ipsorum sensum torqueri: sed inquirendum ante omnia est, an totus Scripturæ contextus permittat, ut quicquid verba nude & in sese spectata, aut in sensu proprio significare possunt, etiam in contextu illo & in sensu figurato significare queant. Nos ultro & libenter fatemur, omnem sensum, quem verborum contextus admittit, etiam verum ac genuinum Scripturæ sensum esse: sed negamus, quia verba, nude & in se spectata aut in sensu proprio accepta, sensum quendam admittere possunt, eundem illa semper in sensu figurato, aut in contextu in quo occurrunt, admittere posse. Si vero sufficiat inquirere vim verborum in se spectatorum, alius illis objicere posset, ex verbis Pauli 1 *Tim.* IV. 16. *hoc faciens, teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt*, hominem primariam suæ proximique salutis esse causam, urgebitque vim & ἐνέργειαν vocis σώζειν, quæ id significare possit: sicque Scriptura sibi ipsi manifeste repugnabit. Nos utrumque improbamus, & sicuti Deum præcipuam ac primariam salutis nostræ causam agnoscimus, ita & hominis, præveniente Dei gratia excitati, liberam obedientiam non

 exclu-

excludimus, & ita optime conciliamus Scripturam, quæ jubet ut *salutem nostram operemur in timore ac tremore;* additque, *Deum in nobis operari & velle & perficere pro beneplacito suo.* Quæ conciliatio, admisso principio adeo absurdo, nullo modo institui potest. Quid vero auctores illi respondebunt ad loca, quæ à nobis allegari solent pro universalitate gratiæ Christi? Certum quippe est, quando Deus dicitur omnes velle servare, Christum pro omnibus, & totius mundi peccatis esse mortuum, ea verba in omni latitudine ac potentia sua non accipi, quando intelliguntur de generibus singulorum, aut de mundo electorum. Ne jam alia proferam. Ita ut in regula illa nihil illis sit præsidii, sed excogitata tantum videatur, ad contortas quasdam Scripturæ interpretationes palliandum, omnesque contra illas allatas rationes unico ictu præcidendum. Verùm cogitare debent, eodem gladio alios contra ipsos posse uti, & longe felicius; utpote quorum explicationes neutiquam sunt violentæ, & non tantum unius voculæ significationi, sed & toti contextui apprime consentientes.

Omnis Veritas non semper est verus Scripturæ sensus.

XIII. Alii docent, omnem verum sensum, id est, qui veritatem continet, etiam verum & genuinum esse Scripturæ sensum: tolerabiliore quidem errore, sed tamen non penitus excusando. Quanquam enim in Scriptura hac methodo sola veritas indagari doceatur, potest tamen hac via à vera & genuina Scripturæ explicatione facile aberrari. Non enim omne verum quovis loco dicitur, nec quivis Scripturæ Sacræ locus aptus est ad quamcunque veritatem adstruendum. Hinc videmus, plurimos auctores ad veritatis aut etiam particularium dogmatum suorum defensionem, variis Scripturæ locis pugnare, nihil ad rem facientibus, & violenter extra genuinum sensum detortis; uti à variis, non adversariis tantum, sed & ὁμοψήφοις ostensum est: qui tamen in perversa illa interpretatione sibi blandiuntur, quoniam sensum ex verbis illis eliciunt veritati consentaneum, quod etiam genuinum illorum sensum tradiderint. Interim veritatem hostibus ejus contemtui & despectui reddunt, qui, eam tam imbellibus armis propugnari videntes, præjudicium concipiunt tam contra veritatem ipsam, quàm contra alia validiora quibus defenditur, & de omnibus ex horum imbecillitate judicium faciunt. Quibus accedit tyrannis non ferenda, quâ non permittitur, ut aliqua loci cujusdam explicatio à celebri Doctore ad dogmatis alicujus defensionem excogitata, licet quàm maxime inconveniens, & nulla ratione nixa, imo ab adversariis solidissime confutata, in dubium vocetur, & genuinus illius sensus eruatur: quin & ingenua illa Scripturam interpretandi libertas in calumniam secreti cum veritatis hostibus consensus rapiatur. Cujus illustre habemus inter alia in Joanne Calvino exemplum, qui ob liberiorem interpretationem quorundam locorum, olim ad SS. Trinitatis & æternam Filii Dei existentiam propugnandum temerè arreptorum, miserè à Pontificiis vapulat, quasi Turcis patrocinetur: inde Reginaldi alvino-Turcismus profluxit. Utinam verò idem, ac multo pejus, ab ejus sequacibus ingenuis veritatis indagatoribus non objiciatur! intolerandâ sanè & Reformatis pudendâ tyrannide. Quasi veritatis proditor sit, qui accurato argumentorum habito delectu, ineptis rejectis, solis validis & invictis errorem profligare cupit; & qui argumenti cujusdam imbecillitatem ostendit, eo ipso veritatem ipsam deserat. Digni profectò tales, qui solidam ac veram Scripturæ intelligentiam, quam oderunt, nunquam assequantur, & in ignorantia, quam amant, consenescant. Illis meritò opponimus verba Andreæ Riveti Exercit. I. in Genesin. *Quis unquam æquus æstimator hæreseos crimen impegit ei, qui veritatem aliquam agnoscene & defendens, non tamen omnia, quæ ad eam probandam afferuntur à quibuslibet, argumenta indiscriminatim & sine delectu recipit; sed post legitimum examen, præcipuis contentus, alia vel omittit, vel etiam ingenuè ad rem non facere, ostendit? Quæ certe ratio agendi maxime valet ad veritatem non solum indagandam, sed etiam insinuandam.* Et Joannis Piscatoris in *Phil.* 11. 6. *Nequestatim hæreticus est, qui in loco aliquo Scripturæ exponendo à sententia veterum Orthodoxorum recedit: quum illorum expositio non sit regula fidei, nec illi genuinum Scripturæ sensum semper sint assecuti, quumque unius ejusdemque loci explicationes Orthodoxæ diversæ afferri possint, & vero sæpe ab interpretibus afferantur.* Ac tandem Davidis Paræi in *Genes.* 1. 1. *Op. tom. I. pag.* 22. *Sunt non pauci nec ignobiles, tam Pontificii quam Orthodoxi scriptores, qui in voce plurali Elohim, & ejus constructione cum verbo singulari, mysterium Trinitatis contineri, & firmum esse hoc tantæ rei argumentum adversus Judæos, dubitant vel negant: non ad Trinitatis mysterium infirmandum, quod pie tenent, sed ad illud firmius tenendum, & ab infidelium cavillis vindicandum. Nam (ut fatetur* Lutherus lib. de scholis constitu.) *incertis & detortis probationibus fidem tueri est hostibus & linguarum peritis Christianam fidem deridendam propinare, qui magis saltem in erroribus indurantur, & fidem nostram magna cum specie pro fabula traducunt. Et* Thomas *part.* 1. *quæst.* 32. *d.* 1. *& quæst.* 46. *a.* 2. prudenter scribit: *Cùm quis ad probandam fidem Christianam inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quòd hujusmodi rationibus innitamur, & propter*

eas

eas credamus. Quid verò est prophetias exstinguere, conscientiasque hominum spirituali tyrannide constrictas, humanarumque explicationum vinculis oneratas detinere, si hoc non est?

CAPUT X.

De Judice controversiarum fidei.

I. VErum ut distinctius de Scripturæ interpretatione dicamus, interpretandi potestas consideranda est. Interpres itaque distingui solet, quod alius sit publicus, alius privatus. Publicus est, qui pro auctoritate decidere potest quasvis de interpretatione Scripturæ dissensiones, cujusque judicio omnes acquiescere tenentur. Isque vel est summus, qui est Deus, supremus legislator; cujus enim est legem condere, illius etiam est judicio supremo ac absoluto pronuntiare de sensu legis: vel ministerialis; qui ex auctoritate supremi judicis pronuntiat, omnesque controversias cum potestate ac auctoritate, cui omnes acquiescere tenentur, decidit. Privatus est, qui sibi Scripturam interpretatur, ad propriæ conscientiæ directionem.

Interpres & vel privatus, vel publicus.

II Quæritur, an Deus in Ecclesia interpretem ejusmodi publicum ac judicem visibilem controversiarum fidei constituerit? Affirmativam tuentur Pontificii, & in Ecclesia, tanquam in civitate mundana, requirunt judicem visibilem, supremum, ac falli nescium, qui auctoritate suprema omnes de fide quæstiones decidat, cujusque decisioni omnes fideles acquiescere teneantur; neque ulli fas sit, judicium illius ad examen revocare, aut ad Scripturam expendere. Quis autem judex ille sit, de eo non omnes idem sentiunt. Alii enim soli Papæ judicium illud adscribunt; alii Concilio. Jesuitæ communiter soli Papæ hoc judicium vendicant; & licet etiam Concilio eam adscribant auctoritatem, non tamen id faciunt, nisi hac addita restrictione, ut Papa ei præsideat: ita ut omnia in solum Papam referant. Alii autem Concilio auctoritatem Papâ superiorem tribuunt, & potestatem etiam de ipso Papa judicandi. Ita ut in fundamentali suæ religionis capite, penes quem suprema judicandi potestas sit, non conveniant: ac proinde ipsos semper in sua religione incertos hæsitare necesse sit. Nos vero credimus, Deum nullum ejusmodi visibilem ac infallibilem interpretem ac controversiarum de religione judicem constituisse; sed omnibus ac singulis fidelibus Scripturæ interpretationem, ad propriæ conscientiæ directionem, commisisse, nullique potestatem concessisse suam interpretationem alteri tanquam legem præscribendi. Id quod hisce argumentis probamus.

Publicus, qui cum auctoritate interpretatur, nullus est in Ecclesia Christi.

III. Primo. Quia Deus nusquam in verbo suo significavit, se talem constituisse in Ecclesia judicem: multo minus quis ille judex sit: quod quam maxime necessarium fuisset. Ista enim una declaratio omnibus de fide dissensionibus finem imponere potuisset: & sine ista declaratione nemo hanc judicandi potestatem sibi arrogare potest. 2. Deus contraria jubet, quæ, posito istiusmodi judice, non tantum superflua sunt; sed & cum eo neutiquam consistere possunt: nim: non tantum ut ipsi Scripturam diligenter legamus, *Coloss.* III. 16. ut *scientiâ simus perfecti*, I *Cor.* XIV. 20. sed ut ipsi doctrinas inquiramus, & de iis judicemus. *Matth.* VII. 15. *Cavete vobis à falsis prophetis, qui ad vos veniunt induti vestimentis ovium, intus vero sunt lupi rapaces: ex fructibus cognoscetis eos.* I *Thess.* V. 21. *Omnia probate, quod bonum est retinete.* I *Joan.* IV. I. *Ne credite unicuique spiritui, sed probate spiritus utrum ex Deo sint.* Imo & sua, quæ scribebat Apostolus, à Corinthiis dijudicari vult, I *Epist.* X. 15. *Ut intelligentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico*: & requirit à fidelibus, ut *sensus* habeant *exercitatos ad discretionem boni ac mali*, *Hebr.* V. 14. 3. Laudantur qui Scripturas scrutati sunt, ut ex illis de annuntiationis Apostolicæ veritate judicarent. Sic nominatim laudantur Judæi Beroeënses, *Actor.* XVII. II. non tantum quod *quotidie Scripturas scrutati sint*; sed & ex iis inquisiverint, *utrum hæc* quæ Paulus prædicabat *ita se haberent.* Ex quibus colligimus, Deum Scripturam nobis reliquisse normam dirigentem conscientias nostras: non verò judicem aliquem visibilem conscientiis nostris præposuisse.

Quod probatur.

IV. In contrarium tamen conantur Pontificii sententiam suam rationibus aliquot confirmare. Prima ac principalis eorum ratio petita est à constitutione Ecclesiæ Judaicæ. Deus, inquiunt, judicem ejusmodi constituit in Ecclesia Judaica; *Deut.* XVII. 8, 9, 10, II, 12. Ergo & eum constituit in Ecclesia Christiana. Resp. Nos negare & antecedens, & consequentiam. Antecedens negamus: I. Non enim Deus dicto loco constituit judicem controversiarum fidei, sed civilium disceptationum, quando vid: lis est *inter sanguinem & sanguinem*, *causam & causam*, *lepram & lepram*. 2. Judex, quem illic Deus instituit, non est infallibilis, qualem nos hic requirimus. Imo, dicunt, esse infallibilem, quia mandatur obedientia illius decisioni, sub poena mortis. Resp. Ratio hujus præcepti est, ne Respublica, si quis summi judicis sententiæ se opponeret, turbetur: & hine necesse est, licet forte per errorem judex civilis in judicio erraverit, illi acquiescere: Quamvis enim eo in casu non

Non constituit Deus ejusmodi interpretem in Ecclesia Judaica. Explicatio Deut. XVII. 8. &c.

non rectè pronuntiaverit, non tamen auctoritas ejus contemnenda est; quia commune Reipublicæ bonum, ejus nempe tranquillitas, conservatur: cùm, si non rectè pronuntianti obedientiam detrectare liceret, quoniam unusquisque facile sibi blanditur, & jus à sua stare parte pronuntiat, nunquam judici obedientia præstaretur; atque ita lites, magno cum Reipublicæ incommodo ac confusione, forent æternæ. Alia autem est ratio controversiarum fidei, de quarum veritate homo in conscientia persuasus esse debet, antequam illis assentiri possit. Ut itaque has aliquis cum auctoritate decidere possit, oportet eum esse infallibilem, ut ita uniuscujusque conscientia tuto illi, tanquam oraculo divino, acquiescere possit. Judicem autem illum *Deut.* XVII. institutum non fuisse infallibilem, variis rationibus comprobatur. 1. Quia *Levit.* IV. 2, 3. *& seqq.* præscribitur sacrificium pro delicto sacerdotis per ignorantiam commisso, & per quam ignorantiam populum delinquere fecit. 2. Quia judicibus illis expresse mandatum fuit, ne *personam in judicio accipiant*, nec in judicio *plurimorum acquiescant sententiæ, ut à vero devient*, *Exod.* XXIII. 1. *&c. Levit.* XIX. 15. 3. Quia *Malach.* II. 8. reprehenduntur acriter, quod *recesserint de via, & plurimos scandalizaverint in Lege.* Unde non tantum errare potuisse, sed & graviter nonnunquam erravisse & peccasse liquet. 4. Idem evincitur ex injusta prophetarum condemnatione, qui ab ipsis condemnati, occisi & lapidati sunt, *Matth.* XXIII. 37. & præcipue ex condemnatione Servatoris nostri seu Christi; quem, ut blasphemum condemnatum, Pilato tradiderunt crucifigendum. Quo fœdior impietas & in judicando perversitas excogitari non potest. Sed inquiunt? voluit Deus, ut tum infallibile illud senatus Judaici judicium desineret, quia hora instabat, quâ Synagoga Judaica desineret. Resp. 1. Gratis id dici; unde enim de voluntate ista divina constat? 2. Oportuisset Deum non tantum senatum, sed & populum de eo monuisse: aliàs non peccassent in Domino Jesu condemnando: utpote qui scirent, ex promisso divino se in judicando errare non posse: & populus, se eorum judicio, sub pœna mortis, obtemperare debere. 5. Non obstante hoc synedrio illiusque judicio, in populo judaico fuere dissidentes sectæ Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum, inter quos dissensus fuit, non de re levicula, sed de maximi momenti articulo, resurrectione mortuorum. Quin & Sadducæorum quidam, qui resurrectionem mortuorum negabant, aliquando partes synedrii fuerunt.

V. In contrarium tamen urgent, quod legitur *Malach.* II. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore* *Malach.* II. 7. *ejus: quia angelus Domini exercituum est:* Resp. 1. Non hic docetur, scientiam legis semper penes Sacerdotes fuisse; sed, eorum officium esse, ut legis scientiâ instructi sint, ita ut apti sint populo quærenti ex lege respondere. Quia *vers.* 8. reprehenduntur, quòd *recesserint de via, & plurimos scandalizaverint in lege.* 2. Esto, scientiam legis tribui sacerdotibus, non tamen exinde sequitur, quòd in judicio suo de sensu legis errare neutiquam potuerint; aut quod populus illorum responsis, sine ulla legis ulteriore indagatione, acquiescere teneretur.

VI. Putant autem se id evincere posse ex verbis Domini seu *Matth.* XXIII. 2, 3. *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerunt vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Resp. 1. In *cathedra Mosis* dicuntur *sedere*, quia populum docent, sicut Moses, non autem æquali cum potestate ac Moses. 2. Quia doctrinas suas tuentur auctoritate Mosis. 3. Vox πάντα, quæ servari Dominus vult, non significat omnia in genere quæ præcipiunt, sine ulla exceptione, sed quæ legi Mosis consentanea præcipiunt: restringenda enim vox est ad subjectam materiam: perinde uti *Coloss.* III. 20, 22. ubi filiis & servis præcipitur, ut parentibus & dominis obediant *in omnibus*; quod tamen res ipsa, aliaque loca docent, restringendum esse, quatenus præceptis divinis non repugnantia præcipiunt. Aliàs Dominus sibi ipsi contradixisset, cùm caveri jubet à fermento Pharisæorum, hoc est, à doctrinis ipsorum falsis & legi contrariis, quas *Matth.* XV. & XXIII. prolixe taxat: quasque hoc loco per *opera eorum* intelligit, id est, opera, quæ ipsi excogitarunt, & pro auctoritate sua aliis observanda imposuerunt; opposite iis, quæ in cathedra Mosis sedentes, hoc est, ex lege Mosis, præcipiunt. *Matth.* XXIII. 2, 3.

VII. Sed vero, licet concederemus ejusmodi judicem controversiarum ac infallibilem legis interpretem in Ecclesia Judaica à Deo fuisse constitutum: nulla cum specie exinde inferri potest, Deum etiam in Ecclesia Christiana ejusmodi visibilem ac summum judicem constituisse, nisi Deus in Scriptura ejusmodi judicem clare designaverit: quod nusquam factum legimus. Dicunt: Si non sit ejusmodi judex in Ecclesia Christiana constitutus, tum Christus non tam bene prospexit Ecclesiæ, sponsæ suæ, sub Novo Testamento, quàm Deus olim sub Vetere. Resp. 1. Quia Deus aut Christus talem judicem in Ecclesia non constituit, concludendum est, absque ejusmodi judice melius Ecclesiæ esse prospectum, quàm si illi talis judex præpositus foret. *Nec exinde sequetur, etiam in Ecclesia Christiana eum esse institutum.*

2. Alia

2. Alia est ratio populi Israëlitici, alia Christiani. Populus Israëliticus in una terra habitabat, nec tantum Ecclesiam, sed & Rempublicam constituebat: ideoque judice visibili indigebat, qui omnes lites civiles summa auctoritate decideret, ut pax civilis in Republica conservari posset. Populus vero Christianus est per totum terrarum orbem diffusus, nec ullam per se Rempublicam constituit, sed tantum per accidens, quatenus populus est, aut pars populi alicujus: non itaque indiget visibili judice. Populus Israëliticus populus erat carnalis, cui multa promissa carnalia erant data, quæ ut tranquille consequerentur ac possiderent, judice aliquo supremo opus erat. Populus Christianus ingenuus est ac liber, à quo Deus cultum rationalem exigit, & legis suæ diligentem inquisitionem: nulli itaque judici, nisi capiti suo Jesu Christo, subjectus, cui fidei ac vitæ suæ rationem reddere tenetur.

Deus nihilominus satis prospexit fidelium saluti.

VIII. Dicunt: Si Deus in Ecclesia non constituit ejusmodi visibilem judicem, non satis prospexit fidelium saluti. Resp. Imo sufficienter illi prospexit, quia normam fidei ac morum plenam ac perfectam dedit, omnia clare ac perspicue continentem ad salutem necessaria; ex qua unusquisque salutis suæ amans plene haurire potest omnia, quorum cognitio, ut salutem consequatur, est necessaria. Dices. Sed de sensu ejus lis est. Resp. 1. Non est lis de sensu dogmatum præcise ad salutem necessariorum: abunde autem fidelium saluti prospectum est, quando omnia ad salutem necessaria clare revelata sunt; licet alia, non præcise necessaria, obscurius sint proposita. 2. Verus Scripturæ sensus ex Scriptura ipsa hauriri potest; & unusquisque fidelis eum ex Scriptura haurire debet, eumque sequi, quem, omnibus rite perpensis, verum Scripturæ sensum judicat. Dices. Hac ratione lites erunt æternæ: quia in tanta judiciorum varietate fieri nequit, quin diversitas sit interpretationis Scripturæ; & si nemini cum auctoritate decidendi potestas concessa sit, nemo alterius interpretationi cedet. Resp. Esto; sint dissensiones æternæ, non tamen necesse est lites & animorum discordias esse æternas: potest esse inter bonos de veritate dissensus, salva charitate ac animorum unione. Noluit Deus, ut omnes de religione dissensiones potestate aliqua coactiva finirentur in hoc seculo; sed dissentiendi libertatem permisit, ut fides & charitas nostra exploretur: juxta 1 *Cor.* XI. 19. *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Dices. Attamen ubi norma est, ibi est judex, qui secundùm normam illam sententiam pronuntiat. Resp. Judex ille est Deus, & Jesus Christus, Ecclesiæ caput, & à Deo Patre constitutus judex vivorum ac mortuorum, qui de uniuscujusque fide ac vita sententiam est pronuntiaturus. Sed quæritur, an, præter illum judicem supremum, alius illi subordinatus in terris judex sit constitutus, qui cum auctoritate quæstiones fidei decidat? Quod negamus.

Quo sensu Ecclesia vocatur columna & firmamentum veritatis.

IX. Præter hæc, locis quibusdam pugnant Pontificii, quibus Ecclesiæ, hoc est, Papæ Romano, hanc judicandi auctoritatem demandatam contendunt. Præcipuus est 1 *Tim.* III. 15. ubi Ecclesia vocatur *columna & firmamentum veritatis.* Resp. 1. Verba hæc aliter distingui posse, ut *columna & firmamentum veritatis* non referatur ad verba præcedentia, sed ad sequentia; hac ratione: *Si tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna & firmamentum veritatis,* & manifeste magnum pietatis est mysterium, Deus manifestatus in carne,* &c. Atque ita longe alius est, & egregius sensus, quò non Ecclesia, sed mysterium illud pietatis, quod ultimo versu explicatur, vocatur columna ac firmamentum veritatis; id est, veritas quæ columnæ ac firmamenti instar est, quæ stabilis & perennis erat duratura, opposite ad fœdus Mosaicum, quod umbratile erat, & accedente corpore, quod adumbrabat, evaniturum. 2. Etsi verba juxta vulgarem distinctionem legantur, nihil tamen in illis est pro auctoritate Ecclesiæ infallibili: quia Ecclesia, uti ordinarie in Scriptura, hic non significat Ecclesiæ Doctores, seu Ecclesiam repræsentativam, ut Pontificii loquuntur, sed Ecclesiam auditorum, contradistinctè à doctoribus: quia Timotheus, ut Doctor, in ea dicitur versari: ut Doctor autem versabatur in Ecclesia, quatenus ex auditoribus constat. 2. Deinde; quia Ecclesia vocatur *domus Dei*: nunquam autem Doctores vocantur domus Dei, sed domus Dei architecti; *Eph.* IV. 11, 12, 13. & ut tales ab Ecclesia distinguuntur. Atqui Ecclesiam hoc sensu acceptam errare non posse, aut controversiarum judicem esse, Pontificii non concedent. 3. Loquitur Apostolus de Ecclesia particulari Ephesina, in qua Timotheus ut Episcopus versabatur. Atqui particularis Ecclesia, juxta Pontificios, errare potest: nec illi auctoritatem de controversiis fidei judicandi concedunt. 4. Ostendit Apostolus, non, Ecclesiam veritati aliquam conferre auctoritatem, sive in se sive cum respectu ad nos considerataе; sed Ecclesiam, quatenus vere fidelium fidemque profitentium cœtus est, veritatem, alias inter homines collapsuram ac evaniturum, conservare ac sustinere; perinde uti columnæ ædificium sustinent. Si enim nulli exstent fideles, qui veritatem professione sua propagent, brevi evanitura est inter homines.

 X. Por-

Sponsa Christi.

X. Porro argumentantur, quod Ecclesia vocetur *Sponsa Christi*, *Apoc.* XXI. 2 Resp. Vocatur sponsa, non quia auctoritatem habet in fideles, sed ob mutuum amorem inter ipsam & Christum sponsum suum. 2. Sponsa adhuc est virgo, nullosque adhuc liberos habet quibus imperet: solummodo agnoscit sponsum, tanquam dominum suum. 3. Quid hoc ad Papam Romanum, aut Ecclesiam repræsentativam? Illa enim, non est sponsa Christi, sed omnium fidelium Ecclesia; nec Papa Romanus magis sponsa Christi est, quàm quivis fidelis: & si impius sit, non est sponsa. 4. Sponsa Christi aliquando denotat particularem Ecclesiam, 2 *Cor.* XI. 2. 5. Ecclesia *Apoc.* XXI. 2. vocatur sponsa Christi, quia aliquando sponsa & uxor Christi futura est.

An vocetur mater omnium nostrum.

XI. At *Gal.* IV. 26. vocatur *mater omnium nostrûm*. Resp. Ecclesia non vocatur omnium nostrûm mater, sed cœlum, in quod Ecclesia recipienda est: vocatur enim ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ; Quod non denotat Ecclesiam quæ originem habet cœlestem; tum enim scribi deberet ἄνωθεν: sed cœlum ipsum, quod sursum est; opposite ad Hierusalem in terris, quod montibus Arabiæ vicinum erat. Sed vero, de his aliisque locis in sequentibus, quando de Ecclesia ejusque infallibilitate agemus, fusius disserendi locus erit.

CAPUT XI.

De Norma interpretandi Scripturas.

Nulla est norma interpretationum extra Scripturam.

I. SEd vero, quæritur porro, an non in Ecclesia exstet visibile aliquod Judicium, cui, tanquam normæ certæ, omnes Scripturæ interpretationes accommodandæ sunt, & ex qua genuinas Scripturæ interpretationes à spuriis ac falsis dignoscere possimus ac debeamus? Pontificii ejusmodi normam extare volunt, eamque esse Scripta Patrum, seu antiquorum Ecclesiæ Doctorum, & decreta Conciliorum. Nos vero neutris eam auctoritatem adscribendam contendimus.

Non scripta Patrum: Quia ex iis illorum sententia de controversiis hodiernis cognosci nequit.

II. Scripta Patrum non esse normam interpretationis Scripturæ, nec controversiarum, quæ hodie inter Christianos agitantur; duobus potissimum argumentis evincimus. Primum est: Quia ex Patrum scriptis dignoscere non possumus, quænam fuerit eorum sententia super hodiernis controversiis: quod variis argumentis comprobamus. 1. Quia pauca tantum nobis supersunt scripta Patrum, qui tribus prioribus seculis vixerunt; ex quibus tamen potissimum, quæ primitivæ Ecclesiæ fuerit sententia, hauriendum foret. 2. Quæ ex illis supersunt, non agunt de capitibus hodie controversis, sed potissimum contra Judæos & Ethnicos religionis Christianæ veritatem ac divinitatem adstruunt, aut hæresibus quibusdam, jamdudum exoletis, refutandis occupantur: & si quæ in illis occurrunt, quæ controversiis hodiernis applicari possunt, ea obiter tantum & aliud agentes, attingunt. 3. Plurima nobis obtruduntur, quæ Patrum non sunt. 4. Variis in locis Patrum scripta adulterata & mutilata sunt: adeo ut magnâ diligentiâ ac judicio opus sit, genuina à spuriis dignoscendi. 5. Disceptatur de genuino sensu Patrum, non minus quàm de genuino Scripturæ sensu: hinc videmus, diversis opinionibus addictos, singulos pro se Patrum sententias allegare, imo easdem sententias utrosque in suæ opinionis stabilimentum adducere. 6. Non omnes proposuêre sententias suas scripto, sed multi nihil scriptis mandarunt. Ex scriptis itaque, quæ habemus, colligere tantum possumus, quænam paucorum horum Patrum, non vero omnium, sententia fuerit. Atqui sæpe homines doctiores, moderatiores, & pietatis ac modestiæ Christianæ studiosi, nihil scriptis mandant, doctrinas suas ad populi instructionem ore proposuisse contenti.

Nec eorum scripta norma Scripturam interpretandi esse possunt.

III. Secundum est: Etiamsi certi simus de Patrum super hodiernis controversiis sententia, non tamen eorum scripta regula esse possunt, ad quam controversiæ religionis explorari debeant. 1. Quia omnes ac singuli Patres errare potuerunt: imo vix quisquam est inter patres, quin aliquis saltem illius error reprehendatur, etiam ab ipsis Pontificiis. Ignatius eos, qui die dominico aut sabbatho jejunant, uno sabbatho Paschatis excepto, interfectores esse J. Christi dixit. Justinus Martyr, solem primitus à Deo datum esse, ut odoraretur. Irenæus, animas corporibus solutas manibus ac pedibus præditas esse. Clemens Alexandrinus, Legem Mosis Judæis, Philosophiam vero gentibus ante Christi adventum suffecisse ad salutem. Tertullianus secundas nuptias damnavit, Chiliastarum sententiæ adhæsit, & parvulorum batismum improbavit. Origenes variorum errorum accusatus est, præsertim, quod diabolos tandem salvandos docuerit. A quibusdam tamen fama illius ab istis criminationibus vindicata est. Cyprianus, baptizatos ab hæreticis rebaptizandos, & in cœna aquam vino admiscendam esse docuit. Arnobius, animas non à Deo creari, & impiorum ac sceleratorum prorsus annihilari, statuit. Lactantius Jesum Christum Deum non esse ex professo docuit. Ne de aliis sequentium seculorum quicquam addamus. Si vero omnes ac singuli errare potuerunt, etiam omnes in universum; non enim ex membris errori obnoxiis universitas, quæ omni erroris periculo careat, colligi potest. 2. Negant ipsi Patres, utpote sortis suæ ac infirmitatis humanæ sibi conscii, assertionibus suis absolute standum esse.

Epist. III. ad Fortunatianum.

Illustris inter alios est locus Augustini in hanc rem: *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.* 3. Aliquando inter se dissentiunt Patres, non tantum in minoris momenti rebus, sed & quæ Romana Ecclesia majoris momenti judicat; uti de celebrationis Paschatis, de rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptizati sunt, de Processione Spiritus S. &c. Atqui judices ut sint, oportet unanimes esse: aliàs ad quos nobis convertendum sit in dubiis ac obscuris, incerti erimus. 4. Ipsi Pontificii, si quæ sunt in Patrum scriptis ipsorum placitis repugnantia, nulla religione respuere sunt soliti: quod plurimis exemplis demonstrari posset. 5. Tandem, si scripta Patrum norma sunt, ad quam omnes hodiernæ de fide controversiæ & discrepantes Scripturæ interpretationes expendendæ sunt, nemo de controversiis hodiernis judicare poterit, nisi qui omnia Patrum scripta accurate evolverit, ex iisque omnium ac singulorum sententias cognoverit. Atqui istud infiniti est laboris, ad quem unius hominis vita vix sufficiat, propter ingentem librorum multitudinem, præsertim si sequentium seculorum Patres unà comprehendantur. Atqui quid tum, fiet plerisque fidelibus, quibus ad ea evolvenda nec facultas nec otium est? Pendere debent à judicio ac fide eorum, qui se ea evolvisse jactant. At quàm incertum id sit, præsertim in tanti momenti negotio, ubi æternæ salutis causa agitur, nemo non vidit. Et alium in finem hoc excogitatum non videtur, nisi ut plebi omne de religione judicium adimatur, doctoribusque fidelium conscientiæ subjiciantur, ut iis pro libitu dominentur.

Nec Conciliorum decreta.

IV. Sed nec Conciliorum decreta controversiarum norma esse possunt. 1. Enim, Conciliorum Acta non pervenerunt incorrupta ad nos, ut ex iis, quæ eorum fuerit genuina sententia, cognoscere possimus: sed multis in locis adulterata sunt, imo quædam plane sunt fictitia, ut Canones Antiochenæ & Apostolicæ Synodi, tum & Concilii Romani, anno CCCXXIV. & Sinuessani, anno CCCIII. 2. Licet incorrupta ad nos pervenissent, non tamen fidei controversias decidere possent: quia omnium Conciliorum decreta errori sunt obnoxia. De particularibus Conciliis id concedunt Pontificii; de universalibus autem negant. Nos dicimus eandem illorum, quæ illi universalia vocant, cum particularibus esse conditionem. 1. Nulla enim unquam generalia fuere celebrata concilia, sed particularia, ex paucis tantum conflata Episcopis, si conferantur cum ingenti Episcoporum ac Doctorum numero, qui illis non interfuerunt. 2. Licet vere fuissent universalia, errandi tamen periculo non caruissent; non enim à particularibus distant, nisi numero: numerus autem infallibilitatem non confert: ex membris enim errori obnoxiis universitas ab errandi periculo immunis coalescere nequit. Exemplum habemus in Conciliis Ariminensi & Seleuciensi, in quibus sententia Arii à mille & amplius Episcopis fuit approbata. 3. Semper constitêre ex parte adversa, quæ, in propria causa judex sedens, suam sententiam confirmat, & adversariam condemnat, nullo habito respectu veritatis. Hinc videmus Synodos semper decrevisse ad placitum Imperatorum; quia Imperatores nullos ad Synodum vocarunt, nisi quos sententiæ suæ addictos, aut quos ad nutum suum sententias suas accommodaturos noverant. Si qui forte alii vocati fuerunt, minis & suppliciorum intentatione actis Synodi subscribere sunt coacti: cujus in ipsa Synodo Nicena habemus exemplum, apud Socratem *Hist. Eccles. lib. 1. cap. v.*

Nec propterea tota Ecclesia erraret.

V. Objiciunt in contrarium: Si Synodus œcumenica posset errare, etiam totam Ecclesiam erraturam. Resp. Consequentia illa negatur; quia ex tota Ecclesia non constat Synodus, sed ex paucis ad eam delegatis aut vocatis Episcopis: possunt autem illi errare, & interim fides ab Episcopis ac doctoribus ad Synodum non vocatis, quin & ab ipsa plebe, pura & incorrupta conservari. Contingit enim nonnunquam auditores, simpliciter Scripturæ adhærentes, sincerius de fide, quàm ipsos Doctores, sentire, qui ingenio ac doctrinæ suæ nimium fidentes, à fidei simplicitate aberrant. 2. Sed concesso, Ecclesiam universam in dogmate quopiam erravisse, quid in eo absurdi? Sane ea est Ecclesiæ in his terris conditio, ut non tantum circa fidem errare, sed & plane à fide deficere possit: quod variarum Ecclesiarum tristi exemplo comprobari potest. Sed de hisce alias.

VI. Ex hisce constat, nullum ejusmodi publicum judicium visibile in Ecclesia extare, quod omnes fidei controversias cum auctoritate decidat. Quæres: Quis ergo sit judex, qui genuinum Scripturæ sensum à falso discernat? Resp. Unusquisque fidelium: quia uniuscujusque salus æterna agitur, & unusquisque pro se Deo fidei ac vitæ suæ rationem redditurus est; ideoque & pro se unusquisque de vero Scripturæ sensu judicare debet. Estque id judicium discretionis

nis solummodo, quod sibi verum Scripturæ sensum à falso discernit, ad propriæ conscientiæ directionem; non auctoritatis, qua alteri suum sensum ut necessario sequendum præscribit; juxta *Rom.* XIV. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.*

Etiam licet publicum admittamus interpretem.

VII. Imo etiamsi statuatur visibilis ejusmodi omnium controversiarum judex, tamen in hoc judicium discretionis omnes controversiæ tandem resolvi debent. Judicis enim illius judicium nullum apud nos pondus habere potest, nisi statuamus, nos obligatos esse ipsius decisioni nos subjicere. Nemo enim sententiæ illius acquiescet, nisi, rite examinatis Scripturæ Sacræ locis quibusdam, statuat per illa se ad judicem ejusmodi remitti, cujus judicio se submittere teneatur. Non enim judex ille ipse decidere potest, locorum illorum hunc esse sensum. Adhuc enim judicis illius auctoritas inquiritur, qui in propria causa decidere non potest; & licet decideret, non tamen ejus decisio vim constringendi haberet, quia constringere non potest, nisi illum, qui auctoritatem ejus jam agnoscit. Si autem maxima hæc quæstio, ergo etiam omnes in judicium discretionis cujuscunque fidelis resolvi debent: quia in hujus unius quæstionis decisione omnium aliarum decisio virtute continetur. Itaque & ipse Pontificius tandem omnes quæstiones in privatum suum judicium resolvere debet. Hoc solummodo inter ipsum & Reformatum est discriminis; quod Pontificius, semel principali hâc quæstione decisâ, in ea omnes deciderit, & porro securus judicis supremi, sive ille Papa sit, sive Concilium, decisioni acquiescere possit: Reformatus vero, qui ejusmodi judicem non agnoscit, in omnibus controversiis decidendis proprium judicium adhibere debeat, & verbum Dei scrutari, ut illius sensum cognoscat.

Explicatio 2 Pet. 1. 19.

VIII. Sed objiciunt, Petrum dicere, Scripturam non esse *propriæ interpretationis*, 2 *Epist.* I. 19. Resp. Agitur speciatim de Prophetiis Veteris Testamenti: eæ dicuntur non esse ἰδίας ἐπιλύσεως. Quid id significet, accuratius inquirendum. Quidam credunt verborum horum sensum esse; Prophetias non fuisse proprio Prophetarum instinctu prolatas: hinc conjiciunt legendum ἰδίας ἐπηλύσεως, quod est, proprii impetus seu insultus; & tum apte conveniunt verbis sequentibus: *Non enim propriâ voluntate allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Verùm quoniam nulla codicum auctoritate nititur hæc lectio, in ea acquiescere non possum. In extrema necessitate, quando communis lectio nullum tolerabilem sensum admittit, aliquando conjecturæ ejusmodi adhiberi possunt. Verùm non nisi caute admodum ac parcissime eo confugiendum, ne audacibus hominibus pro arbitrio textum sacrum immutandi ansa detur.

Explicatio quorundam rejecta.

IX. Alii itaque ἐπίλυσιν interpretantur *missionem*, seu potius *dimissionem*. Quia enim prophetæ dicuntur currere, ut: *cucurrerunt, ego vero non misi eos*, credunt hic esse metaphoram ductam à cursoribus, qui solutis repagulis erumpebant ad cursum. Et sicut cursores legitimi in cursum sese non effundunt, nisi signo ab aliis dato & repagulis remotis: ita etiam Prophetæ tum demum legitime currebant, quando à Deo, qui est quasi ἀφέτης, (quo nomine is olim appellabatur qui repagula removebat) mittebantur. Verùm explicatio illa dilutior est, quàm ut actioni Dei, quâ circa Prophetas, cùm eos mittit, occupatur, applicari possit. Significat ea potius dimissionem, & ad summum concessionem potestatis ad prædicandum: Prophetæ autem à Deo expresse mittuntur. Hoc arguunt omnia illa Veteris Testamenti loca, ubi Deus Prophetas expresse *mittere* dicitur; quibus adde alia, in quibus de falsis prophetis conqueritur, quod *non miserit illos:* in quorum nullo apud LXX. interpretes occurrit vox ἐπέλυσα, sed in omnibus vox ἀπέστειλον, aut ἀπέσταλκα. Eaque missio divina non tantum prædicandi facultatem dat, sed & necessitatem imponit. Adeo ut maxima inter cursores & Prophetas differentia sit. Apertis carceribus, cursoribus facultas dabatur ad currendum, & tum legitime currere poterant: sed facultate illa data nemo lege ulla ad currendum constringebatur: gloriæ stimulo aut præmii spe incitati sponte in cursum ruebant: poterant autem absque ullius legis violatione intra apertos carceres, siquidem vellent, immoti consistere. Sed quando Deus prophetas spiritu suo afflat, eos de voluntate sua instruit, simulque mandatum dat ac necessitatem imponit prædicandi. Nam, inquit Apostolus 1 *Cor.* IX. 16. *si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Ideo & Deus Mosi ob nimiam cunctationem est indignatus, *Exod.* IV. Jonam nequicquam retrectantem & fugientem retraxit, & tantum non ad prophetandum adegit. Quin semper mandata Prophetis dedit: hinc & verba sua *in eorum ore ponere* dicitur, *Deut.* XVIII. 18. & graves nonnunquam comminationes adhibet, nisi verbum sibi revelatum hominibus annuntient; ut *Ezech.* III. 17, 18. *& seqq.* Non ergo Deus tantum dimittit prophetas, tanquam cursores ad currendum paratos; sed & spiritu suo instruit, & instruendo mittit; ita ut à spiritu divino acti locuti fuerint; uti Petrus hoc in loco ait.

X. Alia

Vera loci illius explicatio.

X. Alia itaque loci hujus explicatio adhibenda est. Possumus ergo ἰδίαν ἐπίλυσιν interpretari, *propriam interpretationem*; non tamen, uti Pontificii contendunt, ut ἰδία ἐπίλυσις sit privata interpretatio, opposita interpretationi publicæ, quæ fit à Doctoribus aut Papâ, tanquam judice: quasi sensus sit: Nullam Scripturæ interpretationem fieri posse ab homine privato. Nusquam enim, uti vidimus, ea auctoritas Ecclesiæ concessa est. Sed ἰδία ἐπίλυσις est explicatio, quæ fit ex proprio cerebro, opposita explicationi, quam Spiritus Sanctus in Scripturis revelavit. Atque hoc sensu verba hæc optime cum antecedentibus & consequentibus cohærent. In antecedentibus quippe Apostolus, fidelibus divinitatem Euangelii commendans, duobus eam adstruit argumentis; primo, testimonio divino per vocem cœlitus demissam, quam se audivisse testatur: Deinde testimonio Prophetarum Veteris Testamenti, quorum prophetias ut diligenter evolvant eos hortatur: easque vocat βεβαιότερον λόγον; quoniam nunc revelato Euangelio earum complementum videntes, validius per eas de veritate religionis Christianæ convincuntur. Ut autem distinctius percipiant, qua ratione Euangelium per prophetias confirmetur, eas comparat lucernæ lucenti in obscuro loco; illud autem phosphoro ac diei: quia prophetiæ, ante Euangelii prædicationem, obscuram quandam de Christo cognitionem præbebant; qua quidem excitabantur pii in populo Israëlis, ut redemtorem exspectarent: non tamen rationem muneris ipsius ex illis, nisi admodum imperfecte, percipiebant: lux ergo, quam ex illis fulgere deprehendebant, debilis admodum erat, & lucernæ instar: Euangelium vero instar diei plenam adfert lucem, quod omnes tenebras dispellit, & obscuritatem in prophetiis reliquam tollit: adeo ut, cùm jam per lucem Euangelii illustratæ sint, earum sensus, quin & salus nostra ac eam consequendi ratio, distincte percipiatur. Hoc autem confirmat verbis sequentibus: Prophetia non est ἰδίας ἐπιλύσεως, hoc est, non debet prophetiarum explicatio fieri ex proprio cerebro, quales prophetiarum explicationes faciebant & etiam hodie faciunt Judæi increduli, sensum illis affingentes à mente Dei alienum: sed juxta revelationem per Spiritum Sanctum in Euangelio factam, qui earum sensum Apostolis revelavit. Quo sensu vox ἴδιος legitur *Joan.* VIII. 44. & *Rom.* X. 3. Idque sequenti ratione egregie illustratur, quod voluntate humana non sit aliquando allata prophetia; sed quòd Spiritu Sancto inspirati locuti sint Sancti Dei homines: Sicut enim prophetiæ de Christo voluntate Prophetarum non sunt allatæ, neque pro ipsorum arbitrio ex proprio cerebro effictæ, sed à Spiritu Sancto ipsis inspiratæ; ita etiam earum revelatio per eundem Spiritum Sanctum fieri debet: qui, sicut eas prophetis inspiravit, ita & earum sensum Apostolis revelavit. Exinde vero minime sequitur, quod Novi Testamenti scripta, in quibus prophetiarum sensus, antea obscurus, jam est revelatus, & Christus, per prophetas sub figuris & umbris delineatus, plenissime patefactus, non possint ab homine privato intelligi: quod enim antea obscure erat propositum, nunc clare & plene est revelatum, ut à quovis salutis suæ studioso intelligi possit. Multo minus inde deduci potest, quod Novi Testamenti explicatio, & quidem in necessariis ad salutem, haberi nequeat, nisi à judice quodam visibili, qui interpretationem suam cum dictatoria potestate aliis præscribat.

Qua ratione idiotæ se expedire possint.

XI. Quærunt: Quomodo itaque idiotæ se ex omnibus controversiis expedire possint? Resp. Non est necesse, ut ex omnibus se controversiis expediant: sufficit ut adhæreant necessariis ad salutem: hoc autem illis facile est, quia Scriptura hæc plene & perspicue tradit. In reliquis sapiant ad sobrietatem, neque temere quicquam definiant. Si quid ex Scriptura se didicisse credant, alios minus perspicaces ne condemnent; sed infirmitatis humanæ conscii, cum omnibus, qui Dominum invocant puro corde, pacem & tranquillitatem colant. Ita nec incerti fluctuabunt, nec aliorum dominationi serviliter erunt subjecti.

Sententia Contraremonstrantium de normâ secundariâ refutatur.

XII. Quod Contraremonstrantes attinet, illi in hoc capite consentanea non docent. Volunt unicuique fidelium competere judicium discretionis de controversiis fidei: interim Ecclesiæ concedunt judicium aliquod definitivum, quod tamen sit tantum judicium discretionis, nec fideles ulterius obliget in foro conscientiæ; quam persuasi fuerint de ejus consensu cum Scripturis. Et hinc est, quod formulas Ecclesiarum, Confessiones puta, Catechismos, ac Decreta Synodorum, tanquam normas fidei secundarias obtrudant. Verùm hæc pugnantia sunt, Ecclesiæ judicium esse tantum discretionis, & tamen definitivum. Judicium enim discretionis alteri nihil præscribit; sed illi tantum, qui discernit, ad propriæ conscientiæ directionem inservit: Definitivum vero auctoritate quadam superiore obligat, & credendi norma est. Distinguere hic inter normam primariam & secundariam, ineptum est. 1. Norma enim secundaria plane superflua est, quando præ manibus est norma primaria, omnia ad salutem necessaria plene ac perspicue continens: qualem Reformati Scripturam agnoscunt. 2. Norma illa, nomine secundaria, revera est primaria. Quia quod Scriptura indecisum reliquit, hoc est, verbis adeo amplis ac laxis enuntiat,

 tiat,

tiat, ut pluribus sensibus accipi possit, ipsa determinat, & uno solummodo sensu necessario accipiendum dictat: atque ita fideles adstringit, ad aliquid credendum tanquam à Deo in Scriptura revelatum, de quo an Scriptura id revelaverit, persuasi non sunt. Quod reverà est, judicium arrogare Scriptura majus. Et sane ejusmodi aliquando utuntur loquendi formulis, quæ per imprudentiam ipsis excidunt, quibus formulas suas Scripturæ θεοπνεύστω tantum non præferre videntur. Tale inter alia est, quod Interpretes Novæ Versionis Belgicæ, in argumento Epistolæ ad Romanos in fine, dicunt; Apostolum in illa Epistola in tradenda doctrina Christiana eadem methodo usum, quæ in Catechesi Heidelbergensi observatur: perinde ac si Paulus methodum à Catechesi, & non Catechesis à Paulo, mutuata esset. Nolo ipsis tantam imputare vesaniam: sed nimia scripti humani æstimatio hanc incogitantiam minime excusandam produxit.

Norma consensus non est diversa à norma veritatis. XIII. Dices. Formulæ illæ non sunt norma veritatis, sed consensus. Resp. Norma consensus reverà est norma veritatis; non enim alius debet urgeri consensus, nisi in veritate. Dices. Norma ejusmodi necessaria est, ut hæretici possint dignosci ab orthodoxis: omnes enim Scripturam admittunt fidei suæ regulam. Resp. 1. Non omnes Scripturam fidei regulam agnoscunt, ut Spirituales: vel non solam, ut Pontificii, qui Scripturæ traditiones non scriptas adjungunt. 2. Norma talis reverà est norma veritatis: non enim quisquam hæreticus pronuntiari potest, nisi à veritate salutari aberrans. Si itaque ex norma illa hæreticus quisquam agnosci debeat, etiam norma erit, unde veritas ab errore dignoscetur; atque ita revera est norma veritatis. Idque arguunt condemnationes & anathemata, quæ plerumque formulis istis superstruuntur; qui enim eas non recipit, licet dogmata sua Scriptura contineri credat, seque rationibus è Scripturà depromptis, si quæ solidæ proferri possint, cedere paratum ostendit, eo ipso, quia formulas illas non recipit, hæreticus pronuntiatur, Ecclesiâ ejicitur, & diris ac anathemate devovetur: quæ omnia injusta sunt, & injusta esse ipsi agnoscunt, nisi eum, qui formulas illas non recipit, eo ipso à veritate recedere statuant. Atque ita videmus antiquum illud fermentum Pontificium, submittendum se Ecclesiæ judicio, in Ecclesias Reformatas reductum: quod tanto intolerabilius est, quia Reformati se, omnesque suos Doctores, errori obnoxios fatentur; cùm Pontificii Papæ & Ecclesiæ infallibilitatem adscribant. 3, Non temere hæretici pronuntiandi sunt, qui Scripturam Sacram pro unica fidei norma recipiunt: fieri enim vix potest, cùm Scriptura omnia ad salutem necessaria perspicue contineat, ut tales in errorem, qui fidei fundamentum evertat, incidant. Si dissentiant in quibusdam, licet in formulis Catechismi aut Confessionis decisis, tolerandi sunt, modo Scriptura tali doctrinæ anathema non dicat: neque ex Confessione aut Chatechismo, quos unaquæque secta peculiares habet, sed ex sola Scriptura, de hæresi alicujus judicandum est. Et sane præstaret nullam in Ecclesia Christiana exstare Confessionem, quàm cum tali auctoritate aliis obtrudi. Confessiones enim tantum esse debent testimonia & declarationes fidei illorum, qui eas edunt; non fidei regulæ, quæ omnibus præscribant quid credendum sit. Eo fine nostram Confessionem esse editam prolixe in præfatione testati sumus. Nec aliam fuisse intentionem primorum Confessionis Belgicæ auctorum, testatur Saravia, ex illis unus, in Epistola sua ad Joannem Uytenbogardum.

CAPUT XII.

Requisita in Scripturæ Interprete: & quis sit rationis in illius interpretatione usus.

Conditiones in interprete requisitæ. I. Restat ergo, ut statuamus unicuique fidelium in interpretatione Scripturæ Sacræ competere judicium discretionis, eumque esse eligendum sensum, quem quisque Scripturæ verbis consentaneum judicat. Non quòd temere quivis sensus, qui palato forsitan arridet, aut temere arripitur, absque culpa recipi possit: sed quod, omni adhibito studio, homo alium Scripturæ sensum admittere non possit, quàm quem ex illius lectione & examine, menti divinæ consentaneum judicat. Ne vero hic erremus, & ut, quantum infirmitas humana permittit, veritatem sincere ex Scriptura hauriamus, conditiones quædam in interprete requisitæ observandæ sunt. Eæ autem sunt duplices. Quædam requiruntur, antequam se ad Scripturæ lectionem accingat: quædam in ipsa lectione.

1. Ante Scripturæ lectionem. II. Conditiones in interprete requisitæ ante Scripturæ lectionem, hæ sunt præcipuæ. 1. Cognitio linguarum originalium, nec non historiarum profanarum; quæ posterior conditio potissimum in Veteri Testamento, & præsertim Prophetarum explicatione, requiritur. 2. Ut liber sit à præjudiciis, sensumque suum in Scripturam non inferat, sed ex ea hauriat: Hoc est, non accedat ad Scripturæ lectionem, jam opinione aliqua imbutus, quam ut indubitatam jam recepit, nec ut ad Scripturam eam expendat, sed ut ex Scriptura argumen-

gumenta conquirat, quibus sententiam jam antea animo præconceptam tueri possit: Verùm omni deposito præjudicio, & ut sententiam, à magistris forte aut parentibus haustam, sincere ad Scripturam, tanquam lapidem Lydium, examinet; certus, fieri posse, ut sententia, quam veram credit, erronea sit & Scripturâ redarguatur. Nisi hoc animo Scripturam legat, facile à genuino ejus sensu aberrabit. Non enim credibile est Deum, homini Scripturam legenti, non ut veritatem sincere ex ea addiscat, sed ut sententiæ, absque debito examine arreptæ, stabiliendæ argumenta quædam conquirat, veram Scripturæ intelligentiam largiturum; nec hominem ejusmodi inventurum quod non quærit, sed potius à Scripturæ simplicitate aberraturum, sibique in erroribus suis applausurum. 3. Ne nimium confidat propriis viribus & ingenio, sed animo humili ac modesto Spiritus Sancti auxilium imploret, quem Deus ipsum invocantibus denegaturus non est: *Luc.* XI. 13. *Jacob.* I. 5. 4. Ne ducatur vanæ gloriæ studio, adeo ut opinioni semel conceptæ renuntiare nolit, ne videatur rem antea non recte percepisse, sed veritatem à quocunque monstratam avide arripiat. 5. Ut afferat animum probitatis ac pietatis studiosum: talibus enim Deus secreta sua revelare solet: *Psal.* XXV. 14. Eum quippe requirunt Apostoli, *Jacob.* I. 21. I *Pet.* II. I. Unde & Dominus inquit, tales verbum suum cognoscere, utrum ex Deo sit, an vero à seipso loquatur, *Joan.* VII. 17. VIII. 47.

2. In ipsa lectione. III. In ipsa lectione, similiter variæ requiruntur. 1. Ut accurate inquirat scopum auctoris, cujus verba est interpretaturus: & hunc in finem attendat ad antecedentia & consequentia, ex quorum cum verbis, quæ explicaturus est, nexu facile auctoris scopum colliget, quo non animadverso longe alius sæpe quàm auctor intendit apparebit verborum sensus. 2. Ut obscura explicet per clariora, non vero clara per obscuriora: hunc in finem Scripturæ phrasiologias attente consideret, quid in locis claris & minime controversis significent, & ex diversorum locorum inter se collatione genuinum phraseos in loco obscuro sensum colligat. 3. Ut distinguat inter orationes proprias, & figuratas. Figuratam esse orationem inde elicitur, quando, si verba secundum literam & proprie accipiuntur, sensus ex iis exstiturus est aut repugnans claris Scripturæ verbis, aut rationi rectæ. Scriptura enim nec Scripturæ, nec rationi rectæ contraria esse potest. Exemplum ejus illustre habemus in verbis institutionis cœnæ Domini, *Hoc est corpus meum.* 4. Quando figuratam o rationem explicat, & in propriam convertit, ut non omnia, quæ in figurâ observari possunt, applicet rei figuratâ locutione designatæ; sed non ulterius quàm materiæ, de quâ sermo est, ratio, aut scopus auctoris, qui figuratâ locutione utitur, permittit: qui erui debet, tum, ex textus circumstantiis, tum ex collatione aliorum locorum, quibus eadem res verbis propriis absque figura & tropo enuntiatur. Si enim in similitudine quis omnes circumstantias rei assimilatæ applicare velit, admodum à Scripturæ scopo recedet, & in varia incidet absurda; quin & contraria & directe sibi invicem pugnantia ex Scriptura colliget. Similitudo ergo & figura secundum omnes circumstantias non est applicanda, sed cogitandum, omne simile etiam esse dissimile. 5. Ut nullum admittat sensum, qui analogiæ fidei utrobique in Scripturâ clare inculcatæ repugnat, aut ex quâ absurdum evidens sequitur.

Clavis Scripturæ est ipsa Scriptura, & recta ratio. IV. Ex hisce apparet, quænam sit clavis, quâ obscurus Scripturæ sensus reseratur; nim: ipsa Scriptura, & recta ratio. Scriptura quidem, quatenus illa ubique sibi conformis est, nullamque usquam continet repugnantiam: ita ergo explicanda est, ut sibi per omnia consentiat, & per clariora eruatur sensus obscuriorum. Recta ratio; quatenus illa non minus à Deo est, quàm Scriptura, nobisque indita tanquam lux, cujus ope verum à falso discernere possumus. Non enim credendum, revelationem divinam ullatenus pugnare posse cum ratione rectâ, aut aliquid Philosophicè posse esse verum, quod Theologicè sit falsum. Cùm enim ratio non minus sit à Deo, quam revelatio, si hæc inter se pugnarent, Deus sibi ipsi esset contrarius. Lux luci contraria non est, sed una alterâ major est. Revelatio non destruit, sed perficit rationem, adeo ut, quod ratio sola non apprehendebat, id accedente revelatione clare percipiat.

Partes rationis in explicatione Scripturæ. V. Sunt autem partes rationis in Scripturæ explicatione hæ præcipuæ. 1. Ut regulas vitæ generales, Scripturâ comprehensas, ad casus quoscunque speciales applicet. Non enim omnes casus speciales in Scriptura sunt expresse definiti; neque id fieri potest, quia infiniti sunt; sed in eâ regulæ tantum continentur generales, quæ rectæ rationis ope ad casus particulares applicantur, & viri boni arbitrio convenienter regulis generalibus deciduntur. 2. Ut obscuros ac difficiles Scripturæ Sacræ locos dextre interpretetur, ac proinde nullum Scripturæ sensum admittat, qui rectæ rationi repugnat, aut evidentem in se se absurditatem continet: quod enim tale est, à Deo, ac proinde Scripturâ, revelatum esse non potest. Quod egregie docet Augustinus Epist. VII. quæ est ad Marcellinum, aut juxta edit. Monachorum S. Benedicti CXLIII. §. 7. *Si ratio contra divinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine,*

dine, nam vera esse non potest: rursus si manifestissimæ certæque rationi, velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potest, sed suum potius objicit veritati, nec quod in iis, sed quod in seipso, velut pro iis, invenit, opponit. Cui adhæret, ut nullum in Scriptura aut religione mysterium excogitetur, quod rectæ rationi ex diametro repugnat. Non enim ratio revelationi, cùm utraque à Deo sit, contraria esse potest. Dices. Habet tamen Religio Christiana sua mysteria, quæ homo solius rationis beneficio excogitare nunquam potuisset. Resp. Ita est: quia mysteria illa à libera Dei dispensatione dependent, itaque à sola ratione investigari non possunt, sed requiritur, ut à Deo revelentur. Verùm postquam ea Deus revelavit, mysteria amplius non sunt, sed à ratione percipiuntur, & optime secum convenire dijudicantur. Vocantur ergo mysteria, non respectu temporis præsentis, quo jam patefacta sunt, sed præteriti, quo adhuc abscondita latebant: nec quia, postquam revelata sunt, cum ratione pugnant, sed quia ante suam revelationem à solâ ratione excogitari non poterant. Talia sunt mysteria, quorum passim in Novo Testamento mentio fit; videlicet; quòd non omnes simus morituri, sed quos dies ille ultimus vivos deprehendet, momento temporis immutandi sint, 1 *Corinth.* XV. 51. Vocatio gentium ad participationem salutis, *Eph.* III. 4. & *seqq.* Missio Christi in mundum ad humani generis salutem, *Coloss.* II. 2. 1 *Tim.* III. 16. Quod si post revelationem aliqua supersit difficultas rationi humanæ impervestigabilis, qualia multa sunt naturam divinam ac decreta concernentia: ea nec ad salutem creditu præcise necessaria sunt, nec, licet captu difficilia, tamen rationi sunt adversa, nec contradictionem aut manifestam absurditatem includunt.

Ea adstruuntur. VI. Rationi hasce in religione & Scripturæ explicatione partes competere, evincitur 1. Omnibus illis Scripturæ locis, quibus rationem in consilium adhibere jubemur. 1 *Cor.* XIV. 20. *Ne sitis pueri intelligentiâ; sed malitiâ parvuli estote; intelligentiâ autem estote perfecti. Eph.* V. 15, 16. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes,* &c.. 1 *Cor.* X. 15. *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico.* Quibus consonant omnes illi, quibus reprehenduntur, qui ratione prout oportet non utuntur: *Marc.* VIII. 17, 18. *Nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis?* Vide & *Hebr.* V. 11, 12, 13, 14. Hinc & cultus noster, quem Deo Patri per Jesum Christum exhibemus, vocatur *rationalis*, *Rom.* XII. 1. 2. Communi omnium Theologorum consensu & tacitâ approbatione: omnes enim maximo studio contendunt dogmata religionis, quæ profitentur, à contradictionibus & absurditatibus vindicare; & licet rationi humanæ impervestigabilia quædam in dogmatibus suis latere fateantur; nihil tamen rationi repugnans aut absurdum iis contineri concedent. Adversariorum autem sententiam falsitatis se convicisse judicant, cùm eam in seipsam incurrere evincunt, adversariumque ad palpabile absurdum deducunt. 3. Quia nisi rationi hæ in religione partes concedantur, impossibile est ullum in Theologiâ errorem refutare: nullus enim est, quin opinioni suæ textus aliquos Scripturæ prætexat. Si itaque rationi fas non est, sensum qui ex verbis elicitur rejicere, tanquam absurdum & rationi adversum, sed nudis verbis acquiescere debet, maxime falsa & absurda, quin & contradictoria sibique repugnantia ex Scriptura elicientur; ut, Deum esse spiritum, & tamen habere corporis humani membra; Christum esse in cœlis gloriosum, & in terris mortuum in cœna: aliaque opinionum portenta. Quando itaque dogmata ejusmodi argumentis à ratione desumtis impugnantur; iisque verbis Scripturæ præcise non esse inhærendum urgetur; dicendum non est, argumenta illa contra Scripturam torqueri, sed per rationem Scriptura benigne & dextre est interpretanda, ut & secum & cum ratione consentiat.

Solvitur objectio ex Rom. VIII. 7. VII. In contrarium autem aliquot Scripturæ loca objici solent. Primo quidem *Rom.* VIII. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest.* Resp. Per *sapientiam carnis* non intelligitur ratio homini à Deo indita. 1. Ratio enim non tantum potest se subjicere legi Dei, sed & reverâ se subjicit, & in judicio suo bene cum lege consentit: quæ lex præcipit, etiam facienda, quæ lex vetat, omittenda docet; vid: non esse committendam idololatriam, perjurium, blasphemiam, homicidium, &c. imo per rationem homines sibi ipsis sunt lex, & in homine sunt cogitationes accusantes & excusantes, *Rom.* II. 14, 15. 2. Nullum operum carnis, quæ Apostolus plura recenset *Gal.* V. 22, 23. opus rationis vocari potest, sed rationi directe repugnans & à ratione damnatum. Aliud itaque est ratio humana, aliud *φρόνημα σαρκὸς*, seu sapientia carnalis: illa quippe aliud nihil est, quàm sapientia hominum carnalium, seu carnis voluptates sectantium, quibus venter Deus est. Hæc inimica Deo dicitur, nec legi Dei se subjicere, imo nec posse; quia ejusmodi hominum desideria legi divinæ è diametro adversantur; siquidem illi carni indulgere volunt,

cujus abnegationem lex divina præcipit. Quod tantum abest ut ratio humana damnet, & præsertim cùm præceptum illud divinum cœlestis ac æternæ vitæ promissio sancitum, & miraculis divinis ac stupendis confirmatum sit; ut è contra tanquam sibi consentaneum approbet ac laudet. Hinc videmus quosdam Ethnicorum solo ductu rationis adeo exarsisse amore virtutis, ut judicarint eam propter se amandam, etiam cùm dirissimi propter illam sustinendi sunt cruciatus. Multo ergo magis id ratio suadet, quando præmium adeo amplum, quale religio Christiana promittit, exspectandum est.

Ex 1 Cor. 1.23. VIII. Secundo objicitur 1 *Corinth.* 1.23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Resp. Non dicitur Christus crucifixus quibusvis Judæis fuisse scandalum, etiam ratione bene utentibus: illi enim in Christum crediderunt: sed resistentibus Spiritui Sancto, uti dicitur *Act.* VII. 51. & licet sapientiæ Stephani resistere non possent, tamen falsos in ipsum testes concitantibus: talibus nim: qui sub Messiâ regnum somniabant terrenum, cui Christi crucifixio quàm maxime adversa erat. Ipsa vox *scandali* id satis designat. Et talibus *verbum crucis* dicitur esse *stultitia*, *vers.* 18. Illi autem distinguendi à piis Judæis, quales describuntur *Act.* II. 41. XVII. 11. Similiter quod ad Ethnicos: non loquitur Apostolus de Ethnicis rectâ ratione utentibus; sed veritatem cognitam in injustitiâ detinentibus, quique felicitate, quam Religio Christiana promittit post hanc vitam, hic frui cupiebant, nullumque præter hujus vitæ bonum exspectabant. Talibus religio Christi stulta credebatur, utpote bonorum, quæ illi ut summa expetebant, abnegationem præscribens; ideoque Christianos crucifixum Dominum colentes ridebant. Nullam autem recta ratio hîc stultitiam deprehendit, quod Deus per Filium crucifixum, non in morte manentem, sed tertiâ die resuscitatum, in cœlum assumtum, & Dominum vitæ constitutum, æternæ vitæ promissum confirmet, fideleſque in illum credentes servet.

Ex 1 Cor. 11. 14. IX. Tertio objiciunt 1 *Corinth.* 11. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; &c. Verum illum in Cap. de Perspicuitate Scripturæ Sacræ jam expendimus.

Ex 2 Cor. x. 4, 5. X. Quarto itaque objiciunt 2 *Corinth.* x. 4, 5. ubi Apostolus de se reliquisque Jesu Christi discipulis inquit, quòd *destruant consilia & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigant omnem intellectum in obsequium Christi.* Resp. Non loquitur hîc Apostolus de quavis ratiocinatione; sed de ratiocinationibus inanibus, vanis & carnalibus, quibus se homines profani opponebant Christo ejusque religioni. Non autem Apostolum quamcunque ratiocinationem destruxisse, inde constat; quia vanas illas & inutiles hominum carnalium ratiocinationes destruxit & in captivitatem redegit per solidas ratiocinationes: nullis enim aliis contra eos armis pugnare poterat. Ipse itaque, rationem adhibens, rationem condemnare non potuit.

XI. Tandem proferunt *Coloss.* 11. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Resp. Per Philosophiam non intelligitur scientia Logicæ, Physicæ, aut Ethicæ: earum enim scientiâ Deus Salomonem donavit; habentque illæ ad vitæ honestam ac quietam transactionem multiplicem usum: sed falsæ Philosophorum opiniones, Christianæ Religioni contrariæ, & quæ, cùm Deus nondum perfectam religionem revelaverat, traditæ sunt: qualis inter alias fuit Aristotelis de mundi æternitate, Epicuri divinam providentiam negantis, aliorumque, quibus homines incauti nonnunquam decipiebantur, præsertim quia specie subtilitatis sese commendabant & hominibus credulis arridebant. *Ex Col. 11. 8.*

XII. Sed porro jam quæritur: Utrum hæc Scripturæ interpretatio non sit facienda per Philosophiam? Resp. Inquirendum quid per Philosophiam intelligatur. An ratio humana, sive vis illa discursiva & dijudicativa, quæ in homine est, cujus ope deprehendere potest, quid absurdum sit ac contradictorium, quid non, quæque per Philosophiam & præcepta in ea tradita non tantum acuitur, sed & multum perficitur? Sed quænam illius partes sint in interpretatione Scripturæ jam ostendimus. An vero dogmata quædam, quæ ratio humana tanquam immotas veritates ope Philosophiæ invenit? Ita sentit auctor tractatus illius paradoxi, cui titulus *Philosophia Scripturæ interpres*: qui Philosophiam hanc non vult esse medium aut instrumentum, cujus beneficio homo verum Scripturæ sensum indagare valet; sed normam ac regulam, ad quam Scripturæ sensus est expendendus: adeo ut per Philosophiam jam nota esse debeat dogmatis cujuscunque veritas, antequam ullus Sacræ Scripturæ locus, dogma illud tradens, à nobis explicari possit. *Philosophia non est Scriptura interpres.*

XIII. Nos autem illud quàm maxime falsum & absurdum judicamus. 1. Quia omnis regula certior esse debet suô regulatô: Philosophia autem certior non est Scripturâ, imo multo incertior. Fatemur esse demonstrationes quasdam Mathematicas, sed veritates Mathematicæ exigui ad interpretationem Scripturæ sunt usus. Sunt & axiomata quædam & principia naturalia immotæ veritatis, quæ ipsâ suâ evidentiâ sine ullâ demonstratione percipiuntur: qualia sunt quæ à Metaphysicis principia complexa appellantur: sed ex illis porro in Philosophiâ alia deducuntur, quæ non sunt tam evidentis veritatis: ejusque *Ratio prima.*

que certissimum indicium est, summus Philosophorum circa illa dissensus, non minor, quàm de genuino Scripturæ Sacræ sensu: imo pleræque de sensu Scripturæ contentiones per Philosophiam in Scripturam sunt introductæ. Dices. Si cui per gratiæ lumen extraordinarium revelatum sit, Deum esse omniscium: alteri vero idem lumine naturæ apodictice demonstratum, an non uterque clare distincteque, ac certo & infallibiliter eandem, cum sit eadem enuntiatio, veritatem percepturus est? Resp. Omnino: sed probandum est, dogmata fidei, quæ Scriptura tradit, solo rationis lumine absque omni revelatione divina, ita clare ac apodictice demonstrari posse; quod impossibile est. Et licet concedamus rationem multa posse excogitare circa essentiam divinam, & regulam vitæ nostræ, tamen si omni prorsus revelatione divinâ destituatur, in multis coecutit: & præsertim nihil poterit circa illa, quæ à mero Dei beneplacito dependent: qualia sunt præcipua religionis nostræ, missionem Christi in mundum, totamque rationem consequendi vitam æternam concernentia: quæ tamen utramque paginam in Scriptura, saltem Novi Testamenti, faciunt. Illorum cognitionem ut homo extra revelationem per solam rationem naturalem habeat, impossibile est. Dices. In illis tamen non errabit, quæ clare & distincte percipit. Resp. Pauca illa sunt & exigua, respectu eorum, quorum claram ac distinctam perceptionem in hac vita acquirere non potest. Etiam luce Euangelii illustrati in hoc seculo ex parte tantum cognoscunt, & vident per speculum in ænigmate, 1 *Cor.* XIII. 12. Quid dicendum de hominibus luce hac divinâ destitutis? coecorum instar oberrare dicendi sunt. 2. In dubium vocari posset, penes quem clara ac distincta perceptio sit. Certum enim est, rationem sibi ipsi non esse contrariam. Videmus tamen multos in illis, quæ se clare ac distincte percepisse existimant, adversa fronte inter se pugnare: certo indicio, eam esse rerum illarum cum intellectu nostro comparatarum obscuritatem, ut claram ac distinctam perceptionem non admittant, eaque esse animi nostri præjudica erga propria inventa, aut ab aliis quos amamus nobis instillata, ut iis excoecati opinionem à clara perceptione non, aut difficulter, discernamus.

Secunda. XIV. Secundo. Si Philosophia ille Scripturæ interpres sit, etiam in necessariis ad salutem, ergo illi soli ad Scripturam interpretandum erunt apti, qui in Philosophiæ adyta penetrarunt. Quid ergo fiet tot millibus hominum, quibus aut facultas aut ingenium deest Philosophiam accurate ac solide indagandi? Hærebunt incerti, & quidem circa necessaria ad salutem; & licet Scripturam habeant, ipsorum salus instabili superædificata erit arenæ, ut auctor ille loqui amat.

XV. Tertio. Sacræ Literæ inutiles erunt & frustra exaratæ. Si enim jam ante de veritate cujusque dogmatis constare debet, antequam Scripturam legamus, ut verba Scripturæ ad veritatem illam, tanquam ejus regulam, expendentes verum Scripturæ sensum cognoscere possimus, omnino sequitur, Sacras Literas frustra esse exaratas, utpote quæ nullius in nobis dogmatis cognitionem producere queant, quod non jam ante plene per Philosophiam cognitum habuimus; & ad summum occasionem tantum præbere possunt & incitamentum, quo intellectus erigitur ac inducitur, ut ideas rerum attentius contempletur, ac inter se conferat, ac sic unam in alia necessario includi deprehendat; & occasionem ac materiam cogitandi suggerat, & quidem de talibus, de quibus fortasse nunquam cogitassemus; uti auctor ille in fine exercitationis suæ loqui amat. Quod revera est omnem Scripturæ necessitatem tollere. *Tertia.*

XVI. Concludimus ergo, rationem quidem esse clavem, quâ obscurus Scripturæ sensus reseretur, & quæ genuinum verborum Scripturæ sensum dijudicet: non vero, eam per se ac solam esse rerum divinarum, quibus proprie salus nostra ac eam consequendi ratio innititur, magistram: qualia sunt, uti diximus, fides in Jesum Christum crucifixum, & ex mortuis suscitatum, ac in coelis à dextra Dei collocatum; & quæ inde immediate dependent. Ea enim nec ratio, nec Philosophia, per se investigare, nec salutis æternæ obtinendæ unicum esse medium docere possunt. Sicuti enim à nudo Dei beneplacito illa salutem obtinendi ratio dependet: ita etiam, ut homo ejus cognitionem habeat, requiritur revelatio divina, quæ beneplaciti divini, homini aliàs impervestigabilis, patefactio est. Et hæc patefactio immota veritas est, quam rationi in dubium vocare, quia ex principiis mere naturalibus evidenter deduci nequit, fas non est. Solummodo dijudicare potest genuinum verborum, quibus Deus beneplacitum suum revelat, sensum; neque ullum admittere potest aut debet, alibi à Deo revelatis, aut principiis ex naturâ notis ac suâ luce omnium captui sese ingerentibus, contrarium: sed si quis talis ex verbis Dei eruatur, eo ipso non genuinus, sed falsus ac à mente Dei alienus haberi debet. *Conclusio hujus quæstionis.*

THEO-

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ
LIBER SECUNDUS
DE DEO ET OPERIBUS DIVINIS.

CAPUT I.

De Nominibus Dei.

Partes religionis, Cognitio Dei, & illius Cultus.



Actenus fuit Religionis norma: sequuntur illius partes. Eæ duæ sunt, Cognitio Dei, & illius Cultus. Aliquando tamen solo Cognitionis Dei nomine utraque continetur: ut *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* 1 *Joan.* II. 3, 4. *In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Et. *cap.* IV. 7, 8. *Qui diligit, ex Deo natus est & cognoscit Deum: Qui non diligit, non novit Deum.* Hæc vocatur cognitio practica, ad distinctionem theoreticæ, quæ in nuda tantum speculatione consistit & acquiescit, quæque in multis impiis, *Luc.* XII. 47. *Tit.* I. 16. adeoque in ipsis diabolis est, *Jacob.* II. 19.

Non coordinatæ, sed subordinatæ.

II. Partes hæ non sunt coordinatæ, sed subordinatæ; nulla enim Dei cognitio in sola speculatione acquiescit: sed cultui divino cognitio Dei subordinatur. Quæ enim in sola speculatione consistit, sterilis est, spuria, neque pro cognitione à Deo habetur. Unde consequitur, cultum Dei magis esse necessarium, quàm ejus cognitionem. Quoniam enim cognitio Dei non per se, sed cultus solius gratia necessaria est, cultus vero per se; inde resultat, cognitionem non posse ejusdem necessitatis & dignitatis haberi, quam cultum: propter quod enim aliquid est tale, illud magis est tale. Non tamen cognitionem Dei inutilem, aut non necessariam statuimus: fundamentum quippe est cultus divini: *Quomodo enim credent in eum, de quo non audiverunt? Rom.* X. 14. sed eam ad cultum semper referendam urgemus. Hinc colligere licet, quæ Dei cognitio nobis necessaria sit, nim: non exacta essentiæ divinæ divinorumque attributorum, omniumque quæ circa illa ventilantur à doctis ac subtilibus ingeniis, sed illa solummodo, sine qua cultus Deo debitus præstari nequit.

De Deo cognoscenda ejus Natura, & Opera.

III. Duo nempe ut Deus recte cognoscatur inquirenda sunt: Natura ejus, & Opera: hæcque duo fundamenta sunt cultui ejus substrata: Natura quidem, ut cognoscamus Deum esse dignissimum, cui cultus à nobis exhibeatur: Opera, ut constet Deum jus habere quem vult cultum à nobis exigendi, nosque ad eum colendum esse obligatos. Ut autem Dei naturam recte cognoscamus, expendendum quid Deus sit, sive qualis sit illa natura, quam divinam vocamus: & quis ille Deus sit, sive quodnam sit illud ens, cui natura illa divina competit.

Natura Dei in hoc seculo perfecte cognosci nequit.

IV. Natura Dei propter infinitam suam majestatem perfecte à nobis in hoc seculo, in quo tantum per speculum in ænigmate videmus, cognosci nequit, ideoque in illa investiganda nec temerarios nec præcipites esse oportet. Verbum Dei hic fidei nostræ regula sit, extra quod aliquid tanquam necessarium creditu definire, religio nobis est. In rerum captum nostrum excedentium investigatione facilis est lapsus, quando rationis nostræ modulo omnia definimus: fallimur sæpe probabilitatis specie, & ab aliis, qui suâ se duci ratiocinatione sinunt, in diversum abimus. Illam itaque naturæ divinæ cognitionem sufficere credimus, sine quâ Deo cultus ipsi debitus exhiberi nequit, quique in Scriptura tanquam fundamentum cultui divino substernitur: quæ cognitio plana ac facilis est, disertisque verbis in Scriptura tradita: aut ratiocinatione evidenti, nullique exceptioni obnoxia, è Scripturis deducta. Quod alia subtilia magis & intricata attinet, quæ circa attributa divina eorumque modum in Scholis ventilari solent; ea, quoniam in Scripturâ non clare definiuntur, consequentiis & speculationibus metaphysicis solummodo nituntur, nullumque aut exiguum saltem ad pietatis exercitium respectum habent, sine salutis jacturâ ignorari possunt. Audacter definienda non sunt, quæ Deus indecisa reliquit; imo præstat ea ignorare, quàm aliis eorum fidem imperiose præscribere, eosque, qui majestatis divinæ

næ religione quadam ducti audacter ea non audent asserere, hæreseos condemnare: cùm de Deo etiam vera dicere periculo non careat. Non quod ea negligi plane ac omitti velim; sed non nisi summâ cum modestia tractari. Sic enim utilia maxime sunt, ad pietatem pietatisque doctrinam promovendum, ab adversariorum objectionibus vindicandum, controversiarum momenta melius dijudicandum, ac tandem eas felicius componendum.

Nomina Dei. V. Antequam vero ad naturæ divinæ considerationem accedamus, ante omnia nomina, quibus Deus in Scriptura insigniri solet, paucis expendenda sunt. Non autem hic considerabimus nomina illa, quæ tanquam adjuncta quædam de subjecto prædicantur; ut cum Deus dicitur æternus, immensus, sanctus; nec etiam quæ illi relate ad creaturas attribuuntur; ut quod sit Creator, Redemptor, &c. illorum enim consideratio doctrinam de attributis & operibus divinis concernit; multo minus quæ Deo per metaphoram attribuuntur; v. gr. turris, clypeus, leo, ignis, &c. Sed ea solummodo quæ subjectum, hoc est ipsum Deum, immediate & proprie denotant. Talia autem nomina partim sunt Hebræa, quæ in Veteri Testamento; partim Græca, quæ in Novo Testamento occurrunt. Hebræa potissimum sunt quinque, יהוה, אלהים, אדני, אל, & שדי: Græca duo, Θεός & Κύριος.

Nomen Jehovæ. VI. Primum ac præcipuum est יהוה, & contracte יה, quod à literarum numero communiter tetragrammaton appellari solet. Judæi illud tanta in veneratione habent, ut putent pronuntiari non debere, imo nec posse. Olim quidem in benedictione solemni à Pontifice pronuntiatum fuisse & pronuntiari debuisse, docent: verùm extra illum casum ejus pronuntiationem fuisse illicitam credunt. Ego verò contrarium ex historia sacra colligo: non tantum licitum fuisse nomen istud pronuntiare; sed Deum voluisse, ut, quandocunque nominandus esset ab Israëlita, illo nomine nominaretur. Cum enim Moses ad Deum diceret: *Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos; Si dixerint mihi, quid est nomen ejus? quid dicam eis?* Deus illud sibi nomen attribuit, voluitque dici, יהוה *misit me ad vos. Exod.* III. 13, 14. Usitatum erat inter gentes, Deos suos nominibus, quibus ab aliis, aliarumque gentium diis discernebantur, insignire; eaque nomina in communi usu, quando de Diis suis loquebantur, erant usitatissima. Ita etiam Deus Mosi indicat nomen suum, quo inter Israëlitas cognitus esse voluit, & distinctus ab aliarum gentium Diis: hocque nomen sibi tanquam proprium vindicavit, voluitque ut Israëlitæ se יהוה cultores seu servos faterentur, & à gentibus nomen Dei sui rogati, semper responderent, יהוה esse nomen Dei sui, utpote nomen, quo ipse speciatim designabatur ut Deus Israëlis, & ab omnibus gentium idolis discernebatur. Et hinc est, quod nomen illud toties in Veteri Testamento occurrat. Ex historia sacra etiam liquet, Mosen non tantum apud Israëlem, sed & apud Pharaonem nomen illud pronuntiasse; quin & Pharaonem illo nomine Deum Israëlis appellasse. Moses porro in libris suis ordinarie Deum isto nomine appellat: & aliquid eximium ac peculiare populo dicturus de Deo, semper eo nomine utitur. *Deut.* IV. 7. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Jehova Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Expresse Deum Israëlis illo nomine à fictis gentium Diis discernens. *Cap.* VI. 4. ait: *Audi Israel, Jehova Deus noster Jehova unus est;* & *vers.* 35. Eodem modo Deus, Legem in monte Sinai traditurus, ita populum aloquitur, *Ego Jehova Deus tuus.* Deumque Esaias introducit ita loquentem, *Cap.* XLII. 8. *Ego Jehova, hoc est nomen meum.* Et passim nomen illud Deo in omnibus Veteris Testamenti libris attribuitur, adeo ut nullo frequentius quàm illo nomine appelletur. Et non tantum sacerdotes in solemnibus populi benedictionibus, sed & Prophetas alio in casu nomine isto usos, manifestissimum est ex historia Eliæ; ille enim coram toto populo demonstraturus, Jehovam Deum Israëlis esse verum Deum, ita populum alloquitur: *Si Jehova Deus, ite post eum; & si Baal Deus, ite post eum.* I *Reg.* XVIII. 21. Et postea Deo sacrificaturus ita orat: *Exaudi me Jehova, exaudi me; & sciat populus hic, quod tu Jehova Deus es. vers.* 37. Ubi manifestum est, Eliam miraculo illo, quod mox secutum fuit, coram omni populo evidenter voluisse demonstrare contra Prophetas Baalis, quod non Baal, sed Deus Israëlis, qui nomine *Jehovæ* appellabatur omnibusque notus erat, verus esset Deus. Clarius id liquet in libro Josuæ *Cap.* XXIV. ubi non tantum Josua populum hortatur ad colendum Jehovam; sed & addit, si Israëlitis malum videatur Jehovam colere, eligant, utrum malint servire Diis gentium; se vero & domum suam serviturum Jehovæ: totus autem populus respondit, se Jehovam velle colere, *quia*, inquiunt, *ipse est Jehova Deus noster, ipse eduxit nos ex Ægypto.* &c. *vers.* 14. *&c.* Hinc & Propheta Amos, oratione ad totum populum directâ, aliquoties ait, *Jehova Deus exercituum nomen ejus*: *Cap.* IV. 12. V. 27. & *Jerem.* XXXI. 35. Quin & ipsis Israëlitis hoc nomen usitatum fuisse, cùm de Deo loquerentur, cumque fictis gentium Diis opponerent, manifestum est ex *Mich.* IV. 5. ubi Pro-

pheta

pheta eos introducit ita loquentes: *Omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Jehovæ Dei nostri in æternum & ultra.* Vide & *Jerem.* XXXI. 34. Imo & in quibusvis feriis sermonibus, quando Dei mentio fieret, ordinarie nomen *Jehova* ab ipsis fuisse usurpatum, variis exemplis ostendi posset; vide inter alia colloquium Davidis & Abigailis, 1. *Sam.* XXV. Nec tantum inter se colloquentes Israëlitæ, sed & quando contra alias gentes gloriabantur in Deo suo, illum nomine Jehovæ appellarunt. Sic cum Goliathus Davidi malediceret in nomine Deorum suorum, David illi ait *Ego ad te venio in nomine Jehovæ exercituum, Dei ordinum Israël, quem affecisti probris: hoc die concludet te Jehova in manu meâ.* 1. *Sam.* XVII. 45, 46. Ne jam alia loca allegem. Unde colligo, non tantum non fuisse illicitam nominis illius pronuntiationem; sed & illud ordinariè ab Israëlitis pronuntiatum fuisse. Regeret fortasse quispiam: Ex narrationibus sermonum, quibus olim Israëlitæ usi leguntur, non indubitatò inferri posse, ipsos præcisè nomine isto *Jehovæ* fuisse usos; cùm etiam in sermonibus Abrahami, servi ipsius Eleasari, Isaci & Jacobi, prout à Mose recensentur, hoc nomen occurrat; cùm tamen Deus affirmet, se isto nomine Patribus illis cognitum non fuisse. Verùm ego exinde contrarium inferrem; quod nomen hoc Mosis, & quæ eum secuta sunt, temporibus adeo usitatum fuerit, ut Israëlitæ in communi sermone, quando de Deo loquebantur, semper eo usi fuerint; ideoque etiam Mosen patriarcharum sermones ita retulisse, perinde ac si de Deo loquentes etiam isto nomine usi fuissent; ut ita sermo ipsorum cum suo & Israëlitarum sermone penitus conveniret, ipsique certi essent, se eundem, qui olim patribus suis locutus fuerat, Deum ex eodem, quo nunc appellari volebat, nomine agnoscere. Quare tantum abest, ut exinde inferri possit, Israëlitas illo nomine non fuisse vulgò usos, ut ego inde contrarium concludam, nullum nomen Dei eo vulgarius fuisse, ut magis in ore omnium Israëlitarum. Non negabo quidem, nos indubitatâ certitudine affirmare non posse, veram nominis illius pronuntiationem esse eam, quæ hodie in usu est: nam puncta illi communiter adjuncta propric sunt vocis אֲדֹנָי; non tamen repugnamus, quin more inter Christianos usitato legatur *Jehova*, modo ne alios, qui reverentiâ quadam ducti ita illud non pronuntiant, acerbè traducamus. Derivatum est à futuro verbi הָיָה, ut liquet *Exod.* III. 14. significatque tantundem atque *ero*, vel *erit*. Interim certum nobis est, nomen illud, quomodocunque fuerit pronuntiatum, apud Judæos olim ordinarie adhibitum fuisse, cum de Deo suo loquerentur: & valde nobis est credibile, aut hanc, quà nunc legitur, pronuntiationem esse genuinam, aut certe aliam illi quam maxime affinem, quæ omnibus passim Israëlitis cognita & in usu fuit. Postquam verò Gentiles nomen illud suis etiam accommodare idolis inceperunt, uti ex variis antiquorum monumentis eruditi ostendunt, Judæi, ne id vilesceret, ab illius pronuntiatione abstinuisse videntur: cui postea superstitio quædam accessit, quasi nomen hoc ita sit eximium & venerandum, ut sine plasphemia efferri non possit, ac solâ pronuntiatione majestas ejus læderetur. Atque hinc factum ut nos hodie certi non simus, quænam genuina nominis hujus pronuntiatio sit.

An denotet essentiam Dei?

VII. Quoniam à verbo היה derivatur, communis tam Judæorum quàm Christianorum opinio est, eo essentiam Dei denotari; quasi significet eum qui à seipso est, quique res omnes creatas existere facit, quod solius Dei proprium est, *Act* XVII. 28. quique ab æterno est & semper fuit idem: quod Joannem hac periphrasi exprimere credunt, ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος: *Apoc.* I. 4, 8. IV. 8. XI. 17.

An potius constantiam in præstandis promissis.

VIII. Attamen si penitius verba Dei consideremus *Exod.* VI. 3. dicentis Mosi; *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Jehova non indicavi eis:* non videtur hæc explicatio esse certa. Quomodo enim Deus dicit se Abrahamo cognitum fuisse solummodo ut omnipotentem, non vero secundum essentiam suam, quâ à seipso ab æterno est: cum essentia Dei primo cognoscatur; illâque cognitâ attributorum divinorum cognitionem acquiramus? Rectius ergo nostro judicio nominis hujus genuinam significationem illi tradidisse videntur, qui constantiam Dei in præstandis promissis eo indicari docent: Ita ut *Ero qui ero* tantumdem sit, atque ostendam nunc reipsa me illum esse, quem me fore promisi; promissaque mea Abrahamo facta nunc posteris ipsius exhibebo. Atque hoc sensu facillime explicatur, quomodo Deus dicat, se Abrahamo cognitum quidem fuisse in nomine Dei omnipotentis, non verò in nomine Jehovæ: nondum enim Abrahamo opere ipso promissa sua exhibuerat, qui peregrini instar in terra promissâ habitaverat; nunc vero eam posteris habitandam tradere paratus erat. Atque ita hoc se nomine cognoscendum præbet, quatenus rem nomine isto significatam exhibiturus esset. Unde novo argumento colligo, nomen hoc *Jehova* in populo Israëlis usitatissimum fuisse, Deumque voluisse à populo suo illo appellari; ut ita nominis illius pronuntiatione semper in memoriam sibi revocarent ingens illud liberationis ex Ægypto

beneficium, quo Deus promiſſum Abrahamo factum reipſa implevit. Eamque appellationem inter eos perpetuam eſſe voluit, quamdiu populum hunc, tanquam ſibi peculiarem, ab aliis ſeparatum, & ſibi peculiariter ſanctificatum, in terra Canaan ſubſiſtere fecit. Nunc verò, poſtquam novo redemtionis beneficio genus humanum è graviore ſervitute liberavit per Filium ſuum Jeſum Chriſtum, in illius immenſi beneficii memoriam *Pater Jeſu Chriſti* appellari amat: qua appellatione nulla nunc inter Chriſtianos frequentior eſt. Et mihi neutiquam eſt improbabile, non ſine ſingulari directione divinâ contigiſſe, ut poſtquam Judæi à gentibus nomen hoc Diis ſuis applicari viderunt, illud pronuntiari vetuerint, ac porro ſuperſtitioſâ quadam veneratione ab illius pronuntiatione ſollicitè abſtinuerint: ut, quemadmodum ſolennis illa commemoratio liberationis è captivitate Ægyptiaca ceſſare ac evaneſcere debuit, poſtquam major liberatio ac redemtio per Chriſtum peracta eſt, cujus reſpectu prior illa, quantumvis eximia, exigua tantum & nil niſi typus & umbra fuit; ita etiam nomen illud *Jehova*, quod liberationem illam in memoriam revocabat, obliteraretur, in ejuſque locum ſuccederet appellatio Dei in Novo Teſtamento, quâ paſſim *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti* vocatur, quæ ingentis illius redemtionis, per priorem adumbratæ, perpetua commemoratio foret.

Tribuitur quandoque creaturis, quando Deum ſpeciatim repræſentant.

IX. Quæritur porro de hoc nomine, utrum Deo ita proprium ſit, ut nulli niſi Deo ſummo, qui à ſe eſt, attribuatur. Nos quod attinet, aliam hujus quàm aliorum Dei nominum rationem eſſe, credimus; illa enim, uti in ſequentibus videbimus, vel appellativa ſunt: vel ſaltem per communicationem quandam etiam creaturis attribuuntur. Solum hoc nomen ſemper uſurpatum fuit ad ſummum ac verum Deum deſignandum: aut ſi aliquando creaturis fuit attributum, factum id fuit non abſolute, ſed ob ſpecialem, quam ad ſummum Deum habebant, relationem. Ita aliquando attributum legimus arcæ fœderis, *Pſal.* XXIV. 7, 8. *Elevate ô portæ capita veſtra, elevate vos portæ perpetuæ, & introëat rex gloriæ: Quis eſt iſte rex gloriæ? Jehova fortis & potens, Jehova potens in prælio*: & præſertim *Pſal.* XLVII. 6. *Aſcendit Deus cum jubilo, Jehova cum voce tubæ*: reſpicitur enim ad tranſlationem arcæ ex Kiriathjearim vel ex domo Obed Edom Hieroſolymam: nempe quia gratioſæ præſentiæ divinæ ſymbolum erat: uti rectè in hunc locum obſervavit Calvinus: *Porro memoriâ repetendum eſt, quod prius dixi ad arcam transſcribi Jehovæ nomen: quia tametſi illic non incluſa erat Dei eſſentia & majeſtas, nec virtus etiam alligata; non tamen inane erat præſentiæ Dei ſymbolum. Nam ſicuti promiſerat Deus ſe habitaturum in medio populi, quamdiu eum ex Legis præſcripto Judæi colerent; ita reipſâ monſtrabat, vere ſe illis adeſſe, nec fruſtra invocari inter ipſos.* Ita & nonnunquam attribuitur Angelis, quatenus legati Dei ſpeciatim perſonam divinam repræſentabant, & nomen Dei loquebantur: quod potiſſimum liquet *Exod.* XXIII. 20, 21. ubi Deus de Angelo, quem miſerat ut præcederet Iſraëlitas, inquit: *Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittit cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo.* Cujus etiam miniſterio Deus procul dubio legem tulit Iſraëlitis, quæ propterea *per Angelos tradita* legitur, *Act.* VII. 53. *Gal.* III. 17. & Euangelio hoc nomine poſtponitur, quod illa *per Angelos* ſit *dicta*, Euangelium vero *per Dominum* Jeſum *annuntiatum*, *Hebr.* II. 2, 3. Sic & uni Angelorum, qui Abrahamo & Lotho apparuerunt, *Geneſ.* XVIII. & XIX. *Jehovæ* nomen attribuitur: quem tamen Angelum fuiſſe ex *Hebr.* XIII. 2. liquet. Vide & ſimilia exempla, *Geneſ.* XVI. 13. *Judic.* XIII. 22, 23. Eandem explicationem legimus apud Auguſtinum de *Civit. Dei lib.* XVI. *cap.* 29. *Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ in tribus viris, quos dubitandum non eſt Angelos fuiſſe; quamvis quidam exiſtiment unum in eis fuiſſe Dominum Chriſtum, aſſerentes eum etiam ante indumentum carnis fuiſſe viſibilem.* Quam ſententiam poſtquam Auguſtinus latius paulo refutavit, tandem concludit, *Angelos autem fuiſſe Scriptura teſtatur, non ſolum in hoc Geneſeos libro, ubi hæc geſta narrantur, verùm etiam in Epiſtola ad Hebræos, ubi eum hoſpitalitas laudaretur, per hanc, inquit, etiam quidam neſcientes hoſpitio receperunt Angelos.*

X. Secundum nomen eſt אֱלֹהִים pluralis numeri; aliquando autem in ſingulari enuntiatur אֱלוֹהַּ. Nomen eſt appellativum magis quàm proprium, & Judicem ſignificat. Deo vero paſſim tribuitur in Scriptura: ſed & aliis commune eſt. Tribuitur quippe Angelis, & quidem aliquando uni tantum. Sic *Geneſ.* XXXII 28, 30. ei qui luctatus eſt cum Jacobo tribuitur nomen אֱלֹהִים, qui tamen *Oſe.* XII. 4. expreſſe Angelus vocatur. Sic & qui Moſi in rubo apparuit אלהים *Exod.* III. 4. vocatur *Act.* VII 30. Angelus. Sic & qui apparuit parentibus Simſonis, *Judic.* XIII. 22. Aliquando pluribus ſimul: Vide *Pſal.* VIII. 6. coll. cum *Hebr.* II. 7. & *Pſal.* XCVII. 8. coll. cum *Heb.* I. 6. Sed & applicatur hominibus: quandoque uni ſoli: ſic Moſes dicitur Aaroni eſſe *in Deum*, *Exod.* IV. 16. & Pharaoni, *cap.* VII. 1. Quandoque pluribus ſimul. Sic de Magiſtratibus dicitur *Pſal.* LXXXII. 6. *Dixi Dii eſtis, & filii Altiſſimi.* *Exod.* XXI. 6. de ſervo apud dominum manere volente dicitur, *Offeret eum dominus Diis*, id eſt, Judicibus. Et *cap.*

Elohim.

Photius Epiſt. 162.

XXII.

XXII. 28. *Diis non detrahes*; & ne quis ambigat, quod lex hæc respiciat, additur, *& principi populi tui non maledices*. Unde & Deus ad distinctionem aliorum *Deus Deorum* vocatur, *Deut*. X. 17. Imo & nomen hoc sæpissime idolis gentium tribuitur, in libro Judicum passim. Non quod revera dii essent, aut aliqua iis inesset eminentia, quâ Deum summum referrent, sed quia à gentibus falsò dii esse credebantur, & ut dii colebantur.

Ex hoc nomine non solide infertur personarum in essentia divina Trinitas.

XI. Quæritur, an ex nomine hoc pluralis numeri rectè inferatur personarum trinitas in una eademque essentia divina. Nos quod attinet, credimus nullum ex terminatione plurali pro personarum in essentia divina pluralitate argumentum desumi posse, sed eam aliis clarioribus Scripturæ locis, ex Novo præsertim Testamento depromptis, adstruendam esse. Est quippe linguæ Hebrææ idiotismus, nomina domini, etiam cùm de uno tantum sermo est, in plurali efferre, ad significandum excellentiam & pluralitatem virtutum. Sic אדני dicitur *Genes*. XXIV. 9. de Abrahamo. Sic & Bahal pluralis numeri de uno domino accipitur, *Exod*. XXII. 11. Sic *Psal*. XLV. 7, 8. אלהים dicitur & de Deo Patre, & de Salomone tanquam typo Christi. Ita ostendimus eandem vocem aliquando uni angelo, imo & homini, attributam: & promiscue (si loca inter se conferantur) modo cum singularis, modo cum pluralis numeri verbo construitur. Adeo ut nec ex sermone pluralis numeri, quo Deus hominem creaturus utitur, *Genes*. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, solidi quicquam pro personarum in unica essentia divina trinitate colligi possit. Ita enim & hominibus, præsertim magnatibus, in more est, cùm de se solis loquuntur, numero uti plurali. Sic Reges edictum promulgantes solent loqui: Nos mandamus. Sic Bildad Suhites *Job*. XVIII. 3. de se loquens, ait: *Quare reputati sumus ut jumenta, & sorduimus coram vobis?* Et Dominus Jesus Nicodemo ait *Joan*. III. 11. *Quod scimus loquimur, & quod videmus testamur, & testimonium nostrum non accipitis*. Vide etiam *Rom*. I. 5. *Gal*. I. 8, 9. IV. 17. *Hebr*. V. 11. VI. 1, 3, 9, 11. XIII. 18. Sic etiam Calvinus in Genes. I. 1. *Habetur apud Mosen* אלהים, *nomen pluralis numeri, eunde colligere solent, hic in Deo notari tres personas: sed quia parum solida mihi videtur tantæ rei probatio, ego in voce non insistam, quin potius monendi sunt lectores ut sibi à violentis ejusmodi glossis caveant. Putant illi se testimonium habere adversus Arianos ad probandam Filii & Spiritus divinitatem, interea se involvunt in errorem Sabellii, quia postea subjicit Moses, Elohim locutum esse, & spiritum Elohim incubuisse aquis. Si tres personas notari placet, nulla erit earum distinctio: sequetur enim & Filium à seipso genitum, & spiritum esse non Patris, sed sui ipsius. Mihi satis est, quòd pluralis numerus Dei virtutes sonet, quas in creando mundo exeruit. Porro scripturæ, fateor, tametsi multas Dei virtutes recenset, semper tamen ad Patrem, & verbum ejus, ac spiritum nos revocat, ut etiam paulo post videbimus. Sed illæ, quas attigi, absurditates obstant, quo minùs subtiliter ad personas torqueamus, quod simplicius Moses de ipso Deo pronunciavit*. Vide eandem explicationem prolixe defensam à Davide Paræo in Genes. I. 1.

XII. Tertium est אֲדֹנָי: quod etiam est pluralis numeri, cum affixo pronomine primæ personæ. Significat *Dominum*; & à LXX. semper fere vertitur Κύριος, nonnunquam etiam δεσπότης. Per excellentiam Deo tribuitur, utpote omnium supremo Domino: sed commune est creaturis, nec de eo controvertitur. *Adonai.*

XIII. Quartum est אֵל, in plurali אֵלִים: *El.* Etiam est appellativum: derivatur ab אֱיָל fortitudo. Nomen hoc LXX. reddunt plerumque per Θεός. Ab hoc multa nomina derivantur, ut Israël, Michaël, Daniël, &c. Est nomen dignitatis, tribuiturque & angelis & hominibus qui potentiâ valent: *Exod*. XV. 11. *Quis sicut tu in Diis*, בָּאֵלִים. *Psal*. LXXXIX. 7. *Assimilabitur Domino in filiis Deorum*. אֵלִים. *Ezech*. XVII. 13. אֵילֵי הָאָרֶץ לָקַח, *fortes terræ tollet*. Et *cap*. XXXII. 21. יְדַבְּרוּ לוֹ אֵלֵי גִבּוֹרִים, *loquentur ei fortes potentium*. Hinc Deus, ad distinctionem aliorum, vocatur אֵל אֱלֹהִים, *Deus Deorum Psal*. L. 1. & אֵל אֵלִים, *Dan*. XI. 36.

XIV. Quintum est שַׁדַּי, vel אֵל שַׁדַּי. Quidam nomen hoc Deo attribui volunt, ad designandum, quod sibi sufficiens sit, à דַּי, *sufficiens*. Alii derivant à שָׁדַד, *vastavit*, & denotare volunt Omnipotentem. LXX. sæpe reddunt παντοκράτωρ, aliquando ἱκανός; nonnunquam & κύριος. Conjunctum cum אֵל, non creditur ulli creaturæ uspiam in Scriptura attribui. *Schaddai;*

XV. Græca nomina, quæ in Novo Testamento occurrunt, duo sunt, Θεός, & Κύριος. Nomen Θεός, quod alii derivant à θέω, id est τίθημι, *pono*; alii à θέω, *curro*; alii à δέος metus, quasi primus in orbe Deos metus invexerit, est appellativum, quod per excellentiam summo omnium rectori tribuitur; sed & aliis præter illum passim attribuitur. Sic 1 *Cor*. VIII, 5. *Etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cælo sive in terra (siquidem sunt Dii multi & domini multi) nobis tamen unus Deus*, &c. Quin & ipsi Satanæ, qui 2 *Corinth*. IV. 4. *Deus hujus seculi* vocatur. Non incommode tamen dici potest, nomen Dei non esse appellativum, sed proprium; adeoque quando absolute effertur, & præsertim cum articulo, ὁ Θεός, & subjecti locum in enuntiatione occupat, *Θεός.*

G 2 sem-

ſemper denotare ſummum Deum: quando autem aliis attribuitur, id fieri per participationem quandam, ſenſu valde diminuto, aut cum relatione ad alias res, & certo reſpectu; ut cum Satanas non abſolute, ſed *ſeculi hujus Deus* vocatur.

Κύριος. XVI. Alterum nomen eſt Κύριος, *Dominus*: quod procul omni dubio eſt appellativum, & hominibus paſſim tam in Sacris quàm profanis ſcriptis attribuitur. Per excellentiam tamen Deo ſummo applicatur, quia ille univerſi Dominus. Quando in Novo Teſtamento cum articulo legitur, ὁ Κύριος, fere ſemper Dominum Jeſum deſignat: qui per excellentiam Dominus noſter vocatur: tum propter ſublimem in cœlis ad dextram Dei Patris exaltationem; de qua vide *Phil.* II. 9, 10. 11. *Propterea Deus ipſum exaltavit*, &c. *ut omnis lingua confiteatur Dominum Jeſum*, &c. *Act.* II. 36. *Certiſſimè ergo ſciat omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis.* Vide & *cap.* V. 31. Quo reſpectu vocatur *Rex regum & Dominus dominantium*, *Apoc.* XIX. 16. Tum quia nos proprio ſuo ſanguine redemit, ſibique acquiſivit in peculium; uti docetur 1 *Corinth.* VI. 19, 20. Quando alteri tribuitur cum articulo, non ponitur abſolute, ſed ad alterum, cujus ille dominus eſt, refertur; ut *Luc.* XVI. 8. perinde uti nomen Θεὸς non abſolute, ſed certo quodam reſpectu Satanæ 2 *Cor.* IV. 4. tributum oſtendimus.

CAPUT II.

De Attributis Dei, in genere.

Attributa divina. I. NAtura ipſa divina, quatenus in hoc ſeculo, in quo non niſi per ſpeculum in ænigmate videmus, eam cognoſcere datur, ex attributis ipſius, quæ illi in Scriptura paſſim attribuuntur, innoteſcit. Attributa hæc divina non ſunt accidentia communia, nec propria, quæ ab eſſentia divina realiter ſint diſtincta; ſed ſunt unum idemque cum eſſentia divina, multiplicemque illius perfectionem, ſecundum noſtrum conſiderandi modum, deſignant.

Reipſa non differunt ab eſſentia divina. II. Eſſentia quippe divina eſt unica tantum generalis perfectio, quæ in ſe unum idemque reipsâ eſt; ſed quia pro diverſitate objectorum diverſimode ſeſe in operando explicat, à nobis etiam attributa divina diſtincte concipiuntur, & diverſis nominibus explicantur: cùm tamen, ſi ad Deum reſpiciamus, unum ſint non tantum cum ipſa eſſentia divina, ſed & inter ſe. Diſtinctio ergo quæ fit inter eſſentiam Dei ejuſque attributa, ut & inter ipſa attributa, non procedit à parte Dei, ſed à parte rationis & conceptus noſtri; qui tamen non pro arbitrio noſtro finguntur, ſed fundamentum habent in ipſa re.

Quo ſenſu Deo attribuantur. III. Eſſentia ſcilicet divina pro diverſitate objectorum diverſimode ſeſe in operibus ſuis explicat. Ingenii autem noſtri imbecillitas non permittit, ut perfectionem illam tam multipliciter ſeſe ac diverſimode explicantem, unico ſimplici & adæquato conceptu repræſentemus: itaque multos format mens noſtra conceptus inadæquatos, quibus ſingulis eſſentiam divinam ſibi imperfecte, & quaſi per partes repræſentat, qui fundamentum habent in diverſis operationibus Dei, quas quaſi ab alia perfectione procedere ſibi repræſentat. Non quod ex parte Dei ſit realis inter illa diverſitas; ſed quia diverſimode ſeſe circa objecta ſua explicant, licet à parte Dei ſint unum, virtualiter tamen & eminenter ſunt diſtincta; & fundamentum ſufficiens diſtinctorum conceptuum, qui ſinguli diſtinctis definitionibus poſſunt explicari. Attributa ergo hæc ſunt eadem, ex parte rei ſignificatæ, non ex modo ſignificandi; &, ut Theologi loquuntur, de ſe mutuo prædicantur in ſenſu identico, non in ſenſu formali.

Quomodo mens ea concipiat. IV. Licet autem mens noſtra id, quod in ſe unum eſt & ſimplex, concipit tanquam multa diſtincta attributa, non tamen in conceptu ſuo errat, ſed imperfecte tantum concipit. Non enim ea concipit, tanquam revera diſtincta; ſed à parte ſui unum cum ſint, diſtinctis tantum ſeſe exerentia operationibus. Hinc eſt, licet attributorum divinorum unum poſſit præcisè concipi non conceptis aliis attributis, non tamen cum aliorum excluſione: hoc eſt, poſſum concipere omnipotentiam divinam, non conſiderans æternitatem; ſed non, ut excludam & à Deo removeam æternitatem.

Diverſa attributa non ſunt confundenda. V. Duo autem hic ſunt obſervanda. Primum: Quoniam attributorum divinorum diſtinctio, juxta noſtrum concipiendi modum, fundamentum habet in re, non eſſe attributa divina, variorumque attributorum effecta inter ſe confundenda: ſed ſingula attributa diſtinctis definitionibus explicanda, effectumque unius ab effecto alterius diſtinguendum. Non enim operatur Deus ſecundum adæquatam ſuam rationem: nullus enim effectus virtuti divinæ eſt adæquatus; ſed producit effectum ſecundum inadæquatam habitudinem ad hunc effectum, & non ad alium; adeo ut effecta ſpeciatim hujus, non illius attributi effecta dicenda ſint. Id videre eſt in juſtitia & miſericordia divina: punitio effectum eſt non miſericordiæ, ſed juſtitiæ divinæ: remiſſio miſericordiæ, non autem ſpeciatim juſtitiæ.

Nec ipſa attributa cum ſuis effectis. VI. Alterum. Effecta attributorum non eſſe confundenda cum ipſis attributis: ut beneficentiam cum bonitate, punitionem ex

juſtitia

justitia cum ipsa justitia, remissionem cum misericordiâ, &c. Attributa enim necessaria sunt, effecta autem libera, & salvis attributis abesse possunt. Tum effecta sibi invicem possunt esse contraria, attributa nequaquam; sed à parte Dei sunt unum idemque. Sic licet Deus ex misericordia remittat, non destruitur ejus justitia; & licet ex justitia puniat non deficit ejus misericordia: sed sive puniat, sive remittat, semper tamen & justus & misericors est; solummodò misericordiæ aut justitiæ suæ effecta illo tempore & circa illud objectum, non ostendit.

Divisio attributorum Dei. VII. Attributa divina diversimode à Theologis distribui solent. Nobis commodissima illa videtur distinctio, quâ in duas classes distribuuntur. Vel enim Deo attribuuntur quatenus consideratur simpliciter ut ens: vel quatenus consideratur ut ens vivum. Deo, simpliciter ut enti consideratо, attribuitur, quod sit Unus, Spiritus, Æternus, & Immensus. Quatenus consideratur ut ens vivum, illi attribuitur Vita: tum & duæ perfectissimæ vitæ facultates, Intellectus seu Scientia, & Voluntas. In voluntate autem attributa sunt duorum generum. Quædam enim concipiuntur per modum affectuum: ut amor, odium, ira, desiderium, fuga, spes, metus, desperatio, gaudium, tristitia, & pœnitentia. Alia per modum virtutum moralium affectus istos moderantium; ut justitia, mansuetudo, longanimitas, severitas. Hisce tandem adjunguntur, potentia, beatitudo, & gloria Dei; de quibus omnibus singillatim dicemus.

CAPUT III.

De Dei Unitate

Unitas Dei. I. PRimum inter attributa divina recensemus Unitatem. Unitas autem quando Deo tribuitur, non intelligitur generica, nec specifica, quæ est plurium, quæ eodem genere seu specie conveniunt sub eodem conceptu comprehensio; sed numerica; quâ Deus non tantum est indivisus in se, & divisus ab omni alio: sed & qua essentia ejus est expers multiplicationis, adeo ut solus sit ac unicus, & præter ipsum nullus Deus.

Probatur ex Scriptura. II. Hanc Deo unitatem competere Scriptura evidentissimè docet: *Deut.* VI. 4. qui citatur à Domino Jesu *Marc.* XII. 29. *Audi Israël, Dominus noster Dominus unus est.* Et *cap.* IV. 35. dicitur *non esse alius præter eum.* Et *cap.* XXXII. 39. *Videte quod ego sum solus, & non sit alius Deus præter me. Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum.* Vide & 1 *Cor.* VIII. 4, 5, 6. *Gal.* III. 20. *Eph.* IV. 6. 1 *Tim.* II. 5.

Rationibus. III. Sed & idem comprobatur rationibus. 1. Quia Deus est essentia necessaria ac per se: idea enim Dei necessariam involvit existentiam. Atqui illa pluribus communis esse nequit. Si enim plures statuantur, nihil in singulis reperietur cur necessario sint, neque cur magis duo quàm decem aut centum credantur. Si enim unus non sufficit, quomodo certus ero centum sufficere? Et si unus necessario existit, eo ipso sufficit solus, & reliquos omnes excludit. 2. In singulis diversis sunt quædam proprietates singulares, quibus inter se discriminantur: illæ autem in Deo, qui natura est necessaria, eoque & perfectissima, poni non possunt. Si enim discriminarentur Dii perfectione aliqua, unus perfectione, qua alter præditus est, carebit: sicque Deus esse non poterit. 3. Si plures essent Dii, possent singuli velle non tantum diversa, sed & contraria: singuli quippe libera potestate prædití ut sint necesse est, alioquin nec Dii essent. Atqui sic omnis in rerum natura ordo turbaretur, dumque unus alteri contrarium vult, misera rerum confusio orirетur. Dices. Optimè inter se consentirent; quia omnes eligerent optimum. Resp. In indifferentibus optimum est, quod summo rectori placet. Nihil quidem injustum vellent, sed diversa tamen, & unusquisque sui regiminis majestatem vindicaturus esset. Dices. Confusio metuenda non est: quia sibi invicem sunt subordinati, ac omnes uni supremo subjecti. Resp. Repugnat illud notioni Deitatis alteri subjectum esse, perinde uti notioni regis, alteri parere. Qui subest, eo ipso quod subest, Deus esse nequit. 4. Si plures statuantur Dii, omnis tollitur religio. Nulla enim esset ratio, cur uni magis esset obediendum quàm alteri. Nec omnibus simul obedientia præstari posset. Quin ratio cultus divini requirit, ut ex toto corde præstetur: plures autem si sint Dii, cor uni totum consecrari nequit, sed erga plures distractum erit. Quo ipso Ethnicorum illa πολυθεότης, & simul cum illa idololatria corruit.

IV. Sed nec minus ruit insulsum Manichæorum delirium, qui duo statuerunt principia activa, unum bonum, alterum malum: quorum prius omnis boni, alterum omnis mali fons sit & causa. Ex duobus enim illis oppositis principiis, quorum neutrum alteri subjectum est, fieri nequit, quin rectus ordo turbetur, continuaque confusio & perturbatio oriatur: præterquam quod communi sensui rectæque rationi adversetur, Deum esse & esse malum. Notio enim Dei omnem malitiam excludit. *Nullum est principium malum.*

V. Usus hujus doctrinæ est. 1. Quia Deus unus est, ut ab eo uno toti dependeamus, abnegatis omnibus, qui falsò Dii appellantur sive creduntur: *Matth.* IV. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* 1 *Cor.* VIII. 5, 6. *Etsi sunt qui dicantur dii,* *Usus.*

dii, sive in cœlis, sive in terra (siquidem sunt dii multi & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. 2. Ut cum ex toto corde omnibusque viribus nostris diligamus: sicut præcipitur *Matth.* XXII. 37. Id à nobis præstari non posset, si plures uno dii essent: 1. Quia unus ob naturæ excellentiam, utpote pluribus communis, eo honore non esset dignus. 2. Unus jus nullum habere posset ab omnibus cultum exigendi. 3. Nec nos ad unum obligati essemus cultum nostrum dirigere, imo nec possemus: *Nemo* enim *duobus potest dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet: Matth.* VI. 24. Estque id effatum verissimum, non tantum quando domini illi contraria, sed & quando diversa præcipiunt.

CAPUT IV.

De Dei Spiritualitate

Quid sit Spiritus. I. ALterum essentiæ divinæ attributum est, quod sit Spiritus. Spiritus est essentia purissima, immaterialis, omnis molis & concretionis corporeæ expers, cujusque actus maxime proprius est & essentialis, cogitare. A spiritu itaque removenda est omnis concretio corporea, quia est substantia simplex, quæ omnem partium compositionem excludit; & substantia subtilissima: adeoque quicquid corporeum & materiale est, ab eo est removendum. Deum itaque cum dicimus spiritum, plane incorporeum affirmamus. Imo inter omnes spiritus Deum esse purissimum ac maxime simplicem asserimus; adeo ut conceptus de Deo, si ullam, vel minimam corporis aut materiæ rationem in se includat, sit vitiosus, Deumque sub falsa idea repræsentet.

Deum esse Spiritum. II. Deum esse Spiritum licet Scriptura expressis verbis, nulli ambiguitati obnoxiis, non asserat, rationibus tamen solidis, tam ex Scriptura, quàm natura rei, desumtis, demonstrari potest. 1. Dantur spiritus à Deo creati: Angeli nempe sunt spiritus, *Hebr.* I. 14. animæ nostræ expresse vocantur spiritus, *Eccles.* XII. 7. animaque in futuro seculo dicitur futura spiritus vivificus, ad exemplum Christi novissimi Adami, 1 *Corinth.* XV. 45. coll. cum 49. quin & habituri dicimur *corpus spirituale*, ibid. *vers.* 44. Ergo & Deus est spiritus. Cùm enim spiritus essentia multo nobilior & excellentior sit quàm corpus, Deus si corpus esset, spiritum, utpote se nobiliorem, producere non potuisset. Hinc *Num.* XVI. 22. Moses Deum vocat *Deum spirituum universæ carnis*: ut & *cap.* XXVII. 16. Et *Hebr.* XII. 2. vocatur *Pater spirituum*, opposite ad *patres carnis nostræ*. 2. Nisi Deus sit spiritus & immaterialis, erit agens naturale & necessarium, imo ne Deus esse posse videtur. Omnis quippe materia ex se iners est & otiosa, neque motum concipere potest, nisi ab alio impulsa; nec motum illum inhibere; sed pro ratione impulsus necessariò movetur, nec nisi ab alio sistatur quiescet; &, occurrente alio corpore, necessario tantum de motu suo amittit, quantum illi communicat. Deus itaque, nisi spiritus sit, agens erit necessarium ac naturale, alterique omnem suam actionem debebit; quod notioni Dei est adversum, omnemque penitus religionem tollit. Quippe ab agente naturali ac necessariò nemo benefactorum præmia, aut malefactorum pœnas exspectabit: quod omnis religionis fundamentum est.

Recte idem probatur ex Joan. IV. 24. III. Quæritur an non ex *Joan.* IV. 24. *Deus est spiritus*, solide probari possit Deum esse spiritum? Ratio dubitandi est, quia in textu Græco non dicitur, Deus est spiritus, sed oratio occurrit elliptica, πνεῦμα ὁ Θεὸς: quæ suppleri potest per particulam ἐςὶ, vel per voculam ζητεῖ; ut sensus sit, Deus requirit spiritum. Pro negativa sententia sunt hæ rationes: 1. Quod non videatur ratio satis valida ad probandum, quòd veri adoratores Deum adorare debeant in spiritu & veritate, quòd Deus sit Spiritus: quoniam non natura Dei, sed ejus voluntas, cultus nostri regula est; & quia Deus non tantum spiritu, sed & corpore coli debet, 1 *Cor.* VI. 20 unde tamen male concluderetur, Deum esse corpus. 2. Quia ratio hæc non satis esset opposita sententiæ mulieris Samaritanæ: nam exinde sequeretur, aut veterem cultum Judaicum, utpote externum & carnalem, non fuisse institutum à Deo; quia naturæ ejus spirituali non fuisset consentaneus: cujus tamen contrarium Dominus asserere cupiebat: aut si à Deo esset, potuisse etiam in spiritu exerceri. At si hoc verum esset, nulla fuisset ratio cur abolendus esset. Itaque videtur suppletio fieri debere per ζητεῖ; & sic omnia bene fluent: Quoniam enim Deus spiritum requirit, ideo oportet ut veri adoratores eum adorent in spiritu & veritate. Non tamen rationes illæ, nostro judicio, ita validæ sunt, ut sufficiant ad concludendum, ex hoc loco probari non posse Deum esse spiritum. Certum quippe est, Deum velle sibi cultum perfectissimum exhiberi: perfectissimus autem cultus ille est, qui naturæ ejus divinæ optime convenit. Cùm itaque extra dubium sit, spiritualem cultum omnium esse perfectissimum, exinde recte colligitur, etiam Deum esse spiritum; & quia spiritus est, ideo etiam velle ut sibi spiritualis cultus exhibeatur.

IV. Quo ipso crassus ille Anthropomorphita- *Error*

rum error corruit, qui Deo humani
oris membra adscribere non sunt veriti.
t eorum, qui Deo corpus aliquod, sed
: & subtile, adscribunt, attamen ma-
e, & membris praeditum, qualia in
ne reperiuntur. Quorum error eò tan-
redit, ut Deus in agens naturale con-
tur: quod religionis pestem esse jam
dimus.

Objici tamen in contrarium posset:
d in Scriptura Deo passim humani cor-
membra adscribantur, & Scriptores
, de Deo loquentes, non aliter fere ac
omine loqui soleant. Resp. Scriptura
accommodat captui nostro; quia nos
nes spiritus comprehendere non possu-
nisi sub ratione, quâ anima in corpore
r membra corporis operatur: utitur-
igurata loquendi ratione, quae vulgo
παθεια vocatur; cujus figurae illud
videntissimum argumentum, quod
tura non quaevis corporis humani mem-
Deo adscribat; videl. non ignobiliora,
e operationibus vilioribus inserviunt,
tritioni, generationi, &c. aut one-
solummodo portandis; ut humeros,
que: sed nobiliora tantum, actio-
ue praestantium instrumenta: ut per
ei actiones designet, analogiam ha-
s cum hominum actionibus, quae per
ora illa eduntur. Sic Deo tribuitur
quod actionum vitalium est princi-
: manus, quia in illis robur; oculi,
s scientiam, quia per oculos scientiam
imus; aures, ut ejus benignitatem,
quibus benigni sumus iis faciles prae-
s aures; os, ut ejus decreta significet,
ore animi nostri decreta enuntiamus:
& faciem, ut Dei vel favorem vel a-
nem denotet; quia quibus favemus
faciem convertere, quos aversamur,
faciem avertere solemus. Dices. Sed
ores partes hominis Deo nonnunquam
runtur, ut pili, qui corporis humani
menta sunt: sic Danieli apparuit sub
antiqui dierum, *Cap.* VII. 13. Resp.
pili illic non nominentur, credibile
est, Deum pilis ornatum apparuis-
rum intelligendi sunt cani, qui se-
s indicia sunt, ad majestatem divi-
quoniam cani senibus majestatem &
tiam conciliant, repraesentandum.
Sed & praeterea objicitur, quod ho-
tatus dicatur ad imaginem Dei, *Gen.*
Unde colligi posse videtur, Deum
cui humana sit similis, constare.
Quando homo ad imaginem Dei crea-
itur, id non intelligendum de forma
externa; Deus enim expresse di-
ut. IV. 15. Israëlitis, quod *nullam*
ilitudinem viderint; cùm tamen, si
atione formae externae illi similis es-
otidie eam vidissent; & Apostolus
Gentiles reprehendit, quod *gloriam incor-
ruptibilis Dei mutaverint in similitudinem cor-
ruptibilis hominis*, *Rom.* I. 23. Sed ratione
qualitatis cujusdam eximiae, per quam ho-
mo Deum speciatim repraesentat: illam au-
tem ex dicto *Genes.* I. 26. loco, aliam non
esse constat, quàm dominium, quod Deus
homini largitus est in omnes creaturas; cu-
jus respectu instar Dei cujusdam visibilis
est, omniumque dominus. Ad id catenus
etiam ratio pertinet, quatenus illius ope
tanquam sceptro dominium hoc exercet.
An etiam corpus, quatenus animae rationa-
lis apta sedes est, non decidimus. Sed de eo
alias, in Cap. de creatione hominis.

VII. Quoniam Deus est spiritus, sequi- *Deus est invisibilis.*
tur eum esse invisibilem: sicut enim spiritus
omni mole & extensione corporea, figura,
aliisque, quae corpori propria sunt, caret,
ita & colore, qui proprie visus objectum est,
destitutus est. Unde Scriptura expresse de
Deo dicit, quod videri non possit. Sic Mo-
si, roganti ut faciem Dei videre posset, re-
sponsum est: *Non poteris videre faciem meam;
non enim videbit me homo, & vivet*; *Exod.*
XXXIII. 13. & 20. Quorum verborum sen-
sus non est; quod quicunque Deum vide-
rit, moriturus sit: prout Judaei accepisse
videntur, ut ex Gideone, *Judic.* VI. 22. &
parentibus Simsonis, *Judic.* XIII. 22. liquet;
ita enim innueretur, Deum videri posse:
sed, Deum à vivente homine videri neu-
tiquam posse. Unde expresse Deus vocatur
ἀόρατος, I *Timoth.* I. 17. *Hebr.* XI. 27. *Quem
nullus hominum vidit, sed nec videre potest*;
I *Tim.* VI. 16.

VIII. Objici his posset, quod Deus non- *Quo sensu Deus dicatur visus.*
nunquam in Scripturis visus legatur, ut
Exod. XXIV. 9, 10, 11. Mosi, Aaroni, e-
jusque filiis Nadab & Abihu. *Genes.* XXVI. 2.
Isaaco. *Genes.* XXXII. 30. Jacobo. *Judic.* VI.
22. Gideoni. *Judic.* XIII. 22. parentibus
Simsonis. I *Reg.* XXII. 19. Michae: & *Esa.*
VI. I. ipsi prophetae Esaiae. Resp. In nul-
lo horum locorum dicitur, ipsum Deum
verè ab ullo homine visum. Quod enim
primum, tertium, quartum, & quintum
locum attinet, per Deum intelligitur ange-
lus Dei nomine loquens & apparens: quod
sicut de tribus posterioribus antea ostendi-
mus, ita & de primo etiam facili negotio
ostendi potest: Quia post oblatam visionem
hanc Moses petiit, ut Deus sibi ostenderet
faciem suam, *Exod.* XXXIII. 18. cui fini,
si Deus jam antea ipsi faciem suam osten-
disset? Intelligendus ergo est illi & Aaro-
ni, filiisque, apparuisse Angelus, gloriâ ex-
cellenti, quae Majestatis divinae signum sit,
vestitus; quae maxima illic apparuit, quia
Angelus ille speciatim personam Dei reprae-
sentabat. Quod attinet secundum & duos
postremos, intelligitur visio prophetica,
sive in somnio, sive vigilantibus in ecstasi
oblata

oblata. Atqui in ejusmodi visione non videtur res revera, sed imaginationi hominis ideæ quædam imprimuntur, per quas res repræsentantur non prout se revera habent, sed juxta beneplacitum Dei, secundum quod rerum conditionem sub hac aut simili figura vult repræsentare. Quod in visione Michæ 1 *Reg.* XXII. luculentissime liquet, qui non tantum Deum, sed & Israëlem, tanquam gregem dispersum & errantem sine pastore, vidisse legitur: cùm tamen Israël ita revera non esset dispersus, sed per dispersionem illam Deus prophetæ Israëlis peccatoris, & favore divino destituti, statum depingere voluit.

Quo sensu pii in futuro seculo Deum visuri dicantur.

IX. Sed & porro objici potest, quod pii in futuro seculo *Deum visuri* dicantur, *Matth.* V. 8. & quidem, *facie ad faciem*, 1 *Corinth.* XIII. 12. & *sicut est*, 1 *Joan.* III. 2. Resp. *Videre Deum* non significat essentiæ divinæ visionem; ea enim si videri posset, deberet esse figurata & colorata: figura enim & color proprie visus objectum sunt. Dices. Attamen Deum visuri dicimur sicuti est. Resp. *Deum videre sicut est*, non significat essentiæ divinæ visionem: nullius enim rei essentia videri potest. Etiam homines, aliaque, videmus sicut sunt; non tamen eorum essentiam videmus, sed figuram externam & colores: quibus cum Deus destitutus est, manifestum est Deum videri non posse. Quid est ergo, quod Scriptura dicit, pios Deum visuros in futuro seculo? Resp. Quis hoc plene in hac vita, ubi tantum per speculum in ænigmate videmus, explicaturus est? Alii accipiunt de clara & intuitiva essentiæ divinæ cognitione. Verùm vox *videre* magis quid innuere videtur, quia in visione illa salus æterna collocatur: non quod visio illa totam salutis nostræ rationem complectatur, sed quod totius nostræ salutis fundamentum sit. Alii credunt, Deum verè à beatis in futuro seculo visum iri, verùm non oculis carneis, quales nunc habemus, sed spiritualibus, qui conveniunt corporibus spiritualibus & gloriosis, quorum aciem Deus ita aucturus est, ut ipsum, carnalibus oculis inconspicuum, videant. Sed verò, tales necesse est concedant, Deum revera visibilem esse: quod vere hic à nobis non videatur, non esse, quia ipse videri nequit: sed quia oculorum nostorum acies hebetior est, quàm ut Deum videre possit. Itaque non absolute Deus esset invisibilis, sed carneis tantum oculis. Atqui hoc sensu multa dici possent invisibilia, quatenus subtiliora sunt, quàm ut oculorum nostrorum acie deprehendi possint. Atqui hæc sententia Deum aliquatenus materialem & corporeum, sed subtilioris tantum texturæ, ut statuat necesse est.

Quid sit, videre Deum.

X. Quare nostro judicio rectius sentiunt, qui per visionem Dei intelligunt præsentiam familiarem ac perpetuam conversationem cum Deo, qualis est Angelorum, *Matth.* XVIII. 10. & filiorum in domo patris sui: tum & jugem & perpetuam fruitionem bonorum omnium, quæ ex sapientia, potentia, bonitate divina perpetuo emanabunt, quibusque Deus gloriam suam manifestabit: ita ut *videre Deum* sit, frui Deo bonisque divinis; eadem phrasi, quâ *videre vitam*, significat frui bonis vitæ, *non videre mortem*, non sentire mala ac ærumnas mortis: *Luc.* II. 26. *Joan.* III. 36. VIII. 51. Quod ipsam essentiam divinam attinet, illam à beatis in futuro seculo vere ac proprie conspiciendam esse illis phrasibus neutiquam determinatur.

Dei Simplicitas.

XI. Porro Spiritualitati Dei cohæret Simplicitas, quæ excludit omnem realem compositionem, seu duplicitatem, quâ essentia divina ex pluribus tanquam partibus, sive integralibus, sive essentialibus, ut materiâ & formâ, actu & potentiâ, composita sit. Quoniam enim spiritus est, omnis concretionis est expers, nihilque nisi actus est & perfectio, qui omnem potentiam passivam excludit. Non tamen id impedit, quò minus relationes Deo attribuantur; aut volitiones liberæ in Deo sint. Illæ enim nullam in essentia divina compositionem faciunt: relationes siquidem tantum respectus quidam sunt, qui Deo attribuuntur propter opera quædam, quæ relationum fundamenta sunt: illæ autem nullam realem in essentia compositionem faciunt, cum ipsæ nihil sint reale, nec essentiæ inhæreant, sed tantum ad essentiam referantur. Volitiones liberæ procedunt ab essentia divina; & licet aliquid reale sint, non tamen essentiam perficiunt, sed essentiam esse perfectam ostendunt; non enim per volitiones liberas essentia divina perficitur, sed quia perfecta est, ideo volitiones liberas elicit. Et licet sint immanentes, nemo tamen recte dixerit, Deum ex essentia sua & libera volitione componi: sicut nemo, nisi absurdè, dixerit, hominem ex se & volitione, sive ambulandi, sive loquendi, componi.

Usus.

XII. Usus attributi hujus sunt. 1. Quia Deus est spiritus, etiam spiritualem à nobis cultum exigere potest, nosque obligati sumus, quando eum exigit, illum præstare; *Joan.* IV. 24 2. Etiam spiritualia bona, quæ Deus nobis promisit, certa animi fiducia ab ipso exspectare possumus. Quæ enim bona quis habet, etiam aliis largiri potest: præstantiora autem quàm ipse habet, nequaquam. 3. Ne Deum ulla imagine, qualiscunque ea sit, repræsentemus: spiritus enim nulla imagine repræsentari potest, sed solummodo corpus. Idcirco & Deus id severe interdixit, *Deut.* IV. 15, 16, 17, 18. *Custodite igitur sollicitè animas vestras: Non vidistis aliquam similitudinem, in die quâ locu-*

tus

tus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam imaginem, &c. Vide & *Eſa*. XL. 18. *Act*. XVII. 29. & expreſſè reprehenduntur gentiles, quod *gloriam incorruptibilis Dei mutaverunt in ſimilitudinem corruptibilis hominis*, &c. *Rom*. I. 23. Quare excuſari neutiquam poteſt Eccleſia Romana; quæ, ſummo cum præcepti divini contemtu, imagines Dei facit, eiſque paſſim templa ſua exornat. Eſtque id peccatum eò magis execrandum, quòd maximam ad idololatriam occaſionem præbeat: effigiatio enim imaginis Dei facile cultum illius producit; & εἰκονοποιοὶ facile degenerant in εἰκονολάτρας: quod experientia, heu nimis evidenter, in Eccleſia Romana comprobat.

CAPUT V.

De Dei Æternitate.

[illegible] I. ÆTernitas eſt duratio principio & fine carens. Deum itaque quum æternum dicimus, nec exiſtendi principium habere, nec finem habiturum, ſed ſemper eundem abſque ulla ſui variatione aut mutatione eſſe ac futurum, affirmamus. Hinc liquet, æternitatem dupliciter conſiderari: vel à parte poſteriore: quæ eſt eorum, quæ exiſtendi quidem principium habuerunt, finem autem nunquam habitura ſunt: quales ſunt Angeli, & animæ noſtræ. Alia etiam eſt à parte anteriore, quæ nec exiſtendi principium habuit, nec finem habitura eſt: eaque eſt ſolius Dei. Hanc Deo competere Scriptura docet, quæ expreſſe eum vocat *æternum*, *Rom*. XVI. 26. *regem ſeculorum*, & *immortalem*, 1 *Tim*. I. 17. *qui ſolus habet immortalitatem*, *Cap*. VI. 16. *Deum ſempiternum, qui neque deficiet, neque laborabit*, *Eſai*. XL. 28. Et *Pſal*. CII: David de ipſo dicit, *Tu idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Et deſcribitur periphraſi hac, ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Apoc*. I. 4, 8. IV. 8. XI. 17. Sed & idem evincit ratio. Quia ſi Deus à parte anteriore æternus non eſſet, ab alio ortum haberet, & ſic non eſſet ſummus, ſed ille, cui originem ſuam debet. Non enim dici poteſt, ex nihilo Deum exſtitiſſe: quoniam ſi aliquando nihilum fuit, neceſſe eſt ut ſemper ſit. Si enim ab æterno non exſtiterit ens aliquod, impoſſibile eſt ut unquam ens aliquod ortum ſit. Cùm autem manifeſtum ſit entia eſſe, neceſſe eſt, ab æterno ens aliquod exſtitiſſe, à quo omnia originem habent. Atqui hoc, uti jam oſtendimus, eſt Deus. Si autem Deus à parte anteriore eſt æternus, neceſſe eſt ut etiam ſit à parte poſteriore: quia ſicut naturæ ſuæ neceſſitate exiſtit, ita nec naturæ imbecillitate unquam deficere poteſt: & ab alio potentiore, utpote ipſe ſupremus, deſtrui nequit.

II. Quæritur autem; in quo propriè ratio æternitatis conſiſtat? Nos credimus eam conſiſtere in perpetua & nunquam interrupta duratione, quæ, ſicut initium non habuit, ita & fine caret. Sed quæritur, an ad æternitatis rationem pertineat, quòd ea ſit unicum tantum præſens, nullaque in ea ſucceſſio locum habeat? Ita docent communiter Scholaſtici, Boëthii definitionem amplectentes, quòd æternitas ſit interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Et hoc reſpectu æternitatem à tempore diſtinctam volunt; quòd tempus ſit duratio ſucceſſiva, variis momentis ſibi ſuccedentibus conſtans: æternitas autem ſit fixum quid, & puncti inſtar, quæ tota coëxiſtat omnibus temporum differentiis, dum illæ non ſimul, ſed ſingulæ ordine ſuo exiſtunt; adeo ut, licet in rebus creatis reſpectu durationis ſit prius & poſterius, illud tamen in æternitate locum non habeat. *In quo conſiſtat ratio æternitatis.*

III. Me quod attinet, fateor libens, ſive ſucceſſionem in æternitate ſtatuamus, ſive eam ab ea removeamus, utrinque varias occurrere & ferè inexplicabiles difficultates: quia nos æternitatis, quæ duratio eſt infinita, perfectum & adæquatum conceptum formare non poſſumus. Concipimus quidem, eam eſſe æternitatis rationem, ut principio & fine careat: ſed durationis principio & fine carentis adæquatam ideam, quæ eam plenè & diſtinctè nobis repræſentet, vix concipimus. Ideoque in materia adeo ſublimi ex omnibus difficultatibus plenè nos extricare non poſſumus; nec etiam temere quicquam in alteram partem decidi, nedum alteri præſcribi poteſt. *Difficultates utrinque occurrentes.*

IV. Si ſucceſſionem in æternitate admittamus, vix evitari poteſt, quin primum aliquod in æternitate momentum agnoſcere cogamur: quod æternitatis notioni directè adverſatur. Quia nullum momentum æternæ hujus ſucceſſionis præteriiſſe dici poteſt, quin aliquando fuerit præſens: quia præteriiſſe dici non poteſt, quod præſens nunquam fuit: nec etiam quod præterit etiamnum præſens eſt. Unde ſequitur, cùm omnia hujus ſucceſſionis momenta aliquando præſentia fuerint, nec tamen unquam plura uno ſimul, ſed ſingula unum poſt alterum ſemper ſucceſſerint; quod aliquando fuerit, cum omnia, ſaltem præter unum, erant futura. Et ſic vel inviti videmur reduci debere ad primum durationis ſucceſſivæ principium, quantæcunque eam concipiamus extenſionis. Quod æternitatis notioni eſt adverſum. *Si agnoſcatur ſucceſſio in æternitate.*

V. Sed & ab alterâ parte, ſi omnem ab æternitate ſucceſſionem removeamus, aliquid ἀκατάληπτον dicitur. Capi ſiquidem non poteſt, quomodo res æternum duret, & in illâ duratione non ſit ſucceſſio & continuatio ab uno momento in aliud per momenta *Si ſucceſſio in æternitate negetur.*

intermedia. Dices. Omnis duratio successiva est etiam alterativa, estque solummodo rerum fluxarum, quarum una pars existit post alteram, quarumque omnes partes unico tantum momento præsentes sunt: res verò stabilis, quia semper eadem est, eodemque modo se habet, habet etiam durationem permanentem sive identificam. Resp. Durationem esse distinguendam ab ipsis rebus quibus duratio attribuitur: neque durationis successio cum alteratione rei durantis est confundenda. Res ipsa durans tota simul esse potest, atque immutata in omnem æternitatem perseverare. At in illa duratione non esse multiplex nunc, seu multa instantia, ex quibus inter se collatis aliud sit prius, aliud posterius, capi non potest. Non ergo illa videtur esse inter tempus & æternitatem differentia, quod tempus in continuo sit fluxu; æternitas autem fixa & stabilis duratio sit: sed quod tempus constet momentis finitis, æternitas infinitis: imo æternitas reverà aliud nihil videtur, quàm tempus principio & fine carens, omneque tempus finitum exigua tantum portio æternitatis.

Difficultas prima. VI. Si aliter concipiamus, non potest Deus dici, qui fuit, & qui erit. Dices. Imo hoc de ente æterno & permanente dici non potest, quod fuerit, illud enim existentiæ desitionem significat; aut quod erit; illud enim essentiæ futuram existentiam significare videtur. Resp. Nullo modo: sed significat, eandem illam stabilem ac invariatam essentiam cum momentis præteritis fuisse conjunctam, & cum momentis futuris fore conjunctam, absque ulla sui mutatione aut alteratione. Duratio enim non infert mutationem, sed est externa tantum conjunctio rei cum momento præsenti: præteritum non dicit rei desitionem; sed tantum desitionem respectus, sive externæ conjunctionis cum momentis, quæ jam amplius non existunt: sic futurum non denotat existentiæ futuritionem; sed existentiæ præsentis conjunctionem futuram cum momentis fluxuris.

Secunda. VII. 2. Jam hoc momento Deo omnia erunt præsentia, tam quæ fuere, quàm quæ nondum sunt, idque in infinitum usque. Quod sane comprehendi nequit. Dices. Eam esse æternitatis rationem, quòd illa omnibus temporum differentiis tota simul coëxistat. Resp. Sed quis id capere potest, durationem fine & principio carentem totam coëxistere minimo temporis spatio? Sic vita nostra ad æternitatem collata non esset instar brevissimi temporis; sed contra æternitas collata ad vitam nostram: quia unum quodque vitæ nostræ momentum toti æternitati coëxisteret; atque ita æternitas multis vicibus in vitæ nostræ duratione comprehenderetur. 2. Res præteritæ essent simul, & præsentes: præteritæ; quoniam jam factæ; præsentes, quoniam æternitati, quæ unicum præsens est, coëxistentes. Quod similiter de futuris dici potest. Dices. Instans in æternitate ejus esse eminentiæ, ut tempori quantumvis longo æquivaleat. Resp. Explicent æquivalentiæ hujus modum, ut distinctus illius possit formari conceptus. Sane ubi diu sudaverimus, comperietur tandem, eadem esse momenta in æternitate, quæ in tempore; sed quæ cum respectu naturæ nostræ, quæ cœpit, & labitur, & desitura tandem est, designabiles habent terminos: respectu vero divinæ naturæ, quæ nec cœpit, nec mutatur, nec finem habitura est, diffusionem ante & post nos illimitatam habent. Solent sententiam suam illustrare similitudine arboris in alveo, centri in circulo, axis in sphærà, gnomonis in sciaterico, quæ singula immota manent, dum alveus eam præterlabitur, & circulus, sphæra, ac umbra, circumducitur. Sed vero non æternitas, sed res ipsa æterna, hoc est, Deus, rebus illis immobilibus comparatur. Fatemur, Deum semper esse eundem ad successionem æternitatis, & res creatas in continuo essentiæ esse fluxu, Deum vero semper esse invariatum. Sed non quærimus de essentia Dei, sed de natura æternitatis in abstracto consideratæ. Licet itaque æternitas Dei revera nihil sit aliud nisi Deus æternus; illud tamen non impedit, quò minus nos rationem æternitatis in abstracto consideremus, cujus notio omnino inferre videtur successionem durationis, essentiæ autem alterationem & successionem excludit.

VIII. Dices. Deo tamen omnia sunt præsentia. Resp. Non sunt Deo præsentia ratione existentiæ suæ realis, sed quia intellectui ejus sunt præsentia; hoc est, quia Deus præterita & futura tam exactè novit, ac si præsentia essent. Non, quod Deus omnia, tam præterita quam futura, noscat cum præsentibus simul esse præsentia: sic enim ea non rectè cognosceret: sed quòd perinde ac si præsentia essent certissimè cognoscat. Neque etiam quòd hominum instar succedenter modo hoc modo illud cognoscat; sed simul eodemque momento cognoscit quicquid cognosci potest. Uti in sequentibus plenius docebitur. *Quomodo Deo omnia sint præsentia.*

IX. Objici tamen pro momentanea illa æternitatis duratione solet, illud Petri 2 *Epist.* III. 8. *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.* Resp. Non loquitur Apostolus de annis Dei, quasi apud Deum inter mille annos & unum diem nullum sit discrimen respectu durationis: quia enim non tantum dicit, mille annos esse sicut unum diem, sed & unum diem esse sicut mille annos, posset hac explicatione admissa contrarium quis inde colligere; quod æternitas tantæ sit durationis, ut unus illius dies longitudine æquet mille annos: *Explicatio 2 Pet. III. 8.*

nos: sed loquitur de annis hominum, quod spatium mille annorum sit apud Deum quasi unus tantum dies. Loquitur nimirum, uti antecedentia & consequentia docent, de constantia Dei in servandis promissis; ostenditque Deum, sive statim promissa impleat, sive eorum impletionem certas ob causas differat, in promissis suis servandis semper esse constantem, & nullum temporis spatium, etiam nostri respectu longissimum, eorum impletionem impedire; id nempe Deo tam facile esse post mille annos, quàm post unum diem: Deum etiam nonnunquam promissorum suorum impletionem differre, & unum diem extendere quasi in mille annos, ut plurium saluti consulat, plurésque ad pœnitentiam ducat.

[illegible] vere. X. Hæc autem eò non disputavimus, quasi determinantes, æternitatem successivam esse durationem; sed ad ostendendum, utrinque inexplicabiles esse difficultates; ideoque modum durationis æternæ temerè & imperiose non esse definiendum. Sufficiat credere, Deum esse æternum, illiusque durationis nec principium esse, nec finem. Utrum illa duratio sit fixa, an successiva, quia Scriptura non definit, nec nos definiamus.

[…]us est independens, XI. Quia autem Deus est æternus, sequitur illum etiam esse independentem, tam in existendo, quàm operando: & à se, id est, naturæ suæ necessitate existere, adeoque sibi perpetuæ existentiæ esse principium. Hoc Scriptura innuit, quando eum vocat *primum & novissimum*, *Esa.* XLIV. 6. XLVIII. 12. Tandem etiam, ipsum esse immutabilem. Hinc vocatur ἀφθαρτος, *Rom.* I. 23. *[…] immutabilis.* & dicitur, *idem ipse esse*, *Psal.* CII. 28. Nimirum quoad substantiam nec augeri potest, nec minui, nec multiplicari; nec alteratio aut mutatio contingere potest in illius attributis. Seipsum abnegare non potest; 2 *Tim.* II. 13. Quod voluntatem attinet, & illa immutabilis est: licet enim ea sit libera, quicquid tamen Deus semel decrevit, irritum non fiet. Sic *Esa.* XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam. Malach.* III. 6. *Ego Dominus, & non mutor. Jacob.* I. 17. dicitur apud eum *non esse transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Sed hac de re in capite de voluntate Dei.

Usus. XII. Usus attributi hujus est. Quia Deus est æternus, etiam æternæ vitæ præmium certa animi fiducia ab ipso exspectare possumus. Quia enim æternus est, etiam vitæ æternæ præmium cultoribus suis largiri potest. Nisi autem æternus sit, nec æternam vitam cultoribus suis largiri, nec cultores eandem certa animi fiducia ab ipso exspectare possunt. Dices. An itaque necesse est, etiam credere Deum à parte anteriore esse æternum? Resp. Omnino: quia nisi à parte anteriore æternus statuatur, nec à parte posteriore æternus credi potest; quoniam enim nullum habet superiorem, à quo in esse suo conservatur, si existendi initium habuisse credatur, necessario etiam finem habiturus credi debet. Quia existentia inchoata, eo ipso quia inchoata est, non necessaria, sed contingens tantum est, ac proinde desitura. Æternus itaque quando agnoscitur Deus, vita æterna absque ulla mutatione à nobis certò exspectari potest: quia Deus erit omnia in omnibus, 1 *Cor.* XV. 28. & vitæ æternæ in Jesu Christo auctor dicitur, 1 *Joan.* V. 11. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus est.*

CAPUT VI.

De Immensitate Dei.

I. Æternitatem Dei excipit ejus Immensitas, seu Omnipræsentia. De ea vix aliud dicere possumus, quàm id quod legitur *Psal.* CXLV. 3. *Deus magnus est, sed magnitudinis ejus non est investigatio.* Finitum enim quomodo infinitum capiat? Sufficiat scire, Deum ita esse immensum, ut nulli loco includatur seu circumscribatur, & à nullo loco excludatur; sed ubique modo ineffabili & imperscrutabili præsens sit, adeo ut nihil concipi possit, ubi Deus non sit. Hoc sensu dicit Deus, *cœlum est solium meum, terra scabellum pedum meorum*, *Esa.* LXVI. 1. Et *Jerem.* XXIII. 24. *Numquid ego cœlum & terram impleo? inquit Dominus.* Et Salomon 1 *Reg.* VIII. 27. *Cœlum* & *cæli cœlorum te non continent.* Vide & *Job.* XI. 7, 8, 9. & præsertim *Psal.* CXXXIX. 7, 8, 9. &c. *Quo ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si adscendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* &c. *Immensitas seu Omnipræsentia Dei.*

II. Quæritur, an hoc de essentiæ divinæ, an vero potentiæ & providentiæ immensitate sit intelligendum? Varia hic est Theologorum sententia. Aliqui credunt, hoc non essentiæ divinæ, sed proprie ejus potentiæ & providentiæ tribuendum. Concipiunt videl. Deum in cœlo, tanquam in solio majestatis suæ habitare; quia cœlum solium ejus vocatur, *Esa.* LXVI. 1. & expressè Deus in *cœlis habitare* dicitur, *Psal.* CXV. 3. nosque eum ita compellare jubemur, *Pater noster qui es in cœlis*, *Matth.* VI. 9. Inde autem omnia regere, seque inde per virtutem & potentiam suam ubique diffundere, omnibusque rebus præsentem esse; solis instar, qui radiis suis ubique lucem & calorem suum diffundit. *Varia de ea Theologorum sententia.*

III. Sane si loca antea allegata accuratè expendantur, ea de potentiæ & providentiæ divinæ immensitate accipienda esse constabit, quemadmodum & varii celeberrimi inter- *Deus potentia ac providentia sua est ubique.*

interpretes ea interpretati sunt. Attamen si de potentia & scientia Dei accipiantur, quomodo de essentia divina negari possint, non video. Non enim potentia & scientia quid diversum ab essentia Dei sunt; neque potentia Dei alicubi concipi posse videtur, quin & ibi essentia Dei concipiatur. Si quis tamen scrupulo aliquo cohibeatur, quò minus idem de ipsa Dei essentia affirmare audeat, eum ego damnare non ausim; modo caveat, ne essentiam Dei intra certum locum limitet & quasi circumscribat, aut ei certam figuram attribuat: hoc enim ejus Spiritualitati, illud & Immensitati adversatur.

Etiam essentia sua.

IV. Quare alii rectius, nostro judicio, ipsam essentiam divinam immensam statuunt. Sed & hi rursus in duas abeunt partes. Quia enim spiritus omni corporea quantitate caret, ac proinde per partes non potest esse præsens, gravissima oritur difficultas, quâ ratione essentia divina ubique præsens esse possit? Alii docent, eam per modum infinitæ extensionis ubique præsentem esse: Alii autem, Deum puncti instar esse ubique, adeo ut totus sit ubique, & totus puncti instar in qualibet mundi parte.

Sed controvertitur, an Deus sit ubique puncti instar.

V. Quod posteriorem hanc sententiam attinet, ea mihi videtur incomprehensibilis, & gravissimis laborare difficultatibus. Primò enim ex ente omnium maximo & infinito facit rem omnium minimam, hoc est, punctum. Sed & præterea manifestam involvit contradictionem. Si enim tota essentia divina sit in quolibet puncto, quomodo erit extra illud punctum? An ibi etiam erit tota, & remanebit tantum unica essentia? Sane si tota Dei essentia sit in singulis punctis physicis; omnino consequitur, quod ipsa essentialis ejus amplitudo non sit major puncto illo physico, in quo est. Aut ergo dicendum, Deum extra illud punctum non existere, quod blasphemum: aut totam essentiam divinam extra seipsam totam existere, imo infinities, pro numero punctorum, quæ in mundo sunt: aut Deum seipso infinities esse majorem, Deumque totum seipsum totum infinities continere, atque ita seipso infinities majorem & minorem esse. Quæ omnia sunt contradictoria, & sanæ rationi adversa. Præterea, periculosas hæc sententia de Deo producere cogitationes apta est. Primò enim, non videbitur esse differentia inter Deum & creaturas: nulla enim est essentia, in cujus quovis puncto non erit integra essentia divina. Atqui sic omnia erunt Deus & divina essentia. 2. Nulla erit per consequens in mundo idololatria: quocunque enim homo se convertat, ad Deum se convertet, & quicquid adoret, essentiam Dei adorabit. 3. Deus tam erit præsens in inferno, quàm cœlis, tam in diabolis, quàm angelis; & per consequens illi non minus quam angeli gloriæ divinæ participes erunt. Cùm essentia divina absque gloria esse non possit; proinde ubi tota est essentia divina, ibi ut & gloriosa sit necesse est.

An per modum infinitæ extensionis.

VI. Sed nec prior sententia suis caret difficultatibus: quod videlicet Deus per modum infinitæ extensionis ubique sit præsens. Licet enim ea ex scientiæ & potentiæ divinæ immensitate fluere videatur, quoniam ipsa scientia & potentia divina ubique præsens nihil aliud videatur, nisi essentia ubique præsens, ac proinde extensa; tamen hoc absurdo premi videtur, quod Deus hac ratione statuatur quantus. Verum quidem est, responderi, Deum nullo modo statui quantum, sed concipi quasi extensum, quia nos alio modo ejus immensitatem concipere non possumus. Si urgeamus, Deum hoc admisso fore divisibilem. Responderi solet, id minimè sequi: divisibilem enim esse soli competere extensioni corporeæ, quæ, sicut ex partibus minutissimis coaluit, ita etiam in easdem resolvi potest. Spiritualem autem extensionem esse incorpoream & simplicissimam, secundum entitatem spirituum simplicissimam, ideoque divisibilem non esse, nec discerptibilem in partes, quas non habet. Quod si tamen spiritui partes quædam Metaphysicæ à nobis attribuuntur, fieri illud, non quod reverâ illi insint; sed per solam mentis denominationem extrinsecam in ordine ad spatium, cui coëxtensus concipitur.

An ratione operationis suæ.

VII. Sed cum hac ratione omnes difficultates sublatæ non videantur, alii alio modo se extricare putant. Ajunt Deum propriè non posse dici ubique, quia non est in ubi: hanc enim esse affectionem corporum: Omnipræsentiam autem divinam esse tantum denominationem externam; ac Deum ubique præsentem dici ratione operationis suæ, quâ in omnibus rebus corporeis operatur. Verùm nec hi felicius se expediunt, nec minoribus difficultatibus premi videntur. Quid enim, si Deus neque est ubique, neque alicubi, an ergo est nusquam? Fatentur, ac fateri necesse habent: eam quippe spirituum esse naturam ajunt, ut, quoniam plane incorporei & immateriales sunt, nullam ad locum aut spatium habeant relationem; id enim solis corporibus, utpote extensis, competere. Sed quæri posset, an id, quod nusquam est, dici possit esse, vel existere? An possit alicubi operari, quod alicubi non est, ac proinde operari ubi non est? Sane negari non potest, potentiam divinam ibi esse, ubi operatur. Atqui potentia divina ipsa est essentia divina, seu Deus ipse. Deus ergo est, ubi operatur. Et si omnipræsentia divina non sit attributum reale, sed tantum denominatio externa, quâ Deus propter suam operationem tantum denominatur Omnipræsens; quid adeo indignantur illis, qui Deum non ratione essentiæ, sed ratione scien-

scientiæ, potentiæ ac providentiæ ubique esse docent; cùm ipsi Deum ratione operationis solummodò ubique denominari, ratione autem essentiæ non tantum non ubique, sed ne alicubi esse contendant?

Præstat dicendi desinere. VIII. Sed vero, hæc cum in finem non proponimus, ac si præcisè quicquam in alteram partem definiamus, aut omnes omnipræsentiæ divinæ modos tanquam absurdos rejiciamus; sic enim Omnipræsentia divina abnegaretur: sed ut ostendamus, non temere, uti quidam faciunt, hunc aut illum omnipræsentiæ divinæ modum definiendum esse. Si qui sunt, qui putant, se facili negotio ex difficultatibus objectis se expedire posse, fruantur illi suo judicio; modo ne nobis necessitatem imponant idem cum ipsis definiendi; sed libertatem concedant, cum Scriptura loquendi, modumque omnipræsentiæ divinæ verbis ac phrasibus Scripturæ explicandi. Malumus enim Scripturæ simplicitatem imitari, & in difficili hac materia de omnipræsentiæ divinæ modo ἐπέχειν; quàm temere quicquam in re, captum nostrum excedente, definire.

Usus. IX. Usus attributi hujus sunt, ut ubique sollicitè & reverenter tanquam in conspectu Dei ambulemus. Omnipræsentia quippe Dei cultus divini fundamentum est: siquidem sine ea nec Deus ubique & ab omnibus cultum exigere posset; nec homines de colendo Deo solliciti essent. Nunc vero, quia omnibus præsentem norunt, omniumque judicem sciunt, coram ipso peccare horrent. *Psal.* XXXIII. 13, 14, 15. 2. Ut preces ad ipsum humillimas certâ cum exauditionis fiducia fundamus, de qua absque hoc attributo certi neutiquam esse possemus. Nullâ ergo cum exauditionis fiduciâ preces ad Angelos aut Sanctos demortuos fundere possumus; quia quod nobis præsentes sint, ac proinde preces nostras audiant, certi non sumus. 3. Ut nihil nisi serium ac grave cogitemus, loquamur, ac faciamus: & quam hominibus gravibus ac honoratis habemus reverentiam, eâ minorem Deo non habeamus. Hinc Deus inquit Abrahamo *Genes.* XVII. 1. *Ego Deus omnipotens: ambula coram me.*

CAPUT VII.

De Vita Dei.

Vita Dei. I. HActenus ea consideravimus attributa, quæ Deo, quatenus simpliciter ut Ens concipitur, attribuuntur. Nunc expendenda sunt, quæ Deo attribuuntur, quatenus est essentia viva, hoc est, actuosa, actionumque variarum tam in se quàm extra se principium. Omnis quippe actionis seu operationis principium est vita: unde etiam ex operationum nobilitate vitæ nobilitas colligi potest.

Variæ vitæ Dei acceptiones. II. Primo ergo & ante omnia Vita in Deo consideranda est, quæ reliquorum attributorum omniumque operationum divinarum est fundamentum: imo sine qua Deus non esset, omnique cultu indignus. Essentia quippe vitâ destituta vilis admodum est, nulliusque fruitionis aut beatitudinis capax. Inde est, quod Scriptura, vitam Deo tribuens, non semper designet solummodò Deum vivere: sed & alia illius attributa prætera comprehendat, eaque varia, convenienter subjecto illi, de quo Scriptura Deo vitam attribuens disserit. Ita Deum opponendo idolis, ut ipsum ostendat verum esse Deum, hoc cum potissimum elogio ab illis discriminat, quod sit vivus, id est, verus Deus. *Act.* XIV. 15. *Annuntiamus vobis, ab his vanis converti ad Deum vivum.* 1 *Thess.* 1. 9. *Conversi estis ad Deum à simulachris, servire Deo vivo & vero:* quia illa sunt mortua, seu potius, vitâ destituta, id est, numina falsa ac fictitia: *Jerem.* X. 10. *Dominus Deus verus est; ipse Deus vivens & rex sempiternus:* adde *vers.* 14. *Stultus factus est omnis homo à scientiâ, confusus est artifex omnis in sculptili; quoniam falsum est quod conflavit, & non est spiritus in eis.* Hinc. *Psal.* CXV. 4, 5, 6, 7. dicuntur *habere os & non loqui, oculos & non videre*, &c. Quando Deum seculi hujus divitiis opponit, cum vocat vivum, id est, sufficientem ad omnia abundè præstandum, stabilem, ac permanentem; opposite ad divitias, quæ sunt caducæ, fragiles ac incertæ; 1 *Timoth.* VI. 17. Quando peccatores puniturus describitur, dicitur vivus, id est, potens ad puniendum, ac propterea peccatoribus terribilis ac metuendus: *Hebr.* X. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Quid sit propriè vita Dei. III. Propriè autem per *vitam*, quando Deo in Sacris attribuitur, intelligitur actus & efficacia interna continua, quâ essentia divina intus sese agitat perfectissimeque beata est, & ad extra se operandum sese promovere potest. Vita autem divina omnium vitarum nobilissima est: ac proinde à nobis concipi non debet, tanquam actus ad essentiam accedens, eamque perficiens; aut effectus quidam à spiritu essentiæ juncto, & cum eo compositum constituente, resultans: aut à causa quadam priore, sive efficiente, sive etiam materiali, dependens: sed ipsa essentia divina est simplicissima, perfecta & æterna vita. Atque ita vita divina non tantum nobilior est vitâ hominum, qui internum in se habent corruptionis principium; sed & vitâ angelorum; qui, licet nullum in se habeant corruptionis principium, ipsorumque vitam Deus nunquam destruere volet, ita tamen à creatore suo dependent: ut, si velit, eos semper destruere possit. Hinc vitam Deo passim Scriptura attribuit: *Deut.* XXXII. 40. non tantum

dicit Deus, *vivo ego*; sed &, *vivo ego in seculum*; sic & *Ezech.* XXXIII. 11. *Matth.* XVI. 16. Dominus Jesus vocatur *Filius Dei viventis*: & *Rom.* IX. 26. fideles *filii Dei viventis*. *Hebr.* X. 31.

Est Deus auctor vitæ in omnibus. IV. Nec tantum ipse Deus vivit, sed etiam omnibus vitæ auctor est, ita ut nulla sit vita, nisi à Deo. 1 *Tim.* VI. 13. dicitur *omnia vivificare*. *Act.* XVII. 25. *omnibus vitam dare & respirationem*: & *vers.* 28. in *ipso* dicimur *vivere, moveri, & esse*. Unde & *Psal.* XXXVI. 10. *fons vitæ* apud ipsum esse dicitur.

Ratio evincit, vitam competere Deo. V. Ratio etiam evincit, vitam, & quidem perfectissimam, Deo attribuendam esse. Quia Deus ens est perfectissimum; & summus hujus universi rector. Ergo illi competit natura regiminis hujus universalis capax; eaque est vitâ intellectuali prædita. Hocque adeo necessarium est creditu, ut, si quis sibi Deum fingeret vitâ destitutum; nil aliud conciperet nisi idolum, omni cultu & obsequio indignum. Præterea, videmus multas in mundo creaturas vitâ intellectuali præditas, quarum vitæ auctor, uti videmus, Deus est: multo ergo magis vita in ipso creatore agnoscenda est.

Usus. VI. Ex summa vitæ divinæ perfectione consequitur eam nunquam desinere, nec desinere posse: quia nullum nec internum nec externum destructionis vitæ divinæ principium est. *Joan.* V. 26. dicitur *vitam habere in seipso*. 1 *Tim.* I. 17. dicitur *immortalis*. *Rom* I. 23. *incorruptibilis*. *Apoc.* IV. 9. X. 6. *vivens in secula seculorum*. 1 *Tim.* VI. 16. *solus habens immortalitatem*.

CAPUT VIII.

De Scientia Dei.

Scientia Dei. I. VItæ perfectissimæ duo sunt adjuncta propria, seu potius duo actus interni, quibus sese agitat; intellectus, quo res nudè contemplatur; & voluntas, qua in res apprehensas fertur. Cùm ergo vita divina sit perfectissima, etiam hi duo actus in Deo considerandi sunt. Intellectus autem considerari solet, quod sit vel theoreticus, qui in nuda rerum contemplatione acquiescit; vel practicus, qui res cognitas ad certum finem dirigit: ille scientia, hic sapientia vocari solet. De Scientia primò dicturi sumus, dein de Sapientia.

Illius objectum. II. Scientiæ divinæ primò considerabimus objectum, deinde ordinem & modum. Objectum ejus est omne scibile, hoc est, quicquid entitatem aliquam habet, habuit, vel habiturum est, atque ita sub aliqua entitate aut veritate intellectui objici potest. Hinc dicimus Deum esse omniscium. 1. *Sam.* II. 3. vocatur *Deus scientiarum Psal.* CXLVII. 5 dicitur *intelligentiæ ejus non esse numerus*. 1 *Joan* III. 20. *Deus novit omnia*. Hæc autem sunt, vel Deus ipse, vel alia omnia præter Deum.

III. Primò cognoscit Deus seipsum, omnesque suas perfectiones & proprietates, & in hac sui contemplatione perfectissimè beatus est. 1 *Cor.* II. 10, 11. *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunditates Dei*: id est, scrutantium instar penitissimè perspectas habet. Et: *Ea quæ Dei sunt, nemo novit nisi spiritus Dei*. *1. Deus ipse.*

IV. Secundò: alia omnia præter se, id est, quæ ad naturam aut essentiales Dei proprietates non pertinent, Deus novit. Hæc autem vel in Deo, vel à Deo, vel extra Deum à nobis concipi possunt. In Deo sunt decreta ipsius libera: quæ, ut postea videbimus, non sunt ipsa essentia divina, sed actiones Dei liberæ. Hæc Deum nosse clarè satis docet locus ex 1. *Cor.* II. 10, 11. mox allegatus. *2. Decreta Dei.*

V. Dices. Alicubi tamen Deo oblivio in Scriptura tribui videtur; ut cum memor esse aut recordari pacti sui dicitur, *Psal.* CV. 8. *Luc.* I. 72. quod oblivionem præcessisse arguit. Quin rex David apertè Deum sui esse oblitum conqueritur, *Psal.* XIII. 1. Resp. Solenne est Sacris Scriptoribus voces, ad mentem pertinentes, usurpare pro verbis, actionem voluntatis designantibus: sic Deus peccatores *non nosse* dicitur, id est, non amare, non benefacere. Eodem modo Deus dicitur oblivisci aut recordari pacti sui, aut hominum; non quòd revera illorum oblitus fuerit; sed quia auxilium suum aut non adhibet, aut differt; id est, sese gerit, non aliter ac si hominum penitus oblitus esset: recordari autem, quando favore ac auxilio suo præstò est; aut id opere ipso perficit, quod in fœdere suo promisit. *Quo sensu Deo oblivio adscribatur.*

VI. A Deo sunt omnes Dei actiones externæ, quas Deus consentaneè suis decretis operatur: quas omnes Deus novit, non tantum quando eas operatur; sed & ante; cùm tantum sunt in decreto. *Act.* XV. 18. *Nota sunt Deo à seculo omnia opera sua*. Sub actionibus autem Dei etiam comprehendimus ejus permissionem, quæ voluntaria divinæ actionis suspensio est, ac proinde à deliberato Dei proposito procedit. *3. Actiones Dei externæ.*

VII. Res omnes alias, quæ præter Deum, & ab ipso creatæ sunt, Deus novit; adeo ut nihil cognitionem ejus effugiat. *Hebr.* IV. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*. Easque agnoscit vel simpliciter, quatenus essentiam habent, minimas perinde ac maximas; *Psal.* CXLVII. 4. *Numerat multitudinem stellarum, & omnes nominibus suis vocat*. *Matth.* X. 30. *Capillos capitis omnes numeratos* habet. Vel quatenus qualitatibus quibusdam sunt vestitæ; iisque vel bonis; quod apparet in Abrahamo, *Porro, creaturæ omnes.*

Genes.

Genes. XVIII. 19. Davide, 1 *Sam.* XVI. 12. Mose, *Num.* XII. 7. Et nominatim in filio Jeroboami, 1 *Reg.* XIV. 13. Vel etiam malis: *Deut.* XXXI. 21. de populo Israëlis inquit Deus: *Novi ingenium ejus, & quid ipse faciat hodie. Esa.* XLVIII. 4. *Novi quod durus es, & ut nervus ferreus cervix tua, & frons tua ut æs.* Et *vers.* 8. *Novi quod prævaricator ab utero sis:* Hæcque scientia etiam Domino Jesu attribuitur, *Joan.* II. 24, 25. *Jesus non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes; & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.* Et *cap.* VI. 64. *Sciebat ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*

Eorum actiones. VIII. Tum & actiones omnium novit Deus. *Psal.* XCIV. 9. *An qui plantavit aurem non audiet? an qui oculum finxit non videbit? an qui corripit gentes non arguet? an qui docet hominem scientiam, non cognoscet?* XXXIII. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.* Nec tantum externas novit actiones, sed & internas & arcanissima cordis humani cogitata. Inde passim corda ac renes scrutari dicitur. *Jerem.* XVII. 9, 10. *Profundum est cor præ omnibus rebus & perversum, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, probans renes, ut dem unicuique juxta viam suam, & juxta fructum operum suorum.* 1 *Sam.* XVI. 7. *Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. Proverb.* XVI. 2. *Omnes viæ viri mundæ sunt in oculis suis; sed qui ponderat spiritus est Dominus.* Vide & *cap.* XXIV. 12. alibique passim, ubi corda & renes scrutari dicitur, & καρδιογνώστης vocatur, 1 *Reg.* VIII. 39. *Psal.* VII. 10. *Act.* 1. 24. Etiam secretissimas actiones, extra ullius hominis conspectum in locis maximè arcanis perpetratas: *Jerem.* XXIII. 23, 24. *Numquid Deus de propinquo ego sum, & non Deus de longinquo? Num occultabit se quispiam in occultis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? An non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Matth.* VI. 4, 6, 18. jubet Dominus, ut eleëmosynam demus, oremus, & jejunemus in occulto; hac addita ratione; *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in propatulo. Rom* II. 16. in die ultimo dicitur Deus *per Jesum Christum judicaturus occulta hominum.*

Tandem & futura. IX. Tandem & Deus futura novit, & hoc κριτηρίῳ se à falsis gentium idolis distinguit; quæ eo ipso non esse hujus mundi rectores, nec vera numina arguuntur, quod quæ hominibus Dei directione eventura sunt, prædicere nequeunt: *Esa.* XLI. 22, 23. *Accedant, & nuntient nobis quæcunque ventura sunt: priora quæ fuerunt nuntiate; & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt indicate nobis. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & scimus quia Dii estis vos.*

X. Sed hic jam alia exoritur quæstio: Utrum omniscientia divina sese etiam extendat ad præscientiam futurorum contingentium? hoc est, ejusmodi futurorum, quæ à causa libera, & tam in hanc quàm illam partem indifferenter sese determinante, dependent. *An & futura contingentia.*

XI. Varia admodum hic est sententia Theologorum. Quidam negant ea Deum præscire; non quia aliquid divinæ omniscientiæ detractum cupiunt; sed quia ea scibilia non esse, ac proinde scientiæ divinæ objectum esse non posse putant; nec cum præscientia divina voluntatis libertatem locum habere posse. Sicut itaque nihil omnipotentiæ divinæ detrahunt, qui dicunt, contradictoria divinæ potentiæ objectum non esse: ita se nihil scientiæ divinæ detrahere credunt, quod quæ scibilia non sunt, illius objectum non agnoscant. In quo tamen eos falli mox ostendemus. *Quidam negant*

XII. Alii, contrariam planè viam insistentes, cum prioribus statuunt, contingentia à libera voluntatis humanæ, ad utrumque oppositorum indifferenter se habentis, determinatione dependentia neutiquam scibilia esse; Deum verò, ut illa præsciat, ea decreto suo in alteram partem determinasse, seu ejusmodi præstituisse causarum ordinem, à quibus pendet actus specificatio. *Alii ea à Deo determinari ajunt in alteram partem.*

XIII. Sed hoc est contingentiam è rebus tollere. Ante enim decretum divinum res tantum erant in statu possibilitatis: Dei autem decretum, ut expresse ajunt, eas è statu possibilitatis transtulit in statum futuritionis; quod cum irritum fieri nequeat, omnem è rebus contingentiam tolli manifestum est. Dicunt: Licet respectu Dei res existant necessariò, tamen respectu causarum secundarum liberè sæpe existunt & contingenter. *Resp.* Contradictoria sunt, liberè seu contingenter quid & necessariò fieri; nam liberè ac contingenter fit, quod potest non fieri, necessariò autem quod non potest non fieri: hæc itaque nullo respectu conciliari possunt. Licet itaque causa secunda absque divina determinatione libera fuisset, nunc tamen, accedente decreto divino, libertate sese in alterutram partem determinandi spoliata est: eventusque, quem Deus præstituit, necessariò existit. Ita ut hi auctores, omnium præscientiam Deo attribuentes, contingentium, quæ è mundo tollunt, præscientiam Deo denegent. *Hi omnem contingentiam tollunt.*

XIV. 2. Hac sententiâ Deus peccati auctor statuitur. Cùm enim tam peccata quàm virtutes hominum Deus præsciat, nihilque nisi quod ipse decreto suo prædeterminavit præscire possit; consequens est, etiam peccata à Deo prædeterminata esse; adeoque Deum omnium quæ fiunt peccatorum causam esse; sive decretum Dei statuatur effectivum, sive permissivum: quoniam ejusmodi *Et Deum peccati auctorem faciunt*

modi statuunt permissionem, quæ peccatum inevitabile facit. Adeo ut hæc sententia, ita considerata, priore deterior sit. Deterius quippe est, Deum sanctissimum, peccatorumque vindicem severissimum, peccatorum auctorem facere; quàm illi peccatorum præscientiam denegare.

Deum futura contingentia præscire, probatur ex prædictionibus.

XV. Nostra itaque sententia est, Deum futura contingentia præscire, eaque, non obstante divinâ præscientiâ, nihilominus esse contingentia: quod unico hoc, eoque validissimo, argumento adstruimus. Deus futura contingentia prædicit: Ergo ea præscit. Antecedens probatur. Deus prædicit peccata: Ergo futura contingentia prædicit. Nihil enim magis liberum, & in hominis arbitrio positum est quàm peccatum: præsertim quod cum gravi pœnæ obnoxium reddit. Deum autem ejusmodi peccata, quibus & gravem denuntiat pœnam, prædixisse, imo nonnulla aliquot antequam contigerunt seculis, ex variis Sacræ Scripturæ locis liquet. *Genes.* XV. 13. prædixit Deus Ægyptios semen Abrahæ graviter afflicturos, eoque ipso peccatum, quo in se Dei iram provocaturi essent, commissuros: additur enim *vers.* 14. *& gentem etiam cui servient judico ego. Deut.* XXXI. 16. populi Israëlitici futura prævaricatio prædicitur. *Esa.* LIII. 1. Judæorum incredulitas temporibus Messiæ; uti & *Dan.* IX. 26. Quin & omnes Domini Jesu passiones, scelera que, quæ Judæorum primores ipsorumque ministri in eum commissuri essent, per Prophetas prædicta sunt; *Matth.* XXVI. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Ipse Dominus Jesus prædicit passiones suas, *Matth.* XX. 17, 18, 19. quin & varias passionis suæ circumstantias; ut, quod à Juda sit prodendus, *Matth.* XXVI. 21. neque id tantum postquam Judas cum primoribus Judæorum transegerat, sed & multo tempore ante: ut *Joan.* VI. 64. *Sciebat Jesus ab initio, quis traditurus esset eum.* Et *vers.* 70, 71. Quod à Petro ter ante galli cantum sit abnegandus, *Matth.* XXVI. 34. Tum prædicitur adventus pseudoprophetarum & falsorum doctorum, *Matth.* XXIV. 5. & 11. *Act.* XX. 29. 1 *Tim.* IV. 1. 2 *Pet.* II. 1. Et imprimis insignis illa defectio per ἄνομον illum filium perditionis, 2 *Thessal.* II. 3. & *seqq.* Tandem & securitas hominum tempore ultimi judicii: *Matth.* XXIV. 37. *Luc.* XVII. 26.

Resp. ad Object. quod Deus peccata peccatis puniat.

XVI. Ad hæc loca varia excipi solent. Ac primò quidem: Deum peccata hæc præscivisse, quia decreverat ut ea fierent, nim. in aliorum præcedentium peccatorum pœnam: Deum quippe nonnunquam peccata peccatis punire. Resp. 1. Crudam hanc admodum esse locutionem, à stylo Scripturæ abhorrentem, nec sanctitati divinæ satis convenientem, quòd Deus peccata peccatis puniat. Deus quidem indurare & excæcare homines dicitur in præcedentium peccatorum pœnam: induratione autem & excæcatione suâ illis peccandi necessitatem non imponit; sed occasionem tantum peccandi præbet, quâ ipsi pro cordis sui malitiâ abutuntur; cùm tamen, si pietatis essent studiosi, ea ipsis ad virtutem stimulus foret: uti in sequentibus plenius ostendemus. 2. Ut ut demus, Deum id aliquando facere velle, illa tamen exceptio locum habere non potest in peccatis aliquot seculis antequam perpetrata sunt prædictis. Si enim ea fieri decrevit in præcedentium peccatorum pœnam, oportet ut illa etiam præsciverit: atqui illa, prima saltem, præcedentium rursus peccatorum pœnæ esse non possunt. Præscivit ergo Deus peccata, quæ ut fierent non decreverat.

Resp. ad Object. quod non prædicantur peccata à certis hominibus committenda.

XVII. Secundò excipiunt: Prædici quidem in aliquibus locis peccata, sed non indicari certos quosdam homines, à quibus peccata committenda essent: ut Israëlitas injustè à populo quodam affligendos, sed non præcisè ab Ægyptiis: Dominum Jesum à quodam, qui cum ipso accumbebat, prodendum, sed non præcisè à Judâ. Resp. Cum peccatum committi non possit, nisi à certis quibusdam hominibus, prædictio illa fieri non potuit, nisi ex certa præscientia, homines illos fore, qui peccatum illud commissuri essent, eosque verè peccatum illud commissuros. Dices. Deus scivit, nunquam defuturos homines malos, quibus si occasio suppeditetur ad peccandum, eam avidè arrepturi sint: decrevit autem illis occasionem illam objicere; atqui ita novit, illos peccatum hoc commissuros. Resp. Tota illa prædictio conjecturalis, non certa prædictio est: aut si certa sit, ex certa præscientia oriatur necesse est. Deus non tantum in genere dicit, fore peccatores; sed & in specie, quale sint peccatum commissuri, pœnamque propterea ipsis infligendam prædicit; quod sanè arguit, non fuisse prædictionem generali tantum scientiâ, quod semper futuri sint homines mali, nixam; cum malitia hominis variis in actibus circa idem objectum se exerere possit; & hominum malorum posteri non semper necessariò mali sint, sed &, relictis patrum sceleribus, ad frugem redire possint. Et quod Judam attinet, expressè dicit Petrus *Act.* I. 16. *Spiritum Sanctum per os Davidis prædixisse de Judâ.* Et Dominus Jesus proditionem illam Judæ novit & prædixit, diu antequam Judas eam animo agitaret: uti ex *Joan.* VI. 65. liquet.

An futura contingentia habeant determinatam veritatem.

XVIII. Sed in contrarium objiciunt: Futura contingentia non habent determinatam veritatem, ergo præsciri non possunt. Resp. Ex prædictionibus liquet, præsciri posse. Et licet à Deo determinata non sint, sed in futurum ab homine sint determinan-

minanda, & quidem ea cum libertate, ut in alteram partem ea determinare possit: novit tamen Deus pro intellectus sui infinitate, in quam partem homo se libere inclinaturus sit: & cum hoc respectu ad infinitum Dei intellectum determinatæ sunt veritatis.

Discrimen inter certitudinem & necessitatem; inter incertitudinem & contingentiam.

XIX. Dices: Futura contingentia sunt incerta, ac proinde certa eorum scientia dari non potest: quia qualis est res, talis est rei scientia. Resp. Certitudo & incertitudo non sunt affectiones rei absolutæ, sed respectivæ, semperque relationem suam habent ad eum, qui de re certus vel incertus est. Distinguendum siquidem est inter affectiones rei absolutas, & respectivas. Absolutæ sunt, quæ rei in sese & in natura sua spectatæ tribuuntur: tales sunt necessitas & contingentia: res enim in se & natura sua spectata vel est necessaria, vel contingens; id est, ejusmodi habet essentiam, quæ vel potest non existere, vel non potest non existere. Respectivæ verò, quæ rei non tribuuntur in se & natura sua consideratæ; sed cum respectu & denominatione ad alterum; tales sunt certitudo & incertitudo, quæ semper includunt respectum ad alterum, qui de re aliqua certus vel incertus est.

Adstructio hujus discriminis.

XX. Discrimen hoc inde evincitur, quod affectiones absolutæ ex denominatione alterius nullam patiuntur mutationem, respectivæ contra. Inde est, quod una eademque res non possit simul dici necessaria & contingens, quocunque consideretur respectu. Si enim habet essentiam, cui non repugnat non existere, est contingens: si vero illi repugnet non existere, est necessaria: idque per nullum respectum ad alterum ullo modo mutari potest. Sed una eademque res simul potest esse certa & incerta, nempe respectu habito ad alium, à quo certitudo illa aut incertitudo denominatur: id est: res, quæ uni certa est, alteri potest esse incerta, seu, quod eodem redit, de una eademque re unus potest esse certus, alter incertus. Quod evidentissimæ est veritatis, & quotidianâ constat experientiâ. Imo res potest esse necessaria, quæ tamen denominari potest incerta, nimirum à respectu quem habet ad personam sui ignaram: hoc est, potest esse res necessaria, de qua tamen multi sunt incerti. Sic, ex. gr. eclipsis lunæ res est necessaria, & fixis quibusdam naturæ legibus determinata: denominari tamen potest incerta, respectu habito ad astronomiæ imperitum, cui incerta est, seu, quod eodem redit, qui de illa incertus est: nullam tamen propter illius imperitiam in natura sua admittit mutationem. Eodem modo res contingens, & nondum in alterutram partem determinata, sed liberè determinanda, potest denominari certa, relatione facta ad omniscientiam divinam, cui certa est.

Unde eorum confusio oriatur.

XXI. Solemus tamen hæc duo, certitudinem cum necessitate, incertitudinem cum contingentia, confundere: quia nos in scientia nostra nullum certitudinis fundamentum nisi necessitatem habemus; & de quovis eventu contingenti sumus incerti. Et hinc fit, ut, quod rei tantum competit relativè ad nos, absolutè ei tribuamus. In quo admodum fallimur.

Quod contingens Deo possit esse certum.

XXII. Hinc jam liquet, aut enuntiatum illud; futura contingentia sunt incerta, esse identicum, aut non verum. Si enim incertitudo, communi errore, sumatur pro affectione rei absoluta, coincidet cum contingentia; & sic enuntiatio erit identica ac nugatoria, & æquipollens illi, futura contingentia sunt contingentia. Si autem sumatur pro affectione relativa, enuntiatio non est universaliter vera: sicut enim fieri potest rem necessariam alicui esse incertam: seu de re necessaria quempiam esse incertum, ita vicissim res contingens potest esse certa, nempe Deo, qui scientia præditus est infinita, omniaque infallibiliter cognoscit.

Quomodo possibilia facta sint contingentia.

XXIII. At, inquiunt, Si Deus futura contingentia præscit, ergo verum est, ea futura esse. Ita est. Atqui, inquiunt, fuere possibilia: quæ causa ea ex statu possibilitatis transtulit in statum futuritionis? Resp. Causa illa libera, quæ sese in unam partem liberè inclinatura est; quæ, antequam operans consideratur, indifferens est: sed quando consideratur operans, non amplius respectu exercitii actus indifferens considerari potest, sed se jam in alteram partem determinans. Dices. Hac ratione introducetur fatum, omne Dei decretum antecedens. Resp. Nequaquam: nihil enim futurum esse potest, nisi præcedat aliquod Dei decretum: necesse enim est, ut Deus decernat hominem creare, antequam scire possit, quid homo facturus sit; cum sine hoc decreto homo ne existere quidem possit; & de eo, qui existere non potest, nihil præsciri possit. Sic non tantum decretum de creando, sed & legem ferendo præcedere oportet, antequam, utrum homo legem transgressurus sit, præsciri possit. Illa autem creatio vel legislatio nullam infert eventui necessitatem; eventus respectu causæ suæ indifferens est; sed quatenus illa Dei scientiæ objicitur, ut sese liberè in alteram partem determinans, etiam eventus infinito intellectui divino certus est. Perinde uti res præsens, licet libere à causa indifferente procedat, mihi certa esse potest. Dices. Quicquid est, quando est, necessario est. Resp. Sensus est, quòd quicquid est necessariò est; quia dum est, non potest simul non esse; ita enim duo contradictoria simul essent vera: ideoque de eo necessariò debet

 prædi-

prædicari quod sit. Sed si hoc sensu accipiatur, quod quicquid est necessariò dependeat à sua causa, ita ut illa causa necessario operetur, nec possit non operari, falsissimum est. Licet enim causa, quæ se jam determinavit, ratione exercitii, seu actus secundi, non amplius sit indifferens; ratione tamen facultatis, seu actus primi, semper indifferens manet, actumque suum pro arbitrio vel continuare, vel suspendere potest. Adeo ut hæc tantum sit necessitas consequentiæ. Et eo respectu etiam futura contingentia scientiæ divinæ objiciuntur.

Objectio contra præscientiam divinam.

XXIV. Superest gravissima contra præscientiam objectio ex Scriptura. Ea hæc est. Si Deus omnia futura certò & infallibiliter præscit, quomodo Deus dici potest contristari ob hominum malitiam, & pœnitentia duci. *Genes.* VI. 6. 1 *Sam.* XV. 11. Quomodo dicere potuit, se post tentationem institutam verè demum cognovisse, Abrahamum Dei timore esse præditum, *Genes.* XXII. 12. Deum exspectasse ab hominibus uvas, cum fecerint labruscas; *Esa.* V. 4. Deum jurasse se introducturum populum in terram sanctam, in quam tamen propter ipsius incredulitatem eum non introduxit, *Num.* XIV. 22. Tandem, quomodo Deus serio homines monere, hortari, orare, obtestari potest ut se convertere velint, quos se nunquam conversuros novit?

Quid alii respondeant.

XXV. Ad hanc difficilem sanè objectionem quidam respondent; Quod præscientia Dei subjaceat ejus voluntati, perinde atque potentia: Sicut itaque Deus non omnia facit, quæ facere potest, sed tantum quæ vult; & nihilominus est omnipotens: ita etiam Deum non omnia scire, quæ scire potest, sed tantum quæ scire vult; & nihilominus esse omniscium. Hæc responsio difficultatem objectam aliquatenus quidem tollit, quò minus tamen in ea acquiescam, alia obstant. Ac 1. quidem, non rectè videtur dici, potentiam Dei subjacere ejus voluntati: non enim Deus efficere potest, etsi velit (quod tamen velle non potest) ut non sit omnipotens; sed tantum potentiæ ipsius exercitium; ideoque non omnia facit, quæ facere potest, sed tantum quæ vult. Sed alia est ratio scientiæ, quæ non sciendi facultatem aut potentiam significat, sed actum: ideoque si Deus omnia actu non novit, reverà non est omniscius. 2. Durum est nec admittendum, scientiam, quæ, posito objecto scibili, actus intellectus necessarius est, voluntati subjicere. 3. Nec causa reddi potest, quando Deus alicujus animum aut probitatem explorare vult, cur scientiam suam ab ejusmodi objecto avertere velit; cum hac sua actione se illius notitiam cupere demonstret. 4. Sed nec hæc responsio sufficere potest: quia multa prædicuntur, quæ Deus seriò dehortatus est: unde liquet, & dehortationem Dei cum præscientia ejus conciliari debere. Alia itaque responsione opus est.

Vera illius solutio.

XXVI Rectius itaque mihi respondere videntur, qui nodum hac ratione solvunt. Quod Deus non tantum præsciat quid homo, sed & quid ipse facturus sit, quo præcedente homo hoc vel illud facturus est. Ex vi itaque divinæ præscientiæ necesse est, ut Deus prius hominem tentet, seriò hortetur & moneat, &c. priusquam præsciat hominem pariturum, vel non pariturum divinis illis actibus. Eaque responsio tanto magis objectioni huic satisfacere censeri debet, quia in Scriptura passim Deo tribuitur, quod homines, de quibus jam prædicit quod parituri non sint, hoc est, quos, juxta auctorum horum sententiam, induravit ut necessariò immorigeri & rebelles sint, seu indurare decrevit, hortetur & invitet ad resipiscentiam. Sanè si Deus seriò ad pœnitentiam hortari & invitare potest, quos jam induravit, facultatemque resipiscendi ademit; multò majore jure seriò invitare & hortari dicendus est, quos non parituros, attamen parere posse, & non nisi propriâ & evitabili culpâ immorigeros fore, præscit.

Momentum hujus controversiæ.

XXVII. Nos verò, licet hæc ita adstruamus, tanti tamen non facimus hanc quæstionem, ut necessariam plane ad salutem credamus, Deo futurorum contingentium præscientiam adscribere; aut eos, qui eam Deo non adscribunt, ideo quod scibilia non esse credant, errore exitiali, qui eos è regno cœlorum excludat, teneri: quia nullum in Scripturâ exstat indicium, unde præscientiæ hujus fides necessaria esse creditu colligi possit. Deinde: Quia absque illius cognitione aut fide cultus Dei sartus tectus esse potest. Ut enim Deus colatur, necesse non est scire, Deum jam ante præscivisse, quid facturi simus. Sufficit scire ac credere, Deum scire omnia quæ à decreto suo dependent, quæque sive per omnipotentiam, sive per sapientiam suam efficere decrevit. 2. Deum scire omnia nostra opera, tam præterita, quàm præsentia, tam occulta quàm manifesta, imo cogitationes, adeoque omnia quæ in judicium adducturus est. Hæc enim cultus divini fundamenta sunt: & hisce admissis Deo debitus constat honor, religionis ac sinceræ pietatis necessitas sarta tecta conservatur; nosque eam exercentes, bonæ conscientiæ testimonio freti, ad Deum in quibusvis necessitatibus confugere, ejusque auxilium cum fiducia implorare ac exspectare possumus; immorigeri verò ac contumaces ejus iram ac vindictam metuere necesse habemus. Utrum ea antea præsciverit, nec ne, nullum ad officia hæc momentum habet: non enim Deus actiones nostras ut futuras & à se præscitas, sed solummodo

modo ut à nobis factas, in judicium adducturus est.

Scientia Dei, vel simplicis intelligentiæ, vel visionis.

XXVIII. Restat alterum tractationis nostræ membrum, Scientiæ divinæ ordo; cui & modum adjungemus. Ut ordo rectè explicetur, sciendum duplicem Deo communiter à Theologis scientiam tribui solere. Prior vocatur Scientia simplicis intelligentiæ, quæ ex natura sua omni liberæ voluntatis actu prior est, quâ Deus seipsum cognoscit, & omnia possibilia. Altera vocatur Scientia visionis; hæc est libera, & actu voluntatis liberæ posterior, quâ Deus omnia, quæ facere & permittere decrevit, eodem ordine, quo ea facere vel permittere decrevit, cognoscit. Huic à quibusdam Theologis additur tertia, quam mediam vocant; quâ Deus sub conditione novit, quid angeli aut homines facturi essent, si eos Deus in hoc vel illo statu constituere decerneret. Vocatur media, quia inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, media est, & de utraque participat. Si quis tamen eam ad scientiam simplicis intelligentiæ referre velit, eò quòd quæ illius objectum dicuntur solummodo possibilia sint, non repugnamus, modo de re ipsa constet.

De scientia media.

XXIX. De hac scientia media quæritur, an ea in Deo locum habeat? Video pro illius adstructione aliquod proferri ex Scriptura Sacra testimonia. Veluti, quòd Deus Davidi prædixit incolas civitatis Ceilæ ipsum tradituros esse in manus Saulis; quod tamen factum non est, quia David à Deo monitus matura fuga sibi consuluit, 1 *Sam.* XXIII. 9. Quod Deus per Jeremiam prædixerit regi Zedechiæ, Judæos, si ad regem Chaldæorum exiret, ipsum non tradituros, nec ei illusuros, *Jerem.* XXXVIII. 19. Et quod Dominus dicit *Matth.* XI. 22. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent.* Attamen, ut quod sentio dicam, ex nullo illorum locorum eam solidè probatam video, nisi forte ex postremo. Primus enim locus manifestè respicit rem præsentem, hoc est, præsentem animi constitutionem incolarum Ceilæ, quam Deus, utpote καρδιογνώστης, intimè perspectam habebat. Potuit itaque Deus, qui noverat Saulis auctoritatem pluris apud ipsos valere, quàm recens Davidis beneficium, imo quid ipsi metu Saulis jam forte animo agitabant, prædicere, si Saul ad civitatem illam accederet, incolas ipsum Sauli tradituros. Idem de secundo exemplo dicendum est: ad prædictionem illam requirebatur sola cognitio animi Judæorum, quo erga regem suum affecti erant: noverat Deus eam adhuc apud ipsos esse regis sui reverentiam, ut eum Chaldæis non tradituri, nec ei illusuri essent. Tertius locus evidentior est, & solidius ex eo argumentum deduci potest: licet enim non de re futura, sed præterita agere dici possit, hoc est, de animi constitutione Tyriorum qui jam olim exstiterant, quæ, comparatione facta cum animis Bethsaiditarum, ea melior esse à Deo noscebatur; tamen ex illa animorum cognitione Dominus prædicit, Tyrios resipiscentiam acturos fuisse, si eadem illis oblata fuisset gratia, quæ incolas Bethsaidæ & Chorazim contigit: quod non nisi ex certa quadam præscientia profluxisse judicari debet. Licet enim animis non essent adeo desperatè improbis ac Bethsaiditæ, exinde tamen non sequitur, ipsos ad gratiæ ejusdem, quæ his contigit, oblationem resipiscentiam acturos fuisse: non itaque illud nisi ex certa præscientia prædici potuit. Et ratio idem suadere videtur. Si enim Deus sciat quid homo facturus sit, postquam eum in tali statu ponere decrevit; nulla videtur ratio negandi, Deum idem conditionatè præscire ante decretum suum. Decretum enim Dei absolutum hominem in tali statu collocandi, non majorem actioni ejus adfert necessitatem, quàm decretum conditionatum.

Per eam non introducitur fatum Stoicum.

XXX. Unicum huic sententiæ objici solet: Quod sic dabitur fatum Stoicum, omne Dei decretum antecedens, & cui ipse Deus erit alligatus. Atqui nos hoc negamus. Nam 1. non cognoscit Deus ullam hominis actionem, nisi posito aliquo suo decreto, sive absoluto, sive conditionato; illud itaque omnem hominis actionem præcedere debet. 2. Posita hac præcognitione Dei, nihilominus summa in Deo est libertas vel decretum suum suspendendi, vel decernendi. 3. Posita præscientia divina, homo neutiquam constringitur ad actionem suam; quia non tantum Deus actionem hominis novit, sed & cum modo contingentiæ, hoc est, futuram quidem esse, sed ita tamen, ut possit non fieri.

Ordo scientiæ simplicis intelligentiæ.

XXXI. Hisce ita observatis, dicimus Scientiæ divinæ ordinem distinctè esse considerandum, juxta tres memoratas scientiæ divinæ species. Objecta scientiæ simplicis intelligentiæ aut naturalem inter se habent ordinem & dependentiam, aut non. Quæ naturalem inter se habent dependentiam, Deus hoc eodem ordine cognoscit; prius nempe id à quo aliquid naturaliter dependet, postea illud quod ab eo dependet: prius subjectum quàm adjunctum, prius personam quàm actum, qui circa illam versatur. Quæ nullam inter se naturalem dependentiam habent, Deus etiam nullo ordine, hoc est, unum non prius alio, sed omnia simul, cognoscit.

Ordo scientiæ visionis.

XXXII. Objecta scientiæ visionis Deus cognoscit eodem ordine, quo à Deo per liberrimum voluntatis decretum sunt constituta.

tuta. Ordo itaque ille sumi non debet à naturali rerum connexione & dependentia; sed ex ordine causalitatis, quam res ex decreto divino inter se habent. Potest siquidem Deus res, nullam inter se naturalem connexionem habentes, decreto suo connectere, ut una ad alteram collata causalitatis rationem habeat: Verbi gr. ut fides in Jesum Christum crucifixum sit medium consequendi salutem æternam; & salus æterna vicissim fidei illius sit præmium. Hoc enim non ex naturali connexione, sed ex arbitrio divino dependet.

Ordo scientiæ mediæ. XXXIII. Objecta scientiæ mediæ, quia illa partim cum scientia simplicis intelligentiæ, partim cum scientia visionis participat, eodem ordine quo illarum scientiarum objecta cognoscit.

Modus scientiæ divinæ. XXXIV. Modus scientiæ divinæ est perfectissimus: non enim in Deo est instar habitus, sed actus perfectissimi; ideoque simplici intuitu omnia cognoscit per nudam & simplicem intelligentiam. Non enim Deus, hominum instar, discursu utitur: omnis namque discursus imperfectionem sapit. Quoniam ex notis deducit in cognitionem ignoti: Omnia autem Deo statim nota sunt, & simplici intuitu cognoscuntur. Hoc est quod Theologi innuunt, quando scientiam Dei noëticam, non dianoëticam ajunt. Sed & præterea est incomprehensibilis. Quis enim capiat, qua ratione Deus cognoscat non tantum res minimas perinde ac maximas, occultas cordis cogitationes perinde ac facta externa quæ in oculos incurrunt; sed & futura contingentia, adeoque ex hypothesi tantum futura: cùm adeo tenuis & exilis eorum sit entitas, ut quod cognosci possint humana mens vix assequatur, & nisi prædictionum divinarum testimoniis à posteriore convinceretur, à priore id demonstrare non posse videatur? Illud autem cavendum, ne scientiam Dei statuamus causam rerum: est enim rerum tantum apprehensio, actioque in Deo immanens, quæ extra Deum nihil operatur; & ordine naturæ rebus posterior: non enim res sunt, aut sunt futuræ, quia eas Deus cognoscit; sed quia sunt, vel futuræ sunt, ideo eas novit: sicut itaque memoria nostra non est causa præteritorum, sed ea præsupponit fuisse; ita neque scientia Dei est causa præsentium vel futurorum, sed præsupponit esse, aut fore.

De Sapientia Dei. XXXV. Et hactenus de intellectu Dei theoretico: sequitur practicus, qui Sapientia appellari solet; quâ Deus novit, quibus actibus ac mediis finem, quem intendit, consecuturus, & gloriam suam illustraturus sit, quæque illi illustrandæ convenienter ab ipso fieri aut permitti oporteat. Novit siquidem Deus jus suum, potentiam suam, æquitatem, quam legem præscribere conveniat, quo præmio & pœnâ eam sanciri oporteat, quo auxilio & permissu opus sit, ut homo tum legi obedire & promissum præmium ex gratia consequi, tum legi propria culpa inobediens esse & pœna denuntiata justè puniri possit; qui actus & quo ordine respectu singularum rerum exerceri debeant. Et quamvis Deus, si omnipotentia sua uti velit, mediis non indigeat; non tamen semper eam adhibere vult, sed utitur sæpe causis secundis, tanquam mediis, easque dirigit, ut finem à se intentum, sed ipsarum intentioni sæpe contrarium, certissimè consequatur: adeo ut, dum id, quod ipsæ sibi proposuerunt, agere videntur, non tam id agant, quam quod Deus intendit, & per ipsas effectum reddere vult. Unde *solus sapiens* appellatur, *Rom.* XVI. 27. 1 *Timoth* I. 17. &, *fons omnis sapientiæ*, *Dan.* II. 20, 21. Et licet sapientiæ ipsius ratio nobis aliquando occulta est, ipsi tamen ea constat. Unde exclamat Apostolus *Rom.* XI. 33, 34. *O altitudo divitiarum, tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ei fuit?*

XXXVI. Usus attributi hujus sunt varii. *Usus.* 1. Ut sincerè & integrè coram Deo, ut omniscio, ambulemus; etiam in occulto, quia Deus in occulto videt. Et hoc modo nos ab hominibus Deum non verè timentibus, sed hominum tantum reverentia peccata manifesta vitantibus, segregemus. Quin & cogitationes coram ipso puras, castas & sanctas servemus; & absque omni hypocrisi ambulemus, scientes oculos Dei falli non posse. Vide *Luc.* XVI. 15. *Gal.* I. 10. 1 *Thess.* II. 4. *Ephes.* VI. 6. *Coloss.* III. 22. 2. Ut causam nostram bonam perpetuò ipsi commendemus, ac nos solemur rei bene gestæ conscientia contra iniqua hominum judicia. Veritas, innocentia, sæpissimè hic opprimitur: optimi calumniis opprimuntur, nec defensioni ullus relinquitur locus. Sed cogitandum, Deo notam esse rectitudinem cordis atque actionum nostrarum, ipsumque, qui tandem omnia occulta est patefacturus, etiam integritatem nostram, si non in hoc, saltem in futuro seculo, omnibus ostensurum. Ita David sæpe causam suæ integritatem ac judicium Deo commendat. Sic & Apostolus 1 *Cor.* IV. 3, 4, 5. 2 *Cor.* X 18. 3. Ut preces & suspiria nostra fidenter illi offeramus quocunque in loco simus: imo si facultate simus destituti preces nostras externo ore proferendi, gemitus & suspiria ad Deum mittamus, certi ea ad illum adscendere. *Rom.* VIII. 26, 27. *Hebr.* IV. 13, 14. 4. Ut nunquam contra judicia ejus murmuremus, nec in quocunque casu, modò ipsum colamus, animum despondeamus; sed eventum ab ipsius sapientia exspectemus, & ipsius gloriæ,

gloriæ, & nostræ saluti, maximè consentaneum: scientes nos nostraque omnia semper ipsi curæ esse, utpote qui gressus nostros numerat: *Psal.* XCI. 10, 11, 12. *Matth.* X. 29, 30. Deumque pro sapientia & potentia sua ex tenebris lucem producere posse, & per sapientiam suam *attingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suaviter, Sapient.* VIII. I.

CAPUT IX.

De Voluntate Dei.

Voluntas Dei.

I. ALtera vitæ divinæ facultas, seu potius actus internus, est Voluntas: quæ reipsa, uti neque in homine, ab Intellectu non differt: A nobis tamen sub distincto conceptu apprehenditur; quia tendit in objectum alio modo consideratum, essentiaque divina alio modo sese erga id promovet.

Triplici significatu accipitur.

II. Triplici potissimum significatu *Voluntas Dei* accipi solet. 1. Ut denotet facultatem volendi. Ejus significationis exempla in Scriptura exstare non videntur; quin tamen Deo competat, dubitari nequit: quia actus absque facultate, seu principio à quo procedit, esse non potest. Hoc sensu voluntas Dei est ipsa essentia divina, per quam Deus immediatè vult, perinde atque anima rationalis immediatè per seipsam vult & intelligit. 2. Actum volendi, seu volitionem ipsam, quæ liber facultatis est egressus. Hoc sensu aliquoties in Scriptura accipitur. Sic *Eph.* I. 11. Deus *omnia secundum consilium voluntatis suæ operari* dicitur. Et *Apoc.* IV. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* Hoc sensu decreta divina significat, de quibus in sequentibus dicendum erit, & ab essentia divina manifestè distinguitur. 3. Id quod Deus vult, seu ex volitione divina promanat: qualia sunt Dei præcepta, promissa & minæ. Prima vocantur voluntas Dei, quia Deus vult, ut quod præcipit faciamus, & quod vetat, omittamus. Posteriora; quia Deus obedientibus vult promissum præmium largiri, & inobedientibus pœnam quam comminatus est infligere. Hujus significationis creberrimus est in Scriptura usus. *Matth.* VII. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.* Et *cap.* XII. 50. *Luc.* XII. 47. *Joan.* VI. 38, 39, 40. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris; ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die:* &c. Et *cap.* VII. 17. IX. 31. 1 *Thess.* IV. 3. Imo *Rom.* XII. 2. expressè vocatur, *bona, perfecta & beneplacens voluntas Dei*, & *Eph.* V. 10 quod *beneplacitum est Deo.* Hujus postremo sensu acceptæ consideratio potissimum ad tractatum de præceptis & promissis Dei spectat. Nunc de voluntate Dei in genere tantum quædam dicemus.

Objectum ejus est bonum.

III. Voluntatis divinæ in genere acceptæ objectum est verum bonum: quod est, tum Deus ipse, tum quicquid divinæ naturæ consentaneum est; quod Deus propter seipsum vult: Non malum: ac proinde nec bonum apparens, quod cum malum in se sit, errore mentis tantum pro bono habetur. Malum cùm dicimus, malum propriè dictum intelligimus, quod in se & intrinsecè malum est, hoc est, quod normæ ac regulæ à Deo positæ, sive rectæ rationi, sive legi latæ ac scriptæ, contrarium est; hoc est, peccatum: illud enim naturæ divinæ ita est adversum, ut nullo modo sub voluntatem divinam cadere possit, quocunque consideretur respectu. Quia enim in se & tota naturâ suâ malum est, nullo respectu cum Dei natura conciliari potest. Hinc *Psal.* V. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es. Habac.* I. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris. Zachar.* VIII. 17. post variorum peccatorum enumerationem dicitur; *Omnia hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Jacob.* I. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim malo tentari non potest; ipse autem neminem tentat;* sc. ad malum. Unde *Sapient.* XIV. 9. *Æquè Deo odio sunt, impius & impietas ejus.* Nihil etiam naturæ divinæ, quæ sanctissima est, magis est adversum, ideoque qui peccat nullam cum Deo communionem habere potest. 1 *Joan.* I. 5, 6, 7. *Hæc est annunciatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis: Quoniam Deus lux est & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur,* &c. Quid quod Deus peccata non tantum strictè prohibet, additis gravissimis minis; sed & severissimé tam in hoc quàm in futuro seculo punit.

Peccatum nullo respectu ejus objectum esse potest.

IV. Hoc adeo evidentis est veritatis, ut nemo directè & apertis verbis dicere audeat, Deum peccatum velle: estque id adeo à Christianis auribus abhorrens, ut nemo talia docentem audire sustineret. Quidam tamen illud indirectè docere non verentur, ejusmodi nempe, quibus positis, necessariò sequitur Deum peccata velle. Tales sunt, qui docent Deum absolutè decrevisse misericordiæ & justitiæ suæ vindicatricis gloriam patefacere; misericordiæ in remittendo; justitiæ in puniendo peccato. Illud enim decernere non potuit, quin simul decreverit, ut peccatum existat, atque taio occasionem habeat tam misericordiam quàm justitiam suam demonstrandi. Dices. Deus pecca-

peccatum voluit, non quatenus peccatum, sed quatenus medium demonstrandæ gloriæ suæ. Resp. Peccatum demonstrandæ gloriæ divinæ medium esse non potest, nisi quatenus peccatum consideratum: alia enim sub consideratione hominem miseriæ subjicere non potest, nec idoneum facere subjectum, erga quod Deus vel misericordiam, vel justitiam suam exerceat. Dices. Deus peccatum non vult, quia eo delectatur; sed quia demonstrandæ gloriæ suæ medium est: idque Davidem velle, quando *Psal.* v. 5. dicit, *Deum*, non, nolle, sed *non delectari peccato: quod* arguit vox חפץ. Aliud autem est, quid velle, aliud eo delectari: æger vult potionem amaram ut recuperandæ sanitatis medium, non tamen ea delectatur. Resp. 1. Quicquid Deus vult, etiam cum delectatione vult; quia nulla re extra seipsum ad volendum movetur: nihil ergo velle potest, nisi quo delectatur. 2. Æger, qui sanitate delectatur, etiam potione amarà, quatenus sanitatis recuperandæ remedio, delectatur: ita & necesse foret ut Deus, qui gloriæ suæ demonstratione delectatur, etiam peccato, ut illius medio, delectetur. 3. Licet dici possit ægrum à potione amara in se spectata abhorrere; id tamen Deo applicari non potest: quoniam æger non sponte & lubens potionem amaram eligit; sed necessitate coactus; quia aliud nullum ægritudinis, in quam invitus incidit, evadendæ medium habet: Deus vero ultrò, pro beneplacito suo, medium hoc eligit, cùm ad gloriam suam demonstrandum infinita ipsi media suppetant: imo nullo externo actu gloriam suam ostendere necesse habeat, cùm ipse in se summè & semper gloriosus sit. Quare si Deus peccatum, ut demonstrandæ gloriæ suæ medium voluit, necesse est, ut & eo delectatus sit.

Sed quidem mala pœna. V. Quod mala pœnæ attinet, ea physica tantum mala sunt, & mala vocantur, non quia in se & intrinsecè mala sunt; sed quia illi cui infliguntur sunt mala, hoc est, injucunda, ipsumque voluptate, bono gratissimo, spoliant: interim & ad emendationem illius cui infliguntur, si sint castigationes, cedere; aut si sint excidium, gloriam Dei illustrare possunt; ideoque & Deus ea velle potest. Sic *Esa.* XLV. 7. *Ego Deus formans lucem & creans tenebras; faciens pacem & creans malum. Ego Jehova faciens omnia hæc. Lament. Jerem.* III. 38. *An ex ore Altissimi non egrediuntur bona & mala? Amos.* III. 6. *An erit malum in civitate, & Jehova non fecerit illud?*

Proprietas ejus est libertas. VI. Voluntati propria est libertas, utpote proprietas à voluntate inseparabilis: eaque in Deo est summa. Sic *omnia secundum consilium voluntatis suæ agere* dicitur, *Eph.* I. 11. Nec libertati huic obstat, quod Deus non posse malum, & nil nisi bonum posse dicitur: hoc enim summæ in Deo perfectionis est, quod nil nisi bonum possit: nec hoc ad libertatis divinæ diminutionem quicquam facit. Sciendum; bonum esse vel absolutè summum, quod est ipse Deus, ejusque gloria: Aliud à summo illo dependens, & ad illud relatum: qualia sunt omnia extra Deum. Circa primum bonum voluntas Dei naturali necessitate occupatur ad id volendum: non enim potest Deus, quin summum bonum velit. Circa secundi generis bona liberrimè sese habet voluntas divina, non tantum libertate, quam vocant contradictionis, sed & contrarietatis. Potest siquidem Deus ab omni volendi exercitio circa hæc abstinere; quoniam in seipso summè beatus est: potest ex variis ejusmodi bonis hoc præ illo eligere, atque ita gloriam suam hoc, non alio modo ostendere: nulla extra se ratione motus, sed quoniam ipsi placuit ejusmodi operibus gloriam suam declarare. Sic ait Dominus Jesus *Matth.* XI. 25, 26. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Matth.* XX. 15. *An non licet mihi quod volo facere de meo? Jerem.* XVIII. 6. *Rom.* IX. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ex eadem massa facere aliud vas quidem in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Nihil tamen potest Deus attributis suis repugnans. VII. Hoc tamen eò usque non est extendendum, ut libertatis divinæ prætextu Deo quippiam adscribatur, attributis ejus, Sanctitati, Justitiæ, Misericordiæ repugnans, ac proinde, quo gloria ipsius directè violetur. Quale fit ab illis, qui negant, ideo Deum virtutes præcipere, quia bonæ sunt; sed posse Deum, si velit, contrarium omnibus virtutibus, ac speciatim decalogi, nominatim quidem primæ tabulæ, præceptis præcipere: posse hominem simpliciter ad impossibile obligare, & facere contrarium ejus quod ipse prohibuit; posse innocentem, aut quem ipse nocentem fecit, in æternum cruciare; similiaque, de quibus in Cap. de Justitia Dei latius. Licet enim Deus nulla necessitate ad quicquam extra se operandum adigatur, aut voluntas ejus nulla superioris lege circumscribatur; tamen Deus ipse sibi lex & regula est; nihilque naturæ suæ contrarium velle potest; sed quando quicquam operari vult, non potest, quin naturæ suæ convenienter operetur: interim arbitrii divini est, quo actu attributorum suorum egressus demonstrare ipsi placeat.

Discrimen inter libertatem voluntatis Dei, & hominum. VIII. Dices. Si in Deo salva sit voluntatis libertas, licet nihil nisi bonum velle possit: an non & in homine voluntatis libertas potest esse salva, licet irresistibili Dei gratia determinetur ad bonum? Resp. Nequaquam. Alia siquidem est ratio Dei, alia hominum. Deus nulli legi subest; sed ipsa natu-

naturæ divinæ sanctitas sibi ipsi regula est: homines vero legi promissis ac minis sancitæ subjecti sunt. Natura itaque obedientiæ liberæ exigit, ut homo nulla necessitate ad bonum feratur, sed tam legem transgrediendi, quàm ei obediendi potentiam habeat. Alias nulla est obedientia. In statu autem glorificationis, quando nulli amplius legi subjecti erimus, peccare non poterimus, sed sponte ac toto naturæ impetu in bonum feremur.

Voluntas Dei est 1. vel arcana, vel revelata.

IX. Voluntas divina variè dividi solet. Prima ac communis valde divisio est, quâ voluntas Dei dividitur in voluntatem arcanam, & revelatam; seu, ut alii exprimere malunt, in voluntatem signi & beneplaciti; vocantes voluntatem revelatam voluntatem signi, arcanam vero voluntatem beneplaciti. Hæc distinctio eo fine à quibusdam doctoribus adhibetur, ut doceant voluntatem revelatam, quæ continetur præceptis, promissis ac comminationibus divinis, non esse veram ac propriè dictam Dei voluntatem, sed esse tantum voluntatem signi, & non nisi καταχρηστικῶς & abusivè voluntatem Dei vocari; nisi effectum sortiatur: Arcanam vero voluntatem, seu decretum Dei, esse veram ejus voluntatem ac beneplacitum, utpote quæ semper effectum sortiatur: Ac proinde fieri posse, ut Deus voluntate signi quædam velit, quæ voluntate beneplaciti non vult, & vice versâ: ut, ex. gr. fidem & resipiscentiam reproborum, quam tamen voluntate arcanâ non vult. Ita passim docent Doctores Contraremonstrantes.

Revelata non est propriè dicta Dei voluntas.

X. Atqui hoc sensu accepta hæc distinctio falsa est & periculosa, & manifestis erroribus & absurditatibus incrustandis excogitata. Quod enim prius attinet, voluntatem revelatam esse propriè dictam Dei voluntatem ex variis Scripturæ locis antea allegatis evidentissimè constat: imo expresse *beneplacens Dei voluntas* vocatur, *Rom.* XII. 2. *Eph.* V. 10. quo elogio arcanam Dei voluntatem nusquam ornatam legimus, etsi, quin ea Deo placeat, dubitari minimè possit. Adeo ut nulla sit ratio, cur ea speciatim præ revelatâ voluntas beneplaciti vocetur. Præterea idem manifestissima evincitur ratione. Nisi enim id statuamus, gravissima sequentur absurda: ut; 1. Si voluntas Dei arcana sola sit vera Dei voluntas, nos, quibus hæc ignota est, de verâ Dei voluntate semper incerti erimus. 2. Posset fieri, ut Deus propriè nolit id quod seriò præcipit, & propriè velit, quod seriò prohibet. 3. Qui divina præcepta transgrediuntur, non peccabunt contra veram Dei voluntatem: imo omnia peccata, quantumvis enormia, secundum veram Dei voluntatem fient. 4. Multi erunt damnandi, eò quod veram Dei voluntatem fecerint. Dices. Si aliquid fiat contra Dei voluntatem, non erit Deus summè beatus; utpote qui aliquid contra animi sui sententiam ferre adigatur. Resp. Ex dictis liquere, duplicem esse Dei voluntatem: unam quâ ipse quid absolutè efficere vult: contra hanc si quid fiat, Deus non foret summè beatus: alteram, quâ à nobis aliquid fieri vult, addito promisso præmii & comminatione pœnæ. Contra hanc homo quid facere potest: imo ut id possit natura legislationis & obedientiæ exigit, quæ liberum requirit voluntatis exercitium, & inobediendi potentiam. Quamvis autem Deus legem homini non præscribat, ut eam transgrediatur, sed ut illi obediat; tamen sive homo Deo præcipienti obediat, sive non, Deus nihil patitur contra animi sui sententiam: quia hæc est voluntas Dei immutabilis, liberè obedientem donare præmio, liberè inobedientem afficere pœna. Sive itaque homo obediens sit, sive inobediens, Deus efficit quod vult. Si verò Deus destitutus esset potentia inobedientem pœna denuntiata puniendi, sanè beatus non esset.

XI. Fundamentum hujus erroris est, quod credant, nullam esse Dei voluntatem nisi efficacem. Atqui hoc si statuamus, inanis erit omnis conatus voluntati Dei obediendi; quia quicquid agimus, necessariò voluntatem Dei facimus. Atque ita omnis tollitur religio. Dices. Religio est, legi à Deo nobis datæ parere. Atqui, dico ego, si omnis Dei voluntas est efficax, etiam inanis est omnis conatus legi divinæ parendi. Aut enim Deus efficace ac verâ suâ voluntate constituit, ut legi suæ pariturus sis; & sic velis nolis parebis: aut per eandem suam efficacem voluntatem decrevit, ut non sis pariturus; & sic velis nolis inobediens eris. Tam enim fieri non potest, quod Deus non vult, quàm necessariò fit, quod Deus vult. Dices. Deus est considerandus non separatim, & in se; sed cum lege sua: & propositum obediendi legi Dei non est ineptum in nobis, quia eventus ipse docet, aliquos legi divinæ parere, aliquos illi reluctari. Resp. Quoniam statuunt, voluntatem Dei esse efficacem, nosque, quicquid agimus, semper facere quod Deus à nobis fieri vult; hinc sequitur, neque legem Dei posse à nobis concipi separatim & in se: sed semper cum absoluta illa ac efficace Dei voluntate, cui omnes & omnia subjacent. Illa itaque si Deus omnia determinet, propositum obediendi legi divinæ tam est ineptum in nobis, quàm propositum obediendi absolutæ ac efficaci voluntati Dei; quia per illam omnes omniaque determinantur, ut necessariò legi Dei vel obediant, vel reluctentur.

Omnis voluntas Dei non est efficax.

XII. In contrarium tamen objiciunt *Psal.* CXV. 3. *Certè Deus noster in cœlo est, omnia quæ voluit fecit*: Et *Esa.* XLVI. 10. *Consilium*

Explicatio Psal. CXV. 3.

meum

meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam. Et *Rom.* IX. 19. *Voluntati illius quis restitit?* Resp. In primo loco per *omnia* non sunt intelligenda omnia, quæ Deus aliquo modo voluit; sed ea tantum, quæ Deus efficere & ad exitum perducere voluit: opponitur enim Deus idolis, quæ mortua sunt, vitâ ac potentiâ destituta, ac proinde nihil efficere posse dicuntur. Ratio est, quia aliàs fieri non posset, quod Deus non vult: quod tamen Scriptura aliquoties factum esse testatur: *Esa.* LXV. 12. *Fecistis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis.* Similia vide *Cap.* LXVI. 4. *Matth.* XXIII. 37. & alibi. In secundo non dicitur omnia per consilium Dei determinata esse; sed tantum, quæ consilio Dei determinata sunt, ea non posse irrita reddi, aut impediri ne effectum sortiantur. Imò non de quovis Dei consilio sermo est; sed de illo tantum, quo Deus jam firmiter decreverat Cyrum ad vastandum Babylonem mittere, eoque tanquam instrumento uti ad populi sui è captivitate liberationem procurandum: uti ex antecedentibus & consequentibus liquet. Tertius locus non continet Apostoli Pauli verba; sed Judæi cujusdam refractarii, Pauli doctrinæ sese opponentis, objectionem, quam Apostolus in sequentibus dissolvit: & licet Pauli verba essent, de alia tamen Dei voluntate, quàm quâ aliquid absolutè efficere constituit, accipi non possunt. Si enim de omni voluntate Dei accipiantur, contrarium dixisset illis, quæ alibi leguntur, quod homines voluntati Dei restiterint, & quæ Deus noluit fecerint.

Es. XLVI. 10.

Rom. IX. 19.

Deus non vult voluntate signi, cujus contrarium vult voluntate beneplaciti.

XIII. Quod posterius attinet, Deum voluntate signi quædam velle, quæ voluntate beneplaciti non vult, & vice versa; non minoribus gravatur absurditatibus. Ita enim in Deo duæ essent voluntates, non tantum diversæ, sed & directè oppositæ & contrariæ, Deusque simul quid vellet & nollet. Deinde; voluntas illa revelata malè vocabitur voluntas signi: quia si contraria sit voluntati arcanæ, non erit verum signum, sed fallax, utpote significans Deum quid velle, quod non vult, aut nolle, quod vult: quod cum Sinceritate ac Veracitate Dei adversa fronte pugnat. Atque inde facile liquet, quàm inepta sit hæc distinctio, ad probandum, Deum salutem in verbo suo offerre reprobis, sub conditione fidei & resipiscentiæ, imo ipsis mandare ut credant & resipiscant; licet ipsos absolutè à salute rejecerit, nec velit ut credant & resipiscant.

Explicatio exempli Abrahami.

XIV. Pro distinctionis tamen hujus defensione allegare solent exemplum Abrahami & Pharaonis. Deus, inquiunt, voluit voluntate signi seu revelata, ut Abrahamus immolaret filium suum; voluntate verò arcana id noluit; inhibuit enim Abrahamum jam ad immolationem peragendum paratum. Sic voluit voluntate revelata, ut Pharao dimitteret populum Israëlis; voluntate vero arcanâ id noluit; quia Pharaonis cor induravit, ne populum dimitteret: *Exod.* VII. 3. Resp. Exemplum Abrahami alterius plane est generis; expresse enim vocatur *tentatio*, *Genes.* XXII. 1. Atqui omnis tentatio requirit dissimulationem, ut ita hominis, qui tentatur, animus exploretur. Inde itaque argumentum duci non potest ad quævis mandata Dei; nisi velimus, Deum mandatis suis, quando non observantur, homines tantum tentare. 2. Ex hoc ipso exemplo liquet, mandato Dei veram ipsius contineri voluntatem. Quomodo enim Abrahamus scivisset, Deum velle filii sui oblationem, nisi ex mandato divino? Quomodo rursus cognovisset, Deum noluisse illius consummationem, nisi contrarium dedisset mandatum? Si Deus, cum jam Abrahamus ad immolandum filium esset paratus, jussisset ut pergeret; si peracta immolatione laudasset factum; si cæde non perpetrata Abrahamum reprehendisset; quid, dicerentne, Deum tamen noluisse immolationem Isaaci? Atque ita Deus agit cum impiis mandatorum suorum transgressoribus: mandat obedientiam; cunctantes hortatur; inobedientes objurgat, iisque minatur: obedientes vero laudat: verè ergo eorum obedientiam voluisse dicendus est. 3. Multò minus ex hoc exemplo comprobari potest, Deum occulta actione homines determinare ad malum, quibus obedientiam præscribit. Deus enim Abrahamum occultâ quadam actione non inhibuit, ut rebellis esset suo mandato; sed mandato suo promptitudinem obediendi in Abrahamo excitavit; eamque vidisse contentus, novo præcepto Abrahamum inhibuit, ne, quod animo jam destinaverat, executioni mandaret.

XV. Alterum exemplum, Pharaonis nempe, nihil ad rem facit: voluit enim Deus seriò, ut Pharao populum Israël dimitteret, neque contrarium voluntate arcana decreverat. Dices. Induravit tamen Deus Pharaonem, ne populum dimitteret. Resp. Non induravit Pharaonem, ipsi subtrahendo aut denegando potentiam præcepto divino obtemperandi, sed levitate plagarum; quia enim videbat, commodum, quod ex Israëlitarum detentione percipiebat, majus esse damno, quo per plagas divinas afficiebatur, se induravit ne Israëlitas dimitteret. Quod exinde liquet: quia posteà nullâ novâ Dei gratia adjutus, sed primogenitorum cæde territus, populum non tantum demisit, sed & expulit. Certissimo argumento, ipsum citius populum dimissurum fuisse, si plagæ priores gravitate huic postremæ non cessissent. *Et Pharaonis.*

XVI.

Nec est duplex beneplacitum divinum sibi mutuo adversum.

XVI. Alii itaque, hujus distinctionis hoc sensu acceptæ absurditatem videntes, aliter illam exponunt. Ajunt ergo, nihil Deum velle voluntate signi, quod non simul velit voluntate beneplaciti: sed duplex esse Dei beneplacitum, unum quod occultatur, alterum quod revelatur: Non ergo credendum, voluntatem revelatam esse signum occultæ; sic actum esset de veritate verbi divini; sed alterius beneplaciti quod revelatur. Ex: gr: Deus decrevit maximam hominum partem non sanctificare; decrevit præterea, omnes homines ad sanctitatis studium tanquam officium per præceptum obligare: quando ergo patefacit, se velle ut omnes homines sancti sint, est revelatio non prioris, sed posterioris decreti. *Resp.* Doctores hosce, ut evitent repugnantiam inter voluntatem Dei signi & beneplaciti, nobis substituere duo decreta divina, seu duas voluntates beneplaciti sibi mutuo adversantes: quod ex ipso eorum allato exemplo evidentissimè demonstrari potest. Deus enim non tantum homines per præceptum obligat ad sanctitatis studium, sed & promisso vitæ æternæ, quam ipsis offert, & quam ut amplectantur ipsos orat, & obtestatur. Si itaque hæc sit alicujus arcanæ voluntatis revelatio, necesse est, ut Deus apud se decreverit, hominibus, etiam qui increduli sunt, salutem æternam offerre, & illius promisso ipsos invitare ab obediendum. Atqui hoc à Deo fieri nequit, stante priore decreto de maxima hominum parte non sanctificanda, seu illi denegandis mediis ad sanctificationem necessariis. Pugnantia enim sunt, hominibus absolutè salutem & media ad salutem denegare, & tamen salutem ipsis offerre, & spe salutis ab obediendum invitare. Sicut itaque posterioris decreti revelatio non conciliari potest cum priore decreto, ita nec decretum ipsum. Nec huc facit exemplum Abrahami. Deus enim præcepto suo Abrahamum non tantum obligare voluit ad filii immolationem, sed & promptum paratumque ad immolandum reddere: quod Deum circa reprobos velle efficere neutiquam concedent.

Quo sensu voluntas Dei alia sit arcana, alia revelata.

XVII. Attamen bona est hæc distinctio in voluntatem arcanam & revelatam, & bono sensu accipi potest: quatenus Deus non omnia quæ vult ac decernit, revelat, sed multa præmit. Sic legimus *Deut.* XXIX. 29. *Abscondita Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba Legis hujus.* Ita quædam ipsis Angelis sunt occulta: tale est diei judicii tempus, *Marc.* XIII. 32. talis etiam fuit vocatio gentium, quæ vocatur *mysterium absconditum à seculis in Deo, quod nunc per Ecclesiam innotuit principatibus & potestatibus in cœlis. Ephes.* III. 8, 9, 10, & *in quod Angeli desiderant prospicere*, 1 *Pet.* I. 12. Occultationis causæ variæ esse possunt. Ne impii se illius executioni opponant: licet enim voluntatem Dei irritam reddere nequeant, vult tamen sæpe Deus quod decrevit, per ipsos impios, sed aliud agentes & cogitantes, tanquam instrumenta suorum judiciorum, exsequi. Tum, ut tanto majori sit admirationi, quando manifestatur: *Gloria* enim *Dei est, celare verbum*, *Proverb.* XXV. 2. Tandem, ut pateat, quanti eos Deus faciat, quibus voluntatem suam, nulli notam, revelat. *Joan.* XV. 15. *Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, notu feci vobis.*

XVIII. Modus voluntatem revelandi varius est. Primò enim eam Deus revelat per executionem: quando enim Deus quid facit, signum est evidentissimum, Deum id voluisse. Attamen non quicquid fit, Dei esse opus credendum est; sed ea solummodò, quæ Deo consentanea sunt. Mala quæ fiunt, Deus non facit, neque causa est, ut fiant; sed permittit solummodò, hominique facultatem non eripit malum, quod animo concepit, opere ipso exsequendi: tum & in certum finem dirigit; adeo ut assecutio finis illius opus quidem Dei sit; non autem impiorum opera mala, quæ in finem illum à Deo diriguntur: de quibus postea. Secundò: quando eam servis suis manifestat. Sic *Amos.* III. 7. *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Respicit quidem hic locus speciatim pœnas, quas rebellibus Deus infligere constituit: verum præter eas alia multa Prophetis suis olim revelavit; quin integram legem Mosi revelavit. In Euangelio verò plenam suam voluntatem omneque beneplacitum patefecit, tam in præceptis perfectissimis, quàm promissis excellentissimis, & minis gravissimis. Hinc *Coloss.* II. 9. *in Christo*, id est, Euangelio Christi, *omnis plenitudo deitatis*, non in figuris & umbris, ut olim, sed *corporaliter habitare* dicitur: Et *vers.* 3. *in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ esse absconditi.* Tum & passim, & præsertim in Apocalypsi, varia Ecclesiæ statum spectantia patefecit.

Varii revelationis modi.

XIX. Secundò, dividitur voluntas Dei in absolutam & conditionatam. Sed quoniam de decretis divinis seorsim agere constituimus, illa distinctio melius ibi expendetur.

2. Vel absoluta, vel conditionata.

XX. Tertiò itaque voluntas divina distinguitur in antecedentem & consequentem. Antecedens voluntas solet vocari, quâ Deus aliquid vult secundum se, non habita ratione circumstantiarum. Hac voluntate Deus vult omnes homines salvos; & in ordine ad eos, quos scit conditionem salutis amplexuros, manet antecedens, quia non mutatur,

3. Vel antecedens, vel consequens.

tatur, sed confirmatur; quæque antea erat conditionata respectu omnium, fit absoluta respectu quorundam. Quam nihilominus antecedentem vocant, quia non est conjuncta cum velleitate oppositi. Consequens itaque juxta hunc sensum est, quâ Deus aliquid vult, non secundum se, sed habita ratione circumstantiarum, cujus contrarium vellet, si non essent tales circumstantiæ. Per hanc vult Deus infideles damnare; eoque ab antecedente differt, quod conjuncta sit cum velleitate oppositi. Antecedens in bonitate & misericordia, consequens in justitia Dei fundamentum habet.

Alia illius explicatio. XXI. Hoc sensu distinctio hæc explicata est à Damasceno, qui primus eâ usus est: potestque non incommode ita explicari, ut diversa sit à distinctione præcedente in absolutam & conditionatam. Potest tamen commodè etiam, & fortassè commodius, explicari, ut non multum à præcedente distinctione recedat, hoc sensu: Ut antecedens Dei voluntas sit, quæ hominis actionem antecedit, proinde ad quam Deus nulla re, quæ extra se sit, movetur: Consequens, quæ hominis actionem sequitur, à quâ Deus hoc aut illud circa hominem volendi occasionem sumit. Sequitur autem voluntas Dei actionem hominis vel actu, vel in præscientia Dei. Ita Deus voluntate antecedente vult salutem omnium, 1 *Tim.* II. 4. Consequente vult salutem tantum fidelium, & infidelium damnationem; juxta *Joan.* III. 36. Differt hæc expositio à priore; quòd prior etiam voluntatem Dei de fidelibus servandis vocet antecedentem; quia per eam voluntas omnes servandi confirmatur, neque conjuncta est cum velleitate oppositi. Posterior autem eam vocet consequentem, quia illam præcessit actio hominis, fides nempe & obedientia, à qua Deus occasionem sumit voluntatem, homines in genere salvandi, huic aut illi in specie applicandi. Atque hoc postremo sensu accepta hæc distinctio nobis magis placet.

Quatenus coincidat cum secunda. XXII. Hinc jam liquet, distinctionem hanc aliquatenus coincidere cum præcedente: adeo ut voluntas antecedens sit conditionata: vult nimirum Deus omnium salutem si credant: Consequens vero absoluta, quia per eam hujus aut illius vult salutem, quia credit: alterius damnationem, quia incredulus est. Dupliciter autem voluntas consequens absoluta dici potest. Nam aut conditio cœpit impleri, & posteà aut desiit, aut desinere saltem potest: & tum voluntas consequens nondum est prorsus absoluta, sed aliquatenus suspenditur à perseverantia. Sic commendat Petrus 2 *Epist.* I. 10. ***Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*** Et Paulus de se ait 1 *Cor.* IX. 27. ***Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*** Aut est consummata ad finem usque vitæ; & tum voluntas salvandi est prorsus absoluta & irrevocabilis.

XXIII. Attamen constat & discrimen aliquod inter utramque distinctionem esse; quatenus voluntas antecedens etiam quandoque possit esse absoluta. Antecedente siquidem voluntate Deus vult fideles in genere salvare, nulla habita ratione speciatim hujus aut illius qui fidelis futurus sit; sed solummodò conditionis fidei, quam Deus absolutâ voluntate hominibus conditionem salutis præscribere vult. Similiter antecedente voluntate vult Deus Filium suum mittere ut sit redemtor mundi, hominem gratia vocationis suæ prævenire, & vires ad vocationi parendum necessarias largiri. Atqui ea est voluntas absoluta, & à nulla conditione suspenditur. Adeo ut distinctio partim coincidens, partim discrepans à præcedente, etiam seorsim tradi debeat. *Quatenus ab illa diversa sit.*

XXIV. Usus attributi hujus est: 1. Quia Deus liberrimæ voluntatis ac potestatis est; ut quæcunque habemus ipsius spontaneæ liberalitati accepta feramus, ipsique tanquam omnium bonorum largitori gratias agamus, qui ex libero beneplacito omnia nobis largitus est, non ut ad ipsum inde aliquod redundaret bonum; ipse enim per se summè est beatus; sed ut nobis benefaceret. *Genes.* XXXII. 10. *Deut.* VII. 6. *& seqq.* 2. Ut precibus ardentibus gratiam ejus semper ambiamus, & sollicitè retinere studeamus. 3. Quæcunque Deus vel ipse facit, vel fieri permittit, ea sensu nostro proprio ne metiamur: quia non nobis, sed soli Deo illorum ratio constat. 4. Ut patienter feramus quascunque afflictiones; quas Deo nobis immittere placeat, nec unquam contra ipsum murmuremus; sed plena cum animi acquiescentia in omnibus dicamus, *Fiat voluntas Domini*, *Act.* XXI. 14. 5. Ut mandatis Dei, quibus veram ac beneplacentem suam voluntatem patefecit, ex animo & omnibus viribus pareamus, certi hanc unicam esse salutis consequendæ viam. *Usus.*

CAPUT X.

De Amore, Odio ac Irâ Dei.

Quo sensu Deo affectus tribuantur. I. IN Voluntate divina duo considerantur attributorum genera; quædam affinitatem habent cum affectibus humanis, ideoque iisdem cum illis nominibus exprimuntur: quædam cum virtutibus moralibus affectus istos moderantibus. Quando autem Deo affectus tribuuntur, dextrè id interpretandum est. Non enim est credendum, in Deo propriè dictos esse affectus, qui cum alteratione & commotione sangui-

sanguinis in nobis excitantur, & imperfectionem quandam sapiunt: quomodo Ethnici suos finxere Deos; sed aliquid affectibus humanis analogum. Tribuuntur nempe Deo, non cum relatione ad ipsum Deum, sed in ordine ad objecta, quæ extra Deum sunt, & circa quæ Deus operatur. Affectus ergo divini sunt voluntatis actus, qui convenientiam habent cum operationibus hominum, qui ejusmodi affectibus aguntur, absque tamen omni in Deo perturbatione. In singulis itaque affectibus aliquid in voluntate & operationibus divinis analogum cum operationibus hominum inquirere debemus, ut eos dextrè explicemus. Aliàs si nihil illis analogum Deo tribuamus, nulla apparebit ratio, cur iisdem cum affectibus humanis nominibus appellentur. Tribuuntur ergo affectus Deo per ἀνθρωποπάθειαν, & θεοπρεπῶς sunt intelligendi.

Amor Dei, II. Affectus primus in Deo est *Amor*, qui est affectus complacentiæ, quo Deus bono delectatur, eique se unit ac communicat. Voco Amorem primum Dei affectum, quia Bonitatem ejus, ex qua omnia ortum suum habent, immediatè excipit. Omnia enim quæ sunt, omnesque rerum perfectiones, divinæ bonitatis egressus sunt; quoniam omnia Deus ex nihilo creavit, omnibusque ac singulis ex mera liberalitate perfectionem suam dedit. Erga res autem creatas statim sese exserit amor Dei: quia eæ ut simpliciter creatæ bonæ sunt, nec aliter quàm bonæ considerari possunt. Sic *Genes.* I. 31. dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Speciatim autem amor Dei occupatur circa homines, omnium creaturarum in hoc visibili mundo præstantissimos. Sic celebrat ejus φιλανθρωπίαν Apostolus, *Tit.* III. 4. Creavit quidem Deus Angelos hominibus naturâ multo præstantiores: attamen certo quodam respectu Deus homines præ angelis dilexisse dicendus est: quatenus angelis, cum peccassent, non pepercit, sed vinctos catenis caliginis, reservavit judicio, 2 *Pet.* II. 4. hominibus verò peccatoribus gratiam fecit, & Filium suum Redemtorem ac Servatorem misit. Hinc *Hebr.* II. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Et vel Antecedens. III. *Amoris* Dei circa homines diversæ sunt species, seu gradus. Distinguitur quippe in *amorem benevolentiæ*, qui & *antecedens* vocatur; & *amorem amicitiæ*, qui & *consequens* appellari solet. *Amor benevolentiæ* est, quo Deus homines, simpliciter quatenus creaturæ suæ sunt, diligit, absque ullo respectu, utrum amore illo digni sint: Imo quo homines indignos, & iram odiumque per peccata meritos diligit, iisque benefacere vult. Et ex hoc amore profluxit missio Christi in mundum pro salute hominum. Hunc amorem celebrat Joannes 1 *Epist.* IV. 10. *Hæc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ille dilexerit nos, & miserit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* Vide & *Joan.* III. 16, *Tit.* III. 4, 5. 2 *Timoth.* I. 9, 10. *Eph.* II. 1. 2, 3. *& seqq.*

IV. Amoris hujus species sunt, *Gratia*, & *Misericordia*. *Gratia* est affectus benefaciendi hominibus, qui amore Dei indigni sunt, opponiturque semper merito: *Rom.* XI. 6. *Si gratiâ, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia: Ephes.* II. 8; 9. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: Non ex operibus, ne quis glorietur.* Et hanc Deus præcipuè ostendit in missione Filii sui in mundum; quia eum misit pro salute hominum peccatorum, & de resipiscentia minimè cogitantium: & quia per eum peccatoribus non præscripsit rigidam legem operum, sed gratiosam fidei & resipiscentiæ, quæ adjunctum habet promissum remissionis peccatorum. Hinc *Tit.* II. 11, 12. *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus,* &c. 2 *Timoth.* I. 9. *Qui vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam*: &c. Aliquando etiam *gratia* significat dona Dei gratuita, seu ex gratia concessa: ut *Joan.* I. 16. *Rom.* XII. 3. 2 *Cor.* VIII. 1. IX. 8. *Eph.* IV. 7. 1 *Pet.* IV. 10. & alibi. Sed hic eam pro affectu benevolo accipimus. *Ejus species sunt, Gratia,*

V. *Misericordia* proprie est affectus subveniendi miseris. In hominibus ordinariè conjuncta est cum dolore, ex aliena miseria concepto. Quia vero dolor ille nos promtos paratosque reddit ad subveniendum miseris; hinc & illa promptitudo in Deo, ad afflictis opem ferendum, misericordia appellatur. Tribuitur ea passim Deo: *Psal.* CXLV. 9. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Psal.* CIII. 8. *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors.* Vide & *Deut.* IV. 31. Imo *Pater miserationum* vocatur, 2 *Cor.* I. 3. & *viscera misericordiæ* ipsi tribuuntur, *Luc.* I. 78. Hinc Deus inquit *Jerem.* XXXI. 20. *Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor ejus.* Unde & dicitur *dives in misericordia*, *Ephes.* II. 4. &, *secundum altitudinem cæli à terra corroborasse misericordiam suam super timentes se*, *Psal.* CIII. 11. Vide & *Lament. Jerem. cap.* III. 22, 23. *Et misericordia.*

VI. *Amor Amicitiæ*, qui & *consequens* vocatur, est, non simplex tantum affectus, sed cum eo conjuncta benevola voluntas, quâ Deus fertur in creaturam officio suo fungentem, quâ talem. Fundamentum hujus est, amor justitiæ, qua Deus tanquam bono naturæ suæ conveniente delectatur, peccatumque odio habet: sic *Psal.* XLV. 8. *Diligis justitiam, odio autem habuisti iniquitatem:* *Vel consequens.*

tatem: qui & citatur Hebr. I. 9. Quia verò Deus justitiam diligit, hinc & hominem justum diligit, eique tanquam amico uniri vult, omniaque sua bona communia facere. Estque hic intensior amoris gradus præcedente, quia adjunctam sibi habet efficacem voluntatem creaturæ omnia bona salutaria communicandi: cùm prior communicet bona, quæ, si iis creatura rectè utatur, ad salutem ducere possint; & conjuncta sit cum propensione salutem dandi; quæ tamen in efficacem & absolutam voluntatem non convertitur, nisi accedente officio creaturæ: atque ita fiat amor amicitiæ, seu consequens. De hoc amore accipienda, quæ legimus *Joan.* XIV. 21. *Qui præcepta mea habet, eaque observat, is est qui diligit me: & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et *cap.* XV. 14 *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Vide & *Act.* X. 34. *Rom.* VIII. I. & pluribus in locis, ubi Deus pios ac justos diligere dicitur.

Odium Dei. VII. Amori opponitur *Odium*, quod est affectus displicentiæ, quo Deus malum aversatur, & à se depellit. Odii itaque divini objectum vel res est, vel persona. Res, est malum: non malum pœnæ; quod, ut diximus, in se malum non est, sed illi tantum cui infligitur noxium & injucundum, in se verò ad gloriæ divinæ illustrationem facit: sed malum culpæ, seu peccatum: hoc enim naturæ divinæ est adversum, ideoque Deus non potest, quin illud odio habeat & aversetur. Sic videmus *Psal.* XLV. I. *Odio habuisti iniquitatem. Zach.* VIII. 17. *Hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. Proverb.* VI, 16, 17. *Sex sunt, quæ odit, dicit Dominus, & septimum detestatur anima ejus. Oculos sublimes*, &c. Et *Deut.* XII. 31. *Idola* vocantur *abominationes quas aversatur Dominus.* Persona est peccator: quia enim Deus peccatum odit, fieri nequit, quin & peccatorem, qua talem, oderit. Sic *Psal.* V. 7. *Odisti omnes operantes iniquitatem.* XI. 5. *Anima Dei odit impium, & diligentem iniquitatem.* In specie, idololatras Deus odisse dicitur, *Levit.* XXVI. 30. *Ose.* IX. 15. Et amatores mundi dicuntur *inimici Dei, Jacob.* IV. 4. Estque odium hoc Dei aversio à peccatore, utpote sibi dissimili.

Illius effecta. VIII. Effectus illius est, separatio peccatoris à Deo, & à communione bonorum istorum, quæ ex divinæ bonitatis fonte fluunt, quorumque aliàs, nisi peccasset, particeps fuisset: quæ, pro ratione majoris minorisve contumaciæ ac impœnitentiæ, vel gravior vel diuturnior est. Gravissimi autem odii effectum, est separatio à maximi boni communione, hoc est, vitæ æternæ; & inflictio gravissimæ pœnæ, sc. mortis ac supplicii æterni. Odium hoc Dei erga peccatores causa est, quòd Deus opera eorum, etiam non mala, etiam à se, sed positiva lege, præcepta, ut ceremonialia, abominetur. *Proverb.* XV. 8 *Victimæ impiorum abominabiles sunt Deo.* Vide & *Esa.* I. 11, 12. *& seqq. Cap.* LXVI. 3.

IX. Hoc autem odium Deus non exserit erga quoscunque peccatores, sed solos impœnitentes: erga pœnitentes quippe summè est misericors, illisque peccata condonat: quod Scriptura passim docet; inter alia *Psal.* CIII. 13, 14. CXXX. 3, 4. *Esa.* I. 16, 17, 18. *Act.* III, 19. I *Joan.* I. 9. impœnitentes vero ac contumaces exscindit. *Ejus objectum est peccator.*

X. Odii itaque hujus objectum esse nequit homo quà talis, absque ulla consideratione peccati. Solum enim peccatum odii divini causa est: & homo, simpliciter ut creatura consideratus, amoris divini, uti vidimus, objectum est. Quod observandum contra eos, qui docent, objectum reprobationis divinæ esse hominem simpliciter consideratum quà talem, extra statum peccati: qui nempe Deo prædestinanti hominem nondum lapsum, seu ut nondum lapsum consideratum, objiciunt. Nec refert, sive doceant, Deum reprobos destinasse ad exitium æternum, sive in electione sua præteriisse: quia præteritio illa necessario secum trahit actualem reprobationem ac damnationem. Sic molliora tantum quæruntur vocabula, quibus eadem res dicatur. *Non homo simpliciter ut creatura consideratus.*

XI. Atqui, dices, legimus *Rom.* IX. II. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni nec mali*, &c. *dictum est, Jacob dilexi, Esau odio habui.* Resp. I. Oraculum hoc, *Jacob dilexi, Esau odio habui*, non est pronuntiatum, antequam Jacob & Esau nati essent; sed multis post illorum nativitatem seculis à Malachia prophetarum ultimo: sed illud tantum oraculum, *Major serviet minori.* 2. Jacob & Esau non significat in utroque illo oraculo propriè ipsorum personas, sed posteros ex ipsis orituros; uti tam ex oraculo, quod *Genes.* XXV. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur*, &c. quàm ex eo quod *Malach.* I. 2, 3. legitur, manifestè liquet. 3. Nec hic intelligitur odium propriè dictum, quo Deus Esavum omnesque ex ipso oriundos ad æternum exitium rejecerit: contrarium enim evidentissimum est: sic enim & Jacobum, omnesque illius posteros ad vitam æternam elegisse dicendus foret: quod falsissimum esse constat: quia plurimi posterorum Jacobi fuere impii: sed est minor quædam dilectionis species, quæ ad majorem relata odium vocatur: quo sensu vox *odium* aliquoties in Scriptura accipitur; *Deut.* XXI. 15. *Proverb.* XIII. 24. *Matth.* VI. 24 & præsertim *Luc.* XIV. 26. coll. cum *Matth.* X. 37. *Explicatio Rom. IX. II.*

XII. Cum odio Dei magnam habet affinitatem *Ira*, quæ etiam frequentur Deo in *Ira Dei.*

in Scriptura tribuitur. Est autem propriè ira affectus puniendi, in hominibus cum animi quadam perturbatione ex sanguinis effervescentia circa cor conjunctus. Hoc sensu Deo attribui non potest; sed impropriè, quatenus in Deo quid est, aut Deus quid facit simile hominibus iratis. Est quippe in hominibus iratis voluntas puniendi, quam, si vires & facultas adsint, punitio consequitur. Scriptura itaque, Deo iram attribuens, duo ea designare solet: 1. affectum puniendi: *Exod.* XXXII. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos. Joan.* III. 36. *Qui Filio incredulus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et *Rom.* I. 18. 2. Punitionem ipsam: *Rom.* XII. 19. *Non vosmet ipsos vindicantes, sed date locum iræ.* Quod de divina punitione commodissimè accipi potest. Imo & nonnunquam mala, quæ ex ira peccatoribus infliguntur. Ut *Rom.* II. 8. *Iis qui sunt ex contentione,* &c. *ira & indignatio. Luc.* XXI. 23. *Erit pressura magna super terram, & ira populo huic.*

Illius objectum non est homo in puris naturalibus constitutus.

XIII. Objectum iræ divinæ est homo peccator, quatenus peccator: peccatores enim solos sicut Deus odisse, ita & iis irasci, dicitur; nec usquam iræ divinæ, nisi contra peccatores, mentio fit. Non ergo homo innocens, aut nondum ut peccator consideratus, seu in puris naturalibus constitutus, iræ divinæ objectum esse potest. Potestatem quidem ac jus habet Deus homines innocentes destruendi, quodque dedit esse auferendi: iram tamen suam in tales effundere nequit. Perdere eos potest, ut Dominus absolutus: punire ut judex non potest.

Explicatio Rom. IX. 22.

XIV. Sed objicitur, esse quædam *vasa iræ coagmentata ad interitum. Rom.* IX. 22. Resp. *Vasa iræ* non sunt homines in puris naturalibus constituti; sed Judæi increduli, qui viam salutis, sibi à Deo per Christum oblatam, præfractè respuebant; & alia ratione, quam Deus sibi gratam non esse declaraverat, justitiam & vitam consequi volebant. Hi dicuntur coagmentati ad interitum; non quod Deus ipsos ad interitum condiderit: absit: sed, quòd aut in seipsos sua rebellione justam Dei iram provocent; aut quod Deus talibus interitum destinaverit ob rebellionem suam. Comparatur quippe Deus figulo, qui sicut ex eadem massa facit unum vas ad honorem, alterum ad dedecus; ita & Deus ex eodem genere humano jam corrupto & peccatore, & in Judæos & gentes distributo, pro arbitrio suo format homines ad salutem & damnationem: hoc est, viam salutis ac damnationis constituit; omnesque ac solos in Jesum Christum credentes, saluti, incredulos vero ac Christo immorigeros, & alii religioni mordicus adhærere volentes, exitio destinat, atque ita propter propriam rebellionem ac contumaciam aptat ad interitum.

Et Eph. II. 3.

XV. Attamen *Eph.* II. 3. dicimur *naturâ esse filii iræ.* Resp. Non dicitur, *sumus natura* filii iræ, sed *eramus*. Et vox *naturâ*, non denotat statum nostrum naturalem; quasi in eo filii iræ esse possemus; sed tantundem sonat, atque revera; perinde ut *Gal.* IV. 8. Loquitur Apostolus de peccatoribus, qui in concupiscentiis ac desideriis carnis ambulaverant, & ob istam peccandi consuetudinem revera filii iræ fuerant. Quia enim dicit *eramus*, manifestè statum præcedentem ante ipsorum conversionem respicit: ostenditque ipsos non amplius illo in statu esse. Si vero innuere voluisset, quis sit naturalis hominum status, non dixisset *eramus*, sed *sumus*: quemadmodum illi, qui hominem naturâ filium iræ esse urgent, continuo hunc textum citare solent.

Effecta iræ divinæ.

XVI. Effecta iræ divinæ sunt pœnæ: eæque omnis generis: vel temporales, & quæ in hac vita locum habent; eæque vel corporales, quarum longum catalogum videre est *Deut.* XXVIII. *Levit.* XXVI. vel spirituales; ut, excæcatio, induratio, traditio in reprobum sensum: *Rom.* I. 24, 26, 28. *2 Thess.* II. 10, 11, 12. Ab hisce autem pœnis separanda sunt mala, quibus Deus & innocentes, & pios nonnunquam in hac vita affligit; ea enim aut ex absoluto jure tanquam Dominus; aut ex amore tanquam Pater benignus, qui ipsos castigat, ut emendet, immittit. Nonnunquam tamen & sola mors temporalis iræ divinæ effectum est, quam Deus infligit hominibus cætera piis, aliquo tamen peccato eatenus iram ejus provocantibus, ut, licet illis mortem æternam condonare velit, non tamen plane à pœna immunes esse velit, sed morte temporali punire cupiat. Exemplum habemus in Corinthiis; quorum quidam ob indignum sacræ cœnæ usum infirmi erant, *aliqui* etiam *dormiebant*, 1 *Cor.* XI. 30. id est, mortem oppetierant, ex qua tamen, velut ex somno, erant resuscitandi: Et in Mose, quem Deus ob diffidentiam, aut iracundiam, morte punivit, *Num.* XX. 11, 12. Vel sunt pœnæ æternæ: separatio nempe à facie Dei, & conjectio in ignem æternum, præparatum diabolo & angelis ejus. *Matth.* X. 28. XXV. 46. *Marc.* IX. 44. 2 *Thess.* I. 8, 9. *Apoc.* XX. 14, 15. & alibi.

Usus.

XVII. Usus horum attributorum sunt varii. 1. Quia Deus bonus, imo optimus est, omnibus viribus amari debet, tanquam omnis boni fons. *Deut.* XXXII. 6. 2. Ejus promissis est fidendum sine ulla hæsitatione: *Psal.* CXLV. 3. Preces cum fiducia ad ipsum sunt fundendæ. *Matth.* VII. 7, 8, 9, 10, 11. *Jacob.* I. 5, 6, 7. 4. Voluntati ejus in omnibus nos conformare oportet, etiam sub cruce: quia omnia in bonum nostrum diri-

dirigit: *Rom.* VIII. 28, 29. non sinet tentari supra vires, 1 *Cor.* X. 13. sed aut mitigabit afflictionem, aut brevem reddet: *Lament. Jerem.* III. 22. *Jacob.* V. 11. Dabit Spiritum Sanctum orantibus: *Rom.* V. 2, 3, 4, 5. VIII. 14, 15, 16, 17. 2 *Cor.* I. 5. IV. 16, 17, 18.

XVIII. Amoris divini usus est 1. Deum redamare, præceptisque ejus obedire. 2. Charitatem exercere erga proximum: 1 *Joan.* IV. 11. *Matth.* V. 44, 45. VI. 14, 15. XVIII. 35. *Ephes.* IV. 32. Odii autem, peccatum summo studio cavere; quia facientes quæ Deus aversatur, nullam cum ipso communionem habere possumus: 1 *Joan.* I. 6.

CAPUT XI.

De Dei Desiderio, Spe, Gaudio, eorumque contrariis.

Desiderium Dei. I. EX Amore Dei oriuntur Desiderium, & Spes. Desiderium propriè est affectus erga bonum absens. Bonum hoc est obedientia ac beatitudo creaturæ. Desiderium itaque Dei est affectus, ab homine habendi obedientiam, aut si peccaverit, resipiscentiam, hominique largiendi vitam ac felicitatem æternam. Desiderat autem Deus obedientiam hominis, non sibi, quasi ex illa aliquod ad ipsum redundaret boni, sed homini; ut actum nempe sibi gratum, & naturæ suæ consentaneum, ut homini illum exercenti sese unire, omniaque salutaria communicare possit.

Asseritur ex Scriptura. II. Hujus desiderii divini testimonia sunt quotquot in Scriptura occurrunt divinæ optationes, preces, obtestationes, item adhortationes & objurgationes; quas passim in Scriptura legere est. Optationum aliæ respiciunt præteritum tempus; ut *Psal.* LXXXI. 14. *Esa.* XLVIII. 18. aliæ futurum tempus: *Deut.* V. 29. XXXII. 29. *Luc.* XIX. 42. Preces Dei occurrunt *Esa.* LXV. 2. 2 *Cor.* V. 19, 20. Obtestationes & querimoniæ, *Ezech.* XVIII. 23. *Jerem.* II. 5. *Mich.* VI. 3. Adhortationum & objurgationum plena sunt & Prophetarum & Apostolorum scripta.

Cum eo non potest conciliari decretum absolutæ reprobationis. III. Cum Desiderio Dei conciliari non potest decretum absolutæ reprobationis maximæ partis hominum, &, quod ei adhæret, denegationis gratiæ ad fidem & resipiscentiam necessariæ. Salutem enim eorum, quos Deus absolutè rejecit, quosque proinde salvari non vult, desiderare nullo respectu dici potest: multò minus fidem & resipiscentiam, quam per gratiæ denegationem impossibilem reddit. Quis enim desideret, quod ipse sua actione, aut actionis suæ denegatione, impossibile reddidit? Perinde est, ac si judicium de coloribus desideretur à cœco, aut ambulatio à mortuo.

Dei Fuga. IV. Desiderio Dei opponitur fuga. Hæc autem non est fuga conversionis & salutis impiorum: illam enim Deus desiderat, quamdiu vitam illis superesse concedit, *Ezech.* XVIII. 31, 32. 2 *Pet.* III. 9. *Rom.* II. 4, 5. Sed qua Deus abhorret à peccato & peccatoribus se convertere nolentibus; eamque aversionem actibus, quales abhorrentium esse solent, testatur. Differt ab Odio, non re, sed modo considerandi; ideoque quæ de odio dicta sunt, etiam fugæ applicari debent. Hanc Deus speciatim testatur, quando impiorum preces audire recusat, juxta id quod legitur *Proverb.* XXVIII. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Hoc casu Deus dicitur *sibi opponere nubem, ne oratio transeat*: *Lament. Jerem.* III. 44. Et quando non vult ut pii pro illis orent: *Jerem.* VII. 16. *Tu noli orare pro populo hoc;* &c. *quia non exaudiam te.* Et 1 *Sam.* XVI. 1. Deus non vult ut Samuel oret pro Saule. Aut si pii pro illis orent, se eos exaudire nolle testatur; adeo quidem ut si Moyses, Samuel, Noë, Daniel & Job, omnes Deo gratissimi, pro ipsis intercedant, Deus illorum preces minime exauditurus sit: *Jerem.* XV. 1. *Ezech.* XIV. 14, 20. Intellige, si impii in impietate sua contumaciter perseverent: alias, si seriò ad Deum convertantur, dubitandum non est, quin gratiam inventuri sint. Idque Deus testatur, quando impiis ob diuturnam rebellionem exitium minatus, nihilominus ad pœnitentiam hortatur: & gratiæ spem facit: *Amos.* IV. 12, 13. V. 14, 15. *Joël.* II. 12, 13, 14.

Spes Dei. V. Desiderio proxime conjungitur Spes, quæ desiderio addit persuasionem de bono, acquisitu quidem difficili, sed verisimiliter tamen futuro; si enim acquisitu impossibile credatur, succedit desperatio. Bonum hoc est obedientia vel resipiscentia hominis. Ea autem verisimiliter futura dicitur, quando consideratis omnibus, quæ requiruntur ut eam existere oporteat, scilicet, gratiæ divinæ auxiliis ad obediendum sufficientibus, Deus illam exspectat. Exspectatio enim propriè sperantium actus est. Non est autem Deus, sperantium instar, de eventu incertus; sed eventum, quem illius gratiosæ operationi respondere oportet, expectat. Bonum autem hoc non sibi sperat Deus; sed à nobis exspectat, tanquam sibi debitum; ut ita nobis benefaciat. Sic *Esa.* V. 2. dicitur Deus *exspectasse ut vinea ipsius faceret uvas. Cap.* XXX. 18. *Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri.* Et sic 1 *Pet.* III. 20. dicitur *patientia Dei semel exspectasse in diebus Noa.*

Non potest conciliari cum decreto absoluta VI. Quod itaque necesse, aut impossibile est fieri, Spei objectum esse nequit. Spes enim rem considerat ut acquisitu difficilem, attamen possibilem. Quod necessariò futurum

deſlantis & reprobantur.

rum eſt, ut difficile conſiderari non poteſt. Quod impoſſibile eſt ut fiat, nemo ſperabit. Nulla ergo Deo ſpes, ne quidem per ἀνθρωποπάθειαν, adſcribi poteſt, quando in electis per omnipotentem operationem bonum operari, aut reprobis gratiam ad bonum ſufficientem denegare docetur. Quod enim in electis ipſe efficit ea efficacitate, quæ eventum neceſſarium facit; nullo reſpectu Deus ſperare dici poteſt: multò minus, quod per gratiæ ſufficientis denegationem reprobis impoſſibile reddidit: id enim, ut reprobi facerent, Deus noluiſſe dicendus eſt. Quod autem Deus fieri non vult, quodque ne fieri poſſit procurat, qua ſpecie exſpectare dici poteſt?

Sed quidem cum præſcientia Dei.

VII. Dices. An ſpes Dei cum certa futurorum præſcientia conciliari poteſt? Reſp. Omnino: præſcientia enim Dei nullam in re mutationem efficit. Poſita itaque præſcientia, objectum ſperabile nihilominus tale manet, ut conſideratis omnibus circumſtantiis veriſimiliter exſtiturum dici debeat. Novit quidem Deus, objectum, quod ſperat, non exſtiturum; ſed quia omnia media adhibet ad reſipiſcentiam requiſita, quibus ut reſipiſcentia reſpondeat æquum omnino eſt, & per homines tantum ſtat, quò minus convertantur: etiam Deus per figuratum loquendi modum rectè dici poteſt exſpectaſſe, quod labori ſuo per ſe & natura ſua reſpondere debebat: licet per omniſcientiam ſuam non eventurum noverit.

Metus Dei.

VIII. Spei oppoſita duo ſunt: Metus & Deſperatio. Metus Deo ſemel tantum expreſſe in Scriptura tribuitur, *Deut.* XXXII. 26, 27. *Dicerem, diſpergam eos per angulos; ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum: Niſi iram inimici metuerem; ne forte extraneë ſe gerant hoſtes eorum*, &c. Deſperationis vox nunquam. Aliquid tamen illis analogum Deo adſcribitur, reſpectu cujus figurata loquendi ratione Deo tribui poſſint. Metus homines retinet à facto quodam, unde exſtiturum quicquam ſibi ingratum prævident. Quando itaque Deus à facto quodam abhorret, quia exinde aliquid ſibi ingratum exſtiturum videt, per analogiam illi metus tribuitur.

Illius objectum.

IX. Objectum itaque metus divini eſt malum aliquod, quod Deus prævertere cupit, qualecunque tandem ſit: ſive ſit malum culpæ, ſeu peccatum; *Deut.* XXXII. 26, 27. *Exod.* XIII. 17. *Non duxit eos Deus per viam terræ Philiſtiim, quæ vicina eſt: reputans ne forte pœniteret eum*, &c. XXIII. 33. *Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me.* &c. Sive malum pœnæ, ex occaſione peccati infligendæ, ſed quam Deus mallet non infligere: *Exod.* XXXIII 3. *Non adſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es: ne forte diſperdam te in via.* Sive quid in ſe non malum, attamen voluntati divinæ adverſum; ut *Geneſ.* III. 22. *Dixit Dominus Deus: En homo iſte factus eſt quaſi unus è nobis, ſciendo bonum & malum. Nunc ergo, ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de arbore vitæ*, &c.

Deſperatio Dei.

X. Deſperatio Dei aliud nihil eſt, quàm boni deſiderabilis, obedientiæ ſcilicet, ſeu reſipiſcentiæ hominis, ſed conſideratis omnibus conſiderandis valdè veriſimiliter non futuri, abrupta exſpectatio. Ea oritur ex continuata hominis rebellione, omnibus gratiæ divinæ operationibus contumaciter ſeſe opponentis. Exempla illius habemus *Eſa.* V. 4, 5. *Luc.* XIII. 6. *& ſeqq. Eſa.* LXV. 2. *& ſeqq. Matth.* XXIII. 37, 38. 2 *Chronic.* XXXVI. 14, 15, 16. Dices. Attamen & Deus tales hortatur ad pœnitentiam. Reſp. Deſperatio eſt de eventu, non ut ſimpliciter impoſſibili, aut certò certius non futuro ex certa & infallibili præſcientia; ſed ut veriſimiliter non futuro, conſiderata natura rei, omnibuſque illius circumſtantiis. Atqui veriſimile non tollit contrarii eventus poſſibilitatem; cum eo itaque præcepta & hortationes, quæ non tam ſpei quàm deſiderii, indicia ſunt, conſiſtere poſſunt.

Gaudium Dei.

XI. Sicut bonum abſens Deſiderium & Spem, ita præſens Gaudium excitat. Gaudium itaque Dei eſt affectus, quo Deus erga bonum præſens & poſſeſſum fertur. Hoc autem bonum, vel eſt actio hominis Deo grata; vel actio Dei circa homines, quâ gaudium ſuum teſtatur. Actio hominis, vel eſt actio ceremonialis, ſed ex pio corde profecta; qualis fuit oblatio Abelis, *Hebr.* XI. 4. & Noachi, *Geneſ.* VIII. 20. de qua dicitur, quod *Deus odoratus ſit odorem ſuavitatis.* & *Levit.* I. 9, 13, 17. Vel actio moralis, quæ Deo grata eſſe, & placere dicitur. Sic *Rom.* XII. 1. cultus noſter rationalis vocatur *hoſtia viva & Deo placens.* Dona liberalitatis vocantur *hoſtia accepta, placens Deo, odor ſuavitatis*, *Phil.* IV. 18. *Hebr.* XIII. 16. Et propter eam homo Deo acceptus eſt, cujuſcunque ſit nationis abſque ulla perſonarum acceptione: *Act.* X. 34. Imprimis gaudium hoc Dei indicatur *Luc.* XV. 7. *Dico vobis, ita fore gaudium in cœlis ſuper uno peccatore reſipiſcente, majus quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui pœnitentia non indigent.*

vel eſt ob actionem hominis;

Vel ob actionem ipſius Dei.

XII. Actio Dei, quam Deus ipſe facit circa homines, eſt actio benignitatis & juſtitiæ, in quibus exerendis Deus gloriam ſuam oſtendit; quod non poteſt non ipſi eſſe gratiſſimum. Benignitatem quidem ſuam oſtendit erga pios, quorum virtute ac probitate delectatur, quamque propterea liberaliter remunerari cupit. Gaudio quippe perfuſi liberales eſſe ſolent, præcipuè erga gaudii auctores. Sic *Deut* XXX. 8, 9. *Tu reverteris. & audies vocem Domini Dei tui*, &c. *Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis*

ctis operibus manuum tuarum, &c. *Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis.* Vide & *Esa.* LXII. 5. LXV. 19. *Jerem.* XXXII. 41. *Soph.* III. 17. Justitiam, erga impios, præfractè ac contumaciter gratiam Dei respuentes, quorum peccata in cœlum clamare, hoc est, vindictam à justo judice flagitare dicuntur; & ex quorum punitione Deus gaudium percipit. *Deut.* XXVIII. 63. *Sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingrederis possidendam. Esa.* I. 24. & *Ezech.* V. 13. dicit Deus se ex ejusmodi punitione consolationem percepturum. Hanc lætitiam comitatur Dei irrisio. *Proverb.* I. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.* Quæ gravissimi erga peccatum odii indicium est.

Dolor Dei.

XIII. Lætitiæ opponitur Tristitia, seu Dolor: qui est affectus, quo Deus à malo præsenti abhorret. Semel Deo tributus legitur: *Genes.* VI. 6. *Pœnituit Dominum, quod fecisset homines in terra, & doluit in corde suo.* Propriè Deo tribui nequit: perfectæ enim illius beatitudini repugnat, dolore affici. Analogum tamen quid dolori in Deo est, cujus respectu figuratè dolor ipsi adscribitur. Dolentium actus sunt, solitarium esse, fugere aliorum consortium, alios non juvare nec consolari: quibus adhæret aversio, ab illis præcipuè, qui causa tristitiæ sunt. Itaque dolor in Deo significat ejus aversionem à peccatoribus, & recessum ab illis; unde omnia mala, tam corporalia quàm spiritualia, procedunt. Tribuitur Deo, *Esa.* LXIII. 10. *Ipsi ad iracundiam provocaverunt, & affixerunt Spiritum Sanctum ejus: & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos.* Et quando dicitur *Psal.* LXXVIII. 17. quod Israëlitæ ipsum *irritaverunt*. Et *Esa.* I. 14. dicit Deus de impiorum solemnitatibus: *facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Hinc monemur *Eph.* IV 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: quo signati estis in diem redemptionis.*

Pœnitentia Dei.

XIV. Species doloris est Pœnitentia, quæ propriè est internus animi dolor, quo homo detestatur factum suum, idque infectum vellet; ideoque, quando seria est, facti, quod detestatur, mutationem producit. Tribuitur ea Deo aliquoties in Scriptura: *Genes.* VI 6, 7. *Pœnituit Dominum, quod fecisset hominem in terra.* I *Sam.* XV. 11. *Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit.* Et *vers.* 35. *Jerem.* XVIII. 7, 8, 9, 10. *Repente loquar adversus gentem*, &c. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversum eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei*, &c. *Jonæ* III. 10. *Cum vidisset Deus opera Ninivitarum, eos reversos esse à via sua pessima; pœnituit Deum ejus mali, quo se dixerat afflicturum eos, & non afficit.*

Propriè Deo tribui non potest.

XV. Certum autem est, pœnitentiam propriè Deo tribui non posse. 1. Quia est internus animi dolor. 2. Quia oritur ex consideratione rei male gestæ, quam homo mutatam vellet: causamque habet aut ignorantiam seu imprudentiam, quod homo factum suum tale non deprehendit, quale sibi imaginatus fuerat; aut impotentiam, quia id quod inchoavit ad finem perducere non potest: aut inconstantiam; quod quæ antea probavit, mutata sententia, nunc improbet. Quæ omnia Deo indigna sunt. 3. Quia Scriptura expressè dicit, Deum pœnitere non posse: *Num.* XXIII. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut pœniteat ipsum. Dixit, & non faciet? locutus est, & non implebit?* I *Sam.* XV. 29. *Triumphator in Israël non mentitur, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est ut agat pœnitentiam.* Et *Rom.* XI. 29. dicit Paulus, dona Dei esse *ἀμεταμέλητα*. Et prorsus in decretis suis esse immutabilem: *Esa.* XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Et *Malach.* III. 6. *Ego Dominus, & non mutor.*

Sed per analogiam quandam.

XVI. Itaque aliquid pœnitentiæ analogum in Deo quærendum est; actio nimirum Dei, convenientiam cum hominum pœnitentium actionibus habens. Hæc autem est: quod sicut homines, quos facti sui pœnitet, illud mutant; ita & Deus, quando pœnitentiâ duci dicitur, factum suum mutat; nempe, quod antea creavit, jam destruit; quod ante destruere voluit, nunc plantat & ædificat. Solummodò hoc discriminis est inter pœnitentiam Dei & hominum; quod hominum pœnitentia procedat ex causa interna, aut saltem cum ea conjuncta esse possit; quia nempe vident, operis sui eventum esse alium quàm crediderant: Dei verò pœnitentia procedit solummodò à causa externa, quia opus ejus tale amplius non est, ut Deus eadem ratione circa illud versari possit; etsi illud citra Dei exspectationem non evenerit; ideoque, opere ipsius mutato; etiam actionem suam circa illud mutat. Quod majoris evidentiæ gratia in exemplo Ninivitarum, in quo clarissimum pœnitentiæ divinæ habemus exemplum, ostendemus. Deus Ninivitis ob impietatem excidium intra quadraginta dies comminatus fuerat. Hæc comminatio à Deo facta fuit, ex vi generalis decreti, impios exscindendi. Ninivitis audita hac rigida Dei comminatione se convertentibus, dicitur Deum pœnituisse mali quod ipsis minatus fuerat: nam quia magna in Ninivitis mutatio erat, Deus juxta prius suum decretum ipsos punire non poterat; sed juxta alterius decreti, cum hoc optime conve-

convenientis, quo constituit omnibus pœnitentibus peccata remittere, legem, illis pepercit. Et hoc reliquis exemplis applicari potest.

Nullam illa arguit in Deo mutationem. XVII. Quæres: An non hoc arguat mutationem in Deo? Resp. Nequaquam: sed summam constantiam: quia hoc est propositum Dei constans & immutabile; credentes, pios, & resipiscentes in gratiam recipere & salvare: infideles vero, impios, & impœnitentes punire & exscindere. Particularia Dei decreta applicatio tantum sunt generalis hujus decreti, huic aut illi pro ratione status sui facta. Fideli ac pio applicatur decretum gratiæ & salutis: infideli & impœnitenti; decretum iræ & damnationis. Inde sequitur, quotiescunque homines mutantur, etiam decreti divini applicationem mutari: hoc est, quando homo à fide & pietate deficit ad infidelitatem ac impietatem, non amplius illi applicari decretum gratiæ & salutis; sed eum contineri sub decreto iræ ac damnationis: & vice versâ: quando ab impietate se convertit, non amplius contineri sub decreto iræ ac damnationis, sed ipsi applicari decretum gratiæ ac salutis. Hoc autem nullam in Deo arguit mutationem, sed in solo homine; in Deo vero summam voluntatis constantiam; adeo quidem, ut, nisi Deus pro diversâ hominis mutatione decreti sui applicationem variaret, inconstans foret, decretumque suum, de fidelibus ac piis salvandis, de infidelibus ac impiis condemnandis, rescinderet.

Quando Deus quid minetur, quod non exsequitur. XVIII. Dices. Deus tamen aliquid in specie minatur, quod tamen non exsequitur. Resp. Nullam tamen id in Deo mutationem arguit: quia Deus minas suas quidem absolute enuntiat, revera tamen eæ tacitam habent inclusam conditionem. Atqui comminatio, tacitam habens inclusam conditionem, licet absolutè enuntietur, minime mutatur, quando, non impletâ conditione, executioni non mandatur eo modo quo enuntiata fuerat: quia si Dei comminantis intentionem respiciamus, qui conditionem inclusam voluit, is decretum suum non revocat aut rescindit; sed è contra, eadem illa actione, quam tanquam pœnitens agit, id magis confirmat ac stabilit.

Quomodo pœnitentia cum præscientia Dei consistat. XIX. Quæres. An pœnitentia hæc Dei cum ejus præscientia consistere possit? Resp. Omnino: quia, uti jam vidimus, comminationes Dei, licet absolutè enuntiatæ, sunt conditionatæ. Dices. Atqui Deus comminationem, ex. gr. Ninivitis faciens, decreverat Ninivitas perdere, nisi pœnitentiam agerent: quomodo hoc propositum in Deo esse poterat, positâ præscientiâ conversionis? Resp. Quoniam hæc mutatio in Ninivitis non esset exstitura, nisi per comminationem divinam. Deus autem non potuit præscire, Ninivitas se auditâ hac comminatione conversuros, nisi decreverit comminatione hac circa illos uti. Ex vi itaque præscientiæ divinæ necesse est ut comminatio Dei præcedat, antequam Deus conversionem, quam comminatio operata est, præscire possit. Hæc si reliquis exemplis applicentur, facile etiam expediri poterunt.

XX. Usus horum attributorum, quia ex amore & odio derivantur, alii non sunt, quàm quos jam ex Amore & Odio deduximus. *Usus.*

CAPUT XII.

De Justitia Dei universali.

I. HActenus de Affectibus divinis. Sequuntur attributa, quæ in Voluntate divina considerantur instar virtutum moralium affectus istos moderantium: quæ Deo attribuuntur eodem modo quo affectus. Quoniam enim actiones quædam divinæ analogiam habent cum actionibus hominum, quarum principia sunt virtutes morales; etiam per analogiam quandam virtutes morales Deo attribuuntur. Est verò maxima inter virtutes divinas & humanas differentia. Hominis quippe virtus consistit in conformitate cum lege, estque habitus crebris actionibus acquisitus: Deus vero, utpote supremus omnium legislator, nulli legi subest; ejusque virtus naturalis essentiæ divinæ est perfectio, quæ illi necessario inest. Conveniunt tamen in hoc: quod virtus hominis est conformitas cum lege, Dei autem cum natura divina: Deus quippe *seipsum abnegare non potest*, 2 *Tim.* II. 13. *Virtutes Dei.*

II. Virtutes hæ vel omnes simul moderantur affectus; vel in specie iram. *Earum divisio.*

III. Virtus omnes affectus moderans, est *Sanctitas*, quæ est rectitudo seu puritas naturæ divinæ, quâ Deus nihil nisi quod rectum ac bonum est vult ac facit, & ab omni malo ac iniquo abhorret. Hæc Deo sæpius in Scriptura attribuitur; ut cum aliquoties in Levitico dicitur, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*: *cap.* XI. 44, 45. & XIX. 2. quæ verba à Petro repetuntur, & Christianis applicantur, 1 *Epist.* I. 15. 16. *Sicut is qui vocavit vos sanctus est, sancti estote in omni conversatione vestra; quoniam scriptum est, Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Sic *Esa.* VI. 3. Seraphim acclamant, *Sanctus, sanctus, sanctus, Jehova Zebaoth.* Cui similis est quatuor animalium acclamatio, *Apoc.* IV. 8. Præsertim hanc Dei sanctitatem describit Joannes, 1 *Epist.* I. 5, 6, 7. *Hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis; quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*: &c. ubi Deum vocando *lucem*, cum non tam sanctum, quàm sanctitatem ipsam, vocandum docet. *Sanctitas Dei.*

Eodem sensu *cap.* III. 3. Deum vocat *purum.*

Justitia Dei. IV. Ab hac Dei Sanctitate reipsa non differt ejus *Justitia*, quâ quod rectum & justum est, seu naturæ ac perfectioni suæ divinæ consentaneum, vult ac facit. *Deut.* XXXII. 4. *Perfectum est Dei opus, omnes viæ ejus judicium: Deus veritas est absque ulla iniquitate, justus ac rectus.* Similia vide *Psal.* XI. 8. XXV. 8: XCII. 16. CXIX. 137. *Ezech.* XVIII. 25. *Soph.* III. 5. In eô tamen considerandi ratione à Sanctitate differt: quod Sanctitas solam naturæ divinæ puritatem ac rectitudinem denotet; Justitia vero eam etiam cum relatione ad alium videatur designare: Justus quippe est Deus, quando circa alios nihil nisi quod justum, ac perfectioni suæ consentaneum est, facit. Alias notum est, justitiam Dei aliquando accipi pro ejus beneficentia, 1 *Sam* XII. 7. *Psal.* LI. 16. 1 *Joan.* I. 9. Verum hæc acceptio non est hujus loci.

Universalis justitia Dei. V. Justitia Dei, vel est universalis, vel particularis. Universalis est, rectitudo illa Dei, quam huc usque descripsimus, quâ id quod æquum & rectum, ac proinde naturæ suæ sanctissimæ consentaneum est, facit, nihilque naturæ suæ sanctissimæ repugnans facere potest. Ut itaque Justitia hæc distinctius explicetur, ante omnia jus Dei, quod in creaturas obtinet, penitius paulò considerandum est. Ex eo enim liquebit, quomodo se Deus in actionibus suis circa creaturas, rectè semper ac decenter, seu naturæ suæ perfectioni consentaneè, gerat.

Jus Dei in res nondum conditas. VI. Jus Dei est dominium illud supremum ac universale, quo res creaturasque omnes ex asse possidet, iisque pro liberrimo arbitrio suo uti potest. Jus hoc considerari potest, vel circa res nondum conditas, vel circa jam creatas. Circa res nondum conditas jus Dei planè est illimitatum, eas vel creandi, vel non creandi: & tales creandi quales voluit; neque ulla creatura conquerendi jus habet, quod Deus ipsam perfectiorem non creaverit. Non enim ulli debitor erat ad creandum, sed quicquid dedit, gratuitæ est benignitatis.

In res creatas sensu destitutas. VII. Quod res creatas attinet; in illas Deus potestatem ac jus habet summum de iis statuendi quicquid sanctissimæ ejus voluntati libet. Est autem hic varietas quædam juris consideranda, pro diversitate creaturarum, & diversâ naturæ creatæ perfectione. Creaturis quippe aliis Deus solum esse largitus est: aliis præter existentiam etiam vitam concessit, sed sensu omni destitutam: prioris generis sunt, metalla, lapides, &c. posterioris, arbores, plantæ. Circa has jus Dei extenditur in infinitum usque, absque ulla omnino limitatione; quia injuriæ capaces non sunt. In specie jus habet Deus, esse eorum tollendi & auferendi: statum eorum prout lubet mutandi, aliamque ipsis essentiam tribuendi: iis pro arbitrio ad bonum vel malum aliarum, seu ut judiciorum suorum instrumentis, utendi: ac tandem aliis ea ad usum concedendi: Et si quæ alia porro excogitari possunt.

VIII. Præter has aliæ sunt creaturæ, quibus præter vitam Deus etiam sentiendi facultatem donavit; ut sunt animalia. Ac tandem aliæ, quibus præterea Deus concessit rationem, ut homines. De hisce duabus, quatenus utrisque sentiendi facultas communis est, simul dicemus: postea speciatim addituri, quæ jus Dei circa homines, quatenus ratione præditos, respiciunt. Quoniam itaque illæ creaturæ etiam injuriæ alicujus capaces sunt, etiam hic jus Dei aliqua ratione limitari videtur. Jus quippe Dei exigit, ut eas non aliter, quàm naturæ ipsarum convenienter tractet. Quoniam itaque voluptatis ac doloris capaces creavit Deus, etiam ipse potestati suæ aliquos præscripsisse terminos videtur. Jus ergo Dei circa illas hac ratione extenditur. Primò quidem, ut omnem ipsis sensum, quin & totum esse, adimere possit. Ac speciatim, quatenus voluptatis capaces sunt, jus Dei omnino est infinitum ac illimitatum, voluptatem nempe majorem minoremve ipsis largiendi, quin omnem voluptatem ejusque sensum adimendi: & è contra eam in infinitum usque extendendi ac augendi; non tantum nullo creaturæ malo, sed etiam summo illius bono. Tandem quatenus doloris capaces sunt, jus Dei aliquatenus limitari videtur, ut dolorem quidem aliquem inferre possit creaturæ, cumque subinde recurrentem; non tamen beneficium creationis superantem; ac proinde non intensione & extensione infinitum: alias præstantia naturæ ipsarum non esset beneficium sed summum maleficium. *In sens. præditas.*

IX. Totum hoc jus nititur hisce fundamentis. Primò. Quod quis alterius beneficio possidet, tantisper tantum illius est, quousque videtur illi qui id gratis & ultrò concessit. Secundò: Quia injuria nulli fit, quod summum ei beneficium non detur; aut quod datum ab eo qui dedit auferatur. Limitatur verò conditione naturæ creatæ, quam quia Deus injuriæ fecit capacem, se illi aliquatenus obligatum voluit, eam non aliter quàm conditioni naturæ suæ convenienter tractandi: aut potius sibi ipsi obligatus est, eam secundum æquitatem ac rectitudinem naturæ suæ sanctissimæ tractandi. *Illius fundamenta.*

X. Ut autem jus hoc Dei penitius consideremus, ante omnia juris hujus in creaturas innocentes fundamentum inquirendum est, ut exinde constet, quousque jus hoc extendendum sit. Quidam jus illud Dei niti volunt ὑπεροχῇ sive excellentia divinæ naturæ supra humanam, nam de homini- *1. Creaturæ*

minibus potissimum agimus: quæ cum infinitis modis excedat excellentiam hominum, volunt jus illud planè esse infinitum ac illimitatum, adeo quidem, ut possit Deus salvâ justitiâ creaturam innocentem cruciatibus & intensione & extensione infinitis affligere. Sed manifestum est, naturæ divinæ excellentiam primum juris ipsius in homines fundamentum esse non posse, utpote ipsa alio priore fundamento, hominis nimirum creatione, nitens. Excellentia enim est respectivum quid, quæ Deo attribui nequit, nisi cum respectu ad alium ipso inferiorem; qui absque creatione exsistere nequit. Ante omnium enim creationem Deus quidem in se ipso perfectus fuit; non tamen excellentia ipsi tribui potuit: quia nihil erat supra quod emineret: sed creatione peractâ statim creaturis, etiam nobilissimis, infinitis partibus excellentior fuit. Cùm ergo ipsa excellentia divina supra homines creatione nitatur, etiam ipsum jus Dei illâ, tanquam primo fundamento, niti evidens est. Indeque etiam jus Dei arcessit Scriptura, *Psal.* XXXIII. 6, 7. 8. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, &c. *Timeat Dominum omnis terra. Apoc.* IV. 11. *Dignus es Domine noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Hinc *Act.* XVII. 24. *Deus, qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt*, dicitur propterea esse *cœli & terræ Dominus*. Adeo ut beneficium, hominibus per creationem collatum, juris divini in homines primum ac proprium sit fundamentum: opificis quippe in opus suum jus est, & per creationem omnia Dei sunt in solidum.

2.° Beneficia quæ creatura à Deo exspectare potest.

XI. Creationis beneficio aliud superaccedit juris divini in homines innocentes fundamentum; beneficia nempe quæ homo à Deo exspectare potest, quæque Deus homini innocenti, postquam variis doloribus probatus gloriæ divinæ instrumentum sese exhibuit, largiri vult, ac largiturus est; præmium nempe vitæ æternæ: nam & illud Deo jus infallibile acquirit, hominem innocentem variis doloribus affligendi, quos majori tandem præmio remuneraturus est. Beneficia quippe, tam accepta, quàm conferenda, jus in alium concedunt; & pro beneficiorum illorum magnitudine etiam jus illud extenditur. Hinc in liberos patria potestas maxima est: quia nullum alterius hominis beneficium cum eo, quod liberi à parentibus habent, conferri potest. Sic & Magistratus in subditos potestas summa est, ob beneficia, quæ subditi à Magistratu tam acceperunt, quàm in posterum exspectant.

Limitatio juris hujus.

XII. Jus ergo Dei ulterius extendendum non est, quàm beneficium creationis, & vitæ æternæ præmium à Deo exspectandum, permittit: ac proinde jus illud extendendum neutiquam est in infinitum usque, ad cruciatus infernales, seu extensione & intensione infinitos, creaturæ innocenti infligendum.

Resp. ad Object. 1.

XIII. In contrarium tamen varia objici solent, quorum præcipua nos breviter expendemus. Primò ergo dicunt. Si non potest Deus creaturam innocentem cruciatibus infernalibus affligere, ergo id non potest, vel de jure ordinato; at hoc est, quia non vult: aut de jure absoluto: atqui tum daretur justitia in Deo erga suas creaturas extra omne fœdus, quo se Deus iis obligavit. Quod absurdum. Resp. Negamus absurdum esse: Deus enim creaturas creando ut doloris sint capaces, tacitè se iis obstrinxit eas naturæ ipsarum convenienter, vel etiam juxta naturæ suæ æquitatem ac rectitudinem tractandi: adeo ut illa creatio tacitum sit quasi fœdus, quo se Deus iis obligatum voluit.

Ad Object. 2.

XIV. Addunt 2. In manu Dei positum est, ut sibi infallibiliter faciat jus creaturam etiam pœnis infernalibus cruciandi: sc. potest hominem creare, illi legem dare, transgredienti pœnam inferni denuntiare; denique inhibere gratiam efficacem ad impediendum transgressionem: ex quibus infallibiliter sequitur hominem peccaturum & pœnis inferni puniendum. Ergo Deus absolutè potest. Resp. Si inhibitio gratiæ efficacis ad impediendum transgressionem, transgressionis necessitatem inducat, adeo ut homo gratia illa divina destitutus necessariò peccet: dicimus Dei in creaturam innocentem jus non permittere, ut creaturam per gratiæ efficacis inhibitionem ad peccandum necessitet, atque ita necessitatem pœnis infernalibus cruciet. Ita enim omnis peccati causa in Deo residebit, qui gratiæ efficacis inhibitione creaturæ peccandi necessitatem imposuit; & creatura ab omni peccati crimine absolvetur, utpote in cujus potestate non fuit peccatum, sibi per divinam desertionem necessarium redditum, ullo modo evitare. At quid iniquius, magisque à justitia alienum, quàm, ut acquiras jus puniendi, homini innocenti peccandi necessitatem imponere? Imo hunc majorem injustitiæ gradum esse dicimus, quàm innocentem affligere: quia afflictioni additur creaturæ determinatio ad peccatum, creaturaque præter omne meritum redditur nocens: Si tamen nocens vocari possit, qui non liberè sed necessariò fit nocens.

Ad Object. 3.

XV. Pergunt 3. Potest Deus creaturam citra demeritum cruciare aliquo cruciatus gradu, & ad aliquod tempus: ergo ad omnes gradus, & in æternum. Si enim pœnæ gradus unus & alter innocenti inflictus nihil obsit justitiæ, certè nec tres aut quatuor pœnarum gradus obstabunt. Si ad horam unam potest creaturam affligere, ergo ad tres ad decem affligere non erit injustum.

Unde fieri potest processus in infinitum: neque ulli graduum aut temporis limites constitui possunt, quibus expletis afflictio ex justa cœperit esse injusta. *Resp.* Totam hanc ratiocinationem merum esse sophisma, perinde uti illius sophistæ, qui olim per singulorum capillorum evulsionem ostendere conabatur, aut hominem nunquam, aut unius pili evulsione ex capillato fieri calvum. Dicimus ergo; licet justitiæ divinæ non possimus ullos præscribere terminos, intra quos præcisè ipsi consistendum sit; rectè tamen nos dicere, dolores infernales, seu intensione & extensione infinitos, creaturæ innocenti inflictos, summam Dei erga creaturam injustitiam arguere. Licet enim creatura nihil sibi boni à creatore deberi contendere possit; jus tamen creatoris beneficiis in creaturam collatis, & suæ naturæ rectitudine limitatur: beneficium autem creationis nullo modo cum doloribus infernalibus conferri meretur: præstat enim non esse, quàm in æternum miserum esse. Sed nec beneficia in creaturam conferenda juri illi stabiliendi quicquam conferre possunt: non enim hominem doloribus infernalibus ac æternis cruciatum Deus meliori bono remunerari potest: cùm æternos dolores nullum bonum consequi, nec cum intensissimis doloribus ulla boni fruitio consistere possit.

Ad Object. 4. XVI. Tandem ita argutantur. Deus sanctissimum quemque potest annihilare; multo magis immerentem æternum cruciare. *Resp.* Concedimus antecedens, si homo extra omne Dei fœdus, quo se illi Deus obligavit, consideretur: negamus vero illationis hujus consequentiam. *Instant.* Qui potest majus, etiam potest minus: atqui annihilatio majus est malum, quia aufert non tantum bene esse, sed & ipsum esse: cruciatus vero æterni relinquunt ipsum esse, & auferunt solummodo bene esse. *Resp.* Cruciatus æterni non auferunt tantum bene esse, sed & inferunt male, imo miserrimum esse: præstat autem non esse, quàm in æternum summè miserum esse: juxta Servatoris nostri dictum de Juda proditore, *Matth.* XXVI. 24. *Væ homini illi per quem Filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Augustinus *de Civit. Dei lib.* VIII. *cap.* 16. disputans quod Dæmones non sint numina, dicit: *Quod tempore æterna, quid boni est, si non beata? Melior est enim temporalis felicitas, quam misera æternitas.* Idem *lib.* X. *cap.* 3. §. 2. *Ut homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quæ ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit aliud esse vult quam beatus.* Vide & *Cap.* VI. Idem tamen *lib.* XI. *cap.* 27. §. 1. contendit, hominem electurum semper miserum esse, quàm omnino non esse. Verùm non loquitur de summa miseria. Idem *lib.* XIX. *cap.* 28. *Per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit.*

Jus Dei in creaturas ratione præditas. XVII. Hactenus de jure Dei in homines innocentes, quatenus sentiendi facultatis, ac proinde voluptatis ac doloris capaces sunt. Nunc porro aliud Dei jus in homines est considerandum, quatenus ratione præditi sunt. Pro diverso autem ipsorum statu, etiam varium Dei circa illos est jus. Vel enim considerari possunt absque ullo fœdere, quod cum ipsis erexit Deus, vel sub fœdere aliquo divino comprehensi.

Vel quatenus considerantur extra omne Dei fœdus: 1. Legem ferendi. XVIII. In priore statu si considerentur extra omnem fœderationem ac legislationem divinam, jus Deo competit summum ac absolutum, aut legem ipsis præscribendi, aut non præscribendi; neque homo ullo prætextu legibus ac præceptis divinis obedientiam detrectare potest. Si tamen Deo legem hominibus præscribere placeat, aliam præscribere nequit, quàm cum ratione ipsis à se data convenientem: *Deus enim seipsum abnegare non potest*, 2 *Tim.* 11. 13. Distinctio tamen hic facienda est inter leges naturales, ac positivas. Positivæ, quoniam nihil præscribunt vel vetant naturâ suâ honestum vel turpe, planè dependent ab arbitrio ac voluntate divina; adeo quidem ut in positivis illud justum sit, quod legislatori placet, & propterea quia legislatori placet; futurum eodem modo illorum contrarium justum ac honestum, si legislatori id præcipere placeat; & quod nunc justum est, injustum ac turpe, si legislatori illud prohibere visum sit: quod in Veteris Testamenti ceremoniis apertissimè liquet. Alia vero ratio est legum naturalium, præscribentium quæ ex se & sua natura honesta, ac vetantium quæ ex se turpia sunt. Potest quidem Deus ex variis honestis eligere quæcunque vult: cùm tamen legem præscribit, non potest quin honesta præscribat, & vetet, si vetare quædam vult, turpia. Cum enim ratio lux sit hominibus à Deo indita, ut actionum norma: si quid rationi contrarium Deus præscriberet, sibi ipsi foret contrarius.

Non tamen contrariam decalogo. XIX. Unde mirari satis non possumus crassam illorum Theologiam, qui docent, Deum contraria præceptis decalogi, & quidem primæ tabulæ, præscribere posse, idololatriam, sui odium, nominisque sui blasphemiam, sui abnegationem, aliaque: eaque hoc casu fore honesta. Sicut enim Deus seipsum abnegare nequit, 2 *Tim.* 11. 13. ita & sui abnegationem præcipere non potest.

Resp. ad Object. 1. XX. Dices. Attamen Abrahamo præcepit ut filium immolaret. *Genes.* XXII. 2. & Israëlitis, ut Ægyptiorum bona auferrent: *Exod.* XII. 35, 36. *Resp.* Præcepta secundæ tabulæ, quæ jus ac bona hominum inter sese respiciunt, habere quidem respectu hominum inter se intrinsecam ejusmodi honestatem, ut nulli hominum ea violare liceat: quare

quare nec potest Deus generalem præscribere legem, quâ officia, quæ ratio proximo exhibenda esse dictat, vetet, ac contraria præcipiat, nisi ipsam rationem evertat. Id tamen non obstat, quominus Deus, pro absoluto suo dominio, ob causas graves certo casu extra ordinem quid, quod legibus istis contrarium esse videtur, præscribere possit. Deus enim unicuique erga alium jus suum illæsum conservari vult; idque ab homine sine honestatis ac justitiæ læsione violari nequit: nihil autem homini suum est relativè ad Deum, quin Deus justè illi id eripere, aliique in usum concedere possit. Quod itaque alter propriâ auctoritate alteri eripere, aut sibi vindicare non posset, auctoritate præcepti divini justè sibi vindicat. Perinde uti in familia nulli liberorum alteri eripere licet ipsi à patre donata: si tamen iste illis per petulantiam abutatur, aut per contumaciam contra patrem delinquat; potest eum pater justè illis spoliare, alterique liberorum in obedientiæ præmium donare: quo casu jus ac proprietas, quæ antea penes alterum erat, voluntate patris in ipsum transfertur, atque ille justè ac legitimè ea sibi vindicat. Ita Deus omnium Dominus Ægyptios, durâ servitute Israëlitas prementes, bonorum suorum parte spoliavit, Israëlitisque largitus est. Ita Abrahamo filium suum sibi immolare Deus præcepit; utpote vitæ necisque Dominus; ut ita Abrahami fidem ac in sese amorem exploraret. Generalem autem illam regulam de non occidendo aut furando Deus solvere non potest, quin omnibus sceleribus fenestram aperiat, sanctitatemque suam abneget. Alia autem ratio est præceptorum primæ tabulæ decalogi, quâ quæ vetantur actiones ita intrinsecè ac naturâ suâ sunt turpes, ut nullo omnino casu possint fieri honestæ, ut idololatria, abnegatio Dei, &c. ac proinde nunquam à Deo præcipi possunt.

Ad object. 2. XXI. Dices. Voluntas Dei est prima actionum nostrarum regula: aliàs quid daretur bonum antecedenter ad voluntatem Dei. Resp. Nihil esse absurdi, si dicamus naturam divinam priorem esse voluntate divina; imo naturam prius concipi necesse est, ante liberum volendi actum, qui à natura procedit. Dicimus ergo, ipsam naturæ divinæ sanctitatem voluntatis esse regulam, ac proinde nihil Deum velle posse, quod sanctissimæ ipsius naturæ repugnat: quæ cum sit planè immutabilis, etiam honesti, ac illi contrarii turpis, naturas esse æternas ac immutabiles.

Ad object. 3. XXII. Dices. Si Deus ideo quid vult, quia bonum ac honestum est, Deus non foret liber. Resp. Nihil illud libertati divinæ præjudicare, quod malum velle non possit: liber enim est Deus libertate quam vocant contradictionis, ut possit aliquid velle seu præcipere, vel non præcipere. Quod libertatis speciem attinet quam contrarietatis vocant, quatenus illa versatur inter honestum ac turpe; fatemur Deum ita liberum non esse, ut quod naturâ suâ turpe est, seu naturæ ejus sanctissimæ repugnat, præcipere possit: inter varia tamen honesta libertas hæc versatur, ut Deus hoc potius honesti genus quàm aliud præscribere possit.

XXIII. Secundò. Quando legem Deus hominibus præscribit, jus habet ac potestatem eam sanciendi aut non sanciendi, præmiis ac pœnis, iisque qualibus vult. Alia tamen ratio præmiorum est, quàm pœnarum. Præmia Deus in immensum augere potest, multoque majora ac præstantiora offerre quàm ulla hominum obedientia meretur: nulli enim præmii excellentio is quàm meretur largitione injuriam facit. Pœnæ vero delictum gravitate excedere non debent. *2. Sanciendi per promissa & minas.*

XXIV. Legibus ita latis, atque homine sub fœdere divino constituto, videtur Deus aliquo modo sibi ac protestati suæ limites præscripsisse. Requirit enim justitia, ut non præscribat homini legem vires ipsius excedentem; aut si excedat vires ejus naturales, ut concedat supernaturales legi præstandæ necessarias. Alias inevitabilem peccandi & ex peccato pereundi necessitatem hominibus imponit: quod à jure divino alienum esse antea ostendimus. Non ergo permittit jus Dei ut primum Adami peccatum omnibus ipsius posteris imputet; & propter illam imputationem eos labe originariâ infectos nasci procuret, per quam inepti sint ad omne bonum, proni ad omne malum, imo spiritualiter mortui; iisque porro legem ipsis præstitu impossibilem præscribat, gratiamque ad legem præstandam necessariam deneget: ex quo sequatur ut irrevocabiliter ad mortem usque in peccatis ac sceleribus perseverent; ac tandem propter illa peccatata, quæ evitare non potuerunt, æterni ignis supplicio adjudicet. Nulla enim major injustitiæ species Deo adscribi potest, quàm ut peccandi, & propter peccata pereundi inevitabilem necessitatem innocenti creaturæ imponat. *Vel quatenus sunt sub Fœdere. Non præscribere quod excedit vires hominis.*

XXV. 2. Lege præstitâ, non potest Deus homini præmia, quorum se promisso suo debitorem constituit, salva justitia denegare. *Operanti quippe merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum. Rom: IV. 4.* *Obedientem remunerari.*

XXVI. 3. Lege violata ac contemta aliud exsurgit Dei jus ex peccato ac transgressione creaturæ. Potest quippe Deus, si velit, pœnis in lege constitutis creaturam justè punire: peccato quippe suo earum se debitorem constituit; Deoque jus peperit pœnam, quæ innocenti non potest justè infligi, justè infligendi, Non tamen ulla naturali necessitate Deus constringitur ad puniendum, sed &, si velit pœnam gratiose *Peccatorem punire, vel peccatum remittere.*

ſe condonare poteſt; niſi forte aliud decretum divinum obſtet.

Non exigit Dei justitia, ut peccatorem necessario puniat.

XXVII. Non ergo in Deo ſtatuenda eſt ejuſmodi juſtitia vindicativa tanquam eſſentiale ejus attributum, quæ neceſſariò exigat pœnam; adeo ut Deus, ſalva juſtitia ſua, nullum peccatum poſſit impunitum dimittere; ſeu, quod eodem redit, per peccati pœnam, ſive ab ipſo peccatore, ſive à ſponſore ejus exactam, juſtitiæ ſuæ ſatisfacere debeat. Eſt quippe in Deo etiam miſericordia, qua Deum ad peccata neceſſariò condonandum impelli volunt. Si ergo & illa attributum Dei ſit eſſentiale, duo erunt in Deo attributa eſſentialia ſecum directè pugnantia; unum quod peccatorum pœnam, alterum quod eorum remiſſionem neceſſariò exigit: quod in ſimpliciſſima Dei natura ſtatuere eſt abſurdum. Fatemur & juſtitiam & miſericordiam Deo eſſe eſſentiales; ſed actus & egreſſus tam juſtitiæ quàm miſericordiæ, ut ſunt punitio & remiſſio peccatorum, eſſe liberos, ac arbitrio divino ſubjacere contendimus; ac proinde Deum, etiam cum miſericordiæ actus exercet, nihil juſtitiæ contrarium, aut cum juſtitiæ actus exercet, nihil miſericordiæ contrarium facere. Tum omnes eſſentiales proprietates in Deo ſunt æquales: actus autem miſericordiæ divinæ longè excedunt actus punitionis ac vindictæ divinæ. Vide *Pſal.* CIII. 8, 9, 10. & *Lament. Jerem.* III. 31, 32, 33.

Ratio prima.

Ratio secunda.

XXVIII. 2. Unicuique licet ſalva juſtitia de jure ſuo remittere quantum vult, modo alterius non interſit ut jus ſuum rigidè exequatur: licet enim juſtitia jus alicui concedat, non tamen neceſſitatem jus exſequendi imponit, quin & æquitas aliquando juri ſummo renuntiare ſuadet, ſemperque abſque ullius injuria de jure ſuo remittere licet: quia volenti injuria non fit. Idem ergo jus quin Deo, ſupremo omnium Domino, competat dubitandum non videtur, ut peccata adverſus ſe commiſſa, quæ Scriptura *debita* vocat, *Matth.* VI. 12. XVIII. 23. *& ſeqq. Luc.* VII. 41. ſi velit gratioſe condonare poſſit. Wendelinus *Chriſt. Theol. lib.* 1. *cap* 27. *theſ.* 5. *Poteſt quidem de jure ſuo remittere Deus quantum vult, ſed per veritatem & juſtitiam ſuam tantum non vult remittere, ut abſque ſatisfactione condonet peccata; quia ex juſto judicio mortis pœnam ſemel homini dictavit*, quo die comederis morte morieris: *Unde Scriptura juſtitiam Dei commendat in exactione ſatisfactionis*, Rom. III. 25. Et cum ob hanc ſuam ſententiam à Lutheranis quibuſdam Photinianiſmi accuſaretur, ita ſe defendit *Exercit. Theol. tom.* II. *Exercit.* CXXIV. §. 6. *pag.* 119. *Impudentiſſima calumnia eſt de Photinianizante Wendelino: miror ita frontem periiſſe animadverſoribus. Sed his artibus omnium nos damnant hæreſium mitiſſima & charitatis pleniſſima ingenia: non primum hoc eſt ſpecimen: tuta & frequens hæc eſt via. Anne unquam ego ſatisfactionem negavi? An illico* Φωτινιανίζει *qui commune cum Photinianis dogma habet? Quæ, quæſo, hæreſis Lutheranis impingi non poſſet, ſi quæcunque hæretici aſſeruerunt, & in quibus* ὁμοψήφους *habent Lutheranos, hæretica eſſent? Nullus enim unquam fuit hæreticus, qui omnibus contradixerit fidei articulis, neque hæc eſt* αἱρέσεως *natura. Luxuriat tamen in hoc campo calumnia.* Similia de eodem hoc argumento habet Twiſſus *Vindic. gratiæ. lib.* 1. *part.* 2. *Sect.* XXV. *digreſſ.* 8. *pag.* 254. *Neque Socinianos quicquam moror, hoc ipſum tanquam in rem ſuam avidiſſime accipientes: neque enim Deo opus eſt mendacio aut errore noſtro ad cauſam ſuam tuendam. Sed neque hæc noſtra ſententia magis redundabit in beneficium cauſæ Socinianæ, quam ſententia contraria in ſubſidium Arminianæ. Revera neutra pars alteri commodabit, quantumvis altera magis incommodaret alteri. Sed cauſæ adverſariæ commodum aut incommodum non eſt illa cynoſura, quæ noſtram ad vitam æternam navigationem regat; ſed verbum Dei, & verbo Dei fundata ratio Chriſtiana.*

Ratio tertia.

XXIX. 3. Si Deus per juſtitiam ſuam vindicativam non poteſt peccata dimittere impunita, ergo punit neceſſitate naturali ac abſoluta. Atqui hoc eſt abſurdum: quæ enim neceſſitate abſoluta agunt, ea ſemper & quantum poſſunt agunt: uti ignis adhibitâ materiâ uſtili ſemper urit & quantum poteſt urit. At Deus non ſemper punit: dicitur enim *tardus ad iram*, *Rom.* II. 4, 5. IX. 22. 2 *Pet.* III. 9. Non etiam quantum poteſt punit: 1. Alias non poſſet peccatorem graviori cruciatu punire, quàm revera punit: Atqui hoc falſum: ſic enim oporteret omnes pœnas eſſe æque graves: videmus tamen pœnas alias aliis, & hujus vitæ pœnas æternis eſſe leviores. Dices. Juſtitia requirit, ut gravioribus delictis graviores infligantur pœnæ. Reſp. Me non videre, quomodo ab illis iſtud excipi poſſit, qui docent minimum peccatum, imo, ut quidam inter illos loqui amant, minimam minimi peccati cogitationem millies mereri mortem æternam. Si itaque juſtitia minimum peccatum neceſſariò punit pœnâ æternâ ac infinitâ, quæ pœnarum inæqualitas locum habere poteſt? 2. Homines mali in hac vitâ gravius puniri poſſunt: non ergo eos Deus punit quantum poteſt. Dices. Proportio pro ratione augmentationis aut diminutionis pœnæ, in hac vitâ, fiet in futuro ſeculo. Reſp. 1. Nulla eſt proportio inter æternas & temporales pœnas. 2. Sed eſto: quæ ratio, quod pœna, quæ in hac vitâ exercetur ex libertate, poſt aliquod tempus, nempe in futuro ſeculo, incipiat eſſe ex naturali & abſolutâ neceſſitate? 3. Si

Deus

Deus per justitiam debet punire quantum potest, id est, quantum peccatum meretur; tum punire debet, vel quantum peccatum meretur juxta liberam Dei in lege sua constitutionem: at sic non punit Deus quantum potest, sed quantum vult: vel quantum meretur naturâ suâ citra ullam constitutionem divinam. At 1. exinde sequetur, non potuisse Deum salvâ justitiâ suâ alias singulis peccatis constituere pœnas, quam in Lege sua constituit: quia in lege sua denuntiat quâ pœnâ unumquodque peccatum vindicaturus sit. 2. Peccatum naturâ suâ meretur pœnam, vel finitam tantum: at sic Deus injustus foret si constitueret infinitam: aut infinitam: at sic Deus non posset solummodò finitam infligere, ac per consequens, non posset justè creaturam peccatricem annihilare, sed necesse foret ut eam superesse faceret in æternum, ad pœnam peccata condignam sustinendum in infinitum. Quæ omnia absurda.

Ratio quarta. XXX. 4. Deus potest mitiorem pœnam infligere quàm peccatum meretur, *Psal.* CIII. 10. *Non secundum peccata nostra fecit nobis; neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Et quoniam remunerari potest supra meritum, quod ex vitæ æternæ præmio liquet; potest etiam punire infra meritum: eadem enim utrobique est ratio. Ergo etiam potest Deus totum peccatum condonare. Si enim unum pœnæ gradum potest remittere, etiam omnes potest: Si autem totum remittere sit iniquum, aliquid etiam iniqui erit in remissione partis. Dices. Justitia habet latitudinem graduum; potest quidem aliquos pœnæ gradus remittere, sed non omnes. Resp. Gratis hoc dici; nec consistere posse cum naturali & absoluta puniendi necessitate. Cum enim justitia latitudinem habet graduum, potest pro arbitrio vel aliquos pœnæ gradus remittere, vel pœnâ exactè peccato proportionatâ absque ulla gradus remissione punire: ex: gr: pone peccatum mereri pœnam ad gradus septem, justitia poterit remittere ad gradus quinque: pone aliud peccatum mereri pœnam ad gradus sex, justitia potest, si libet, illud punire pœnâ ad amussim peccato proportionatâ; sc. ad gradus quoque sex. Unde consequitur, posse justitiam peccatum gravius leviore pœnâ, & peccatum levius graviore pœnâ punire. Quæ ergo hic necessitas pœnæ ex justitia vindicativa?

Ratio quinta. XXXI. 5. Potest Deus peccatorem perducere ad pœnitentiam. Si ergo nullum peccatum salvâ suâ justitiâ possit impunitum dimittere; necesse est ut peccatorem resipiscentem & jam seriò ac sincerè pietati studentem in æternum puniat, licet in resipiscentia sua decedat, & licet unicum tantum peccatum commiserit: nisi forte Christus pro eo sponsor intercedat, justitiæque divinæ, pœnam peccati in se transferendo, satisfaciat: de quo postea. Quæ omnia absurda. Ne jam addamus, Deum gratis nobis omnia peccata in Jesu Christo Domino nostro condonasse. Verum id in sequentibus, quando de muneribus Christi dicturi sumus, latius deducemus.

XXXII. Nunc præcipuæ quæ in contrarium adferri solent objectiones paucis expendendæ sunt. Prima. Naturale est Deo, esse justum. Resp. Justitia Deo naturalis est; sed egressus justitiæ divinæ sunt liberi; perinde uti egressus misericordiæ, quæ etiam Deo naturalis est. 2. Naturale dicitur dupliciter: vel quod merè dependet à principiis naturæ; hoc modo igni naturale est urere: vel quod congruit cum naturâ, sed tamen non exseritur in actum, nisi intercedente libera voluntatis determinatione; hoc modo ridere homini est naturale. Hoc posteriori modo justitia vindicans Deo est naturalis, id est, quando punit, actum exercet justitiæ suæ congruentem: vindicat tamen liberè. Hoc modo Omnipotentia, Misericordia, Sapientia, Deo est essentialis: liberè tantum in operibus suis eas demonstrat. Nihil facit Deus justitiæ suæ adversum; tam quando remittit, quàm cum punit. Responsio ad Object. primam.

XXXIII. Secunda. Justitiæ proprium est suum cuique tribuere, seu quod illi debetur: Atqui peccatoribus debentur pœnæ. Resp. Suum proprie est in quod quis jus habet, adeo ut sine injuria illi denegari id non possit. Inde liquet hoc non de malis, sed de bonis tantummodò intelligendum esse. In pœnas autem sustinendas nemo jus habere dici potest: neque ulli injuria fit, quod pœnâ peccatis suis commeritâ non afficiatur; è contra summi beneficii loco id ducturus est. Hinc pœna non debetur lædenti, qui cum punitur pœnas dare dicitur, sed læso, qui justè eas inferre potest. At ille potest de jure suo remittere. Ad Object. 2.

XXXIV. Tertia. Justi judicis est, nullum peccatum impunitum dimittere: Deus verò justus est judex. Resp. Verum hoc est de judice subalterno, qui superiori domino est obligatus; quoniam ille non remittit de suo, sed de alieno. Non id locum habet in supremo domino, qui de suo jure quando lubet remittere potest, modo alterius non intersit ut jus suum rigidè exigat. Hinc videmus summos Magistratus solere sibi jus fontibus, etiam post condemnatoriam per ordinarios judices sententiam, gratiam faciendi reservare. Quin ergo idem Deo, nulli obstricto, liceat, dubitare fas non est. Ad Object. 3.

XXXV. Quarta. Deus ipse sibi faceret injuriam, justitiamque suam læderet, nisi peccata puniret. Resp. 1. Nemo sibi ipsi injuriam facit, qui de jure suo remittit: olen- Ad Object. 4.

volenti enim non fit injuria. 2. Non videtur justitia divina permittere, ut præfractos peccatores, & impœnitentes leges ac gratiæ suæ contemtores impunitos dimittat: tum quia lege latâ potestati suæ absolutæ videtur renuntiasse; tum quia legem suam omnibus conculcandam proponeret, & impunitatis spe ad peccandum alliceret, nisi tales puniret: tum etiam, quia majestas ejus præfracta illa impietate lædi videretur; nec quis Deum peccati osorem acerrimum cognoscere posset, si nec impœnitentibus ullam ob scelera pœnam irrogaret. Nequaquam autem majestas divina læditur, si peccata pœnitentibus condonet: imo declaratione æquitatis ac misericordiæ suæ majorem demonstrat gloriam, & ad sui timorem homines allicit; *Apud te* enim (inquit Psaltes) *est remissio, ut timearis*, *Psal.* CXXX. 4.

Ad Object. 5.

XXXVI. Quinta *Rom.* I. 32. dicitur, *jus Dei esse, ut qui talia faciunt digni sint morte:* & 2 *Thess.* I. 6. *Justum est apud Deum afflictionem retribuere iis qui affligunt vos.* Resp. I. Qui jus habet, justè quidem illud exigere potest; non tamen ad id est obligatus: imo qui de jure suo remittunt maximè laudantur. 2. Agitur illis in locis de gravissimis peccatis, in quibus peccatores sine ulla pœnitentia perseverant. Dicimus conveniens non esse majestati divinæ, ut eos impunitos dimittat. Alia vero, uti vidimus, ratio est pœnitentium, peccataque sua meliore vita emendantium.

Ad Object. 6.

XXXVII. Sexta. Tandem ajunt. Deus necessariò odit peccatum: Ergo & illud necessariò punit; quia odium suum non potest aliter nisi puniendo demonstrare. Resp. I. Alia ratio est odii, quæ interna est displicentia & aversio; alia pœnæ, quæ externum quid est: nihil autem Deus extra se necessariò agit. Odium Deus necessario erga peccatum concipit statim atque commissum est: non tamen illud necessariò punit, imo pœnam aliquando diu admodum differt: uti in primi mundi incolis I *Pet.* III. 20. & nunc in extremi judicii dilatione liquet. Unde constat punitionem Deo non perinde esse naturalem, atque peccati odium. 2. Possunt homines odisse peccata aliorum, ut tamen personas non oderint, sed per pœnitentiam ad salutem adducere conentur. Quid ni Deus idem possit? 3. Quod vero addunt, non posse Deum nisi puniendo odium suum demonstrare: dicimus demonstrationem odii divini non perinde esse naturalem, atque ipsum odium: naturale quippe Deo est, aversari ac odisse peccatum; liberum autem, per pœnam odium suum demonstrare. Quod tamen Deus non aliter quàm puniendo odium suum erga peccatum demonstrare possit, ex hypothesi decreti ipsius est: quia peccatum, quod odit, punire decrevit.

Quarundam pugnantes de jure Dei opiniones

XXXVIII. Interim satis mirari non possumus quorundam Theologorum minimè sibi constantes opiniones; qui, dum ab una parte jus Dei in immensum extendunt, adeo ut possit salvâ justitiâ hominem innocentem in æternum affligere, ab altera parte in gratia peccatori facienda id tam angustis limitibus circumscribunt, ut negent Deum salvâ justitiâ ullum vel minimum peccatum absque satisfactione remittere posse: quasi Deus plus posset in maleficiis quàm beneficiis: cùm Scriptura ubique gratuitam Dei remissionem deprædicet, ejusque misericordiam longè ejus iram excedere doceat.

Usus Sanctitatis divinæ.

XXXIX. Usus hujus attributi divini varii sunt I. Quia Deus sanctus est, oportet ut & nos ipsi sancti simus, & indefesso studio semper actiones nostras magis magisque illius actionibus similes reddere conemur: I *Pet.* I. 15, 16. similitudinem enim esse oportet inter vocantem & vocatos: inter dissimiles autem nulla est amicitia: quod docetur I *Joan.* I. 5, 6, 7. hinc *ibid. cap.* III. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, purificat seipsum, sicut & ille purus est.*

Usus supremi juris divini.

XL. II. Quia supremum in omnia habet jus ac auctoritatem, debemus I. humillimè nos ipsi subjicere, ac in voluntate ejus, qualiscunque sit, acquiescere. *Esa.* XLV. 9, 10. cui parallelus est *Rom.* IX. 20. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic?* 2. Beneficia ab ipso expetere. *Phil.* IV. 6. *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Et pro acceptis gratias agere. *Ephes.* V. 20. *Coloss.* III. 17. *Hebr.* XIII. 15. *Per ipsum offeramus semper hostiam laudis Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* 3. Patientes esse in adversis, quia inferuntur à Domino supremo: per impatientiam autem videmur ipsi jus suum velle circumscribere. Vide exempla, in Eli, I. *Sam.* III. 18. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* In Davide, *Psal.* XXXIX. 10. *Obmutui & non aperui os meum, quia tu fecisti.* Sic & 2 *Sam.* XV. 25, 26. In Jobo, *Job.* I. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* In Paulo *Act.* XXI. 13. *Ego non solum ligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Quin & in ipso Servatore nostro Jesu Christo, *Matth.* XXVI. 39. in summo animi angore ita Patrem precante: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nunquam contra Deum murmurare, sive gravia quædam nobis præcipiat, sive tentet, sive visitet, sive etiam ob peccata nos puniat; aut alia quædam permittat, quorum nobis ratio perspecta non est; quoniam, uti David

Deum

Deum alloquens dicit *Psal.* XXXVI. 7. *Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.* 5. Deo obedire cum timore; quia potestatem habet non tantum imperandi, sed &, si inobedientes simus, pro peccatorum merito nos puniendi. *Malach.* I. 6. *Filius honorat patrem, servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Matth.* X. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam & corpus perdere in gehenna.* 6. In nullius hominis gratiam quicquam facere quod Deus vetat, aut omittere quod Deus præcipit. *Act.* V. 29. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* 7. Tandem tranquillâ conscientiâ uti iis rebus, quarum proprietatem vel usum liberum supremus Dominus nobis concessit. 1 *Corinth.* X. 25, 26. *& seqq.* 1 *Tim.* IV. 4. *Tit.* I. 15. præsertim *Rom.* XIV. *toto.*

CAPUT XIII.

De Justitia Dei particulari.

Justitia Dei particularis tribuit cuique suum;

I. *Justitia* Dei *particularis* est, quâ Deus suum unicuique tribuit. Hæc propriè ad alterum refertur, hominemque respicit non in statu innocentiæ & extra omnem Dei fœderationem consideratum; ita enim justitiæ universalis objectum est; sed quatenus legi aut fœderi cuipiam divino est subjectus. Quamvis enim creatura nihil, ut suum, à Creatore possit obtendere: *Quis enim prior illi dedit, & retribuetur ei? Rom.* XI. 35. tamen quatenus Deo placuit fœdus aliquod cum hominibus pacisci, seque ultrò in fœdere illo hominibus per promissum suum obstringere; inde aliqua inter Deum ac homines justitiæ species emergit, cujus respectu id, quod homini ex præscripto legis debetur, suum vocari possit.

Vel ex stricto legis rigore;

II. Illud autem dupliciter considerari potest: vel ex stricto legis rigore, vel ex æquitate ac benigna legislatoris intentione. Ex stricto legis rigore debetur obedienti præmium obedientiæ commensuratum, siquidem promisso præmii lex sancita est; & inobedienti pœna. De præmio liquet ex *Rom.* IV. 4. *operanti*, id est, opus præscriptum perfectè absque ulla transgressione præstanti, *imputatur merces non ex gratia, sed ex debito*; intellige mercedem operi proportionatam: merces enim illud infinitis vicibus superans, quale est æternæ vitæ præmium, semper imputatur ex gratia. De pœna non minus res clara est. *Deut.* XXVII. 26. *Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis ut ea faciat. Rom.* VI. 23. *Stipendium peccati mors.*

Vel ex æquitate tam in præmio;

III. Quod homini debetur ex æquitate ac benigna legislatoris intentione similiter vel præmium est, vel pœna. Præmium est vita æterna, & quidem pœnitentibus promissa: illud enim obedientiæ aut operis dignitatem in tantum excedit, ut nulla inter ea comparatio institui possit, opus licet perfectum sit; multò minus cum pœnitentibus, ac proinde ante pœnitentiam peccatoribus, promittatur: & tamen illud Deus ex justitia dare dicitur; 2 *Thess.* I. 6, 7. *Justum est apud Deum retribuere relaxationem vobis qui affligimini.* 2 *Tim.* IV. 8. dicitur *Deus justus judex in die illo daturus coronam justitiæ omnibus qui diligunt adventum ejus.* Imo *Hebr.* VI. 10. ideo *non oblivisci laboriosæ charitatis* suorum fidelium, quia *non est injustus*: non quod præcise ad illud dandum obligetur: sed sicuti ipsa promissio ex indebita gratia ac liberalitate processit; ita & promittentis æquitas requirere videtur, ut præmium, cujus se per promissum debitorem constituere voluit, non deneget: unde & fideles illo præmio *digni* dicuntur, 2 *Thess.* I. 5. *Apoc.* III. 4. nimirum non stricto jure, sed ex æquitate & benignitate divina.

Quàm in pœna.

IV. Pœnæ verò dispar est ratio. Justè peccatoribus debetur pœna, ac proinde quando infligitur justè infligitur: sed tamen, uti vidimus, non tenetur Deus ex vi justitiæ suæ pœnam inferre; quia per peccatum peccatores nullum jus in Deum acquirunt; sed Deus in peccatores: ac proinde de eo remittere potest. Fateor, æquum non est, nec sanctitati divinæ conveniens, ut Deus præfractos ac impœnitentes gratiæ suæ contemtores impunitos dimittat; nullam tamen illis injuriam facit, aut ipsis quod suum est denegat: peccatores autem, qui nondum ad illud malitiæ ac impietatis fastigium ascenderunt, non præcise ex justitia punire tenetur; imo æquitas divina ac sanctitatis amor requirere videntur, ut resipiscentibus condonet: interim, si velit, non exspectatâ ipsorum pœnitentiâ justè eos punire potest: quia non punit nisi merentes, & nunquam pœna gravitate peccatum excedit. Inde est, quod, pro diversa peccatorum gravitate, etiam diversi pœnarum gradus infligantur, *Luc.* XII. 47, 48. *Hebr.* X. 28, 29.

Conspicitur in judiciis divinis, tum in hoc seculo:

V. Justitia hæc conspicitur in omnibus judiciis divinis, tam quæ in hoc, quàm potissimum in judicio illo extremo, quod in futuro seculo exercebitur. In hoc seculo Deus non punit nisi merentes: si quos innocentes, ut infantes, aliosque pios, generali excidio urbis aut populi involvat, non eos propriè punit; sed pro absoluto suo dominio vitam quam dedit aufert, majore postea præmio eam compensaturus. Speciatim elucet hæc justitia, quod Deus sæpe talionem retribuat peccatoribus, eodemque planè

 modo

modo puniat quo peccaverunt. Exemplum illustre habemus in Adonibesec, *Judic.* I. 6, 7. cui cum Israëlitæ summitates manuum ac pedum amputassent, dixit: *Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Sic & *Apoc.* XVI. 5, 6. *Justus es Domine, qui es, & qui eras, Sanctus, qui hæc judicasti. Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. Apoc.* XVIII. 6. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis:* &c. Vel infert analogum quid: Abimelech septuaginta fratres interficit; ipse postea jactu lapidis per mulierem interficitur; *& reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis*, dicitur *Judic.* IX. 56. Ob non servatos annos sabbathicos Deus Judæos tradidit in septuaginta annorum captivitatem, *ut celebraret terra sabbatha sua*, 2 *Chron.* XXXVI. 21. Nebuchadnezarem nimio fastu se supra homines efferentem Deus infra humanam sortem deprimit, & ab hominibus expulsum detrudit ad bestias. *Dan.* IV. 30.

Tum in futuro. VI. Sed potissimum hæc justitia elucebit in judicio extremo; quod idcirco vocatur ἡμέρα δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, *Rom.* II. 5. & *Act.* XVII. 31. dicitur Deus in die illo per virum à se constitutum, nempe Jesum Christum, mundum justè judicaturus. Et in duobus potissimum justitia hæc spectabitur. Primò, quod unicuique secundum opera retribuet, *Matth.* XVI. 27. *Rom.* II. 6. 2 *Cor.* V. 10. *Gal.* VI. 5. & 7. *Apoc.* XX. 13. Secundo, quod judicaturus est Deus absque personarum acceptione; 1 *Pet.* I. 17. *Rom.* II. 11. *Ephes.* VI. 9. *Coloss.* III. 25. Hæcque ἀπροσωποληψία divina ex variis indiciis cognoscitur; ut quod Deus omni gentium discrimine abolito, nunc *in quavis gente qui ipsum timet & justitiam operatur gratum habeat: Act.* X. 34. Quod *reges terræ, & principes, & tribuni, & divites & fortes, & liberi & servi, Apoc.* VI. 15. & *magni ac pusilli, Apoc.* XX. 12. eodem apud ipsum loco sint. Quod *multi ab Oriente & Occidente venientes sint accubituri cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in regno cœlorum: filii verò regni ejicientur in tenebras exteriores: Matth.* VIII. II. 12.

Ad justitiam Dei referuntur. VII. Sub hac Justitia Dei tres aliæ virtutes comprehenduntur; seu sub harum virtutum nomine Justitia Dei nobis repræsentatur.

Veritas. VIII. Prima est *Veritas*, quæ nonnunquam rectitudinem designat: *Psal.* XIX. 10. *Judicia Domini vera*: & CXIX. 86. *Omnia mandata tua veritas.* Sed, ut hic à nobis accipitur, propriè est dictorum cum mente divina & cum rebus conformitas. Unde liquet hanc perfectiorem multò esse veritate humana, quæ solummodò est cum mente conformitas, licet ob plurimarum rerum ignorantiam quandoque rebus conformis non sit: nulli enim errori esse obnoxium sortem humanam excedit. Ea tribuitur Deo *Rom.* III. 4. *Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax*: & ex sequentibus liquet illam eandem cum justitia esse. Inde & Deus vocatur ἀψευδὴς, *Tit.* I. 2. & *impossibile* dicitur *ut mentiatur*, *Hebr.* VI. 18. Sic *Deut.* XXXII. 4. *Deus veritas, & absque ulla iniquitate.* Quicquid ergò Deus affirmat, quicquid præcipit, quicquid promittit aut minatur, veritas est, illique sine exceptione fidem adhibere debemus. Non ergo absque blasphemia dici potest, Deum non tantum præcipere posse, sed & præcipere hominibus, ut mendacio credant: qui enim mentiri nescit, mendacio ut fidem præbeant hominibus præscribere nequit. Præcipuè veritas hæc celebratur in impletione promissorum divinorum, *Psal.* LXXXIX. 2, 3, 6, 9, 25, 34. Hinc *Rom.* XV. 8. dicitur *Jesus Christus minister fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.*

IX. Secunda est *Fides* seu fidelitas, quâ Deus id, quod dixit aut affirmavit, constanter exsequitur. Potissimum in promissorum impletione spectatur; quia per promissa fidem suam aliquatenus obstrinxit, quàm ut liberet æquitas ac justitia exigit: *Hebr.* X. 23. *Fidelis est qui repromisit.* Quandoque tamen latius extenditur ad ejusmodi dona, quæ Deus non tam ex promisso: quàm secundum æquitatem ac benignitatem suam largitur: 1 *Corinth.* X. 13. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit cum tentatione exitum ut possitis sustinere.* 1 *Thess.* V. 24. *Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.* 1 *Joan.* I. 9. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra*, &c. *Fides.*

X. Tertia est *Sinceritas*, qua nunquam contrarium ejus, quod apud se decrevit, neque dictis neque factis testatur. Expressè ea in Scriptura Deo nusquam tribuitur. Locus 2 *Cor.* I. 12. ubi mentio fit sinceritatis Dei, non agit de sinceritate divina, sed de hominum sinceritate Deo grata; uti locum inspicienti statim patebit. Quin tamen Deo competat, dubitari nequit, quia ex justitia ac veritate divina fluit; & quia dolus ac hypocrisis cum Sanctitate ejus consistere nequit. Hanc Deo adimunt, qui Deo duplicem voluntatem adscribere non verentur, occultam unam, revelatam alteram, easque ex adverso sibi invicem repugnantes, adeo ut voluntate revelata præcipiat multis hominibus, quod voluntate arcana non vult ut faciant. Qui docent Deum ad salutem invitare, quos æterno ac irrevocabili decreto, absque ullo ad opera ipsorum respectu, reprobavit; aut mortem minetur illis, *Sinceritas.*

illis, quos æterno ac irrevocabili decreto elegit ad salutem.

Usus. XI. Usus hujus attributi divini varii sunt. I. Quia Deus justus est, & juste judicaturus absque personarum acceptione, puros ac immaculatos nos præstare oportet coram ipso: 1 *Pet.* I. 17. 2 *Pet.* III. 11, 12, 13, 14. II. Quia verax est ac fidelis in promissis præstandis, in mediis adversis Deo fidere oportet, neque promissorum dilatione languescere, certos non vanam esse spem ac fiduciam nostram in illum. *Hebr.* x. 36, 37. *Jacob.* v. 7, 8. 2 *Pet.* III. 8. *Mille anni apud Deum sunt instar unius diei.*

CAPUT XIV.

De Dei Mansuetudine, Longanimitate, ac Severitate.

Virtutes iram moderantes. I. Virtutes affectum iræ moderantes sunt tres, Mansuetudo, Longanimitas, & Severitas. Duæ priores consistunt in remittendo, mitigando, vel differendo pœnam: tertia in puniendo.

Mansuetudo. II. Prima est *Mansuetudo*, sive χρηστότης, quæ est virtus, per quam Deus adversus peccatores non irascitur, nisi justissimam ob causam & summa cum moderatione. Tribuitur Deo *Rom.* II. 4.

Conspicitur ea in tribus. III. Conspicitur potissimum in tribus. I. Quod aversus sit à pœna, ac pronior ad ignoscendum, quàm puniendum. *Ezech.* XVIII. 23. & XXXIII. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Unde *Esa.* XXVIII. 21. punitio vocatur *opus alienum* à Deo, & *non suum*. & *Thren. Jerem.* III. 33. dicitur Deus *filios hominum non affligere*, seu punire, *ex corde*. II. Quod plerumque levius puniat, quàm peccati gravitas meretur, & rarò scelerum gravitati pœna respondeat. *Psal.* CIII. 10. *Non secundum peccata nostra fecit; neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Quod tamen de pœnis visitationis, quibus Deus homines in hac vita paternè castigatos ad pœnitentiam adducere conatur; non de pœnis excidii, quibus præfractè impios ac impœnitentes tandem pro meritis justé punire decrevit, sive in hac vita integrum populum in ira sua exscindendo, sive in futura vita impiis ac contumacibus iram, indignationem atque afflictionem retribuendo, intellectum volumus. III. Quod facilis sit ad ignoscendum, quamprimum aliqua in peccatore resipiscentiæ signa videt. *Jerem.* XVIII. 7. *Repente loquar adversus gentem aliquam, & adversus regnum, ut evellam, & confringam, & perdam. Si autem convertatur gens ista à malo suo, contra quam locutus fuero, pœnitebit me mali quod constitueram facere ei. Psal.* CIII. 9. *Non in seculum contendit, nec in seculum* (iram) *servat. Psal.* XXX. 6. *Momentum est in furore ejus, vita in voluntate ejus; vespere pernoctabit fletus, & mane lætitia. Jerem.* III. 5. *Nunquid reservabit in seculum* (iram?) *an reservabit in æternum? Joël.* II. 13. *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors & miserator est, longanimis & multæ misericordiæ, & pœnitens super malum.* Exempla passim obvia sunt in Scripturis: in Israëlitis sæpius, in Ninivitis, Achabo, &c.

IV. Hanc Mansuetudinem Deo planè adimunt absolutæ prædestinationis patroni; sive Deo prædestinanti hominem ut nondum lapsum, seu ut in lapsu consideratum objiciant. Quis enim, rem rectâ judicii lance ponderans, credere possit Deum erga peccatores, propria sua culpa ac voluntate nocentes, esse placabilem, pœnamque justè commeritam illis gratiosè condonare; qui statuit Deum irrevocabili ac æterno decreto homines innocentes ad æternos inferorum cruciatus reprobasse: aut Deum propter unius Adami peccatum posteros ejus, qui illius conscii nec fuerunt nec esse potuerunt, exitio æterno destinasse? Qui erga innocentes adeo est immitis, ac durus, quàm misericordiam exseret erga peccatores & nocentes? *Eam tollunt absolutæ reprobationis patroni.*

V. Secunda virtus est *Longanimitas*; quæ à Mansuetudine reverâ non differt. Mansuetudo quippe diu durans longanimitas est; per quam Deus peccata eò usque tolerat, & resipiscentiam peccatorum exspectat, donec, per pertinaciam hominum quasi expugnata ejus patientia, tandem demum severitatem judiciorum suorum ostendere decrevit. Tribuitur Deo *Rom.* II. 4. *An divitias mansuetudinis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Rom.* IX. 22. *Quid si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, multâ lenitate pertulit vasa iræ coagmentata ad interitum?* 2 *Pet.* III. 9. *Deus est longanimis erga nos.* Vocatur *Esa.* XLVIII. 9. *dilatio furoris Domini*: illiusque respectu Deus vocatur *longus narium*, *Exod.* XXXIV. 6. Ejus illustre admodum exemplum dedit Deus erga primi mundi incolas, tolerans eorum malitiam centum viginti annis, interimque Noachum justitiæ præconem ad ipsos mittens, 1 *Pet.* III. 20. erga populum Judaicum, 2 *Chron.* XXXVI. 15. Et nunc illam ostendit in dilatione ultimi judicii, 2 *Pet.* III. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed longanimis est erga nos, nolens aliquos perire sed omnes ad pœnitentiam reverti.* *Longanimitas.*

VI. Usus horum attributorum varii sunt. I. Si in peccatum inciderimus, ut non desperemus, sed fiducia remissionis ad pœnitentiam contendamus. *Psal.* CXXX. 4. *Apud te* *Usus.*

te est remissio, ut timearis. II. Ut maturemus conversionem nostram; quia Deus mansuetudinem suam tantum exercet in judiciis visitationis, & in hac vita, quæ incerta est. *Hebr.* III. 7. *Rom.* II. 4, 5. III. Ut exemplo divino provocati charitate, mansuetudine ac longanimitate utamur erga proximum. 1 *Joan.* IV. 11. *Charissimi, si Deus ita dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere. Eph.* IV. 32. *Coloss.* III. 12, 13. *Matth.* XVIII. 33.

Severitas.

VII. Tertia virtus est *Severitas*, quæ in puniendo consistit: quæ non est affectus severè agendi; ita enim Mansuetudini ac Longanimitati divinæ repugnaret, neque simul cum illis in Deo consistere posset. Sed est decretum severè tandem agendi; & hoc sensu præcedentem sibi semper habet Mansuetudinem ac Longanimitatem: non enim Severitas illa à Deo adhibetur, nisi postquam peccatores, longa patientia toleratos, desperatæ improbitatis esse cognovit. Unde & nullo modo Mansuetudini aut Longanimitati repugnat, modo Deus non facile, non vehementius neque diutius irascatur quam par est. Mansuetus enim & irasci potest, & justam ob causam punire: & longanimis, qui diu pœnam differt, tandem eam exercet, ac sæpius tarditatem supplicii gravitate compensat. Severitas hæc in Scriptura vocatur ἀποτομία, *Rom.* XI. 22. & Deus illius respectu *zelotes*, *Exod.* XX. 5, 6. *Deut.* V. 9, 10. *ignis consumens*, *Deut.* IV. 24. *Hebr.* XII. 29. Item *Deus ultionum*, *Psal.* XCIV. 1. *Nahum.* I. 2.

Conspicitur in judiciis divinis.

VIII. Hæc Severitas divina aliquando conspicitur in judiciis divinis, quæ Deus erga integrum populum in hoc seculo exercet; quando, ob insuperabilem ac diu toleratam impietatem, tandem ira ejus accenditur, & peccata ad Deum clamare dicuntur; non aliter ac si flagitia hæc Dei vindictam efflagitarent, Deusque salvâ justitiâ ac majestate suâ diutius peccatoribus parcere non posset. Tum quippe Severitatem suam erga totum populum exercet, eum exscindendo, fontesque simul cum insontibus eidem exitio involvendo: non quod erga insontes severitatem suam ostendat: sed quod totum populum exscindere non possit, nisi & insontes, tanquam populi partem, illi exitio includat: quod non impedit quò minus illos in futuro seculo, tanquam gloriæ suæ, cui inservierunt, instrumenta coronâ justitiæ gratiosè donet. Hanc Severitatem Deus exeruit in diluvio erga primi mundi incolas, diu patientia sua toleratos: in excidio Sodomæ ac Gomorrhæ, quarum clamor ad Deum adscenderat, *Genes.* XVIII. 20. Erga populum Judaicum, ad quem Deus maxima cum patientia *nuntios suos misit; eò quod parceret populo & habitaculo suo: Sed cum illi subsannarent nuntios Dei, & parvipenderent sermones ejus, illuderentque Prophetis, adscendit furor Domini in populum ejus, ut esset nulla curatio.* 2 *Chron.* XXXVI. 15, 16. Et *Luc.* XIX. 43, 44. Hierosolymis prædicitur excidium, *eò quod non cognoverit tempus visitationis suæ.* Quanquam dubitari possit, an ita prorsus Deus populum Judaicum abjecerit, ut nulla omnino restitutio sit speranda. Attamen qualiscunque illa futura sit, non tamen in terram suam sunt reducendi, ut ibi populum constituant, & prout olim, nullius subjecti imperio vivant: quod sufficit ad ἀποτομίαν populi, quatenus ut populus consideratur. In ejusmodi autem punitione, quando malitia hominum Dei mansuetudinem superare, pœnamque, si justus esse velit judex, efflagitare videtur, dicitur Deus in punitione *ridere*, *consolationem accipere*, impiosque *subsannare*, *Prov.* I. 26. *Esa.* I. 24. & *Deut.* XXVIII. 63. *sicut antea lætatus est super populum ipsi benefaciens ipsumque multiplicans; ita etiam lætaturus ipsum disperdens atque subvertens.* Sed maximè conspicietur in futuro seculo, quando Deus peccatoribus, qui corde impœnitente ejus longanimitate sunt abusi, retribuet iram ac indignationem, *Rom.* II. 4, 5, 6, 7, 8. absque ullo è pœnis illis eluctandi remedio, *Hebr.* XII. 16, 17. adeo ut hæc ἀποτομία futura sit æterna.

Etiam erga quosdam, qui in facinore deprehensi subitò è medio tolluntur.

IX. Sed est & alia Severitatis divinæ species, quâ Deus aliquando Severitatis actum exercet, peccatoresque in facinore aliquo deprehensos, non exspectatâ ipsorum pœnitentiâ confestim è medio tollit. Cujus Severitatis variæ possunt esse causæ. 1. Quod, licet ad unum eorum actum ira Dei excandescere videatur, plura tamen ab ipsis potuerunt esse commissa, in quæ hujus peccati occasione ira Dei exardescit. Tale est exemplum Herodis, quem Deus occasione nimiæ suæ elationis percussit ut à vermibus roderetur, *Act.* XII. 23. quem ex conjectione Petri in vincula, aliisque, constat antea fuisse improbum. Et quamvis id de aliis, in quos Severitatis divinæ exempla edita esse Scriptura testatur, non narretur; nihil tamen prohibet quominus verum esse possit. Sed & aliæ possunt esse causæ: nempe II. potest is, qui punitur ob unicum peccati actum, tantâ à Deo affectus esse gratiâ, quantam nunquam experti sunt illi, quorum peccata Deus diu toleravit; adeo ut hæc gratiæ divinæ copia longanimitati erga alios exercitæ respondeat. Talis fuit uxor Lothi, excidio Sodomæ erepta, quam Deus, quia contra ipsius interdictum respexit, in statuam salis mutavit. *Genes.* XIX. 26. Vel munere excellenti à Deo donatus supra alios, ut gravissimas haberet causas cautè sese gerendi, mandatoque divino exactè obtemperandi: quod locum habet in

Nadab

Nadab & Abihu filiis Aaronis, *Levit.* x. 1. *& seqq.* quos Deus ad Sacerdotii dignitatem evectos, quia alienum ignem obtulerant coram Domino, igne à se egrediente occidit. Et præcipuè in Mose, quem Deus omnibus Prophetis superiorem fecerat, *Num.* XII. 7, 8. postea vero, ob petram bis virgâ suâ percussam, fortasse ex ira & indignatione contra populum toties rebellem, morte punivit, ne populum in terram promissam introduceret. *Num.* XX. 11, 12. III. Potest esse peccatum facile evitabile, &, nisi statim severè puniatur, nocere exemplo. Tale fuit illius, qui ligna collegerat in sabbatho, & jussu Dei lapidatus fuit: *Num.* xv. 35. & quinquaginta millium ac septuaginta Bethsemitarum, qui contra expressum Dei mandatum *Num.* IV. 20. ex mera curiositate arcam inspexerant; 1 *Sam.* VI. 19. & Usæ, 2 *Sam.* VI. 6, 7. qui arcam Domini, propter boum calcitrationem declinantem, temerariâ manus extensione retinuit, contra *Num.* IV. 15, 18. & statim à Deo est percussus, & mortuus juxta arcam Dei. IV. Vel tandem peccatum potest esse maximè enorme & execrandum, præsertim propter circumstantiam temporis, quo Deus miraculorum ac signorum patratione, visibilique Spiritus Sancti donorum distributione, gratiam suam singulari modo demonstrat. Quod observandum in Anania ac Sapphira, quos Deus, quia Spiritui Sancto mentiebantur, in initio Euangelii signis irrefragabilibus sese in Apostolis exserenti, subita morte percussit, *Act.* v. 1. *& seqq.* Huc aliquatenus referri possunt morbi & mors inflicta in Ecclesia Corinthiaca sacram Cœnam indignè usurpantibus, 1 *Cor.* XI. 30. Conclusionis loco addimus; Severitatis hujus divinæ exempla esse rarissima. Unde colligere licet, mansuetudinem ejus, quæ tantoperè celebratur, cujusque exempla passim obvia sunt, longè superare ejus Severitatem.

Usus. X. Attributi hujus usus sunt. I. Ut cum timore ac piâ sollicitudine Deo serviamus, quia est ignis consumens. II. Ne ulli peccato indulgeamus, eo prætextu, quod leve sit & exigui momenti: nescimus enim, an quod nobis leve videtur etiam tale à Deo judicetur, & ob parva in speciem peccata iram Dei graviter exarsisse constat.

CAPUT XV.

De Omnipotentia Dei.

Potentia Dei. I. VOluntatem Dei excipit ejus *Potentia*, qua ad exequendum voluntatis suæ decreta utitur: *Omnia* enim *operatur secundum consilium voluntatis suæ*, *Eph.* I. 11. Est autem potentia Dei vis illa, quâ omnia quæ vult & velle potest efficaciter agere potest. Quia vis hæc est infinita, adeo ut se ad omnia extendat, nemoque virtuti isti resistere, aut operationem divinam impedire possit, hinc vocari solet *Omnipotentia*. Tribuitur ea Deo *Genes.* XVII. 1. *Ego Deus omnipotens: ambula coram me & esto perfectus.* 2 *Corinth.* VI. 18. *Apoc.* I. 8. Hinc *nullum verbum Deo* dicitur *impossibile*, *Luc.* I. 37. & *apud Deum omnia* esse *possibilia*, *Marc.* x. 27. Elucet in miraculis, vim omnem creaturam superantibus, quæ à solo Deo fieri possunt; neque ad ullius hominis jussum fiunt, nisi Deus cum ipso sit, *Joan.* III. 2. v. 36. Sed potissimum in hujus universi ex nihilo creatione, in qua Deus omnipotentiæ suæ apicem ostendit, ita ut nulla creatura in participium ejus venire possit.

II. Potentiæ hujus objectum est omne possibile, hoc est, non tantum id, quod Deus decrevit fieri; sed & omne, quod ex natura sua tale est ut fieri possit, ac proinde à Deo ut fiat decerni potest; idque in infinitum usque, adeo ut nusquam potentiæ divinæ terminus poni possit. Non enim credendum Deum plura facere non posse, quàm facit, aut voluntatem Dei potentiæ ejus modum esse. Dirigitur quidem à voluntate divina, ut alia non efficiat quàm quæ Deus vult, interim multò plura facere potest. Quanquam enim rectè dicatur, illud existere non posse, quod Deus non decrevit fieri; tamen à parte rei, respectivè ad potentiam Dei consideratæ, nihil est quod impediat quo minus existere possit, si Deo placeat aut placuisset decernere ut existat. Quod ergo in se ac naturâ suâ tale est, ut nullam ad existentiam repugnantiam habeat, simpliciter est possibile, ac proinde potentiæ divinæ objectum, licet nunquam extiturum sit. Ita potens est Deus, si velit, ex lapidibus filios Abrahæ excitare, *Matth.* III. 9. Et quis dicere ausit, iis solis, quæ fiunt, efficiendis potentiam Dei exhauriri? *Ejus objectum est omne possibile.*

III. Simpliciter autem possibile est, quicquid non implicat contradictionem: illud itaque solum, quod contradictionem implicat, potentiæ divinæ objectum non est; non defectu aliquo potentiæ Dei, sed ob repugnantiam terminorum, qui se mutuo destruunt, ac proinde absolutam involvunt simul existendi impossibilitatem: non autem est impotentia, illa facere non posse, quorum ea est natura, ut simul existere nequeant, & quorum uno posito necessario evertatur alterum. *Non autem, quicquid contradictionem implicat.*

IV. Duobus autem modis aliquid contradictionem implicare dicitur; vel ex parte rei, vel ex parte agentis. Ex parte rei, quando ipsa res in se spectata talis est, ut terminorum repugnantiam includat: idque duobus modis. Primo, quod statim atque enuntiatur repugnantiam in terminis conti- *Fit id, vel ex parte rei.*

 net;

net: ut, aliquid simul esse & non esse; aliquid non fuisse, quod fuit. Secundo; quod licet repugnantiam in terminis non contineat, tamen per manifestam consequentiam evincitur revera repugnantiam continere: ut, unum corpus totum simul in diversis atque à se invicem separatis locis posse esse, fieri posse illud ipsum quod jam factum est, &c. Quilibet enim, cui mens præjudicio aut alio pravo affectu excœcata non est, rectæ rationis ope statim deprehendit illud tantumdem esse, atque si quis dicat, unum corpus non unum corpus, & quod factum est non factum esse. Interim quoniam fieri posset, ut nos in collectione nostra non satis solida ac evidenti consequentia procedamus, cautè hic agendum, nec ulla ad evincendum contradictionem valere debet consequentia, ad cujus indagationem magno ingenii acumine aut operosa deductione opus est; sed illa sola, quæ adeo clare ac evidens est, ut cuivis, præjudiciis aut affectibus non præoccupato, licet rudiori ac minus exercitato, prima statim fronte pateat: ne forte subtili ratiocinatione nimium aut temerè confisi, in Dei omnipotentiam injurii simus.

Vel ex parte agentis. V. Ex parte agentis, seu Dei, contradictionem implicat, quod repugnat naturali illius perfectioni; ut si quis dicat Deum posse mori, dormire, similiaque: hæc enim adeo manifestè cum perfectione divina pugnant, ut, si quis hæc de Deo affirmaret, tantumdem foret, ac si Deum diceret non esse Deum. Sed & sunt alia, quæ licet potentiæ divinæ, quatenus ut nuda potentia consideratur, non repugnatura essent, tamen aliis attributis divinis manifestè contradicunt; ac proinde planè impossibilia aut contradicentia sunt habenda: quia potentia divina neutiquam ad alicujus attributi divini eversionem tendere potest. Sic impossibile est, Deum homines innocentes in æternum pœnis infernalibus affligere: non, quod major vis aut potentia requiratur ad affligendum innocentem quàm nocentem; sed quia justitia aut æquitas divina non permittit ut id fiat. Sic impossibile est, Deum mentiri, fallere, aut se ipsum abnegare, *Tit.* 1. 2. *Hebr.* VI. 18. 2 *Tim.* II. 13. quia repugnat naturali ejus bonitati ac veritati. Impossibile est Deum decreta sua rescindere: quia repugnat ejus constantiæ ac immutabilitati.

Contradictoria in se sunt impossibilia. VI. Mirari autem hic subit, Franciscum Burmannum, nuper in Academia Trajectinâ Theologiæ Professorem, in sua *Synopsi Theologiæ, lib.* I. *cap.* XXV. *de Omnipotentia Dei*, §. 9. ipsis Benedicti de Spinoza verbis in *Cogitatis Metaphysicis cap.* IX. ex quo pleraque hujus capitis fermè ad verbum descripsit, alios reprehendere, quod res quasdam citra decretum Dei possibiles, alias impossibiles, alias necessarias faciant, cum juxta ipsum omnia à decreto Dei absolutè dependeant, non solum rerum existentia, sed & universa earum natura & essentia. Licet enim verissimum sit, nihil esse necessarium quod Deus non decreverit, & unaquæque res eam habeat essentiam, quâ eam Deo placuit donare, inde tamen minimè sequitur, eam non esse rerum essentiam, in sese spectatam, ut à Deo potuerit decerni; aliarum vero esse eam ad existendum repugnantiam, ut à Deo decerni non potuerint; qualia sunt contradictoria. Unde & ipse nugari credendus est, cum immediatè subjungit, *cur aliquid impossibile sit, causa non est in ipsa re (cum impossibile mera sit negatio) sed in ipsa Dei potentia, quia Deus illud non potest velle aut facere.* Quis enim subtilitatem istam capiat, quod causa non sit in ipsa re quod sit impossibilis, sed quia Deus eam non potest facere? Quasi nempe, quod Deus facere non potest, in se non sit impossibile: aut aliquid in se non impossibile, seu quod in sua natura spectatum tale est ut fieri possit, Deus facere non possit. At, inquit, *impossibile est mera negatio.* Fatemur; ideoque designat repugnantiam ad existendum. Quod itaque tale est, ut repugnantiam ad existendum habeat, simpliciter impossibile est, nec à Deo fieri, seu, quod idem est, id Deus facere non potest.

Contradictoria Deus non potest facere non contradictoria. VII. Sed, inquit, *potuisset Deus alium naturæ ordinem instituere, & tum nobis alias ideas, ordini isti convenientes, indidisset.* Verùm quæro, unde hoc constet? Non possunt id probare, nisi principium petendo, & assumendo id quod in quæstione est. Sed præterea; Quæro, an ea potentia Dei eo usque extendatur, ut facere possit, ea, quæ nunc manifestè cognoscimus contradictoria esse, non esse contradictoria? Omnino id insinuare videntur, dum asserere non verentur, posse Deum, si velit, facere, ut bis tria non sint sex: ut omnes lineæ à centro circuli ductæ ad peripheriam non sint æquales, &c. quod tantumdem est, ac facere bis tria non esse bis tria, & circulum non esse circulum. Sed verò, quoniam ante dixit, impossibilitatem quandam esse in rebus, ideo quia Deus eas non potest velle aut facere, libet quærere, unde certus sit hanc totius naturæ ordinis mutationem, per quam ea quæ nunc sunt repugnantia fiant non repugnantia, non esse inter illa, quæ Deus velle aut facere non potest? Sane quædam sunt æternæ veritates, quæ ex ipsa naturæ divinæ perfectione & sanctitate immediatè fluunt, quarum proinde rectitudo ac veritas omnem voluntatis actum antecedit. Sic actus rectæ rationi consentaneus, & ad præcepti divini normam expressus, necessariò est virtus; actus rectæ rationi

rationi & præcepto divino repugnans necessario est peccatum, ac odio divino dignum: neque id Deus mutare potest: nec naturalis ejus perfectio ac sanctitas permittit, ut nobis ideas indat, per quas actum rectæ rationi ac legi ejus adversum apprehendamus ut virtutem Deo gratam, & præmio ac remuneratione dignam; & actum rectæ rationi & legi suæ consentaneum, ut peccatum & odio Dei dignum, quin simul nobis indat ideam sui, quasi virtutis osoris, ac peccati fautoris ac remuneratoris. Quod sicut Sanctitati divinæ naturali contrarium est; ita non minus illius veritati ac rectitudini naturali repugnat, ut veritates Mathematicas convertat in falsitates, nobisque earum tanquam falsitatum ideas inflat; ac proinde utrumque inter impossibilia reponendum est.

Boermannus cum Spinoza sentit.

VIII. Verum totus illius discursus, quem hic ex Spinosa instituit, eo tendit, ut ostendendo, non tantum rerum existentias, sed & universum earum conceptum, omnemque rationem essentiæ earum à Dei decreto & voluntate dependere, simul omnem è rebus contingentiam tollat, omnibusque eventibus eandem respectu decreti divini doceat inesse necessitatem, quæ est in veritatibus Mathematicis. Ita enim ipsis Spinozæ verbis §. sequente ratiocinationem suam continuat. *Si homines clarè totum naturæ ordinem intelligerent, omnia æquè necessaria reperirent ac illa quæ in Mathesi tractantur; quia verò huc usque non penetramus, ideo quædam à nobis possibilia, vel indifferentia, non verò necessaria judicantur. Quocirca dicendum est, vel quod Deus nihil possit, quia omnia revera necessaria sunt; vel quod Deus omnia possit, & quod necessitas quam in rebus reperimus, à solo Dei decreto provenerit.* Quæ omnia eò unice tendunt, ut meram in rebus omnibus dominari evincat fatalitatem, omnesque qui sunt, etiam in rebus humanis, eventus omnipotentiâ divinâ determinari, ut aliter quàm eveniunt evenire nequeant; non magis quàm veritates Mathematicæ, posito hoc quem Deus instituit ordine, mutari in falsitates queunt. Quod omnem evertere religionem alibi clarè ostensum est.

Etiam de natura miraculorum.

IX. Nec hæc dixisse contentus, Spinozam sine ullo judicio etiam in illis secutus est, quibus Atheismi sui venenum, sed tectius paulo, insinuat; dum non tantum *totam rerum naturam non nisi unicum ens* esse affirmat, §. XI. sed & §. XV. miracula, quæ extraordinariâ Dei potentiâ perfici ait, non nisi secundum naturæ leges fieri scribit: *Deus*, inquit, *ordinariâ potentiâ operatur secundum leges naturæ nobis notas; extraordinaria verò secundum eas quæ nobis notæ non sunt.* Quod si verum est, miraculum non est opus vires naturæ superans, nec supremum Dei in omnia regimen evincens: sed errore nostro, qui naturæ leges ignoramus, prò tali solummodò habetur; revera autem fit juxta leges semel naturæ inditas. Quæ ipsissima Spinozæ impietas est.

Tria de potentia divina necessario credenda.

X. Verùm quia multa de potentia divina, quousque se extendat, & de iis quæ contradictionem implicant, in scholis curiosè disputantur; ne quædam majestate divina indigna ventilemus, aut temerariâ aliquâ decisione quicquam potentiæ divinæ subtrahamus; ad cultum ac fiduciam in Deum concipiendum sufficere videtur, ut omnibus curiosis disquisitionibus omissis, hæc tria firma fide de potentia divina credamus. I. Quod possit nobis dare omnia, quæ ad cultum, quem exigit ipsi præstandum, nobis necessaria sunt: qualia sunt vita, & quæ ad vitæ hujus sustentationem requiruntur, *Act.* XVII. 24. *& seqq.* & dona spiritualia seu supernaturalia: sic 2. *Pet.* I. 3. dicitur, quod *divina ejus virtus nobis omnia donavit, quæ ad vitam & pietatem* (necessaria sunt) *per cognitionem ejus qui vocavit nos propria virtute & gloria.* II. Quod possit impedire ne nobis, ejus cultoribus, vis ulla ab illius hostibus inferatur, per quam ad ipsi obediendum inutiles reddamur; sc. vel à diabolo, vel à tyrannis diaboli ministris: vis enim diaboli tantum in seductione consistit, cui homo ope spiritus divini resistere potest: non enim hominem invitum à Deo abstrahendi potentia armatus est: hinc 1. *Pet.* V. 8, 9. *Sobrii estote & vigilate: quoniam adversarius vester diabolus circumit tanquàm leo rugiens, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Jacob.* IV. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Tyrannorum vis in afflictionibus variis consistit, quæ & vitæ æternæ spes, ac spiritus divini virtute superari possunt. Inde *Apoc.* II. 10. *Nihil horum time quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* III. Quod cultoribus suis bona, quæ promisit, possit dare; contemtoribus autem pœnas, quas minatus est, infligere: sic dicitur, *unus esse Legislator, qui potest servare & perdere, Jacob.* IV. 12. & *Luc.* XII. 4, 5. quod *postquam occidit etiam animam possit perdere in gehenna.*

Usus.

XI. Usus attributi hujus divini varii sunt. I. Ut Deum timeamus, quia omnia potest, ac proinde & nos, nisi ipsum timeamus, gravissimè punire. *Matth.* X. 28. *Jerem.* V. 22. II. Cum fiducia preces ad ipsum in quavis necessitate fundamus, certi ipsum omnia, imo plura quàm petimus, præstare posse, uti dicitur *Eph.* III. 20. III. In cultu ejus occupati nullius hostis, imo nec diaboli ipsius potentiam, pertimescamus: quia

quia nemo impedire potest, quominus promissam cultoribus suis salutem conferat. *Psal.* XXIII. 4. *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo; quoniam tu mecum es. Joan.* X. 28, 29. *Ego vitam æternam do ovibus meis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit eas mihi, major omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Rom.* VIII. 38, 39. *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Unde *Matth.* XVI. 18. nec ipsæ *inferorum portæ prævalituræ* dicuntur *adversus Ecclesiam.* IV. Ut omnibus Dei promissis, qualiacunque sint, confidamus, licet, si naturæ legem ordinariam consideremus, earum impletio videri possit impossibilis; quia Deus naturæ dominus etiam ea, quæ hominibus impossibilia videntur, facere potest: qualia sunt promissa de rebus, quæ nec ipsæ, nec earum causæ naturales videntur. Cujus fiduciæ insigne in Abrahamo habemus exemplum, qui in promisso divino, de filio ex se & Sara jam decrepitis nasciturο, *non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quæcunque promisit potens est & facere. Rom.* IV. 20, 21. V. Ut promptè obediamus omnibus Dei præceptis, etiam illis, quæ videntur promissi divini executioni obstare, illiusque spem nobis præcidere. Hanc obedientiam præstitit Abrahamus Deo, in promptâ filii sui unici, in quo Deus ipsi semen promiserat, Deo immolandi oblatione, *cogitans, quia & à mortuis suscitare potest Deus, Hebr.* XI. 19. Eandem præstant fideles, quibus æterna à Deo salus est promissa, in sustinendis afflictionibus, quin & morte ipsa pro nomine Christi; *certi, quoniam si terrestris domus hujus tabernaculi dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habeant, domum non manufactam, æternam in cœlis*: 2. *Corinth.* V. 1.

CAPUT XVI.

De Beatitudine ac Gloria Dei.

Gloria Dei. I. TAndem inter attributa divina restat ejus Beatitudo ac Gloria. Utraque ex illis, quæ hactenus de essentia divina illiusque attributis dicta sunt, facile innotescit. *Gloria* nempe Dei est excellentia, quâ Deus supra omnes creaturas eminet, ipsisque infinitis modis præstantior est. *Psal.* CXLV. 12. Celebratur ea sæpissimè in Psalmis; & ab Angelis in hymno illustri *Luc.* II. 13, 14. *Gloria in excelsis Deo.*

Ea apparet in operibus divinis. II. Hanc excellentiam Deus semper in se habet, hoc est, essentiam adeò excellentem & perfectam, ut, quando vult, splendorem de se effundere possit, qui ipsum quàm maximè gloriosum reddat. Certum autem est, ipsum coram nobis gloriosum non fore, nisi attributa sua nobis per quædam signa ostendat ac veluti conspicienda præbeat; hoc est, nisi opera quædam eximia operetur, in quibus divina ipsius attributa summoperè elucent; sive sint beneficia, sive punitiones. Hinc est, quod Scriptura Deo gloriam tribuat, sive se gloriosum ostendisse dicat, quando in operibus quibusdam mirandis attributa sua, sive misericordiam, sive justitiam, fidelitatem, sapientiam, & potentiam ostendit. Ita opere creationis gloriam sibi comparavit, *Psal.* VIII. quia in eo ostendit sapientiam, bonitatem, ac potentiam suam. Similiter liberatione populi sui ex Ægypto; præcipuè missione Filii sui in mundi Salvatorem, in quo & sapientiam, & bonitatem, & justitiam, potentiam, ac tandem & fidelitatem ostendit. Hinc 1 *Pet.* II. 9. *Vos estis genus electum*, &c. *ut virtutes annuntietis ejus, qui è tenebris vos vocavit in admirabilem lucem suam.* Et salvatione fidelium suorum; uti dicitur 1. 6. *in laudem gloriæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Adeoque in omnibus miraculis suis, *Psal.* CXXXVI. toto. Hinc passim legimus in Euangeliis, turbam, visis Domini Jesu miraculis, Deum glorificasse. Et ipse Dominus Lazarum excitaturus, inquit: *Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Joan.* XI. 4. Quin & punitione & judiciis suis in impios gloriam suam confirmat, demonstrando se potentem, justum, impietatisque osorem ac vindicem. Sic Deus Pharaonem, cui diu pepercerat, tandem ob invictam contumaciam puniturus, inquit: *Idcirco stare te feci, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra: Exod.* IX. 16. *Rom.* IX. 17. Et *Apoc.* XVI. 5, 6. *Justus es, Domine, qui es, & qui eras, Sanctus, qui hæc judicasti: Quia sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.* Quæ omnia ostendunt, gloriam Dei in ejus excellentia & splendore, quem de se emittit, consistere.

Beatitudo Dei. III. Ex hac excellentia & gloria Dei resultat ejus *Beatitudo.* Cum enim essentiam habeat adeo eximiam ac gloriosam, & undiquaque perfectam, fieri nequit, quin ipse sit summè beatus. Omnia siquidem bona possidet; omnia habet à seipso, solus omnia habet, eaque habet in summo gradu: quin imo ipse est summum bonum, suique possessione plenè ac perfectè beatus. Et beatitudine sua privari non potest: quia ipse est æternus & immutabilis, naturamque habet nulli corruptioni obnoxiam; nec à quo-

à quoquam è statu suo deturbari potest. Hinc vocatur *beatus*, 1 *Timoth.* I. II. & VI. 15. Sine hac, Deus esse non posset.

Usus Gloria Dei. IV. Usus attributorum horum sunt varii. Quia Deus summe est gloriosus, omnia ad gloriam ejus sunt referenda. 1 *Cor.* X. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis; omnia in gloriam Dei facite.* Et gloria Dei tum verbis concelebranda, 1 *Pet.* II. 9. tum præsertim sanctissimorum ipsius operum imitatione apud homines promovenda, *Matth.* V. 16.

Usus Beatitudinis divina. V. Quia Deus est beatus; ad beatitudinem aspirandum, ut cum Deo simus; omniaque, quæ nos eò ducunt, sincerè coram Deo sunt facienda, sepositis omnibus in hac vita, quæ nos seducunt, & ab illa diversos agunt; sunt enim caduca, vana, incerta, multis mutationibus obnoxia, multis doloribus mixta: Beatitudo autem apud Deum est æterna, stabilis, perfecta, nullo unquam dolore abrumpenda, & nunquam finienda. *Apoc.* XXI. 4. 1 *Joan.* II. 17. II. Fortiter sunt ferenda quævis adversa & afflictiones, quæ salutis causâ ab hominibus impiis nobis inseruntur; quia nulla inter afflictiones & vitam seu beatitudinem æternam est proportio: *Rom.* VIII. 18. 2. *Cor.* IV. 17, 18.

CAPUT XVII.

De Deo Patre, Filio, & Spiritu S.

Trium mentio in Scriptura. I. Hactenus essentiam Dei in abstracto consideravimus. Restat jam, ut explicemus, quisnam ille sit Deus, cui divinam hanc naturam competere Sacræ Literæ docent: Pater nimirum, Filius & Spiritus Sanctus. Trium enim horum mentio passim fit in Scriptura Sacra, *Matth.* III. 16, 17. ubi Filius baptizatur, Pater è cœlo testimonium Filio perhibet, & Spiritus Sanctus instar columbæ in eum descendit. *Cap.* XXVIII. 19. jubentur gentes *baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Joan.* XIV. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Similia vide & *vers.* 26. & XV. 26. 1 *Corinth.* XII. 4, 5, 6. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 2 *Corinth.* XIII. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* 1 *Pet.* I. 2. *Electi secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & adspersionem sanguinis Jesu Christi.* Possemus hisce adjungere 1 *Joan.* V. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus & hi tres unum sunt.* Sed quia locus ille in multis veteribus codicibus Græcis & Latinis, ut & in versione Syriaca, Arabica & Æthyopica desideratur, à multis Patribus non agnoscitur, virique magni eum in textu abundare, manuque humanâ intrusum contendunt, eum non proferemus; loca, de quorum auctoritate nulla unquam controversia fuit mota, adduxisse contenti.

II. Hæc, sicut extra controversiam sunt, unanimique consensu ab omnibus Christianis recipiuntur, ita plurimæ gravissimæque de trium horum unitate, Deitatisque seu divinæ naturæ communione, vel potius unitatis communionisque modo, contentiones agitantur. *Diversa de hoc dogmate sententia.* Exercuit enim hoc dogma per omnia secula orbem Christianum, dum, non contenti simplicitate Scripturæ Sacræ, subtilibus hoc dogma contentionibus involverunt, quæstionibusque curiosis, quæ magis rixas conserunt, quàm ædificationem Dei quæ est in fide, obscurum reddiderunt, Ecclesiamque mirè dilacerarunt. Dum essentiæ unitatem sectatur Sabellius, personarum Trinitatem abnegavit: alii, dum Trinitatis esse patroni volunt, Tritheitæ sunt facti. Arius, dum Filium Patre minorem urget, eum in creaturam convertit. Macedonius, dum dona Spiritus Sancti ab ipso Spiritu divino non distinguit, illius divinitatem abnegavit. Alii, dum mysterium hoc, cui nullum par in rebus finitis reperitur exemplum, quodque non nisi in infinitate Dei, quæ nobis incomprehensibilis est, potest habere fundamentum, similibus a rebus finitis, imo & corporeis, desumtis probare contendunt, & quascunque intricatas, & otiosas quæstiones audacter decidere non erubescunt, illud indignius tractarunt, cogitationesque minus decoras de Deo in mentibus hominum inexercitatorum excitarunt. Et dum singuli pro suis opinionibus acriter contendunt, dissentientibusque anathema scribunt, Ecclesiam miserè in partes sciderunt, ac fœdè dilacerarunt..

III. Nos, quibus non licet esse adeo acutis, quique periculosè definiri, tutò ignorari de Deo credimus, quæ Deus nobis in verbo suo non revelavit, ac à nobis ignorari voluit, prætermissis omnibus curiosis quæstionibus, quas à nobis nec capi nec intelligi ingenuè fatemur, mysterium hoc divinum ac arduum proferemus quantum fieri potest iisdem vocibus, quibus Spiritus Sanctus nobis dedit eloqui: *Loquendum hic cum Scriptura.* consulto abstinentes à vocibus quas humana excogitavit industria: non quia sano ac commodo sensu usurpari non posse credimus; sed quia ut plurimum ambiguæ sunt, variarumque contentionum materia. Aut enim phrases à Spiritu Sancto usurpatæ sufficiunt ad dogma hoc apte explicandum; aut Spiritus Sanctus (quod sine blasphemia cogitari nequit) in

in præcipui dogmatis (uti ab omnibus, qui phrases hasce urgent, creditur) expositione deficit. Sequemur hîc Petri Molinæi consilium *Disp. Theol. de uno Deo & tribus personis, thes.* IX. quæ exstat *part.* I. *Thes. Sedan. pag.* 90. *Quo in argumento incedendum est timide & suspenso gradu. Estque hæc doctrina sobrie & verecunde attrectanda, quippe quæ humanum captum excedit. Estque hoc peculiare huic quæstioni, ut non modo facilis sit lapsus, & veritas obscura, sed etiam ut id ipsum quod verum est, non sine periculo proferatur, semperque venia præfanda sit. Potest enim vera sententia duro sermone & vocibus parum accommodis exprimi, quæ aliorsum flexæ, & in sequiorem sensum detortæ, malevolis calumniæ ansam, rudibus hallucinationis occasionem præbent. Tutissimum est paucis agere, & premere Scripturæ vestigio, & in mensura cognitionis verbo Dei patefactæ acquiescere, ne videamur aut ineffabilia loqui, aut inconcessa præsumere.*

Describuntur ut personæ, Pater.

IV. Primo itaque tres hi, quorum Scriptura meminit, Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus describuntur nobis in Scriptura ut individua subsistentia, vitâ, intelligentiâ, voluntate, & potentiâ prædita, operaque ejusmodi individuis consentanea exercentia. Unde communiter à Theologis tres personæ nominari solent: voce quidem ex Scripturis non depromptâ, sed quæ longo seculorum usu in Ecclesia invaluit. De Patre hoc probare non est necesse, consentientibus de eo omnibus Theologis.

Filius.

V. De Filio res æquè clara est. Tribuitur ipsi subsistentia, *Joan.* I. I. ubi dicitur sermo in initio fuisse, & fuisse apud Deum. Vita, *Joan.* VI. 57. *Ego vivo propter Patrem.* Intelligentia, *Joan.* I. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis.* Voluntas: *Matth.* XI. 27. *Nemo novit Patrem, nisi cui voluerit Filius revelare. Joan.* V. 21. *Ita & Filius quos vult vivificat.* Potentia, *Phil.* III. 21. *Dominus Jesus conformabit corpus nostrum humile, ut fiat conforme corpori ipsius glorioso, secundum potentiam qua potest sibi omnia subjicere.* Opera, *Joan.* V. 17. *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor.*

Spiritus Sanctus.

VI. De Spiritu Sancto similia docet Scriptura. Subsistentiam illi attribuit I *Joan.* V. 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Et in nomine ipsius non minus quam Patris ac Filii credentes baptizari jubentur *Matth.* XXVIII. 18. Vitam, *Rom.* VIII. 2. *Lex spiritus vitæ qui in Christo Jesu est.* Intelligentiam, I *Corinth.* II. 10. II. *Spiritus scrutatur profunditates Dei. Esa.* XI. 2. *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ.* Voluntatem: I *Corinth.* XII. II. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus distribuens singulis prout vult.* Potentiam: *Eph.* III. 16. *Ut det vobis pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum suum in interiore homine. Esa.* XI. 2. vocatur *Spiritus fortitudinis.* Tum & operationes convenientes personæ illi adscribuntur: Creatio, *Psal.* XXXIII. 6. *Verbo Domini cæli formati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Conservatio, *Psal.* CIV. passim; regeneratio, *Tit.* III. 5. Sanctificatio, justificatio, I *Corinth.* VI. II. aliaque plura, quæ Spiritui Sancto passim in Scriptura attribuuntur, nullique, nisi personæ subsistenti, conveniunt.

Divinæ perfectiones attribuuntur Filio.

VII. Secundò. Tribus hisce tribuuntur divinæ perfectiones. Unde concludimus Deitatem tribus hisce esse communem. Et ut de Filio primò dicamus: nomen Dei expressè illi attribuitur, *Joan.* I. I. *Et sermo ille erat Deus. Rom.* IX. 5. *Qui est Deus benedictus in secula.* Neque attributivè tantum, sed & subjectivè, *Hebr.* I. 8, 9. *Ad Filium dicit: Thronus tuus, ô Deus, in seculum seculi,* &c. *Dilexisti justitiam, odio habuisti iniquitatem: propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ supra consortes tuos.* Deinde, ipsa Filii appellatio generationis divinæ, ac proinde & communionis ejusdem cum Patre naturæ divinæ, indicium est.

Filii Dei appellantur etiam homines variorum respectu.

VIII. Diffiteri quidem non possumus, *Filii Dei* appellationem generaliorem esse in Scriptura Sacra attribuique hominibus, tum respectu creationis; per quam à Deo, ut prima originis suæ causa, esse suum acceperunt: Sic Adam *Luc.* III. 36. *filius Dei* vocatur: & nos omnes *Dei genus*, *Actor.* XVII. 29. & Angeli *filii Dei*, *Job.* I. 6. Tum respectu excellentiæ alicujus, quâ potissimum Deum referunt: Sic Magistratus & Principes *filii Altissimi* dicuntur *Ps.* LXXXII. 6. Vel etiam beneficii insignis: *Ose.* XI. I. Israël vocatur *filius Dei.* Ac tandem per gratiosam adoptionem, *Joan.* I. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus. Eph.* I. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Adde *Gal.* III. 26. & IV. 5.

IX. Attamen Jesus Christus excellentiori ac singulari ratione Filius Dei est: Unde dicitur *Unigenitus Dei Filius*, *Joan.* III. 16. & *proprius Dei Filius*, *Rom.* VIII. 32. & Deus Pater passim singulari ratione vocatur Pater Jesu Christi. Unde evidentissimè concluditur, singulari aliqua ac Domino nostro Jesu Christo peculiari ratione, ipsum esse Dei Filium, respectu generationis divinæ, ob quam verus ac naturalis Dei Filius vocari potest.

X. Quæri hîc posset: An ergo sola *Filii Dei* appellatio evidens atque irrefragabile argumentum sit, ad probandum, quod Filius ejusdem cum Patre naturæ divinæ verè sit consors? Resp. Si appellatio hæc solita-

solitaria inspiciatur, neque ex aliis Scripturæ Sacræ locis, quibus Filii Deitas comprobatur, illustretur, sola ad hoc evincendum sufficiens esse non videtur: quoniam certum est, Domino nostro Jesu Christo respectu humanæ suæ naturæ, ob gratiosam divinæ Majestatis communicationem, *Filii Dei* appellationem sæpius in Scripturis esse attributam: & quidem quadruplici potissimum respectu. 1. Quatenus ex Spiritu Dei Sancto est conceptus: *Luc.* 1. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, Filius Dei vocabitur.* 2 Ratione muneris sui Mediatorii, ipsi à Patre demandati, ut esset promissus ille Rex Israëlis: qui *Filii Dei* titulo communiter inter Judæos insigniri solebat; ratione procul dubio habita ad *Psal.* 11. 7 *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quem Judæi de Messia interpretati fuit: indeque profluxit, quod *Messiæ* sive *Christi*, atque *Filii Dei*, nomina promiscuè ab iis usurpata sint: ut inter alia ex *Luc.* XXII. 66. *coll. cum. vers.* 70. liquet. Hinc & ipse Dominus Judæis inquit, *Joan.* X. 35, 36. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum?* 3. Respectu resuscitationis suæ ex mortuis in vitam immortalem, per quam à Deo Patre de novo quasi è gremio terræ genitus est: *Actor.* XIII. 32, 33. *Et nos vobis euangelizamus eam promissionem quæ Patribus facta est, Deum eam explevisse filiis eorum, nobis suscitato Jesu; ut etiam in Psalmo secundo scriptum est; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Rom.* 1. 4. dicitur *definitus*, ὁρισθεὶς, seu constitutus *potenter Filius Dei, per resuscitationem ex mortuis.* 4 Quoniam ex mortuis suscitatus, & in cœlum ad dextram Dei Patris exaltatus constitutus est hæres omnium bonorum cœlestium, *Hebr.* 1. 4. *Tantò præstantior Angelis factus* (postquam nimirum *sedit ad dextram majestatis in excelsis*, ut est *vers.* 3.) *quantò excellentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c.

Etiam respectu generationis suæ ante secula.

XI. Attamen aliis Scripturæ Sacræ locis ea de Jesu Christo Filio Dei enuntiantur, ex quibus liquet ipsum per veram, attamen arcanam & ineffabilem generationem, Filium Dei exstitisse, non tantum antequam homo ex Maria virgine nasceretur, sed & ante omnia secula, & per eam naturæ divinæ verè consortem fuisse. Loca hunc in finem plura a Theologis congeri solent: nos pluribus, quorum vis speciosâ explicatione eludi potest, omissis, præcipua quædam seligemus, quæ & validissimè quod intendimus evincunt, & ad quæ non nisi per exceptiones contortas admodum atque coactas responderi solet, quæque eam solum ob rationem nobis suspectæ esse debent.

Ea probatur ex Joan. 1. 1. *& seqq.*

XII. Primus ergo locus esto *Joan.* 1. 1. *& seqq. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & verbum erat Deus*, &c. Per *principium* hic omnium rerum principium intelligi, quo sermo jam exstiterit, evincunt hæ rationes. 1. Quia phrasis hæc respondet phrasi Mosis *Genes.* 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*: ubi omnium rerum principium intelligi nemo est, qui in dubium vocet. 2 Quia sic facillimè intelligitur, quomodo sermo esset apud Deum: ante enim omnes res creatas non poterat esse, nisi apud Deum. 3 Quia additur, *omnia per ipsum facta sunt*, &c. Atqui per ipsum omnia fieri non potuerunt, nisi ipse exsisteret.

Explicatio Socini.

XIII. Socinus, & qui cum eo sentiunt, urgent hic respici principium Euangelii; & sic verba hæc optimè respondere verbis Mosis: quia sicut Moses, creationis historiam traditurus, per *principium*, omnium rerum principium intellexit: ita & Johannes, novæ creationis historiam conscripturus, per *principium*, illius principium designavit: dicitque tum sermonem fuisse apud Deum: quia jam in initio, antequam Joannes Baptista prædicare inciperet, Deo erat notus ac carus, & ab ipso ad prædicandum Euangelium destinatus: Vel, apud Deum erat in cœlis, ut ab ipso mandata acciperet, ut immediatus voluntatis divinæ interpres foret ac Euangelii minister. Quod verò additur, *omnia per ipsum facta sunt*, &c. explicant, quod omnia, quæ ad annuntiandum vel confirmandum Euangelium facta fuerunt, per ipsum facta sint: adeoque nihil eorum, quæ facta sunt, etiam quæ Apostoli fecerunt, sine ipso factum sit. Ut ita ostendat, Jesum, licet post Joannem Euangelium prædicare inciperet, tamen Joanne præstantiorem esse, & jam Dei sermonem fuisse, & à Deo ad id munus destinatum, cum Joannes prædicare inciperet.

Est dura.

XIV. Sed quis non videt, duram hanc esse admodum explicationem, neque cuiquam in mentem venturam fuisse, nisi illi, qui jam antea apud se statuit, fieri non posse, ut sermo Dei exstiterit, ante suam ex Maria Virgine nativitatem? Sanè sermo Deo notus erat, non tantum cum Joannes prædicandi initium faceret; sed & jam ante secula à Deo præscitus, 1 *Pet.* 1. 20. & recens natus jam innotuerat variis; uti ex historia nativitatis ipsius, prout apud Matthæum & Lucam legitur, constat. Ita ut, licet de Christo homine loqui Joannes dicatur, dura admodum ejus locutio futura sit. Quod vero alii dicunt: Sermonem apud Deum fuisse in cœlis: absque probatione dici-

dicitur. Loca, ex quibus id probare contendunt, obscura admodum sunt, & per occasionem tantum, cum de aliis rebus sermo esset, prolata: uti in sequentibus plenius videbimus. Porrò, generalis illa locutio, *omnia per eum facta sunt*, &c. restringitur ad quædam tantum per triennium in Judæa gesta: & vox ἐγένετο, ad miraculorum patrationem. Quæ omnia coacta sunt.

Et variis laborat difficultatibus. XV. Sed & variis laborat difficultatibus hæc explicatio. 1. Verisimile namque non est, Joannem Euangelium tam in initio vindicare voluisse à suspicione novitatis, & quidem tantillæ, quod Christus jam esset sermo Dei, cum Joannes prædicaret. Neque credibile est, saltem ex nulla historia comprobatur, quod aliqui Joannem ideo præferrent Christo, quia Joannes prior prædicationem suam inchoasset. Sanè exigua illa fuisset prærogativa, nec memorari digna: ideoque nec verisimile est, Joannem illam tanto apparatu amoliri voluisse. Ipse namque Joannes Baptista apertè hoc dicebat, se ut Messiæ præcursorem tantum venisse, qui ipsi viam pararet. 2. Oratio redditur identica. In principio, cum Joannes prædicabat Jesum jam adesse, & regnum cœlorum appropinquasse, jam erat Jesus. Quis enim id in dubium vocare possit, Jesum jam adesse, cum Joannes eum adesse prædicaret? 3. Per istam interpretationem, verba illa, *& sermo ille erat Deus*, sc. in principio, constare non possunt: nulla enim in principio divinitatis signa ostendebat; sed demum postquam prædicationem suam inchoavit: ante illam erat ignotus, & credebatur fabri filius. 4. Verba illa, *omnia per ipsum facta sunt*, ita divellenda sunt à præcedentibus, ut non contineant ea, quæ in principio, sed quæ postea per triennium in Judæa facta sunt: Et rursus ab his sequentia: *Et sine eo factum est nihil eorum quæ facta sunt*, & restringenda ad ea, quæ Apostoli, Christo jam in cœlis recepto, virtute illius fecerunt. Quæ omnia dura admodum sunt, atque coacta.

Ex Joan. VIII. 58. XVI. Alter locus est *Joan.* VIII. 58. ubi Dominus Judæis inquit: *Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham esset* (seu fieret) *ego sum*. Ubi notandum, vocem *sum* tantumdem valere, atque eram: quasi diceret: priusquam Abraham esset, jam ego eram. Utitur autem tempore præsenti, quia loquitur de exstentia permanente. Si verò dixisset *eram*, videri potuisset loqui de existentia non perpetua & permanente; alii enim eum credebant Eliam, alii Jeremiam, alii Joannem Baptistam. Usitatum autem est, ut præsens *sum* vim etiam præteriti habeat, quando usurpatur de re, quæ etiamnum existit. Ita de Deo usurpatur *Psal.* XC. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis: à seculo & usque in seculum tu es Deus.* Etiam de Jesu Christo homine: *Joan.* XIV. 9. *Tantum temporis vobiscum sum.* Et *cap.* XV. 27. *Sed & vos testabimini, quia à principio mecum estis.* Quin & eandem ob causam Dominus εἰμί de se usurpat in futuro; *Joan.* VII. 34. *Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire.* Et *cap.* XII. 26. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.*

Explicatio Socini. XVII. Excipit ad hunc locum Socinus, vocem γενέσθαι aoristi esse temporis: aoristorum autem eam esse naturam, ut significationem suam mutuentur à verbis quibus junguntur; ita ut si cum præterito tempore jungantur, præteritum; si cum præsente, præsens quod in futurum respiciat, significent. Quia itaque hic verbum γενέσθαι junctum est cum verbis λέγω, & εἰμί præsentis temporis; hinc etiam juxta regulas Grammaticæ concludi, vocem γενέσθαι habere significationem præsentis temporis, quod in futurum respiciat: vertendam itaque esse non per *esset*, aut *fieret*, sed *fiat*. Sensum itaque horum verborum esse: *Priusquam Abraham fiat*, id est, priusquam eveniat, quod voce Abraham denotatur, hoc est, Abraham fiat pater multarum gentium, *ego sum*, sc. lux mundi.

Illius refutatio. XVIII. Sed quis non videt, explicationem hanc admodum esse contortam ac violentam? quæ proinde eo solum nomine meritò suspecta esse possit. Sed & multis laborat difficultatibus. 1. Enim, totum illud, quod de aoristis dicitur, non agnoscitur à Grammaticis; & in contrarium proferuntur exempla. 2. Abraham semper in Scriptura designat hominem illum, cui nomen hoc impositum est, non vero rem aut eventum nomine illo significatum. 3. Impropriè admodum quis fieri dicitur, cum illud, quod nominis ipsius etymon significat, fit: nulla enim, cum id fieret, in persona Abrahami facta est mutatio. 4. Ut sensus ille haberi possit, legendum foret, priusquam Abram fiat Abraham: alias, si legatur, priusquam Abraham fiat, aut subjectum, aut prædicatum, deërit in hac enuntiatione: quod absurdum. Si enim Abraham sit prædicatum, nullum erit subjectum. Si Abraham sit subjectum, aut nullum erit prædicatum, atque ita nulla erit enuntiatio: aut si aliquod sit prædicatum, id erit γενέσθαι. Atqui quando subjectum est nomen personæ proprium, prædicatum vero γένεσις, nihil nisi personæ illius generatio vel existentia significari potest. 5. Supplenda tum erunt verba, per, ego sum lux, aut Salvator mundi, aut similia. At quæ ratio, quæ necessitas istam suppletionem suadet, cum verba plenum contineant sensum? 6. Tandem dicendum foret, Dominum Jesum nihil ad quæstio-

quæstionem Judæorum respondisse. Judæi enim quærebant: *Quinquaginta annos nondum es natus, & Abraham vidisti?* Ad hanc quæstionem, juxta hanc explicationem, Dominus respondisset; priusquam Abram fiat multarum gentium pater, hoc est, antequam gentes ad regni cœlorum participationem vocentur, ego sum lux mundi. Quæ sanè fuisset responsio nihil cum Judæorum quæstione commune habens. Legitur quidem alias Dominus quæstiones curiosas rejecisse; sed nunquam ita ambiguè, & planè præter quæstionem respondit, licet personæ quam maximè indignæ forent.

Alia explicatio refutatur. XIX. Alii hoc accipiunt de decreto divino, quod Dominus jam in decreto divino fuerit, hoc est, decreto divino destinatus in Servatorem mundi, antequam Abraham esset. Sed hoc dilutum admodum est: Sic enim omnia quæ in decreto Dei sunt, fuisse dici possunt antequam Abraham fieret: sic & ipsi Judæi, se in decreto divino Dei populum fuisse dicere potuissent, atque ita dictum hoc Christi suâ responsione eludere.

Ex Coloss. 1. 15. XX. Hisce adjungimus *Coloss.* 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnis creaturæ. Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: Omnia, inquam, in eum & per eum sunt condita: Estque ipse ante omnia, & omnia in eo consistunt. Hebr.* 1. 10, 11. *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Apoc.* III. 14. *Hæc dicit, Amen ille, testis ille fidelis ac verax, principium creaturæ Dei.* Hæc omnia de nova reformatione seu creatione accipere, durum admodum est. Certum quidem est, reformationem mundi in Christo & per Christum factam esse, per quam Angeli in gratiam cum hominibus sunt reducti, & omnes populi in unam eandemque Deum colendi vitamque æternam consequendi rationem restituti: quæ etiam ad consummationem usque mundi duratura est. Sed eam hisce locis indicari, nemo urgere potest, nisi à proprietate verborum longissimè recedat; & sensum in verbis hisce quærat admodum intricatum, qui non nisi magno molimine erui potest: qui proinde meritò suspectus esse debet: cum credibile non sit, Apostolos, ad Ecclesias, in quibus plurimi erant homines in rebus sublimibus inexercitati, communiter epistolas suas dirigentes, & de Domini Jesu gloria loquentes, phrasibus adeo ambiguis voluisse uti; iisque luculentissimam præbere occasionem cogitationes Deo Patri injurias de Christo concipiendi, prout auctores illi hasce cogitationes credunt.

XXI. Quod verò speciatim attinet locum *Hebr.* 1. 10, 11. ipsa verba adeo manifestè de prima creatione agunt, ut nullo modo possint vocari in dubium. *Ex Hebr. 1. 10. 11.* Sed dicunt; Verba priora, quæ leguntur *vers.* 10. non esse accipienda de Domino Jesu, sed tantum respicere Deum Patrem; idque liquere ex *Psal.* CII. 26. unde desumta sunt. Resp. Verum esse, in Psalmo propriè respici Deum Patrem; sed & non minus verum, ea, quæ in Psalmo de Deo Patre dicta sunt, ab Apostolo per accommodationem applicari Filio, ideoque & creationem Filio adscribendam. Nullo modo autem probari potest, hæc verba ita esse divellenda, ut pars solummodò posterior Filiò applicetur, prior autem nihil ad Filium pertineat. Dices. Id & alias contingere, quod pars solummodo verborum propheticorum Domino Jesu applicetur; ut in nobili illo loco 2 *Sam.* VII. 12. & *seqq.* Resp. Pars, quæ Domino Jesu non applicatur, nunquam ab Apostolis citata est: hæc autem pars, quam Domino Jesu applicari nolunt, perinde atque posterior, citatur illique immediatè conjungitur. Dices. Patri tamen passim tribuitur creatio, Filio redemtio. Resp. 1. Subordinata non pugnant: Pater mundum creavit per Filium: sic & Patri tribuitur redemtio & regeneratio nostri, 1 *Pet.* 1. 3. *Tit.* III. 4, 5. & alibi, (quæ tamen propriè Filii est opus) quia Pater primus regenerationis & redemtionis nostræ auctor. 2. In illa denominatione respicitur ad œconomiam Dei voluntariam, quâ mundum in duo quasi tempora dispescere voluit: unum, quo ipse omnia immediatè per Angelos suos regeret; alterum, quo regimen tradidit Filio suo, in plenitudine temporis ex Maria virgine homini nato, subjectis ipsi Angelis & potestatibus, ut per ipsum omnia administraret, hominesque ad salutem perduceret.

XXII. Sed præter hæc Filii Deitas comprobatur divinis attributis, quæ in Scriptura ipsi adscribuntur, quæque in nudo homine esse posse concipi nequit. *Attributa divina Filio adscribuntur.* Omnipræsentia, *Joan.* XIV. 23. *Pater & ego ad illum veniemus, & mansionem apud illum faciemus. Matth.* XXVIII. 20. *Ego sum vobiscum ad consummationem usque seculi.* Et *cap.* XVIII. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Æternitatem ei competere, jam probavimus. Immutabilitas; *Hebr.* 1. 11. *Tu autem Domine permanes:* & *vers.* 12. *Tu idem es, & anni tui non deficient.* Omniscientia; *Joan.* XXI. 17. *Tu Domine nosti omnia. Joan.* II. 25. *Non opus erat ei ut quisquam testaretur de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine. Apoc.* II. 23. *Scient omnes Ecclesiæ, me esse scrutatorem re-*

num & cordium. Omnipotentia: *Philipp.* III. 21. *Pro efficacitate, quâ potest sibi subjicere omnia.* Majestas denique & gloria divina; *Joan.* V. 23. *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Apoc.* V. 13. *Sessori in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Quæ omnia divinam Filii naturam comprobant.

Nomen Dei non quidem tribuitur Spiritui Sancto.

XXIII. De Spiritu Sancto similiter loca manifesta sunt. Nomen quidem Dei nusquam exsertè Spiritui Sancto tribuitur. Solet per consequentiam colligi, ex *Act.* V. 4. ubi Petrus, qui *vers.* 3. Ananiæ dixerat, *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* inquit, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Attamen, nostro judicio, non satis firmam: quoniam illo in loco per Spiritum Sanctum dona Spiritus Sancti quibus Apostoli instructi erant, & nomine Dei loquebantur, intelligi videntur: mentientes itaque Apostolis per Spiritum Dei Sanctum loquentibus, rectè Spiritui Sancto mentiri dicuntur; perinde atque qui Apostolos spernunt, Dominum spernere, & qui illum misit spernere dicuntur. *Luc.* X. 16. Non itaque Deus, sed Spiritus Dei ordinariè vocatur.

Sed attributa divina.

XXIV. Licet autem Dei nomen expressè Spiritui Sancto non adscribatur, attributa tamen divina Spiritui Sancto perinde atque Filio, passim tribuuntur. Omnipræsentia, *Psalm.* CXXXIX. 7. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* &c. 1 *Cor.* III. 16. *An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?* Vide & *cap.* VI. 19. Æternitas: Quia Spiritus est, *qui in Deo est*, 1 *Cor.* II. 10. qui *à Deo emanat*, *Joan.* XV. 26. sine quo ut Deus unquam fuerit impossibile est. Omniscientia; 1 *Cor.* II. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei;* id est, scrutantium instar penitissimè perspectas habet: hinc additur *vers.* 11. *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei.* Omnipotentia: quia est *digitus Dei*, *Luc.* XI. 20. & *virtus Altissimi*, *Luc.* I. 35. qui *distribuit singulis dona sua prout vult*, 1 *Cor.* XII. 11. Majestas denique & gloria divina; quia in nomen ejus, perinde atque Patris ac Filii, baptizari jubemur, *Matth.* XXVIII. 19. & quia blasphemia, quæ in Spiritum Sanctum committitur, nec in hoc nec in futuro seculo remittenda dicitur, *Matth.* XII. 32. opposité ad blasphemiam in Patrem & Filium commissam, cujus remissionem obtinendi non omnis spes prorsus præciditur.

Subordinatur Filius Patri.

XXV. Ex hisce colligimus, essentiam divinam & Filio & Spiritui Sancto esse communem. Sed & ex hisce non minus constat, inter tres hasce personas subordinationem esse quandam; quatenus Pater naturam divinam à se habet, Filius & Spiritus Sanctus à Patre: qui proinde divinitatis in Filio & Spiritu Sancto fons est & principium. Communis Christianorum consensus ordinis ratione prærogativam hanc agnoscit; Patri semper tribuens primum locum, secundum Filio, tertium Spiritui Sancto. Sed & est quædam supereminentia Patris respectu Filii, & Patris ac Filii respectu Spiritus Sancti, ratione dignitatis & potestatis. Dignius siquidem est generare quàm generari, spirare quàm spirari. Mittens etiam in missum potestatem habet, non autem missus in mittentem. Deus autem Pater dicitur passim misisse Filium; & Filius omnia, quæ facit, ad Patrem auctorem refert, cum dicit, *se vivere propter Patrem*, *Joan.* VI. 57. *Patrem dedisse Filio vitam habere in se ipso*, *Joan.* V. 19. *Patrem demonstrare Filio opera quæ ipse facit*, *Joan.* V. 20. *non posse Filium à semet ipso operari, nisi viderit Patrem operantem*, *vers.* 19. *non posse à semet ipso facere quicquam*, *vers.* 30. Et similia. Quin & Scriptura Patrem nunc *Deum* absolutè vocat: in omnibus nimirum locis, ubi Deus Filium suum in mundum misisse dicitur, *Joan.* III. 16. *Rom.* VIII. 31. 32. *Gal.* IV. 4, 5. 1 *Joan.* IV. 9, 10. & passim alibi. Nunc *Deum Jesu Christi*: *Joan.* XX. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Hebr.* I. 9. *Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Quin & ipse Filius Patrem se majorem esse, apertè dicit, *Joan.* XIV. 28.

Et Spiritus Sanctus Patri ac Filio.

XXVI. Quod Spiritum Sanctum attinet: ille similiter *à Patre* dicitur *exire*, *Joan.* XV. 26. *ex Deo esse*, 1 *Cor.* II. 12. & passim *à Patre mitti, dari, & effundi*: unde & ordinariè *Spiritus Dei* vocatur: tum, *à semetipso non loqui, sed quæcumque audierit*, *Joan.* XVI. 13. Eumque etiam Filio esse subordinatum, liquet, quia eum Filius mittit à Patre, *Joan.* XV. 26. Hinc Dominus ait *Joan.* XVI. 14. *ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis:* &c. Unde & *Filii Spiritus* dicitur, *Gal.* IV. 6. & *Christi Spiritus*, *Rom.* VIII. 9. *Phil.* I. 19. 1 *Pet.* I. 11. Hæc sicut Scriptura docet, ita unanimi totius primævæ & Apostolorum temporibus proximæ antiquitatis consensu comprobantur. Quod allatis ex Patribus testimoniis prolixè probare præter instituti nostri scopum foret. Sufficiat hic nobis ingenua Dionysii Petavii, Doctoris inter Jesuitas celeberrimi ac doctissimi, confessio, *Dogmat. Theolog. tom.* II. *de Trinitate, lib.* I. *cap.* V. §. VII. *Tum vero ii* (videl. Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus, & Lactantius) *quàm reliqui, quos commemoravi* (sc. Justinus Martyr, Irenæus. Clemens Alexandrinus, Origenes) *ævo, dignitate ac potentiâ superiorem esse verbo Patrem arbitrati sunt.* Quod multis ex eorum scriptis allatis testimoniis probat. Addit, eos hic non substi-

substitisse, sed ulterius processisse: *Ac tametsi de Patris esse substantia, sive natura, Filium assererent, quâ unâ re ab cæteris, quæ creaturæ propriè vocantur, illius conditionem diversam faciebant: non minus tamen quàm creaturas, initium habuisse, hoc est, minime ex æterno distinctam hypostasin fuisse putarunt.*

Quæstiones curiosæ vitandæ.

XXVII. Quod si quis quærat, quid sit generatio ac spiratio divina, & quo modo à se invicem differant, quo actu Deus generaverit Filium, & emiserit Spiritum Sanctum, aliaque, quæ curiosè in Scholis solent ventilari, & audacter decidi? Respondemus, nos id ignorare; & quia id Deus nuspiam in verbo suo declaravit, nos id nec inquirere posse, nec velle; sed in simplici hac fide, in Scriptura nobis tradita, acquiescere.

Loquendum hic vocibus & phrasibus Scripturæ.

XXVIII. Si quis reprehendat, non comparere in nostra hac tractatione voces ac phrases, quibus communiter dogma hoc à Theologis tradi solet: Respondeo, Nos Scripturæ simplicitatem secutos, & à vocibus ac phrasibus illis consulto abstinuisse, quia non tantum ab hominibus sunt inventæ, & quidem in fervore contentionum, & primis Patribus fuere ignotæ; sed & ambiguæ sunt, & vulgari significatione, aut philosophica prorsus ratione non sunt accipiendæ, cùm Deo rebusque divinis accommodantur. Imo sæpe fuere materia graviorum contentionum. Quod de voce ὁμοούσιος ingenue agnoscit Withakerus, resp. ad rationem octavam Edm. Campiani. *Hoc nomine* (sc. homoousii) *constat multos eosque præstantissimos Viros olim esse vehementer offensos, ut quidem auditum fuisse nunquam exoptarint. Ita enim nomine isto semel introducto ecclesiæ mutuis odiis ac contentionibus conflixerunt, ut ipsos sanctos Patres ejus nominis non mediocriter pœnituerit. Nec si quis forte nomen sublatum voluit, quod multis dissidiis occasionem præbuit, is statim rem ipsam illo nomine declaratam improbare existimandus est. Tres hypostases Hieronymus adduci non potuit ut susciperet, quia novum illud,* Hypostasis, *nomen suspectum habuit* (epist. ad Damasen.) *Veritus enim est nequid sub eo nomine veneni lateret: Personas tamen tres agnovit ac prædicavit. Utrumque nunc vocabulum receptum est, nec eo quisquam offendi debet.* Ideoque tutius credimus talibus terminis aut nunquam, aut saltem quàm parcissimè uti; sed phrasiologiam Scripturæ, aut Spiritus Dei in Scriptura loquentis, si alibi, hîc præcipuè religiose servandam; ne, dum ab ea recedimus, phrasibus crudioribus aut minus dignis mysterium adeo augustum enuntiemus. Placet hîc nobis præclarum Zanchii judicium, qui in oratione post epistolas, post compositum utcumque dissidium inter ipsum & Amerbachium, ita inquit. *Prima regula servandæ inter nos consensionis est, ut quisque se contineat intra metas verbi Dei, nec se alterius discipulum profiteatur quàm Christi, nullamque aliam doctrinam sibi sequendam proponat, quàm verbum Dei in Sacris Literis expressum, hoc est, ut non aliter loquatur quàm verbum Dei, nec alia tradat dogmata, quàm quæ apertè traduntur in Sacris Literis; sed loquamur omnes & verba & res Sacrarum Literarum.* Et tandem post multa egregia ita concludit. *Vitemus igitur dissidia omnia, fratres: quod ut possimus assequi, contineamus nos intra metas Sacrarum Literarum, ut idem quod Apostoli docuerunt sentiamus, & idem etiam quod Apostoli loquamur, & consensus nobis sit cum Apostolis non solum in doctrina, sed etiam in sermone & forma dicendi.* Quibus adde quæ habet Conradus Graserus in Cap. IX. Danielis, Exercit. 11. pag. 159. ubi postquam dixit se existimare *Ecclesiam Israeliticam melioribus suis temporibus mysterium hoc rectius intellexisse: sanius æstimasse & sanctius tractasse, quàm Ecclesiam Gentium ullo tempore;* hæc subjungit: *Quòd autem Trinitatis, personæ,* ὑποστάσεως, *vocabulis non sunt usi, ideo factum est, quod primum alia commodiora vocabula ipsis affatim suppetebant, ut ad mysterium illud exprimendum hujusmodi crudis terminis nil opus haberent. Deinde, si his vocabulis caruerunt, caruerunt etiam illis indecoris certaminibus, quæ in Ecclesia Catholica illa excluserunt, dum Orthodoxi se per ea contra hæreticorum insidias tueri conantur: ut illorum inventio non perfectionem Ecclesiæ illius, sed potius donorum ejus defectionem arguat. Vetus autem Israël tam temerarius & curiosus nunquam fuit, ut de Dei essentia in publico disputassent, & sic profundissimum illud omnis cognitionis mysterium humanæ curiositatis censuræ subjecissent: &c. Quæ sancta & castissima consuetudo, si in Ecclesia Catholica olim observata fuisset, aut adhuc observaretur, Theologiam hodie multo simpliciorem haberemus, ambitiosæque contentionis, & scandalosissimorum certaminum minus esset.*

XXIX. Usus doctrinæ hujus sunt. I. Ut agnoscamus summum Dei erga nos amorem, quem passim deprædicat Scriptura, quòd Filium suum, imo unigenitum ac proprium, pro nobis in mortem dederit. Amor quippe ille in immensum augetur, si Filius Dei in mortem sit traditus, non tantum qui ex Maria Virgine natus homo est ut moreretur; sed &, qui ante secula ab ipso est genitus, & in unitatem personæ cum homine ex Maria genito, conjunctus. II. Ut passionis Domini nostri Jesu Christi dignitatem ac merita debitè agnoscamus. Licet enim Dominus propriè in natura humana passus sit; tamen ad dignitatem & excellentiam ejus in immensum augendam facit, quod illi Filius Dei, ante secula genitus, *Usus.*

nitus, intime unitus sit: ita enim, quicquid homo Christus Jesus fecit ac passus est, Filius Dei in humana sua natura jure passus dici potest. Quod maximam passionibus Domini dignitatem & excellentiam conciliat.

CAPUT XVIII.

De Decretis divinis.

Opera Dei sunt vel interna, vel externa.

I. HActenus de Deo & essentia divina egimus: Nunc ad operum divinorum considerationem accedemus. Solent opera divina communiter distingui in interna & externa. Interna vocantur decreta, eaque externa Dei opera præcedunt: cum Deus nihil faciat, nisi ex consilio voluntatis suæ.

Decretum Dei quibus vocibus Scriptura exprimat.

II. Decretum Dei aliquando exprimitur voce βυλῆς sive *consilii*, *Esa.* XLVI. 10. *Luc.* VII. 30. *Eph.* I. 11. aliquando voce προθέσεως, seu *propositi*, *Rom.* VIII. 28. 2. *Tim.* I. 9. aliquando voce προορίζειν, sive *præfiniendi*, *seu prædestinandi*, *Rom.* VIII. 29. 30. aliquando voce προγνώσεως, seu προγινώσκειν, hoc est, *præcognoscendi*, *Act.* II. 23. *Rom.* VIII. 29. I *Pet.* I. 20. aliquando voce εὐδοκίας, seu *beneplaciti*, *Matth.* XI. 26. *Eph.* I. 5. 9.

Definitio decreti Dei.

III. Est autem *decretum divinum* firmum ac immutabile in mente Dei propositum de eo, quod libera voluntate facturus, præcepturus, vel permissurus est.

Non est ipse Deus.

IV. Hic quæritur, an decreta Dei sint ipse Deus? Quæstio celebris admodum, cujus affirmativam communiter tuentur Scholastici: sed nullâ solidâ ratione nixi: imo ea validissimis aliquot rationibus impugnari potest. 1. Decreta sunt libera effecta voluntatis divinæ; quod ex voce *consilii* liquet. Igitur decretum non est attributum divinum, sed actio libera quæ sese alio modo habere potuit. 2. Decreta Dei sunt multiplicia, non tantum diversa, sed & contraria; non quod unum decretum alteri sit contrarium, atque adeo ad illius eversionem tendat, sed sunt de effectis contrariis: ut decretum de creando mundo & alterum de eo destruendo. 3. Postquam executioni mandata sunt, non amplius sunt decreta: Deus autem idem semper est.

Occurritur exceptioni.

V. Ad hæc omnia argumenta eludenda hac solent distinctione uti: In decreto divino distinctè esse consideranda actum volendi, tendentiam in objectum, & ipsum objectum seu rem decretam. Decretum consideratum ut actum volendi esse ipsum Deum, esse unicum ac necessarium: sed si tendentiam ad objectum respiciamus, esse nostro considerandi modo liberum ac multiplex. Sed vero 1. quando inquirimus, utrum decretum Dei sit liberum, illud solummodò de volendi actu intelligimus; nisi enim ille liber sit, ipsum decretum est necessarium. Tendentia ad objectum est externus tantum respectus extra ipsam decreti essentiam, ejusque naturam nihil immutans. Hinc libertas non residet in terminatione in objectum, sed in ipsius Dei decernentis libera determinatione: imo tendentia in objectum positâ determinatione divinâ est necessaria: determinatione enim divinâ factâ fieri nequit, quin decretum in objectum suum terminetur. Quin & ipsi illi, qui hac responsione utuntur, satis ostendunt, se omnem decretorum divinorum libertatem tollere; cum illa, prout actus volendi sunt, necessaria volunt; & prout in illis consideratur tendentia in objectum, non esse libera, nisi nostro tantum considerandi modo. Quod reverà omnem divinorum decretorum libertatem, ac per consequens omnem religionem evertit: uti mox videbimus.

Respondetur ad objectionem, quod forent accidentia in Deo.

VI. Sed in contrarium objicitur: Si decreta Dei non sint ipse Deus, sunt accidentia, ac per consequens erunt accidentia in Deo. Resp. Esse alia accidentia, quæ ad rei perfectionem requiruntur, quibus accedentibus res illa operationes suas exercere potest. Talia in Deo statuere absurdum est. Alia rem esse perfectam demonstrant. Tales sunt actiones, quæ à rebus profluunt: illæ enim causas suas non perficiunt; sed ex illis, tanquam signis indubitatis, causarum perfectio cognoscitur. Talia in Deo esse quid vetat? Tantum abest ut ea perfectioni divinæ ullo modo obsint, ut potius illi demonstrandæ inserviant. Dices: Deus ergo non est simplicissimus. Resp. Actiones cum subjecto in quo sunt, & à quo tanquam causa emanant, nullam compositionem faciunt. Non enim essentia divina ex seipsa & actione suâ composita esse dici potest, quasi actionis suæ accessu novam, quâ antea caruit, perfectionem acquirat: Nihil minus, cum actio, uti diximus, non perfectionem conferat, sed à perfectione tanquam suâ causa procedat, illiusque indicium sit. Sed actio conjungitur cum essentia divina, facitque, non ut Deus ex se & actione sua sit compositus; sed ut de Deo sensus compositus enuntiari, seu, ut actio divina, in Deo immanens, de Deo enuntiari possit, absque ulla reali in Deo compositione.

Et quod in Deo facta esset mutatio.

VII. Atqui, dicet quis, si decretum Dei non est ipse Deus, facta est in Deo mutatio, ut qui ex non volente factus sit volens. Resp. Illa non est essentialis mutatio, quâ essentia divina vel generationi, vel corruptioni est obnoxia; neque accidentalis, quâ essentia divina novam, quâ antea destituta erat, perfectionem acquirit; sed ejusmodi tantum, quâ voluntas sese liberè in actum volendi exserit, absque ulla essentiæ immutatione. Atqui quæ hic est mutatio? Si dicas, ex non volente Deum factum esse volen-

volentem: dicam, hanc, quam quis hîc concipit mutationem, perfectionis potius quàm imperfectionis indicium esse. Deus enim, qui in se facultatem habet quicquid vult decernendi, eam in actum producit, & libertate sibi naturali decernit quicquid vult.

Quo sensu actio sit Dei attributum.

VIII. Dices. Deum esse ens necessarium, seu necessariò existens; actionem autem esse necessarii entis attributum. Resp. Actio, seu in actione esse, eatenus est necessarii ac perfectissimi entis attributum, quatenus absque omni operatione, & cum nuda tantum operandi facultate existere non potest. Quoniam ergo essentia Dei nil nisi vita est, omnisque vita, præsertim autem rationalis, in actione & perceptione, seu cogitatione consistit; nec Deum sine omni cogitatione existentem concipere possumus, nisi eum vitâ destitutum, ac proinde non Deum, concipiamus. Inde autem minimè sequitur, si cogitatio sit attributum essentiæ divinæ, quòd decretum, seu ipsum actuale velle; & quidem hoc aut illud velle, sit de essentia divina. Essentia quippe cogitans facultatem habet varios cogitandi modos ex se eliciendi: & licet Deus nunquam se determinaret ad quid decernendum, non eo minus beatus foret, aut essentia viva ac cogitans. Sola quippe sui ipsius contemplatione perfectissimè est beatus; eaque illi est naturalis, ac necessaria. Quod autem quippiam decernat extra se operari, mere est arbitrarium, & ab essentia ejus potuit abesse: est enim modus tantum specialis cogitandi, qui est arbitrarius, & ab essentia ejus abesse potest: & actio libera, quæ ab agente, tanquam effectum à sua causa, accuratè distingui debet.

Actio non significat necessario hanc aut illam modificationem actionis.

IX. Dices: Agere significat modificationem actionis; seu, agere consistit in hoc vel illud agere, adeo ut agere, & hoc vel illud agere, inter se non differant. Resp. Nullam quidem posse esse actionem, absque omni modificatione actionis; quia omnis actio singularis actio est, ac proinde certâ ratione modificata: potest tamen esse absque hac vel illa singulari modificatione: quoniam licet hoc vel illo singulari modo non sit modificata; quoniam tamen singularis actio est, certo modo ut modificata sit necesse est. Inde quidem sequitur, Deum esse non posse, quin aliquo saltem modo cogitet: Minime verò, quoniam Deus sine omni actione seu cogitatione existere nequit, quod perinde ad existentiam ejus pertineat hoc aut illo modo operari. Libertas quippe in Deo est summa, per quam suarum actionum dominus est, easque pro arbitrio dirigere potest, prout vult. Cùm enim, uti vidimus, varii admodum sint cogitandi modi, arbitrarium est Deo quocunque vult modo cogitationem suam dirigendi: adeo ut licet necessario cogitet, liberrime tamen cogitet hoc aut illo modo, & licet omnis cogitatio à Deo abesse nequeat, hîc tamen aut ille specialis cogitandi modus à Deo abesse potuerit, sine ulla perfectionis divinæ læsione aut imminutione. Quoniam enim Scriptura decretum Dei vocat beneplacitum divinum, manifestum est, Deum decrevisse quod sibi placuit. Qui autem non potest non decernere, nec aliter quàm decrevit, sed necessitate naturæ decernit, quomodo illi beneplacitum tribui potest? Si enim quæcunque actionis modificatio sit attributum divinum, utique ad existentiam divinam pertinebit quævis, quæ ipsi inest, actione seu volitione modificatum esse, adeo ut, si quis asserat ejusmodi actionis modificationem potuisse in Deo non esse, eo ipso affirmare censendus sit, potuisse Deum non esse, quia ens absque suo attributo esse nequit. Quod & illius sententiæ patroni haud gravatè concedunt, quin & affirmant & urgent. Verùm is absurditatis apex est, & perfectioni divinæ è diametro repugnans. Perfectio siquidem est, non ad certum aliquem operationis modum determinatum esse; sed posse pro arbitrio operari quod libet. Cum itaque omnis in Deo sit perfectio, nec hæc ejus essentiæ deneganda est.

Facultas operandi cum ipsa operatione optime consistit.

X. Pergunt: Si in Deo sit facultas operandi vel non operandi, nunquam actionem producere, hoc est, nunquam agere posset. Resp. Ridiculam esse illationem, & quæ contradictionem involvit. Si enim est facultas operandi, ergo agere potest: Et si agere non potest, non est facultas operandi. Quæ enim est operandi facultas, quæ nunquam potest agere? Dices. Si operandi vel non operandi facultas sit attributum, necessariò in æternum debet manere operandi vel non operandi facultas, nec unquam actionem potest producere. Resp. Per actionem operandi facultas non destruitur; si enim destrueretur, actio non posset esse: non enim potest actio procedere à causa operandi facultate destituta: sed actio evidens signum est, adesse operandi facultatem. Estque id insolens, & rationi rectæ adversum, quod actio à facultate producta facultatem tollat. Imo tantum abest, ut per actionem facultas tollatur, ut ex nullo alio indicio facultas deprehendi & dignosci queat, nisi ex actione: & dum actio est, necesse est facultatem debere esse, à qua actio tanquam effectum à sua causa dependeat: alias effectum esset absque causa. Quod contradictorium est. Sic in nobis deprehendimus facultatem ratiocinandi, licet actu non ratiocinemur. Quis autem exinde inferet, si sit facultas ratiocinandi, ergo nunquam homo actu ratiocinari potest: Aut si actu ratiocinetur, facultas ratiocinandi

nandi est sublata? Contrarium colligimus, quia ratiocinamur, ideo & ratiocinandi facultatem nobis inesse; tantumque abesse, ut per ratiocinationem facultas ratiocinandi destructa sit; ut è contra ea per ratiocinationem se exserat & ostendat. Et dum ratiocinamur, similem in nobis deprehendimus facultatem ratiocinationem sistendi, & alio modo cogitationem nostram modificandi: vel etiam ab una ratiocinationis specie in aliam transeundi. Libertatem autem, cujus nobis, tanquam eximiæ perfectionis, conscii sumus, quâ ratione Deo denegabimus? Sed verò, ut pressiùs respondeamus, ex antedictis liquet, nos in Deo non considerare nudam facultatem omni actione destitutam; verùm continuam vitam & cogitationem; non tamen ad certam modificationem cogitationis adstrictam; sed cum facultate liberâ hoc aut illo modo actionem suam seu cogitationem modificandi. Sicut ergo essentiæ divinæ attributum est cogitatio, ita etiam facultas cogitationem liberè & pro arbitrio modificandi. Et (uti jam vidimus) ineptum est dicere, si hic aut iste cogitationis modus non sit attributum, sed si sit in Deo facultas cogitationem modificandi; quod ista facultas in æternum deberet perseverare, ut nunquam ista cogitandi modificatio existat. Ratio est: quia facultas operandi negatur, quando dicitur non posse producere actionem. Dices. Tum operari & non operari simul consisterent, hoc est, actio cum sua negatione. Verùm illa consequentia negatur. Sola existit actio seu operatio; & facultas, quæ actionem modificat, non est otiosa, sed actu operans: facultas autem actu operans ipsa actio seu operatio est: Ubi ergo hic actionis negatio est?

XI. Concludimus ergo: Decreta Dei non esse ipsam essentiam divinam, sed liberas volitiones: quæ, quoniam potuerunt non esse, & à Deo liberè eliciuntur, etiam ab essentia divina reverà sunt distinctæ.

Varia circa decreta consideranda.

XII. Ut autem distinctiùs de decretis divinis dicamus, de variis ipsorum divisionibus, ordine, ac attributis, speciatim dicturi sumus. Solent decreta Dei diversimodè distribui; nos eas tantum divisiones considerabimus, quas in Capite de Voluntate Dei omisimus, & in hunc locum rejecimus.

Divisiones decretorum: 1. Ratione objectorum.

XIII. Ac primò quidem dividuntur decreta Dei ratione objectorum in quæ tendunt. Alia namque sunt decreta Dei de iis quæ ipse Deus facturus est; qualia sunt, de creatione mundi, missione Jesu Christi in mundum, resuscitatione fidelium ex mortuis, &c. Alia de iis, quæ Deus præcepturus aut prohibiturus est: quorum illa gratiæ suæ auxiliis est promoturus, hæc verò sapientissimè ac justissimè permissurus. Promotio autem Dei, quæ fit gratiæ ipsius auxilio, boni operis necessitatem non inducit; sed operandi potentiam largitur, quin & ipsius operationis principium est, salvâ tamen libertate humanâ: Multò minus permissio divina peccandi necessitatem infert; sed concessionem solummodo, sive non ablationem potentiæ liberæ, necessariò, ut creatura peccare possit, requisitæ.

Quo sensu decretum Dei rerum causa sit.

XIV. Ex qua explicatione liquet, quo sensu decretum Dei rerum causa sit: eodem nim: modo quo Deus ad rerum productionem concurrit, etiam decretum divinum earum causa est. Dices. Decretum divinum est idea de rebus; & ab essentia divina non nisi ratione distinguitur: illæ non extrinsecus Deo adveniunt, neque à rebus desumuntur, sed res potius ipsæ ad eas efformantur & exprimuntur, atque summi illius exemplaris imago atque idea sunt. Omnia enim prius sunt in mente divina quàm in semet ipsis. Resp. Omnia ita sunt in mente divina, prout in tempore eveniunt. Ad quorum productionem itaque Deus non modo non concurrere vult, sed quæ prohibet ac detestatur, ea ut existerent Deus neutiquam decrevit. Omnia itaque respectu essentiæ suæ efformantur ad divini decreti ideam, non autem pariter respectu existentiæ; hoc est, Deus decrevit, quæ cujusque rei, quando existit, futura sit essentia; non autem, de omnibus ut existerent decretum fecit: sed de iis solummodo, quæ ipse facturus est. Ita Deus decrevit creationem hominis, legislationem, gratiæ ad legis observationem sufficientis concessionem: hæc itaque omnia juxta decreti divini ideam existunt. Decrevit porro Deus, ut legis observatio rationem habeat virtutis, & transgressio, peccati, ut peccatum mereatur pœnam mortis, virtus autem coronetur vitæ æternæ præmio: itaque quando illa existunt, eandem rationem & inter se respectum habent, quam Deus illis in decreto suo attribuit: hoc est, observatio legis, quando beneficio gratiæ divinæ existit, habet rationem virtutis; transgressio autem legis, quando voluntariâ hominis inobedientia fit, rationem habet peccati: mors habet rationem pœnæ peccati, vita vero æterna rationem præmii virtutis. Exinde autem minimè sequitur, Deum decrevisse, ut peccatum existat, & ut homo, qui peccatum, ad quod decreto divino destinatus est, committit, propter illud morte æternâ puniatur. Ita enim Deus per decretum suum peccati causa foret. Decrevit solummodò, homini legem ferre, gratiam ad eam observandam sufficientem largiri, liberam etiam eam transgrediendi facultatem conservare, atque ita peccatum, siquidem homo gratia divina ac libertate suâ abuti velit, permittere, seu omnipotentiâ suâ non impedire.

Itaque

Itaque quando peccatum existit, tale est, qualis illius in mente divina est idea.

2. Alia sunt generalia. XV. Secundò: Decreta Dei alia sunt generalia, alia singularia. Decretum Dei generale est, quo leges quasdam generales, de regimine mundi, salute & damnatione hominum, omnes in universum, aut multos saltem, concernentes, constituit: quale est; Quicunque credit salvabitur, qui non credit condemnabitur.

Alia singularia. XVI. Singulare est, quo Deus aliquid de hoc aut illo speciatim constituit; quale est de Aarone in Sacerdotem, Davide in regem eligendo: &c. Singularia decreta ut plurimum sunt applicatio generalis decreti, illi facta, qui conditionem generali decreto annexam implevit. Sic singulare decretum est, Petrus credens salvabitur: Judas incredulus condemnabitur. Hæc non sunt nisi applicatio generalis decreti, illique virtute includuntur. Quia enim Deus decrevit credentes salvare, incredulos condemnare; illius generalis decreti vi sequitur, Petrum in tempore credentem salvandum: Judam verò incredulum condemnandum. Illa autem decreti generalis applicatio facta dici potest jam ante in mente divina ex prævisa fide vel infidelitate hominis. Quia enim prævidet Deus, quis in tempore fidelis, quis incredulus sit futurus, etiam juxta præscientiam illam applicatio in mente divina facta rectè dici potest: Vel in tempore fieri, quando homo fidelis vel infidelis est; ac proinde se vel condemnationis reum constituit, vel conditionem præstat, quam Deus vitæ æternæ præmio gratiosè remunerari decrevit. Utro horum modorum hæc applicatio fieri dicatur, certum est, singularia decreta generali esse inclusa: eoque respectu Dominus dicit *Matth.* xxv. 34. se dicturum piis in ultimo judicio, *regnum ipsis esse præparatum ante constitutionem mundi.*

Dari decreta universalia. XVII. Dices. Nulla esse decreta Dei, nisi singularia; illa autem per mentis abstractionem inter se collata vocari universalia. Resp. 1. Nos hic non loqui de universalibus Logicis aut Metaphysicis, quando mens per abstractionem seu præcisionem à singularibus factam format conceptum universalem: qualis est conceptus decreti in genere: sed de generalibus, quæ, licet in se se unum tantum sint decretum singulare, tamen unum singulare ac determinatum objectum non habent; sed generalem quandam in se legem continent, plures spectantem, quæ proinde in singulari objecto non terminantur, nisi per applicationem in singulari factam illi, qui legem præscriptam vel præstitit vel neglexit. 2. Ejusmodi generalia decreta nisi statuamus, nec ullas Deus hominibus leges præscribere dici potest. Si enim jam singularia de omnium salute ac damnatione, simulque fide ac infidelitate, tanquam mediis ad salutem vel damnationem perveniendi, fecerit decreta; quas leges hominibus præscribere diei potest? Nulla est legislatio, ubi jam ante legislationem omnia fixa ac determinata sunt. 3. Nec Deus judicium exercere poterit, ut pios remuneret, & impios puniat; sed tantum apparere, ut decreta sua executioni mandet. Quod est omnem judicii rationem evertere. 4. Licet singularia de quibusdam rebus nonnunquam occurrant decreta divina; in negotio tamen salutis æternæ nullius singularis decreti, quod quidem generalis decreti applicatio non sit, mentio occurrit, nisi de Jesu Christo in mundi Servatorem mittendo: de quo speciatim dicitur, quod *præcognitus sit ante jacta mundi fundamenta*, 1 *Pet.* 1:20. Quod reliquos attinet, de iis leguntur non nisi decreta generalia, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur; Marc.* xvi. 16. Similia vide *Joan.* iii. 16. vi. 39, 40. *Act.* ii: 21. *Gal.* vi. 7, 8. & alibi.

3. Alia sunt absoluta, alia conditionata. XVIII. Tertiò: Decreta Dei alia sunt absoluta, alia conditionata. Absoluta sunt, quorum executio à nullius conditionis stipulatæ impletione suspenditur. Tale est decretum de creatione mundi, missione Christi in mundi Servatorem, concessione gratiæ ad vocationi divinæ parendum requisitæ, ultimo judicio, similibusque. Conditionata sunt, quibus apposita est aliqua conditio, à cujus impletione ipsorum executio suspenditur. Istiusmodi exemplorum plena est Scriptura. Vide inter alia *Exod.* xix. 5. *Si obedieritis voci meæ, & custodiveritis pactum meum, eritis mihi peculium præ omnibus populis.* 2 *Chron.* xv. 2. *Dominus est vobiscum quando eritis cum eo; & si quæsieritis eum invenietur à vobis; si verò dereliqueritis eum, & derelinquet vos. Esa.* 1. 19, 20. *Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quod si nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Vide & *Jerem.* xviii. 7, 8, 9, 10. *Ezech.* xviii. 21. *& seqq.* In Novo Testamento, *Joan.* xv. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque præcipio vobis.* Rom. viii. 13. *Si secundum carnem ambulaveritis, moriemini; si verò spiritu facta corporis mortificaveritis, vivetis.* Et *cap.* x. 9: *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus ipsum suscitaverit ex mortuis, salvus eris.* Sic & 2 *Tim.* ii. 11., 12. *Hebr.* x. 38. *Apoc.* ii. 5. aliisque plurimis locis.

Promissa & minæ decretorum Dei revelatio sunt. XIX. Ad hæc omnia loca excipiunt decretorum absolutorum patroni, hæc non esse decreta, sed tantum promissa ac minas, quibus tantum ostendatur, quis inter fidem & salutem, inter infidelitatem & damnationem sit nexus. Resp. 1. Sive dicantur esse

promissiones & minæ, sive decreta, perinde est: promissiones quippe & minæ decretorum divinorum revelatio sunt, quibus Deus declarat, sub quibus conditionibus tam salutem quàm damnationem hominibus destinarit: si itaque promissiones & minæ sunt conditionatæ, etiam ipsa decreta esse conditionata necesse est. Nec enim aliunde decretorum divinorum natura, nisi ex ipsorum revelatione, cognosci potest. 2. Promissiones & minæ conditionatæ cum absoluto decreto consistere non possunt: offerret enim Deus sub conditione fidei salutem illis, quos absoluto decreto ab ea reprobavit; mortem verò ac damnationem sub conditione infidelitatis minaretur illis, quos jam absoluto decreto ad salutem elegit: quod cum sinceritate ac veritate divina neutiquam conciliari potest, omnemque promissionum Dei conditionalium certitudinem evertit.

Reprobi per fidem salutem consequi non possunt. XX. Dices. Possunt reprobi per fidem salutem consequi, quia inter illam & fidem est indissolubilis nexus. Resp. Hoc secundum ipsorum opinionem est falsissimum: qui enim nullo modo credere possunt, illi nec per fidem salutem æternam consequi possunt. Dices. Si crederent, salutem æternam consequerentur. Resp. Fateor: itaque si credere possent, etiam salutem æternam consequi possent: nunc verò quia credere non possunt, nec salutem æternam consequi possunt. Sanè quoniam fieri nequit, ut Deus decretum suum rescindat; etiam fieri non potest, ut quem Deus à salute, ac proinde à mediis ad salutem necessariis, rejecit, per fidem salutem consequatur. Imo à talibus fidem ut conditionem ad salutem exigens, conditionem exigit impossibilem: atqui promissio, annexam habens conditionem impossibilem, æquipollet absolutè neganti: veluti si quis alicui promitteret mille aureos, si Lunam digito contingeret, absolutè eos negare censendus est.

Qua ratione Deus possit dici suspensus & exspectans. XXI. Dices. Per decreta conditionalia Deus describitur suspensus, & exspectans quid homo facturus sit, antequam irrevocabile de eo decretum statuat: quod absurdum. Resp. Deum, cum hominibus legem fert promisso præmii & comminatione pœnæ sancitam, se suspensum constituere, & exspectantem utrum homo legi pariturus sit, nec ne, antequam ipsi præmium vel pœnam decernat: id enim liberæ obedientiæ, præmii ac pœnæ, ratio postulat. Quin & ipse Deus se hoc modo hominum obedientiam exspectantem describit, *Esa.* v. 2. *Exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* 1 *Pet.* III. 20. *Quando exspectabat Dei patientia in diebus Noæ. Apoc.* III. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Quod licet de exspectatione propriè dicta, quæ incerta est de eventu, intelligendum non sit: aliquid tamen exspectationi analogum in Deo arguit, quod explicari nequit, nisi Deus irrevocabile de homine, cujus obedientiam exspectat, decretum suspendere dicatur.

Ordo decretorum. XXII. Quod ordinem decretorum divinorum attinet, ille aliunde quàm ex ipsorum executione desumi non potest: talia quippe sunt decreta Dei, qualis est eorundem executio. Hic autem est ordo rationis prioris & posterioris in decretis divinis consideratus; non quòd actu præcisè talis sit, sed nostro considerandi modo; ita tamen, ut in eorundem executione fundamentum habeat. Ordo autem hic desumendus est, non ex naturali rerum connexione, sed ex ordine causalitatis, quam res inter se habent; ita quidem, ut quando in tempore una res habet rationem causæ, altera rationem effecti, prius illud à Deo decretum censeri debeat, quod rationem causæ, posterius quod rationem effecti habet.

Unico simplicissimo voluntatis actu Deus omnia non decrevit. XXIII. Quod adversus eos notandum, qui docent, Deum unico simplicissimo voluntatis actu omnia simul decrevisse, & in decretis divinis nihil posse dici prius, nec posterius. Ita enim nullus esset ordo, sed mera confusio in decretis. Licet enim non statuamus, Deum ita per successionem omnia decrevisse, prout in tempore exsequitur; tamen ordo ratione causalitatis in decretis divinis nostro intelligendi modo considerandus est, nisi meram in decretis divinis confusionem introducere velimus. Et quicquid illi obloquantur, necesse est, ut ordinem illum agnoscant, cùm decreta divina enumerantes adeò sollicitè ordinem, à se conceptum, observent, nec unquam ab eo recedant; dicentes, Deum uno & eodem momento naturæ decernere, & creare aliquos, & peccare permittere, & in peccato finaliter perseverare, & propter peccatum damnare, ad hoc, ut conspicuam faciat gloriam suam per modum justitiæ vindicantis; ex altera parte, Deum decernere, & creare alios, & peccare permittere, & Christum pro iis crucifigendum in mundum mittere, & ex peccato erigere vocando efficaciter ad fidem & resipiscentiam; denique juxta fidem & resipiscentiam vitâ æterna coronare, ut conspicuam faciat gloriam suam per modum misericordiæ parcentis cum justitia temperatæ.

Quomodo Deus prius intenderit finem, dein media ad finem. XXIV. Dices. Ex hac nostra doctrina sequi, Deum primò intendisse finem, qui habet rationem causæ; deinde media, quæ, respectu habito ad finem, habent rationem effecti. Resp. Verum esse, Deum, qui finem absolutè intendit, etiam finem prius decrevisse, quàm media fini isti subordinata. Dices. Ex eo sequitur, decretum Dei, quo salutem hominum vult, prius esse prævisione fidei & obedientiæ; & quia decretum illud prius esse non potest, nisi in ratione

tione causæ, idcirco fidei seu obedientiæ dationem, ejusque prævisionem, esse effectum decreti efficacis, quo salutem eis destinavit. Resp. Finem dupliciter posse considerari: vel per modum finis absolutè intenti; vel per modum præmii. Finis per modum finis consideratus in decreto divino præcedit mediorum electionem, estque causa quod media fini isti obtinendo idonea eligantur. Finis consideratus per modum præmii, in volitione seu decreto Dei efficace non præcedit media, quæ tanquam conditio ad præmium obtinendum prærequiruntur. Est quippe decretum Dei, quo finem tanquam præmium intendit, efficax Dei volitio, quo efficaciter vult conferre præmium illi, qui præstat id, quod ad præmium obtinendum præscriptum est. Hic finis tam in decreto, quàm in executione, sequitur media; quia est decretum sub conditione; conditio autem præcedit præmium, non tantum in executione, sed & in decreto. Ut hoc applicemus negotio salutis æternæ; dicendum: Si Deus salutem æternam decrevit per modum finis absolutè à se intenti; sequitur eum etiam decrevisse fidem ac perseverantiam, tanquam media, quæ in salvandis infallibiliter est operaturus, ut ad finem destinatum perducantur: Et hoc sensu Deus primò decrevisse salutem, deinde fidem ac perseverantiam, dicendus foret. Si verò Deus decrevit salutem conferre per modum præmii, fidelibus ac perseverantibus propter fidem conferendi, decretum Dei de præmio conferendo efficax non est ante prævisionem fidei ac obedientiæ, quæ conditio est ad præmium obtinendum requisita. Non enim potest Deus decernere præmium conferre, nisi respectu habito ad conditionis prærequisitæ præstationem: semper enim conditio præmium antecedit. Qua autem ratione Deus salutem intenderit hominibus conferre, an per modum finis, an verò per modum præmii, optimè executio nos docere potest, quæ ut decreto respondeat necesse est. Videmus autem per modum præmii fidelibus salutem conferri; mandat quippe Deus fidem ac obedientiam, salutemque ut præmium fidei promittit, & in judicio ultimo fideles eâdem tanquam præmio, coronâ, mercede fidei ac justitiæ est remuneraturus: Ergò & tanquam præmium, non autem tanquam finem absolutè à se intentum, salutem iis conferre decrevit. Destruunt enim illa se mutuo, salutem absolutè alicui decernere, & tamen non conferre, nisi per rationem præmii, in fidei tanquam conditionis requisitæ remunerationem: decerneret quippe Deus salutem absolutè; & non conferret nisi sub conditione. Atqui sic executio diversa foret à decreto: quod absurdum. Quin imo hac ratione Deus fine suo excidere posset: utpote qui ad consecutionem finis absolutè à se intenti adhiberet media (ut illi loquuntur) incerta, & à mutabili hominis voluntate dependentia: quod absurdum.

XXV. Dices. A nobis tamen statui voluntatem Dei generalem, quâ omnes homines salvos fieri vult, quæ omnem fidei & obedientiæ prævisionem præcedit, & ex qua mediorum, ad salutis conditionem præstandum requisitorum, datio procedit. Resp. Ita est: Sed illa non est absoluta & efficax voluntas, seu electio omnium hominum ad salutem, sed incompleta tantum, & efficax quidem ad conferendum media ad fidem, ut salus obtineri possit, requisita; ad salutem tamen conferendum incompleta & inefficax; quæ proinde merus tantum benevolentiæ divinæ affectus est, qui effectu suo carere potest, etiam post adhibita omnia media, quæ ad fidem excitandum, atque ita salutem tanquam præmium consequendum, necessaria ac sufficientia sunt, propter voluntariam hominis inobedientiam: & absoluta solum ac efficax est circa eos, qui conditionem requisitam, mediorum illorum auxilio, præstant, atque ita salute, tanquam præmio, à Deo coronantur. *Qualis sit voluntas Dei de dandis mediis ad salutem requisitis.*

XXVI. Ex hoc ordine, qui in decretis divinis est inter finem & media, facile etiam est colligere ordinem circa reliqua objecta. Ac primo circa media ad se invicem & in ordine ad finem considerata: illud siquidem medium, quod ratione causalitatis fini propinquius est, prius est decretum eo, quod ratione causalitatis longius à fine est remotum. Secundò: circa subjectum, & id quod subjecto accidit. Prius siquidem Deus decernit subjectum, quàm formam aut adjunctum aliquod, quod subjecto accedit. Ita prius decernit Deus hominem creare, quàm illi salutem conferre, aut eum in æternum exitium præcipitare. Tertiò: circa diversa ejusdem subjecti adjuncta: prius siquidem Deus vult adjunctum, quod ad alterum relatum habet rationem causæ; posterius, quod habet rationem effecti. Ita prius decernit Deus gratiam vocationis, quàm justificationis, & justificationis, quàm glorificationis: quia justificationem & glorificationem non decernit per modum finis absolutè à se intenti; sed per modum præmii, gratiâ vocationis rectè utentibus gratiosè conferendi. *Ordo circa reliqua objecta.*

XXVII. Hæc de ordine decretorum divinorum: restat ut de eorundem attributis quædam attexamus. Solent decretorum divinorum attributa varia enumerari. Primum quidem à quibusdam statuitur æternitas. Verùm de hoc attributo rectè quæstio instituitur, utrum decreta Dei sint absolutè æterna. Nos quod attinet; nihil credimus absolutè esse æternum præter solum Deum: cùm autem probaverimus, decreta Dei non *Attributa decretorum Dei. Decreta Dei non sunt absolute æterna.*

esse ipsum Deum, eo ipso nec absolutè æterna esse, evictum est. 2. Decreta sunt libera voluntatis divinæ effecta: atqui ea ut non tantum naturâ, sed & tempore causâ suâ posteriora sint, necesse est: quia ad eorum productionem requiritur libera voluntatis determinatio. Dices. Causa libera præcedit quidem effectum suum ordine naturæ, sed non necessariò temporis, ut patet in Angelis. Resp. Capi nequit, causam liberam effectum liberum non præcedere ordine temporis: liberam enim voluntatis determinationem necesse est præcedat potentia non determinandi. Si verò causa effectum suum tempore non præcedat, sed effectum simul cum causa sua existat, erit causa emanativa: quæ non est libera, sed summè necessaria. Exemplum Angelorum nihil probat; quia præsupponit quod in quæstione est. 3. Quicquid absolutè æternum est, etiam est absolutè necessarium; si autem decretum Dei sit absolutè necessarium, etiam Deus, qui omnia agit ex consilio voluntatis suæ, agens erit necessarium. At sic omnis religio tollitur. Ab agente enim necessario frustra quis pietatis remunerationem speret, aut impietatis pœnam metuat, utpote quod, sive colatur, sive contemnatur, aliter quàm agit agere nequit.

Occurritur objectioni. XXVIII. At in contrarium objicitur: Si decreta Dei non sint æterna, Deus præcessit sua decreta, aut tempore finito, aut infinito: si finito, tum non est infinitus: si infinito, Deus nihil potuerit statuere, nisi post infinitum tempus. Resp. 1. Ineptam ex ipsorum sententia esse hanc objectionem, quoniam ipsi in æternitate nullum esse tempus urgent. 2. Fatemur, Deum, quatenus est ens intelligens & voluntate præditum, non posse esse sine ullo decernendi actu infinito tempore: exinde autem non sequitur, omnia, quæ Deus decrevit circa creaturas suas, ita ab omni æternitate esse decreta: quoniam enim decreta Dei sunt liberi actus voluntatis, necesse est ut & essentiâ divinâ, quæ se per actum istum liberè explicat, posteriora sint. Nostrum verò non est definire, quanto tempore Deus decreta sua antecessent: cùm id rationem æternitatis, nobis incomprehensibilis, concernat. Rectè de hac quæstione disserit Franciscus Gomarus *disp.* IX. *de æterno Dei decreto*, qui exinde quod decretum Dei non sit ipse Deus, clarissimum æternitatis Dei
„ & decreti discrimen deducit. *Nam*, inquit,
„ *ut Dei existentia, sic æternitas ejusdem abso-*
„ *lutè necessaria est. Contra verò, ut decreti*
„ *existentia à causa, liberrimè agente, depen-*
„ *det; sic ejusdem æternitas mere arbitraria est,*
„ *ut quæ sic est, ut non esse potuerit. Ideoque de-*
„ *cretum non* συνωνύμως, *seu eâdem prorsus ra-*
„ *tione quâ Deus, sed* ἀναλόγως *æternum appel-*
„ *latur.*

XXIX. Præterea aliquot nobis opponunt Scripturæ Sacræ loca, in quibus mentio fit decretorum Dei ante secula & mundi constitutionem. *Act.* XV. 18. *Nota Deo sunt ab ævo omnia opera sua.* 1 *Cor.* II. 7. Sapientiam Euangelii *præfinit Deus ante secula ad gloriam nostram. Eph.* I. 4. *Elegit nos in Christo, ante jactum mundi fundamentum.* 2 *Tim.* I. 9. *Servavit nos ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora seculorum.* Resp. Quod ad primum locum, ille manifestè agit de vocatione gentium, quam Apostolus Jacobus ex *Amos.* IX. 11, 12. probat Deum jam ante secula aliquot decrevisse: αἰῶν enim non denotat omnem absolutè æternitatem: sed secula aliquot; nim: quæ ab Amoso ad actualem gentium vocationem effluxerunt. Et huic explicationi favet lectio Complutensis: λέγει Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα, (sc. de quibus locutus erat) ἃ ἐστι γνωστὰ ἀπ᾽ αἰῶνος αὐτῷ. Quodcunque autem speciatim applicatur uni alicui, eique eximio Dei operi, id non perinde statim de omnibus dici potest. 2. Quod omnia loca simul attinet; dicimus, non quicquid horum seculorum creationem præcessit absolutè esse æternum: ea quippe est, multorum Theologorum, etiam Patrum, sententia, Angelos, quos nemo creaturas, ac proinde existendi initium habere negat, diu ante mundum hunc visibilem creatos. Quæ sive vera sive falsa sit sententia, liquet, omnes ante mundi hujus visibilis creationem concipere entia, quorum duratio non sit absolutè æterna.

Responditur ad loca quædam Scripturæ.

XXX. Hoc ergò seposito attributo, primum, ex sententia nostra, decretorum Dei attributum est Sapientia. *Rom.* XI. 33, 34. *O altitudo divitiarum tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & viæ ejus impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini, & quis ei fuit consiliarius?* Eaque cognoscitur ex sapientissimo inter decreta divina ordine, quo omnia optimè inter se cohærent, qui in executione manifestissimè elucet. Quicquid ergo sapientiæ repugnat, Deo tribuendum non est: quale est, quod plurimos homines absolutè a salute & mediis ad salutem reprobaverit, & tamen decreverit ipsos vocare ad fidem & salutem, quod ipsos hortetur, oret, obtestetur, eorum resipiscentiam exspectet, & similia. Hæc enim adversa fronte pugnant.

Primum attributum est Sapientia.

XXXI. Alterum attributum est Libertas. Hinc decretum Dei vocatur εὐδοκία, beneplacitum, *Matth.* XI. 26. *Eph.* I. 5, 9. utpote à solo Dei beneplacito dependens: nulla quippe decretorum divinorum extra Deum causa assignari potest. Intellige hoc de decretis Dei generalibus. Quod enim Deus aliquibus salutem velit largiri, & quidem sub

Secundum, Libertas.

sub conditione fidei, non operum, merè arbitrii divini est. Particularium verò, quæ generalium applicatio sunt, alia est ratio. Posito enim generali de fidelibus salvandis decreto, specialis illius decreti applicationis ratio in homine datur, qui cùm fidei conditionem præstat, eo ipso sese exhibet subjectum idoneum, cui decretum illud in specie applicetur. Qualis autem ac quanta hæc sit libertas, in capite de Voluntate Dei dictum est.

Tertium, Amplitudo. XXXII. Tertium est Amplitudo, quatenus nihil accidit in mundo, de quo Deus non decreverit. Quo sensu autem hoc accipiendum sit, jam explicatum est, cum ostendimus, quâ ratione decretum Dei rerum causa sit.

Quartum, Immutabilitas. XXXIII. Quartum est Immutabilitas. *Esa.* XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Et *cap.* LV. 10, 11. *Cum descendit pluvia aut nix de cœlo, rursus illuc non revertitur, sed inebriat terram ipsam, facitque ut pariat ipsa & producat, ut edat semen satori & panem comedenti: Sic erit verbum meum quod egressum fuerit ex ore meo, non revertetur ad me vacuum; sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Et *Malach.* III. 6. *Ego Dominus, & non mutor.* Hæc proprietas potissimum competit decretis Dei generalibus, quæ nunquam mutari aut rescindi possunt. Particularia verò, quæ ut plurimum applicatio tantum sunt generalium, toties mutantur, quoties mutantur homines, quibus decreti generalis applicatio fit, absque ulla mutabilitatis in Deo nota: cùm tota mutabilitas à parte hominis sit, cujus conditione mutata, etiam decreti divini applicationem mutari necesse est. Imo in eo maximè immutabilitas Dei apparet, quia si pro mutatione hominis decreti sui applicationem non mutaret, verè esset mutabilis, decretumque suum generale rescinderet. Illud autem solummodo intelligendum, quamdiu conditionis decreto generali inclusæ præstatio adhuc exspectatur. Aliàs, si conditio jam ad finem usque sit impleta, non minus est peremtorium & immutabile, quàm generale. Quod etiam de singularibus quibusdam decretis de certis quibusdam eventibus, nulli generali decreto inclusis, dictum volumus: quale est decretum missionis Christi in mundum.

CAPUT XIX.

De Creatione in genere.

Opera Dei duo. I. DEcreta Dei excipiunt ejus opera, quæ decretis suis convenienter operatur. Ea duo sunt, Creatio, & Providentia; quæ alterum divini cultus fundamentum sunt, ex quibus constat, Deum jus habere qualem vult à nobis cultum exigendi.

Est vel prima, vel secunda. II. Historia creationis nobis describitur *Genes.* I. neque aliunde peti potest. Eam nos distinguimus in primam & secundam. Prima nobis est Cœli supremi ejusque incolarum Angelorum, nec non materiæ illius rudis ac indigestæ, ex qua postea mundus hic visibilis formatus est, productio ex nihilo. Hancque creationem describi credimus proœmio illo, *in principio creavit Deus cœlum & terram:* intelligendo per *cœlum*, non cœlum illud visibile, in quo astra micant, quod ex informi illa materia productum esse liquet; sed supremum seu tertium cœlum, nobis nunc inconspicuum, in quo Deus habitat, *Psal.* II. 4. CXV. 3. quodque *thronus* seu *solium Dei*, *Esai.* LXVI. I. *domus Dei*, *Joan.* XIV. 2. & *paradisus*, 2 *Cor.* XII. 4. vocatur. Et per *terram*, molem illam inanem ac informem, quæ mundi hujus visibilis materia fuit. Quanquam fatemur hæc verba ita accipi posse, ut compendium sint eorum, quæ postea toto capite narrantur.

Primam secundam longo tempore antecessisse credibile est. III. Creationem autem hanc longo tempore secundam antecessisse credimus: quod colligimus ex verbis *in principio*, quæ denotare videntur principium, quo Deus aliquid extra se producere cœpit, quando incepit esse quod factum est, & ante quod factum erat nihil. Sic *Hebr.* I. 10. ex *Psal.* CII. 26. *Tu in principio Domine terram fundasti.* &c. Tum ex illis, *terra autem erat inanis ac vacua:* quod non diei unius atque alterius, sed longi temporis spatium denotare videtur: præcipuè cum additur, *& spiritus Dei incumbebat aquis:* eas nim: agitans, ne terra putresceret; quod ob exiguum temporis decursum necessarium non videtur.

Creatio in Scriptura non significat productionem ex nihilo. IV. Ex dictis facile solvi potest quæstio: Utrum creatio facta sit ex nihilo? Distinguendo nimirum inter creationem primam & secundam, dicimus, creationem secundam ex præjacente materia factam, ut in sequentibus liquebit: primam vero ex nihilo. Solet communiter vox *creandi* apud Theologos notare productionem ex nihilo. Illa tamen significatio ex vi vocis non petitur: notat enim in Scriptura vox ברא productionem ex præjacente materia; ut vel ex ipso primo capite Geneseos aliquoties liquet: vel etiam operum mirabilium patrationem, *Exod.* XXXIV. 10 *Num.* XVI. 30. *Esa.* XLV. 7. vel tandem, novarum solummodo qualitatum productionem; ut cùm Deus *cor mundum*, *Psal.* LI. 12. & *novos cœlos & novam terram*, *Esa.* LXV. 17. *creare* dicitur. Attamen quando rei productionem notat, majus quid denotare videtur quam simplex producere, nim: productionem ex materia ad tale effectum recipiendum naturaliter inhabili.

V. Scri-

Nec tam ex nihilo factam expresse dicit Scriptura.

V. Scriptura etiam nuſpiam disertè dicit, creationem ex nihilo factam. Solent quidem hunc in finem tria potiſſimum loca proferri: *Rom.* IV. 17. *Deus vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* 2 *Cor.* IV. 7. *Deus dixit de tenebris lucem ſplendeſcere.* Et *Hebr.* XI. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus*, μὴ ἐκ φαινομένων, *viſibilia fierent.* Sed ex nullo iſtorum illud ſolidè concludi poteſt. Primo quippe ſolummodo dicitur, Deum res, quæ nec ſunt, nec unquam juxta communem naturæ ordinem futuræ ſunt aut fieri poſſunt, producere: an vero eas ex nihilo, an ex præjacente materia producat, non definit. Secundus manifeſtè agit de luce Euangelii, quæ luxit poſt tenebras ignorantiæ & peccati, in quibus vixerè homines ante revelatum Chriſtum. Nihil hic eſt quod ulla cum ſpecie ad creationem trahi poſſit. In tertio ſolummodo dicitur, mundum creatum *ex non apparentibus*; quod non ſignificat ex nihilo; ſed ex materia rudi & informi, in quâ omnia elementa confuſa fuerunt; adeo ut nihil eorum, quæ poſtea producta fuerunt, illic apparuerit, neque ulla res diſtinctam ac ſpecificam ſuam eſſentiam habuerit: tum & omnia hæc tenebris involuta, & proinde inconſpicua fuerunt: inde Deus creationem ſecundam inchoavit à luce, omniaque in apertum produxit.

Primam tamen ex nihilo factam evincitur.

VI. Uſus tamen obtinuit inter Theologos, ut creatio productionem ex nihilo deſignet; cui nos lubentes adſtipulamur, exigente id natura rei, ut materiam illam primam informem ex nihilo creatam dicamus. 1. Quia, uti antea vidimus, nihil Deo coæternum eſt. 2. Quia, ſi materia illa fuiſſet increata Deoque coæterna, Deus ex ſe jus in illam non habuiſſet, eam pro arbitrio mutandi, tanquam in rem ex aſſe ſuam; ſed omne Dei in illam jus fuiſſe tantum primi occupantis. 3. Quin imo potens non fuiſſet Deus ad eam mutandum; quia æternum immutabile eſt, ac independens.

Occurritur objectioni.

VII. Objici quidem ſolet, quod ex nihilo nihil fiat, & omnipotentiæ activæ etiam reſpondeat paſſiva. Verum fatemur, illud naturaliter fieri non poſſe; omnis quippe cauſa naturalis, quoniam eſt finitæ virtutis, ſubjectum prærequirit in quod agat, quodque alteret: Deus autem, qui potentia præditus eſt infinita, ſibi ipſi materiam præparare poteſt; adeo ut, cùm antea eſſet nihil, nunc infinita Dei virtute ſit aliquid: & hæc à Scholaſticis communiter vocatur potentia obedientialis, ſive non repugnantia ad exiſtendum.

Quo ſenſu aliquid & nihil infinite diſtent.

VIII. Inſtant tamen aliqui in contrarium, quod aliquid & nihil infinitè à ſe invicem differant, adeo ut poſitio unius abſoluta ſit alterius negatio, ſeu alterius abſentiam includat; ac propterea æquè certum eſſe, quod aliquid nunquam fiat nihil, quàm quod nihil nunquam fieri poſſit aliquid: quoniam per ſe pateat, quod ea, quæ infinitè à ſe invicem diſtant, nunquam uniri poſſint. Verùm nullam argumentationis hujus ſequelam video. Primo enim, quod dicitur aliquid & nihil infinitè à ſe invicem diſtare, dextrè explicandum eſt. Si enim ſenſus ſit, abſolutam eſſe inter nihil & aliquid repugnantiam, adeo ut de eodem ſubjecto utrumque ſimul prædicari nequeat, ſed ut de quo unum affirmatur, de eodem neceſſario negetur alterum; vera eſt propoſitio, & admittitur. Quod enim eſt nihil, ſimul non poteſt eſſe aliquid, aut quod eſt aliquid, ſimul non poteſt eſſe nihil; ſeu, quod eodem redit, de quo prædicatur, quod ſit aliquid, de illo eodem tempore prædicari non poteſt, quod ſit nihil. Si vero ſenſus ſit, infinitam eſſe diſtantiam inter aliquid & nihil, ita ut nihil & aliquid concipiantur tanquam duo extrema poſitiva, inter quæ infinita intercedat diſtantia, quæ nec per cauſam infinitam ſuperari poſſit; manifeſtè eſt falſa. Nihil enim concipi non poteſt ut ejuſmodi extremum aliquod; quia eſt omnis entitatis negatio: nec proinde diſtantia propriè dicta hic locum habere poteſt, quæ non niſi inter duo extrema poſitiva intercedit. Diſtantia ergo, quæ inter aliquid & nihil inter Theologos & Philoſophos concipitur, non eſt diſtantia propriè dicta, qualis eſt inter duo extrema poſitiva à ſe invicem diſſita: ſed eſt nuda repugnantia terminorum, quæ non permittit, non tantum ut utrumque de eodem ſubjecto ſimul prædicetur; ſed etiam, ut ex nihilo producatur aliquid, niſi per potentiam infinitam. Vocatur ergo diſtantia infinita reſpectivè ad cauſam, quæ eam ſuperare debet: quia ſuperari non poteſt niſi per potentiam infinitam. Quoniam omnis potentia finita requirit materiam quam alteret, & in quam operetur: omniſque ejus operatio, non eſt materiæ productio, ſed ex materia jam producta per variam illius alterationem & novæ formæ introductionem, novi entis generatio. Materiam autem ſibi ex nihilo producere, ſolius cauſæ infinitæ eſt.

Ex nihilo poteſt produci aliquid.

IX. Nec quòd ex principio hoc deducunt, ulla ſolida nititur ſequela. Quia enim quæ infinitè à ſe invicem diſtant nunquam uniri poſſunt; inde colligunt, quod aliquid nunquam fieri poſſit nihil, & nihil aliquid. Licet enim concedamus, nihil & aliquid nunquam uniri poſſe, hoc eſt, ſimul concurrere in idem ſubjectum, adeo ut de eodem ſubjecto ſimul prædicari poſſit, quod ſit aliquid & nihil; inde tamen nullo modo ſequitur, quod nihil nunquam poſſit fieri aliquid, hoc eſt, quod non poſſit fieri aliquid, ubi antea fuit nihil; atque ita de eo, quod nunc eſt aliquid, abſolutè negetur

tur quod sit nihil. Repugnantia enim terminorum repugnat quidem, ut uterque simul de eodem subjecto prædicari, seu eidem subjecto inesse possit; non verò, ut uno destructo alter subsequatur. Imo tantum abest ut hoc admittendum sit, ut è contra non possit fieri aliquid, nisi antea fuerit nihil; nec possit produci esse, nisi antea fuerit non esse. Quia enim simul esse & non esse repugnantia sunt & contradictoria; hinc omnino necesse est, ut novi esse productionem præcedat non esse, tanquam terminus à quo contenditur ad esse: quia novi entis productio transitio est à non esse ad esse. Verùm tota argumentationis hujus fallacia in eo consistit, quòd ludant in ambiguitate phraseos *ex nihilo*. Concipiunt enim, quasi nihil esset materia, quæ ad productionem τοῦ aliquid concurrit, ejusque essentiam ingreditur; perinde atque materia cujuscunque corporis naturalis essentiam ingreditur & constituit: hoc enim solo sensu dici potest, nihil & aliquid uniri, perinde uti in generatione corporis naturalis materia & forma uniuntur. Verùm ista significatio est à mente nostra aliena, quin imo contradictoria: Nihil enim, quod absoluta est negatio entis, per eam concipitur ut ens. Verùm cùm nos dicimus, aliquid ex nihilo fieri, nihil non concipimus ut materiam, sed ut τοῦ aliquid negationem; ac proinde tanquam terminum à quo creationis, quæ est transitio à non esse ad esse; adeo ut ubi nunc est aliquid, antea fuerit nihil. Et tantum abest, ut ex nihilo non possit produci aliquid, ut nulla substantia præter Deum existens concipi possit, nisi virtute omnipotentiæ divinæ ex nihilo producta.

Ejus efficiens est Deus. X. Ex dictis liquet, causam creationis efficientem esse Deum; illi enim soli creatio adscribitur. *Genes.* I. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram. Psal.* CXXIV. 8. *Auxilium nostrum est in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Act.* IV. 24. *Domine tu es qui fecisti cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Oppositè ad fictitia gentium idola, quæ vocantur *Dii qui cœlum & terram non fecerunt*, *Jerem.* X. 11. Inque hoc opere omnipotentiæ suæ apicem Deus demonstravit: infinitæ enim potentiæ opus est ex nihilo aliquid producere.

An potentiam creandi Deus creaturæ communicare possit. XI. Inquirunt Scholastici, an ulla creatura possit concurrere ad opus creationis, si non tanquam causa principalis, quæ suâ innatâ virtute possit creare, saltem ut instrumentalis. Sed quæstio est otiosa, nulliusque ad pietatem usus. Scriptura soli Deo creationem adscribit, nullamque creaturam in ejus participium admittit. Inquirere autem, quousque potentiam suam Deus creaturæ communicare possit, hominum est otio suo abutentium.

Facta est verbo Dei. XII. Peracta autem est creatio verbo Dei. Sic *Genes.* I. passim legitur, dixit Deus, *fiat lux, fiat expansum*, &c. *& fuit lux, fuit expansum*, &c. unde *Psal.* XXXIII. 6. *Verbo Domini cœli formati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* CXLVIII. 5. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Hebr. XI. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Quo denotatur omnipotens Dei jussum, quo Deus quicquid vult statim atque in momento producit, perinde uti reges jussu, imo nutu suo omnia per ministros suos exequuntur: Eadem loquendi ratione ac Dominus Jesus *impios virgâ oris sui percussurus, & spiritu labiorum suorum interfecturus*, *Esa.* XI. 4. & *filium perditionis spiritu oris sui interfecturus* dicitur, 2 *Thess.* II. 8. id est, quàm primum os suum aperit in momento destructurus.

XIII. Creavit itaque Deus primò cœlum illud supremum, domicilium ac solium majestatis suæ; illud enim etiam à Deo creatum esse præter rationes allatas, etiam docemur *Hebr.* VIII 2. ubi dicitur *Dominus illud fixisse*: & *cap.* XI 10. *Deus illius* dicitur *artifex & conditor*. Adeò ut mirandum sit, aliquos hodie reperiri, qui cœlum hoc æternum & increatum volunt, nixi *Hebr.* IX. 11. ubi vocatur *tabernaculum non manu factum*, & *non hujus creationis*. Sed manifestum est, cœlum vocari *non manufactum*, non quia à Deo creatum non est: sed ad distinctionem tabernaculi terrestris, quod manibus hominum factum est. Ita quæ à Deo immediatè fiunt, dicuntur *non manufacta*, oppositè ad ea, quæ ab hominibus fiunt; sic 2 *Cor.* V. 1. corpus gloriosum, quod habituri sumus in futuro seculo, vocatur *ædificium non manufactum*. Et dicitur non esse *hujus creationis*, quia non, ut mundus hic visibilis, ex crassa ac conspicua materia constat, qui, licet manibus hominum non sit factus, rebus tamen manufactis admodum similis est; sed ad perfectiorem creationem pertinet, estque texturæ longè subtilioris ac solidioris: visibiles enim cœli peribunt, hoc verò est æternum. *Cœlum supremum est creatum.*

CAPUT XVIII.

De Angelis.

Angeli quid. I. CReato supremo cœlo Deus etiam Angelos, ut cœli illius sint incolæ, creavit. Nomen *Angeli* non tam est nomen naturæ, quàm officii; denotat quippe nuntium; unde & ipsis ventis attribuitur, *Psal.* CIV. 4. *Hebr.* I. 7. etiam hominibus quid nuntiantibus: sic *Esa.* XXXIII. 7. pacem annuntiantes *Angeli pacis* vocantur: Sic & *Luc.* VII. 24. *Jacob.* II. 25. Eodem sensu Ecclesiarum Episcopi *Angeli* vocantur, *Apoc.* II. & III. imo ipsi Domino Jesu appellatio *Angeli fœderis* tribuitur, *Malach.* III. 1. Speciatim verò & ordinariè in Scriptura

ptura vox *Angeli* denotat creaturas illas spirituales ac immateriales, quibus Deus cœlum domicilium in creatione assignavit, quique ratione officii sui Angeli appellantur.

Revera existunt. II. De hisce quæritur 1. An sint? Legimus enim Sadducæos olim dixisse, *non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum. Act.* XXIII. 8. Sed sententia illa adeo validè plurimis, quæ in Scriptura & in ipsis libris Mosis narrantur, Angelorum apparitionibus refutatur, ut mirandum sit eorum existentiam in dubium vocari posse ab illis, qui librorum illorum divinitatem agnoscunt. Videtur etiam Angelorum negatio proximus esse ad atheismum gradus: non enim deprehendi possunt, nisi ex operibus: & negantur quia non videntur. Illa autem ratio si valebit, eodem prætextu & Deus negari poterit. Quia autem verisimile vix videtur, Sadducæos, qui librorum Mosis divinitatem agnoscebant, omnem Angelorum existentiam negasse, inde est quod quidam credant, Sadducæos negasse, Angelos esse vero ὑποστάσεις, seu substantias propriam ac specialem subsistentiam habentes; sed esse vel affectus humanos, seu meras imaginationes; vel virtutes Dei inseparabiles, quas Deus, quando lubet, ex sese exilire facit, quasque postea opere, quod intendebat, peracto, ad sese retrahit. Sed neutra harum expositionum admitti potest, quin sententiam ipsorum summè reddat absurdam. Opera enim angelorum & apparitiones nimis manifestæ sunt, quàm ut affectibus aut imaginationibus humanis adscribi possint. Et sola plurimorum Angelorum apostasia, & ad gravissimam pœnam abjectio, documento est, non esse eos inseparabilis Dei virtutes; quippe quæ nec peccare possint, nec ulli pœnæ aut miseriæ subjici.

A Deo sunt creati. III. Angelos à Deo esse creatos licet Scriptura non disertè narret, hominis creationi describendæ solummodò intenta, tamen & alibi Scriptura non obscurè videtur docere, & ratio manifesta suadet. *Psal.* CXLVIII. 2. hortatur Propheta Angelos, ut Dominum laudent, additâ hac ratione, *vers.* 5. *Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Hinc facit *filiorum Dei* epitheton, angelis tributum *Job.* I. 6. II. 1. & XXXVIII. 7. quod non nisi creationis respectu ipsis tribui potest. Et ratio manifesta dictat. Quia si Angeli à Deo creati non essent, à seipsis essent perinde ut Deus, ac proinde Deo æquales, & prorsus independentes: at sic necesse non erat eos Deo subjici tanquam domino, quia sui juris fuissent: imo nec subjici Deo poterant; non enim à Deo subjici potuissent, illi per omnia æquales; nec etiam seipsos ultro Deo subjecissent: non enim in naturam adeo perfectam & à nullo dependentem cadere potest, ut se ex summa dignitate ultro in servitutem tradat & ex independente dependentem faciat.

Quando creati sint. IV. De tempore creationis Angelorum, quoniam in Scriptura altum est silentium, variæ sunt doctorum sententiæ. Nobis maximè probabilis est illorum sententia, qui credunt Angelos diu ante mundum hunc visibilem à Deo conditos, & cœli supremi incolas fuisse: quæ sententia hac potissimum ratione, admodum probabili, demonstrationes quippe hic desiderantur, nititur; quod diabolus statim post creationem homines seduxisse legatur: unde manifestum est, jam tum angelos illos malos a Deo defecisse, & tanquam rebelles cœlo ejectos & ad exitium destinatos fuisse. Credibile autem non est, spiritus illos cœlestes, paucis tantum à creatione sua diebus elapsis, ad summum quinque vel sex, statim à Deo defecisse; cùm appareat non unius, sed multorum angelorum fuisse rebellionem; eorumque defectionem non unicum peccati actum, sed diuturnam fuisse in peccato perseverantiam, admodum probabiliter colligatur, tum ex phrasibus, quibus peccatum illorum describitur, ut quod diabolus fuerit *mendax ab initio & homicida, Joan.* VIII. 44. quod *à principio peccet*, 1 *Joan.* III. 8. tum ex pœna æterna gravissima, ad quam sine ulla spe veniæ rejecti sunt, & vincti catenis caliginis asservantur, 2. *Pet.* II. 4.

Sunt Spiritus. V. Quod substantiam eorum attinet, sunt *Spiritus: Hebr.* I. 14. *sunt ministratorii spiritus. Matth.* VIII. 16. dicitur Dominus *spiritus ejecisse: Luc.* X. 20. dicuntur *spiritus* Apostolis *fuisse subjecti. Eph.* II. 2 vocatur diabolus *spiritus, qui potenter operatur in filiis contumaciæ.* Quo indicatur, ipsos esse substantiæ immaterialis, absque mole ac concretione corporea; adeo ut solidissima quæque corpora penetrare possint, &, multi licet sint, unius tamen hominis corpus inhabitare, ut *Marc.* V. 9. Hinc etiam propriè dici non possunt esse in loco: hoc enim corporibus, spatio quod occupant commensuratis, proprium est.

Ipsis competit immortalitas. VI. Ex hac spiritualitate essentiæ varia ipsorum consequuntur attributa. Ac 1. quidem Immortalitas: *Luc.* XX. 36. *ultra mori non poterunt. æquales enim angelis sunt.* Inferior tamen hæc est immortalitate Dei: licet enim nullum internum habeant in se corruptionis principium, tamen à Deo creatore suo facili negotio destrui possunt; ac proinde solummodò beneficio divino à moriendi actu sunt immunes: Deus verò, uti vidimus, vitam habet à se ipso, à se est, nullum internum habet corruptionis principium, nec à quoquam destrui potest.

Intellectus. VII. Secundo. Intellectus seu scientia, sine qua natura ejusmodi spiritualis subsistere non posse videtur. Scientiam ipsorum arguunt variæ revelationes à Deo homini-

bus

bus Angelorum ministerio patefactæ, & imprimis legislatio, quam ministerio Angelorum peractam docemur *Act.* VII. 38. 53. *Gal.* III. 19. Tum &, quod 1 *Cor.* XIII. 1. Apostolus excellentissimum sermonem *linguam Angelorum* vocet. Quantacunque autem ea sit, Dei tamen cognitione inferior est: expressè enim *diem judicii ignorare* dicuntur, *Marc.* XIII. 32. Inde nec cogitationes hominum noverunt, quia hoc soli Deo proprium; nec etiam futura contingentia quæ a libero hominis arbitrio dependent: quia in solâ scientiæ divinæ infinitate præscientia hæc fundari potest. Ac proinde licet multa sciant, non tamen sunt omniscii: unde & scientia ipsorum juxta varias revelationum divinarum dispensationes subinde nova capit incrementa: hinc *Eph.* III. 9, 10. vocatio gentium vocatur *mysterium à seculis in Deo absconditum, quod innotescit principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam;* & 1 *Pet.* 1. 12. dicuntur Angeli *desiderare* in id quod nunc nobis revelatum est *introspicere.*

Voluntas. VIII. Tertiò. Intellectum excipit voluntas libera; absque ea enim intellectus frustra foret: tum & eam arguit lex ipsis data; ea enim liberam legi obediendi aut eam transgrediendi facultatem prærequirit, alias frustra data esset.

Potentia. IX. Quartò. Maxima potentia: unde & *fortes robore* dicuntur, *Psal.* CIII. 20. & *angeli potentiæ*, 2 *Thess.* 1. 7. vocanturque exercitus Dei, & Deus propterea *Deus Zebaoth* seu exercituum, quia angelis tanquam exercitibus suis utitur ad exequenda judicia sua. Elucetque hæc potentia in operibus ipsorum stupendis ac verè admirandis. Sic unus angelus unâ nocte omnes Ægypti primogenitos interemit, *Exod.* XII. 29, 30, 31. & in exercitu Sennacheribi centum octoginta quinque millia interfecit, 2 *Reg.* XIX. 35. & in deserto multa admiranda fecit jussu Dei: *Exod.* XXIII. 20, 21. &c. Speciatim potentes sunt in aëre & regione elementari: *Eph.* VI. 12. Sic igne cœlitus misso Sodomam ac Gomorrham deleverunt, *Genes.* XIX. tempestatem concitarunt in domum & liberos Jobi, *Job.* 1. 16. vim ignis cohibuerunt, ne possit lædere tres socios Danielis, *Dan.* III. 49, 50. unus Angelus Dominum Jesum per aërem avexit in montem & templum, *Matth.* IV. 5, 8. Herodem percussit, ut à vermibus roderetur, *Act.* XII. 23. Præcipuè etiam mentem hominum conturbant, ut in Saule liquet, 1 *Sam.* XVI. 14. & potentes valde sunt in seductionibus; ut liquet in celebri illa visione Michæ tempore Achabi, 1 *Reg.* XXII. Unde & diabolus *hujus seculi Deus* vocatur, qui *excæcat mentes infidelium*, 2 *Cor.* IV. 4. qui *potenter operatur in filiis contumaciæ*, *Eph.* II. 2. cujus *operatio* est *in signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis*, 2 *Thess.* II. 9, 10. Quantacunque autem eorum potentia sit, tamen infra Dei potentiam est, cujus imperio omnes angeli sunt subjecti; eorumque potentia finibus essentiæ ipsorum creatæ ac finitæ est circumscripta. Unde nec creare, nec miracula proprie dicta efficere possunt: inde & *Deus solus mirabilia facere* dicitur, *Psal.* LXXII. 18. CXXXVI. 4.

X. Quintò. Agilitas, quæ naturæ ipsorum spirituali propria est: eaque liquet ex subitis ipsorum apparitionibus, quibus momento ex cœlo ad nos descendunt, mandataque Dei perferunt; tum & maximis operibus unius Angeli ministerio brevissimo temporis spatio peractis: qualia sunt, cædes omnium primogenitorum Ægypti, & centum octoginta quinque millium in exercitu Sennacheribi, unâ tantum nocte peracta. Ad quam velocitatem adumbrandum Cherubim, id est, alati vocantur. *Agilitas.*

XI. Sextò. Quod numerum eorum attinet, maximus ille est; & pene innumerabilis: *Dan.* VII. 10. *Millia millium ministrabant ei; & millies centena millia assistebant ei. Apoc.* V. 11. *Numerus eorum erat millies centenorum millium, & millia millium. Hebr.* XII. 22. *Accessistis ad multorum millium angelorum frequentiam. Judæ* vs. 14. *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis. Psal.* LXVIII. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Inde & Dominus Jesus dicit *Matth.* XXVI. 53. posse se Patrem suum orare, qui ipsi plus quàm duodecim legiones Angelorum exhibiturus sit. *Numerus.*

XII. Distribuuntur Angeli in bonos ac malos. Boni in rectitudine sua perstiterunt, & originem suam servaverunt: unde vocantur *Angeli sancti*, *Matth.* XXV. 31. *electi*, 1 *Timoth.* V. 21. & *lucis*, 2 *Corinth.* XI. 14. De hisce quæritur, an ita in gratia Dei sint confirmati, ut deficere aut in peccatum incidere amplius non possint? Nos quod attinet, ita statuimus. Aut volumus eos adhuc subesse legi promissis ac comminationibus sancitæ; aut non amplius esse sub lege, sed jam obedientiæ suæ præmium à Deo consecutos. Si prius dicamus, dicendum videtur, impossibile non esse ut in peccatum incidant; quia lex promisso ac comminatione sancita præsupponit liberam obediendi ac transgrediendi potentiam: attamen ob longam ac continuam in bono perseverantiam & confirmationem, & quia continuò stant coram throno Dei jussum illius præstolantes, difficile adeò est ut peccent, legi licet subjecti, ut tantum non impossibile censeri debeat. Si verò posterius, quod nobis maximè probabile videtur: fieri nequit ut in peccatum incidant; quia Deo non amplius obediunt spe præmii, quod jam possident; sed necessariò ac naturali quodam impetu *Sunt vel boni.*

jussa Dei promptissimè exequuntur; utpote jam in statu confirmationis: perinde uti fideles ac pii post resurrectionem ex mortuis in statu gloriæ cœlestis ac æternæ, ac in visione Dei summè felices, peccare non poterunt. Unde quod dicitur *Gal.* I. 8. *Si angelus de cœlo annuntiaverit Euangelium præter id quod annuntiatum est vobis*: non ita accipi debet, quasi angelus è cœlo ad ejusmodi improbitatem deflectere posset; sed est locutio ab impossibili desumta, etiamsi fieret angelum aliud Euangelium annuntiare, quod tamen fieri nequit, nequaquam esse audiendum.

Vel mali. XIII. Mali à Deo defecerunt, suamque originem deseruerunt sub capite suo diabolo, cujus angeli propterea dicuntur, *Matth.* XXV. 41. Sic *Joan.* VIII. 44. *Diabolus homicida est ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus.* I *Joan.* III. 8. *Diabolus peccat ab initio.* 2 *Pet.* II. 4. *Judæ vers.* 6. *Non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium.* Inde & passim vocantur *spiritus immundi*, *Matth.* X. I. XII. 43. *Marc.* I. 23. *Act.* V. 16. *Apoc.* XVIII. 2. & alibi passim. Et *spiritus mali*, *Luc.* VII. 21. *Act.* XIX. 12, 15, 16. Quale peccatum illorum fuerit, non liquet. Credunt plerique superbiam fuisse: & multi ex Patribus existimant, Deum mysterium incarnationis ipsis revelasse; ipsos verò indignabundos, quòd homini subjiciendi forent, ex superbia Deo rebellasse. Sed quoniam Scriptura id non declarat, absque temeritate id definiri nequit. Gravissimum fuisse arguit pœna illa maximè horrenda, ad quam sine ulla veniæ spe rejecti sunt. Ita 2 *Pet.* II. 4. *Judæ vers.* 6. dicitur Deus *angelis peccantibus non pepercisse, sed vinctos catenis caliginis servare in diem judicii*: aliter longè quàm homines, quos Deus dicitur *assumere, non verò Angelos*, *Hebr.* II. 16. Unde etiam admodum probabiliter colligimus, peccatum ipsorum non fuisse unicum actum, sed diuturnam rebellionem. Et non unius aut paucorum, sed multorum fuisse colligitur, quia nominatur diabolus cum angelis suis, *Matth.* XXV. 41. & quod diabolorum legio unicum hominem obsederit, *Marc.* V. 9. tum quod *diabolus* dicatur *circumire tanquam leo rugiens, quærens quem devoret*, 1 *Pet.* V. 8. quod absque multorum ministrorum opera facere nequit. Hinc & *Eph.* VI. 12. diaboli tanquam magno numero describuntur.

An illis impossibile sit ullum bonum facere. XIV. Quæritur hic, an malorum angelorum voluntas ita sit ad malum determinata, ut absolutè impossibile ipsis sit ullum bonum, velle aut facere? Resp. Malos angelos in malo admodum induratos, continuoque nil nisi mala meditari, hominibusque peccandi auctores esse, neque unquam boni quippiam producturos, extra controversiam est: An verò omni bonum quid faciendi potentiâ privati sint, difficilior quæstio est, quoniam hic Scripturam non habemus præëuntem. Nobis tamen dici posse non videtur, diabolos omni bonum faciendi facultate penitus privatos esse, sed propria obstinatione in malo perdurare. Si enim omnimodam bonum faciendi impotentiam ipsis adscribamus; aut dicendum, illam à Deo ipsis inflictam, in pœnam rebellionis suæ; atqui sic Deus punitione suâ omnium sequentium peccatorum ex impotentia illa commissorum auctor foret, quod dictu horrendum: aut, quod ipsi malè agendo hanc sibi impotentiam contraxerint: atqui hoc non minus absurdum; quia, licet habitus actum ipsi repugnantem reddat difficiliorem, non tamen potentiam contrarium faciendi prorsus exstinguit; multò minus unicus peccati actus, qualem Angelorum peccatum fuisse, auctores, qui ipsis bonum faciendi impotentiam adscribunt, urgere solent. Unica itaque, quæ ipsos adeo in malo obduratos facit, causa videtur esse veniæ desperatio. Sciunt quippe sese irrevocabili decreto ad exitium destinatos, neque ullam id effugiendi superesse viam; nemo autem absque veniæ spe à malitia sese convertit. Talis etiam erit damnatorum status in futuro seculo. Hinc David *Psal.* CXXX. 4. *Apud te est remissio ut timearis.*

XV. Utrorumque tam bonorum quàm malorum Angelorum sunt certi quidam ordines, in quos juxta excellentiæ suæ gradus diversos distributi sunt. *Ordines Angelorum.* Inter bonos quippe mentio fit *Michaëlis Archangeli*, *Judæ vers.* 9. 1 *Thess.* IV. 16. *Archangeli. Dan.* X. 13. Michaël vocatur *unus de principibus*; & *Apoc.* XII. 7. Michaël introducitur ut reliquorum Angelorum princeps. *Coloss.* I. 16. nominantur *throni, dominationes, principatus, potestates*: quæ non videntur commodè, nisi de variis Angelorum dignitatibus explicari posse: uti & *Eph.* I. 21. & 1 *Pet.* III. 22. Qualis autem illa dignitatis differentia inter Angelos sit, explicari à nobis nequit. Ideò quammaximè improbanda est pseudo-Dionysii illius Areopagitæ temeritas, qui Angelos in tres trinas hierarchias, seu novem choros distribuit, non aliter ac si ipse cum Paulo in tertium cœlum fuisset assumptus, omniaque coràm oculis suis adspexisset. Inter malos *diabolus* tanquam reliquorum princeps nominatur *Matth.* XXV. 41. & 2 *Cor.* XII. 7. dicitur *Angelus à Satana*, tanquam principe suo, missus, qui Paulum colaphis cædat. Hinc Judæi Domino Jesu objiciunt, quod *diabolos ejiciat in principe dæmoniorum*, *Matth.* XII. 24. & *Eph.* VI. 12. ac *Coloss.* II. 15. nominantur *principatus, potestates*, & *rectores tenebrarum.*

XVI.

Ministeria Angelorum: Deum laudare.

XVI. Angelis bonis, utpote spiritibus ministratoriis, *Hebr.* I. 14. Deus ad varia ministeria utitur. Ac I. quidem destinati sunt ad laudes Dei, coram cujus throno continuò stant, celebrandum. Ita Seraphim, *Esa.* VI. 3. quatuor animalia, *Apoc.* IV. 8. & multitudo Angelorum, *Apoc.* V. 11, 12. laudes Dei celebrant. Hinc David *Psal.* CIII. 20. ***Benedicite Domino omnes Angeli ejus.*** Et hoc officio Angeli quidem ordinariè in cœlis occupantur. Sed & nonnunquam extraordinariè, quando se Deus opere aliquo insigni gloriosum reddit coram hominibus, angeli in conspectu mortalium hominum laudes Dei celebrant; ut in nativitate Domini Jesu. *Luc.* II. 13, 14.

D. Jesu ministrare.

XVII. Secundò. Ad Domino Jesu Christo varia ministeria exhibendum: *Matth.* IV 11. tentatore diabolo Dominum relinquente, *ecce accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Luc.* XXII. 43. Domino existente in summo angore, *apparuit illi Angelus de cœlo, corroborans eum. Joan.* I. 52. Dominus dicit Nathanaëli: *Amen amen dico vobis, videbitis cœlos apertos, & angelos Dei adscendentes & descendentes supra Filium hominis.*

Jussa Dei hominibus annuntiare.

XVIII. Tertio. Ad jussa Dei hominibus annuntiandum; & quidem vel integro populo: quod contigit in legislatione in monte Sinai, quam per Angelos factam docemur *Act.* VII. 38, 53. *Gal.* III. 19. & præsertim *Hebr.* II. 2. Vel uni aut paucis quibusdam hominibus singulatim: iisque vel piis; ut Abrahamo, *Genes.* XVIII. Lotho, *Genes.* XIX. parentibus Simsonis, *Judic.* XIII. Gideoni, *Judic.* VI. 12. Danieli, *cap.* VIII. *& seqq.* Sachariæ, *Luc.* I. 13. Virgini Mariæ, *vers.* 28. Josepho, *Matth.* I. 20. & II. 13, 19. pastoribus, *Luc.* II. 9. mulieribus prope sepulchrum Domini; *Matth.* XXVIII. 5. Apostolis post Domini adscensionem, *Act.* I. 10, 11. & in Apocalypsi passim. Vel etiam impiis; ut Bileamo, *Num.* XXII. Et speciatim quidem ad afflictos consolandum; ut *Genes.* XVI. 7. *Act.* XXVII. 23, 24.

Eadem potenter exequi.

XIX. Quartò. Ad jussa Dei potenter exequendum: idque multifariam: Vel præservando fideles ac pios à periculis, ne in ea incidant; *Psal.* XCI. 11, 12. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Vel postquam inciderunt, ex illis liberando: *Psal.* XXXIV. 8. *Castrametatur Angelus Domini circum timentes ipsum, & eripit eos.* Exempla habemus in Lotho, *Genes.* XIX. Jacobo, *Genes.* XXXII. 1, 2. Elia, 1 *Reg.* XIX. 5. Elisæo, 2 *Reg.* VI. 16. tribus sociis Danielis, *Dan.* III. 49. Daniele ipso, *cap.* VI. 22. Petro, *Act.* XII. 7. *& seqq.* Vel castigando suos ob delictum aliquod; uti Sachariam, *Luc.* I. 20. ob incredulitatem; vel gravius puniendo ob majus crimen; uti Davidem ob ambitionem, 2 *Sam.* XXIV. 15, 16. Vel ad exercendum judicia sua in impios; in Sodomitas, *Genes.* XIX. in Ægyptios, *Exod.* XII. 29. *& seqq.* in Assyrios, 2 *Reg.* XIX. 35. in regem Herodem, *Act.* XII. 23. Vel transferendo fidelium morientium animas in locum quietis, *Luc.* XVI. 22. Vel tandem in fine seculorum congregando fideles ac electos à summis cœlorum usque ad terminos eorum, *Matth.* XXIV. 31. 1 *Thess.* IV. 16. Dominoque Jesu tanquam satellites in judicio extremo adsistendo, *Matth.* XVI. 27. XXV. 31.

Unicuique à nativitate suus non est assignatus Angelus.

XX. Hic autem quæritur, an unicuique à nativitate suus sit assignatus Angelus, qui ipsi continuo adsit, illiusque perpetuam curam gerat? Affirmant Pontificii, illoque fundamento præstructo urgent, in omnibus angustiis ac necessitatibus preces cum fiducia exauditionis ad ipsum dirigi posse. Nos quidem nullam in sententia illa absurditatem agnoscimus: ex Scriptura tamen probari nequit; imo quoniam Deus aliquando unum angelum multis præfecit, ut toti populo Israëlis, *Exod.* XXIII. 20. aliquando multos Angelos uni, *Genes.* XXXII. 1, 2. 2 *Reg.* VI. 16. *Psal.* XXXIV. 8. XCI. 11, 12. *Luc.* XVI. 22. hinc rectius colligas, unicuique homini suum à nativitate angelum assignatum non esse.

Non id probatur ex Matth. XVIII. 10. nec Act. XII. 15.

XXI. In contrarium tamen objicitur, quod *Angeli parvulorum in cœlis semper faciem Dei videre* dicantur, *Matth.* XVIII. 10. Resp. *Parvuli* Domino illic sunt non ætate, sed fide parvuli; quod exinde liquidò constat; quia scandalum illis dari dicitur; quod de parvulis ætate neutiquam dici potest. 2. Non dicuntur illorum Angeli, quia à nativitate ipsis assignati sunt custodes; sed quia speciatim à Deo in parvulorum tutelam sunt missi. Unde nec colligi potest, illos parvulis istis perpetuò adesse; verisimilius multò est, illis tantum à Deo apponi in magno periculo, quando metus scandali est & periculum tentationis. Dices. Attamen exemplum Petri docet, fideles credidisse unicuique suum à Deo angelum attributum; ancillà enim, quæ auditâ Petri voce præ lætitia ostium non aperuerat, fidelibus annunciante Petrum pulsare ostium, dixerunt, *Angelus ipsius est*, *Act.* XII. 15. Respondemus, ex ipso Petri exemplo liquere, Petrum non credidisse sibi talem à Deo assignatum Angelum; cùm enim Angelus ipsum è carcere eduxisset, non tantum aliquam diu credidit se solummodò visum quoddam videre: sed & cum agnosceret Angelum, dicit, *nunc scio vere quia Dominus misit Angelum suum;* non dicit, Angelum meum, seu custodiæ ac tutelæ meæ attributum. Atque hinc quidam existimant, fideles non credidisse Angelum Petri pulsasse

fasse ostium; quippe qui sciebant Angelos ostia non pulsare, sed in ipsis ædibus sese subitò manifestare; sed ἄγγελον hic denotare nuntium à Petro missum; sicut eo sensu vox hæc accipitur *Luc.* VII. 24. *Jacob.* II. 25. Sed verò durior videtur explicatio, & ab usitata Sacris Scriptoribus vocis ἀγγέλου significatione recedens; quæ proinde admitti non debet, nisi textus manifestè aliam significationem requirat. Itaque dici potest, vocari à fidelibus Angelum Petri, qui à Deo in gratiam ac tutelam Petri illo necessitatis casu missus est; vel illos ex communi Judæorum sententia, quam in initio nondum deposuerant, locutos.

Cultus Angelorum superstitiosus est. XXII. Qui verò huic sententiæ superstruitur cultus Angelorum, omninò superstitiosus est; ex certa enim fide proficisci nequit, quia à Deo nusquam præscriptus; unde ἐθελοθρησκεία vocatur, *Coloss.* II. 18. nec certâ exauditionis fiduciâ niti potest: quia ignoratur, utrum Angeli, ad quos invocatio instituitur, præsentes sint, precesque audire possint: quin & Angeli præsentes sese invocari non sustinuerunt, *Apoc.* XIX. 10. XXII. 8, 9. Sed de hisce alias.

Angeli mali adversi saluti hominum. XXIII. Angeli mali adversantur gloriæ Dei, & saluti piorum; hinc illorum princeps vocatur שטן, *sathan*, & *diabolus*, diciturque esse ἀντίδικος noster, 1 *Pet.* V. 8. & *accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte: Apoc.* XII. 10. Hunc in finem diabolus regnum quoddam tenebrarum erigit, in quo ipse velut princeps præsideat, & potenter dominetur in impios, 2 *Cor.* IV. 4. *Eph.* II. 2. Quando verò diabolo regnum tenebrarum attribuimus, dextrè id intelligendum est. Non enim id volumus, diabolum vi ac potestate, quam habet, sibi regnum erigere, in quo potenter regnet, & malitiam pro arbitrio in hominibus operetur; ipsosque invitos sibi in obsequium cogere, aut ipsius dominium agnoscere recusantes ob contumaciam istam punire possit: quod propriè regum est: atque ita regnum sibi erigere divino imperio minimè subjectum. Sic enim alter Manichæorum Deus, qui omnis mali principium ab ipsis creditur, introduceretur. Sed solummodò, quòd permissione divinâ sollicitat & tentat homines, si quos seducere possit, ut propriâ ac liberrimâ voluntate illecebris, quas adhibet, inescati à Deo deficiant, Deique obedientiâ abjectâ peccato se tradant, & sic illi se voluntarios constituant subditos, hoc est, vivant consentaneè illius voluntati: non quia ab ipso ad id coguntur, aut internè ipsorum voluntas ita determinatur, ut non nisi malum velle possint; sed quia deliciis peccati inescati, ea libenter ac avide faciunt, quæ ipsi grata sunt: atque hac ratione voluntarios se illius servos ac subditos constituunt, ipsumque tanquam Deum sibi adsciscunt. Hoc enim Scriptura appellat, *sibi Deum facere.* Sic voluptuosis *venter Deus esse* dicitur, *Phil.* III. 18. avaris pecunia, unde avaritia vocatur *idololatria*, *Eph.* V. 5. Eodem sensu diabolus Deus impiorum est, qui, auscultantes illius seductioni, quæ ipsi grata sunt faciunt, non aliter ac si ipsum verè suum agnoscant Deum. Verùm quoniam non nisi voluntarios habet subditos, & in invitos nihil juris; manifestum est, quod nemo ulterius illi servus ac subditus est, quàm sponte ac liberè se illi in obsequium tradit. Qui verò semel illi se mancipavit, nullâ ab ipso vi constringi potest, aut invitus sub ipsius potestate detineri; sed si seriò statum suum detestetur, & è servitute sua voluntaria exire studeat, etiam per gratiam divinam, quam seriò resipiscentibus nunquam defuturam credo, invito licet ac fremente diabolo, imo totâ spirituum immundorum universitate, jugum ejus excutere, seque in libertatem filiorum Dei vindicare potest: tantumque abest, ut vel minimo ipsum malo propterea afficere possit diabolus, ut hæc ipsi certissima ad salutem via futura sit. Unde concludo, quod quantacunque horum spirituum immundorum est potentia, ipsi tamen semper providentiæ divinæ vinculis sunt adstricti; quæ quidem aliquando ipsis fræna laxat, ita tamen, ut malitiam ipsorum intra certos terminos, quos excedere nequeunt, cohibeat: quod in exemplo Jobi manifestum est, cujus domum ac facultates permissione Dei Sathan evertit, ipsum autem Jobum affligere non potuit; postea & Jobi corpus ulceribus gravissimè afflixit, vitæ verò parcere debuit, *Job.* I. & II. Sapienti autem consilio Deus Satanæ nonnunquam fræna laxat; vel in pœnam improborum; exemplum in Saule, 1 *Sam.* XVI. 14. in Achabo, 1 *Reg.* XXII. 20. *& seqq.* & in iis, qui traduntur Satanæ ad interitum carnis, 1 *Cor.* V. 5. 1 *Timoth.* I. 19, 20. Vel ad explorandum & exercendum pios; exemplum in Jobo, *Job.* I. & II. & in Ecclesia Smyrnensi, *Apoc.* II. 10. *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini.* Vel ad eos à peccato præservandum: ita Paulo *datus angelus Satanæ qui ipsum colaphizet, ne se magnitudine revelationum extollat*, 2 *Cor.* XII. 7. Vel etiam, ubi peccaverint, castigandum.

XXIV. Potissimum verò permissione Dei homines tentant & sollicitant ad peccatum: *Eos tentant ad peccatum.* sic 1 *Pet.* V. 8. diabolus dicitur *ut leo rugiens circumire, quærens quem devoret*: 2 *Cor.* XI. 3. *Evam seduxisse astutiâ suâ*: 1 *Thess.* III. 5. expressè vocatur *tentator.* Inde & *Eph.* VI. 12. dicimur adversus ipsum luctam habere spiritualem; & 2 *Cor.* II. 11. monemur, *ne circumveniamur à Satana.* Hinc peccatores dicuntur *esse ex patre diabolo*, *Joan.* VIII. 44.

VIII. 44. 1 *Johann.* III. 8. Omnis autem illorum tentatio consistit in seductione: non enim hominis voluntatem pro libitu ad malum necessitare possunt; sed tantum mediis quibusdam adhibitis eam incitare; quibus tamen homo, præsertim gratiâ Dei adjutus, resistere potest. Observant nimirum, in quam passionem homo maximè propendeat; hinc, ut eum ad peccandum sollicitent, media adhibent passioni isti excitandæ idonea: ita Judam spe lucri ad prodendum Dominum, *Luc.* XXII. 3. *Joan.* XIII. 2. Davidem ambitione ad numerandum populum incitarunt, 2 *Sam.* XXIV. 1. & 1 *Paral.* XXI. 1. Nonnunquam etiam occasione arreptâ hominem ad peccatum, à quo aliàs alienus est, sollicitant, & quandoque in tentatione prævalent.

Varii tentandi modi. XXV. Modi, quibus tentant, varii sunt, omnesque ad prævalendum accommodatissimi. Nonnunquam ipsi comparent, hominique offerunt quæ ipsi seducendo videntur quam maximè efficacia: ita *Matth.* IV. Sathan ipsum Dominum Jesum tentavit. Nonnunquam instrumenta adhibet, quibus hominem persuadeat: ita Evam copore serpentis tectus decepit, *Genes.* III. quem non nudum serpentem, sed diabolum fuisse, liquet ex *Apoc.* XII. 9. ubi appellatur *draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas*; manifestâ ad historiam seductionis Evæ allusione. Potissimum autem instrumenta illius sunt mali homines. Atque hic sese maximè diaboli regnum, quod tanquam princeps tenebrarum obtinet, conspiciendum exhibet. Efficaciter enim operando in filiis contumaciæ, adversarium se se Deo ostendit, falsâ quidam operum Dei imitatione, ut opus Dei destruat; unde nonnunquam se in Angelum lucis transfigurat, 2 *Cor.* XI. 14. ut homines falsâ specie deludat. Hinc & habet suos pseudo-prophetas, *in quorum ore est spiritus mendax*, 1 *Reg.* XXII. 20. *& seqq.* & *pseudo-apostolos, operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi*, 2 *Cor.* XI. 13. habet *signa & prodigia mendacia*, 2 *Thess.* II. 9. ut ita specie divinorum operum seducat, quos Deus ex tenebrarum regno in libertatem asserere studet. Et quanto Dei opera illustriora ac majora sunt, eò enixiore curâ ea imitari satagit: inde natum proverbium; ubi Deus templum ædificat, illic diabolus sacellum erigit. Nonnunquam somnia immittit, quibus peccatum, & rationem illud perpetrandi repræsentat. Quin & tandem in vigilantibus cogitationes excitat turpes ac malas, movendo spiritus nostros animales, qui in sanguine sunt. Solent quippe ab objectis gratis vel ingratis spiritus nostri animales agitari & in cerebrum ascendere, ibique varias in phantasia nostra ideas ac imagines efformare, quibus passiones nostræ excitantur ad objectum vel concupiscendum, vel adversandum: quarum contemplatione si indulgeat homo, ad peccatum inducitur. Idem quin diabolus possit, dubitandum non videtur: quoniam autem circumit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret, observat accuratè in quam passionem homo propendeat, & quinam spiritus animales agitati eam passionem excitare soleant: illos ergo movendo, facit ut in phantasia nostra easdem depingant imagines, per quas porrò passiones nostræ excitantur. Sed quia omnes hæ passiones solummodò procedunt à facultate animali, quæ tantum inter jucundum & injucundum carni discernit, quæque rationi, ut facultati superiori, est subjecta; etiam illius virtute, præsertim gratiâ Dei, quam se invocantibus nunquam Deus denegaturus est, adjutæ & corroboratæ facilè dispelli, omnesque diaboli conatus eludi possunt. Hinc *Eph.* VI. 11. &c. *induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Jacob.* IV. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* 1 *Pet.* V. 8. *Sobrii estote & vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide.*

Sed verò, quoniam nuper in hac civitate nostra integer tractatus prodiit, quo totum illud, quod de diabolorum operationibus diximus, impugnatur, operæ pretium est, ut paucis nuperam illam sententiam, illusque præcipua fundamenta examinemus. Duo, quantum ex libri lectione colligere licet, sententiæ suæ fundamenta auctor substernit. Prius est, diabolum cum suis Angelis jam statim, quamprimum peccasset, à Deo in infernum esse præcipitatum, & catenis caliginis vinctum detineri. Alterum, illos, qui statuunt diabolos homines seducere, priusquam hoc statuant, probare debere, spiritus in corpora, aut in alios spiritus operari posse.

Atqui neutrum horum fundamentorum solidum est. Quod ut pateat, explicandum, quid per *catenas caliginis*, quibus immundi spiritus vincti dicuntur, Scriptura intelligat. Est modus loquendi desumtus à facinorosis, qui in vincula conjiciuntur, ne aufugiant, sed arctè custoditi pœnæ certæ serventur. Eadem ratione Deus spiritus immundos catenis caliginis vinxisse dicitur, per metaphoram, quia certæ ac inevitabili pœnæ eos destinavit sine ulla misericordia, ita ut eam nullatenus evadere queant. Inde tamen minimè sequitur, eos ita penitus à mundo hoc visibili semotos, ut nihil omninò cum eo commune habeant. Neque id ex similitudine carceris, aut vinculorum concludere licet. Etsi enim vincti ita carcere suo detinentur, ut ab aliorum hominum commercio penitus sint seclusi, & ita intra angustos carceri cancellos coarctati, ut extra illos pro-

progredi non possint; non tamen in similitudine omnes circumstantiæ exactè applicandæ sunt; sed solummodò quatenus res similitudine illustrata permittit. Sufficit angelos peccatores, ubicunque sint, in manu ac potestate Dei esse, & ad pœnam nullo modo ipsis evitabilem conservari, ut vinculis caliginis adstricti dicantur. Ac proinde licet gratiâ divinâ prorsus sint exclusi, nondum tamen destinato sibi supplicio afficiuntur, sed, ut Scriptura disertè loquitur, ad illud in ultimum judicii diem reservantur. Sunt ergo catenis caliginis vincti, licet non prorsus à mundo hoc sint remoti, sed & quandoque permissione divina homines tentent, si forte illos ad peccatum sollicitare queant.

Quod alterum fundamentum attinet, putat ex natura spiritus & corporis manifestum esse, quod probari nequeat, spiritum in corpus operari posse: quia spiritus est cogitatio; corpus autem extensio: illa autem nihil inter se commune habent. Resp. Spiritum in corpus operari posse, & corpus in spiritum, indubitatò probatur ex ipsa naturæ nostræ constitutione: anima enim nostra in corpus nostrum operatur, & ad illius nutum omnia corporis nostri membra quaquaversum moventur; & pro diversis, quæ anima in nobis operatur, affectibus, admodum diversam esse in corpore nostro dispositionem experimur. Similiter & corpus nostrum in animam operari non minus est evidens: quia per pravam corporis dispositionem operationes animæ impediuntur. Læso aut vitiato cerebro anima, quæ prius cogitationes suas rationi consentaneè dirigebat, impeditur, nullasque ex arbitrio rationis cogitationes elicere potest, sed sine judicio aut rationis fræno in quascunque, etiam maximè absurdas, temerarias ac vagas, delabitur. Inde colligo, aut cogitationem posse operari in extensionem & extensionem in cogitationem; aut, cogitationem non esse adæquatam ideam spiritus, nec extensionem corporis: quod malim. Non negaverim, spiritum esse substantiam cogitantem, & corpus esse substantiam extensam, ac proinde cogitationem maximè esse essentialem spiritui, perinde atque extensionem corpori. Nego autem eas esse adæquatas spiritus & corporis ideas. Potest esse vera alicujus rei idea, quæ tamen adæquata non sit. Hasce autem non esse ideas adæquatas, ita probo: quia idea cogitationis & idea extensionis nobis repræsentant duas essentias adeo diversas, ut nihil inter se commune habeant: atqui videmus communionem inter illas intercedere, adeo quidem, ut altera in alteram agat, alteraque alterius operationem in se recipiat. Cum itaque hæ operationes per nudas cogitationis & extensionis ideas explicari nequeant, inde evidenter colligo, licet extensio corporis, & cogitatio spiritus idea sit vera, neutram tamen esse adæquatam, sed præter cogitationem aliud quid requiri, ut ideam spiritus adæquatam concipiamus. Quod quid sit, me ignorare fateor. Cum itaque adæquatam spiritus ideam non habeamus, ex illa inadæquata, quam habemus, concludere non possumus, quid spiritus non possit: sed ex operationibus spiritus, quæ per ideam cogitationis explicari non possunt, colligere debemus, aut cogitationem posse operari in extensionem, licet nos illius operationis modum ignoremus; aut, quod malim, præter cogitationem aliquid requiri, ut idea spiritus perfecta & adæquata sit. Inde jam liquet, cùm anima in corpus agat, quod spiritus in corpus agere possit.

Sed hic excipitur, quòd spiritus quidem possit agere in corpus, cui unitus est; non verò in corpus, cui non est unitus. Resp. 1. Unio spiritus cum corpore æquè difficulter explicari potest per ideas cogitationis & extensionis, quam operatio spiritus in corpus. 2. Operatio spiritus in corpus, spiritui unitum, æquè difficulter per easdem ideas explicari potest, atque operatio in corpus ipsi non unitum: quia nulla est communio inter cogitationem & extensionem. Instat auctor: Nemo debet affirmare spiritum agere in corpus sibi non unitum, nisi prius probaverit, qua ratione spiritus in corpus sibi non unitum agere possit; vel saltem quòd spiritus in corpus possit agere. Resp. Si hæc illatio valeat, eodem modo ego concludam, quòd nemo debeat affirmare, spiritum corpori esse unitum, nisi prius probaverit, quâ ratione spiritus corpori, hoc est, cogitatio extensioni uniri possit. 2. Nec spiritum in corpus sibi unitum agere, nisi & probaverit, quâ ratione spiritus id possit; vel saltem, spiritum hoc posse. Dices. Hoc constat experientia. Resp. Ergo experientiâ constat, aliquid à spiritu fieri, ac proinde fieri posse, quod nos ex ideis cogitationis & extensionis, quas de spiritu & corpore habemus, probare non possumus, fieri posse. Unde sequitur; aut, quod cogitatio & extensio non sint perfectæ & adæquatæ spiritus & corporis ideæ; aut, quod cogitatio & extensio in se invicem operari possint, licet nos illud ex ideis, quas de iis habemus, probare nequeamus. Ac proinde nos idem dicere posse de spiritibus, qui corporibus non uniti sunt, quod nihilominus in ea agere possint; licet nos hoc ex ideis, quas habemus, probare non possimus. Quia illud testatur Scriptura. Eodem jure ego urgere possem, quòd non liceat affirmare, spiritus non posse in corpora agere, nisi antea probatum sit, hoc esse penitus impossibile. Atqui illud probari nequit. Etiamsi enim ex idea spiritus, quam habeo, probare nequeam, cum in corpus agere

agere posse; inde tamen minimè concludere licet, impossibile esse ut in corpus agat. Fieri enim potest, me adæquatam spiritus & corporis ideam non habere; meque non plenè percipere, quid cogitatio, quid extensio possit. Aliud est, non posse me probare aliquid posse fieri, multò minus explicare modum, quo id fieri possit; aliud, me probare, illud nullatenus posse fieri. Multa sunt, quæ possibilia esse, aut quâ ratione fieri possint, probare nequeo; quæ tamen eo ipso non probantur esse impossibilia. Quod ex operatione animæ in corpus, & corporis in animam, de qua jam disputamus, manifestum est.

Dices fortè: Deus animam & corpus ita copulavit, non ut altera in alteram agat; sed ut ad certas animæ cogitationes corpus illi unitum certos habeat motus: Deum itaque, quando quippiam cogitamus, cogitationibus nostris conjungere motus corporis illis consentaneos & respondentes. Resp. 1. Gratis hoc dici, absque ulla probatione; adde, neutiquam id esse credibile; quia hac ratione Deus concipitur in quacunque actione seu operatione hominis miraculum facere, ac miraculosâ suâ operatione concurrere, ut perficiatur id, quod homo mente concepit: Cùm autem plurima, etiam maximè horrenda ac atrocia peccata ac scelera homo mente concipiat, quæ externis corporis membris perficiuntur, Deum ad illarum perpetrationem concurrere & miraculosam suam operationem commodare: quod horrendum. 2. Si Deus hac ratione motus corporis conjungat cùm cogitationibus animæ, unde certus ero, quod Deus non similiter disposuerit, aut saltem disponere potuerit, ut ad certas cogitationes spiritus, absque corpore subsistentis, corpus aliquod certos habeat motus & agitationes? Non enim major est repugnantia in hoc, quàm in illo: præsertim cùm, ut jam aliquoties diximus, unio spiritus cùm corpore ex solis ideis cogitationis & extensionis æquè incomprehensibilis sit.

Ex hisce jam satis liquere puto, posse aliquid à spiritibus fieri, quod nos quâ ratione fieri possit concipere & explicare non possumus: ac proinde, licet nos modum, quo spiritus in nos ac corpus nostrum operentur, explicare nequeamus; non tamen propterea nos negare posse, spiritus in nos operari. Modum, quo spiritus in nos operentur, pro nostro concipiendi modo in antecedentibus explicuimus, neque quicquam gloriæ divinæ adversum, aut naturæ spiritus ac corporis contrarium, istâ explicatione contineri credo. Verùm contra illas operationes novum idem auctor torquet argumentum; quod in nobis experiamur, nos non posse cogitationes nostras aliis indicare, nisi ope loquelæ, aut aliorum signorum, quæ per corpus fiunt, quæque sensibus externis percipiuntur ab iis, quibus cogitationes nostras indicamus: nullam autem in nobis experiamur vim cogitationes nostras aliis immediatè patefaciendi. Sed respondeo 1. Ex statu animarum nostrarum, qui spiritus sunt corporibus suis uniti, minimè sequitur, eundem per omnia ipsorum fore statum, quando à corporibus suis erunt separati: ac proinde ex eo quod spiritus nostri in corporibus suis existentes facere non possunt, evidenter concludi nequit, idem ipsos à corporibus separatos facere non posse: multò minus, angelos id non posse, qui creati sunt, ut subsistant sine corporibus. Illa enim diversa conditio existendi, quam Deus utrisque attribuit, non exiguum indicium est, rationem operandi in utrisque etiam longè diversam esse agnoscendam. Hisce adde: Quod ex hac thesi sequeretur, quod Angeli, qui sunt spiritus absque corporibus subsistentes, nullam inter se habeant cogitationum communicationem, utpote destituti eo medio, quo solo cogitationes inter se communicare possunt. At cui fiet verisimile, Angelos, tam nobiles ac excellentes creaturas, imo totam angelorum universitatem, à Deo esse conditam tali in statu, ut nullam inter se communionem habeant? 2. Non dicimus, spiritus immediatè in animas nostras agere, in iis immediatè excitando cogitationes malas; sed mediante corpore, in quo spiritus animales concitant, qui phantasiam nostram diversimodè afficiunt: operationesque eorum ordinariè fieri per instrumenta quædam intermedia. Licet itaque spiritus immediatè non posset agere in spiritum; non tamen exinde sequeretur, quod spiritus mali non possent homines tentare & sollicitare ad peccatum: quia hoc faciunt intermediis aliis hominibus, tanquam instrumentis, aut intercedente aliquâ operatione in spiritus animales illius, qui tentatur. Atque hac ratione etiam alterum ipsius fundamentum satis eversum credimus.

Verùm nec ipse ille auctor ad fundamenta sua semper respicere videtur, nec iis consentanea affirmare. Docet enim, *Diabolum causam esse lapsus hominis; ideoque ipsi omne malum, quod etiam hodie committitur, jure adscribi, ratione corruptionis, quæ primum ab ipso causata etiam hodiè in mundo est per concupiscentiam.* Si enim diabolus, quamprimum peccavit, vinctus fuit catenis caliginis, & remotus ab omni commercio cum hoc mundo visibili, quomodo potuit causa esse lapsus hominis? Si enim lapsus hominis causa fuit, manifestum est, illum non penitus ab hoc mundo exclusum fuisse. Atque ita corruit primum ejus fundamentum. Inane autem est effugium, quod ad evitandum argumenti hujus ictum postea excogitavit, ipsam seductionem hominis fuisse primum illud diaboli

boli peccatum, ob quod catenis caliginis vinctus est; cùm antea expressis verbis dixisset, Angelorum quosdam in initio prius quàm homines fuisset lapsos, ipsosque statim à suo lapsu à Deo reprobatos in inferno tanquam carcere suo esse conclusos: quia nullâ praeëunte Scriptura temere hoc excogitavit, solummodò ut hanc seductionem cum doctrina sua de Diaboli exclusione ab omni commercio hujus mundi visibilis conciliare posset. Verùm nec hoc effugio alterum suum fundamentum tueri potest. Supponamus enim, seductionem hanc fuisse Diaboli primum peccatum, necessarium est, si hominem seduxerit, ut aliquam in hominem operationem instituerit, qualiscunque tandem ea fuerit. Atque ita corruit alterum ejus fundamentum.

Aliquando invadunt corpus. XXVI. Praeterea aliquando corpus hominis invadunt, quod variis morbis ac doloribus afficiunt, quorum multa nobis in Euangelio occurrunt exempla. Eorum duo sunt genera: alii per intervalla daemones in se habitare sentiunt, *Matth.* IV. 24. XVII. 15. *& seqq.* alii continuò, quorum morbi nullum per intervalla levamen habent. Quoniam verò omnis potentia eorum non est nisi naturalis, nocere solummodò possunt mediis naturalibus; vel venenum propinando, quo morbum excitent; vel corpus malè dispositum reperiendo: ita in Saule, 1 *Sam.* XVI. & duobus illis maniacis, *Matth.* VIII. 28. repererunt cerebrum male affectum; in surdo, qui difficulter loquebatur, *Marc.* VII. 32. vitium in auribus & lingua: atque ita in reliquis.

Non possum, quin hìc paucis occurram opinioni auctoris mox memorati, qui credit nullam hìc intercessisse daemonum operationem, sed daemoniacos, qui vocantur, tantum naturali laborasse morbo, eumque ex communi Judaeorum opinione daemonibus fuisse adscriptum. Fundamentum suae opinioni, praeter illa, quibus omnem Diaboli circa homines operationem impugnat, hoc substernit: Quod *Daemones* non designent spiritus illos malos, quos nos Diabolos appellamus; sed fictitios illos gentium Deos, quos credebant numina quaedam esse inferiora, quibus rerum humanarum directio à summo numine demandata erat; eos autem in Scriptura passim vocari *vanitates*, imo *nihil*. Cum autem nihil sint, manifestum est eos nihil operari posse. Ut fundamentum hoc evertam, paucis dico: Scripturam *Daemonia* non vocare *nihil*, sed *idola*; quae sunt gentilium imagines, quibus Deos suos repraesentant. Dices. Per *idola* intelligi Deos imaginibus illis repraesentatos. Resp. Me non nego, & fictitios illos Deos simul includi, sed imagines ipsae vel praecipuè intelliguntur, quia illas daemones inhabitare credebant. Sed concedamus per idola daemones intelligi: Dico secundo. Quando Scriptura daemones vocat *nihil*, aut *vanitates*, respicit falsam ethnicorum opinionem, qui daemonibus potestatem, quâ destituti erant, adscribebant; eos ergo vocat *nihil*, non quod nulli in rerum naturâ daemones essent; sed quòd potestas ac directio ipsis adscripta, quin & tota divinitas, cujus respectu colebantur, esset nihil. Quod evidentissimè liquet, quia Scriptura idola dicit esse *nihil*; atqui idola erant imagines verè existentes, & repraesentabant solem, lunam, astra, quin & defunctorum regum animas: quae etiam verè existebant. Non ergo idola erant nihil; sed divinitas ipsis attributa erat nihil: itaque ea tanquam Deos colentes reverâ colebant nihil. Hoc sensu vocem hanc in hoc negotio à Scriptoribus Sacris usurpari, manifestum est ex 1 *Cor.* X. 19, 20. quem hic auctor pro se allegat. *Quid ergo, dico quod idolis immolatum sit aliquid? Aut quod idolum sit aliquid? Sed quae immolant gentes daemoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos socios fieri daemoniorum.* Hic idolothyta vocantur *nihil*, perinde atque idola. Idolothyta autem erant victimae in idolorum honorem mactatae, & idolis consecratae; illas nemo sanus *nihil* esse dixerit. Quo sensu ergo Apostolus ea *nihil* esse dicit? Eodem quo idola *nihil* vocat. Non quia in rerum natura non erant; sed quia, licet essent res verè existentes, per illas, licet idolis consecratas, ethnici nullam communionem cum vera aliqua deitate habebant; perinde atque idola, licet essent res verè existentes, nullâ tamen verâ deitate erant praedita. Idque posteriora Apostoli verba innuunt. Quia enim inter Corinthios aliqui hac suppositione, quod idola essent nihil, allecti, idolothyta in idoleiis comedebant, eumque esum rem indifferentem credebant: Apostolus ut ostendat, idolothyta ejusmodi absque peccato non posse â Christianis comedi, addit, *quae gentes immolant daemoniis immolare*; ac proinde ipsos illo esu fieri *socios daemoniorum*. Quorum verborum sensus est: Licet idola essent nihil, hoc est, licet illa, quae idolis repraesentantur, non sint vera numina, sed divinitas ipsis adscripta planè esset fictitia, imo nihil; non decere tamen Christianos idolothyta in Ethnicorum idoleiis comedere, quoniam in illorum sacrificiis aliqui impuri spiritus colebantur, quibuscum ipsi, idolothyta comedentes, cummunionem habebant. Eodem sensu Apostolus in eadem epistola *cap.* VII. 19. de circumcisione & praeputio inquit, quod *nihil* sint: non quia revera non exstabant; sed quia in negotio religionis *nihil* erant, id est, nullius pretii ut hominem Deo commendent. Eodem sensu, quo de homine, aut re quapiam, destitutâ eâ quae illi tribuitur qualitate, dicere solemus, illum

lum, aut eam, esse *nihil. Si quis sibi persuadeat aliquid esse*, inquit Apostolus *Gal.* VI. 3. *cum sit nihil, se ipsum decipit.* Possem similia plura exempla proferre; sed res per se clara est.

Deinde, ut fortius responsionem adstruam, dico Scripturam dæmonibus existentiam & operationes attribuere, *Jacob.* II. 19. *dæmones credunt Deum esse unum, & contremiscunt.* At, inquit, *per dæmonia hic intelliguntur ethnicorum sacerdotes; qui licet variis figmentis populum decipiant, nihilominus unum tantum esse Deum credunt, & conscientiæ suæ testimonio, quando illa per occasionem è veterno suo quasi expergiscitur, contremiscunt quando de Deo cogitant.* Et ne insolens videatur, per dæmonia sacerdotes dæmoniorum significari, hanc suam interpretationem adstruere conatur tribus locis è Prophetis depromptis: *Jerem.* LI. 44. *Visitabo super Bel in Babylone, & ejiciam quod absorbuerat de ore ejus. Ezech.* XXX. 13. *Hæc dicit Dominus, Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis. Jerem.* L. 2. *Confusus est Bel, victus est Merodab, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum.* Verùm in nullo horum textuum quicquam est pro hac explicatione. Nam usitatus loquendi modus est, quando gentes in captivitatem abducuntur, etiam Deos ab ipsis cultos dici in captivitatem abduci: quia nempe eorum imagines & omnia donaria à victore auferri, & sic quasi in captivitatem abduci solebant. Similem loquendi rationem vide *Jerem.* XLIII. 12. XLVIII. 7. XLIX. 3. Quando autem populi, idolorum illorum cultores, unà cum idolis in captivitatem abducuntur, Deus etiam illorum cultum, ac proinde ipsa idola, quatenus inani hominum opinione ipsis divinitas adscribitur, cessare facit, ostenditque, penes illa rerum humanarum directionem nequaquam esse: & destructo illo cultu, Deus etiam omnia sacrificia & donaria diripi facit; quod propheta stylo prophetico efferens, ait, Deum *ex ore Belis quod absorbuerat ejecturum:* non aliter, ac si sacrificia ac donaria ipsi oblata absorbuisset; & nunc, cum in aliorum potestatem dabantur, ea rursus evomiturus esset. Eadem loquendi ratione *Bel confusus* dicitur: quia Deus per direptionem illam evidentissimè demonstraturus esset, nullam Beli inesse divinitatem: & quoniam illi, qui victoris jugum subeunt, eoque impotentes esse ipso facto ostenduntur, pleni confusione esse soleant, ideo per figuratam loquendi rationem stylo prophetico *Bel confusus* dicitur. Nihil itaque in hisce locis est, quod Belem pro sacerdotibus Belis accipere suadeat. Verum, dato quod *Bel* apud Prophetas significet Belis sacerdotes, nulla ratio suadet, ut exinde concludamus, *dæmonia* apud Jacobum dæmoniorum sacerdotes significare

Non tantùm, quia prophetarum stylus, utpote variis figuratis locutionibus abundans, admodum diversus est ab Apostolorum stylo, qui simplex est & tantum ad docendum comparatus: sed etiam, quia de materia longè diversa loquuntur, quàm Apostolus Jacobus. Prophetæ enim, vastationem Babylonis prædicentes, etiam idololatriam passim illic vigentem exscindendam vaticinantur: quia autem sacerdotes præcipui idololatriæ ministri sunt, etiam illi excidio isti involvuntur; atque ita forte dici posset, sub idolis etiam comprehendi, aut forte per idola stylo prophetico intelligi posse idolorum sacerdotes. Jacobus autem Apostolus nihil locutus de idolis, aut idolorum cultoribus, disputat contra eos, qui docebant, solam fidem absque operibus sufficientem esse ad justificationem ac salutem. Ut validius eos confutet, argumentum desumit à dæmonibus, qui etiam credunt Deum esse unum, qui tamen propterea salvi non erunt, sed inevitabili damnationi sunt destinati, ac proinde, quoties de Deo cogitant, contremiscunt. Quid in toto hoc discursu est, quod ad idolorum sacerdotes referri debeat, ideoque *dæmonia* per sacerdotes idolorum seu dæmoniorum explicare suadeat? Nihil planè. Nec ratio permittit, ut de sacerdotibus idolorum hæc accipiamus. Quæ enim ratio, quod Apostolus in hac disputatione magis exemplum capere velit à sacerdotibus idolorum, quàm aliis enormibus peccatoribus, de quibus non minus certum est, quod seriò de Deo cogitantes contremiscant, quàm de idolorum sacerdotibus? 2. Unde constat, quod idolorum sacerdotes crediderint, unum tantum esse Deum? Imo contrarium liquet, ipsos revera plures credidisse Deos: & licet forte unum tantum summum crediderint Deum, plures tamen illi subordinatos, qui in regimine mundi partem habuerunt, verè crediderunt. Quod etiam auctor hic totâ suâ de dæmonibus disputatione adstruere contendit. Unde 3. sequitur, quod credentes, unum summum esse Deum, & plures illi subordinatos, idque docentes populum, propriæ conscientiæ testimonio non sint condemnati; ac proinde nec contremuerint de Deo cogitantes: sed pessimo suo errore excæcati se Deos suos rectè colere crediderint, ac in statu suo acquieverint: perinde atque illi, qui Apostolos occidendo Deo se obsequium præstare credunt. Saltem si quando justo judicio divino horrore quodam correpti fuerint; nulla est causa cur hoc magis eximiè & speciatim de ipsis dicatur, quàm de aliis sceleratis, qui contra conscientiæ dictamen quævis immania flagitia commiserunt. 4. Tandem si ea mens esset Apostoli, non usus esset oratione adeo obscurâ, sed ipsos sacerdotes nominasset; ut ita in hac sua disputa-

 tione,

tione, quæ maximæ ad salutem utilitatis est, statim à quibusvis distinctè intelligatur. Sensum loci hujus paulò diffusius adstruxi, & ab objectionibns vindicavi, quia per illum solum sententia de dæmonibus, quod sint nihil, seu in rerum natura non existent, validissime confutatur.

Ita hoc fundamento destructo, facile erit ostendere, dæmoniacos, quorum exempla passim in Euangeliis occurrunt, non morbis naturalibus fuisse correptos, sed dæmonum interventu morbos illos vere in ipsis fuisse excitatos. Tota enim Euangelii historia testatur, fuisse afflictionem à dæmone, imò dæmonum multitudine excitatam: dæmonesque, cum ejicerentur, sæpe magno cum clamore exiisse, in testimonium, quod corpora hominum verè obsederint. Et quicquid forte objici aliis exemplis possit, dæmonum interventu in duobus illis, quorum mentio fit *Matth.* VIII. 28. & seq. fuisse excitatam maniam, documento est immissio ipsorum in porcos, qui ab illis correpti summo cum impetu præcipitati sunt in mare: non enim mania, quæ affectio cerebri est, à cerebro affecto separari potest, & transire in aliud cerebrum, idque æquali ratione afficere: sic enim accidens è subjecto migraret in subjectum. Nulla hic cum specie dici potest, Scripturam tantum loqui ex communi vulgi opinione, quod credidit, morbos illos dæmonum vi in hominibus excitari, ac Dominum Jesum se illi vulgi opinione minimè opposuisse, quoniam non venit, ut errores de rebus naturalibus hominum mentibus eximeret, aut veritates philosophicas doceret, sed solummodò viam consequendi vitam æternam per vivam fidem monstraret. Nam etsi fateamur, Dominum Jesum non venisse, ut veritates philosophicas doceret; nec ipsum vulgi errores semper, oblatâ etiam sibi commoda occasione, refutasse: non tamen dici potest, ipsum errorem adeo gravem, qui religionis jugulum petit, &, auctore hoc judice, Deum honore suo spoliat, alterumque Manichæorum Deum introducit, intactum præteriturum fuisse: non enim cum sincera salutaris veritatis doctrina error adeo perniciosus consistere potuisset. Sed supponamus, Dominum Jesum se hominum infirmitati eatenus accommodare voluisse, ut errorem illum ex professo non refutaret; non tamen credendus est illum stabilire voluisse, aut miracula sua ita edidisse ac direxisse, ut illius erroris confirmatio inde juxta miraculorum naturam consequi debuerit. Nec ullum ex historia Euangelica miraculum proferetur, quod in sese spectatum errori alicui confirmando comparatum fuit, multò minus quod pernicioso ejusmodi errori, quo Deus honore suo spoliatur, vel minimum confirmando inserviit. At supponentes, non fuisse dæmones in hominum corporibus, sed adstantes solummodo falsa de dæmonibus persuasione fuisse præoccupatos, ægrosque aut maniacos phrenesi correptos non aliter locutos ac si à dæmonibus obsiderentur, Dominumque morbum sanaturum sermonem suum ita temperasse, perinde ac si dæmonem alloqueretur; quid inde aliud exspectari poterat, nisi ut populus in falsa sua Deoque summè contumeliosa de dæmonibus opinione confirmaretur? Præsertim si consideremus duos illos dæmoniacos *Matth.* VIII. & miraculosæ ipsorum sanationis modum. Narrantur dæmones conquesti, quòd Dominus eos torqueret ante tempus, Dominumque orasse, ut, si eos ejicere vellet, concederet abire in porcos: Dominus id concessit: mox egressi è duobus hominibus invasere porcos, qui maximo correpti impetu in mare præcipitati sunt. Si hæc solummodò fuit mania, falsaque hominum persuasio quod à diabolis obsiderentur; non dicam jam, quomodo mania, quæ affectio cerebri humani erat, ab illo separari potuerit, & porcorum cerebrum afficere: sed si supponamus, Dominum malam cerebri affectionem in hominibus illis sanasse, & in porcorum cerebro similem affectionem excitasse, indeque natam in illis maniam; dico, totum hoc miraculum, si omnes illius circumstantiæ expendantur, naturâ sua eò spectasse, ut populus in suâ de dæmonibus opinione confirmaretur, indeque gloriam ac potentiam Domini Jesu agnosceret. Tota enim hæc actio repræsentavit coram Judæis ejectionem dæmonum. Duo illi homines clamant, non aliter ac si dæmones ex eorum ore loquerentur, orarentque ne Dominus illos ex hominibus illis ejiciat; si tamen id velit, abire permittat in porcos: Simulac Dominus hoc illis permittit, porci subito quasi impetu correpti in mare præcipitantur, & duo illi homines sani ac mentis compotes sunt. Si autem nulla hic dæmonum operatio intercesserit, sed totus hic morbus fuit naturalis tantum mania; an cuiquam credibile esse potest, Dominum Jesum coram Judæis, quorum animis opinio illa de dæmonum operationibus alte infixa erat, miraculum voluisse, quod speciem præbuit ejectionis dæmonum, edere, atque ita superstitiosam ac perniciosam illam in animis ipsorum opinionem ita confirmare voluisse, ut postea inde evelli non posset? Quis sanus hoc dixerit? Ex quibus liquet, sententiæ auctoris hujus fundamenta adeo omni soliditate esse destituta, ut nulla necessitas cogat, tot violentas, contortas & alienas locorum Scripturæ Sacræ, quæ de diabolorum, seu immundorum spirituum ac dæmoniorum operationibus, seductionibus ac tentationibus loquuntur, explicationes comminisci, ne videlicet Scri-

ptura

ptura quicquam contineat, quod cum malorum angelorum post suam à Deo apostasiam statu, aut cum spirituum natura conciliari nequeat: ac proinde ea aut de hominibus, aut de spiritu concupiscentiæ, hoc est, ipsâ concupiscentiâ in hominibus dominante, aut de morbis tantum naturalibus interpretari necesse sit, non sine violenta verborum Scripturæ, alias per se satis perspicuorum, in alienum sensum detorsione: quæ detorsio vel sola omnes illius coactas & quæsitas interpretationes merito suspectas reddit.

An hodie dentur dæmoniaci. XXVII. Quæri hic posset, an hodie etiam inter Christianos dentur dæmoniaci? Nobis id vix est credibile; aut si dentur, admodum credimus esse raros; quoniam diaboli vires per Euangelium admodum sunt diminutæ: hinc Dominus dicit *Luc.* x. 18. *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*; ad prædicationem nimirum Apostolorum: & Paulus *Rom.* xvi. 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* &c. 1 *Joan.* iii. 8. *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* In initio prædicationis Euangelii multi erant dæmoniaci; quod sapienti Dei directione factum, ad Domini Jesu, ipsos solo nutu ac verbo ejicientis, gloriam demonstrandum, ac Euangelii, quod prædicabat, divinitatem confirmandum. Ideò Dominus Jesus ita argumentatur *Matth.* xii. 28. 29. *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.* Hinc & sæpius antequam ejicerentur exclamabant, *quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Matth.* viii. 29. *Luc.* iv. 34. ut ita vel inviti testimonium Domino Jesu perhiberent, se illius jussu abire. Nunc verò qui inter Christianos dari dicuntur dæmoniaci, plerumque ab impostoribus quibusdam deprehenduntur esse subornati. Quin tamen inter gentes, uti in India, Sina, America, etiam hodie dentur dæmoniaci, non negamus; præsertim cùm multorum testimonio id confirmetur, & dæmon ibi adhuc in regno tenebrarum principatum obtineat; quos etiam à Christianis in confirmationem divinitatis, non singularium quorundam dogmatum, de quibus inter Christianos controvertitur, sed totius Religionis Christianæ, expelli posse, nulli dubitamus.

Unde dignosci possint. XXVIII. Quæritur porrò, ex quibus signis deprehendi possint dæmoniaci? Quidam exigunt, ut loquantur linguis ignotis & peregrinis, futura prædicant, aliaque his affinia. Sed nihil hujusmodi de dæmoniacis in Scriptura legimus. Alii sufficere credunt, si inusitata quædam in morbis à peritis medicis deprehendantur. Sed quoniam hoc fallere potest, præstat hic cautè procedere, nihilque temerè definire.

XXIX. Tandem quæritur, an diaboli, corpus hominis obsidentes, per collusionem à diabolo ejici possint? Resp. Nullo modo. Non enim pro arbitrio hominem obsident, sed jussu Dei tanquam tortores ac carnifices: Unde nec pro arbitrio suo è corpore decedere, nec ita se in corpore occultare possunt ut deprehendi nequeant: proinde nec per collusionem ejici possunt, sed sola virtute divina. Quod nisi statuamus, Judæis suspecta reddemus miracula Domini Jesu, ipsorumque blasphemiam confirmabimus. *Non possunt ejici, per collusionem.*

CAPUT XXI.

De mundi bujus adspectabilis Creatione.

I. Secunda creatio est materiæ illius rudis, quam antea ex nihilo esse conditam ostendimus, in aptam illam mundi hujus visibilis compagem digestio; quæ propterea κόσμος seu mundus appellatur. Mundum hunc visibilem ex præjacente materia, quam antea ex nihilo creatam probavimus, esse conditum, docet clarè satis historia creationis *Genes.* 1. & non obscurè liquet ex *Hebr.* xi. 3. ubi mundus dicitur conditus μὴ ἐκ φαινομένων *ex non apparentibus:* hoc est, ex materia rudi & indigesta, in qua rerum exinde exortarum principia non apparebant. *Creatio secunda.*

II. Creationis hujus historia aliunde quàm ex initio Geneseos peti non potest. Dicitur illic, *spiritum Dei incubuisse aquis.* Ubi per *spiritum Dei* intelligimus vel ventum ingentem à Deo aquæ immissum, qui eas moveret; vel agitationem quandam divina virtute productam; ut continuo isto motu terra conservaretur ne putresceret; aut ut in ea conservaretur vis illa vivifica, ex qua omnia postea producta sunt. *Ea describitur Genes. 1.*

III. Creatio sex dierum spatio est peracta, uti Moses disertè narrat, & uniuscujusque diei opus singillatim recenset. Unde liquet, Deum omnia simul non condidisse, & eodem instanti. Non enim Moses tum dicere potuisset, sex diebus omnia creata. 2. Nulla posset dari ratio ordinis à Mose in creationis historia observati; quod Deus primo die creaverit lucem, secundo expansum, tertio terram, atque ita porro. Non enim dici potest Mosem respexisse naturalem rerum dependentiam, illudque priore loco posuisse, quod rationem habet causæ, & posteriore, quod habet rationem effecti: quia tum creationem Solis descripsisset ante creationem lucis, quoniam lucem à Sole tanquam sua causa dependere videmus. 3. Nulla etiam posset dari ratio præcepti divini, quo præcepit sanctificari diem Sabbathi, & quidem propterea, quia sex diebus mundum creavit, & septimo quie- *Peracta est sex diebus.*

vit. Dices. Legitur tamen *Genes.* II. 4. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram.* Resp. *Diem* hic denotare tempus, phrasi scriptoribus sacris usitata. Non enim credibile est Mosen, qui capite primo distinctis diebus creationem peractam dicit, manifestâ contradictione statim capite sequenti omnia uno die esse creata scribere voluisse. Dices. Attamen *Ecclesiastici* XVIII. 1. dicitur, quod Deus *creavit omnia simul.* Resp. 1. Liber est apocryphus, cujus auctoritate in dogmatibus fidei stari non potest. 2. In Græco legitur κοινῇ, quod non significat *simul*, error is est Vulgatæ versionis; sed *communiter* ac *pariter*. Sensus est, omnia pariter à Deo esse condita, adeo ut nihil sit, quod à Deo conditum non sit.

Opus autem cujusque diei, momento. IV. Non tamen credimus Deum sex integros dies creationi impendisse; sed cujusque diei opus momento creavisse: non enim indiget Deus tempore ad opera sua efficienda; sed solo verbo, imo nutu, omnia efficit. *Psal.* XXXIII. 6. Voluit tamen pro summa sua sapientia omnia distinctis temporum intervallis condere. Temerè itaque & præter Scripturam à quibusdam definitur, Deum materiam illam primam variè agitasse, & per motum illi à Deo impressum sex dierum spatio mundum hunc visibilem necessariò enatum, & singulis quidem diebus ex varia materiæ agitatione speciale opus emersisse. Cùm enim altum de eo in Scriptura sit silentium, id definire velle temerarium est. Et cùm Deus primam creationem momento peregerit, quæ ratio cogit, idem non de secunda statuere? Tum hoc si statuamus, non video cur tantopere abhorreamus credere Angelos hujus creationis fuisse ministros; cùm & illi motum localem materiæ possint imprimere, ex cujus varia agitatione mundus exoriatur. Si verò creationem momento paractam statuamus, clarius patebit, nullas creaturas, quantumvis excellentes, Dei in hoc opere ministras esse potuisse: quoniam vis creata eò assurgere nequeat, Deusque in hoc opere omnipotentiæ suæ apicem exseruerit. Dices. Si singulorum dierum opera Deus momento condidit, jam quievit ante septimum diem: singulis nempe diebus. Resp. Dicitur Deus quievisse septimo die, quia non produxit illâ nova opera: sex autem diebus continuò alia ac nova produxit. Licet itaque Deus singula quotidie momento creaverit, quia tamen alia juxta illius decretum creanda restabant, mundusque nondum erat perfectus, quievisse rectè dici non poterat.

Opus primi diei, Lux, V. Initium creationis fecit Deus à *luce*, quia omnia tenebris involuta erant; ut ita omnia conspicua fierent, & secuturæ creationis gloria illustrior esset. Lux autem hæc non fuit nuda qualitas, sed substantia lucida, quam Deus creavit, & ex qua credibile est postea solem & reliqua astra formata esse. Primo nempe diē substantia lucida, in nullam certam formam redacta, creata videtur, quæ per vices modo hanc, modo illam terræ partem illuminaverit, atque ita discrimen diēi ac noctis fecerit. Quarto autem diē videtur Deus substantiam illam lucidam in certa quædam corpora collegisse & quasi constipasse, uti mox dicemus.

Secundi, Expansum. VI. Secundo diē creavit Deus *expansum:* ita enim vertenda vox Hebræa רקיע: LXX. verterunt στερέωμα, Latinus interpres, *firmamentum*: quo sensu, incertum. Expansum hoc videtur esse extensio spatii illius, quod à terra ad supremum usque cœlum extenditur, quodque particulis subtilioribus, à crassa illa molis terræ materia separatis, repletum est: in quo non tantum nubes, quas per aquas superiores intelligi credimus, collocatæ sunt, & per intercedentem aërem ab aquis inferioribus, mari, fluminibus, & lacubus separatæ, sed & astra sunt posita: ut manifestò liquet ex *vers.* 14, 15, 16, 17. Nec ulla est ratio, quæ suadeat vocem רקיע alio sensu accipi illo in loco, quàm hoc, imo continua & non interrupta orationis series evincit, idem hic expansum, quod illic, intelligendum esse; neque absque temeritate definiri potest, cum expansum *vers.* 14. *&c.* denotet cœlum, in quo astra lucent, hoc loco tantum designare aërem inferiorem, oppositè ad cœlum superius. Hæc ita præter Scripturam ex propria auctoritate magistraliter dictare, hominum est nimium propria commenta deamantium.

Quid id, sit. VII. Expansum itaque nobis est totum illud extensum, quod cœli nomine vulgò appellari solet, visibilis nempe; in quo & aves volant, quæ propterea *volucres cœli* appellantur, *Matth.* VI. 26. & nubes sustinentur, & astra micant; usque ad cœruleum illum fornicem nobis conspicuum; qui cœlum illud supremum, Dei domicilium, tanquam velum ac siparium à conspectu nostro sejungit. Utrum verò cœlum illud orbicularis, an quadratæ, an alterius figuræ sit, incertum est, nec determinari potest. Non enim, quia nobis apparet semi-circulus, figuræ esse orbicularis concludi potest. Pone enim ulterius in immensum extendi, adeo ut illius fines à nobis visu discerni nequeant, necesse est, quoniam undiquaque circum nos diffusum est, ut nobis appareat figurâ orbiculari. Verùm nos disquisitionem hanc Astronomis ac Philosophis relinquimus.

Tertii, Terra. VIII. Creato cœlo Deus tertio diē *terram* creavit, aquas nempe terram undique ambientes congregavit *in unum* locum; hoc est, in cavitates terræ insculptas; in quas cùm

cùm influxissent aquæ, emersit arida seu terra, ut esset idoneum habitaculum animalibus & hominibus; & aquis istis jam per benedictionem divinam luce ac calore perfusis, veluti fœcundo semine in visceribus suis recepto, apta redderetur ad quosvis fructus proferendum. Idque etiam statim factum: nam eodem diëi terra produxit herbas & arbores fructus & semen emittentes. Productæ autem sunt omnes herbarum species, quæ singulæ proprio semine ad individuorum continuam propagationem donatæ sunt. Excipe herbas noxias, spinas, tribulos, aliasque, quæ è terra ob peccatum hominum à Deo maledicta postea enatæ sunt: *Genes.* III. 17, 18. Earum autem semina etiam in principio à Deo creata & terræ indita credimus: ita ut nulla exstet herbæ species, quin vel ipsa, vel saltem ejus semen, in initio à Deo creata sit. Non tamen noxiarum herbarum semina eruptura, ac herbas productura fuisse credimus, nisi homo peccasset; sed virtute divinà in terræ gremio aut otiosa detinenda fore, aut per particularum dissolutionem rursus destruenda. Non enim concipi potest, quomodo id, quod Deus in pœnam peccati hominis produxit, exstare potuisset, si homo in integritate perstitisset.

Quarti, Astra. IX. Quarto die creavit Deus omnia Astra, Solem, Lunam, & Stellas. Lucem nim: primo dië creatam, videtur Deus in certa corpora conglobasse & quasi constipasse. Lux autem mihi aliud nihil est, quam particulæ igneæ, quæ & lucem & calorem producendi vim habent. Particulas illas igneas, in certum aliquod corpus necdum coacervatas, Deus collegit & constipavit in astra propria suâ luce lucentia: hæc enim non videntur esse, nisi corpora ignea, ex plurimis corpusculis igneis condensata; & lux ab illis emissa, non nisi continua particularum ignearum effluxio, quas motu & agitatione sua continuò ejaculantur. Planetæ verò, qui propria luce non lucent, videntur esse corpora opaca, in quæ lux à Sole emissa incidens reflectitur: unde & pro vario situ, quem ad nos & ad solem habent, lux eorum variat, & vel intenditur, vel remittitur, ipsique lucidi, vel obscuri nobis apparent: uti id in variis Lunæ phasibus clarè liquet.

Sol & Luna luminaria magna. X. Dicitur autem Deus creasse duo luminaria magna, *Solem*, qui præësset diëi, & *Lunam*, quæ præësset nocti. Non, quod Luna reliquis astris major sit; quam constat multis vicibus stellis superioribus minorem esse: sed quia nobis luminare majus apparet, & revera propter suam vicinitatem majorem nobis lucem, quàm astra longissimè dissita, communicat. Ratione ergo majoris luminis, quod ab ipsa percipimus, luminare majus rectè vocatur.

Eorum usus. XI. Luminaria autem hæc condita sunt, non tantum ad discrimen inter diem & noctem constituendum; sed & ut sint *signa temporum*, id est, ut annum distribuant in suas tempestates, ver, æstatem, autumnum & hyemem: & hac ratione tempora sementis, messis & vindemiæ indicent; tum & festa Sabbathorum, neomeniarum, aliorumque, quorum omnium vicissitudo à motu Solis & Lunæ dependet. Signa enim hîc intelliguntur plana, facilia, ac cuivis obvia. Non itaque intelliguntur signa futurorum, à libero hominis arbitrio dependentium, qualia astrologi judiciarii quærunt: hæc enim multo labore sunt excogitata, temerè & sine ulla ratione, nulla præëunte revelatione divina efficta, puris cerebri humani figmentis innixa, fallacia & incerta, quæ ut plurimum destituuntur eventu, & de quibus utrum plus vanitatis, an impietatis ac superstitionis habeant, meritò quis ambigat.

Quinti, Pisces & Aves. XII. Quinta die *Pisces* & *Aves* Deus produxit. Proprium itaque hujus diëi opus est, quod in ea primum producta sit anima vivens: illiusque non quidem omnes, sed excellentissimæ indicantur proprietates; reptatio, & volatus. Reptatio in aquis tribuitur piscibus: quia piscium motus in aquis similis est reptilium motui; quæ sicut super ventrem & pectus in terra, ita & pisces in aquis moventur: volatus in aëre, avibus. Peculiare huic diëi fuit, quod in ea prima mentio fiat benedictionis divinæ, quâ Deus piscibus & avibus benedixisse legitur, ut crescerent ac multiplicarentur: indidit nempe ipsis vim prolificam, & instinctum ad generandum, tum ad speciëi conservationem, tum etiam ad individuorum multiplicationem.

Sexti, Animalia, & Homo. XIII. Sexta dië creata sunt animalia terrestria, & tandem homo, de quo speciali capite dicemus. Animalium terrestrium tres species enarrat Moses: Bestias; per quas intelligimus animalia fera & sylvestria, ut leones, ursos, lupos, &c. quæ tamen in initio ante peccatum hominis, ferinam licet habuerint naturam, eam non ita exeruisse, prout nunc, sed eam postea ex solitudinibus & sylvis, ac mutua laniandi libidine valdè esse auctam, adeo ut nunc nullus inter ea & homines convictus intercedat, credibile admodum est. Jumenta, quæ propriè sunt animantia usui hominis destinata, & mansueta ac domestica, ut boves, oves, equi, &c. Et reptilia: qualia sunt serpentes, vermes, lacertæ, variæque insectorum species. Omne enim ejusmodi animalculorum genus in initio creatum credimus, nec ullas postmodum species (nisi forte ex commistione duarum dissimilium) enatas, quin vel ipsæ, vel ipsarum semen, ex quo postea enatæ sunt, illo dië productum sit.

CA-

CAPUT XXII.

De Creatione Hominis.

Creatio hominis. I. CReatâ terrâ, omnibusque in ea plantarum & animantium speciebus, tandem placuit Deo, ut operi creationis colophonem imponeret, omnium operum suorum præstantissimum, cujusque causa omnia hæc condidit, vid: hominem, creare: quem, ut omnium ἀκμὴν ultimò creavit; ut in domicilium aptum, omnibusque ad vitæ usum instructissimum, introduceret.

Quid sit, faciamus hominem. II. In creatione hominis hoc singulare est, quod Deus eum producturus, non simpliciter dixisse legatur, fiat homo, ut prioribus diebus, fiat lux, fiat expansum, &c. sed quasi consilio ac deliberatione usus fuerit, *Faciamus hominem.* Non quod deliberatione aut consilio ad hominis creationem opus fuerit, aut quod hîc propriè dicta deliberatio instituta fuerit, sive inter personas Sanctæ Trinitatis, sive Dei cum Angelis: sed tantum, ad indicandum operis futuri excellentiam, quod ipse Deus peculiari ratione, quasi manibus suis & afflatu proprio esset producturus, contradistinctè ab aliis operibus, quæ solo verbo ac nutu produxerat. Locutio itaque illa pluralis numeri, non est plurium inter se de hominis creatione consultantium: sed modus usitatus loquendi auctoritate pollentium, indiciumque majestatis. Qua loquendi ratione etiam reges & principes mundani uti solent, cùm aliquid mandant, loquentes de se in plurali numero. Eadem loquendi figura utitur etiam Dominus Jesus *Joan.* III. 11. ***Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur; sed testimonium nostrum non recipitis.*** Simile exemplum vide *Esa.* VI. 8. I *Cor.* IV. 8.

Creatio corporis humani. III. In hac autem creatione distinctè formatio corporis, deinde creatio animæ consideranda est. Corpus Deus formavit è terra, seu pulvere terræ, ut dicitur *Genes.* II. 7. Inde homo Latinis dictus ab humo creditur. Et hoc respectu Apostolus dicit I *Cor.* XV. 47. *Primum hominem ex terra factum terrenum.* Fœminæ vero corpus Deus formavit ex costa viri, ut esset individua vitæ socia, quam à viro tanquam proprium corpus, carnem de carne, & os de ossibus suis, diligi Deus voluit.

Finis excellentia. IV. Corpori humano Deus attribuit figuram erectam, ut non pronus, reliquorum instar animalium, terram spectet, sed erectos in cœlum attollat oculos, creatoremque suum suspiciat. 2. Insignem pulchritudinem & aptissimam membrorum configurationem, & inter se commissuram; ut idoneum esset animæ organon, per quod operationes suas exercere possit: estque id tantâ arte ac prudentiâ dispositum, & connexum, ut si quis vel unum membrum transponat, demat, superaddat, statim se non tantum structuræ venustatem vitiasse, sed & aptitudinem ad animæ inserviendum destruxisse, deprehensurus sit. 3. Organa sensus, per quæ anima non tantum omnia objecta ex se cognoscere & dijudicare posset, sed & percipere voluptatem & dolorem, per quæ appetitus, qui vocatur sensitivus, in homine excitari posset; ut ita idoneum esset subjectum, cui Deus legem præscribere, quique legis observatione, omittendo quod carni voluptatem, vel faciendo quod carni dolorem conciliat, obedientiam suam Deo probare posset.

V. Corpori ita ex terra formato Deus animam inspiravit, *Genes.* II. 7. An ita etiam Evæ animam inspiraverit, nusquam Scriptura exprimit. Qualis actio hæc spiratio divina fuerit, explicari nequit. Certum est, eâ denotari immediatam Dei productionem, quâ Deus animam creavit, & corpori jam formato univit. Unde rectè colligimus, animam non è temperatura corporis esse eductam, atque ita rursus cum corpore perire; perinde uti flamma ex oleo educitur; sed esse immaterialis substantiæ, quæ per se extra corpus subsistere ac proinde corpore moriente & intereunte superstes esse, quin & extra corpus functiones sibi proprias exercere valeat. *Creatio animæ.*

VI. Hæc ut Scriptura de anima affirmet, vocat eam *spiraculum vitæ*, id est, animam viventem, *Genes.* I. 27. Ita autem vocatur ad distinctionem Jesu Christi jam in cœlis exaltati, & nostri in futuro seculo, I *Cor.* XV. 45. ***Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.*** Hic nempe est anima vivens, quoad essentiam suam nil nisi vita; attamen quæ corpus in vita sustinere, & in corpore subsistere nequit, nisi intercedente alimento, omnibusque corporis sustentationi necessariis: in futuro verò seculo erit spiritus vivificans; qui ut corpori conjunctus maneat, non indigebit alimento aliisque externis; sed propriâ ac insitâ sibi virtute corpus continuò vivificabit. Cùm autem animæ essentia sit vita, ipsaque sit immaterialis, à corpore non dependens; manifestum est, eam immortalem esse, & unà cum corpore destrui non posse. Sic dicitur *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 4, 5. homines ***qui corpus occidunt, animam*** unà ***occidere non posse.*** Quod clarius evincitur exinde, quod animæ à corpore separatæ ***ad Deum redire*** dicantur, ***qui dedit illas***, *Eccles.* XII. 7. manifesto indicio, quod post mortem superstites sint, neque corporis sustentatione ad sui subsistentiam indigeant. Hinc non tantum Dominus Jesus moriens Patri spiritum suum commendat, *Luc.* XXIII. 46. & ad exemplum illius Stephanus protomartyr, *Act.* VII. 59. sed & fideles morientes *Ea est immortalis.*

juben-

jubentur *Deo*, tanquam *fideli creatori*, *animas suas commendare*, 1 *Pet.* IV. 19. ut nempe eas in diem usque resurrectionis custodiat, corpori resuscitato rursus uniendas. Quod sanè, nisi superstites essent, frustraneum omninò foret. Hunc in sensum & Paulus dicit, 2 *Timoth.* 1. 12. *Scio cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Estque id fundamentum fidei nostræ: quia aliàs eorundem numero hominum resurrectio credi non potest. Anima enim si cum corpore intereat, planè exstinguatur necesse est; ac proinde eadem numero reproduci non potest. Si verò superstes maneat: cum corpore resuscitato reuniri potest. Atque ita eundem numero constituet hominem.

Operationes sibi proprias extra corpus exercere potest. VII. Quod autem addimus, animam extra corpus operationes sibi proprias exercere posse, etsi Scriptura expressis verbis non affirmet, ipsa tamen natura animæ arguere, & ex iis, quæ Scripturâ continentur, satis solidè colligi videtur. Verba sunt divi Pauli 2 *Cor.* XII. 2. *Novi hominem, qui in tertium usque cœlum raptus in paradisum fuit, an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus novit.* Unde non sine ratione colligimus, si Apostolus nesciat, utrum in corpore, an extra corpus in cœlum raptus sit, quod crediderit, spiritum extra corpus non tantum subsistere, sed & functiones sibi proprias exercere, hoc est, cogitare & revelationes Dei cognoscere posse. Nisi enim id credidisset, certò certius novisset hanc revelationem sibi non extra corpus, sed in corpore, factam fuisse. Idem videtur probari ex parabola divitis epulonis & Lazari, *Luc.* XVI. Sermones enim, qui illis post mortem attribuuntur, neutiquam ipsis applicari possunt, nisi anima post mortem cogitare, operationesque vitales edere concipiatur.

Id exigit natura animæ. VIII. Sed & ipsa animæ natura id exigere videtur. Non enim concipi potest, quomodo anima, cujus actus maximè naturalis est cogitatio, subsistere possit absque ullo cogitandi actu: præsertim cum hic deprehendamus, animam ad cogitandum propriè non uti instrumento corporis; imo cum se meditationibus seriò tradit, se quam maximè potest à corpore abstrahere, atque ea quæ corpus spectant, & per corpus ad ipsam deferuntur, non percipere, aut saltem non considerare. Quid ni itaque planè à corpore separata cogitare, functionesque sibi proprias exercere possit?

CAPUT XXIII.

De Intellectu & Voluntate hominis.

Intellectus & voluntas non sunt duæ facultates realiter ab anima distinctæ. I. Animæ humanæ duæ sunt facultates, seu potius actus essentiales, Intellectus & Voluntas. Vulgaris opinio est, esse has duas facultates, seu potentias, realiter ab anima & à se invicem distinctas. Verùm sententia hæc gravissimo hoc argumento impugnatur. Si sint in anima duæ ejusmodi potentiæ realiter à se invicem distinctæ, tum necesse est ut statuamus in anima esse duas potentias, quarum una tantum possit intelligere & dijudicare, nihil autem velle: altera verò nihil intelligere & dijudicare, sed solummodò velle ac nolle. At si hoc verum est, tum sequetur, aut voluntatem sine ulla electione ac consilio, bruto tantum impetu ferri in quodvis objectum, utpote quæ solummodo velle, nihil intelligere ac dijudicare possit: aut ab ultimo judicio intellectus determinari ad necessariò volendum aut nolendum. Utrumque autem maximè est absurdum. Prius. Quia si actio voluntatis sit bruta, omnis ratio virtutis ac vitii tollitur, quæ consistit in electione ejus, quod rationi consentaneum, & rejectione illius, quod rationi adversum est. Nulla autem talis electio esse potest in actione bruta. Ac proinde nec dici posset, unum hominem magis secundum rationem vivere, quàm alterum. Posterius. Quia tum actio voluntatis necessaria redditur; quia voluntas non potest declinare, quin sequatur quod intellectus sequendum dictat. At sic tollitur omnis legislatio, omnis ratio virtutis ac vitii, & per consequens, præmii & pœnæ.

Anima immediate per seipsam intelligit & vult. II. Hæc ratio tanti momenti est, ut tantum non demonstret tales duas realiter distinctas in anima potentias non dari. Quid ergo? Anima immediatè per seipsam, absque ullis intervenientibus potentiis ab anima emanantibus, intelligit & vult. Et quia diverso modo occupatur circa unam eandemque rem, hinc etiam diversæ ipsi juxta nostrum considerandi modum attribuuntur potentiæ. Cum rem intelligit & dijudicat, dicitur intellectus: cum in illam fertur, dicitur voluntas. Et licet intellectus & voluntas actus animæ sint, tamen quia anima non semper actu quid intelligit aut vult, & modò ad hoc, modò ad illud intelligendum aut volendum se applicat, & potentiam habet hanc suam actionem sistendi, & in aliud objectum dirigendi, hinc tanquam duæ potentiæ seu facultates considerantur. Attamen ipsa est anima, quæ immediate per seipsam & suam essentiam intelligit & vult; & quidem volitione prorsus libera, qua consilium intellectus aut prudenter sequi, aut brutè rejicere ac contemnere potest. Dices. Solius Dei est, immediatè agere. Resp. Solius Dei est, independenter agere; immediatè vero agere solius esse Dei nulla ratione evinci potest. Sanè nos jam gravissima ratione animam immediatè agere evicimus. Et fortassis etiam aliæ res naturales immediatè absque intercedentibus facultatibus agunt: quod exemplis physi-

physicis demonstrari posset. Verùm hoc non est hujus loci.

Intellectus. III. Intellectus est actus animæ, qui objectum sub ratione entis, sive veri, sive boni, apprehendit ac dijudicat: sive hæc intellectio sit speculativa, sive practica. Actio enim intellectus varia est: vel simplex unius rei apprehensio: vel plurium inter se collatio ac dijudicatio, quæ fit per affirmationem, vel negationem: vel etiam ex quibusdam notis ac concessis illatio, ut eliciatur concessio rei antea ignotæ & obscuræ: vel tandem variorum objectorum, sive bonorum, sive malorum, inter se comparatio, & inter hæc post rationum examen discretio, quid magis, quid minus eligibile aut fugiendum.

Eius actus, quatenus est nudus eius actus, est necessarius. IV. Actus intellectus, quatenus nudus intellectus actus est, planè est naturalis ac necessarius, ac objectum, prout sibi vel magis vel minus proportionatum est, vel claré vel minus clare apprehendit: Perinde atque oculus, qui objecta non aliter quàm se offerunt apprehendere potest, & prout se offerunt, necessariò apprehendit. Non enim potest intellectus, quin rem, prout se illi offert, apprehendat, & de ea judicet; neque apprehensionem suam suspendere potest, sed eam vel clariorem, vel minus claram elicit, pro ratione vel majoris vel minoris inter ipsum & rem objectam proportionis. Quod manifestum est in omnibus quas in intellectu observavimus actionibus.

In simplici apprehensione. V. Primo. In simplici intellectus apprehensione. Proposito intellectui objecto sibi debitè proportionato, necessario id claré ac distinctè apprehendit; neque facere potest, ut id planè non, aut obscurè ac confusè apprehendat; proposito objecto sibi non proportionato, illud non nisi obscurè apprehendit: si autem vel institutione, vel crebra exercitatione intellectus excitetur, ut debitam cum objecto proportionem acquirat, etiam objectum distinctè apprehendet: perinde uti oculus debilis aut nimium ab objecto remotus, objectum distinctè videre ac apprehendere non potest; corroboratus verò aut propius admotus, necessariò distinctè ac clarè videt.

In judicio. VI. Secundò. In dijudicatione propositionis, sive affirmativæ, sive negativæ, sive veræ, sive falsæ. Non potest, quin propositioni evidenti assentiatur, ac circa obscuram suspensus hæreat. Principiis indubitato veris, ac demonstrationibus Mathematicis non potest assensum denegare: circa propositiones ambiguas ac obscuras, necessariò suspensus hæret.

In collectione. VII. Tertiò. In collectionibus syllogisticis eadem est necessitas. Proposito syllogismo, in quo conclusio legitimè elicitur ex præmissis, non potest intellectus, si illum rectè intelligit & apprehendit, quin conclusionem legitimam agnoscat. Si non rectè intelligit, potest aut contrarium judicare, aut suspensus hærere; non quia liberum in actum suum habet dominium; sed quia objectum ipsi non est debitè proportionatum, ideoque necessario judicat juxta proportionem, quæ inter ipsum & objectum intercedit.

In plurium collatione. VIII. Quartò. Tandem in variorum objectorum inter se comparatorum dijudicatione. Objectum, quod se maximè eligibile offert, eligibilius, quod se minus eligibile offert, etiam minus eligibile judicat. Atque hic quidem pro rationum sibi oblatarum evidentia majore vel minore etiam judicium illius variat. Propositis argumentis necessariis & apodicticis, necessariò assentitur; propositis tantum probabilibus, necessariò opinatur: si contraria opponantur æquè probabilia, necessariò suspensus hæret; neque habet intellectus facultatem aliud ex se judicium eliciendi: sed si judicium illud mutetur, non mutatis nec fortius persuasis argumentis quibus innititur, necesse est ut ea mutatio actui voluntatis attribuatur. Ex quibus manifestò constat, omnem intellectus actum, quatenus solius intellectus est, esse necessarium, & excludere libertatem, non tantum contradictionis, sed & contrarietatis.

Voluntas. Eius proprietas est libertas. IX. Voluntas est actus animæ, quo tendit in objectum sub ratione boni propositum. In objectum enim sub ratione boni propositum anima tendit, & volitionem ex se elicit objecto isto fruendi. Voluntatis proprietas est libertas, quâ voluntas imperium habet in actionem suam, eam vel eliciendi, vel non eliciendi; quæ ita voluntati intima est, ut sine ea non sit voluntas: imo ea omnis virtutis ac vitii, atque omnis, quam Deus ab hominibus postulat, religionis fundamentum est. Si enim voluntas non sit libera, nulla est virtus obedientiæ, aut vitium inobedientiæ: quæ enim obedientia aut inobedientia esse potest, ubi voluntas facultatem non habet aliter agendi, quàm agit? Proinde & omnes leges, tam divinæ quam humanæ, forent ridiculæ & injustæ. Promissa & minæ, adhortationes & dehortationes essent inutiles; & tam præmia quàm pœnæ, injustæ ac iniquæ. Quin & idem omnium populorum consensus, & universale in omnibus hominibus conscientiæ testimonium evincit; illa enim unicuique dictat, in se principium esse actionis suæ, ac potestatem actionem vel efficiendi, vel omittendi, & inchoatam vel continuandi vel suspendendi; ideoque ob benefacta absolvit & exhilarat, ob malefacta accusat & damnat.

Non potest ea consistere cum necessitate. X. Hoc adeo evidentis est veritatis, ut nemo apertè negare sustineat. At verò, qui fatalem omnium eventuum necessitatem introducunt, fieri nequit, ut illi voluntatis libertatem candidè ac sincere admittant. Conciliationem instituere student, inter eventuum neces-

necessitatem & voluntatis libertatem. Sed frustra conciliatio quæritur inter duo contradictoria, quorum unum ab altero evertitur. Libertas enim denotat rem posse non esse; necessitas, rem non posse non esse: atqui posse non esse, & non posse non esse: nullo respectu inter se conciliari possunt, sed posito uno tollitur alterum. Nc tamen libertatem voluntati videantur denegare, alias libertatis definitiones comminiscuntur, ut ita verbis eam agnoscant, reipsa vero tollant. Atqui nos non de nomine nudo contendimus, sed de re ipsa. Nomina pro arbitrio rebus imponuntur, & definitiones arbitrariæ sunt, quas quisque conceptibus suis accommodat: Rerum autem naturæ immutari nequeunt. Videndum itaque in quo libertatis ratio consistat.

Non est nuda immunitas à coactione.

XI. Quidam formalem libertatis rationem in eo quærunt, quod voluntas libera sit à coactione; ut ita necessitatem cum libertate concilient, modò voluntas non coacta velit. Atqui sic omnes actiones spontaneæ, etiam summè necessariæ, erunt liberæ; & libertas non erit attributum voluntati proprium, sed omnibus potentiis spontaneis commune: sic intellectus liberè intelliget, imo & equus famelicus, qui sponte ad pastum properat, liberè se ad pastum conferet: quod maximè est absurdum. Quinimo summi boni appetitus, qui summè necessarius est, maximè erit liber; utpote ad quod homo sponte ac lubentissimè, imo toto naturæ impetu fertur. Sic summa necessitas foret summa libertas. Quod est omnem libertatis rationem evertere. Sed præterea, ridiculè voluntatis libertas collocatur in immunitate à coactione: nam illius destructio, scilicet coactio, concipi non potest, ne per divinam quidem omnipotentiam, sed est merum figmentum, contradictionem in se includens. Coactio enim denotat aliquid fieri contra voluntatem. Si itaque cogeretur voluntas, vellet aliquid & nollet simul; quod contradictorium est.

Nec quod voluntas determinatur à judicio intellectus practico.

XII. Alii ergo videntes ulterius quid ad formalem libertatis rationem requiri, immunitati à coactione superaddunt ultimum judicium intellectus practicum, quod voluntatem suaviter ad se trahit, & ita in unam contradictionis partem determinat, ut non velit, nec velle possit sese flectere in oppositam, sed necessariò judicium illud intellectus sequatur. Atqui 1. Sic liberè agere, nihil erit aliud, nisi libenter agere; & quia in summa necessitate summa potest esse libentia, ut in appetitu summi boni, summa necessitas poterit esse summa libertas. 2. Mera introducitur fatalitas, & summa actionum humanarum necessitas: quia ratio libertatis quærenda erit, vel in voluntate, vel in intellectu. Non potest quæri in voluntate, juxta hanc sententiam: quia voluntas necessariò ab ultimo judicio intellectus determinatur: illo judicio nondum formato voluntas nihil velle, formato autem, volitionem suam inhibere non potest. Nec etiam in intellectu: quia actionem intellectus antea vidimus esse necessariam, & pro ratione proportionis inter intellectum & objectum, intellectus objectum vel clarius, vel minus clarè, apprehendit. Atqui hac ratione omnis virtus obedientiæ, omne vitium inobedientiæ; atque adeo omnis planè religio tollitur: quia nec in voluntatis potestate est, ultimum illud judicium intellectus habere; nec, posito illo judicio practico, in potestate voluntatis in objectum à judicio monstratum non ferri. Sic itaque nec voluntati lex præscribi potest: imo in conversione hominis opus non foret, ut Deus in voluntatem operetur, sed solummodò, ut intellectum illuminet: quia intellectu illuminato etiam voluntatem moveri necesse est. Sed nec intellectui lex poni, nec in intellectu ulla inobedientiæ ratio locum habere potest: quia ille nihil velle, sed tantum intelligere potest.

1. Quia illa est necessitas.

Quomodo intellectus sit indifferens.

XIII. Dices. In intellectu esse libertatem, quia in eo est indifferentia nunc hoc, nunc illud objectum, quodcunque ipsi offeretur, apprehendendi, & de quibusvis sibi oblatis rationibus deliberandi, easque dijudicandi. Resp. Hæc est indifferentia tantum passiva, qua intellectus indifferenter se habet ad quævis objecta, quæ ipsi offeruntur, dijudicandum: qualis est in speculo & oculo, ad quasvis imagines rerum sibi oblatarum recipiendi. Sed nos agimus de indifferentia activa, qua intellectus potestatem habet in actionem suam, etiam oblato sibi objecto, eam vel eliciendi, vel sistendi & suspendendi. Hanc intellectui denegamus.

Non est radicaliter liber.

XIV. Dices. Intellectus, si non formaliter, radicaliter saltem liber est: quia multa simul perpendere, nec tantum res ipsas, sed & varias earum circumstantias dijudicare potest, eaque inter se conferre, & hoc alteri præferre, indeque voluntas indifferenter eligere potest. Resp. Malè vocatur radix libertatis, quod conditio est prærequisita ad libertatem. Ut enim voluntas liberè eligere possit, rationis judicium ut præcedat necesse est: ignoti enim nulla est cupido.

2. Non dabitur peccatum pœna dignum.

XV. Secundò. Si voluntas necessariò determinatur ab ultimo judicio rationis practico, non datur ullum peccatum pœna dignum: quia illud erit vel in judicio rationis, vel in voluntate. Atqui in neutro esse potest. Non in judicio rationis: quia actus ejus, uti vidimus, purè est naturalis & necessarius. 2. In judicio nihil gravius locum habere potest quàm error: at error pœna dignus non est; quia involuntarius. Non enim, juxta hanc sententiam, voluntas imperium habet in intellectum, sed intellectus in voluntatem. Error ergo necesse est oriatur ex defe-

ctu aliquo invincibili, vel potentiæ seu intellectus, vel objecti intellectui non proportionati; vel medii intellectui obversantis judiciumque illius flectentis. Atqui quodcunque horum statuatur, pœnâ indignus est. Nec in voluntate esse potest: quia in voluntatis potestate non est, non sequi judicium intellectus erroneum: ac proinde illud sequens nec pœnam mereri potest.

3. Nec peccatum contra conscientiam.

XVI. Tertiò. Nullum poterit dari peccatum contra conscientiam: quia contra conscientiam agere, est contra dictamen, sive ultimum intellectus judicium practicum agere. Atqui si voluntas necessariò illud judicium sequatur, contra id agere non potest. Dices. Obversatur intellectui medium, quod omnibus aliis rationibus præponderat. Resp. At illud ipsum medium reverâ est ultimum judicium rationis practicum: illo igitur moveri, non est contra, sed juxta conscientiam, licet errantem, moveri. Nam medio illo intellectui occurrente, in intellectus potestate non est, ejusmodi judicium non habere: nec judicio illo præcedente, in voluntatis potestate, judicium illud non sequi. Dari autem peccatum contra conscientiam, manifestum est tum ex dictamine cujuscunque hominis conscientiæ; tum ex variis Scripturæ Sacræ locis: *Jacob.* IV. 17. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Rom.* I. 8. dicuntur quidam *veritatem Dei in injustitia detinere*: & 2 *Pet.* II. 20. postquam *cognitione Domini nostri Jesu Christi inquinationes mundi effugerunt, iis rursus implicari & superari. Hebr.* VI. 4, 5, 6. postquam *semel sunt illuminati*, &c. rursus *prolabi*. Et præcipuè ex *Luc.* XII. 47. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, neque se præparavit ut secundum eam faceret, pluribus plagis vapulabit.*

Non potest appeti malum sub ratione mali.

XVII. Sed objiciunt in contrarium: Si voluntas non necessariò determinatur ab ultimo judicio intellectus practico, poterit malum appetere sub ratione mali. Voluntas enim fertur in id, quod intellectus judicio malum æstimatur: voluntas enim per se nihil æstimat; intellectus est judicare. Resp. 1. Argumentum hoc destruit seipsum: si enim voluntas nihil æstimat, quomodo in malum potest ferri sub ratione mali? 2. In hoc argumento concipitur voluntas tanquam potentia cœca realiter ab intellectu distincta. Atqui iste conceptus, uti jam ostendimus, vitiosus est. Ipsa nempe anima per se ipsam intelligit & vult. Proposito itaque objecto aliquo, ex sese elicit judicium, & consequenter voluntatem. Quicquid autem vult, semper vult sub ratione boni; quicquid aversatur, semper aversatur sub ratione mali. Quia bonum adeo naturæ ejus est conveniens, ut illud non appetere, malum adeo est disconveniens, ut illud appetere non possit. Summum itaque bonum appetit homo necessariò; quia in illud omnes rationes bonitatis simul concurrunt: hoc autem vel illud bonum, liberè: eligit nempe hoc, præ alio; non semper, quia in eo majorem bonitatis rationem agnoscit, quàm in alio; sed quia solummodo boni rationem aliquam in eo agnoscit, quæ facit ut sub illâ consideratione eligi possit, sive alteri bono, quod non eligitur, præponderare, sive ei æquale, sive etiam illo inferius judicetur.

Quomodo voluntas objectum, sub ratione boni eligens, nihilominus libera sit.

XVIII. Dices. Si voluntas objectum, quod appetit, necessariò sub ratione boni appetit, ergo necessariò illud appetit, in quo majorem bonitatis rationem agnoscit: quia minus bonum majori collatum rationem boni amittit. Resp. Minus bonum majori collatum non omnem boni rationem amittere: licet enim in majore bono plura sint quæ voluntatem allicere possunt; non tamen minus bonum omnibus, quibus voluntas allicitur, destitutum est. Et in eo ratio libertatis consistit, quod ex variis objectis, quæ singula sub boni alicujus ratione eligi possunt, eligere pro arbitrio possit, quod lubet. Dices. Id quidem verum esse, si singula bona in seipsis considerentur; non verò si collatio instituatur: si enim bonum unum alteri præponderare deprehendatur, illud quod minus est, non posse amplius voluntatem allicere, aliàs voluntas alliceretur à nihilo. Resp. Neutiquam istam illationem sequi. Sive enim majus bonum minori opponatur, sive minus bonum solitariè consideretur, eadem manet in illo ratio bonitatis, quæ facit, ut à voluntate appeti possit. Id solummodò discriminis est, quòd voluntas majus bonum, sive revera, sive ita creditum, eligens, secundum rationem eligat: minus autem bonum majori præferens brutam faciat electionem, & rationi directè contrariam. Origo erroris esse videtur, quod in hac argumentatione voluntas consideretur instar potentiæ passivæ, quæ à majore bono necessariò in alteram partem determinatur, perinde uti majus pondus lanci impositum eam necessario in alteram partem inclinat. Atqui iste conceptus est vitiosus. Voluntas enim est principium activum, quæ seipsam pro arbitrio suo determinat, & inter varia objecta, quæ singula aliquam bonitatis rationem habent per quam eligibilia sunt, eligit quod lubet. Perges. Fieri non posse, ut voluntas aliud eligat, quàm id quod sibi maximè placet, seu in quo majorem bonitatis rationem agnoscit; nam ipso electionis actu ostendit, bonum illud sibi præ alio placere; aliàs non elegisset. Resp. Quando voluntas electionem facit, non semper id indicium est, quòd bonum illud præ aliis ipsi placeat, seu gratum sit, quia majorem bonitatis rationem in eo agnoscit: sed solummodò, quia voluntati placet libertate sibi innatâ uti, ideoque & bonum minus

nus gratum eligere: non quia illud tanquàm majus bonum prae alio minore placet; sed quia illud eligere vult. Quando itaque dicimus, voluntati placere ut hoc faciat: nihil aliud volumus, quàm voluntatem libertate suâ uti, & pro arbitrio agere; sive rationem ducem sequatur, sive illi obluctetur.

Intellectus non habet dominium in voluntatem.

XIX. Concludimus, intellectum in voluntatem nullum habere dominium voluntati propriè & directè imperandi, hoc tibi est faciendum: sed ultimum ac summum illius actum esse judicium, quo voluntati suggerit, hoc est eligibile; & inter eligibilia, hoc est bonum, hoc melius, &c. vel, hoc expedit facere, hoc omittere. Quod vocare solent imperium non δεσποτικὸν, sed πολιτικὸν. Atqui in voluntatis potestate est, illi vel obtemperare, vel illius consilium respuere: tota enim illius efficacia, non physica, sed moralis est.

Libertas consistit in indifferentia activa.

XX. Vera itaque voluntatis libertas consistit in indifferentia activa, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, & hoc potius quam illud agere. Hoc enim exigit libertatis ratio, ut potentiam habeat, tam agendi, quàm non agendi, & tam non agendi quàm agendi, postquam omnia ad actionem requisita adsunt. Estque hæc libertas à voluntate inseparabilis; quæ non tantum in statu integritatis locum habuit; sed & in omni statu, etiam peccati, voluntati competit. Peccatum enim, quia liberæ potentiæ est actio, ipsam potentiæ libertatem destruere non potest: per inordinationem enim suam non est contraria libertati voluntatis, sed virtuti.

Ea est distinguenda ab indifferentia passiva intellectus.

XXI. Atqui hîc quosdam nobis objicientes habemus, quod tantum absit, ut libertatis ratio sita sit in indifferentia, ut contra indifferentia infimus sit libertatis gradus; quia voluntas nunquam dicitur indifferens, nisi quando non proponitur ei clarè & distinctè objectum, sive quando nescit ad quid se debeat determinare; itaque nullam in voluntate perfectionem, sed tantum in cognitione defectum, seu negationem quandam testatur. Resp. Longè alio sensu illi vocem indifferentiæ accipiunt, quàm nos, cum libertatem voluntatis in indifferentia collocamus. Ipsis enim, ut ex objectione liquet, indifferentia est fluctuatio judicii, orta ex ignoratione objecti, aut rationum utrinque militantium æquilibrio. Sanè nemo adeo desipit, ut illam indifferentiam judicii seu intellectus voluntatis libertatem vocet. Indifferentiam illam sublatam oportet, & objecti cognitionem præcedere, antequam voluntas libertatem suam legitimè exercere possit. Ignoti enim, uti diximus, nulla cupido est, & objectum nosse oportet, antequam concupisci possit. Verùm nos per indifferentiam voluntatis intelligimus indifferentiam activam, qua voluntas dominium habet in suum actum, etiam postquam intellectus judicium non amplius est indifferens; ac proinde per quam vel judicio intellectus potest acquiescere & illud prudenter sequi, vel bruto impetu illud rejicere. Dices. Illud fieri non posse: nam si semper quid verum & bonum sit clarè viderem, nunquam de eo, quod esset judicandum vel eligendum, dubitarem; atque ita quamvis planè liber, nunquam tamen indifferens esse possem. Resp. Rursus idem hîc committitur error, quod fluctuatio judicii in intellectu confundatur cum indifferentia activa quæ in voluntate est, etiam post illam judicii in intellectu fluctuationem sublatam. Certum nempe est, si semper quid verum & bonum esset clarè viderem, nunquam de eo quod esset judicandum vel eligendum dubitarem; sed & sublata ista dubitatione in voluntate mea remanet libertas, qua dominium habeo in actionem meam, vel secundum judicium intellectus, vel brutè ac irrationaliter contra illud agendi: uti jam aliquoties ostendimus. Illa enim indifferentia nunquam à voluntate separatur; adeo quidem, ut, licet sublata sit dubitatio quid facere expediat, adeoque moraliter loquendo fieri vix possit ut aliter agat, activa tamen illa indifferentia semper voluntati adsit, adeo ut voluntas nunquam se determinet, quin illam exerceat.

CAPUT XXIV.

De Imagine Dei in Homine.

Totus homo ad imaginem Dei conditus est.

I. IN creatione hominis hoc præterea singulare fuit, quòd Deus eum creaverit ad imaginem suam. Sic enim legitur Deus dixisse *Genes.* 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et *vers.* 27. additur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.* Ubi necesse non est annotare, hominem ad imaginem Dei creatum dici non respectu figuræ corporis externæ: utpote cùm antea de spiritualitate Dei disserentes eum planè incorporeum, ac proinde omnis figuræ expertem ostenderimus. Nec etiam propriè dici potest, in sola anima, aut facultatibus quibusdam eximiis, quæ in anima sunt, hanc imaginem relucere: quamvis enim non negemus hominem illarum respectu Deum referre, ac proinde imaginem quandam Dei in se habere; tamen nusquam Scriptura in iis imaginem Dei collocat; neque solam animam, sed totum hominem ad imaginem Dei creatum docet.

Ea est; dominium in omnes creaturas.

II. Illa imago aliud nihil est, quàm eximia quædam qualitas & excellentia, quâ homo Deum speciatim refert: hæc autem est potestas & dominium, quod Deus homini dedit in omnia à se creata. Quod ipsa Dei

 verba

verba manifestè arguunt, *Genes.* I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terrâ.* Et *vers.* 28. creato homini Deus dominium illud tradit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Hoc enim dominio Deum propriè refert, estque quasi visibilis Deus in terrâ super omnes Dei creaturas constitutus. Et in hoc dominio imaginem Dei sitam, non obscurè etiam colligitur ex 1 *Cor.* XI. 7. ubi vir, ob dominium ipsi in uxorem concessum, speciatim *imago* ac *gloria Dei* dicitur. Sic & *Psal.* LXXXII. 6. magistratus & principes nullam aliam ob causam vocantur *Dii*, & *filii Altissimi*, nisi ob majestatem ac dominium ipsis in reliquos homines concessum. Hæc etiam videtur esse causa, cur Angeli, licet excellentioris quàm homines naturæ, nunquam ad imaginem Dei conditi legantur; quoniam nempe dominium illud iis concessum non est; è contra, quia homini Jesu, in cœlis exaltato, subjecti sunt, dicuntur *ministratorii spiritus*, & inservire illis, qui salutem adepturi sunt. *Hebr.* I. 14.

Quod est universale, & absolutum. III. Hujus dominii respectu homo rectè Deum referre dici potest, & Dei instar esse in terra. Est enim dominium hoc universale, in omnes creaturas visibiles, nulla excepta. Hinc *Psal.* VIII. 7, 8, 9. David dicit: *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas: insuper & pecora campi; volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Estque præterea absolutum, & vix ullis limitibus circumscriptum. Primò enim omnibus animantibus, tanquam eorum dominus, dedit nomina pro arbitrio; *Genes.* II. 19. Deinde omnibus utitur pro arbitrio, non tantum vitâ destitutis, sed & viventibus: plena quippe auctoritate ac potestate disponit de vita ac morte omnium creaturarum: mactat & in vita conservat quodcunque animal, prout sibi commodum videtur; eorum carne pro cibo, exuviis & pellibus pro vestimentis utitur: noxia aut sibi molesta animantia necat; adeoque nullum dominii genus excogitari potest quin in bestias exerceat. Attamen æquitatis regulis illud circumscriptum res ipsa dictat. Ipse Deus, qui naturæ suæ rectitudine & æquitate jus suum in homines circumscriptum voluit, credendus non est hominibus jus in reliqua animantia nullis æquitatis regulis definitum concedere voluisse. Potest itaque jure suo abuti homo; si bestias occidat sine ulla necessitate aut utilitate: si labore nimio oneret: si lædat, aut morte lentâ ac doloris plenâ afficiat, ut ex illorum dolore voluptatem percipiat. Hinc Deus præcipit, *Deut.* XXV. 4. *Non ligabis os bovis terentis in areâ fruges tuas.* Et Salomon ait *Proverb.* XII. 10. *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

IV. Ad hanc imaginem Dei concurrunt & corpus & anima hominis. Anima quidem, quatenus ratione instructa est, cujus ministerio, veluti sceptro quodam, omnia sibi subjicere potest; non tantum animantia se infirmiora, sed & maximè fera ac robusta; non tantum in terris degentia, sed & in aëre volantia, & in imo maris natantia; omnia quippe laqueis, retibus, fraude ac dolo comprehendere, fræno, stimulis, voce, fistulis, aliisque instrumentis sibi in obsequium redigere potest. Et hunc in finem Deus cunctis animalibus terrorem ac tremorem indidit, ut hominem, dominum suum, revereantur, *Genes.* IX. 2. Quin & ipsa corpora cœlestia, rationis ministerio, usibus suis inservire facit, eorum lucem vel admittendo, vel excludendo, vel intendendo, vel remittendo, prout sibi aptum ac commodum judicat. Corpus autem, quatenus figuræ est erectæ supra omnia animantia, & instructum manibus, variarum operationum instrumentis, & præsertim sermone ac loquela, non exiguum ad dominium hoc exercendum momentum confert. *Huc concurrunt corpus & anima hominis.*

V. Hæc adeo manifesta sunt, & è Scripturis deprompta, ut à nemine negentur. Sed quidam, præter hanc imaginis Dei in homine repræsentationem, etiam alias dotes requirunt, quibus hominem imaginem Dei gessisse contendunt, justitiam nim: originalem, ac immortalitatem. Justitiam originalem solent collocare in mentis lumine ac rectitudine, in voluntatis sanctitate & justitia, in sensuum & affectuum harmonia, atque ad bonum promptitudine. Sanè homines primos in primævo suo statu longè perfectioris fuisse conditionis, quàm nos, cùm in lucem edimur, evidentissimum est. Non enim mens ipsorum fuit tabulæ instar rasæ, omnique cognitione destitutæ; sed ipsi scientia actuali fuere præditi, & necessaria sapientia in statu illo à Deo instructi; aderat & capacitas ad scientiam ulteriorem acquirendum per ratiocinationem, experientiam, & revelationem. Non tamen erant omniscii; aderat & ignorantia quorundam; nesciebant se nudos esse, vel potius, nuditatem esse indecoram; ignorasse videntur, serpentem animal esse mutum, alias fraudem metuissent; aliaque similia. Quin & tanta non erat sapientia, quin in errorem seduci possent; quod in Eva patuit *Genes.* III. 13. 2 *Cor.* XI. 3. 1 *Tim.* II. 14. Voluntas eorum non fuit neutra, in bonum ac malum æquè indifferens; sed, antequam ei lex à Deo posita erat, rectitudinem habuit naturalem, ut inordinatè nec concupisceret, nec posset. *Qualis rectitudo fuerit in primis hominibus,*

Ubi

Ubi enim lex non est, ibi liberrimus voluntatis usus, absque culpa. Integritas ergo talis in eorum voluntate erat, ut contra naturæ legem & conscientiam peccare non possent; non quia voluntas ipsorum libera non erat; sed quia lex naturæ non propriè apud Adamum legis officium exercebat, cui Adamus obedire aut non obedire poterat; sed stimulus tantum fuit & instinctus naturalis ad faciendum quod licitum erat: infantium instar, qui nullo ad legis transgressionem appetitu ducuntur, sed rebus omnibus, quantum necessitas requirit, uti contenti sunt.

Dotes primorum hominum non sunt nimis extollendæ.

VI. Quod reliquas animæ dotes, quas aliqui præterea requirunt, attinet, sive eas dicamus homini fuisse naturales, sive dona supra-naturalia; cavendum ne nimium ea extollamus, adeoque tantam ipsis perfectionem tribuamus, ut concipi nequeat, quomodo homo in peccatum incidere potuerit. Si enim tanta fuerit in intellectu scientia, in voluntate justitia ac sanctitas, in affectibus promptitudo ad bonum, explicari nequit, quomodo homo vel per seductionem, vel per malitiam in peccatum incidere potuerit. Nec videtur homo peccare potuisse, nisi cum iisdem doctoribus statuamus, Deum homini dona illa subtraxisse, atque ita donis illis, quibus à peccato præservabatur, subtractis, eum necessariò in peccatum fuisse lapsum: quod est Deum peccati auctorem facere. Quod horrendum est.

Explicatio Eccles. VII. 29.

VII. Sed nec Scriptura omnimodam ejusmodi sanctitatem & justitiam uspiam primis hominibus adscribit. Solent hunc in finem proferri *Eccles.* VII. 29. *Hoc inveni, Deum ipsum fecisse hominem rectum.* Sed ex hisce verbis adeo generalibus non evincitur talis justitia, quam illi requirunt. Etiam status ille integritatis, quem nos descripsimus, rectitudo est: & si majorem requiramus, oportet ut verbis specialioribus ea alibi sit expressa.

In ea non collocatur imago Dei.

VIII. Sed præterea, sepositâ hac disquisitione, nusquam Scriptura in illa rectitudine imaginem Dei, ad quam homo creatus est, collocat: quin imo exstant in Scriptura indicia, ex quibus colligitur, in illa rectitudine imaginem Dei, quæ homini respectu creationis tribuitur, non collocari: nimirum, quia post justitiam illam per peccatum amissam nihilominus homo ad imaginem Dei factus dicitur; ut *Genes.* IX. 6. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Jacob.* III. 9. *Lingua benedicimus Deo & Patri; & ipsâ maledicimus hominibus, qui ad similitudinem Dei facti sunt.*

Explicatio Eph. IV. 24. Coloss. III. 10.

IX. Sed in contrarium objiciunt, quod Apostolus Paulus imaginem Dei collocet in justitia & sanctitate: *Ephes.* IV. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et *Coloss.* III. 10. *Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Resp. Illis in locis non agitur de prima hominis creatione; sed de nova creatione seu regeneratione, quæ fit per Dominum nostrum Jesum Christum. Quo sensu vox *creationis* & *creaturæ* aliquando in Novo Testamento accipitur; ut 2 *Cor.* V. 17. *Eph.* II. 15. III. 9. *Jacob.* I. 18. Et hoc sensu etiam hic accipiendum esse, liquet: 1 Quia *novus homo* dicitur creatus & renovatus: nusquam autem primus hominum status in Scriptura *novus homo* appellatur. 2. Quia Scriptura, distinguens inter *veterem* & *novum hominem*, per *veterem* semper intelligit statum peccati, in quo homo ante conversionem & fidem in Jesum Christum vixit; sic *Rom.* VI. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* & *Eph.* IV. 22. Ergo per *novum hominem* intelligit novam vivendi rationem per Jesum Christum nobis præscriptam, quamque ipse exemplo suo expressit. Inde est, quòd, eam sanctis moribus ac vita inculpata exprimentes, *Christum induere* dicamur, *Rom.* XIII. 14. & in talibus *Christus formari* dicatur, *Gal.* IV. 19. Dices. Quod renovatur, aliquando fuit, sed periit; nisi enim aliquando fuisset, renovari non posset. Resp. Qui, relicta veteri vivendi consuetudine, vitam suam componunt ad novam vivendi rationem à Deo per Christum institutam, optimè dicuntur *renovari:* quia novam vivendi rationem vitâ suâ exprimentes novos se ostendunt homines. Nec ex voce *renovationis* ullo modo sequitur, novum illum hominem antea fuisse: qui enim olim fuit, quomodo novus vocatur homo? sed tantum, novum illum hominem, seu novam vivendi rationem efformari secundum imaginem Dei, qui eam instituit: id est, exprimi vitâ sanctâ, qua similes reddimur Deo, quoniam Deus sanctus est. Qui enim novam acquirit qualitatem, qua antea destitutus fuit, renovari dicitur; nec huc quicquam facit, utrum antea eam habuerit, nec ne; sufficit eam nunc de novo in ipso excitari, licet antea nunquam in ipso fuerit. Hoc sensu vox ἀνακαινώσεως legitur *Rom.* XII. 2. ubi mens hominum, peccato hactenus inquinata, *per renovationem mutari* dicitur: & *Tit.* III. 5.

Quo sensu primi homines fuerint immortales.

X. Quod immortalitatem attinet, eam quærunt non in sola anima, quam immortalem esse antea ostendimus; sed eam ajunt esse & corporis, seu totius hominis immortalitatem. Sanè primum hominem, nisi peccasset, non fuisse moriturum, dubitandum non est: mors enim pœna peccati fuit, quam Deus homini, si peccaret, comminatus est, *Genes.* II. 17. Quæ etiam per peccatum in mundum

mundum ingressa dicitur, *Rom.* v. 12. Unde rectè colligitur, nisi peccasset homo, eum à morte futurum fuisse immunem. Inde verò non rectè hominis immortalitas infertur; aliud quippe est mortalitas; aliud mors, seu moriendi necessitas. Imo ipsa corporis formatio ex pulvere terræ huic veritati adstipulatur. Sicut enim ex principiis suis coaluit, ita etiam in ea dissolubile est: indiget cibo ac potu ad sui sustentationem, etiam in statu integritatis, *Genes.* I. 29. II. 15, 16. immortales autem illis non indigent; ideoque eorum in futuro seculo nullus erit usus, 1 *Cor.* VI. 13. Imo nisi in se mortale fuisset primi hominis corpus, nec etiam post peccatum homo mori potuisset, nisi natura ejus planè à Deo fuisset immutata, & ex immortali facta mortalis. Attamen mortalitatem istam, nisi homo peccasset, in perpetuum à moriendi actu immunem conservasset Deus: & hunc in finem vitæ arborem in medio paradisi collocavit, ut illius virtute vitam suam homo continuaret: peccato verò commisso hominem è paradiso expulit, & ab arbore hac disjunxit, ut ita medio illo illustri vitam continuandi privaretur, & ad certam mortem properaret: *Genes.* III. 22, 23. Sed verò, nihil necesse est operosè hoc adstruere, cum illi, qui primi hominis immortalitatem urgent, in eadem nobiscum sint sententia. Specialius enim mentem suam exprimentes, fatentur hominem ratione principiorum, ex quibus constat, & qualitatum illi adhærentium, in se habuisse moriendi possibilitatem; nihilominus tamen immortalem esse, quia simul etiam adjunctam sibi habuit potentiam non moriendi, & ab actuali morte ex Dei beneficio certissimam immunitatem peccato non interveniente. Atqui illud idem est, quod nos affirmamus. Si itaque illud velint vocare immortalitatem, modò de sensu vocis constet, nullus inter nos superest de re ipsa dissensus. Eandem nobiscum sententiam tuetur Augustinus *de Civit. Dei lib.* XIII. *cap.* XX. *&* XXIII. *& nominatim cap.* XXIV. §. 6. *Corpus igitur animale, in quo primum hominem factum esse dicit Apostolus, sic erat factum non ut mori omnino non posset; sed ut non moreretur, nisi homo peccasset.* Idem multis probat *de Peccat. Merit. & Remiss. lib.* I. inter alia diserte dicens §. 5. *Antequam immutaretur in illam incorruptionem, quæ in Sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum. Cujus enim caro est, quæ non ægrotare possit, etiamsi aliquo casu prius quam ægrotet occumbat? Sic & illud corpus jam erat mortale: quam mortalitatem fuerat absumtura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, id est, obedientia permaneret: sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* Et paulo ante §. 3. *Sicut hæc caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis: quia non est necesse ut vulneretur: sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur.*

XI. Sed vix video, qua ratione in ejusmodi immortalitate imaginem Dei quærant; cùm illa alterius planè generis sit quàm Dei immortalitas, qui respectu essentiæ suæ intrinsecæ immortalis est; homo autem respectu essentiæ suæ intrinsecæ mortalis, & beneficio tantum Dei à morte immunis conservandus. Inter quæ immane discrimen est, alterumque alterius imago esse non potest. Præterquam quòd Scriptura nusquam in immortalitate hominis Dei imaginem collocaverit. Nec necesse est, ut omnia, quibus homo Deum aliquatenus refert, huc congeramus. Sufficit si una tantum eximia sit qualitas, quâ homo Deum repræsentet, ut ad imaginem Dei factus dicatur; illam autem Scriptura, uti videmus, declarat esse hominis in omnia dominium. *Nec in eo imago Dei collocatur.*

XII. Usus creationis sunt. I. Agnitio bonitatis, sapientiæ, ac potentiæ Dei, quæ in hoc opere maximè elucent, earumque cum gratiarum actione celebratio: uti fit *Psalm.* VIII. CIV. & alibi. II. Agnitio dominii divini absoluti: quia homo quicquid boni habet in solidum Deo, à quo accepit, debet: ac proinde obligatus est id Deo reddere ac consecrare, in omnibus obedire, quin & vitam in ejus obsequium profundere. III. Quia in reliqua dominium habet, non se servum voluptatum, quas cum animalibus communes habemus, facere debet, sed iis, perinde atque ipsis animantibus, dominari: & sicut dominio suo imaginem Dei refert, ita eandem justitia ac sanctitate referre. *Eph.* IV. 24. *Usus creationis.*

CAPUT XXV.

De Providentiâ Dei in genere.

I. ALterum Dei opus est Providentia, quæ est continuum ac omnipotens Dei regimen, quo universum mundum, & singula quæ in eo sunt, præsertim homines, sapientiæ suæ decenter, & uniuscujusque naturæ ac statui convenienter, curat & regit, ad ipsorum bonum & nominis sui gloriam. *Providentia Dei.*

II. Providentiam è mundo qui tollit, Deum negat. Cognoscitur enim Deus ex operibus; quæ si quis casui aut fortunæ cœcæ, aut necessariæ ac naturali fati legi adscribat, vix ullum, quo de Dei existentia convincatur, restat argumentum: adeo ut Providentiæ divinæ negatio proximus sit ad atheismum gradus. Cùm itaque videamus omnia, non tantum ratione prædita, sed & illius experta, propter certum quendam finem agere, eumque semper assequi, manifesto *Ea adstruitur.*

nifesto id indicio est, sapientem esse rectorem, qui hæc omnia in finem ipsis incognitum dirigat. Imo quoniam mundum à Deo conditum negari nequit, idque à nobis antea ostensum est, nec regimen illius derogari Deo potest. Nemo enim est, imo nullum animal, quin naturali quodam instinctu foetuum suorum curam gerat; multo magis itaque de Creatore universi ac naturæ auctore credendum, quod perpetuâ curâ administret opus, in quo condendo summam suam bonitatem, sapientiam ac potentiam demonstravit.

Occupatur circa individua. III. Nec sufficit credere, Deum species rerum tantum curare, non verò individua. Quoniam enim species non exstant extra individua, sed eæ tantum generalis mentis sunt conceptus, per abstractionem mentalem ex pluribus individuis inter sese collatis formatus, earum cura geri nequit, absque cura individuorum. Possunt quidem in paucis individuis species conservari; omnibus autem pereuntibus, & tota species perit.

Ejus objectum. IV. Tria in Providentia divina consideranda sunt: 1. Objectum. 2. Actiones. 3. Modus. Objectum divinæ Providentiæ est hoc universum, & omnia quæ in eo sunt, nullâ re, ne minimâ ac vilissimâ quidem, exceptâ.

Tres ejus actiones. V. Sed ut distinctè ostendamus, quâ ratione divina Providentia circa omnia occupetur, necesse erit ut primò actiones, quibus absolvitur, consideremus. Eæ duæ sunt, Conservatio ac Gubernatio; quibus alii tertium addunt, Concursum. Nos autem Providentiam divinam consideraturi sumus, non quatenus à quibusdam concipitur ut concursus, seu naturalis quædam influentia in res omnes ex naturæ divinæ perfectione necessariò emanans; sed quatenus est actus liberrimæ suæ voluntatis, quo circa res omnes sapientissimè occupari vult.

1. Conservatio. VI. Conservatio est actus providentiæ divinæ, quo Deus omnia entia, tam quoad essentiam, quàm facultates, quas singulis in creatione indidit, in statu suo per certum aliquod temporis spatium, prout sapientiæ ipsius visum est, sustentat. Estque vel individuorum, vel specierum. Individua alia Deus conservat à mundi ortu usque ad illius finem, ut solem, lunam, astra, &c. alia ad breve aliquod durationis, quod ipsis præfixit, tempus, quo elapso intereunt. Species Deus conservat continuâ individuorum propagatione, per quam individuis, non perpetuæ vel etiam brevis durationis, pereuntibus, continuò alia succedunt. Ita homines, animantia, plantæ, &c. conservantur.

An sit actus Dei positivus. VII. De Conservatione quæritur, an sit actus Dei positivus, quo Deus immediatè in rerum essentias influit, easque de novo continuò creat, adeo ut conservatio nihil sit aliud quàm continua creatio: an verò actus negativus, non quo Deus cessat ab omni actione; sed, licet potentiâ sit instructus insuperabili omnibus irresistibiliter esse suum adimendi, tamen essentias, vires ac facultates rerum creatarum non vult destruere: sed eas vigori suo, per creationem indito, quoad usque ille perdurare potest, relinquere; interimque procurat ne ab aliis adimatur, & de omnibus abundè prospicit, quæ ad earum conservationem requiruntur? Nobis quæstionis hujus decisio necessaria non videtur: cùm utriusque sententiæ patroni sententiam suam ad Dei gloriam facere contendant. Priores quippe existimant, ad Dei gloriam pertinere, ut omnes creaturæ ita ab ipso dependeant, ut ne ad momentum quidem, nisi ipso continuò creante, subsistere possint. Altera credit, Deo gloriosum esse, creaturas eâ perfectione præditas condere, ut in esse suo aliquamdiu perseverare possint, per stabilitatem essentiæ ipsis in creatione concessæ: aliàs Deum in operibus suis inferiorem fore multis hominibus, quorum opera longo tempore, etiam post ipsorum mortem, propriâ soliditate durant.

An id lumine naturali sit notum. VIII. Interim non probamus illorum argumentationes, qui conservationem esse continuam creationem lumine naturali notum contendunt; quia aliàs creatura futura sit ens independens; multò minus ut solidam ac evidentem hic demonstrationem agnoscamus. 1. Enim, cùm res unaquæque à Deo est creata, evidens est eam saltem originis suæ respectu à Deo esse dependentem. 2. Cùm Deo eam destruere volente ne ad momentum quidem subsistere possit, ac Deus eam destruere nolit, impediat ne ab aliis destruatur, imo omnia ad subsistendum necessaria suppeditet, non minus evidens est, eam in conservatione suâ à Deo dependere, licet continuò non creëtur. Dices. Si creatura haberet vim se conservandi, ejus sibi conscia foret. Resp. Alterius sententiæ patroni non docent, creaturam vim seipsam conservandi habere; sed subsistere virtute, quam Deus illam creando essentiæ ipsius indidit. Non itaque controvertitur, an creatura ullo modo in conservatione à Deo dependeat; sed utrum hoc modo dependeat, ut, nisi Deus eam continuò creët, statim in nihilum relapsura sit. Dices. Partes temporis à se invicem non dependent: ac proinde si res nunc existunt, non sequitur eas cras & sequentibus diebus exstituras. Resp. Verum est, partes temporis non ita à se invicem dependent, ut præcedens momentum causa sit sequentis; sed naturali nexu, quatenus Deus, tempus creans, illud momentis sibi invicem succedentibus constare voluit: nullam enim durationis ideam habere pos-

sum, nisi per momenta sibi invicem succedentia. Potest itaque creatura à Deo effici tantæ stabilitatis, ut ad certum aliquod tempus duret per momenta plura succedentia: non quia ipsa virtutem se conservandi habet; sed quia essentiæ suæ stabilitate, per creationem ipsi à Deo inditâ, subsistit; & quidem juxta naturæ leges, per quas, juxta auctorum horum doctrinam, unumquodque in suo statu manet; donec inde à fortiori deturbetur.

Explicatur Psal. CIV. 30. IX. Sed objici solet, quod Propheta dicat *Psal.* CIV. 30. *Emittes spiritum tuum & creabuntur*: hîc autem de conservatione agi, quia loquitur de rebus jam existentibus; itaque conservationem hic vocari creationem. Resp. Vocem *creare*, phrasi Hebræorum, qui compositis carent, tantundem hic significare ac recreare. Significatur itaque illud conservationis genus, non quod continuâ creatione constat; sed quod peragitur per alimenti singulis animantium speciebus convenientis præbitionem; uti omnes loci circumstantiæ evincunt, & speciatim quidem *vers.* 27, 28, 29. immediatè præcedentes.

Non est necesse id decidere. X. Hæc tamen eum in finem à nobis non disputantur, ut illam conservationis rationem impugnemus, sed ut ostendamus, nullam evidentem esse rationem, quæ nos eam necessariò statuere cogat, verùm posse quæstionem hanc indecisam in medio relinqui; præsertim cùm & ab alia parte non absque specie objiciatur, per hanc sententiam conservationem cum creatione confundi; cùm tamen multum distent, rem non existentem ex nihilo producere, & efficere ut res jam existens in statu suo perduret; neque etiam capi possit, quomodo res, uti quotidie videmus, paulatim ad interitum vergant. Si enim eas Deus continuò creat, quomodo vergunt ad interitum? si non creat, quomodò ad momentum superesse possunt?

Versatur circa omnia. XI. Sed, hac quæstione omissâ, ostendamus Deum omnia hæc conservare: *Act.* XVII. 27, 28. *Ipse*, sc. Deus, *dat omnibus vitam, halitum, & omnia; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Nehem.* IX. 6. *Tu ipse Domine, tu fecisti cœlum cœlorum*, &c. *tu vivificas omnia hæc. Psal.* XXXVI. 7. *Hominem & pecus servas Domine. Psal.* CXLVII. 9. *Dat jumentis escam, & pullis corvorum invocantibus eum. Ps.* CIV. *vers.* 27, 28, 29, 30. mox citatis. Sic & *cœli volucres, quæ nec serunt nec metunt, pascere*, imo ipsa *lilia agri* conservare Deus dicitur, *Matth.* VI. 26. *& seqq. Luc.* XII. 24. & sine ejus nutu ne passerculus quidem, quorum duo assario væneunt, in terram cadere, *Matth.* X. 29.

2. Gubernatio. Quà se extendit ad omnia. XII. Gubernatio est potens Dei actio, quà omnia sapienter administrat, omnibusque ad sui gloriam & æternum hominum bonum utitur. Ea sese extendit ad omnia, adeo ut nihil in toto hoc universo Providentiam Dei fugiat. Quod Scriptura ostendit, omnia singulatim enumerans, & providentiæ divinæ subjiciens. Cœlum providentiâ divinâ regi patet ex ordinatissimo illius cursu; Solem verò, arguit cursus ejus obliquus statuto tempore recurrens, ut toti terræ convenientem ad fœcunditatem communicet calorem, temporaque aptè distribuat in ver, æstatem, autumnum & hyemem. Hinc *Psal.* XIX. 1. *& seqq. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat expansum*, &c. Vide & integros *Psal.* CIV. & CXXXVI. similiter *Job.* XXXVIII. & XXXIX. *Matth.* V. 45. *Facit solem suum oriri super bonos & malos. Esa.* XL. 22. *Extendit sicut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.* Stellas providentiâ divinâ dirigi docet *Psal.* CXLVII. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnes nominibus suis vocat.* Cui parallelus est *Esa.* XL. 26. Ad aërem, omniaque quæ in aere fiunt, pluviam, ventos, &c. eam extendi, docetur, *Psal.* CXLVII. 8. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam*: *Matt.* V. 45. *Pluit super justos & injustos*: Hinc Deus *claudere* & *aperire cœlum* dicitur, 1 *Reg.* XVII. & XVIII. Terram Deus rigat, ut alimentum conveniens hominibus ac bestiis producat; unde & eam *pluvia inebriare* dicitur, *Ps.* LXV. 10. Omnibus in terra degentibus Deus prospicit de necessariis ad vitæ sustentationem; *Ps.* XXXVI. 7. CXLV. 15, 16. *Oculi omnium in te sperant, Domine; & tu das escam illis in tempore oportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* CXLVII. 8, 9. *Qui produxit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum: qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Imo nihil in terra tam vile est, cujus Deus curam non gerat, nullum tam vile animalculum, cui non provideat: aves cœli, *Matth.* VI. 26. passerculi, *cap.* X. 29. lilia agri, *cap.* VI. 28. fœnum, *vers.* 30. imo capitis nostri pili, *cap.* X. 30. Quin & in singulorum animalium mirabili structurâ corporis, membris suis, aptâ compage, spirituumque animalium ad quodvis opus celeri ac promptâ præsentiâ, constantis, summa elucet Dei sapientia.

XIII. Hæcque omnia speciatim curâ divinâ regi, vel exinde manifestissimè liquet, quòd Deus nunc in hominum sibi obedientium præmium hæc producat & conservet; nunc in pœnam transgressorum ea inhibeat, aut etiam ipsis noxia producat: adeo ut productio rerum ejusmodi aut inutilium primo adspectu; aut etiam noxiarum vitæ ac prosperitati hominum, quæ ad providentiæ divinæ negationem proferre solet, evidentissimum illius sit argumentum. Cœlum aperit, pluviam concedit, ut hominibus in obedientiæ præmium terræ fructus liberali manu largiatur. *Deut.* XI. 13, 14, 15. *Si obedieri-* *Quod de singulis probatur.*

dieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra; dabit pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, & ut ipsi comedatis ac saturemini. Vide & *Levit.* XXVI. 3. & *seqq. Deuter.* XXVIII. I. & *seqq.* & præsertim *Hos.* II. 21, 22. ubi egregiam causarum secundarum, fœcunditatem producentium, concatenationem habemus: *Erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum; & hæc exaudient Jezrahel. Malach.* IV. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Quæ sensu quidem mystico respiciunt Servatorem nostrum Jesum Christum; sed & sensu literali promissum continent solis apto ardore terram fœcundantis, qualem Dominus in Lege sua justis promisit. In pœnam autem peccatorum omnia hæc beneficia inhibet; cœlum claudit, ne pluviam immittat, adeo ut cœlum sit instar æris, terra instar ferri dura præ siccitate, *Lev.* XXVI. 19, 20. *Deut.* XXVIII. 23, 24. quod etiam contigit tempore Eliæ Prophetæ, I *Reg.* XVII. XVIII. *Jacob.* V. 17. Fructibus immittit rubiginem & ventum urentem, *Deuter.* XXVIII. 22. *Amos.* IV. 9. Vel etiam quævis insecta quæ eos depascant, *Joel.* I. 4. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Amos.* IV. 9. Quibus tandem accedit, quod Deus pani vim nutriendi adimat, ut homo *comedat absque saturitate*, uti dicitur *Hagg.* I. 6. Hinc & Deus minatur se *confracturum baculum panis*, *Levit.* XXVI. 26. *Esech.* IV. 16. V. 16. Præter hæc omnibus aliis creaturis vel in bonum sui cultorum, vel in pœnam transgressorum utitur, nullâ exceptâ. Mari & fluminibus, *Nahum.* I. 4. *Increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens.* Mare recedere facit, ut Israëlitis transitum præbeat, & redire ut Ægyptios obruat, *Exod.* XIV. Ignem è cœlo demittit ad conflagrationem Sodomæ, &c. *Genes.* XIX. & ut impios regis impii satellites ad comprehendendum Eliam missos consumat, 2 *Reg.* I. rursus vim ignis coërcet ne sibi fidelibus noceat, *Dan.* III. 27. Cœli valvas aperit, ut diluvium immittat mundo peccatorum, *Genes.* VII. Solis cursum sistit ad preces Josuæ, *Jos.* X. 13. eundem decem gradus retrocedere facit in gratiam Regis Esechiæ, *Esa.* XXXVIII. 8. Tenebras mediâ meridie inducit tempore plenilunii circa mortem Servatoris nostri, *Matth.* XXVII. 45, 46. Omnibus bestiis agri utitur, feris, insectis, aliisque, ut sint impiorum flagellum. *Levit.* XXVI. 22. *Immittam in vos bestias agri, quæ consumant vos & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant. Esech.* XIV. 21. minatur Deus, se *quatuor judicia sua pessima immissurum Jerusalem, gladium, famem, bestias malas, ac pestilentiam.* Ita immisit Dominus leones in gentes, terram Israëlis, unius veri Dei cultui destinatam, inhabitantes, in eaque Diis suis servientes, 2 *Reg.* XVII. 25. Leonem immisit in Prophetam, qui contra ipsius interdictum panem in Bethel comederat, I *Reg.* XIII. 24. duos ursos in pueros, qui convitium faciebant Prophetæ Elisæo, 2 *Reg.* II. 24. piscem ad absorbendum Jonam voci Dei immorigerum, *Jon.* II. I. alium piscem, qui staterem in ore habebat, ut Petrus pro se & Domino Jesu tributum persolvat; *Matth.* XVII. 27. sic & Dominus Jesus aliquoties pisces in suorum discipulorum retia compulit. Hinc *Sephan.* I. 2, 3. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, inquit Dominus; congregans homines & pecus, congregans volatilia cæli, & pisces maris, & ruinæ impiorum erunt.* Ita pediculis, ranis aliisque insectis Deus usus est ad puniendum Egyptios, *Exod.* VIII. 6, 17, 24. Rursus corvis utitur, qui panem Eliæ apportent, I. *Reg.* XVII. 6. ad servandum fidelem sibi servum Danielem ora leonum claudit, *Dan.* VI. 22. Adeo ut nihil sit in rerum natura, quo Deus non utatur vel in benedictionem, vel in pœnam hominis. Unde & non immeritò Dominus Zebaoth, seu exercituum vocatur, quia non tantum Angelis, sed & omnibus creaturis, etiam inanimis, tanquam ministris ac exercitibus ad judicia sua exequendum utitur.

XIV. Attamen solent ex Scriptura Sacra duo loca proferri, quibus Deum providentiâ suâ circa bestias occupari, negari videtur. *Explicatio Habac. I. 14.* Primus est *Habac.* I. 14. *Facies homines tanquam pisces maris, & reptile non habens principem.* Resp. Non hîc dicitur, pisces maris Dei regimini non esse subjectos, quod non uno modo circa pisces occupari jam vidimus; sed tantum, illos non habere principem, cujus protectione à potentiorum violentia tuti sint; minores enim pisces cedunt in escam majoribus, nec est inter eos princeps, qui ipsos contra majorum vim protegat. Illud autem tantum abest, ut signum sit Dei providentiam ad pisces non extendi, ut contrarium inde evidentissime colligatur; quoniam tanta copia sunt creati, & perpetuo proseminantur & conservantur, ut licet continuò maximo numero absumantur, plurimi tamen supersint. Et quæ ratio, quòd piscium minorem Deus curam gerat quàm passerculorum, corvorum, imo liliorum agri? Non itaque Prophetæ mens est, pisces providentiæ divinæ eximere: sed miseram populi sui conditionem deflet, quòd sint à Deo derelicti, traditi in manus Chaldæorum hostium suorum, nec ullus ipsis sit

protector, qui eos è manu ipsorum eruat; perinde uti piscibus nullus est princeps, qui ipsos defendat. Sed & in eo providentia divina elucet, quod in illum statum miseriæ non inciderint, nisi justo Dei judicio ob sua peccata.

Ex 1 Cor 1x. 9. XV. Alter locus extat 1 *Cor* IX. 9. *Num boves Deo curæ sunt?* Resp. Nec Apostolus illic dicit Deum nullam boum curam gerere: respicit quippe ad legem *Deut.* XXV. 4. *Non alligabis os bovis in area terentis fruges tuas:* Quæ lex claré satis evincit, Deum boum curam non abjecisse. Sed mens Apostoli est, Deum legem illam non præcipuè ac primariò boum causâ tulisse, sed hominum; ut eos doceat, qui se gerere debeant erga mercenarios: quam nunc Apostolus ulterius extendit ad fideles, ad ostendendum, quodnam Ecclesiæ munus sit erga ministros seu pastores suos; videl. ut ipsis prospiciant de necessariis ad vitæ sustentationem.

Concursus Dei. XVI. Quod tertium providentiæ divinæ actum attinet, nimirum Concursum; is est, quo Deus dicitur ita cum omnibus creaturis concurrere, ut omnis earum motus, omnis operatio, à Deo ut prima causa in particulari dependeat. Solet is à Scholasticis dividi in simultaneum, quo Deus una cum creaturis in earum actiones influere dicitur, qui concursus à creatura determinatur ad particulare aliquid opus: Et prævium, quo Deus in creaturas ipsas influit, eas præmovendo, excitando, & prædeterminando prædeterminatione physica, atque ad agendum applicando: qui influxus non tantum est moralis, verum physicus & maximè positivus, aut potius hyperphysicus & immediatus.

Quatenus is sit admittendus. XVII. Nos quod attinet, priorem facile agnoscimus, qui concursus Dei est universalis, virtutem suam unicuique causæ applicantis, à qua in operatione ad certum actum determinatur. Posterior verò est quam maximè absurdus: is enim si obtineat, operandi vires frustra creaturis videntur concessæ, utpote ad omnem operationem inidoneis, nisi prævio isto Dei concursu incitatis & impulsis. Exemplum fornacis Babilonicæ, quod adferri vulgò solet, cujus ignis tres juvenes, Deo concursum suum inhibente, non usserit, nihil ad rem facit; imo contrarium videtur probare: non enim ignis ille calore suo seu vi urendi fuit destitutus, interfecit quippe flamma ignis regios ministros; sed Deus virtute suâ omnipotente impedimentum igni opposuit, ne corpora trium juvenum læderet: unde liquet, actionem quandam Dei requisitam, non ut ignis ureret, sed ne ureret. Verùm de hisce, quando speciatim de Providentia Dei circa homines dicturi sumus, fusior erit disserendi locus.

Providentia divina modi. Primus. XVIII. Modus Providentiæ divinæ varius est, pro ratione objectorum, circa quæ versatur. Primò. Nobiliorum majorem curam gerit, quàm ignobiliorum, hominum quàm animalium, animalium quàm herbarum aut plantarum. Etenim cum ignobiliora in usum nobiliorum sint condita, consequens est, omnem providentiam, quâ Deus circa ignobiliora versatur, etiam occupari circa nobiliora, quorum usui ea destinavit. Herbam creavit in cibum animalium, *Psal.* CXLVII. 9. animalia destinavit usui hominum; omnis ergo providentia, quâ Deus herbas producit ac conservat, occupatur etiam circa animalia, atque hæc rursus circa hominem: hinc 1 *Cor.* IX. 9. *Num boves Deo curæ sunt?* & *Matth.* VI. 26. & 29. ac proinde maxima circa homines cura ac providentia versatur.

Secundò. XIX. Secundò. Est accommodata naturæ creaturarum. Aliter Deus versatur circa res inanimatas, aliter circa animatas, circa quas, quoniam voluptatis ac doloris sunt capaces, Deus, uti vidimus, juxta æquitatis suæ leges jus suum aliquatenus circumscripsit. Ita urbi Ninive pepercit, non tantum propter infantes, sed & propter jumenta, *Jon.* IV. *vers. ult.* nihil tale legitur de rebus inanimatis. Rursus quod spectat res animatas, aliter versatur circa ratione carentes, aliter circa ratione præditas; quas non nisi rationi, ipsis in creatione inditæ, convenienter tractat.

Tertiò. XX. Tertiò. Est liberrima pro absoluto Dei in omnia Dominio; & modò his, modò illis, nunc hoc, nunc alio modo, pro absoluto suo arbitrio utitur: quod ex allatis supra exemplis copiosè liquet.

Quartò. XXI. Quartò. Est irresistibilis, in illis nimirum, quæ Deus absolutè efficere vult: alia est ratio obedientiæ humanæ, quam Deus vult convenienter naturæ liberæ; quamque ipse per omnipotentiam non vult in homine efficere; sed quam ab homine ut officium sibi debitum exigit, additâ promissione ingentis præmii, & comminatione pœnæ, & quam proinde ab homine, ut pœnam effugiat & præmium consequatur, præstari vult. Quod verò illa attinet, quæ à solius Dei operatione dependent, quæque absolutè intendit, ea irresistibiliter peraguntur, nemoque est, qui operationem divinam impedire possit. Talia sunt omnia dona gratiæ, quibus hominem Deus ad pœnitentiam invitat, missio Christi in mundi Servatorem, oblatio gratiæ ad conversionem necessariæ; & præsertim benedictiones & punitiones divinæ, tam in hoc, quam futuro seculo, quas nemo impedire potest. Hinc Deus dicit *Esa.* XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Et *cap.* LV. 10, 11. *Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum*

meum

meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum; sed faciet quodcunque volui, & prosperabitur in iis ad quæ misi illud.

CAPUT XXVI.

De Providentia Dei circa homines, ac primò quidem de Conservatione.

Conservatio. I. QUæ huc usque de Providentia divina dicta sunt, speciatim homini applicanda sunt, propter quem, ut vidimus, Deus omnia hæc condidit, & in cujus gratiam omnia conservat, regit & administrat. Circa hominem utrumque hunc Providentiæ divinæ actum, Conservationem nim: & Gubernationem, consideraturi sumus; qui tamen non ita distinctè à se invicem considerari possunt, quin in Conservatione multiplex Dei gubernatio sese manifestet.

Ea respicit, II. Conservationem considerabimus, vel quatenus refertur ad speciem humanam; vel quatenus spectat individua.

Vel speciem. Ac primo generationem hominis. III. Ad speciei Conservationem refertur, quod Deus generandi vim hominibus indiderit, *Genes.* I. 28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram:* eamque in hunc usque diem conservat; quin & aliquando collapsam restituit & steriles reddit fœcundos: ut Abrahamum & Saram, *Genes.* XVII. 15. *& seqq. Rom.* IV. 19. parentes Simsonis, *Judic.* XIII. Annam matrem Samuëlis, I *Sam.* I. Sachariam & Elisabetham, *Luc.* I. aliosque. Hinc *Psal.* CXIII. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Unde & fœcunditas inter Legis benedictiones censetur. *Exod* XXIII. 26. *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua.* Et *Deut.* VII. 14. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.* Et *cap.* XXX. 9. Unde & *filii* vocantur *hæreditas*, seu donum, *Domini*, *Psal.* CXXVII. 3. & CXXVIII. 3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Aliquando & sterilitatem Deus in pœnam peccati infligit, ut in familia Abimelechi, ob Saræ raptum, *Genes.* XX. Ob multiplicem hanc Dei circa generationem hominis providentiam, illi in specie adscribitur formatio hominis in utero: *Job.* X. 8. *& seqq. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: Memento quæso quod sicut lutum feceris me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestivisti me: ossibus & nervis compegisti me. Psal.* CXXXIX. 15, 16. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto; & substantia mea in inferioribus terræ; imperfectum meum viderunt oculi tui*, &c. Tum & ejus generatio & productio in lucem: *Psalm.* XXII. 10. *Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.* Et LXXI. 6. *In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus.*

IV. Hominibus natis suppeditat omnia ad vitæ sustentationem necessaria. Infantibus vix dum natis præparat lac in matrum uberibus, & arcano quodam instinctu linguas eorum aptat, ut lac matrum sugant: unde *Psalm.* VIII. 3. *Ex ore infantium & lactantium fundasti robur propter adversarios tuos.* Nec deëst liberalis ac munifica Dei manus homini toto vitæ suæ tempore; *Psal.* CLXV. 15, 16. *Actor.* XIV. 17. dicitur Deus *benefacere de cælo, pluviam dare & tempora fructifera, implere cibo & lætitiâ corda nostra*. Et I *Tim.* VI. 17. *nobis omnia abundè dare ad fruendum.* Et præsertim *Matth.* VI. 25. *& seqq.* Dominus Iesus argumento desumto ab avibus cœli, liliis & fœno agri, demonstrat Deum nobis prospicere de victu & amictu. Unde meritò dicitur *Actor.* XVII. 25. *Omnibus dare vitam, & halitum, & respirationem, & omnia.* Et *vers.* 28. *in ipso nos vivere, moveri & esse*; id est, per ipsum, seu ipsius benignitate ac munificentia. *Deinde, suppeditationem necessariorum.*

V. Verum hic oritur quæstio: an numerus hominum æterno decreto à Deo sit definitus, & ita in tempore per ejus providentiam hominum generationes dirigantur, ut nec plures, nec pauciores homines nasci possint, quàm revera nascuntur? Resp. Nullo modo: & ratio est evidens: quia decretum absolutum per media absoluta debet executioni mandari. Si ergo Deus absoluto ac æterno decreto hominum numerum definivit, necesse est ut etiam æterno decreto determinaverit, ac per providentiam suam in tempore procuraverit & etiamnum procuret omnes illas conjunctiones, ex quibus homines nascuntur: at multæ earum sunt illicitæ, inhonestæ, imo & incestuosæ: Atque ita per consequens Deus decreto & providentiâ suâ auctor erit omnium scortationum, adulteriorum, incestuum, ex quibus homines unquam geniti sunt & imposterum gignentur: quæ sine blasphemia de Deo cogitari nequeunt. Præterquam quod Deus in uniuscujusque arbitrio reliquerit, vel matrimonium vel cælibatum eligere. Dices. Potuit Deus definivisse, ut certus quidam hominum numerus existat antequam mundum velit destruere, licet non decreverit media necessaria, quibus intervenientibus numerus ille producatur. Sufficit quod mundum destruere nolit ante completum illum numerum, & interim vim generandi in hominibus conservet. Resp. I. De ejusmodi decreto divino nihil constat. 2. Non id urgent illi, qui hominum numerum à Deo definitum statuunt; sed volunt præcise uniuscujusque nativitatem in specie decreto divino esse determinatam. *Hominum numerus æterno decreto à Deo non est definitus.*

VI. Hinc porrò consectarium elicimus: *Nec etiam*

omnia hominum conjugia. Quod quidam de conjugiorum fatalitate docent, quasi omnia æterno Dei decreto sint prædeterminata, fundamento carere, imo falsum esse. Si enim hominum nativitas præcise non est determinata, nec conjugia postea ab hominibus contrahenda determinari potuerunt. Verum est, præsidet Deus conjugiis: instituit conjugium *Genes.* II. 24. *Matth.* XIX. 6. Quin & magnam Dei circa conjugia esse directionem, ultro fatemur; nec id negare potest, qui historias sacras Isaaci, Jacobi, aliorumque legit: unde & *Prov.* XIX. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè uxor prudens.* Verùm Deum omnia, quæ contrahuntur, conjugia determinasse, & quidem absoluto ac æterno decreto, absit ut credamus. Multa enim contra ejus præceptum contrahuntur, uti olim Israëlitarum cum alienigenis, quæ expresse dirimi voluit, *Esdr.* IX. & X. multa etiam non sine scelere consummantur, quorum longus posset texi catalogus. Quæ omnia decreto divino absque blasphemia adscribi nequeunt.

Vel individua. VII. Individuorum conservatio est, qua Deus unumquemque hominem ad certum usque tempus in vita conservat, quo elapso vitæ terminum ponit. Ita *Hebr.* IX. 27. *Statutum est homini semel mori.* De hoc vitæ termino quæritur, fatalisne is sit, an mobilis? seu an ille ita sit fixus, ut tam tempus illius quàm omnes circumstantiæ decreto Dei absoluto ac æterno sint determinatæ, adeo ut homo ad terminum, sibi ab æterno à Deo præfixum, necessariò pervenire debeat, neque eum ulla ratione aut ullis mediis excedere possit?

Sententia de vita termino quatuor positionibus expressa. Prima. VIII. Nos quod attinet: Statuimus Deum vitæ humanæ terminum constituisse & justitiæ & sapientiæ suæ convenienter: Primò. Propter peccatum hominem, qui, nisi peccasset, nostro judicio moriturus non fuisset, totumque ex eo nasciturum genus humanum, necessariæ morti subjecisse; hominisque vitam angustis limitibus a Deo circumscriptam esse, quos homo excedere nequit, & quibus elapsis vis vitalis evanescit; quod spatium ordinariè septuaginta aut octoginta annorum revolutione circumscribitur, uti expresse dicitur *Psal.* XC. 10.

Secunda. IX. Secundò. Deum pro absoluto suo beneplacito non omnibus æquale temperamentum dare, sed uni felicius, alteri minus felix: & hic quidem plerumque rationem habere parentum, ex quibus nascuntur, adeo ut qui à parentibus sanis ac robustis gignuntur ordinariè corpus ac temperamentum nanciscantur melius dispositum; ita tamen ut & ab ordinaria ista via Deus pro beneplacito suo nonnunquam recedat: naturaliter autem & plerumque longæviores esse eos, qui melius, brevioris autem vitæ, qui deterius temperamentum nacti sunt: posse autem hominem, vel temperantia, vel intemperantia, vel prudentia vel imprudentia ac temeritate, vitam illam vel producere pro temperamenti sui vigore, vel temperamentum suum vitiare vitamque contrahere: semper tamen infra sphæram prædictam, quam Deus vitæ hominum in genere præfixit.

X. Tertiò Deum ut justum judicem, è solio suo opera ac vias hominum considerantem, vitam hanc vel prolongare velle, si homo pius sit, id est, ad metam illam à se constitutam perducere; vel etiam contrahere & abbreviare, si impius sit, adeo ut non perveniat ad illos vitæ dies, quos alias impleturus fuisset: nonnunquam tamen pro libertate ac absoluto suo dominio, ob rationes soli sibi notas, contrarium facere, & piorum dies facere breves, impios autem longævos. *Tertia.*

XI. Quartò. In hac prolongatione aut abbreviatione dierum Deum nonnunquam habere rationem temperamenti, illud vel in vigore suo conservando, vel si infirmius sit, non corroborando, sed infirmitati suæ relinquendo: aliquando non, sed vel illud, si infirmum sit, in præmium pietatis confirmare ac corroborare, ut vitam diutius, quàm pro naturali sua vi, sustentare possit; vel si robustum ac validum sit, in pœnam impietatis turbare ac dissolvere, ut vitam nullatenus ad spatium, cui producendo per naturalem vigorem aptum erat, sustentare possit; sive morbos violentos immittendo, sive etiam procurando ut morte violenta tales pereant, atque ita dies ipsorum abscindantur. *Quarta.*

XII. Terminum autem æterno ac absoluto Dei decreto esse fixum, qui nulla ratione, nec pietate, nec impietate, nec precibus, mutari queat, non credimus; imo recta ratio & Scriptura reclamat. *Non est æterno ac absoluto Dei decreto fixus.*

XIII. Recta quidem ratio, quæ docet posse hominem temperantia suum temperamentum in vigore conservare, & intemperantia vigorem sui temperamenti corrumpere, sibique variorum morborum ac tandem acceleratæ mortis fabrum esse: vel etiam prudentiâ varia pericula evitare, vel imprudentiâ in varia sese pericula conjicere, naufragii, belli, latronum, pestis, aliorumque, in quibus pereat: vel tandem si in morbum incidat, uti consilio periti medici, cujus ope vis morbi dispellatur; vel illud negligere, atque ita remediorum neglectu morbi vim magis excitare, quam cita mors consequatur. Dicere, hæc omnia etiam decreto Dei definita esse, ut, si longævitas tibi sit destinata, simul etiam decretum sit te temperanter ac prudenter victurum, ut vitam ad terminum tibi destinatum producas; si verò brevior vitæ tuæ terminus sit præfixus, te intemperanter victurum, & *Ratio prima.*

media

media sanitatis neglecturum: Est non tantum omnem officii curam tollere, quod tali decreto posito, quo omnia in puram actionem Dei resolvuntur, locum habere nequit; sed & Deum suæ intemperantiæ suique neglectus causam statuere: quod absque blasphemia fieri non potest. Dices. Cum absoluto fine consistere posse mediorum usum. Ita, licet Paulo divinitus revelatum esset, omnes, qui cum ipso navi vehebantur, fore salvos, tamen cum nautæ dimissâ scaphâ ex navi aufugere vellent, dixit; *nisi hi in nave manserint, vos salvi esse non potestis. Act.* XXVII. 30, 31. Resp. Promissionem hanc non fuisse absolutam; quod ex duobus liquet: 1. ex hisce verbis Pauli, quæ, si promissio fuisset absoluta, vera non fuissent. 2 Ex verbis *vers.* 24. ubi dicitur, *Deus gratificatus est tibi*, κεχάρισταί σοι, *omnes qui in nave sunt*; id est, in tui gratiam eos servaturus est, si nimirum consilio tuo obtemperent, ut exinde appareat, in tui gratiam illos servari, illique exinde cognoscant, quanto te amore Deus complectatur.

Secunda. XIV. Huic accedat altera ratio: Quia uniuscujusque nativitas, uti vidimus, absoluto Dei decreto non est determinata, nec mors determinari potuit: initio enim vitæ non definito, nec terminus definiri potuit.

In Scripturis, sunt promissa longævitatis piis facta. XV. In Scriptura varias pro sententia nostra habemus rationes. Ac primò quidem varia promissa longævitatis Deum timentibus facta. Ita quinto præcepto de honorandis parentibus additur hæc promissio, *ut prolongentur dies tui super terram, quam Dominus tuus dat tibi Exod.* XX. 12. Quæ & repetitur *Eph.* VI. 2. Hisce consonant *Exod.* XXIII. 25, 26. *Servietis Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui: Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua; numerum dierum tuorum implebo.* Vide & *Deut.* IV. 40. XXX. 20. *Ps.* XCI. 16. Et speciatim promissum Salomoni factum, 1 *Reg.* III. 14. *Si ambulaveris in viis meis, & custodieris mandata ac præcepta mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Hinc & ipse Salomon *Prov.* X. 27. *Timor Domini apponit dies, anni verò impiorum abbreviantur.*

Illis Deus non balbutit nobiscum. XVI. Excipiunt, Deum hisce promissis cum hominibus balbutire; ipsum verò vitæ terminum, semel à Deo definitum, nec contrahi nec prolongari posse: quod exinde liquet, quia liberi parentibus maximè morigeri, aut homines pietatis summè studiosi, immaturâ sæpe morte exstinguuntur; immorigeri autem hominesque impii vitam nonnunquam ad ultimam usque senectutem producunt. Resp. Fateor hæc promissa accipienda non esse absque ulla exceptione: Deus quippe jus ac potestatem semper sibi reservat quando sapientiæ suæ consultum videtur, aliter statuendi. Sunt quandoque rationes occultæ, soli sapientiæ divinæ cognitæ, quæ suadeant à communi hac regula recedere. Ita Deus, excidium populo cuidam rebelli inducere volens, pios immaturâ morte exstinguit, ne iisdem cum reliquis peccatoribus miseris obruantur. Sic Deus filium Jeroboami adhuc adolescentem exstinxit, ne involveretur exitio domui Jeroboami imminenti: uti dicitur 1 *Reg.* XIV. 13. *Planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus feretur de Jeroboam in sepulchrum, quia inventus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israel in domo Jeroboam.* Et præsertim dicitur pio regi Josiæ, 2 *Paral.* XXXIV. 27, 28. *Quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc & habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me; ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. Jam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in sepulchrum tuum in pace; nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores ejus.* Et hoc casu vitæ abbreviatio est beneficium; sicut & simili in casu longævitas potest esse pœna ac supplicium: ingruentibus nimirum diebus, in quibus, ut Dominus dicit *Luc.* XXIII. 29, 30. dicent, *beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt: & ubera quæ non lactaverunt*, &c. Quanquam & extra hunc & similes casus Deus nonnunquam pro absoluto suo dominio à communi & ordinaria via recedat, quia mundus piis illis non erat dignus, *Hebr.* XI. 38. Credimus tamen Deum sub Veteri Fœdere rarò à regula hac recessisse: quia promissa tum ferè omnia vitam hanc præsentem spectabant, neque erat ulla expressa ac specialis promissio vitæ æternæ; sed generali vitæ promissio includebatur, & promissis temporalibus adumbrabatur. 2. Non balbutit Deus nobiscum, quando agitur de sinceritate promissorum ejus; solummodò quando loquitur de rebus captum nostrum superantibus; qualia sunt bona cœlestia, quæ, quia merè sunt spiritualia ac æterna, plenè à nobis, carne adhuc vestitis, percipi nequeunt; ideoque Deus quasi nobiscum balbutiendo ea nobis repræsentat sub figurâ rerum corporearum. Sed non est Deo adscribenda balbuties sinceritatem ejus evertens: non enim est balbutire, promittere contrarium ejus quod decrevit.

XVII. Secundò. Deus impiis propter impietatem comminatur abscissionem dierum: *Deut.* XXVIII 58. & *seqq.* minatur legis transgressoribus *morbos malignos & constantes*; Et ne forte excipiant, posse quidem hominem in morbum incidere, non tamen mori ante sibi constitutum diem (quod tamen non video quâ specie dici possit; qui enim propter peccata morbis affligitur, *2. Comminationes vitæ brevis propter impietatem.*

etiam

etiam contractior illi redditur vita, unde & *verf.* 61. additur, *donec excfcindaris*) dicitur *Pfal.* LV. 24. *homines fanguinarii & dolofi non perducent ad dimidium dies fuos.* Inde & David Deum orat *Pfal.* CII. 25. ne ipfum *fuccidat in medio dierum fuorum*, quia *jam in viâ adflixerat fortitudinem ejus.*

Diluitur exceptio prima.

XVIII. Ad clarum hunc *Pf.* LV. locum varia excipere folent. Ac 1. quidem dici fanguinarios non ad dimidium perducturos dies fuos; non quia non pervenient ad terminum fibi à Deo præftitutum; fed quia peribunt antequam fperent; promittunt quippe fibi longævam vitam; fed fpes fua ipfos fallet. Refp. 1. Hæc exceptio non convenit cum verbis textus; non enim dicitur, non dimidiabunt impii dies quos fibi promittunt, fed *fuos*, id eft, quos aliàs Deus ipfis largiturus fuiffet. Atque fic etiam per hanc exceptionem falfi David argueretur: dicit enim impios non dimidiaturos dies fuos: juxta hanc autem exceptionem dierum fuorum numerum non minus quàm pii implent. 2. Idem etiam locum habet in piis, quod pereant antequam fperent: contra aliquando contingere poteft, ut impii, confiderantes vitæ hujus incertitudinem, neutiquam fibi longævam vitam promittant, illorum inftar, qui 1 *Cor.* XV. 32. dicebant, *edamus, bibamus, cras enim moriemur.*

Et fecunda.

XIX. Alii hæc accipiunt de termino feptuaginta vel octoginta annorum, vitæ hominum in communi præftituto, quem impii homines vix ad dimidium attingunt: quoniam plerumque immaturâ morte moriuntur; non tamen nifi die antea abfoluto decreto Dei definito. Refp. Sed nec hæc exceptio felicior eft præcedente. 1. Enim cum verbis textus neutiquam convenit. Non enim dicitur, illos non impleturos dies aliorum hominum, fed *fuos*: ipforum autem dies illi foli funt, quos Deus abfoluto decreto vitæ ipforum præfixit. 2. Idem dici poterit de piis, quòd fæpe dimidium feptuaginta vel octoginta annorum non impleant. 3. Etiam quidam fanguinarii dies illos implent. 4. Tandem, efto hæc exceptio admittenda fit; fubintelligenda tamen eft ratio, cur impii illi dies fuos dimidiaturi non fint: illa autem alia non eft, quàm ipforum impietas. Et hoc eft quod nos urgemus, propter impietatem dies ipforum fuiffe contractos. Refpicit ergo David hoc fuo dicto ad promiffa ac minas legi Dei annexas, & quid juxta eas ordinariè contingeret; & ex illis conclufit, fanguinarios illos, qui vitæ ipfius infidiabantur, velox ac immaturum manere exitium.

3. Exempla accelerata mortis ob impietatem.

XX. Tertiò. Exempla habemus varia, quibus propter impietatem dies vitæ præcifi fint. Illuftre eft filiorum Judæ Er & Onan, *Genef.* XXXVIII. 7. & 10. de quibus expreffè dicitur, quòd eos *Dominus morti tradidit, quia faciebant quod malum erat in oculis Domini.* In Abfolomo, qui ob rebellionem contra patrem Davidem in media ætate violentâ morte eft exftinctus, 2 *Sam.* XVIII. 14. Sic in excidiis generalibus, quæ Deus integris populis ob peccata immittit, quale fuit diluvium, everfio Sodomæ & Gomorrhæ, aliaque, liquet vitam, quam aliàs Deus ulterius produxiffet, abfcindi. Sic multi ob fuam impietatem in ipfo vitæ flore carnificis manu pereunt: qui alias per multos annos vitam producere potuiffent. Dicere, illos, nifi peccaffent, tamen illo tempore alio mortis genere morituros fuiffe; eft effectum ponere abfque caufa: neque convenit cum vulgari fententia, quâ ftatuitur non mortem tantum, fed & mortis genus omnefque illius circumftantias decreto Dei definitas effe. Tum, velim ex illis quærere, quando Davidi ob numeratum populum à Deo trium plagarum optio data eft, vel famis feptem annorum, vel fugæ trium menfium coram facie hoftium, vel peftis triduanæ; 2 *Sam.* XXIV. 13. an non in poteftate Davidis fuerit, quamcunque vellet ex hifce tribus plagam eligere? Si negent, fruftra Davidi optio data eft. Si affirment; quæram porro, quoniam David elegit peftem, & tridui fpatio feptuaginta millia in terra Ifraëlis pefte perierint, ac proinde vitæ horum terminus advenerit; an credant, fi David aliam elegiffet plagam, nihilominus feptuaginta illa millia eodem tempore, five pefte, five alio mortis genere, interitura fuiffe? Si negent; quomodo abfoluto Dei decreto vitæ eorum terminus fuit fixus? Si affirment, quomodo Davidi plagarum optio data dici poteft? quoniam, licet aliam elegiffet, peftis nihilominus, juxta hanc fententiam, in populum ipfius graffata fuiffet.

XXI. Quartò. Tandem habemus exempla dilatæ mortis propter peccatorum pœnitentiam. Ninivitis, quibus Deus exitium denuntiaverat intra quadraginta dies, ob refipifcentiam pepercit, *Jon.* III. *ult.* convenienter illi enunciato, quod legitur *Jerem.* XVIII. 7, 8. Illuftre autem eft Efechiæ Regis exemplum, cui Propheta Efaias Dei nomine mortem jam jam inftantem prædixerat, hifce verbis, *difpone domum tuam, quoniam morieris.* Sed cùm ipfe Deum oraret, Deus vitæ ipfius adjecit quindecim annos, *Efa.* XXXVIII. 5. Ad hoc exemplum excipiunt: Quòd dies Efechiæ non fuerunt prorogati ultra terminum à divina providentia fixum; fed tantum ultra illud tempus, quod ex caufarum fecundarum difpofitionibus & comminatione Dei, quæ licet conditionata abfolutè tamen efferebatur, jam morti proximus videbatur. Refp. 1. Si comminatio Dei fuit conditionata, ergo vitæ terminus non fuit fixus: nam fi fuit fixus, etiam non impletâ illâ

4. Exempla dilatæ mortis ob refipifcentiam.

condi-

conditione nihilominus comminatio sortita fuisset eventum: ubi ergo est comminatio conditionata? Si verò est conditionata, cum conditio ex illorum sententia est incerta, quomodo certò definitus terminus? 2. Quomodo dici potest mors Esechiæ dilata, & quidem ad preces ipsius; imo quomodo Esaias poterat dicere, *dispone domum tuam quoniam morieris*, si jam ante fixum erat, Esechiam non moriturum? Nam licet morti proximus videbatur, non tamen erat. Dices. Usus est Deus acri ista comminatione, ut regem ad pœnitentiam compelleret. Resp. Admitti posset, si comminatio illa posset esset seria. At quæ illius vis esse potest apud eum, qui vitæ terminum absoluto Dei decreto fixum esse novit? Nam aut credidit vitæ terminum juxta Dei comminationem jam advenisse, aut non? Si prius: quomodo per acrem illam comminationem adduci potuit, ut rem decreto Dei absoluto contrariam, hoc est, absolutè impossibilem, peteret? Si posterius: quomodo terreri potuit illa comminatione, quam credidit seriam non esse, nec esse posse?

Explicatio Job. XIV. 5. XXII. Omnibus hisce adeo claris ac evidentibus Scripturæ Sacræ locis vix quicquam, quod speciem quandam habet, opponitur præter unicum locum, *Job.* XIV. 5. *Definiti sunt dies ejus* (hominis) *& numerus mensium ejus tecum est, statuta ejus fecisti, & non præteribit ea.* Resp. Sed iste locus non dicit, unicuique absoluto Dei decreto vitæ terminum esse fixum, qui mutari nequeat, sed tantum vitæ humanæ terminum brevi spatio inclusum esse, quod homo excedere nequit; quod lubentes fatemur; illud autem spatium intra septuaginta aut octoginta annos definitur, *Psal.* xc. 10. unde vita flori, vapori, aliisque rebus caducis ac citò evanidis comparari solet, *Ps.* XXXIX. 6. CIII. 15. *Jacob.* IV. 14.

CAPUT XXVII.

De Gubernatione, quæ est alter Providentiæ divinæ circa homines actus.

Gubernatio. I. Gubernatio est, quâ Deus omnes hominum actiones regit, dirigit ac observat, hominesque secundum eas justè judicat.

Non est concursus Dei prædeterminans hominem. II. Hic primò quæritur, an non Deus concurrat cum omnibus hominum actionibus? Nos de Providentia Dei in genere differentes, agnovimus concursum Dei simultaneum, quo Deus virtutem suam homini applicat, à quo illa, ut à causâ libera, in operatione ad certum actum determinatur. Verum alii, huic concursui non acquiescentes, alium requirunt, quem quidem immediatum, prævium ac prædeterminantem vocant; alii ipsam Dei operationem, quâ omnia operatur in omnibus, quæ æterna „unica & simplicissima voluntatis Dei sit „jussio, quâ efficaciter res omnes vult agere & operari, considerata cum suâ tendentia ad creaturarum actiones; quæ realiter „non differat à creatione & conservatione; „non tantum respectu Dei, in quo omnia „unum sunt; verùm etiam respectu creaturarum, quæ eadem Dei actione, seu „potius jussione, creantur, conservantur, „& operantur. Quatenus enim esse creaturarum ex nihilo producitur, jussio illa Dei „est creatio: quatenus essentia earum continuatur, est conservatio: quatenus verò „Deus eam conservat, & continuò quasi „reproducit cum actione sua, cumque mutuo illo rerum & actionum inter se nexu „& dependentia, quam Deus inter illas esse „voluit, ut unum sit per & propter aliud, „tum volitio & jussio illa Dei appellatur „concursus.

III. Sed verò ejusmodi concursus ac continua Dei creatio non nisi summa cum absurditate admitti potest. Primò. Frustra enim Deus homini agendi vires concessisset, frustraque hominem liberâ instruxisset voluntate, si ad quamvis ejus actionem requiratur creatio divina. Ad quid enim voluntatis libertas, ad quid operandi facultas, si nullus illius sit usus, nec homo quicquam, non dico agere, sed nec mente concipere possit, nisi concursu Dei prædeterminatus; nec actionem omittere, concursu divino ad agendum impulsus? Ita enim actio, actionisque modus, tota à concursu Dei dependet, utpote qui actionem creando ad eam concurrit; efficitque ut substantia cogitans seu volens porro sit cum aliâ atque aliâ volitione; hominisque nullæ circa eam sunt partes, utpote qui in creando se non aliter quàm merè passivè habere potest. Dices. Actio quidem tota dependet à Deo; sed &, quia homo à Deo actus agit, etiam tota dependet ab homine. Resp. Mera est contradictio, nec à quoquam intelligibiliter explicari potest, ut una eademque actio à duabus causis principalibus tota dependeat. Si hominem causam agnoscunt solummodò instrumentalem, contradictionem quidem tollent, sed argumentum nostrum confirmabunt. *1. Quia frustra agendi vires homini datæ forent.*

IX. Secundò. Si omnis actio tota dependeat à Deo, etiam actio mala tota à Deo dependet, ac per consequens Deus est auctor peccati. Atque hæc est secunda nostra ratio, qua sententiam illam impugnamus: hoc modo. Si concursus Dei excitat ac prædeterminat hominem ad quascunque actiones, & ad actionis modum; aut si sit creatio, quâ Deus efficit ut homo sit porro cum aliâ atque aliâ volitione, etiam eum prædeterminat ad actiones malas, aut efficit ut homo sit cum volitione mala; adeo quidem, ut, concursu isto divino posito, homo non possit quin peccet. Atqui sic Deus statuitur causa peccati, homo- *2. Quia Deus foret auctor peccati.*

 que

quæ à peccati culpa, utpote per actionem divinam peccandi necessitate ipsi imposita, planè absolvitur. Hoc argumentum tanti nobis momenti est, ut vel solum huic sententiæ evertendæ sufficiat. Nihil enim est, quod majori detestationi animis Deum reverentibus esse debeat, quàm quicquam admittere, quo Deus statuatur auctor peccati.

Non potest Deus esse auctor actionis, ut non sit auctor malitiæ in actione.

V. Excipiunt; nullam argumento nostro esse consequentiam; quoniam in peccato distingui debet actionis bonitas physica ab ejus vitiositate morali: Deum auctorem quidem esse bonitatis physicæ quæ in actione est: quod verò actio sit peccatum, hoc est difformis legi divinæ, procedere ab homine. Resp. Distinctionem illam admitti posse in ejusmodi peccatis, in quibus non ipsa actio, sed modus quidam actionis, qui abesse potest, & actionem, aliàs in se bonam & à Deo præceptam, vitiat, prohibetur. Ita precari quis potest, jejunare, eleemosynam dare, ut ab hominibus videatur, ut actionis vitiositas à se solo sit; actio autem ipsa sine vitiositate sua considerata sit à Deo. Quando autem non circumstantia, sed ipsa actio vetatur, quales sunt furtum, adulterium, perjurium, &c. distinctio illa locum habere nequit: quia in illis nulla est bonitas, sed tota natura sua sunt malæ. Si urgere velint, in illis esse bonitatem physicam, ejusque auctorem esse Deum; hominem verò malitiæ, quæ illi inest. Quæram: Num concursu Dei posito, malitia ab actu, qui per concursum Dei existit, abesse possit? Hoc affirmare nequeunt, quia statuunt, concursum Dei prædeterminare hominem non tantum ad actum, sed & ad modum actus. Deinde sequeretur, Deo licet concurrente, fieri tamen posse ut peccatum non existat: quod quam maximè absurdum putant. Inde autem ita porrò infero: Qui auctor est actionis, etiam auctor est eorum, quæ necessariam cum actione connexionem habent, ab eâque separari nequeunt: ut si quis homini lethale infligat vulnus, auctor etiam est mortis insequentis; qui hominem præcipitat è loco superiore, auctor etiam est crurifragii. Nec sufficit, quòd per simplicem mentis abstractionem, actionis bonitas physica ab ejus vitiositate morali discerni possit; quia mens nostra unico & adæquato conceptu totam actionis malæ rationem sibi repræsentare non potest. Vitiositas enim revera ab actione separari non potest, sed, concursu divino posito, tam necessarium est adesse vitiositatem, quàm actionem ipsam existere.

Occurritur exceptioni.

VI. Dices, Deus est auctor operationis; sed natura hominis in malum inclinata, vitiositatis quæ est in operatione: perinde uti agaso, qui unâ eâdemque actione equos rectos & claudos impellit, auctor quidem est incessus, sed non claudicationis quorumdam equorum. Resp. Hanc similitudinem, quam continuò in ore habent, vel maximè claudicare. 1. Quia applicari nullo modo potest primo Adami peccato, in quo, juxta illorum placitum, potentia voluntatis in se libera fuit atque ad opposita indifferens, nim: ad bonum & ad malum morale, nec non ad alterutrum volendum aut non volendum. Illi autem, si huic negotio illustrando servitura sit, vel maximè applicari debebat: quia ex illo omnem humani generis corruptionem, & in malum propensionem, derivatam volunt. 2. Nec tollit difficultatem: quia videndum, quâ ratione claudicatio hæc hominibus obtigerit. Dicunt, homines seipsos corrupisse. Esto; ut hoc nunc hic concedamus: sed quæro quâ ratione sese corruperint? Sanè ipsi justitiam suam ac rectitudinem actu non abjecerunt, utpote qui nondum exstabant. Dices. Deus eos reputavit ut existentes in Adamo peccante. Resp. Esto: ad summum itaque se corruperunt non nisi meritoriè; hoc est, peccato suo, quod Deus reputat ipsos in Adamo commisisse, meruerunt ut corruptione istâ puniantur: corruptionem autem ipsam Deus illis inflixit in pœnam peccati. Deus ergo punitione suâ causa est corruptionis seu mutilationis. Atqui qui auctor est mutilationis, & auctor incessus, etiam est auctor claudicationis. Nec refert, utrum is, qui mutilatus est, justè mutilationem meruerit; nec ne. Ex: gr: Si magistratus in pœnam sceleris aliquem mulctasset crure, aut altero pede, & postea cogeret incedere, auctor esset non tantum incessus, sed & claudicationis. Ita & Deus, qui juxta illos, propter primum Adami peccatum homines punivit ut corrupti nascantur, eos concursu suo impellens & prædeterminans ad agendum, etiam auctor est malitiæ, quæ illi corruptioni & concursui necessariò adhæret.

Deus est auctor entium, non tamen omnium actionum.

VII. In contrarium tamen pro sua sententia objiciunt: quod Deus omnis entis sit auctor; actiones autem sint entia. Resp. Deus auctor est entium, hoc est, substantiarum, quæ propriè sunt entia: Actiones autem non tam sunt entia, quàm modi entium. Earum auctor Deus dici potest, quatenus Deus non tantum hominum essentias, sed & agendi vires, quas in creatione indidit, conservat, & quando collapsæ sunt, nonnunquam restaurat. Quod bonas actiones attinet, fatemur Deum primam earum esse causam, non tantum quia eas præcipit, vires ad eas operandum largitur; sed & singulari ratione promovet & adjuvat: non tamen immediatè eas efficit concursu suo prædeterminante. Malarum autem quas vetuit auctor nequaquam est. Aliàs concursus ejus directè ejus præceptis adversaretur; per concursum enim suum efficeret, quod per præcepta vetuit ne fiat.

Res in e-

VIII. Secundò objiciunt. Prout res à Deo

[..]rando [..]unta dependent à Deo, ut [..]pars.

Deo dependent in suo fieri, ita etiam dependent in operando: Atqui in suo fieri ita dependent à Deo, ut eo operante necessariò existant. Resp. Nulla est hujus argumentationis consequentia. Non enim requiritur ut res in operando eodem prorsus modo à Deo dependeant, quo in existendo. Ut enim in operando à Deo dependeant, sufficit ut nihil possint operari, nisi Deo vires concedente & conservante; & ut Deus, quando vult, rursus vires illas subtrahere, adeoque impedire possit ne agant quod proposuerunt. Ut vero res existant, seu producantur, requiritur omnipotens ac irresistibilis Dei actio. Ut res conserventur, necesse non est continuam esse reproductionem: ostendimus enim antea, conservationem posse concipi, licet non continuata creatio concipiatur.

Nihilominus homo à Deo dependet.

IX. Tertiò objiciunt: Nisi concursus iste admittatur, hominis actiones in suo fieri non dependebunt à Deo; & sic homo erit ens independens, ac per consequens Deus. Resp. Nulla est consequentia; homo in operando hac ratione non dependet à Deo; ergo nullo modo dependet à Deo. Sanè homo actiones suas mente non concipere, nedum executioni mandare potest, nisi Deo sciente, permittente, ac vires conservante: Deus porrò actiones, quando vult, solo nutu impedire potest, & in longè alium finem, quàm homo cogitat, dirigere, & tandem, si malæ sint, punire. Ipse homo quoad totam essentiam ac facultates suas à Deo dependet, & ne ad momentum absque Dei voluntate subsistere potest: quomodo non ejus actiones dependeant à Deo? Dices. Attamen ultima illa voluntatis determinatio dependet ab homine. Resp. Ita est: nec aliter concipi potest, si libera obedientia locum habitura sit. Dices. Atqui sic illa determinatio non dependet à Deo, sed ab homine. Resp. Ipse determinationis actus non immediatè dependet à Deo, sed ab homine à Deo viribus ad agendum instructo. Inde autem nullo modo efficitur hominem ens esse independens; quia, uti vidimus, tota operandi facultas à Deo dependet. Si tamen illi, hisce non obstantibus, pertendere velint, hominem, quia à Deo nôn determinatur ad agendum, planè in actione sua à Deo non dependere: dicimus, præterquam quod collectionem istam non admittamus, minus hoc esse absurdum, quàm quod ipsorum sententiæ, & quidem necessariâ sequelâ, objicitur, quod Deus per illam statuatur auctor peccati. Hoc enim absurdum tam enorme est ac horrendum, ut omnibus illis, quæ pro sententia illa allegari solent, longè præponderare debeat. Nihil enim pejus Deo sanctissimo adscribi potest, quàm ut peccati, sanctitati ipsius vel maximè repugnantis, auctor statuatur: neque ullum pro sententia illa potest adferri argumentum, quo tanta absurditas compensetur: nec quod nostræ objiciunt, ullo modo cum eo conferri meretur.

Nihil Deo sic detrahitur in genere boni.

X. Existimant tamen majus ex sententia nostra absurdum sequi. Quia negato Deum esse auctorem actus, sequitur extra controversiam, Deum non esse auctorem bonitatis actus cujuscunque, sive naturalis, sive moralis. At posito quod Deus auctor sit sive effector actus peccato substrati, non sequitur extra controversiam Deum esse auctorem malitiæ sive peccati, &c. Itaque per nostram sententiam Deo plus derogari in genere boni, quàm per suam illi adscribi in genere mali. Resp. Negamus extra controversiam sequi, quando Deus concursu suo immediatè non efficiat actiones nostras, illum propterea non fore auctorem bonitatis in actionibus moraliter bonis: earum enim, uti jam ostendimus, causa variis modis est. 2. In actione moraliter mala nulla est bonitas: actio enim, quatenus actio, mala est, quando lege Dei vetita est. 3. Pone in iis esse aliquam bonitatem physicam, præstat illam Deo, tanquam causæ immediatæ, non adscribere, modò vires eam efficiendi sint à Deo, quàm eum malitiæ vel minimæ auctorem facere. 4. Sed nec concipi potest, uti jam diximus, si Deus auctor sit actus qui peccatum est, quomodo non etiam sit auctor peccati.

Explicatio Actor. XVII. 28.

XI. Sed & Scripturam putant suæ sententiæ suffragari. Ac primò quidem pro se solent allegare: *Act.* XVII. 28. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Resp. *In ipso* tantumdem est atque per ipsum: ut *vers.* 31. & *Matth.* IX. 34. id est, ipso vires largiente; non autem immediatè nobiscum concurrente, ac concursu suo ad agendum prædeterminante, seu volitiones in nobis creante.

Joan. V. 17. Esa. XXVI. 12. 1Cor. XII. 6.

XII. Secundò. Urgent loca quædam, quibus Deus omnia operari dicitur: ut *Joan.* V. 17. *Pater meus huc usque operatur, & ego operor. Esa* XXVI. 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* 1 *Cor.* XII. 6. *Deus operatur omnia in omnibus.* Resp. Primus locus agit de concursu Dei in miraculis faciendis: docet nempe Dominus, miraculum illud, ob quod Judæi, quia Sabbatho erat factum, ipsum volebant occidere, à se non fuisse editum, nisi Patre suo potentiam suam commodante. Inde autem malè infertur concursus Dei ad omnes & singulos hominum actus, etiam à se prohibitos. Secundus agit de beneficiis Dei erga Israëlitas; uti verba immediatè præcedentia ostendunt: *Domine dabis pacem nobis:* utque id meritò se à Deo exspectare ostendant, addunt; *Quia omnia opera nostra operatus es nobis. Opera* ergo ipsorum, non sunt opera seu actiones ab ipsis effectæ; sed sunt opera Dei, à Deo in gratiam Israëlitarum facta: simili fermè phrasi, qua fides *opus Dei* vocatur,

 Joan.

Joan. VI. 28, 29. *Dixerunt ergo ad eum; Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Hoc est, opus, non quod Deus immediatè operatur, sed Deo gratum, cujusque voluntati conveniens. Tertius tantum agit de miraculosis Spiritus Sancti operationibus: à quibus ad omnes alias, præsertim turpes & inhonestas, nulla valet consequentia. 2. Non constat, concessis illis donis, Deum non reliquisse in libertate fidelium, illis utendi aut non utendi, prout consentaneum judicarent veritatis propagationi.

Rom. XI. 36. *Eph.* I. II. XIII. Tertiò. Proferunt duo hisce affinia loca. *Rom.* XI. 36. *Ex ipso, per ipsum, & in ipsum sunt omnia.* Et *Eph.* I. II. *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.* Resp. Uterque locus manifestè agit de operibus gratiæ, quam Deus hominibus communicat, ut ad salutem eos perducat. Nihil ergo ex illis concludi potest pro immediato ac prævio concursu Dei ad quosvis actus; etiam peccata. Prior locus docet, Deum solum omnium esse gubernatorem, omniaque, sicut ab ipso originem habent, ita tandem ad ipsum, ut ultimum finem, tendere. Posterior docet tantum, Deum in gratiosis suis operibus exhibendis summè esse liberum, eaque hominibus concedere pro liberrimo suo arbitratu: non autem, illius concursu homines peccata operari. Illud ergo *omnia* restringi debet ad subjectam materiam, non ad peccata extendi.

Prov. XVI. 9. XX. 24. XXI. I. *Jer.* X. 23. XIV. Tandem pugnant locis quibusdam, quibus Deo concursum istum manifestè adscribi contendunt: *Prov.* XVI. 9. *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus.* Cui parallelus est *cap.* XX. 24. Similiter *cap.* XXI. I. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocunque volu rit inclinabit illud. Jerem.* X. 23. *Scio Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos.* Resp. Nec ex hisce locis quicquam pro immediato illo ad omnes actiones concursu concludi potest: sed tantum, multiplicem esse Dei directionem circa actiones hominis, etiam in finem longè alium quàm homo intendit: quod nos etiam in sequentibus probaturi sumus. Solummodò negamus, Deum excitare, impellere, & prædeterminare homines ad singulos actus, etiam malos: quod nec in his, nec ullis aliis locis docetur.

Providentia est liber voluntatis divinæ actus. XV. Nos Providentiam divinam considerari sumus, tanquam actum divinæ voluntatis liberum, quo Deus omnium hominum actiones observare vult, ut secundum eas hominem justè judicet, præmiumque vel pœnam assignet, prout vel bene vel male vitam instituit.

Ejus primus actus est legislatio. XVI. Primus hujus gubernationis actus est legislatio, quâ Deus voluntati hominis, quæ aliàs sui juris esset, limites præscribit, ut illa tantum justè possit velle, quæ Deus jubet aut permittit. Eam Deus adhibuit jam ab initio mundi: & licet sequentibus aliquot seculis se non semper hominibus revelaverit, tamen nonnunquam monita quædam generalia Adamo, Caino, Noacho, &c. quibus homines à peccato averterentur, dedisse legitur; donec fœdus singulare cum Abrahamo ejusque familia pepigit: quod fœdus Deus postea admodum amplavit, lege per Mosen Abrahami posteris latâ, varia præcepta continente variisque promissis ac minis sancitâ: donec tandem perfectissimam per Filium suum Jesum Christum legem tulit. Nam licet lex naturalis hominum cordibus inscripta discrimen honesti ac turpis dictaret, ideoque ad hominem in officio continendum, & peccatorem reatus convincendum, per se idonea & sufficiens esset: tamen quia per voluntariam hominum malitiam facile obliterari, saltem vis ejusdem obtundi poterat; placuit Deo aliam adhibere, ore vel scripto expressam, ad legem naturalem non tantum conservandum, sed & perficiendum.

Additis promissis & minis. XVII. Legem hanc scriptam sanxit Deus promissis & minis illustribus, quæ sunt quasi nervi legum, & sine quibus lex vix ullam obligandi, hominesque ad præstandum officium constringendi vim habet. Homo enim, qui ratione ducitur, duobus sibi propositis bonis majus eligit, uti & duobus propositis malis, si utrumque non liceat, majus evitabit. Non ergo per legem constringi potest ad obediendum, nisi promissione bonorum, quæ pluris ab ipso fiunt iis, quæ ex impletione desiderii sui, legi repugnantis, exspectat: ac comminatione malorum graviorum dolore illo, quem carentia rei cupitæ in ipso excitare solet.

Concedit Deus vires legi præstandæ sufficientes. XVIII. Legislatione peractâ, Deus homini vires concedit legi præstandæ sufficientes; si desint naturales, confert supernaturales, paratusque est majores, modò homo seriis ac ardentibus precibus eas à Deo petat, largiri. Id enim æquitatis & justitiæ ratio exigit, ut homo ad legem, cujus transgressione reus fit pœnæ, observandum idoneas habeat vires, ne præter culpam suam puniatur. Nihil enim magis voluntarium esse debet, hominisque potestati subjectum, quàm id quo pœnæ reus fit. Deus etiam varia adhibet media, quibus homo ad legis obedientiam impellatur, hortationes, dehortationes, arcanas suggestiones per Spiritum Sanctum, oblationes bonarum occasionum, bonam educationem, exempla, aliaque: quæ quantam vim ad homines à peccato avertendum, & ad virtutem incitandum, habeant, nemini ignotum esse potest.

Obedientia delectatur XIX. Hisce mediis à Deo adhibitis, varia exurgit hominum conditio. Quidam enim

nim iis rectè utentes, legi divinæ obediunt: alii verò iis pro malitia cordis sui abutentes, voluntariâ legis transgressione peccant. Pro hac hominum diversitate etiam actus Providentiæ divinæ sunt planè diversi. Quod obedientiam hominum attinet, actionesque ex obedientia præstitas, eas Deus observat, iis delectatur, ac remunerari statuit, hominemque obedientem propter illas amat, & in numerum salvandorum transcribit.

Peccatum odio habet. XX. Peccatum verò Deus summo odio habet. Hinc *Psal.* v. 5. dicitur *Deus non volens iniquitatem*, *Habac.* 1. 13. vocantur ejus *oculi mundi ne videant malum*: & *Jacob.* 1. 13. quod *Deus malo tentari non possit*, *nec quenquam tentet.* Nihil enim magis repugnat naturæ Dei, quæ sanctissima est, quam peccatum. Hinc vocatur *sanctus*, 1 *Pet.* 1 15. 16. & *lux*, *nullamque si in tenebris ambulemus cum eo communionem habere* dicitur. 1 *Joh.* 1. 5, 6, 7. Imo expressè Deus peccata vetat, adhibitis gravibus minis. Et tandem severè ea punit, tum in hoc, tum in futuro seculo.

Non tamen per omnipotentiam impedit. XXI. Non tamen ad illud impediendum omnipotentiam adhibere vult, quia liberam exigit obedientiam. Nec sapientiæ Dei conveniret, peccatum prohibere addità comminatione gravissimi supplicii, idemque vi omnipotente impedire ne fiat. Quin quod & gloriæ divinæ non parum obstiteret, nullos habere voluntariè sibi subjectos, sed vi omnipotente solummodò ad obedientiam compulsos, cum Satan plurimos habeat plenâ ac liberrimâ voluntate sibi addictos ac morigeros.

Sed permittit. XXII. Quid ergo? Permittit Deus peccatum ab homine liberè perpetrari, non adhibendo vim omnipotentem ad illud impediendum, etsi videat hominem in illud propendere, & facile impedire possit. Liberam enim exigendo obedientiam homini vires concedit, legem aut observandi, aut transgrediendi; sed suo ipsius damno: hoc enim natura legislationis postulat: alias lex non esset lex.

CAPUT XXVIII.

De Providentia Dei speciatim circa peccatum, & primò, antequam fiat.

Peccatum, antequam fiat. I. UT autem distinctius natura Providentiæ divinæ circa peccatum cognosci possit, illius operatio circa triplicem peccati statum, antequam fiat, dum fit, & postquam peractum est, penitius paulò est consideranda.

Deus permittit. II. Antequam fiat Deus (uti diximus) permittit peccatum. Quæ permissio non est nuda & otiosa peccati contemplatio; sed propositum hominem sinendi uti libertate suâ, & peccato illud impedimentum non afferendi quod posset; & quidem cum proposito illud, si fiat, puniendi

III. Sicut autem Deus dupliciter peccatum impedit, ita etiam duplex illius permissio considerari potest. Vel enim Deus illud impedit justitiâ suâ, lege promissis ac minis sanctâ illud prohibendo: vel etiam omnipotentiâ suâ, impediendo ne homo illud patrare possit. Peccatum autem dupliciter considerari potest: vel quatenus est internus voluntatis actus; vel quatenus est externum factum, ab interno voluntatis actu imperatum, & membris corporis consummatum. *Dupliciter peccatum impedit.*

IV Peccatum consideratum ut actus voluntatis internus à Deo omnipotentiâ suâ non impeditur: imo nisi destructâ voluntatis libertate impediri nequit. Dices. Tum homo fortior esset Deo, si ille aliquid contra Dei voluntatem possit velle. Resp. Fortitudo aut potentia non consistit in volendo & nolendo, sed in potentia exequendi quicquid vis aut non vis, seseque ab alterius potentia, qui te propterea punire vult, tuendi. Neutrum horum homo potest. Voluntas esse potest in homine maxime debili & infirmo, rebellandi principi aut magistratui, imo & in malefico, qui ad supplicium vinctus ducitur: nemo tamen eum propterea principe suo fortiorem dicet. Deinde, potest & Deus ipsam voluntatem destruere, homini que brutalem quandam naturam indere, ut Nebucadnezari. Verum salvâ manente voluntatis libertate, actus voluntatis internus, seu elicitus, per omnipotentiam divinam impediri nequit. *Consideratum ut actus voluntatis internus non impeditur omnipotentia Dei.*

V. Peccatum consideratum ut actum externum Deus variis modis omnipotentiâ suâ impedit. I. Vitam adimendo peccatori, ut Pharaoni, *Exod.* XIV. 27, 28. Sennacheribo ejusque exercitui, 2 *Reg.* XIX. 35, 36. 37. & militibus Achasiæ, 2 *Reg.* 1. 10, 11, 12. 2. Vires ac potentiam auferendo: ut Sodomitis, *Genes.* XIX. 10, 11. Jeroboamo, 1 *Reg.* XIII. 4. Bileamo. *Num.* XXIII. 12, 26. XXIV. 13. militibus Syris, 2 *Reg.* VI 18, 19. 3. Potentiam majorem opponendo: Quale exemplum habemus in Absolone: 2 *Sam.* XVIII. in Adoniah, 1 *Reg.* 1. qui & ipse illud fatetur à Domino esse, *cap.* 11. 15. 4. Removendo peccati occasionem, seu objectum contra quod peccati actum committere homines intenderant. Ita impedivit ne Saul Davidem occideret, 1 *Sam.* XIX. 11, 12. &c. Achab & Jesabel prophetas, 1 *Reg.* XXIII. 4. Herodes infantem Jesum: *Matth.* 11. 13, 14, 15. alter Herodes Petrum, *Act.* XII. quadraginta illi viri Apostolum Paulum, *Act.* XXIII. *Ut actus externus, variis modis impeditur.*

VI. Deus ergo dicendus est permittere peccatum, quando contrarium horum facit. Primo. Quando relaxat de lege sua, eamve abolet, hominibusque potestatem impunè peccandi concedit. Hoc Deus nunquam *Nunquam permittit peccatum legem abolendo.*

 facit;

facit; quia hoc adversum esset ipsius naturæ & sanctitati, quam Deus abnegare non potest. Dices. Deus jussit Israëlitis furari bona Ægyptiorum, *Exod.* XI. 2, 3. & XII. 35, 36. Resp. Est hoc exemplum planè extraordinarium, neque inde consequentia trahi potest, quasi totam de furto legem Deus destruere possit. Quia Deus hic se gessit non tantum ut dominum supremum, qui in res hominibus concessas summum & absolutum semper retinet dominium, ac proinde quicquam largiendo non se abdicavit jure suo rursum illud, quandocunque placet, auferendi, & sine ejus, cui id aufert, injuriâ alteri dandi: sed maximè ut judicem, qui Israëlitis mercedem, quam durissimo suo servitio meriti erant, assignavit, Ægyptiosque movit, ut Israëlitis bona ea ab ipsis petentibus non denegarent. Perinde uti judex oppressorem sententiâ suâ compellit, ut injustè oppresso bonorum suorum portionem largiatur: quod ipsum salvâ justitiâ facere res ipsa docet. Sed ex ejusmodi exemplo nulla regula inferri potest, quasi legem illam de non furando Deus planè abolere possit: sic enim omne honesti ac turpis discrimen esset abolitum. Et factum hoc Israëlitarum nullo modo fuit furtum, sed justæ sententiæ divinæ quasi executio.

Sed, illi non adferendo impedimentum quod posset.

VII. Secundò. Permittit Deus peccatum, quando illi non adfert impedimentum quod posset; sed permittit ut homo libertate sua utatur, cordisque sui malitiam opere ipso perficiat: sed suo ipsius malo. Non est ergo permissio hæc otiosa peccati contemplatio; sed virium homini concessarum conservatio, & permissio illis utendi, seu usus & exercitii illarum non impeditio: tum & illius observatio accurrata, cum proposito id puniendi conjuncta. Quod manifestè nos docent *Psal* XXXIII. 13. 14, 15. *De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum: de præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Jerem.* XVII. 9, 10. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes? qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum.*

Aliquando occurrere facit occasiones peccandi; idque vel in pœnam.

VIII. Præter permissionem etiam quædam Dei ordinatio hic est consideranda, quâ Deus hominibus aliquando occasiones quasdam occurrere facit, quas homines libenter arrepturi sunt ad peccandum, & in peccato magis magisque se indurandum. Habet id præcipuè locum circa peccatores, qui jam gravibus ac diuturnis peccatis iram Dei commeriti fuerunt: quos Deus *excæcare, indurare, in reprobam mentem & efficaciam erroris tradere*, dicitur. Non quòd Deus gratiam suam planè ab hominibus auferat, peccandique necessitatem ipsis imponat, aut cœcitatem & pravitatem in ipsis efficiat, vel denique ita deserat, ut necessariò in cœcitatem & pravitatem incidant: sed tantum occasiones peccandi occurrere faciat, quibus positis homo verisimiliter valdè erraturus & peccaturus sit; licet possit non errare & non peccare; imo ab illa ipsa actione causam non errandi & non peccandi habere, nisi illam ipse propriâ suâ culpâ detorqueret in malum. Exinde autem patet, talium occasionum oblationem esse iræ divinæ signum, & actum punitionis ob peccata præcedentia, quia Deus eas peccatori occurrere facit tali in statu, quo verisimile valdè est, eum nullo modo illis permotum iri ad pœnitentiam, sed pro cordis sui malitia avidè eas arrepturum ad majorem sui indurationem. Quale exemplum habemus illustre in Pharaone, quem Deus indurasse dicitur. Non enim eum Deus induravit, actione aliquâ physicâ aut super-naturali duritiem in ipso efficiendo; sed longanimitate & patientia sua, quia eum afflixit plagis levioribus, quæ cum damno, quod ex Israëlitarum dimissione passurus esset, comparari non poterant. Si in initio gravissimam plagam, cædem nimirum primogenitorum, Deus adhibuisset, procul dubio statim Israëlitas dimisisset: nunc autem ex plagarum levitate se indurandi occasionem arripuit: cum tamen patientia & longanimitas Dei non tendant ad peccatoris indurationem, sed eum ad pœnitentiam ducant, *Rom.* II. 4, 5.

Vel in probationem.

IX. Nonnunquam etiam Deus occasiones ejusmodi occurrere facit hominibus, non in pœnam peccatorum, sed ut tentet & exploret eorum animos: & piorum quidem virtutem ac constantiam illustriorem reddat; aliorum verò fragilitatem aut improbitatem ostendat, & in apertum producat: ita ut eadem occasio pro diversa hominum constitutione diversos admodum producat effectus. Sic videmus Davidem solo Bathsabæ adspectu sollicitatum ad adulterium; Josephum autem ne continuis quidem heræ suæ precibus ad id permoveri potuisse. Judæ dedit Dominus marsupium, ut avaritiam ejus manifestam redderet. Fideles in varias afflictiones incidere procurat, ut ipsorum fidem exploret, & constantiam omnibus conspicuam faciat. Sic videmus unam eandemque actionem divinam, quam Deus adhibet, non propriè ut tentet homines, sed ad salutem perducat, diversos admodum producere effectus; unus eâ ducitur ad salutem, alter exinde se indurandi occasionem arripit. Hoc sensu Apostolus inquit, verbum Euangelii huic esse *odorem vitæ ad vitam*, alteri *odorem mortis ad mortem*: 2 *Cor.* II. 15, 16. Non quòd Deus diverso modo circa hos quam illos operetur: sed quòd longè diversa in utrisque constitutio unius ejusdemque operationis divinæ effectus longè dissimiles & contrarios

trarios producat. Perinde uti causæ naturales unâ eademque operatione, pro subjectorum, in quæ operantur, diversâ constitutione, valdè diversos ac dissimiles producunt effectus. Sol unâ eâdemque actione ceram liquefacit, & cœnum indurat, è cœno fœtorem, è flore gratum odorem elicit: unus idemque cibus huic suavis, alteri ingratus, huic salubris, alteri noxius est: non quia diversa ejus est operatio: sed quia diversa in diversis hominibus est constitutio temperamenti, ideo unâ eâdemque operatione dissimiles valdè producit effectus, & in unoquoque temperamenti sui mixturæ consentaneos. Eodem modo verbum Euangelii hominibus mundanis scandalum est, aliis semen regenerationis, quo regenerantur in vitam novam. Hoc tamen hic discriminis est, quod diversa illa hominum constitutio, quâ quidam Euangelium recipiunt, alii rejiciunt, non sit à natura, quemadmodum in causis naturalibus; sed voluntariâ consuetudine acquisita, ac proinde abesse potuit, & non nisi hominis propriâ ac evitabili culpâ contracta sit: ac proinde omnes malitiosi effectus, providentiam divinam consequentes, non divinæ providentiæ operationibus, sed hominum voluntariæ malitiæ adscribendi sunt.

CAPUT XXIX.

Examen sententiæ eorum, qui Deo efficacem (ut vocant) providentiam circa peccatum adscribunt.

Non ordinat Deus ut homo necessario peccatum velit.

I. VErùm alii hisce operationibus Dei circa peccatum non acquiescunt, sed providentiam illi adscribunt efficacem circa malum, ut vocant. Quidam nempe Deo ejusmodi tribuunt ordinationem, quâ voluntas hominis ita disponitur, ut necessario peccatum velit. Atqui hoc est Deum peccati auctorem constituere, voluntatisque libertatem, sine qua nec virtus, nec vitium, nec proinde præmium nec pœna justè locum habere possunt, planè destruere, hominemque à peccati reatu absolvere,

Nec etiam illo modo permittit.

II. Quod alii animadvertentes, malunt illius sententiæ invidiam, molliorem adhibendo phrasin, declinare; dicendo, Deum non ordinare, sed permittere peccatum. Quod verum quidem est, nisi sub eorum verbis fœdior aliqua sententia lateret. Permissio enim ipsis est actuosa, decernens, ordinans, & talis, ut eâ positâ necessariò consequatur peccatum, & constat, non merâ non impeditione, sed positivâ voluntate. Quid enim inter ejusmodi permissionem, & directam ordinationem est discriminis? Et perinde est, sive ista permissio vocetur ablatio, sive non continuatio gratiæ ad peccatum evitandum necessariæ. Quia quocunque modo vocetur, peccatum à permissione divina dependet, tanquam effectum à sua causa. Considerant enim naturam humanam ita in malum propensam, ut, nisi omnipotente Dei virtute sustentetur, statim & necessariò in malum ruat, & quamdiu illa sustentatur, in malum incidere non possit. Quando ergo Deus gratiam illam suam sive subtrahit sive non continuat, necessarius sequitur hominis in peccatum lapsus, qui ab hac subtractione aut non-continuatione divina tanquam effectum à sua causa dependet. Non quod Deus per hanc sententiam sit causa efficiens peccati propriè dicta; sed deficiens; subtrahens aut non continuans gratiam, sine qua peccatum evitari nequit. Illa autem in necessariis reducitur ad efficientem.

Quia sic foret auctor peccati.

III. Objiciunt, Ex permissione Dei non sequitur peccatum; sed duntaxat illud ad eam sequitur, & quidem solius creaturæ vitio. Nam non-concessio gratiæ respectu Dei mera duntaxat negatio est, citra violationem ullius obligationis: in homine autem non agere bonum, officii derelictio est. *Resp.* Quoniam negationem gratiæ divinæ necessariò sequitur peccatum, seu gratiâ divinâ subtractâ, vel denegatâ seu non continuatâ, homo necessariò in peccatum ruit, etiam sequitur, Deum, quando gratiam suam non continuat, esse peccati causam; non quidem efficientem propriè dictam, quod exprimere volunt phrasi, *ex permissione Dei*; sed deficientem; id est, quæ subtrahit aut non continuat, quo subtracto aut non continuato necessario sequitur peccatum. Perinde uti subductionem manus sequitur lapidis, aut cujuscunque rei gravis, lapsus. Sive enim dicam, lapsum lapidis non sequi ex subductione, sed ad subductionem manus, manifestum est, eam nihilominus lapsus lapidis esse causam. Si dicas, uti quidam argutantur, subductionem manus non esse causam lapsus lapidis, quia si rem levem manu teneas, ea in terram, licet manus subducatur, non sit lapsura; veluti si quis manu lignum & lapidem tenens manum immittat aquæ, & postea aperiat, lignum ascendet, & lapis descendet; ille auctor non potest dici, quod lignum adscendat & lapis descendat; quia est una eademque actio hominis, quam & adscensus ligni & descensus lapidis sequitur; sed natura ligni ac lapidis. Dicam illud ineptum ac pucrile esse sophisma: quia omnes nostræ operationes nil aliud sunt, nisi applicationes causarum naturalium ad certum aliquod objectum, ex quibus effecta intentioni nostræ consentanea resultant. Itaque quando causam aliquam naturalem applicamus objecto alicui, certò scientes, eam esse illius naturam, ut objecto isti applicata necessariò effectum quem intendimus sit productura, nos effecti illius causa sumus. Quoniam causa illa naturalis seipsam movere

re aut dirigere nequit; nec effectum quodpiam pro arbitrio suo producere: sed à nobis dirigitur, & objecto, quod nos eligimus, à nobis applicatur; indeque effectus, quem nos pro arbitrio nostro intendimus, necessariò existit. Soli ergo nos per causarum secundarum ita institutam applicationem effectus inde existentis causa sumus. Quare si sciam, quodnam sit ligni & lapidis, nec non aquæ pondus, & ego manum in aquam immittens, quam scio ligno graviorem lapide verò leviorem esse, postea eandem aperiam, & tam lapidem quàm lignum dimittam, causa sum quod unum adscendat, alterum descendat. Si ego, manu lapidem tenens, cum manu apertâ in prætereuntis caput decidere permitterem, an non ego causa ero vulneris, quod lapis casu suo infligit? Non minus, quàm si manu tenens infantem, retractâ manu causa sum lapsus infantis. Nonne ridiculus forem, si aliquem gladio, quem & acutum & durum novi, percutiens, argutari velim, me non esse causam vulneris & mortis inde secuturæ (quia cum plumâ percutiens nullo modo ipsum lædam) sed aciem ac duritiem ferri? aut corporis ipsius mollitiem; quia si marmor aut ferrum gladio percutiam, ictui gladii sit restiturum: aut si venenum alicui propinem, quod non sim causa mortis ejus; quia si vini haustum propinem, illi sit futurus innoxius: sed tantum corporis ipsius constitutio, quæ epoto veneno mox vitietur. Sexcenta ejusmodi proferri possent. Si dicant, Deum homini propriè non subtrahere vires, sed non continuare. Respondebo, perinde esse in necessariis, sive quid subtrahas, sive non continues; sive hominem occidas, sive non præbeas alimentum sine quo vivere nequit; sive lampada exstinguas, sive oleum, quo absumpto ardere nequit, non affundas.

Etiamsi homini non sit obligatus. IV. Dices. Deus homini neutiquam est obligatus. Resp. Deus sibi ipsi & naturæ suæ sanctitati ac æquitati obligatus est. Quando itaque Deus sub gravissimæ pœnæ comminatione obedientiam exigit, etiam ex justitia & æquitate tenetur vires observandæ legi sufficientes largiri; non quia homini obligatus est, sed justitiæ ac rectitudini suæ naturali: aliàs peccati, ob gratiæ suæ defectum inevitabilis & necessario commissi, causa est, hominemque ob non præscriptam legi suæ obedientiam sibi impossibilem justè punire nequit. 2. Sive Deus legi alicui adstrictus sit, sive non, illud rationem causalitatis non mutat: nihilominus peccati causa erit. Hoc tantum est discriminis, quòd is, qui legi subest, non conferens quod ad peccatum evitandum necessariò requiritur, causa sit peccati cum culpa: qui verò legi non subest, similiter ejus sit causa, sed sine culpa. 3. Licet non agere bonum in homine sit officii derelictio, non tamen illius homo reus peragi potest, quando defectu virium officii præstatio illi est impossibilis, non magis quam homo, cui crus amputatum est, reus agi potest pœnæ, quod rectè non incedat: quia amputatione cruris incessus illi redditus est impossibilis. Dices. Homines peccatis suis meruerunt ita à Deo deseri: Resp. 1. Hoc primus homo non meruerat ante primum suum peccatum, qui tamen sive desertione, sive non continuatione gratiæ divinæ, juxta ipsos, lapsus est: ex illius tamen primo peccato omnem illam corruptionem, unde omnia necessariò oriuntur peccata, derivant. 2. Deus novum cum hominibus fœdus pepigit, in quo præteritorum peccatorum se meminisse nolle promittit. 3. Licet supponamus homines desertionem illam divinam meritos, sequitur nihilominus, eam omnium sequentium peccatorum esse causam. Pœna enim, licet justè inflicta, si peccandi necessitatem inducat, omnium sequentium peccatorum causa est.

V. Permissio ergo Deo non est adscribenda, quæ peccati necessitatem, qualicunque modo, inducit, sed quæ homini relinquit non tantum liberum arbitrium, sed & illius liberum usum: si enim libertatis usus sit impeditus, nulla est libertas. Si quis in carcere compedibus arctè constrictus sedeat, potentia ambulandi naturalis illi non eripitur; sicut nec homini in tenebris sedenti, aut cui oculi fasciâ sunt tecti, potentia naturalis videndi; sed tantum illius usus. Interim ridiculus forem, si tali homini persuadere vellem, ipsum liberè posse ambulare & videre, quia ambulandi & videndi potentia naturalis in ipso exstincta non est, sed tantum usus illius impeditus. Ut homo verè sit peccati causa, & per peccatum pœnæ reatum contrahat, oportet ut nulla actione divinâ peccatum ipsi reddatur inevitabile, aut illius omissio impossibilis. *Permissio peccati relinquit homini liberum arbitrium, & illius usum.*

VI. Neque etiam cum aliis ejusmodi dependentia creaturarum à Deo est confingenda, quâ admissâ peccatum homini summè necessarium, nulloque modo evitabile redditur. Quia autem illi absurda, in quæ aliorum sententia incurrit, evitare se credunt; operæ pretium erit paulo accuratius in novam hanc sententiam inquirere. *Non est talis à Deo dependentia causarum, quæ peccatum reddit necessarium.*

VII. Fundamenti loco ponunt, omnes res positivas esse à Deo, & quidem dupliciter; 1. Quatenus possibiles sunt. 2. Quatenus Deus eas liberè transire fecit è statu possibilitatis in statum futuritionis. Inter res autem positivas recensent omnes hominum actiones & virtutes. Peccati autem causa juxta illos non est aliquid positivum, sed aliquis defectus, abusus nimirum voluntatis creaturæ liberæ: quia peccatum non est aliquid positivum vel reale, sed mera privatio & non ens. Ejus ergo possibilitas non fundatur in Dei potentia; sed producitur à causa libera, *Fundamenta hujus dependentiæ.*

libera, tanquam causa verè & propriè sic dicta. Possibilitas ejus omme decretum Dei antecedit, etiam quo res positivas fecit possibiles. Hac possibilitate positâ, sequitur neque justitiæ, neque bonitati, neque sanctitati Dei repugnare posse, aliquid agere ad quod perpetratio peccati certò sequitur: hoc enim fit, quia peccatum ante fuit possibile; fuit autem possibile, quia non repugnabat bonitati, justitiæ & sanctitati Dei, creare creaturam non ita perfectam, quin posset peccare.

Refutantur. Quo sensu res positivæ sint à Deo.

VIII. Quod sententiæ hujus fundamentum attinet, omnes res positivas à Deo esse, si de substantiis intelligatur, rectè dicitur: si de actionibus hominum bonis; illæ etiam Deo jure meritò tanquam auctori adscribuntur; non quod aliquod Dei decretum antecedens eas è statu possibilitatis transire fecerit in statum futuritionis; illud enim dependet à libero ac recto virium homini à Deo concessarum usu: sed quatenus Deus vires concedit liberè eas producendi, quin & impellat & moveat hominem ut viribus illis rectè utatur, salvo tamen libero voluntatis humanæ arbitrio, quo impulsui isti divino potest resistere; alioquin, uti sæpius dictum, nulla potest esse legislatio, nec obedientia, nec remuneratio justa.

Per decretum Dei res non fiunt possibiles.

IX. Quod autem præmittitur; per decretum Dei res esse possibiles, admitti non debet: fuerunt enim ante ullum Dei decretum possibiles, quatenus nulla in iis est repugnantia sive contradictio; aliàs enim ne per decretum Dei potuerunt fieri possibiles; vel potius, nullum de illis potuit fieri decretum Dei. Decretum itaque Dei nullum est de possibilitate rerum, quæ in sola Dei potentia fundata est, sed de actuali earum futuritione.

Peccatum non est nihil.

X. Quod addunt, peccatum esse nihil, ac proinde ejus causam esse nihil positivum, sed defectum, abusum scilicet voluntatis creaturæ liberæ; ac proinde possibilitatis peccati causam esse, quod creatura quædam ita perfecta non est, quin libertate voluntatis suæ abuti possit; frivolum planè est. Quid enim magis ineptum, quàm asserere peccatum esse nihil? Fateor hoc de peccatis omissionis aliquatenus posse dici, quatenus illa in nuda omissione seu cessatione ab omni operatione consistunt: licet & sæpius de iis verum non sit, quatenus accedere potest positivum propositum, non faciendi quod Deus jubet. Quod verò peccata commissionis attinet, quo jure ea nihil vocentur, equidem non percipio; constant enim actione aliqua positiva, quam nemo sanus nihil vocaverit. Fateor distinctè in peccato concipi posse actionis bonitatem physicam, & malitiam ethicam; eæ autem revera à se invicem separari nequeunt: actionis enim malitia ethica oritur ex respectu quam habet ad legem, & consistit in eo, quod legi sit difformis: positâ ergo lege, malitia ab actione separari nequit; neque malitia propriè vetatur, sed ipse actus legi contrarius, seu malus. Unde sequitur, peccatum non minus esse nihil, propter respectum quem habet ad legem; quam actionem bonam, cui per respectum ad legem accidit legi conformem, ac proinde bonam esse.

Nec ejus causa est defectus, sed quid positivum.

XI. Hinc simul corruit, quod de peccati causa, defectu nim. addunt. Non enim defectus, sed quid positivum peccati causa est. Omnis quippe perfectionis non totalis & omnimoda possessio non est defectus, sed perfectio in suo gradu. Sic sunt varii perfectionum gradus, entiaque alia aliis perfectiora sunt condita. Alia est perfectio entium seu substantiarum, alia viventium, alia animalium, hominum, Angelorum. Quia quibusdam carent, non dicendum, esse in illis propriè dictum defectum, sed perfectionem in suo gradu, naturamque illam majoris perfectionis non esse capacem. Licet ergo libertas illa in homine, comparativè loquendo, si conferatur cum perfectione Dei vocari possit imperfectio, defectus & negativum quid; tamen absolutè & in se spectata, quatenus in homine est, est etiam quid positivum & perfectio. Quod autem homo eâ abuti potest, inde est, quia legi est subditus. Si verò sit defectus, quoniam Deus hominem non creavit majore perfectione præditum, dicant unde sit, si non sit à Deo: Non à re ipsa; quia illa se perfectiorem condidisset: Non ab alio, qui causa non est: Ergo à Deo.

Ejus possibilitas non antecedere dici potest omne Dei decretum

XII. Sed vero, concesso eo quod jam destruximus, quid inde sequitur? Ergo, inquiunt, peccati possibilitas omne Dei decretum antecedit, etiam quo res positivas fecit possibiles. Sed consequentia illa negatur. Si enim Deus noluisset decernere creationem creaturæ liberâ ejusmodi potentiâ præditæ, an tamen peccatum potuisset contingere? Nugæ. Si ante Dei decretum possibile non erat hominem existere, quomodo possibile fuit defectum illum in homine existere? Deinde, quia statuunt Deum creaturam tali potentiâ præditam creavisse, an non sequitur, possibilitatem peccati esse à Deo? Certè quoniam Deus hominem noluit creare ita perfectum, ut non possit peccare, an non itaque à Deo est quod potentiam habet peccandi? Unde & quidam eorum, hanc absurditatem videntes, non inviti fatentur, hactenus possibilitatis peccati fundamentum poni " posse in Dei ordinatione, quatenus noluit " creaturas ita perfectas creare ut impeccabiles " essent, & quatenus non repugnabat bonitati, justitiæ & sanctitati Dei talem rerum ordinem præ aliis eligere, in quo peccatum suas " partes habiturum esset. Et sanè nescio, cur " illud quidam eorum tam scrupulosè conten-

tur evitare; cùm non vereantur Deo adscribere talem directionem actionum creaturarum, ut ad certam earum constitutionem certò sequatur actualis peccati productio, seu ejusmodi ordinem, in quo peccatum suas habiturum est partes. Neque quicquam in eo sit absurdi: Si enim Deus ita hominem non condidisset, ut posset libertate suâ abuti & peccare, frustra illi legem præmio ac pœna sancitam præscriberet.

Non permittit veritas & sanctitas Dei quid facere ad quod peccati perpetratio necessario sequitur.

XIII. Pergunt: Positâ possibilitate peccati, sequitur neque bonitati, neque justitiæ, neque sanctitati Dei repugnare posse, aliquid agere, ad quod perpetratio peccati certò sequitur. Sed consequentiam illam nego. A posse enim ad esse, uti ajunt, non valet consequentia. Non repugnat justitiæ divinæ hominem ita condere ut peccare possit; imo natura liberæ obedientiæ id exigit: sed repugnat, ut aliquid faciat, ad quod actus peccati necessariò (id enim illis tantumdem est atque certò) sequatur. Hoc enim non permittit nec sanctitas Dei, nec justitia, neque lex comminatione pœnæ sancita. Imo hoc posito, unica peccati causa erit Deus: quod non video, quomodo per sententiam illam evitari possit. Dicunt enim, ordinem illum, qui in rebus est, non solum non esse nihil, sed potentiæ & sapientiæ divinæ præcipuum præbere testimonium: Ergo illum nec à seipso, nec ab homine esse posse, sed Deum causam & auctorem habere. Hinc concludo: Quoniam ex ordine illo, juxta ipsorum sententiam, certa ac necessaria sequitur peccati perpetratrio, eam etiam in Deum auctorem referendam esse. Non enim possibilitas peccati causa est quod peccatum existat; sed ordo ille, qui possibilitatem peccati transtulit in certam futuritionem. Nam quod possibile est esse, etiam possibile est non esse: sed quod necessarium est esse, illud impossibile est non esse. Possibilitas peccati est quidem necessarium prærequisitum, ut peccatum sit futurum: sed tamen possibilitate peccati solâ positâ, fieri potuit ut peccatum non existeret: At posito ordine illo, qui peccati possibilitatem transtulit in statum certæ (seu potius, ne ambiguitate verborum ludamus, necessariæ) futuritionis, indifferentia illa sublata est, peccatumque redditum necessarium. Qui ergo indifferentiam illam sustulit, necessitatem peccandi introduxit; & per consequens auctor est peccati. Cùm ergo necessaria illa peccati futuritio sit à certo quodam rerum ordine, atque ordo ille sit à Deo; necessariò sequitur, etiam certam, seu necessariam, peccati futuritionem à Deo, ac proinde Deum peccati causam esse. Idque ipsi confirmare videntur similitudine suâ, quâ sententiam suam illustrant. Comparant enim Deum regi, qui ante omnem voluntatis actum videt populi sui calamitatem possibilem, simul ac bellum videt possibile; quia necessarius inter bellum ac calamitatem civium est nexus; qui tamen postea bellum decernit, quod suscipi non posse novit, sine subditorum suorum calamitate. Eodem modo: juxta ipsos, Deus videt nexum inter certum causarum ordinem & peccatum, atque ita peccatum esse possibile, simul ac ordo ille possibilis est, sine ulla sua destinatione: postea Deus statum illum possibilem per decretum suum transfert in statum futuritionis, qui status existere nequit, quin peccati actus necessariò sequatur. Ex hisce enim manifestè sequitur, decretum Dei esse causam peccati; quemadmodum decretum regis de bello causa est calamitatis civium; imo decreto illo Dei posito peccatum tam necessariò existere, quàm necessariò ex bello existit calamitas civium. Quod unum sufficit, ad sententiam hanc falsitatis convincendam: utpote fatalem necessitatem, quæ totius religionis pestis est, introducentem; Deumque solum peccati causam agnoscentem. Quam accusationem justissime ipsis impingi frigida sua distinctione non obscurè agnoscunt, dicentes, Deum non esse peccati causam, sed causam esse quod peccatum ab alio fiat. Atqui hoc est illud ipsum, quod illis impingimus, Deum causam esse quod homines peccent.

Deus non est causa quod peccatum ab alio fiat.

XIV. Dices: Qui causa est cur peccatum ab alio fiat, non eo causa est peccati, & modi istius vitiosi, quo istud fit & patratur. Resp. Explicent nobis, an actus, sine modo isto vitioso, sit peccatum: & an Deo producente actum, modus vitiosus ab actu abesse possit? Si utrumque negent, uti principiis suis consentaneè negare debent; instabo porrò, Deum, qui causa est cur peccatum ab alio fiat, etiam causam esse, quod actus, qui peccatum est, modo isto vitioso ab alio fiat, seu quod alius vitiosè operetur: At quid hoc aliud est, quàm esse causam peccati? Dices. In eo propriè non est peccatum, quod mala quis fieri velit: sed in eo tantum, quod male quis aliquid vult. Qui priori modo vult peccatum, non vult istud propriè & per se, quatenus est peccatum, sed quatenus habet rationem boni: peccatum enim non est propriè situm in τῷ velle malum, sed in τῷ male velle ejus, quod à Deo veritum est. Resp. Aut mera tantum verba dant, aut accusationem nostram hac suâ responsione confirmant. Nam quid discriminis est, inter τὸ velle malum, & inter τὸ velle ejus quod à Deo vetitum est, cum omnis actionis malitia consistat in difformitate cum lege Dei? Tum, quid est peccatum velle, quatenus habet rationem boni, cùm jam ante ostenderimus, in actione moraliter mala nullam esse bonitatem? Omnis ergo responsio huc redit, quod Deus peccatum volendo, non sit ipse peccator, quia illud non male vult. Atqui nos illis non objicimus, quod ex ipsorum sententia

tia sequatur Deum esse peccatorem, sed peccati causam, seu, si ita malint, causam quod homines peccatum faciant. Atqui in necessariis, qui causa est causæ, causa est causati. Atqui hoc de Deo dicere, maximè horrendum est, omnemque divinæ punitionis ob peccata justitiam funditus tollit.

Non possit juste hominem punire.

XV. Sed dicunt, non esse dubium movendum, quomodo Deus justè punire possit hominem; id enim tantundem esse, ac si quæras, quomodo peccatum sit possibile, & homo dignus pœnâ. At vero immane inter hæc duo discrimen est. Non enim per peccati possibilitatem homo dignus est pœna, imo sine ea indignus esset præmio; sed per ipsum peccati actum, & libertatis suæ voluntarium abusum, qui nullus esse potest, posito per ordinem causarum à Deo decretum certo aut necessario nexu cum peccato.

Hic docenda non sunt, quæ simul conciliari nequeunt.

XVI. Quod autem tandem addunt: Quomodo hæc certitudo (dicere debent necessitas) eventus peccati conciliari possit cum libertate hominis, & reatu quem sibi accersit per peccatum, id, quia dependet à comprehensione infiniti, à nobis nec percipi nec intelligi potest, nec debet: in eo manifestè ostendunt, sibi aquam hærere. Eodem modo posset Pontificius respondere, quomodo unum corpus in pluribus locis simul esse possit, dependet à comprehensione infiniti, ideoque à nobis percipi nec potest nec debet. Imo id quam maximè à nobis percipi debet; agitur enim de æterna nostra salute ac miseria, ut cognoscere possimus, quomodo justè reatum pœnæ incurramus: quia in eo tota Religionis essentia consistit.

XVII. Ex quibus tandem concludimus, omnes hasce sententias eodem redire: Esse quidem diversitatem in phrasibus & loquendi modo, omnes tamen peccati necessitatem referre ad actionem quandam Dei; sive permissionem, actuosam tamen, decernentem & efficacem, sive desertionem seu potius gratiæ non continuationem; sive productionem ordinis cujusdam causarum, secundarum, in quo peccatum suas habet partes. Itaque perinde esse quâ methodo procedatur, cum omnes miro consensu in eundem finem conspirent.

CAPUT XXX.

Responsio ad loca Scripturæ in quibus peccati efficientia Deo adscribi videtur.

Loca Scripturæ quibus peccati efficientia Deo adscribi contenditur.

I. Proferuntur tamen ex Scriptura Sacra non pauca loca, ex quibus probare contendunt, ad peccati actum, ut existat, ejusmodi efficacem Dei actionem intervenire. Ac primò quidem pugnant aliquot Scripturæ locis, in quibus peccati efficientia Deo adscribi videtur: ut *Proverb.* XVI. 4. *Omnia Deus operatur propter seipsum, etiam impium ad diem malum.* Esa. XXVI. 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* *Eph.* I. 11. *Omnia Deus operatur secundum consilium voluntatis suæ.* 2 *Sam.* XII. 11, 12. prædicitur incestus Absolomi cum concubinis patris sui: *Sic ait Jehova: ecce ego suscitaturus sum contra te malum è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo; qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto sole: Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum rem hanc coram toto Israele, & coram sole.* Quod etiam impletum legimus *cap.* XVI. 22. Maledictionem Simei David adscribit Deo: 2 Sam. XVI. 10. *Dominus præcepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2 *Sam.* XXVI. 2. *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis, dicentem, vade numera Israel & Judam.* 1 *Reg.* XXII. 19, 20. *&c.* & 2 *Paralip.* XVIII. 16, 17. &c. Deus per diabolum mendacium, seu mendacem victoriæ promissionem; quâ Achab deceptus est, procuravit: dicens diabolo: *Decipies & prævalebis; egredere & fac ita.*

Generalis ad ea responsio.

II. Sed verò, quid tandem illis locis probatum cupiunt? Deum efficere peccata? Non hoc audebunt asserere; sed alii quidem, Deum permittere peccata; alii Deum efficere actum peccato substratum, cui hominis malitia necessariò adhæreat. Sed nos jam ante ostendimus, permissionem ipsorum recidere in efficientiam; neque actum peccato substratum à Deo effici posse, quin simul malitiæ, quæ non reipsa, sed sola mentis cogitatione ab actu secerni potest, causa sit. Alii dicunt, Deum illorum hominum peccata antecedentia peccatis punire: hoc est, in pœnam præcedentium peccatorum, peccandi necessitatem illis imponere. Sed dura ac cruda admodum est phrasis, Deum peccata peccatis punire: sic enim Deus omnium sequentium peccatorum, quorum committendorum necessitate homines à Deo puniuntur, causa foret: atque ita in absurdum, quod evitare student, relabuntur. Non diffitemur, quin Deus aliquando in pœnam scelerum hominibus sanam eripiat mentem, eosque quasi obbrutescere faciat, & tantum non in bruta convertat. Sed tum consideranti sunt instar hominum furiosorum, quorum actus licet, uti in Scholis loquuntur, materialiter, non tamen formaliter peccata sunt: hoc est, actus committunt legi divinæ repugnantes; non tamen sunt transgressiones voluntariæ. In judicio itaque divino tales considerantur, ac si eodem illo tempore, quo sanâ mente sunt destituti, fuissent mortui: hic autem miserabilis eorum status facit, ut in hoc seculo omnibus impiis ac sceleratis sint exemplum iræ ac justæ punitionis divinæ, ne in simile judicium incidant. 2. Exceptio illa primo Adami peccato applicari nequit: illius enim committendi necessitatem

ſitatem Deus Adamo in præcedentium peccatorum pœnam imponere non potuit: volunt autem eandem Dei circa hoc peccatum, quàm circa alia omnia, fuiſſe providentiam, Adamoque peccatum ſuum neutiquam fuiſſe evitabile: ut in ſequentibus liquebit. Reſtat ergo, ut nobiſcum fateantur, loca illa omnia non rigidè ſecundum literam eſſe urgenda, ſed duriores quaſdam phraſes, ſecundum linguæ Hebrææ idiotiſmos ac locorum circumſtantias, emolliendas, & benignè interpretandas.

Explicatio Proverb. XVI. 4. III. Dicimus itaque, in nullo iſtorum locorum Deo peccati efficientiam adſcribi: Sed primo: in quibuſdam non agi de peccatis, tribus nempe primis locis: quod quia de ſecundo ac tertio antea oſtendimus, jam, ne actum agamus, ſolummodò de primo oſtendemus, *Proverb.* XVI. 4. Per *omnia* itaque, quæ Deus ibi *operari* dicitur, peccata non eſſe intelligenda, aut iis non eſſe includenda, exinde liquet, quod aliàs dicendum foret, Deum non tantum bonorum, ſed & malorum ſeu peccatorum, imo omnium etiam graviſſimorum ſcelerum, cauſam eſſe. 2. Quia Deus dicitur omnia facere *propter ſemetipſum;* quod vulgò interpretari ſolent, ad ſuam gloriam: atqui peccata procurare ſeu operari non tendit ad Dei gloriam, ſed ad ſummam illius ignominiam, ſanctitatique ejus quàm maximè adverſum eſt. 3. Verbum פעל, quod hic legitur, ſignificat cum affectu & energeiâ aliquid facere & conſtituere; ut Eſa. XLIII. 13. *Etiam à die ego ipſe ſum, & non eſt qui de manu meâ eruat; operabor & quis revocabit illud?* Si ergo vox *omnia* etiam peccata includat, dicendum Deum peccata non tantum operari, ſed & cum affectu operari; quod quomodo conciliari poſſit cum verbis immediatè ſequentibus, *abominatio Domini eſt omnis arrogans*, equidem non video. Itaque vox *omnia* ad illa reſtringenda eſt, quæ divinæ operationis effecta eſſe poſſunt: & verbum Hebræum למענהו, non neceſſariò ſignificat, *propter ſemetipſum*, ut communiter exponi ſolet; ſed & commodiſſimè notat, *ſecundum reſponſiones ejus*, aut *ſuas*: Atque exinde egregius hujus loci ſenſus reſultat; *Deus omnia operatur ſecundum reſponſiones ſuas*; hoc eſt, Deus omnia ita diſponit ac conſtituit, ut aptiſſimè inter ſe quadrent, unumque alteri reſpondeat; *etiam impium ad diem malum:* quid enim magis convenit impio, ſeu reſpondet impietati ipſius, quàm dies malus? id eſt, non dies ſceleris ſeu peccati, ſed dies pœnæ, quæ malum eſt triſte & felicitati hominis adverſum. Hoc ſenſu *dies malus* accipitur *Pſalm* XXVII. 5. *Abſcondet me in tabernaculo ſuo in die malo.* Et XCIV. 13. *Ut quietem ei præſtet à diebus malis.*

2 Sam. XXIV. 1. IV. Secundò. In quibuſdam locis ſermonem non eſſe de Deo, ut 2 *Sam.* XXIV. 1. Non enim illic dicitur Deus commoviſſe Davidem ut numeret populum, ſicut nec 1 *Chron.* XXI. 1. ſed ſolummodò, *concitavit Davidem.* Atqui hæc eſt locutio imperſonalis; non exprimens perſonam aut cauſam, quæ Davidem incitaverit; & more Hebræorum æquipollet paſſivæ; ſignificatque tantumdem ac David incitatus eſt ad numerandum populum, à quocunque tandem incitatus ſit; imo incitatio hæc ab ipſa Davidis concupiſcentia & ambitione facta eſſe potuit. Et ejuſmodi imperſonales locutiones crebræ ſunt in Scriptura Sacra: *Deut.* XXV. 10. *Et vocabunt nomen ejus in Iſrael, domus diſcalceati. Eſa.* IX. 6. *Et vocabit nomen ejus admirabilis*, &c. *Ezech.* XXIII. 39. Quam loquendi rationem etiam Novi Teſtamenti Scriptores ſæpius imitantur, *Matth.* I. 23. V. 15. VII. 16. IX. 17. *Luc.* VI. 38. XI. 22. XII. 11, 20, 48. XIV. 35. XVI. 4, 9. XXI. 16. *Joan.* XII. 40. XV. 6. 1 *Joan.* V. 16. *Apoc.* XII. 6. XVI. 15. Hoc ſenſu acceptâ hac locutione, nulla certa perſona exprimitur, quæ Davidem incitaverit; tum particula copulativa ו &, quæ jungitur verbo *commovit*, aliquando eſt cauſalis, valetque tantumdem ac *nam*: vide inter alia *Eſa.* LXIV. 5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus;* id eſt, nam peccavimus. Atque ita hujus loci ſenſus erit egregius: Perrexit furor Domini iraſci contra Iſraël; nam David propriâ ſuâ ambitione, ſeu etiam diaboli ſuggeſtione, uti dici videtur 1 *Paralip.* XXI. 1. incitatus eſt ad numerandum populum; quo facto Deum graviter offendit, quia diffidentiam quandam in Deum arguere videbatur, ideoque & furor Domini, qui jam juſtè erga populum peccatorem incenſus erat, magis exarſit.

V. Tertiò. Vel intelligitur tantum occaſio, quam Deus homini occurrere facit, quæ à peccatore lubentiſſimè arripitur, ut animi ſui malitiam externo peccati actu prodat: quod videre eſt 2 *Sam.* XII. 11, 12. & *cap.* XVI. 10. Prior locus agit de nefando inceſtu Abſolonis cum patris ſui concubinis coram ſole ac inſpectante toto populo, dicitque Deus ſe illum procuraturum. Verùm ſi quis accuratè textum inſpiciat verbaque perpendat, comperiet neutiquam Deo adſcribi Abſolonis inceſtum; quod etiam ſine horrore dici non poteſt; ſed ſolummodò, quod uxores Davidis ſit traditurus proximo ejus, hoc eſt filio Abſoloni; additurque Abſolonem cum uxoribus Davidis, quas Deus in ipſius poteſtatem eſſet traditurus, concubiturum, & quidem coram ſole. Duo itaque hic diſtinguenda ſunt, traditio uxorum Davidis in poteſtatem Abſolonis, & Abſolonis cum illis concubitus: prius eſt à Deo; poſterius nequaquam; ſed impio ac ſcelerato Achitophelis conſilio Abſolon ad facinus adeo deteſtandum eſt impulſus, ut ſeſe coram populo patri ſuo irreconciliabilem oſtenderet. Dices. Etiam ipſe infandus Abſolonis inceſtus *2 Sam. XII. 11, 12.*

ftus d rectioni divinæ attribuitur: quoniam Deus Davidi dicit: *Quia tu fecisti clam, ego etiam facturus sum rem hanc coram toto Israële & coram sole.* Resp. Sed verò absit, ut Deus Absolonem occultâ directione ad peccatum adeo detestandum impulerit, neque illud verba Dei indicant: sed solummodò, Deum uxores Davidis proximo ejus, id est, filio Absoloni, tradidisse, qui suasu Achitophelis coram sole cum iis concubuit, quod non potuit quin Davidi summum incuteret mœrorem. Quia vero Deus hac traditione uxorum Davidis adulterium illius punire volebat, & per incestum illum Davidis calamitas non parum augebatur, Deus quicquid traditionem illam consecutum est, etiam quodam modo sibi adscribit; quoniam Absoloni luculentam peccatum illud committendi occasionem suppeditavit. Voluit nimirum Davidem ob commissum adulterium punire: filio Absoloni, proculdubio jam à multis annis consilia hæc agitanti, voluit ad tempus regni insignia tradere, Davidemque iis spoliare; hinc quod filius potestate illâ armatus fecit, quodque Davidi verè in pœnam cedebat, Deus sibi adscribit: Phrasi in omnibus populis ac linguis usitatâ, quâ is, qui alteri occasionem aliquid agendi subministrat, id quod alter egit fecisse dicitur. Ita Deus sibi adscribit persecutiones contra Ecclesiam suam excitatas; quæ tamen non sine summo persecutorum peccato instituuntur; non quod Deus ipsos occultè instiget & impellat ad persequendum; sed quod fidelium suorum peccata castigare, aut fidem ipsorum explorare cupiens, imperii gubernacula tradat hominibus impiis ac sanguinariis, qui potestate sibi concessâ crudeliter abutuntur, ut Ecclesiam fidelium ac piorum, sibi ob pietatem maximoperè invisam, persequantur: quam persecutionem quia per potestatem sibi à Deo datam instituunt, & Deus in Ecclesiæ suæ bonum dirigit, etiam sibi Deus Ecclesiæ suæ castigationem & explorationem attribuit. Dices. Deus tamen peccatum hoc adeo exactè prædicit. Resp. Fieri potest, ut jam Absolon cogitationes hasce animo conceperit; quemadmodum consilia ejusmodi de regno invadendo multis annis animo agitari solent, antequam maturitatem suam consequantur. Vel si hoc nolimus, dicendum Deum ex scientiæ suæ infinitate prævidisse, Absolonem, potestate regni sibi traditâ, quam illi, in pœnam Davidis, ad exiguum illud tempus tradere decreverat, & concubinis Davidis ad domus custodiam relictis, quod similiter Deus ita dirigere decreverat, eas omnes coram populo esse constupraturum. Quicquid sit, neutiquam facti hujus efficientia Deo adscribi potest, neque in textu hoc adscribitur.

2 Sam. xvi, 10. VI. Alter locus, 2 *Sam.* XVI. 10. agit de maledictis Simei, quibus Davidem fugientem impetebat, quæque David Deo adscribere videtur: *Dominus præcepit ei ut malediceret David; & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Sed verò nec ex his verbis quicquam pro efficaci illâ Dei in malo providentiâ concludi potest. Nam aut volumus, Davidem hisce verbis, *Dominus præcepit ei ut malediceret David*, præceptum divinum propriè dictum intelligere: Atqui cui hoc fiet versimile, Davidem credidisse Deum, qui in Lege suâ præcepit, Diis seu principibus populi tui non maledices, Simei præcepisse, ut regi suo malediceret? Tum, si David credidisset Deum Simei hoc præcepisse, non credidit, imo nec credere potuit, Simei maledicto illo peccasse: præcepto enim divino parere summa laus est; sicut & Abrahamus laudatur, quod Deo, præcipienti ut filium immolaret, se morigerum ostendit: Atqui tantum abest ut David factum hoc non improbaverit, ut moriens Salomoni filio vindictam illius commendaverit, 1 *Reg.* II. 8, 9. Aut arcanum Dei impulsum, quo Simei impulit ac instigavit ad maledicendum. Si hoc velimus; tum alterutrum dicendum est: aut Davidem credidisse Deum omnes peccatores impellere ad peccandum, atque exinde conclusisse, etiam Simei à Deo ad maledicendum impulsum: aut Deum Simei extraordinariè ad peccatum hoc impulisse. Neutrum dici potest. Non prius: quia de nullo peccatore David dixisse legitur, quod Deus illud ipsi præceperit, præterquam de Simei: imo de aliis dicit, quod Deus eos oderit. 2. Ipsa horum verborum occasio, quâ à Davide prolata sunt, reclamat. Voluit quippe Abisai, Joabi frater, Simei maledicenti caput amputare. David eum cohibet, hac additâ ratione: *Dimitte eum ut maledicat: præcepit enim ei Dominus ut malediceret Davidi.* Atqui hæc Davidis ratio neutiquam quadraret, si David credidisset, Simei non alio modo, quàm omnes peccatores, à Deo ad peccandum impelli: illa enim ipsa ratio doceret, nullum peccatum esse puniendum, neque ipsi rebelli Absoloni vim esse opponendam, quoniam Deus eodem modo, juxta hanc sententiam, quo Simei præcepit ut Davidi maledicat, etiam Absoloni præcepit ut rebellis sit patri suo Davidi. Atqui plane contrarium Davidem fecisse legimus; nam & exercitus sui robur Absoloni opposuit, & peccatores plerumque severè punivit. Non posterius: quia sic dicendum foret, Deum Davidi speciatim revelasse, se istud præceptum Simei dedisse. Atqui cui id fiet verisimile, Davidi arcanam ejusmodi revelationem factam à Deo? Nihil ejusmodi ex textu elici potest: præterquam quod David, hac revelatione sibi facta, non potuisset Salomoni filio suo commendare, ne peccatum hoc sinat impunitum. Et tandem, licet id admittatur, nullum ex facto

Dei extraordinario argumentum ad probandum ordinariam Dei circa peccatum providentiam desumi potest. Quis ergo verborum horum sensus est? Resp. Non alius, quàm quòd Deus Simei luculentam Davidi maledicendi occasionem occurrere fecit, quâ Simei ita invitatus fuit, non aliter, ac si Deus ipsi dixisset, maledic Davidi. Erat quippe Simei ex familia Saulis, & ob cædem Abneri & Isbosethi, & successionem in regnum Saulis, Davidi summè infensus: sed odium suum, Davidis potentiam metuens, occultè fovebat, & corde premebat: nunc autem Davide cum paucis comitibus profugo, & regia majestate tantum non exuto, credidit impunè se virulentiam animi sui in Davidem posse evomere. Quia ergo Deus hanc ipsi luculentissimam bilis suæ evomendæ occasionem occurrere fecit, David dicit, Deum illi maledicendi præceptum dedisse; id est, ipsum omni potestate regiâ denudatum odio ac malevolentiæ Simei exposuisse, atque ita occasionem sibi maledicendi dedisse, & maledictum hoc in pœnam suam direxisse, non aliter ac si ipsi dixisset: Ecce virum tantoperè tibi invisum, omni honore, omni potestate exutum, ac profugum; potes nunc absque pœnæ metu animi tui virulentiam exprimere. Ita qui occasionem alteri quid faciendi præbet, illud quod alter agit facere dicitur. David itaque hac responsione se coram Deo humiliat, omnia adversa directioni divinæ adscribens, qui hæc ita dirigat in pœnam peccati sui. Et non aliam Davidis mentem fuisse, indicio sunt verba ejus sequentia: *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quantò magis nunc filius Jemini? dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini.* Quasi dicat: cùm filius meus contra me insurgat, meamque vitam quærat: mirumne est Simei, ex familia Saulis, mihi infensissimum, animam meam quærere, præsertim cùm adeo commodam odium suum prodendi occasionem Deus illi occurrere faciat? expleat ille odium suum, egoque Deo, me ob peccatum meum illius maledicentiæ exponenti, humillimè subjiciam: *si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

1 Reg. XXII. 22. VII. Quartò. Vel tandem nuda tantum intelligitur Dei permissio, quæ tamen peccandi necessitatem non inducat: uti 1 Reg. XXII. 22. ubi Deus Satanæ operam suam ad decipiendum Achabum offerenti dicit; *Decipies & prævalebis: Egredere & fac ita.* Nam nulla hic Deo peccati efficientia, nullus ad peccandum impulsus, cui resisti non possit, adscribitur. Nam 1. Actio, ad quam Deus Achabum instigari volebat, non erat peccatum; susceptio nim: belli contra Syriæ regem ad recuperandum Ramoth in Gilead, utpote quæ ad regnum Israëlis jure pertinebat, quamque Syriæ Rex contra pacta Regi Israëlis non restituebat. Voluit itaque Deus solummodò Achabum ad bellum istud suscipiendum impelli, ut illo interiret, scelerumque suorum pœnas lueret. 2. Nec medio illi, quo Achabus ad bellum suscipiendum inductus fuit, virtus irresistibiliter eum impellendi inerat; sed sola tantum moralis persuadendi vis; falsa nimirum pseudo-prophetarum vaticinia, quibus Deus veri prophetæ Michæ vaticinium opposuit, & quod apud Achabum majoris potuisset esse ponderis, quàm reliquorum. Dices; Deus tamen mendacio illorum pseudo-prophetarum usus est ad decipiendum Achabum; dicit enim diabolo, *Egredere & fac ita*: illique majorem quàm moralem persuadendi vim tribuendam, docent verba Dei; *decipies & prævalebis.* Resp. 1. Verba Dei non esse præcipientis, sed permittentis tantum: quod horum verborum occasio manifestè satis docet. Introducitur enim Deus quasi judex in solio suo sedens, pœnamque Achabo ob scelera decernens: quærit itaque, quis decipiet Achab regem Israël ut adscendat & cadat in Ramoth in Gilead? & uno hoc, alio aliud dicente; egressus est spiritus, qui dixit se illum decepturum, hoc medio, quod futurus sit spiritus mendax in ore omnium ejus prophetarum: Cui Deus dicit, *egredere & fac ita*: quæ verba non præcipientis, sed solummodò permittentis sunt; non magis quàm verba Domini Jesu ad Judam, *quod facis fac cito*, Joan. XIII. 27. Nec enim præcepto, sed nudâ tantum Dei permissione opus erat, ut diabolus imposturam hanc, ad quam operam suam offerebat, exequeretur. 2. Quod verò Deus dicit, *decipies & prævalebis*, non arguit irresistibilem huic deceptioni efficaciam adfuisse: ad summum nihil aliud inde concludi potest, quàm Deum ex infinitate scientiæ suæ deceptionis hujus eventum prævidisse. Sed nec eo confugere est necesse: Deus quippe, qui καρδιογνώστης est, noverat Achabum spe victoriæ inflatum: accedente unanimi quadringentorum pseudo-prophetarum, quos in magna apud Achabum existimatione esse noverat, adhortatione, sciebat Deus illum ad bellum istud impellendum; neque contrariam Michæ, Achabo exosi eo quod ingrata illi prædiceret, prophetiam ullum ad belli istius dehortationem momentum habituram. Jure itaque diabolo dicere potuit, *decipies & prævalebis.* Ita ut in nullo horum locorum Deo ulla peccati efficientia adscribatur.

VIII. Secundo. Classem aliquot Scripturæ Sacræ locorum proferunt, in quibus Deus homines *excæcare* & *indurare* dicitur. Et *excæcare* quidem *Esa.* VI. 8, 9, 10. qui locus etiam citatur *Matt.* XIII. 14. *Joh.* XII. 40. *Act.* XXVIII. 26. *Indurare vero*, *Exod.* VII. 3. quibus alios similes fermè loquendi modos ad- *Loca Scripturæ, quibus Deus homines excæcare, indurare &c. dicitur.*

adjungunt: *Esa.* LXIII. 17. quod Deus *Israelitas errare fecerit*: *Rom.* 1. 24, 28. quod *tradat in reprobum sensum* homines, & 2 *Thess.* II. 11, 12. quod *immittat efficaciam erroris ut credant mendacio.*

Generalis ad ea responsio. IX. Sed unicâ generali responsione objectioni ex omnibus illis locis desumtæ occurri potest. Primo: Omnibus illis locis agi de hominibus peccatoribus, & longa peccandi consuetudine iram divinam commeritis; & de actionibus pœnalibus, quas Deus erga tales exercet. Non itaque ex illis conclusio deduci potest de Providentiâ Dei circa peccatum in genere, non tantum eorum, qui nondum co usque impietatis adscenderunt; sed & ipsius Adami, ante primum suum peccatum ex illorum doctorum sententiâ non tantum innocentis, sed & originali justitiâ præditi. Secundo: quando Deo actiones *excæcandi, indurandi*, aliæque, quæ omnes synonymæ sunt, adscribuntur, Deo non adscribi efficientiam aliquam realem cœcitatis spiritualis, quam aut positivo actu in hominibus operetur, aut etiam negativo, ita deserendo hominem ut necessariò in cœcitatem illam incidat; sic enim Deus vera ac propriè dicta causa foret cœcitatis, omniumque peccatorum cœcitatem illam necessariò consequentium: sed actum quendam pœnalem, quem Deus erga peccatores ob scelera commissa exercet, qui occasio tantum est, quâ positâ homo verisimiliter valdè erraturus & peccaturus est, licet possit non errare & non peccare, imoab ipsâ illâ actione Dei causam non errandi & non peccandi habere; sed quam ipse homo, pro cordis sui malitiâ, in peccandi occasionem detorquet. Quod exinde evidentissimè liquet; quia hæ actiones non tantum Deo attribuuntur, sed & hominibus, quorum ministerio Deus in hac suâ actione utitur: ut *Esa.* VI. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude*; & diabolo: 2 *Cor.* IV. 4. ubi dicitur *excæcare mentes infidelium.* Atqui actioni hominum, Deo ministrantium, multò verò minus diaboli, nulla irresistibiliter peccatum efficiendi vis competit; major illis quàm moralis motio non inest. Imo & ipsi homini indurato adscribitur, ut Pharaoni, *Exod.* VIII. 15. IX. 34. sic & *Jerem.* V. 3. *Sachar.* VII. 12. *Hebr.* III. 7. atqui ut homo se ipsum induret, Deo ipsum irresistibiliter indurante, fieri nequit. Nihil ergo aliud Deo adscribitur, quàm ejusmodi actio pœnalis, quam peccator, pro cordis sui duritia, perversè arripit & detorquet in occasionem peccandi. In eo autem, uti diximus, sese prodit ira divina, quod ejusmodi occasiones peccatoribus occurrere faciat eo tempore, quo verisimile valdè est eos illis abusuros, imo sese magis magisque contra Deum induraturos. Deum autem illud justè posse facere in pœnam præcedentium peccatorum, absque ulla cum peccatis communione, aut ulla peccati efficientia, quis est qui dubitet?

X. Hac generali responsione præmissâ, difficile non erit singula hæc loca explicare, ita ut sanctitati divinæ nulla labes, quasi peccatum in hominibus producat, adspergatur. *Explicatio Esa.* VI. 8, 9, 10.
Nam quod primum locum attinet, *Esa.* VI. 8, 9, 10. in eo *indurandi* actio tribuitur Esaiæ; ille verò potentiam non habebat indurationem in populo efficiendi: neque actio, à Deo ipsi imperata, ad indurandum populum per se tendebat, sed potius ad eum emolliendum. Induratio itaque illa potius eventus fuit, per accidens actionem hanc Esaiæ consequens ex malitia voluntaria populi. Unde verba, *excæca cor populi hujus*, &c. hoc sensu commodissimè accipiuntur: prædica populo huic; etiamsi sciam illum prædicationi tuæ non auscultaturum, sed cor suum adversus illam induraturum: adeo ut, quia Esaiæ prædicatio occasio fuit à populo ad se indurandum arrepta, Esaias populum indurare dicatur. Vel ut suspensam enunciationem contineant ejus, quod, inspecto populi ingenio pravo, verisimiliter admodum eventurum erat: hoc modo: Prædica populo huic, etiamsi futuri sint per tuam prædicationem duriores & cœciores. Saltem Deo indurationem hanc adscribendam non esse, liquet ex *Matth.* XIII. 14. ubi textus hic ita citatur, ut manifestò causa indurationis ipsis hominibus tribuatur; *Audiendo audietis & non intelligetis, & videndo videbitis, & non videbitis: quia crassum factum est cor populi hujus, & auribus graviter audiverunt, &c.* Unde liquet, verba hæc apud *Joan.* XII. 40. ubi legitur, *excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum*, non de Deo esse accipienda; sed, uti antea in explicatione 2 *Sam.* XXIV. 1. ostendidimus, impersonalem esse locutionem, quæ tantundem valet, atque excœcati sunt oculi eorum, &c. Dices: Apparet tamen hunc fuisse Dei scopum ut indurentur, quia dicitur, *ne forte videant oculis suis*, &c. Resp. Illis verbis non denotatur finis à Deo intentus, sed eventus tantum, vitio hominum actionem hanc Dei consequens: qui tamen alius esse poterat: sed quia Deo actiones ejusmodi circa homines desperatæ adeo improbitatis, quales hi erant, adhibente, rarò ad meliorem frugem convertuntur, sed ordinariè in malitia sua magis indurantur, hinc Scriptura loquitur, perinde ac si is Dei finis esset. Et hoc sensu sæpe vocula ἵνα, & μήποτε & ὅπως, quibus Novi Testamenti Scriptores eam reddere solent, accipitur. Alias sensus impius ac horrendus in hisce verbis latebit, quod Deus homines ad pœnitentiam adhortetur, eo fine, ut magis magisque indurentur & gravius peccent: quod dictu blasphemum est.

XI. Alter locus est *Exod.* VII. 3. ubi dicit, se *induraturum cor Pharaonis.* Sed jam *Exod.* VII. 3.

jam antea ostensum est, hanc Pharaonis indurationem non fuisse effectum necessariò actionem divinam consequens; sed eventum, qui præter actionis divinæ genium ex malitia Pharaonis invincibili existebat. Patet: quia ipsi Pharaoni tribuitur quod se induraverit, uti vidimus. 2. Si causam, aut potius occasionem hujus indurationis inquiramus, comperiemus eam non fuisse positivam quandam Dei immediatè in voluntatem Pharaonis operantis actionem, aut subtractionem vel denegationem gratiæ ad voci divinæ auscultandum necessariæ; sed solam levitatem ac brevitatem plagarum. Videns nempe plagas esse leviores, seque Mosis intercessione statim ab illis liberari, ac proinde damnum sibi regnoque suo per plagas illas illatum nullo modo esse comparandum cum lucro ac emolumento quod ex detentione populi in servitute percipiebat, populum dimittere noluit. Idque exinde evidens est; quia postea, nullâ novâ Dei gratiâ excitatus, sed primogenitorum cæde territus, statim Israëlitas dimisit. Manifesto indicio, eum citius Israëlitas dimissurum fuisse, si priores plagæ postremæ huic æquales fuissent. Atqui tantum abest, ut mansuetudo ac longanimitas Dei hominibus indurandis per se serviat, ut eos ad pœnitentiam invitet. *Rom.* II. 4, 5.

Esa. LXIII. 17. XII. Tertius *Esa.* XLIII. 17. ubi Israëlitæ dicunt, *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis; indurasti cor nostrum ne timeremus te?* Sed Resp. 1. Non sequitur, populus Israëliticus Deo indurationem suam adscribit, ergo Deus illum induravit. 2. Induratio hæc non fuit actio divina, quâ necessariò ad peccandum impellebantur: quia hic orant, ut Deus indurationem hanc tollat; quod stante ejusmodi induratione, utpote quæ ad omne bonum ipsos ineptos reddat, fieri nequit. Ergo intelligitur actio Dei, quæ occasio tantum fuit indurationis. Exscindi quippe curaverat Deus eorum urbem ac templum, cultui suo dicatum; ipsosque abduci ac dispergi inter gentes profanas, inter quas idolorum cultus vigebat: ista occasione sensim à Deo alieniores, & in præceptis ejus observandis negligentiores facti erant. Non tamen is est pœnæ divinæ scopus, homines indurare, sed ad pœnitentiam convertere; uti manifestè liquet ex *Deut. cap.* XXX. 1. &c. Idem est sensus verborum *Jerem.* XVI. 13. *Et projiciam vos de terra hac, in terram quam non cognovistis vos, nec patres vestri, & coletis ibi Deos alios die ac nocte, quibus vestrum non dabo gratiam.* Quæ non aliter accipere possumus, quàm de occasione, qua Israëlitæ captivi degentes inter gentes idololatras invitati fuere ad idololatriam & eundem cum ipsis falsorum Deorum cultum, nulla intercedente divinæ gratiæ ablatione, qua ad idololatriam necessario impulsi sint.

XIII. Quartus est *Rom.* I. 24. ubi Deus gentes propter abominanda ipsarum peccata *tradidisse* dicitur *in cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem*: & *vers.* 28. εἰς νοῦν ἀδόκιμον, *in mentem reprobam ad faciendum quæ minime conveniunt.* Resp. Sed nec illa Dei actio peccandi necessitatem hominibus imponit: sed solummodò magnam à fœdis suis peccatis resipiscendi difficultatem inducit. Deus quippe gravissimis ac diuturnis gentium peccatis, contra naturam commissis, offensus, varia sustulit repagula, quibus cohiberi poterant, & aliqui etiam cohibiti fuerunt: quo factum est, ut se planè desideriis suis carnalibus tradiderint, & à bono planè sint alienati: ita quidem, ut non nisi mala probaverint, & bona improbaverint: adeo ut difficile ipsis fuerit ad meliorem mentem redire; non tamen planè impossibile; Deus enim sese non reliquit sine testimonio, *Act.* XIV. 16, 17. & licet viribus destituti sint sese sincerè ad Deum convertendi; non tamen impossibile ipsis est ardentibus precibus eas à Deo impetrare. Idque exinde liquet; quia Deus gentes, ejusmodi vitiis inquinatas, per verbum Euangelii ad resipiscentiam vocari voluit, *Eph.* II. 1, 2, 3. *Tit.* III. 3, 4, 5. & aliqui ex iis vocationi divinæ paruerunt, & à peccatis illis fœdis resipuerunt; 1 *Cor.* VI. 11. *Coloss.* I. 21. *Rom.* I. 24, 28.

XIV. Quintus est 2 *Thess.* II. 11, 12. ubi Deus *iis qui pereunt* dicitur *mittere efficaciam erroris, ut credant mendacio.* Resp. Sed nec hic talis denotatur Dei actio, quâ positâ non potest non sequi peccatum. Quod liquet 1. quia seductio, quæ hominibus illis tribuitur, dicitur futura κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ, & quidem talem, quæ fit patratione signorum ac prodigiorum mendacium. Atqui utcunque potens sit illa seductio, non tamen illi inest potentia homines irresistibiliter pertrahendi ad peccatum: quia omnis illorum efficacia est tantum objectiva seu moralis. Certè vera miracula, ad divinæ veritatis confirmationem facta, non habent majorem nisi moralem persuadendi vim; multò minus prodigia mendacia, in confirmationem mendacii virtute Satanæ facta. 2. Quia alias Discipulos suos monet Dominus, ne per ejusmodi signa & pseudo-prophetas seduci se patiantur, *Matth.* XXIV. 24. *Efficacia* itaque *erroris* non denotat seductionem, quæ non potest non consequi effectum suum; sed seductionem valdè efficacem, seu aptam ad errorem producendum in hominibus qui amorem veritatis reliquerunt. Eodem modo quo argumenta efficacia vocamus, non quæ omnibus persuadent, sed quibus magna persuadendi vis inest. Dices. Deus tamen efficaciam erroris illis *missurus* dicitur. Resp. Verba actionem significantia sæpe nudam denotant permissionem, ut *Exod.* I. 17. Sensus itaque est: Quoniam amorem veri- 2 *Thess.* II. 11, 12.

tatis,

tatis, tot miraculis divinis ac prodigiis confirmatæ, reliquerunt, seque mendacium diligere ostenderunt, permittet etiam Deus ut ipsis prædicetur doctrina falsa, peccatis ac concupiscentiis carnalibus blandiens, & signis mendacibus confirmetur; quâ allecti mendacio credent; Deo permittente ut mendacium, quod diligunt & quærunt, inveniant; id est, ut argumenta, quæ ad mendacii patrocinium undique conquirunt, ipsis efficacia videantur; atque ita planè à veritate divina abstrahantur, & mendacio adhærentes tandem æternum pereant. Unde apparet postrema verba, *ut credant mendacio*, non finem Dei denotare, sed eventum, hominum vitio actionem Dei sequentem, qui tamen potuisset eam non sequi.

Genes. XLV. 5, 7. L. 20. XV. Tertiò tandem loca quædam producunt, in quibus Deus quædam decrevisse dicitur, ex quibus peccandi necessitas sequuta creditur. Primus illorum legitur *Genes.* XLV. 5, 7. & L. 20. ubi dicitur Deus Josephum misisse in Ægyptum, ut fratribus suis ac toti familiæ prospiceret de alimento tempore famis: unde consecutum colligunt, fratres Josephum vendidisse, ut ita in Ægyptum abductus, ibique rerum potitus, ipsis prospicere posset. Unde Josephus dicit, *non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Resp. Nihil in hoc textu est, quod peccatum fratrum Josephi ad actionem aliquam divinam referat: solummodò tribuitur Deo directio, quâ id, quod fratres in Josephi perniciem machinati erant, direxit in illius bonum, ut familiæ paternæ tempore famis prospicere posset. Duo quippe hîc sunt distinguenda, venditio Josephi, & ejus exaltatio. Venditio fuit scelus fratrum: cum eo Deus nihil commune habuit. Impedivit quidem Josephi cædem antea ab ipsis conceptam: quia occurrere ipsis fecit commodam Josephum vendendi occasionem, quam ipsi avidè arripuerunt: non tamen vendendi animum ipsis inspiravit. Exaltatio Josephi est à Deo. Peccato siquidem fratrum Josephi Deus tanquam medio usus est ad finem suum consequendum; sed non tanquam medio quod ipse operabatur, aut quo indigebat ad finem suum consequendum: siquidem alia Deo suppetebant media Josephum ad dignitatem illam evehendi; sed quod Deus tanquam commodam occasionem arripuit. Cum enim pro malitia sua Josephum vendidissent, Deus direxit ut ille in Ægyptum abductus venderetur Potiphari Regis aulico, & per somniorum interpretationem regi commendatus ad summum dignitatis fastigium adscenderet. Itaque Deus non operatus est venditionem Josephi: sed quicquid fratres in perniciem ipsius machinati fuerant, Deus convertit in bonum. Et hoc ipse Josephus ait *cap.* L. 20. *Vos cogitastis adversus me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* Et meritò Deo tanquam auctori Josephus exaltationem suam tribuit; fratres enim eum vendentes sibi non habebant propositum cum hac via ad fastigium illud perducere, sed exaltationem ejus impedire; dicebant enim, *apparebit quid illi prosint somnia sua*, *cap.* XXXVII. 20.

XVI. Secundus locus est 1 *Sam.* 11. 25. 1 *Sam.* 11. 25.
ubi de filiis Eli dicitur, *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Resp. Vocem Hebræam כי non necessariò denotare *quia*, sed & nonnunquam exponi per *ideo*: ut *Genes.* XXII. 17. ubi Deus dicit Abrahamo, quia non dubitaverat filium suum Deo offerre, *ideo benedicendo benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas*, &c. Ubi sensus non permittit, ut per *quia* vertatur: & *Psal.* CXVI. 10. *credidi, ideo locutus sum:* qui locus ita etiam citatur ab Apostolo Paulo 2 *Corinth.* IV. 13. Et tum sensus horum verborum pius est & Deo conveniens; non audierunt vocem patris sui, ideo voluit Dominus occidere eos. Contra si legamus, prout Vulgata habet versio, sensus erit impius ac Deo indignus; quod Deus in ipsis sit operatus rebellionem & inobedientiam, quia ipsos volebat occidere. Ita enim Deo omnis ipsorum impietas adscribitur. Quanquam & verba, prout in Vulgata leguntur, sanum sensum admittere possunt: hac ratione: Filii Eli non audierunt vocem patris sui; neque id cuiquam mirum videatur; erant enim homines flagitiosi & desperatè improbi; quod exinde liquet, quia jam Deus, ob summam ipsorum improbitatem, illos occidere decreverat.

XVII. Tertius denique ac ultimus occurrit *Act.* IV. 27, 28. ubi Apostoli in precatione sua dicunt: *Act.* IV. 27. 28.
Congregati sunt in civitate istâ adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populo Israel, ad faciendum quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. Resp. 1. Locum hunc non agere de morte Jesu Christi, & de consilio scelerato Pilati, Herodis & Judæorum, eum occidendi, quasi hæc omnia decreto divino prædestinata fuerint: jam enim multò ante Dominus Jesus crucifixus erat: sed de eo, quod illo tempore Apostolis & Ecclesiæ Christianæ eveniebat, tanquam discipulis Jesu Christi, ac proinde quod adversus ipsum Jesum Christum susceptum dici debet: juxta id quod Dominus Jesus dicit Sauli Ecclesiam ipsius persequenti, *Saul, Saul, quid persequeris me? Act.* IX. 4. Quod ex toto contextu liquet. Cùm enim narrassent Apostoli miraculosam claudi hominis sanationem, & Seniorum interdictum de non

prædicando in nomine Jesu, gravesque ipsorum comminationes, unanimiter omnes ad Deum levaverunt vocem suam: quod evincit, eos in precatione illa respexisse ad conventum circa illud tempus convocatum, & deliberationes contra se institutas. Dices. Legitur tamen *Act.* II. 23. quod Dominus Jesus *prædefinito consilio & præscientia Dei sit traditus*. Resp. In Græco textu est ἔκδοτον; quod non significat traditionem Judæ proditoris, aut Judæorum ipsum Pilato tradentium, quod peccatum semper exprimitur voce παραδοῦναι: sed gratiosam Dei Patris donationem, quâ Filium suum tradidit hominibus redemtorem: Adeo ut Petrus, Judæorum peccatum exaggerans, dicat, quod illum ipsum Jesum, qui prædefinito Dei consilio ipsis erat donatus ac traditus in redemtorem, abnegaverint, & manibus impiorum affixerint cruci: quod fusius idem Petrus ipsis exprobrat *cap.* III. 13, 14, 15. 2. Non dicitur Deum decrevisse ut Herodes, & Pilatus &c. facerent quæ fecerunt; sed ad summum, ipsos fecisse quæ Deus decreverat fieri. Atqui hæc duo multum discrepant. Deus decrevit, ut Ecclesia sua non nisi per crucem & afflictiones ingrediatur in regnum cœlorum: non verò ut persecutores Ecclesiam persequantur: solummodò hominibus improbis ac à religione Christiana alienis mundi gubernacula tradit; qui potestate sibi tradita voluntariâ malitiâ abutuntur, & religionem cupiditatibus adversam persequuntur: atque ita faciunt, quod Deus decrevit fieri. 3. Possunt etiam hæc verba per exiguam verborum trajectionem paulo aliter legi; & tum continebunt sensum longè ab eo, qui vulgo illi attribuitur, diversum, hac ratione: Congregati sunt in civitate ista Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populo Israël, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti ad faciendum (seu ut faceret) quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. Ita verba ποιῆσαι ὅσα, &c. per exiguam trajectionem connectentur cum verbo ἔχρισας; si non majori, æquali certè jure, quàm si connectantur cum primo verbo συνήχθησαν, prout communiter fit. Et ejusmodi trajectiones frequentes sunt in Novo Testamento. Sic *Apoc.* XIII. 8. *Adoraverunt bestiam omnes qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi*: quæ verba ultima non connectenda sunt cum immediatè præcedentibus, sed remotioribus, *scripta sunt*: hac ratione: quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro vitæ agni, qui occisus est. Tales trajectiones, quæ etiam aliquando adhibitâ parenthesi insinuantur, occurrunt *Luc.* II. 34, 35. IV. 5. 2 *Cor.* XII. 2. &, interprete Bezâ, etiam *Act.* XIII. 27. XX. 32. & alibi. Et tum sensus horum verborum erit egregius: nim: non quòd Herodes & Pontius Pilatus sint congregati ad faciendum quæ manus & consilium Dei decreverunt fieri; sed quod Deus Pater Filium suum Jesum unxerit, ad faciendum, seu ut faceret quæ manus & consilium ejus decreverunt fieri: Et non tantum fidei analogiæ consentaneus, sed & apprimè scopo precantium accommodatus. Ostendunt quippe fiduciam suam in Deum, & omnes inimicorum suorum conatus ac molitiones irritas esse; eò quod insurgant adversus Dei Filium Jesum Christum, hoc est, doctrinam divinam ab ipso primo annuntiatam, & ab ipso denominatam; Atqui fieri nequit, quin ejusmodi conatus successu suo destituantur: quoniam Deus Pater Filium suum unxit, honore ac gloria exaltavit, ut invitis omnibus regibus exsequatur id, quod manus ac consilium Dei decreverunt fieri.

XVIII. Atque ita videmus, nullum ex Scriptura Sacra locum proferri posse, in quo Deo ejusmodi circa peccatum actio tribuitur, quâ positâ non potest non sequi peccatum. Atque hæc de Providentia Dei circa peccatum, antequam fiat, sufficiant.

CAPUT XXXI.

De Providentia Dei circa peccatum dum fit, & postquam factum est.

Actus Providentiæ divinæ circa peccatum, quatenus fit, duo sunt, Directio & Determinatio. Directio est actus, quo Deus peccatores inscios ducit præter mentem suam, ut aliud exsequantur quàm animo destinaverant. Estque duplex, vel in aliud objectum, vel in alium finem. *Directio.*

II. Directio in aliud objectum est, quando Deus peccatores inscios præter mentem suam dirigit, ut in hoc potius objectum peccent, quàm in illud: atque ita Deus sibi totam illam actionem tribuit: non quia malam peccandi voluntatem hominibus impiis inspirat: hoc enim sanctitati ejus repugnare jam vidimus; sed quia ipsos jam ad peccandum pronos dirigit, ut malitiam suam erga objectum, quod Deus pœnæ destinavit, ostendant: atque ita inscii sententiæ divinæ executores sint. Hoc innuit Salomon, *Proverb.* XVI. 9. *Cor hominis excogitat viam suam: Dominus autem dirigit gressum ejus*; nimirum, ut aliud quid operetur quàm animo conceperat. Et *Jerem.* X. 23. *Novi Domine quod non est hominis via ejus, nec est viri ambulantis ut præparet gressum suum.* Et speciatim *Proverb.* XXI. 1. *Rivi aquarum, cor regis in manu Dei, ad omne quod vult inclinat illud.* Cujus illustre habemus exemplum in rege Assyriorum, quem Deus in Judæos, ad puniendum summam ipsorum impietatem, mittere volens, sortes ejus quas con- *Est vel in aliud objectum.*

consuluit, incertus utrum in Ammonitas an Judæos bellum esset moturus, ita direxit, ut omissis Ammonitis Judæos peteret, *Ezech.* XXI. 19. *& seqq.* Unde Deus eum vocat *virgam furoris sui, quam contra populum rebellem missurus sit. Esa.* X. 6, 7.

Vel in alium finem. III. Directio in alium finem est, quâ fit ut peccatum non tendat in quemvis finem à peccatore intentum; sed in alium longè à Deo destinatum, qui sæpe peccatoris fini contrarius est. Exemplum habemus in fratribus Josephi, qui venditione Josephi intendebant ipsius exaltationem impedire: Deus verò ita direxit, ut gradus fuerit ad dignitatem ipsi à Deo destinatam perveniendi: *Genes.* L. 20, 21. Herodis infanticidium, ad Jesum interimendum susceptum, Deus direxit in argumentum illustre, quo filii sui nativitas comprobetur; omnibus infantibus interemtis quasi clarâ voce nativitatem hanc testantibus. Sic Ecclesiæ persecutiones, quas tyranni in Ecclesiæ perniciem moliuntur, Deus in illius bonum convertit, sive in fidei experimentum, sive in peccati castigationem, sive in aliorum exemplum.

Determinatio. IV. Determinatio est, quâ Deus permissioni suæ modum ponit, ut non omne, quod animo suo conceperunt peccatores, executioni mandare possint; sed eos intra cancellos quosdam cohibet, quos transire nequeunt: ita ut non ante possint peccatum, nec plus exsequi, nec diutius in exsequendo perseverare, quàm Deus vult permittere. Primum patet in Domino Jesu, quem Judæi capere non poterant, antequam hora ejus, à Patre passioni ipsius destinata, advenisset: *Joan.* VII. 30. *Luc.* XXII. 53. Secundum similiter in Domino Jesu, quem Judæi quidem cruci affixerunt, non tamen ossa ejus fregerunt. *Joan.* XIX. 36. In fratribus Josephi, quibus permissum est ut cum venderent, non verò, ut proposuerant, eum occiderent. In Herode, cui permissum ut Petrum carceri includeret, non interimeret, *Act.* XII. 3, 4. Tertium in Abrahami posteris, quos Ægyptii ex permissione divina afflixerunt quadringentis annis: *Genes.* XV. 13, 14, 15, 16. In Judæis, quorum captivitas in Babylone septuaginta annorum spatio circumscripta est. In Ecclesia Smyrnensi, cujus afflictionem Deus dies decem excedere non permisit, *Apoc.* II. 10. Omnia simul concurrunt in exemplo Jobi, quem diabolus nisi Deo permittente affligere non potuit; & permissio divina certos illi terminos præscripsit; primò ut facultatibus Jobi nocere, nullam verò corpori illius noxam inferre; deinde, ut corpus ejus affligere, vitam autem auferre non posset: tandem etiam afflictioni finem imposuit, & Jobum, jam satis exploratum, in integrum restituit.

Directio in bonum finem. V. Actus Providentiæ divinæ circa peccatum, quatenus factum est, varii sunt. Primus est, directio in bonum finem, contra peccantis intentionem; ut venditionis Josephi, ad conservandum familiam Jacobi, totumque regnum Ægypti: incestus Absolonis, ad puniendum adulterium Davidis; crucifixionis Domini nostri Jesu Christi, ad redimendum totum genus humanum.

VI. Præcipui verò sunt, punitio, & remissio. *Punitio.* Punitio est, quâ Deus peccatori pœnam, juxta justam ipsius voluntatem illi debitam, infligit. Estque vel hujus vitæ, vel futuræ. Punitio hujus vitæ vel est corporalis, vel spiritualis; ablatio nim: gratiæ, vel externæ, ut verbi divini ejusque prædicationis: vel internæ: e'que traditio in reprobam mentem, & in efficaciam erroris, excæcatio, & induratio. Punitio futuræ vitæ, est conjectio in ignem æternum, præparatum diabolo & angelis ejus.

VII. Remissio est condonatio reatus peccati, & pœnæ non inflictio: *Remissio.* cui adhæret gratiosa peccatoris, resipiscentis sc., tractatio, ac si peccator non esset: hoc est, præmii resipiscentibus promissi gratuita attributio.

CAPUT XXXII.

De variis Providentiæ divinæ modis.

I. MOdi Providentiæ divinæ variant, tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis. *Diversitas ratione quantitatis.* Ratione quantitatis: 1. Pro inæquali rerum præstantia etiam providentia Dei erga res est diversa: digniorum majorem curam gerit quàm minus dignorum, majorem hominum, quàm animalium aut plantarum: 1 *Cor.* IX. 9. *Matth.* VI. 26, 27. 2. Pro libero voluntatis suæ beneplacito non omnibus æqualiter se revelat; quibusdam solummodò per opera creationis & providentiæ generalis: aliis vero gratiosâ voluntatis suæ patefactione. *Psal.* CXLVII. 19, 20. *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israël. Non fecit ita omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* In hac diversa revelatione Deus aliquando rationem habet bonæ dispositionis, quæ in hominibus est, aliquando non: imo minus bonis nonnunquam majorem gratiæ copiam largitur, præteritis minus indignis. Sic Chorazitis & Bethsaiditis largitus est gratiam, quam respuerunt: Tyriis autem & Sidoniis, qui per illam conversi fuissent, eam non largitus est, *Matth.* XI. 21, 22, 23. Fundatur hæc inæqualitas in absoluto Dei dominio, qui gratiæ suæ dona confert pro arbitrio, alii pauciora, alii majora & plura, omnibus tamen tantâ copiâ ut sufficiant ad ipsos in officio continendum. Huc refer *Matth.* XX. 15. *An non licet mihi quod volo facere in meis?* 3. Actiones moraliter bonas Deus magis diligit quàm nudas personas:

non enim ob personam actiones Deo gratæ sunt, sed ob actiones persona: *Jerem.* VII. 3. *Bonas facite vias vestras, & studia vestra; & habitabo vobiscum in loco isto. Joan.* XIV. 21, 23. *Qui præcepta mea habet, eaque observat, is est qui diligit me; & qui diligit me diligetur à Patre meo, &c.* & *cap.* XV. 14. *Hebr.* XI. 5, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo*: &c. Sub actionibus autem moraliter bonis etiam comprehendimus fidem, cum Calvino, qui Comment. in 1 *Pet.* I. 17. ait: *Hoc loco fides etiam sub operis nomine comprehenditur.* Ceremoniales autem per se Deo non placent, neque personam propriè Deo commendant: sed personæ fides ac probitas eas commendat Deo: *Hebr.* XI. 4, 5. Unde & Deus sæpius eas detestatur, quando à corde impio sunt profectæ: ut speciatim *Esa.* I. 11. *& seqq.* 4. Pios majore affectu prosequitur, quàm impios, aut officium nondum facientes: unde 1 *Tim.* IV. 10. vocatur *Servator omnium hominum, maximè verò fidelium.* Fundatur in inæqualitate amoris amicitiæ, quâ pios, & benevolentiæ, quâ omnes sine discrimine Deus complectitur. Hinc & Deus facile preces piorum exaudit, *Joan.* IX. 31. 1 *Pet.* III. 12. 1 *Joan.* III. 21, 22. & plura ac majora gratiæ dona illis largitur, quàm impiis: *Matth.* XIII. 12. XXV. 29. 5. Peccantes contra conscientiam ac claram verbi sui lucem majori odio prosequitur, quàm ex infirmitate aut ignorantia labentes: *Act.* XVII. 30. *Heb.* X. 26, 27. Fundatur hæc inæqualitas in ratione gravitatis peccati; illa enim maximè æstimatur ex animo; pejor autem est animus, qui gratiam spernit, quàm qui sine gratia peccat.

Ratione qualitatis. I. Vel omnipotentia utitur Deus.

II. Ratione qualitatis etiam diversimodè distinguitur Providentia. Primò. Aliquando ad objecta quædam vel efficienda, vel impedienda, vel dirigenda, utitur Deus omnipotentia sua: aliquando adhibet accommodatum rebus concursum ac auxilium, naturæ nostræ attemperatum. Sic in iis quæ absolutè efficere vult, in piis remunerandis ac impiis puniendis, adhibet omnipotentiam suam: *Esa.* XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Sic nonnunquam externum peccati actum à Deo impediri omnipotentiâ suâ, antea vidimus.

Vel accommodato rebus concursu.

III. Accommodatum rebus concursum ac auxilium adhibet, quando utitur actione aliqua, quæ moralem suadendi vim habet; sed quæ adjunctam sibi habet actionem physicam, à qua moralis illa actio efficacitatem persuadendi habet. Ita 2 *Paral.* XX. 28, 29. tempore Josaphati Deus Judæ dedit insignem victoriam, quæ hostes cohibuit, ne Judam infestarent: huic actioni, moralem suadendi vim habenti, Deus aliam physicam addidit, timorem nempe ingentem, quem Deus altè gentium animis impressit, ne quid contra Judam tentare auderent. *Ezech.* XXI. 19. *& seqq.* dirigit fortes regis Assyriæ, quæ ipsum mittant in Judæos, pœnæ ob diuturna sua peccata à Deo destinatos, ut legimus *Esa.* X. 6, 7. Eodem modo Deus aliquando externum peccati actum impedit. Sic impediit, ne Saul Davidem, jam fermè exercitu ipsius conclusum, apprehenderet, immittendo Philistæos in fines terræ Israël præsidiis nudatos, 1 *Sam.* XXIII. Sic impediit, ne hostes Jesu Christi ipsum interimerent, metuendo populum, *Matth.* XXI. 46. quem metum Deus procul dubio altè mentibus ipsorum infixit, quia nondum venerat hora ejus, *Joan.* VII. 30. quæ postquam venit, vehemens ille metus desiit, Deo illum non amplius ita validè imprimente, licet populi favor imminutus non esset. Aliquando utitur Deus solummodò actione quâdam, quæ moralem suadendi vim habet, cui nulla actio physica adjuncta est; quam tamen pro sapientia sua efficacem fore prævidet. Ita impedire volens cædem Josephi, cui Ægypti administrationem destinaverat, occasione transitus mercatorum Ismaëlitarum permovit fratres illius, ut eum vendere quàm occidere mallent. *Genes.* XXXVII. Maximè illud apparet in sapientissima Dei directione, qua unicuique homini relictâ libertate suâ, omnes ipsorum machinationes, omnia consilia & actiones, sapientissimè ac potentissimè dirigit, ut aptè inserviant consequendo fini à se intento; licet homines nihil minus quàm de ipso cogitaverint, imo contraria omnia machinati fuerint. Ita arcendo somnum ab oculis Ahasueri, movit Hamanem ut instrumentum esset exaltationis Mardochæi, quem maximè exstinctum cupiebat, *Est.* VI. Per consilium Chusai Architæ evertit callidissimum Achitophelis consilium, quod in Davidis perniciem excogitatum erat, 2 *Sam.* XVII. 14. Per consilium juniorum consiliariorum permovit Rehabeam, ut spreto prudenti seniorum consilio, duro responso populum à se alienaret; quia maximam regni partem ab ipso avellere decreverat, 1 *Reg.* XII. 15.

2. Alia fuit sub Lege.

IV. Secundò. Providentia Dei variat ratione temporum; alia fuit sub Lege, alia est sub Euangelio. Sicut enim in duobus providentia potissimum consistit, legislatione nim. quæ comprehendit præcepta, simulque promissa ac minas; ac justâ remuneratione, quæ potissimum in judiciis divinis conspicua est: Ita & Deus pro variâ legislatione etiam judicia sua diversimodè administrat, convenienter promissis & minis quibus lex est sancita. Fœdus vetus potissimum continebat præcepta externos actus dirigentia: imo ipsa Lex moralis in præceptis specialibus vix quicquam cordi aut cogitationibus præscribit; sed potissimum factis externis legem

legem ponit. Præceptis illis respondebant promissa, quæ, si literam spectes, maximè sui parte nihil præter bona visibilia ac temporalia complectebantur: minæ potissimum pœnas corporales intentabant. Juxta ultimam ac plenariam Dei intentionem, exigebat quidem Lex internam animi puritatem, etiam generali illo præcepto, de non circumcidenda carne, sed corde, mandatam; & sub umbra promissorum temporalium ac carnalium, etiam bona æterna ac spiritualia, in Euangelio clarè promissa, comprehendebat: sed hæc ab hominibus, literæ Legis strictè inhærentibus, non ita clarè percipi poterant. Plerique externo cultu se officio suo defungi credebant; & pacificam terræ promissæ possessionem spectabant. Huic legislationi divinæ respondebant ejus judicia, in Legis observatores ac transgressores exercita. Illa nempe pleraque erant visibilia ac oculis hominum patentia. Mittebat Deus Angelos suos visibili specie ad homines; manifestabat se hominibus per somnia, visiones, prophetias ac miracula; cultoribus suis conferebat præmium, externam benedictionem; contemtoribus pœnam, mortem vel quævis adversa, infligebat. Ita ut Providentia divina tunc conspicua fuerit omnibus; & quivis clarè deprehendere potuerit, Deum cuncta regere, hominumque actiones intueri.

Alia est sub Evangelio. V. Alia longe est Providentia Dei sub Novo Fœdere, quod, sicut præceptis ac promissis constat spiritualibus, ita etiam Providentia divina modo magis spirituali ac invisibili sub illlo administratur. Potissimum id apparuit postquam Dominus noster Jesus Christus in cœlos adscendit, & ad dextram Dei Patris sedit, ut dominetur omnibus, tam in cœlo, quàm in terra. Ab eo siquidem tempore Deus omnia invisibiliter administrare cœpit; ita ut nunc non amplius locum babeat discrimen illud inter pios ac impios ratione felicitatis aut infelicitatis in hac vitâ, neque exinde firmum ac solidum pietatis aut impietatis, ac proinde amoris vel odii divini argumentum peti possit. Sed utrisque promiscue bona mundi hujus concedit, & vitæ hujus infortuniis utrosque involvit; adeo ut zizaniorum instar tritico permixtorum simul succrescant. Quia nempe Deus nunc regnum spirituale erexit, in quo non adspectus, sed sola fides, quæ rerum est invisibilium, locum habeat. Adeo ut, quando nobis non adeo conspicuum est regimen divinum, exinde concludere non liceat, Deum Providentiâ suâ non amplius mundum administrare, neque actiones hominum, bonæne an malæ sint, respicere; sed potius contrarium, Dei & Jesu Christi Providentiam, convenienter naturæ regni spiritualis, ac proinde invisibilis, etiam nunc non minus habere locum, quàm olim. Nam si olim visibiliter in terris regnavit, cùm minora ab hominibus exigeret; an non nunc, cùm majora exigit, multò magis in cœlis regnabit? Sed potissimum Providentia divina olim conspicua erit in die ultimi judicii, quo Deus judicia sua juxta Evangelii promissa ac minas exsequetur, piosque ab impiis discernet, & unicuique secundum opera retribuet. Quod egregiè demonstrat Servator noster parabolâ de zizaniis à diabolo inter triticum seminatis, *Matth.* XIII. 24 *& seqq.* Hinc & Petrus *Act.* III. 21, diem illum vocat *tempora restitutionis omnium*, quo nim. Deus omnia loco suo restituet, piisque præmium, quo nunc destituuntur, attribuet, impiis pœnam, quæ nunc differtur; infliget: unde tunc apparebit discrimen inter servientem Deo, & non servientem ei.

VI. Tertiò. Providentia Dei alia est immediata, alia mediata. Immediata est, quâ Deus absque intercedentibus quibusdam instrumentis aliquid in mundi regimine operatur. Ea est, quâ Deus occupatur circa Angelos, quibus, cum continuò adstent coram ejus throno faciemque ipsius adspiciant, immediatè voluntatem suam revelat. Circa homines etiam in quibusdam hæc locum habet; nempe cum charismata Spiritus Sancti fidelibus communicat: nulla enim hic Angeli opera intercedit, sed Deus Pater illa immediatè per Christum communicat. *Joan.* XV. 26. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Idem dicendum de spiritu obsignante, quem Deus immediatè mittit in corda fidelium. *3. Alia est immediata.*

VII. Mediata est, quando Deus in opere aliquo efficiendo utitur causis secundis, tanquam instrumentis: non quod iis indigeat; solo enim nutu, quando vult, omnia momento perficere potest, sed ad ostendendum gloriam ac majestatem suam. Suntque hæc instrumenta vel merè passiva, quæ à Deo acta non ipsa agunt, aut saltem voluntariè non agunt, sed solummodò impelluntur; ut res inanimatæ, pluvia, ignis, sulphur, grando, lapides, &c. & bruta, ursæ, leones, serpentes venenati, ranæ, cyniphes, locustæ, corvi, &c. Vel activa etiam, quæ ipsa agunt, sed quorum actiones Deus Providentiæ suæ inservire facit tanquam instrumenta, quibus ad finem à se intentum perveniat. Tales sunt homines; iique vel Magistratus, *Rom.* XIII. 1, 2, 3, 4. vel Prophetæ, Apostoli, aliique ministri, per quos voluntatem suam Deus annuntiari curat, vel alii, qui bona & honesta suadeant, præsertim principibus, quorum consilio ad varia, quæ Deus efficere vult, incitantur. Suntque vel boni, quorum omnes conatus gloriæ divinæ promovendæ, regnoque ipsius propagando intenti sunt: qui proinde in suis actionibus vice Dei funguntur. Vel mali, qui nihil minus quàm de gloria divina sunt solliciti; ac *Alia mediata.*

proinde nec actionibus suis vicem Dei gerunt: nihilominus tamen Deus illorum consilia ac facta, præter, imo contra ipsorum intentionem, Providentiæ suæ inservire facit, tanquam media quibus finem à se intentum consequitur, nullo tamen ipsi cum illorum malitia intercedente commercio. Tandem etiam Angelis Deus, ut Providentiæ suæ instrumentis, utitur: quod olim, cum visibili specie hominibus apparebant, indubium fuit. Et nunc eos similiter divinæ Providentiæ instrumenta esse, liquet ex *Hebr.* I. 14. *Nonne omnes sunt ministratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Et probabiliter ex 1 *Corinth.* XI. 10. *Ideo mulier debet potestatem habere in capite propter angelos*, colligitur, Deum angelos cœtuum fidelium constituisse inspectores, ut in illis decorè omnia peragantur.

4. Alia ordinaria. VIII. Quartò. Providentia Dei alia est ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria administratur juxta naturas & vires rebus per creationem inditas: & juxta ordinem semel à Deo in regimine hominum institutum. Talis est cursus Solis & Lunæ, quod alternatim pluat & sudum sit, quod terra quotannis fruges producat, ut *Ose.* II. 20. juxta *Genes.* VIII. 22. *Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies, non requiescent.* Quod Deus *Jerem.* XXXIII. 20. vocat *pactum suum cum die & nocte.* Sic Deus per Magistratus homines regit, & omnium hominum actionibus præëst, illas multipliciter dirigendo, ita ut, unicuique relictâ libertate suâ, eorum actiones dirigat in finem à se intentum.

Alia extraordinaria. IX. Extraordinaria est, quando Deus illum naturæ ordinem non servat; sed vel aliquando illum inhibet in pœnam peccatorum, immittendo sterilitatem, *Levit.* XXVI. 19. 20. 1 *Reg.* XVII. XVIII. *Joel.* I. 19. *Amos.* IV. 6, 7, 8, 9, 10. *Hagg.* I, 6. & *seqq.* II. 18. Vel etiam opera facit miraculosa naturæ vires superantia, quæque non nisi à Deo fieri possunt. Sic stitit cursum Solis ac Lunæ, Solem fecit retrocedere decem gradibus, &c. misit Angelos visibili specie, instruxit Prophetas ac Apostolos Spiritu Sancto ac potentia quævis miracula faciendi.

X. Ex hisce liquet, omnia, quæ fiunt, sapientissimâ Dei Providentiâ gubernari, nihilque fieri fortuitò aut casu; sed Deo vel efficiente, vel permittente, vel dirigente, omniaque inspiciente ac cognoscente, ut unicuique retribuat secundum opera, omniaque suæ gloriæ inservire faciat, sive bona operetur ac procuret, sive mala permittat, sive pios remuneretur, sive impios puniat.

CAPUT XXXIII.

Responsio ad objectiones contra Providentiam divinam.

I. Antequam tractatui huic finem imponamus, superest ut objectionibus quibusdam, contra Providentiam divinam proferri solitis, occurramus. Tria potissimum objici solent. 1. Quod piis hic non raro male sit. 2. Quod impiis bene sit. 3. Quod insontes cum sontibus iisdem sæpe malis involvantur: *Esech.* XXI. 3. *Ecce venturus sum ad te, & educam gladium meum è vagina meâ, & exscindam ex te justum & impium*: & insontes propter sontes nonnunquam puniantur, ut in excidiis generalibus diluvii, Sodomæ, ubi multi infantes insontes propter parentes sontes puniti fuere, similiter filii Achanis, *Jos.* VII. 24., 25, 26. & subditi Davidis, 2 *Sam.* XXIV. Imo sontibus præteritis nonnunquam insontes ipsorum posteri parentum suorum scelera luant; uti videre est in liberis Saulis, 2 *Sam.* XXI. in filio & posteris Salomonis, 1 *Reg.* XI. 11, 12. & in filiis Achabi, 1 *Reg.* XXI. 22. Quæ omnia nullam Dei circa res hominum providentiam arguere videntur. *Objectiones.*

Responsio generalis. II. Ut singulis hisce objectionibus occurramus, dicimus primò, nobis non competere infallibile de pietate alterius judicium; multi pietatis larvâ animum improbum tegunt; solique Deo καρδιογνώστῃ animus ipsorum perspectus est. Secundò. Pleraque mala, quæ piis hic eveniunt, esse tantum mala physica, & corporis, non animi; non itaque verè mala; quia eorum contraria non sunt verè bona, sed sæpissimè improbitatis occasiones & instrumenta, atque ita gradus ad summam miseriam.

Mala piis hic immissa rationem habent boni. III. His ita in genere præmissis, dicimus, mala, quæ piis hic eveniunt, sapienti Dei consilio ipsis immitti, non ut mala, sed quia rationem habent boni, seu, quia media sunt bonum majus & excellentius efficiendi. Illorum enim constanti toleratione, & gloria Dei illustratur, ministros adeo constantes ac fideles habentis, ut nullis adversis a cultu ejus abstrahi possint: & impii impietatis suæ convincuntur, tardi excitantur, pii exemplum quod imitentur generosæ pietatis habent: & ipsi denique pii ad salutem æternam ac undique perfectam præparantur; quoniam & constantia ipsorum exploratur, & in pietate ac fide cœlestium magis confirmantur, precum ardor in illis excitatur, coërcentur ne in peccata incidant, aut si inciderint benignè castigantur, tandemque diu multumque explorati approbantur, pace conscientiæ donantur, & approbati gloriosè vitâ æternâ & coronâ immarcescibili coronantur.

IV.

Bona impiis concessa in hac vita non sunt vere bona.

IV. Bona, quæ malis eveniunt in hac vita, non sunt verè bona: nec ea Deus illis indulget ac si vitam ipsorum approbet, aut saltem non improbet; sed benignitate suâ eos vult flectere ad pœnitentiam & cultum sui; vel justo suo judicio ea illis concedit in pœnam, quoniam per ea in perversitate sua indurântur: omnia quippe sibi ex voto fluere videntes, securi fiunt in malitia sua, nec de emendanda vita cogitant, atque ita præparantur ad exitium, cum adversis tanquam flagello facile improbitatis suæ admonerentur, & ad resipiscentiam exstimularentur. Quid quod Deus hæc, utpote vilissima, illis tanquam servis ac mancipiis, ad terrena hæc abjectis, solummodò largiatur, melioribus autem ac verè bonis ob improbitatem dignari nolit. Sed nec, licet bonis terrenis affluant, iis fruuntur: torquet ipsos conscientia dirissimus carnifex, scelerumque vindex acerrimus ac justissimus, cujus aculeum licet ad tempus obtundere videantur, & ἀπηλγηκότες esse, exstinguere tamen penitus non possunt, stimulo illius dirissimo subinde recurrente, qui in maxima bonorum hujus mundi affluentia nullam illis securitatem, nullum solidum gaudium permittit. Quid quod non rara exstent horrenda vindictæ divinæ in ejusmodi peccatores exempla. Ne commemoremus generalia illa judicia divina in integros populos, diluvii, Sodomæ & Gomorrhæ, populi Israëlis, &c. illustria habemus exempla in Pharaone, Nebucadnezare, Herode, aliisque. Et tandem in futuro seculo scelera Deus ipsis justâ pœnâ rependet: non aufertur pœna quæ differtur; nec evitari potest ab illis, qui in mundo tanquam in carcere, donec scelerum suorum mensuram impleant, potenti Dei manu asservantur, quam nullâ arte, nullâ vi evadere possunt.

Nunquam insontes à Deo puniuntur.

V. Ad tertium quod attinet, duo hic sunt præmittenda. 1. Aliud esse occidere, aliud punire. Prius actus est dominii, absoluto Domino, qui esse & vitam dedit, competens: posterius actus est judicii, qui semper relationem ad culpam includit. 2. Aliud esse, puniri aliquem occasione peccati alterius, cujus ipse particeps non sit: aliud puniri prorsus insontem & innoxium. His præmissis, dicimus, nunquam insontes à Deo puniri: possunt unà cum impiis generali excidio involvi, non tamen cum impiis puniuntur: sed eorum excidio Deus impiorum pœnam aggravare vult; ut cum innoxios liberos cum parentibus exscindit, & quando justos è medio tollit, ut impii superstites se eorum consortio à Deo indignos judicari videant & doleant: illis autem, quoniam iræ suæ demonstrandæ ipsi ut instrumenta inservierunt, afflictionem hanc compensaturus est majori ac illustriori bono in futuro seculo. Vel alterius peccati coram Deo rei tenentur, quod Deus impunitum non dimittere decrevit, atque ideo occasione peccati alterius, licet illius rei non sint, puniunt. Utrumque applicari potest loco *Ezech.* XXI. 3. quod videlicet Deus tanquam Dominus absolutus justum voluit exstinguere cum impio, ut sic impiorum pœnam aggravaret; vel quod justi illi, licet à gravioribus sceleribus immunes, quorundam tamen peccatorum coram Deo rei tenentur, quæ licet Deus remittere decrevit, condonando pœnam æternam, non tamen plane impunita dimittere vult. Posterius autem speciatim locum habuit in subditis Davidis, quos Deus occasione peccati Davidis quidem punivit, cujus rei non tenebantur, non tamen prorsus erant insontes. Achanis liberi una cum Achane puniti non leguntur: si tamen eos cum illo punitos volumus, necesse est illos sceleris ipsius conscios fuisse dicamus; ne Josua in legem, quæ expressè præcepit ne filius patris sui culpam luat, *Deut.* XXIV. 16. peccasse arguatur. Nullum autem exstat exemplum, ubi Deus, sontibus parentibus dimissis, insontes eorum posteros punivisse legatur. Quod Saulis, Salomonis, & Achabi liberos attinet, illi insontes non fuere, nec eorum parentes pœnam divinam evaserunt: Saul in prælio occubuit: Salomoni tanquam pœna ob idololatriam ejus prædicta fuit avulsio decem tribuum à regno suo: Achab juxta prædictionem divinam in prælio occubuit, & canes sanguinem ejus linxerunt.

[illegible] generali excidio à Deo eximuntur.

VI. Imo tantum abest, ut Deus insontes puniat propter sontes, ut potius sontibus propter insontes parcat. Ita si in quinque illis civitatibus, Sodomâ, Gomorrhâ, &c. decem tantum fuissent justi, Deus totis illis civitatibus parciturus fuisset, *Genes.* XVIII. 32. Vide & 1 *Reg.* XI. 12, 13. 2 *Reg.* III 14. *Rom.* XI. 28. Quod si tamen Deus impios delere decreverit, nonnunquam pios iis intermixtos excidio illo eximit: vel maturè monendo, ut ex gente scelerata exeant, *Jerem.* LI. 6. *Apoc.* XVIII. 4. Vel ostendendo medium quo serventur, ut Noacho, *Genes.* VI. Vel per Angelos suos illos eripiendo, ut Lothum, *Genes.* XIX. Vel largiendo gratiam in oculis hostium, ut Jeremiæ coram Babyloniis, *Jerem.* XXXIX. 11, 12, 13. XL. 4, 5. & Ebedmelecho, *cap.* XXXIX. 17, 18. Vel etiam pios maturè ex hac vita eripiendo, antequam excidium immittat, ut ita placidè obdormiant, neque communem populi calamitatem videant. Ita *Esa.* LVII. 1, 2. dicitur quod *justus colligatur à facie malitiæ*; id est, antequam dies malitiæ, id est, pœnæ divinæ advenerint. Exemplum vide in Jeroboami filio, 1 *Reg.* XIV. 12, 13. & in rege Josia, 2 *Chron.* XXXIV. 27, 28.

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ
LIBER TERTIUS, DE REDEMTIONE.

CAPUT I.

De Redemtione, ejusque occasione miseriâ hominis.

Opus Redemtionis. I. PRovidentiæ divinæ subjungimus opus Redemtionis; non quod ea opus sit a Providentia distinctum; est enim certus quidam Providentiæ divinæ modus, juxta quem Deo placet ultimis hisce temporibus mundum administrare: sed quia Religionem Christianam sumus traditùri, necesse etiam est singularissimum illud Providentiæ divinæ opus, cui tota Religio Christiana innititur, exactius enarrare. Providentia quippe divina, in genere considerata, unà cum creatione Deo jus ac potestatem confert cultum qualem vult à nobis exigendi: Redemtio autem in specie considerata potissimum illam cultus rationem, quam nunc per Christum Dominum nostrum illi præstamus, à nobis exigendi potestatem confert.

Fundamentum est religionis Christianæ. II. Deus siquidem specialem cultus rationem ab hominibus exacturus, licet Creatio & Providentia amplum satis ac indubitatum illi jus conferrent, novo beneficio homines sibi obstringere voluit; tum ut de legis suæ (sequente?) persuasos, tum etiam ad cultus sui præstationem alacriores ac promtiores haberet. Israëlitis legem daturus, novo beneficii genere, miraculosa nim. ex durissima servitute Ægyptiaca liberatione, sibi eos obstrinxit: unde & Deus liberationem illam legi suæ tanquam fundamentum præstruxit, *Exod.* XX. 1, 2. populusque ille propterea vocatur *acquisitus*, seu Dei peculium, *Exod* XIX. 5. *Deut.* XIV. 2. XXVI. 18. id est, quem Deus ingenti hoc beneficio sibi in peculium adsciverat, & ad sui cultum speciatim obstrinxerat. Ita & nunc hominibus novam legem daturus, novo ac antea inaudito beneficii genere eos sibi obstringere voluit, redimendo eos è perditione ac morte. Sic 1 *Pet.* II. 9. vocantur Christiani λαὸς εἰς περιποίησιν. & *Tit.* II. 14. λαὸς περιούσιος.

Ejus definitio. III. Est autem Redemtio opus gratiæ divinæ, quo Deus hominum, ob peccata iræ suæ ac morti obnoxiorum, misertus est, mittendo Filium suum Jesum Christum Redemtorem, qui per mortem ac sanguinem eos Patri suo reconciliet, verbo suo tanquam sceptro spirituali regat, & obedientes virtute suâ omnipotente in æternam vitam ac cœleste gaudium introducat. *Joan.* III. 16. 2 *Cor.* V. 17, 18, 19, 20, 21. *Eph.* II. 3, 4, 5, 6, 7. *Tit.* III. 3, 4, 5. 1 *Joan.* V. 9, 10.

Illius præstantia. IV. Operis hujus præstantia exinde apparet, quod Deus illud prædestinaverit ante tempora secularia, *Eph.* I. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, id est, eligere decrevit. 2 *Tim.* I. 9. *Gratia data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* 1 *Pet.* I. 20. *Christus* dicitur *præcognitus ante mundi constitutionem.* Quodque illud non tantum variis temporibus, primò obscurius, dein clarius prædixerit, sed & tota Dei œconomia sub Veteri Fœdere illud adumbraverit. Redemtoris adventum Deus non tantum prædixit, sed & omnes adventus illius circumstantias, tempus, parentes, locum nativitatis, quin & muneris ipsius rationem, quo tota Redemtio absolvitur. Ipsum Redemtorem adumbravit variis ac divinissimis typis; redemtionem variis ac potentibus liberationibus; ita ut tota natura jam à condito mundo quasi parturiverit hoc insignissimum opus. Perinde uti pictores egregium aliquod opus, in quo artis suæ excellentiam ostendere cupiunt, perfecturi, primò illud rudi penicillo delineare solent, deinde sensim perficere; in ipsa autem delineatione opus ipsum tanquam perfectissimam ideam semper sibi ante oculos habere, ne ab eo unquam recedant: Ita & Deus opus hoc perfectissimum effecturus, primò illud variis typis ac figuris adumbrare voluit, in quibus illius operis idea aliquatenus reluceret: & in figuris illis opus hoc, tanquam perfectissimum instar, semper sibi habuit propositum; ne typi ac figuræ ab eo abluderent, sed illud magis magisque repræsentarent; donec tandem in plenitudine temporum in lucem esset productum. Unde tempora hæc vocantur πλήρωμα τοῦ

χρόνε

χρόνου *Galat.* IV. 4. & πλήρωμα τῶν καιρῶν, *Eph.* I. 10. quod non tam denotat *plenitudinem*, quàm *impletionem temporum*, hoc est, tempus, in quo omnes prophetiæ, omnes typi, figuræ ac umbræ Veteris Testamenti impletæ sunt, ipsumque redemtionis opus, quod illis præfigurabatur, jam perfectum ac manifestatum.

Quatuor in eo consideranda.

V. Ut autem opus Redemtionis distinctè pertractemus, quatuor in illo consideranda sunt. 1. Illius occasio. 2. Causa impulsiva. 3. Instrumentum, seu Redemtor, cujus interventu Deus redemtionem peregit. 4. Opus redemtionis ipsum.

1. Occasio: miseria generis humani.

VI. Occasio fuit, summa totius humani generis miseria. De hac quatuor rursus tractabimus. 1. Qualis. 2 Quanta ea fuerit. 3. Ejus originem, seu unde orta fuerit: ac tandem. 4. Quod nullis aliis medüs, quæ Deus antea adhibuit, sed solo hoc opere, inde homines liberari potuerint: unde tum redemtionis necessitas apparebit.

Hac duplex est, peccatum, seu peccati servitus.

VII. Miseria duplex fuit, Peccatum, & Mors. Prius fuit peccatum, seu servitus peccati, consistens in habitu seu consuetudine peccandi, hoc est, unius aut plurium peccatorum crebra, aut saltem quando se occasio offert, ordinaria patratione: peccato enim servire, proprie est peccati, tanquam domini, imperium in nos exercentis, jussibus obsequi. *Rom.* VI. 16. *Nescitis quoniam cui vos exhibetis servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?* Unde & in talibus *peccatum habitare* dicitur, adeo ut *homo jam non operetur, sed quod in ipso habitat peccatum*, *Rom.* VII. 17.

Quam gravis ea fit.

VIII. Quàm gravis hæc miseria sit, illud nobis abundè documento est, quod Scriptura inter impossibilia, id est maximè difficilia ponat, inveteratam peccati consuetudinem, abjicere, *Jerem.* XIII. 23. *Si mutare potest Æthyops pellem suam, aut pardus maculas suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum:* id est, cum assueti sitis malo. Consuetudo quippe summam actioni voluptatem conciliat, indeque maxima ad eam iterandam oritur propensio. Solent quippe jucunda maximè, imo sola nos ad sui amorem trahere. Quia autem consuetudo sensim similitudinem inter actionem & appetitum nostrum inducit, inde est, quod & rebus quibus assuescimus jucunditatem conciliat; similia enim similibus gaudent. Hinc est, quòd quæ nobis antea ingrata atque molesta fuerunt, sensim allubescere incipiant, ac tandem consuetudine jam inveteratâ summoperè placeant: quoniam appetitus noster crebrâ actionis iterationе sensim inclinatur, illique assimilatur. Videmus id in naturalibus, nullam cum moribus affinitatem habentibus. Cibus antea nobis ingratus, imo fastidium excitans, sensim crebro esu palato nostro suavissimè sapiet: non quia in cibo, aut illius sapore aliqua exoritur mutatio; sed quia per crebram cibi assumtionem organa gustus sensim immutantur, adeo ut particulæ, ex quibus cibus constat, antea cum meatibus in organo gustus nullam habentes proportionem, sensim illos meatus ita immutent, ut particulis cibi accommodentur, quæ similitudo gratum cibo conciliat saporem. Imo crebo usu ita sensim veneno assuescere possumus, ut nobis amplius noxium non sit; uti de Mithridate refert A. Gellius lib. XVII. cap. 16. Perinde uti in naturalibus, ita & in moralibus appetitus & concupiscentiæ nostræ sensim inclinantur, & rebus, quibus assuescimus, accommodantur. Inde est quod consuetudo altera vocetur natura, imo naturâ fortior sit: quoniam per consuetudinem principia operationum, quæ à natura sunt, immutantur, aliaque operandi principia in naturam inducuntur, quæ operandi facilitatem, quæ à natura est, exstinguunt, aliamque introducunt. Hinc videre est, quantas consuetudo in peccatore habeat vires; tantas quidem, ut in homine dominetur, adeo, ut *bonum quod vult non faciat*, & contra *malum faciat quod non vult*, *Rom.* VII. 18. id est, tam efficaciter eum pertrahat ad peccatum, ut, licet illud improbet, ac propterea facere nollet, non tamen sufficientes in se experiatur vires ad voluptatis, quam ex peccati actu percipit, illecebris resistendum: & licet bonum approbet, ac facere vellet, tamen sese impotentem deprehendat ad id cum abnegatione cupiditatum, sibi per diuturnam consuetudinem summoperè gratarum, opere ipso præstandum. Unde & peccatum vocatur vetus homo, non aliter ac si altera in nobis esset natura, & peccata inveterata, *membra nostra quæ in terris sunt*, *Colos.* III. 5.

Quid produxerit.

IX. Ex hac peccati servitute orta est cœcitas in intellectu, seu potius cœcum præjudicium, quo tanquam fascinati ita deperimus ea, quæ diu sæpe approbavimus, ut nullo modo persuadere nobis possimus, mala esse posse, quæ toties à nobis probata sunt: inde *Eph.* IV. 18. gentes dicuntur *tenebris obscuratum habere intellectum, alienatæ à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsarum.* Et 1 *Cor.* II. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim sunt illi; & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur.* Hæc cœcitas rursus produxit continuum in peccatum lapsum quacunque oblatâ occasione, tantumque in voluntate amorem, ut illi, quod nobis huc usque voluptati fuit, ita tenaciter adhæreamus, ut non nisi maximo cum dolore inde avellamur. Quod videre est *Rom.* I. passim: *Eph.* II. 2, 3. *In quibus & nos omnes ali-*

aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Tit. III. 3. *Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis,* &c.

Et mors. X. Malum hoc peccati excepit alterum, mors nim: seu moriendi necessitas, absque ulla è morte liberationis spe: quæ & vocatur condemnatio, exitium, & ira Dei. *Rom.* VI. 23. *Stipendium peccati mors. Eph.* II. 1. dicimur *mortui in peccatis*, hoc est, propter peccata mortis rei. *Rom.* III. 19. *Totus mundus obnoxius est condemnationi Dei*: & *vers.* 23. *Omnes peccarunt & destituuntur gloria Dei. Rom.* I. 18. *ira Dei* dicitur *revelata super omnem impietatem.* Ipsique peccatores dicuntur *inimici Dei*, *Rom.* V. 10. & *inimici sensu in operibus malis*, *Coloss.* I. 21. Mors autem hæc non denotat separationem solam animæ à corpore, ex qua pii postea in vitam felicem sunt resurrecturi: illa enim non tam est peccati pœna, quàm necessarium aliquod naturæ nostræ consequens, in nos ab Adamo, primo parente nostro mortis pœnâ ob peccatum punito, derivatum: necetiam annihilationem corporis & animæ; sed dissolutionem compositi, seu separationem animæ à corpore æternum duraturam, cum æterna separatione à gloria Dei: quæ quam maximè gravis miseria est: licet enim non videatur miseria, non in æternum vivere, tamen ab æternitate, cujus aliàs particeps fuisses, excludi propter peccatum, gravis miseria est, illi præsertim, qui vitæ dulcedinem expertus est, ac proinde immortalitatem non potest non desiderare. Quibus si addamus pœnam, quam Deus in Novo Testamento peccatoribus impœnitentibus statuit, conjectionem nim: in ignem æternum præparatum diabolo & angelis ejus, *Matth.* XXV. 41. miseriam hanc summam ac gravissimam esse certum est.

Est universalis. XI. Secundo. Quod quantitatem miseriæ hujus attinet, Scriptura eam dicit esse universalem, & ad omnes homines pervasisse, *Eph.* II. 1. & *seqq. Tit.* II. 11. & III. 1, 2, 3. præsertim ad *Rom.* I. II. III. ubi Apostolus totius generis humani distributione factâ in Judæos & Græcos, omnes peccati, ac proinde condemnationis coram Deo reos agit. Non tamen credendum omnes æqualiter sub peccati servitute fuisse, & male agendi consuetudinem virtutis exercitium omnibus æquè difficile reddidisse. Quidam ratione penitus exstinctâ totos sese cupiditatibus carnalibus tradiderunt, quos in reprobam mentem traditos Scriptura ait. Alii vitiis quidem fuere mancipati, ita tamen, ut à gravioribus criminibus, etiam à meliore gentilitate damnatis, abstinuerint. Omnes tamen vel uni vel pluribus peccatis ita addicti, ut vel crebrâ, vel aliquoties iteratâ ejus patratione, mortis sese reos coram Deo constituerint; atque ita Apostolus jure dicere queat, *totum mundum obnoxium esse condemnationi coram Deo*, *Rom.* III. 19. & Salomon, *non esse hominem qui non peccet*, 1 *Reg.* VIII. 46. & Joannes, *nos omnes peccatum habere*, 1 *Epist.* I. 8, 10.

XII. Neque huic obstat, quod de quibusdam legatur, quod inculpatè vixerint, Deumque quæsiverint totâ animâ suâ; ut de Davide, Asâ, Josiâ, 1 *Reg.* XI. 34. XIV. 8. XV. 5, 14. 2 *Paralip.* XV. 12. 2 *Reg.* XXII. 2. XXIII. 25. aliisque. Quod Deum timuerint, etiam ante conversionem suam, ut Cornelius, *Act.* X. 2. Lydia, *Act.* XVI. 14. Præterquam enim quod illi paucissimi fuere, ac proinde in computum venire nequeunt; nihil aliud in illis designatur, quam sincerum sanctitatis studium, ipsosque à profana vita toto animo alienos fuisse, non autem planè à culpa immunes: quia singulis defectus & peccata quædam tribuuntur: Davidi adulterium & cædes Uriæ; Asæ quod Prophetam Hanani in carcerem miserit; Josiæ, quod ad Dominum reversus fuerit, à quo proinde prius aversus fuerit oportet, 1 *Reg.* XV. 5. 2 *Paral.* XVI. 10. & XXXV. 2. Cornelio attribuitur carentia eorum, quæ ad salutem necessaria erant; quoniam ad illum Petrus mittitur, ut ipsi annuntiet quæ oporteat ipsum facere, ut salvus fiat; quibus etiam inclusum esse, ut se à peccatis, quæ commiserat, converteret, rectè colligitur ex *Actor.* XI. 18. ubi legitur, quando Petrus Ecclesiæ Hierosolymitanæ narrasset, quomodo visione divinâ ad Cornelium esset missus, Deusque ipsis baptizatis Spiritum Sanctum misisset, fideles *Deum glorificasse, dicentes, ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Idem etiam de Lydia dicendum est. Verum quidem est, tales non posse vocari propriè impios, cum Scriptura eos Dei timentes nominat, & Deo gratos; sed nec à peccato immunes, aut verâ sanctitate, quæ nullâ indigebat resipiscentiâ, præditi fuisse dici possunt. Timor ergo Dei, qui illis attribuitur, is solummodò est intelligendus, qui per gratiam generaliorem in illis produci poterat, & per quem Deo placebant pro ratione status in quo erant; cui tamen, ut vidimus, necessaria ad salutem deërant. *Ab ea non sunt immunes, qui dicuntur pie vixisse.*

XIII. Quod Christianorum liberos attinet, qui jam à teneris in religione Christiana instituuntur; licet de iis idem, quod de gentilium liberis, affirmare non licet, quod quorumvis gravium peccatorum ac scelerum consuetudine ducantur; attamen fatendum, eos in eadem cum gentilium liberis conditione futuros fuisse, nisi Deus parentes ipsorum luce Euangelii collustrasset; ac proinde, quod meliore conditione nascantur & educentur, gratiæ divinæ in solidum adscribendum esse. Sed nec ab omni peccato immunes educantur: verùm vel unius vel plurium *Nec à Christianis parentibus nati*

rium consuetudine, antequam rectæ rationis & verbi divini auxilio sese regere possunt, facile imbuuntur: quod cuivis, communem Christianorum vitam inspicienti, notissimum est.

De morientibus in ætate infantili. XIV. Infantium in ætate infantili morientium alia est ratio; nullius enim peccati propriè dicti rei sunt. Morte tamen, quam à primo parente Adamo hæreditariam trahunt, detinentur; è qua non nisi per Christum redemtorem liberari possunt, sine cujus interventu æternum in morte ut maneant necessum foret. Ut ita constet, omnium hominum miseriam esse communem, omnesque, nemine excepto, indigere Redemtore.

CAPUT II.

De primorum parentum peccato, illiusque pœna.

Origo hujus miseriæ. I. Fons seu origo hujus duplicis miseriæ, est propria uniuscujusque hominis culpa, seu liberrima ejus voluntas, qua sese sponte ac volens in miseriam hanc præcipitavit. Quod ut evidentius appareat, quomodo primò peccatum in mundum ingressum, & postea in omnes homines propagatum sit, considerabimus.

Præceptum primis hominibus datum. II. Deus homini creato præscripsit legem, positivam sc. de non comedendo fructu ex arbore scientiæ boni & mali. Quæ ratio Deum moverit, ut hujus arboris esu hominem interdiceret, Scriptura nusquam declarat. Verisimile est Deum experimentum capere voluisse obedientiæ Adami. Per legem naturalem id fieri non poterat; quia nulla eam transgrediendi erat occasio: unde, ut antea vidimus, illa in primæva hominis integritate, non tam erat lex officium præscribens, quàm instinctus naturalis & stimulus, hominem excitans & impellens ad ea agendum quæ illi consentanea erant. Aliâ ergo lege opus fuit, ut obedientiæ Adami experimentum Deus haberet. Vetuit nempe esum fructus alicujus, palato & oculis grati; ut ita, fructus pulchritudine allectus, haberet quo, appetitum suum frænando, obedientiam suam Deo probaret.

Illius æquitas. III. Præcepti hujus æquitas inde elucet, quod omnium aliarum arborum esum homini indulsit Deus, hac unicâ exceptâ. *Gen.* II. 16, 17. ut nullo modo invidiæ accusari potuerit Deus, uti Satan eum accusavit, quod, cujusvis arboris esu concesso; unicam tantum exceperit: neque quicquam felicitati hominis decesserit, qui, unius arboris esu prohibitus, liberrimo omnium aliarum toto paradiso consitarum usu gaudebat.

Comminatio mortis imposita. IV. Ne vero homo præceptum illud transgrederetur, addidit Deus comminationem mortis: *quocunque die comederis ex eo morte morieris*, *Genes.* II. 17. Quæritur, quis hujus comminationis sensus sit, & quid Deus voce *mortis* comprehenderit? Quidam Theologi considerantes, quod *mors* triplici significatu alibi in Scriptura accipiatur, quod designet vel mortem naturalem, sive animæ à corpore separationem; vel mortem spiritualem, quam illi collocant in totali impotentia ad quodvis bonum, qualis in mortuis est ad vitæ opera exercendum; vel mortem æternam, quæ consistit in conjectione animæ ac corporis in ignem æternum: hæc omnia voce *mortis* hîc comprehensa volunt. Verùm ne ea, quæ de triplici mortis significatu ajunt, nunc examinemus, quod in sequentibus fiet, dicimus nos solam animæ à corpore separationem, seu mortem necessariam, & ad quam homo variis miseriis esset perventurus, hîc designari; adeo ut homo, ex statu immortalitatis dejectus, necessariæ morti obnoxius foret. Nec phrasis illa, *morte seu moriendo mori*, unquam denotat mortem spiritualem aut cruciatus æternos, sed semper certo mori. Ita *Genes.* XXVI. 11. Abimelech præcipit; *qui tetigerit hominis hujus* (Isaaci) *uxorem, morte morietur*: & Saul I *Sam.* XIV. 44. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha.* Non enim Saul nec Abimelech potestatem habebant infligendi mortem spiritualem, aut cruciatus æternos. Vide similiter *Exod.* XXI. 12, 15, 16, 17. *Levit.* XX. 2, 9. 10, 11, 13, 15. ubi Deus præcipit, ut legis suæ transgressores *morte moriantur*, id est, uti ex textu liquet, à Magistratu morte puniantur. Idem docet explicatio sententiæ à Deo factâ post hominis transgressionem; denuntians enim homini pœnam comminatione hac comprehensam dicit, *pulvis es & in pulverem reverteris*, *Gen.* III. 19. nullâ mentione factâ mortis spiritualis aut cruciatuum infernalium; sed variarum miseriarum ac molestiarum, quibus sensim homo ad mortem certam perventurus esset.

Non autem promisso vitæ æternæ. V. Quæritur, an Deus præceptum hoc etiam sanciverit promisso vitæ æternæ ac cœlestis? Resp. Credimus nos Adamum, si non peccasset, non moriturum fuisse; mors enim peccati pœna est, & per peccatum mors intravit in mundum, *Rom.* V. 12. Imo credibile nobis est, Deum, exploratâ satis Adami obedientiâ, ipsum in cœlestem vitam nullâ intercedente morte translaturum fuisse; nullum autem illius homini fecisse promissum, sed beneficium hoc conferre voluisse ex mera gratia. Nullum enim in Scripturâ vitæ æternæ ac cœlestis exstat promissum, homini, si in integritate perstaret, factum: solius comminationis divinæ mentio fit. Dices. Sub comminatione mortis, si homo transgrederetur, tacitè comprehensa fuit promissio vitæ æternæ ac cœlestis, si homo in integritate persisteret. Resp. Nullo modo id

 sequi:

sequi: sequitur quidem, hominem non moriturum fuisse; non autem Deum sese aliquo promisso homini obstrinxisse, eum nunquam moriturum; multò minus, eum in cœleste gaudium transferendum. Dices: Etsi nulla in Scripturis mentio fiat promissi vitæ æternæ, exinde non sequitur nullum à Deo factum promissum. Sic nec Scriptura quicquam habet de prohibitione mendacii, perjurii, &c. nec de comminatione mortis æternæ tam Adamo quàm posteris ejus facta. Resp. Nos exinde concludere nolle, nullum à Deo vitæ æternæ factum promissum; sed nobis nihil de eo constare, ac proinde certò illud affirmari non posse. 2. Non constat interdictum mendacii & perjurii primo homini esse factum: nec erat necessarium; ratio sola sufficiebat, quæ hominem in statu integritatis in officio continebat. Quod porro de comminatione mortis æternæ Adamo & posteris ejus facta addunt, notatu dignum est: si enim illius comminationis nulla mentio fit in Scriptura; ergo quicquid de ea docetur commentum solummodò humanum est.

Responsio ad objectionem primam. VI Sed objiciunt quidam, quod Christus sit mortuus, ut recuperemus quod in Adamo amisimus: quia itaque per Christum acquirimus vitam æternam, eam in Adamo amisimus. Resp. Nusquam dicitur, Christum eum solummodò in finem venisse, ut quod in Adamo amisimus recuperemus: excellentiora multo Scriptura de Christo dicit; nempe eum venisse, ut nos liberaret à propriis peccatis eorumque pœnis, & participes redderet vitæ æternæ. Cùm autem eam Adamo promissam fuisse non constet, nec nos eam in Adamo amisisse dici possumus. Tum, uti vidimus, potuit illam Deus Adamo, si non peccasset, omnibusque posteris in integritate persistentibus, destinasse, licet eam expressè non promiserit. Quin & licet omnia per Christum acquiramus, quæ in Adamo amisimus, etiam multò majora atque illis præstantiora per Christum nobis Deus largiri potest.

Secundam. VII. Secundò. Dicunt: Arbor vitæ fuit sacramentum vitæ æternæ promissionem obsignans. Resp. Unde id constat?. Habuit hæc arbor vim homines in vita sustentandi, ideoque arbor vitæ appellata est. Dici etiam potest quod fuerit figura vitæ æternæ, atque ideo in Novo Testamento vitam æternam figuratè significari per arborem vitæ, perinde uti Adamus fuit figura Christi, & paradisus cœli: nusquam verò legitur, quod promissionis vitæ æternæ fuerit sacramentum.

Tertiam. VIII. Tertiò. Dicunt; Deus in Enocho & Elia exemplum dedit, quid Adamo eventurum fuisset, si non peccasset. Resp. Me ultro id concedere; sed exinde nullum liquet vitæ æternæ promissum. 1. Adamo ignotum erat quid hisce, post obitum suum demum victuris, eventurum esset. 2. Nullum his exemplis additum est promissum. Fateor illius temporis homines exinde argumentum potuisse capere benignitatis divinæ, eumque pietatis esse remuneratorem; exindeque spem concipere & sibi, si Deum ritè colant, etiam felicitatem aliquam à Deo exspectandam: nullum autem vitæ æternæ promissum inde exstruere. Idque eò magis, quia incertum est, qualis illorum sit status: Scriptura verbis admodum generalibus loquitur: de Enocho quidem *Genes.* v. 24. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* & *Hebr.* XI. 5, *Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* De Elia 2 *Reg.* II. 11. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Unde multi Theologi credunt, eos à Deo in statum quidem felicem translatos, non autem in cœlum illud supremum introductos: quia illud sit privilegium Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi, quod primus corpore & anima in illud sit receptus.

IX. Quartò. Tandem ex promissis vitæ æternæ, legis impletioni in Sacris Scripturis tam sæpe additis, id prorsus constare ajunt. *Quartam.* *Matth.* XIX. 16, 17. *Levit.* XVIII. 5. *Ezech.* XX, 11. *Galat.* III. 12. Unde & *præceptum ad vitam* esse dicitur, *Rom.* VII. 10. Quod ante lapsum potissimum locum habuerit, cùm homo positus esset sub Lege. Resp. Multa in hoc argumento supponi, quæ falsa, aut saltem incerta sunt. 1. Deum cum homine primo fœdus erexisse, in quo homini præscripsit legem operum, quæ requirebat omnium præceptorum moralium observationem, omnemque perfectionem, cùm naturæ humanæ, tum actionum, eamque & partium, & graduum, & perseverantiæ; qualem postea Deus revelavit: cùm nos antea, non nisi positivam legem, de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, ei datam esse ostenderimus; & in illius solâ transgressione etiam peccatum illius consistere manifestum sit. Lex naturalis illi stimulus fuit ac instinctus naturalis faciendi ea, quæ illi consentanea sunt. Nullius alterius legis Scriptura mentionem facit. 2. Deum legi illi addidisse promissum vitæ æternæ: quod etiam nusquam in Scriptura reperitur. Neque ex vitæ æternæ promissis postea à Deo, obscurè primò & sub typo vitæ hujus Legi, clarè verò Euangelio annexis, nullo modo concludi potest, primo homini in paradiso hanc promissionem esse factam.

X. Dices. At cùm Deus fœdus faceret cum homine, dicere illi debuit, *Ero Deus tuus*, quod promissionem vitæ æternæ in se continet, *Matth.* XXII. 32. Resp. Rursus hìc supponitur Deum cum homine fœdus aliquod externum erexisse, idque gratis & ex- *Ad instantiam.*

tra

tra Scripturam. Concedimus quidem gratiosum Dei propositum in se ipso, Adamo vitam æternam si in integritate persisteret, conferendi: id si quis tacitum Dei fœdus appellare velit, non repugnamus. Non tamen exinde fœdus aliquod apertum vitæ æternæ promissione sancitum exstrui potest. Legem homini præscripsit, mortis comminatione sancitam. 2. Ex loco *Matth.* XXII. 32. aliud non liquet, nisi, quando Deus etiam post mortem hominis se illius Deum esse pronuntiat, hominem illum ex morte excitandum: non autem quando viventi dicit, ero, aut sum Deus tuus, quod promissio illa necessariò vitam æternam includat.

Per seductionem Satanæ homo peccavit.

XI. Legem autem hanc homo transgressus est, seductus à Satana. Legitur quidem serpens seduxisse Evam; sed Satanam sub serpentis corpore latuisse, eique seductionem hanc adscribendam, liquet ex *Apoc.* XII. 7. & 9. ubi vocatur *draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit universum orbem*: procul dubio allusione factâ ad hanc historiam. Unde & *Joan.* VIII. 44. dicitur *homicida ab initio, & in veritate non stetisse*; quia mendacio homines seduxit, & hac suâ seductione mortem introduxit in mundum. Seductio autem Satanæ hæc fuit; *Nequaquam morte moriemini: Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dei, scientes bonum & malum*, *Genes.* III. 4, 5. Huic seductioni accessit, quod fructus arboris vetitæ *bonus esset ad vescendum, pulcher oculis, & adspectu delectabilis, vers.* 6. Unde factum ut Eva, pulchritudine fructus allecta, diabolo crediderit, contra expressum mandatum divinum. Eâdem seductione, quâ etiam nos hodie seducimur, Deo comminanti, si peccetis, moriemini, fidem non habentes; sed inani nos imaginatione decipientes, etiam si peccemus, nos non morituros.

Diabolus fuit invidia stimulatus.

XII. Quæ causa diabolum instigaverit, ut homines seduceret, Scriptura non exprimit: credibile est eum, invidiâ stimulatum, hominem in idem perditionis barathrum secum præcipitare voluisse. Unde auctor *lib. Sapient.* II. 24. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Homo appetitu bonum quo carebat consequendi.

XIII. Causa verò quòd homo tam facilem seductioni diaboli aurem præbuerit, fuisse videtur naturalis hominis appetitus ad boni, quo caret, possessionem consequendam. Bono enim quo fruitur homo facile satiatur, alteriusque boni adipiscendi oblatâ spe appetitus illius accenditur, ut facile illius acquisitioni alia posthabeat. Deus, uti vidimus, solâ mortis comminatione interdictum suum sanciverat: Diabolus verò novi boni, cognitionis vid. boni ac mali, spe hominem ad peccandum invitat. Illa boni delectabilis idea, accedente fructus vetiti pulchritudine, blandâ sui specie ita appetitum hominis ad se pellexit, ut excussâ interdicti divini reverentiâ, cupiditati suæ frænum laxaverit, & præceptum divinum fuerit transgressus.

Quomodo Adam seductus.

XIV. Peccavit itaque Eva, quoniam diabolo fidem habuit: Adam verò peccasse videtur, studio complacendi uxori suæ. Vel forte etiam, quia uxorem jam de fructu vetito comedisse videbat, & quod unam cum ipsa sortem subire voluerit; malens cum illa, quam unicè diligebat, mori, quam illâ mortuâ solus esse superstes: Unde dicitur *quod serpens* non Adamum, sed *Evam seduxerit astutiâ sua*, 2 *Cor.* XI. 3. imo 1 *Tim.* II. 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.*

Non videtur peccatum commissum ipso creationis die.

XV. Non videtur autem transgressio hæc facta esse primo die: quia omnia illa, quæ eam præcesserunt, uno die contingere potuisse credibile non est: ut quod Deus, omnibus creatis, hominem formaverit, postea homini immiserit somnum, & ex costa ejus mulierem produxerit: quodque, ut communis Theologorum fert opinio, omnia animantia ad Adamum adduxerit, ipseque singula nomine suo vocaverit. Neque videtur Eva recens creata tam procul ab Adami latere discessisse, ut diabolus ipsam solam nactus seducere potuerit. Tum & justitia illa originalis, quam tantoperè deprædicant, exiguarum admodum fuisset virium, si ne unius diei spatio hominesin integritate sua conservare potuerit. Et licet postea Scriptura dicat, Adamum uxorem suam cognovisse, quod primâ à conditione nocte contigisse non sine verisimilitudine colligunt; illud sententiam nostram nullo modo labefactat: unicuique enim in Scripturæ Sacræ lectione vel leviter versato notissimum est, ejusmodi ὕστερα πρότερα in historia sacra frequenter occurrere.

Libero fuit commissum primum peccatum.

XVI. Ex dictis liquet, primos homines liberè præceptum Dei transgressos esse, neque ullâ externâ impulsione determinatos, aut interna aliquâ determinatione, aliove quovis modo necessitatos. Non enim rationibus diaboli vis inerat irresistibilis homines pertrahendi ad peccatum: loquebatur enim contra expressum Dei verbum, *non moriemini*. Nec pulchritudo fructus, nec scientiæ desiderium præponderare debebat præcepto divino & comminationi mortis, ut propterea ab officio decederent; nec nisi homine liberè concupiscentiæ suæ frænum laxante præponderare poterat. Tum, quia peccatum hoc hominem felicitate suâ primævâ privavit, & necessariæ morti subjecit, etiam quàm maximè liberum esse debuit. Nihil enim magis liberum esse oportet & in potestate hominis situm, quàm id quo homo reus fit pœnæ. Inevitabilis enim culpa hominem pœnæ subjicere nequit, imo non

non nisi impropriè culpa vocari potest.

Libertatem hanc tollunt supralapsarii.

XVII. Hactenus quidem omnes nobis Theologos habemus adstipulantes, quod Adamus liberè peccaverit: verùm in assignanda libertatis hujus ratione adeo sunt diversi, ut dum verbis Adamo libertatem peccandi adscribere videntur, revera illum ea privent, meramque peccandi necessitatem introducant. Tales sunt, qui statuunt Deum ab æterno decrevisse erga quosdam ostendere suam misericordiam, erga alios justitiam; & ut finem illum obtinere possit, decrevisse ut primus homo in peccatum incideret; & in illo omnes homines. Verùm hac ratione peccandi necessitas Adamo per decretum divinum imponitur; ac per consequens Adam à peccandi culpa absolvitur, eaque in Deum tanquam hujus, & per consequens omnium inde profluentium peccatorum, causam conjicitur. Quod horrendum est, & à blasphemia excusari nequit. Dices: Peccatum illud necessarium fuisse, non qua peccatum, sed quà actum: atque ita à Deo determinatum esse. Resp. 1. Actus, ut antea vidimus, licet mente à peccato præscindi, non tamen actu separari potest. 2. Si fuit peccatum necessarium, ut esset occasio demonstrandæ misericordiæ & justitiæ divinæ, fuit necessarium non solummodò quà actus, sed quà peccatum: actus enim quà actus misericordiæ & justitiæ divinæ illustrandæ medium non est, sed quà peccatum.

Et, qui dicunt peccatum id fuisse necessarium respectu præscientia divina.

XVIII. Alii, ut incommodum hoc vitent, dicunt peccatum primi hominis in se spectatum fuisse quidem liberum, sed necessarium respectu præscientiæ divinæ: illam autem esse necessitatem consequentiæ, quæ cum libertate optimè consistere possit. Resp. Concedi illud posset, si doctores illi concederent, Deum futura contingentia, quæ verè contingentia sunt, hoc est, à libera hominis voluntate dependent, præscire posse: nunc cum id negent, Deumque ut ea præsciat decreto suo illa in alteram partem determinare doceant; non video quomodo, positâ præscientiâ divinâ, ullam primo homini peccandi libertatem relinquant. Licet enim hominis voluntas in se spectata libera ab ipsis dicatur; tamen quoniam decreto divino alligata est, & in unam partem determinata, jam libera dici nequit. Posito quippe decreto divino voluntas in sua libertate, ac si nullum esset Dei decretum, amplius considerari nequit; nec magis liberè dici potest peccare, quàm homo vinculis & catenis ferreis constrictus liber in carcere manere; eò quod in se spectatus absque vinculis potestatem habet ambulandi & ex carcere exeundi. Hæc itaque quam introducunt necessitas non est consequentiæ, quæ a conditione liberè ab homine electa dependet; sed consequentis, cui homo alterius determinatione involvitur, & à qua sese extricare nequit.

Tandem, qui dicunt Adamo datam gratiam ut posset stare si vellet, non vero ut vellet quod posset.

XIX. Alii dicunt, datam quidem Adamo gratiam ut stare posset, si vellet; non verò ut revera perstaret, seu ut vellet quod posset: quia hoc velle secuta esset perseverantia; sed quia non data erat ad perseverandum constantia, ideo tam facile lapsus est. Sed nec illi absurdum quod volunt vitare possunt. Nam primò; posita illa gratia, aut in potestate Adami erat adhuc in integritate subsistere, aut non. Si non: quomodo ergo data fuit gratia ut stare posset? Si verò in potestate ejus fuit non peccare, ergo potuit à peccando abstinere, licet ipsi data non fuerit ad perseverandum constantia: quod quam maximè absurdum judicant. 2. Alio modo: Gratia Adamo non concessa ut revera perstaret, aut necessaria fuit ad standum, aut non. Si non: potuit illa non concessâ tamen stare: quod absurdum credunt. Si fuit necessaria, ergo etiam necessaria fuit ut posset persistere. Nam quid est posse stare, & tamen carere eo quod necessarium est ad standum? Perinde est ac si dicam, aliquem posse vivere, sed destitutum esse medio ad vivendum necessario. Sublatâ ergo gratiâ ad standum necessariâ, etiam gratia, necessariò requisita ut posset stare, sublata est. Dices. Non est ablata illa gratia, sed non continuata. Resp. Nos ante ostendimus perinde esse, sive dicamus gratiam esse sublatam, sive non continuatam: tam enim non-continuatio, quàm ablatio gratiæ peccandi necessitatem introducit. Et quod magis confirmat, eos omnem Adamo in integritate persistendi libertatem adimere, unicamque peccati illius causam Deum facere, est, quod ejusmodi in Adamo statuant fuisse justitiam originariam, lumen in intellectu, rectitudinem in voluntate, ut majus pondus in Adami voluntatem contulerint ad standum quàm cadendum; sed lapsum ortum ex gratiæ ad standum necessariæ denegatione aut non-continuatione. Verum est, gratiam Adamo concessam non fuisse necessitantem; illâ enim datâ Adamus peccare non potuisset; sed tantam tamen, cujus ope potuisset stare & velle stare, & peccatum omittere.

Pœna peccati.

XX. Peccato commisso homo mox incidit in pœnam comminatione divina denuntiatam. Quod ut distinctius liqueat, peculiarem tam fœminæ quàm viri, & deinde utrique communem pœnam proponemus.

Mulieris.

XXI. Mulieris, quæ prius cum peccasset viro ad transgrediendum hortatrix fuit, pœna fuit duplex: Primò, partus cum dolore, *Genes.* III. 16. Licet enim muliebris corporis structuram considerantibus incomprehensibile sit, quomodo partus absque dolore contingere possit; tamen omnipotenti Deo quicquid vult efficiendi potentiam nunquam deesse absque ulla hæsitatione credendum est: & licet aliquo cum dolore mulier pari-

paritura fuisset; ob transgressionem tamen partus dolores admodum fuisse aggravatos statuendum est. Secundò: Subjectio sub potestate viri. Licet enim Deus jam viro principatum in uxorem destinaverat, ideoque ipsum primò creaverat; attamen & nunc dominium illud aggravatum est, viris etiam maximè morosis, imo stolidis, imperium in uxores etiam sapientissimas obtinentibus, & imperiosè exercentibus.

Viri. XXII. Viri pœna fuere varii labores & ærumnæ: terra propter ipsum fuit maledicta, spinas tribulosque protulit, cùm antea sponte omnia proferret: adeo ut homo in sudore vultus panem suum comedere necesse habuerit.

Utrique communis. XXIII. Utrique communis pœna fuit mors, seu moriendi necessitas, cui conjuncta fuit felicitatis primævæ privatio, amissio nim. integritatis in qua conditi fuerant, ejectio ex paradiso, & separatio ab arbore vitæ. Illa enim omnia historia sacra *Genes.* III. primis hominibus ob peccatum evenisse docet.

Adamus post peccatum magis fuit inclinatus ad peccandum. XXIV. Quæritur hîc, an Adamus per peccatum sibi contraxerit impotentiam ullum in posterum bonum operandi? Resp. Adamum amisisse quidem justitiam illam originalem (quam vocant) seu potius, excidisse ex statu innocentiæ & integritatis, in statum peccati: etiam Adami appetitum magis inclinasse in malum, quàm ante perpetratum peccatum. Quia enim præceptum Dei transgressus est, & primævam illam integritatem, in qua conditus erat, violavit, jam lex naturæ ei amplius non fuit stimulus, quo, infantium instar, impelleretur ad bonum; sed lex quæ officium dictabat ut lex, & appetitui jam in malum inclinanti frænum imponebat; contra quam proinde peccari poterat. Deinde, Adami appetitus, postquam semel peccavit, pronior redditus est ad concupiscendum illicita; perinde uti in omnibus, qui peccati dulcedinem semel gustaverunt, fieri solet: ea enim continuò ipsorum phantasiæ obversatur; & quia est voluptas homini admodum naturalis, hinc quò altius phantasiæ imprimitur, eò etiam fortius hominem movet ad peccandum, & singuli peccati actus novam peccato vim conferunt.

Non tamen contraxit impotentiam bonum faciendi. XXV. Non tamen contraxit Adamus impotentiam ullum in posterum bonum operandi: actus enim peccati non tollit potentiam in contrarium. Dices. Mors Adamo inflicta etiam comprehendit mortem spiritualem. Resp. Concedere nos aliquando in Scriptura Sacra voce *mortis* spiritualem designari mortem: ut *Matth.* VIII. 22. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Apoc.* III. 1. *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* 1 *Tim.* v. 6. *Quæ in deliciis est vidua, vivens mortua est.* Sed ante ostendimus phrasin *moriendo mori* nunquam hoc significatu accipi: quod etiam ex sententia in Adamum lata comprobavimus: *pulvis es & in pulverem reverteris*; nullâ spiritualis mortis mentione factâ. Sed etsi mors spiritualis hic etiam comprehendenda esset, illa non denotat omnimodam bonum operandi impotentiam; neque illa similitudo inter mortem naturalem & spiritualem per omnia adeo rigidè est exigenda, ut quicquid in morte naturali locum habet, etiam spirituali applicandum sit: sufficit analogum quid esse, cujus ratione denominatio mortis verè illi tribui possit. Hæc autem in eo consistit, quod sicut mortui nulla opera exercent, ita etiam spiritualiter mortui nulla bona ac spiritualia opera faciant: nullo habito respectu, utrum ea facere possint nec ne. Non autem includere impotentiam, liquet ex contraria phrasi, *mortuum esse peccato*, quam Apostolus *Rom.* VI. 11. regenitis tribuit; quam ex natura oppositorum, peccare non posse, denotare oporteret: quod tamen contrariæ sententiæ patroni non admittent, utpote qui regenitos non tantum peccare posse, sed & quotidie graviter peccare contendunt. Tum & peccatores *mortui* dicuntur *in peccatis*, quia propter peccata mortis sunt rei: ita *Coloss.* II. 13. morti in peccatis opponitur remissio peccatorum: quæ oppositio commoda non foret, si aliud quid quàm mortis reatus per mortem in peccatis intelligatur.

XXVI. Tum, si impotentia ullum in posterum bonum operandi fuerit in Adamo, ea alium quàm Deum auctorem habere non potuit; qui Adamum ob peccatum impotentiâ illâ punivit: Adamus autem sibi eam alio modo contraxisse dici nequit, quam meritoriè. Dicere enim Adamum & actu & meritoriè potentiam illam sibi ademisse, absurdum est: actu enim illa se privando, mereri non potest, ut ea spolietur; si vero peccato suo meritus est, ut Deus illum ea privet, actu eam non abjecit. Dices. Illud peccati meritum est, ut hominem à Dei communione amoveat, ipsiusque pacem & amicitiam rumpat. Homo autem extra Dei communionem positus, nullâque cœli luce collustratus, hoc ipso corruptissimus est; dumque Deus ipsum ne minimo quidem adspectu dignatur, ab eo velut neglectus, omnisque cœlestis opis exsors, nihil quoque boni præstare potest. Resp. 1. Supponitur Deum ita exarsisse erga hoc Adami peccatum, ut nullum misericordiæ, nullum veniæ locum reliquerit: cùm tamen ipsi illi Theologi fateantur, Deum eodem pene momento, quo Adamo pœnam denuntiabat, per promissionem seminis mulieris caput serpentis contrituri, ipsum in gratiam recepisse. Unde liquet, licet Deus peccatum illud Adamo imputare voluerit, ut propterea moreretur, & ex paradiso expulsus in sudore vultus panem *Illa habuisset Deum auctorem: Quod absurdum.*

nem suum comederet, omnesque ejus posteros, uti mox videbimus, eidem calamitati involverit; Deum non omnem suam cum ipso amicitiam abrupisse, quoniam non tantum mortem distulit, sed & novum cum ipso fœdus erexit. Inde colligimus 2. quoniam Deus ita gratiosè cum Adamo egit, non totalem bonum operandi impotentiam in Adamo fuisse. Imo nec homines sub ira Dei constitutos omni bonum operandi facultate destitutos credibile est. Licet enim nullum salutare bonum operari possint; non tamen naturalis operandi libertas in ipsis exstincta est.

Sed majorem difficultatem. XXVII. Fateor Adami appetitum post peccatum magis inclinasse in malum, quam in statu integritatis: non tamen exutus fuit potentiâ contrarium operandi. Potuit sensim peccandi habitum contrahere; præsertim si Deus nullam veniæ spem ipsi fecisset; desperatio enim veniæ ipsum planè à bono avertisset: sed & habitus, licet actum oppositum reddat difficiliorem, potentiam tamen contrarium operandi non exstinguit. Et quoniam Deus Adamo spem veniæ fecit, & obedientiam imposterum ab ipso exegit, patet etiam illum omni bonum operandi facultate privatum non fuisse. Certè si in Adamo adhuc imaginis illius Dei reliquiæ mansêrunt, quas excitare potuit, & contra quas peccans etiam magis inexcusabilis fieret, uti illi doctores fatentur; non omnimodam bonum operandi impotentiam in Adamo fuisse fateantur necesse est: alias ob non observatas imaginis illius reliquias magis inexcusabilis reddi non poterat: Non magis quàm visu orbatus, cui exiguæ quædam visus reliquiæ supersunt, inexcusabilis reddi potest, quod ea non viderit, quæ per visus sui exiguas reliquias videre neutiquam potest.

CAPUT III.

De primi peccati Adami effectis in posteris ipsius: ac primo de peccati Adami imputatione.

Effecta peccati Adami in posteris. I. ADamus, utpote generis humani radix, omnes posteros iisdem malis, quibus ipse obnoxius fuit, involvit. Non enim credendum Adami peccatum ipsi soli nocuisse: qui dicitur error fuisse Pelagii: sed & omnia mala, in quæ ob peccatum incidit, etiam ab ipso in posteros propagata sunt: exclusi quippe omnes sunt, non minus quàm Adamus & Eva, ex paradiso; fœminæ cum dolore liberos pariunt, & maritis suis subditæ sunt: viri in sudore vultus panem suum comedunt; omnibusque inevitabilis moriendi necessitas incumbit. Mors autem hæc non habet rationem pœnæ propriè dictæ in posteris: fieri enim nequit, ut insontes propter alterius peccatum puniantur; sed est naturalis tantum moriendi necessitas, ab Adamo mortis pœnâ punito in ipsos derivata. Non enim posteros respectu status sui naturalis se feliciores progignere potuit, sed nullos nisi iisdem secum malis obnoxios; perinde uti pater antea dives, sed ob crimen aliquod omnibus suis bonis mulctatus, necessariò pauperes progenerat liberos, cum, nisi peccasset, divites relicturus fuisset: non quia liberi peccatorum patris sui pœnam luunt: sed naturæ quadam lege; quia nemo bona, quibus ipse destitutus est, ad posteros hæreditariò transmittere potest.

Mors, in se æterna. II. Et mors hæc, perinde uti Adami, ex se est æterna, ex qua nullâ propriâ virtute, sed per solum Dominum Jesum Christum liberari possunt: per gratiam enim servari debent: gratia autem est donum ultroneum & impromeritum: & in nemine nisi in solo Christo Deus se gratiam illam facere velle testatus est.

Non cruciatus æterni. III. Quod attinet cruciatus æternos, in Euangelio impœnitentibus clarè denuntiatos, antea ostendimus, illos comminatione Adamo factâ non fuisse comprehensos. Sicut itaque Adamus primo illo peccato eorum reatum non incurrit: nec illum ad posteros transmisisse dici potest. Inde autem neutiquam concludimus; omnes impios absque Euangelii cognitione peccantes, in æterna morte, absque ulla ad supplicium resurrectione mansuros; sed solummodò, illam pœnam peccati Adami non esse effectum. Deus Adamum in gratiam recipiendo, & cum ipso ut humani generis stirpe fœdus gratiosum erigendo, omnes illius posteros eo comprehendit. Quicunque posterorum nova ac voluntaria transgressione fœdus illud violarunt, seipsos coram judicio divino pœnæ reos reddiderunt; atque ita propter peccata propria coram judice Deo sistentur, qui singulos pœnâ, delictis ipsorum proportionatâ, justissimè punituros est.

Impuritas quædam naturalis, quæ tamen non est peccatum propriè dictum. IV. Sed quæritur, an non sit aliud peccatum originis, quo omnes homines infecti nascuntur? Resp. Vox *peccati originis* nuspiam in Scriptura legitur: est etiam admodum incommoda: quod enim originaliter nobis inest peccatum propriè dici non potest: quia peccatum est voluntarium; nasci autem, ac proinde cum hac aut illa qualitate nasci, involuntarium. Si verò per peccatum originis intelligatur malum illud, quod jam explicuimus, lubentes id admittimus; sed addimus, impropriè illud vocari peccatum. Fatemur etiam infantes nasci minus puros quam Adamus fuit creatus, & cum quadam propensione ad peccandum: illam autem habent non tam ab Adamo, quàm à proximis parentibus: cum si ab Adamo esset, in omnibus hominibus debeat esse

esse æqualis: jam autem admodum est inæqualis; & ordinariè inclinant liberi in peccata parentum: tum pro ratione temperamenti, quod à proximis parentibus propagari certum est, etiam inclinatio hæc variat: sed nec inclinatio illa propriè est peccatum. Non illubentes concedimus appetitus nostros minus esse puros, quàm appetitum primorum parentum ante lapsum; io nobis etiam majorem esse inclinationem ad malum, quæ proinde levi quadam oblatâ occasione facilius exardescit; quin & quâcunque oblata occasione concupiscentia, in quam proni sumus, facillimè accenditur. Sed tamen quamdiu hæc concupiscentia est à natura, non autem vitiosa consuetudine à nobis contracta, peccatum propriè non est: sed naturalis solummodò appetitus habendi quod carni gratum, & aversandi quod carni ingratum est: qui, quamdiu voluntas illi non consentit, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis: imo sine eo virtus propriè locum non haberet, quæ potissimum in eo conspicitur, quod homo amore honestatis & reverentiâ præcepti divini abstineat à rebus aliàs sibi gratis, & ultro in se suscipiat aliàs sibi ingrata. Hic enim sese virtus in domanda carnis concupiscentia prodit: quæ nulla foret, si quæ ratio suadet etiam caro sponte appeteret. Tum appetitus ille etiam fuit in primis parentibus ante primum peccatum; dicitur enim fructus arboris vetitæ fuisse *desiderabilis ad vescendum, & adspectu delectabilis*: *Genes.* III. 6. Quo innuitur, ipsum pulchritudine suâ Evæ appetitum excitasse ad eum concupiscendum; absque eo enim primi parentes in peccatum induci non potuissent. Si autem fuit concupiscentia illa in primis parentibus ante lapsum, fieri nequit ut sit effectum lapsus.

Refutatio sententia Scholasticorum de peccato originis. V. Ita breviter sententiâ nostrâ explicatâ, restat ut aliorum sententias de peccato originis paucis expendamus. Variæ nempe de peccato originis sunt Doctorum sententiæ. Scholastici communiter illud definiunt, quod sit carentia justitiæ originalis (quæ ipsis est donum supernatuale & imago Dei, ad quam primus homo conditus est) debitæ inesse. Sed jam ante ostendimus, nullum ejusmodi supernaturale donum hominibus creatis à Deo fuisse superadditum, neque in eo propriè imaginem Dei fuisse positam; sed in dominio homini in omnes creaturas concesso, ad cujus exercitium etiam reliqua hominis dona requisita fuerunt. Tum, nec propriè parentes nostri creati fuere sancti, sed inocentes & integri. Justitia originalis quidem ipsis debuit inesse, quatenus tenebantur se conservare in eo statu in quo erant; sed posteri non fuere obligati ad supernaturale illud donum habendum, quod jam Adamus amiserat, & quo destitutos ipsos Deus ob primi hominis peccatum nasci voluit. Etiam nunc hominibus justitia debet inesse, ut vitæ æternæ hæredes sint: sed ea non est infantium obligatio, ut cum ea nascantur; sed adultorum, ut justitiæ operam dent, atque ita conditionem ab ipsis requisitam præstent. Infantibus sola innocentia sua sufficit, ut per sanguinem Christi à morte liberentur, & in vitam æternam introducantur.

Sententia Contraremonstrantium de peccato originis. VI. Alii dicunt, peccatum originis esse ipsum actuale Adami & Evæ peccatum posteris ipsorum imputatum: Alii hæreditariam omnium animæ facultatum corruptionem à primo Adami peccato ortam. Dicunt nempe Adamo, post commissum actuale peccatum, adhæsisse habituale, hoc est, voluntatis & affectuum corruptionem & totalem ad peccandum propensionem; eamque ab Adamo propagari in posteros, adeo ut omnes homines illa infecti nascantur, & inepti ad omne bonum, propensi ad omne malum, ad odium Dei & proximi. Et qui hanc sententiam tuentur, addunt se imputationem peccati Adami non negare, sed distinguunt inter antecedentem & consequentem imputationem. Antecedens ipsis est, quâ Deus peccatum Adami & Evæ posteris ipsorum imputat: & propter illam imputationem ipsos corruptione originariâ infectos nasci procurat. Consequens est, qua Deus Adami posteris, quia cum habituali illa corruptione nascuntur, primum Adami peccatum imputat, id est, punire vult eadem pœna, quam Adamus per primum peccatum sibi contraxit. Adeo ut imputatio hæc propriè nihil aliud videatur esse, quàm corruptionis originariæ pœna. Posteriorem hanc imputationem admittunt, priorem autem rejiciunt. Communis autem Contraremonstantium opinio tam imputationem peccati primi Adami (quam hi antecedentem vocant) quàm corruptionem originariam urget, & utramque conjungit.

Et de ejus pœna. VII. De peccati originis pœna etiam Doctorum sententiæ variant. Scholastici enim illud pœnam damni mereri urgent; alii, nempe Contraremonstrantes communiter, æternam pœnam sensus, adeo ut multi infantes in infantia sua decedentes propter unicum illud peccatum præcipitandi sint in infernum, & æternum cruciatibus infernalibus torquendi. Nos sententias illas accuratius paulò examinabimus, quia substernuntur tanquam fundamentum sententiæ de absoluta prædestinatione. Vide initium canonum Synodi Dordracenæ.

Imputatio peccati Adami refellitur. VIII. Quod itaque imputationem peccati Adami attinet, qua statuitur Deum primum Adami & Evæ peccatum omnibus ipsorum posteris ita imputasse, ut omnium peccatum sit, omnesque in Adamo peccaverint, & propterea mortis ac condemnationis æter-

æternæ rei facti sint, eam hisce quidem argumentis impugnamus.

1. *Quia Deus eam Adamo non est comminatus, &c.* IX. Primò. Nulla hujus imputationis mentio fit, nec in comminatione Adamo facta, nec in executione sententiæ. Ergo vanum est illam deducere velle ex aliis textibus, alia de materia agentibus: hic enim, si usquam, verus ac proprius de illa agendi erat locus. Verum quidem est, nos Spiritui Sancto nullas posse præscribere leges, quo ordine quove loco unumquodque fidei dogma revelaturus sit, & nobis sufficere debere, modo alibi clarè revelatum sit. Sed hoc solummodò in dogmatibus clarè & perspicuè traditis in Scriptura locum habet. Quando autem de dogmate quodam disputatio instituitur, quod nusquam clarè in Scriptura docetur, cujus probatio desumitur ex locis obscuris, alia de materia agentibus, nihilque cum dogmate illo affine tractantibus; jure hæc argumentatio adhibetur, neutiquam credibile esse Spiritum Sanctum verbis obscuris & alieno loco dogma hoc velle inculcare, cùm nullam ejus, ubi proprius de eo agendi erat locus, mentionem fecerit.

2. *Quia peccatum Adamo & Evæ remisit.* X. Secundò. Deus Adamo & Evæ, qui propriè & libera voluntate peccatum illud commiserunt, id remisit, uti omnes Theologi ex promissione divina de semine mulieris serpentis caput contrituro, *Genes.* III. 16. colligunt: Ergo illud non imputat illorum posteris, qui id non commiserunt. Foret enim summa crudelitas, peccatum nocenti, qui ipse illud commisit, remittere; & illius posteris, qui illius nec conscii fuerunt, nec esse potuerunt, illud imputare, ab iisque pœnam illius exigere. Dices: Crudelitas est, quando pœna excedit delictum: hoc autem delictum est omnium. Resp. Nequaquam. 1. Quia qui non est peccare non potest. Dices. Peccare non potest in se, sed quidem in alio. Resp. Nemo in alio peccare potest, nisi accedat aut imperium, aut consilium, aut assensus: hæc nisi adsint, nemo adultus in alio peccare potest. At nullum horum fieri potest ab eo qui nondum est, & post aliquot demum millia annorum est nasciturus. 2. Qui in propria persona peccare non potest, multò minus potest in aliena. II. Omne peccatum pœna dignum est voluntarium: hoc nequaquam: quia nobis imputatum jam est cùm nascimur. Sicut ergo nasci est involuntarium, ita etiam cum aliquo reatu aut labe nasci. Dices: Est voluntarium, quatenus in Adamo liberam illud non committendi facultatem habuimus. Resp. Quæ libera illa est facultas, cujus nos nullo modo conscii fuimus, & quæ ab uno Adamo est determinata antequam nos exstitimus? Sanè qui non est, libera aliquid faciendi aut omittendi facultate præditus dici nequit. Ne jam dicam, ne Adamum quidem, juxta horum doctorum sententiam, liberam non peccandi potestatem habuisse, sed à Deo ad peccandum fuisse determinatum. III. Contradictoria sunt, esse aliquod peccatum, & tamen nos cum eo nasci: peccata enim hæreditate propagari non possunt, sed sunt personales cujuscunque hominis actiones. Dices. Peccata sunt debita; debita autem à patribus propagantur in filios. Resp. Damnum, quod parentes sibi contraxerunt, etiam propagatur in filios, quatenus nascentes ex parentibus, qui ob crimen aliquod bonis suis sunt mulctati, etiam pauperes nascuntur, cum alias fuissent divites; non tamen parentum culpa filiorum est, aut filiis imputatur. Deinde; debita in liberos invitos non propagantur: possunt quippe liberi hæreditatem paternam repudiare, si debitis nimium sit onerata: adeo ut non nisi volentes debitis paternis premantur.

3. *Quia peccata parentum filiis non imputat.* XI. Tertiò. Deus expressè de se dicit, quod parentum peccata filiis non imputet, *Ezech.* XVIII. 2, 3. &c. postquam reprehendit Judæos, qui dicebant, *patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*; dixissetque ultra parabolam hanc non fore in proverbium in Israël: addit tandem *vers.* 20. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii; justitia justi super ipsum erit, & impietas impii erit super eum.* Similia vide *Jer.* XXXI. 29, 30. Quin & Deus expressè in lege sua vetat, ne *patres occidantur pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo moriatur*, *Deut.* XXIV. 16. Unde & laudatur Amasias Rex Judæ, quòd, cùm interfectores patris sui occidisset, eorum filiis juxta legem hanc pepercerit, 2 *Reg.* XIV. 6. Dices. Non est illud peccatum parentis nostri, sed nostrum, quod in illo commisimus. Resp. Nostrum dici non potest, nisi impropriè & per imputationem; quia nondum eramus: Atqui hoc illud est quod Deus à se removet, se nempe parentum peccatum imputare filiis. Dices. Non imputat filiis innocentibus. Resp. Nec nos sumus nocentes, nisi per imputationem; ergo si imputat nobis, imputat innocentibus. Dices. Deus tamen in secundo præcepto comminatur, se vindicaturum iniquitatem patrum in filiis in tertiam & quartam usque generationem. Resp. Vel agitur illic de filiis parentum suorum peccata imitantibus: atque ita jure parentum peccatum in filiis, illius per imitationem reis, vindicatur: Vel de filiis parentum peccata detestantibus, aut etiam insontibus: & sic visitatio illa non est pœna filiorum, sed parentum; gravis quippe pœna est ob peccata liberis ac nepotibus suis in summa senectute orbari; videreque filios ac nepotes vitæ hujus bonis, quin & vitâ ipsâ, quâ aliàs frui

frui potuissent, privari, ob parentis sui peccatum. Unde & mentio fit solummodo tertiæ & quartæ generationis, quam longævíores nonnunquam videre solent. Non tamen propterea filii innocentes ob parentum suorum peccata puniuntur, sed solummodò parentes. Morte quidem immaturâ ex hac vita abripiuntur: hæc verò est calamitas, quam Deus ipsis ut suis creaturis, pro absoluto quod in eos habet dominio, immittit, quamque Deus majore bono in futuro seculo compensaturus est, ut, sicut instrumenta justitiæ ipsius fuerunt, ita etiam gloriæ ejus consortes sint. Nihil hoc commune habet cum imputatione peccati Adami, quam urgent; quod non in tertiam & quartam, sed in omnem usque mundi finem generationem imputari ajunt; quod non in pœnam parentum, sed ipsorum posterorum cedit; quæque, utpote æterna, nullo alio bono à Deo compensari potest.

4. Quia unicuique reddet secundum opera. XII. Quartò. Deus *unicuique reddet secundum opera*, Matth. XVI. 27. *Rom.* II. 6. & *prout in corpore gesserit, sive bonum sive malum*, 2 *Cor.* V. 10. Non ergo imputat posteris peccatum parentis Adami; cujus quâcunque ratione illos participes facere velis, non tamen statuere potes ipsos illud in corpore suo commisisse. Dices. Reprobi puniuntur ob peccata propria. Resp. Infantes in infantia sua morientes ob peccata propria puniri non possunt. 2. Peccata propria reproborum necessario & inevitabiliter, juxta ipsos, oriuntur ex hoc peccato primo: propriè ergo ob Adami peccatum puniuntur. Nihil enim interest, sive dicas ob solum Adami peccatum eos puniri; sive, puniri ob propria peccata, quæ ex primo illo necessitate inevitabili profluxerunt.

Explicatio Rom. V. 12. XIII. In contrarium nobis objicere solent *Rom.* V. 12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; atque ita mors pervasit in omnes, in quo omnes peccaverunt.* Resp. Voculas Græcas ἐφ' ᾧ, non significare *in quo*, neque respicere ad *unum hominem*; esset enim illa dura admodum trajectio; sed *quatenus*, seu *eò quod.* Sic 2 *Cor.* V. 4. *Et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati; eò quod* (Græce ἐφ' ᾧ) *nolumus exspoliari, sed superindui.* Phil. III. 12. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quomodo comprehendam, quatenus* (ἐφ' ᾧ) *& comprehensus sum à Christo Jesu.* Imo & aliquando phrasis ἐν ᾧ, quæ propriè significat *in quo*, (ἐπὶ enim non significat *in*, sed *super*) nonnunquam denotat *eo quod*, vel *quatenus*: sic *Rom.* VIII. 3. *Quod impossibile erat legi, eò quod infirmabatur per carnem*, &c. *Hebr.* II. 18. *Quatenus enim passus est ipse & tentatus, potens est & iis qui tentantur auxiliari.* Dices. Præpositio ἐπὶ aliquando sumitur pro ἐν; ut *Marc.* II. 4. *Demiserunt grabatum, in quo*, ἐφ' ᾧ, *paraliticus jacebat.* *Hebr.* IX. 17. *Testamentum in mortuis*, ἐπὶ νεκροῖς, *confirmatum est.* Resp. In primo loco manifestè denotat *super*: in secundo potius *per* quam *in*: perinde uti *Luc.* V. 5. *Act.* III. 16. I *Cor.* VIII. II. Et hoc sensu sæpe accipitur, quando cum dativo construitur. Non itaque dicit Apostolus, omnes homines in Adamo peccasse; sed mortem in omnes pervasisse, eò quod omnes peccaverunt. Et ita celeberrimi interpretes, etiam ex Reformatis, nobiscum hunc locum interpretati sunt. 2. Hæc interpretatio etiam confirmatur exinde, quod Apostolus expressè dicat, mortem regnavisse ab Adamo ad Mosen, neque ulterius illam extendat. Originale autem peccatum intra periodum illam ab Adamo usque ad Mosen concludi nolunt; sed in omnes omnino homines propagari volunt.

XIV. Est autem in hoc versu πρότασις *Causa obscuritatis.* absque ἀποδόσει, quæ nonnullam adfert obscuritatem. Unde aliqui apodosin supplent, opponendo Christum Adamo, & fideles ex Christo regenitos, & per Christum vitæ æternæ consortes, illis, qui ex Adamo nati & non sine peccato viventes mortem ab Adamo trahunt. Alii credunt apodosin hoc versu contineri, modo exiguâ transpositione voculæ καὶ οὕτως in medio versu legatur οὕτως καί: ut propositio sit: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*: redditio autem: *ita etiam mors pervasit in omnes, eò quod omnes peccaverunt.* Simili modo quo *Luc* XVII. 24, 26. simpliciter legitur οὕτως: & οὕτως καί, *Jacob.* II. 26.

XV. Quicquid sit, manifestum est ex *Ratio typi inter Adamum & Christum.* hoc versu & sequentibus ad finem capitis usque, Adamum hîc considerari tanquam typum Christi; eosque, qui ab Adamo vixerunt usque ad Mosen, tanquam typos fidelium in Jesum Christum: Rationem autem similitudinis in eo collocari; quod sicut illi, qui ab Adamo vixerunt ad Mosen, peccatores quidem, sed tamen non contra expressam Dei legem, pœnâ mortis sancitam, peccantes, mortui sunt; ac proinde licet non sine respectu ad propria peccata mortui sint; tamen quia ex Adamo, qui ob transgressionem præcepti divini moriendi necessitate punitus fuit, geniti sunt, ad ipsos mors pervenit; ita ut jure dici possit, ipsos magis ob Adami peccatum, & quia ex Adamo geniti sunt: quàm ob propria peccata, mortuos esse: Ita etiam fideles in Jesum Christum, mandatis divinis obedientes, licet non tam perfectè ut Jesus Christus, justificabuntur: non quidem absque ullo ad obedientiam ipsorum respectu, sed tamen non tam propter ipsorum obedientiam, quàm quia ex Christo spiritualiter sunt regeniti; respectu cujus obedientiæ per-

fectæ Deus ipsorum obedientiam, licet imperfectam, sinceram tamen, gratiosè pro perfecta acceptare vult, ipsisque perfectæ obedientiæ præmium imputare.

Quo sensu omnes dicantur mortui, quatenus peccarunt. XVI. Dices. Si ἐφ' ᾧ sit explicandum per *quatenus*, sequitur omnes qui moriuntur peccasse: Atqui infantes moriuntur: Ergo peccarunt. Non autem peccarunt in propria persona: ergo in Adamo. Resp. Consequentia illa negatur: sequitur tantum de adultis; qui peccati capaces sunt, neminem mori quin sit peccator. Quod infantes attinet, illorum nulla in hac antithesi habetur ratio. Ostendit enim Apostolus, quomodo illi, qui ab Adamo ad Mosen vixerunt, rationem habuerint typi fidelium in Jesum Christum. Sicut ergo fideles in Jesum Christum, licet propriè propter Christum perfectè justum justificentur, non tamen justificantur absque propria fide & obedientia, licet justitiâ Christi longe inferiore; uti passim alibi Scriptura docet: Ita etiam necesse est eos; qui tanquam antitypus illis opponuntur, considerari similiter ut peccatores, seu proprio peccato inquinatos & reos, licet non tam gravi atque Adamum; ut, licet quia ex Adamo gravi peccatore geniti sunt propriè moriantur, non tamen absque proprio peccato eos mortuos constet. Quare qui in hac antithesi respiciuntur, etiam ut peccatores, seu peccatum committentes, considerantur. Idem ostendunt verba immediatè sequentia: *Usque ad Legem peccatum erat in mundo*: quod non de alio quàm personali peccato intelligi potest: nam originale, quod in Adamo commissum volunt, dici non potest usque ad Legem in mundo fuisse; quia hoc semper, etiam post datam Legem, ad finem usque mundi propagari credunt. Si dicant, hic non intelligendam Legem Mosis, sed aliam Adamo datam: Quæram, quomodo Apostolus dicat, usque ad legem peccatum fuisse in mundo, cùm Adam non nisi post datam sibi legem peccaverit? Ergo manifestum est hic intelligi peccatum, quod ab hominibus, qui ante Legem vixerunt, commissum fuit. Hoc autem ab ipsis in propria persona commissum fuit: quod in infantes non cadit. Illi tamen moriuntur, quia nati ex Adamo ob peccatum suum necessariæ morti obnoxio; atque ita mortem ab Adamo hæreditariam trahunt, nullo ad peccatum proprium, quo carent, habito respectu. Sed, uti dixi, eorum Apostolus nullam hic habet rationem.

Quid sit similitudo transgressionis Adami. XVII. Dices. *Vers.* 14. *Mors dicitur regnasse, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine transgressionis Adami;* hoc est, qui peccarunt non personaliter, sicut Adamus, sed originaliter. Resp. Dissimilitudo peccati eorum, qui ab Adamo ad Mosen usque vixerunt, non consistit in eo, quod Adamus peccavit personaliter, illi non: nullum enim datur peccatum nisi personale; & cum ipsorum peccatum dicatur esse ipsum Adami peccatum, quod in Adamo commiserunt, quomodo dici potest, illud non esse ad similitudinem transgressionis Adami? Sed in eo consistit discrimen, quod non peccarunt contra expressam Dei legem pœnâ mortis sancitam, perinde atque Adamus: peccarunt quidem contra legem naturæ, vel etiam contra specialia illa Dei monita quæ ad quosdam directa legimus, si eorum cognitionem habuerunt: illa tamen peccata comparari non potuerunt cum peccato Adami, expressum Dei mandatum transgredientis: Ideoque Apostolus expressè restrictionem facit ab Adamo usque ad Legem, quo tempore homines absque ulla lege externa à Deo ipsis lata vivebant: non existente autem lege non imputatur peccatum, *vers.* 13. Peccatores autem sub Lege, & nunc sub Euangelio, etiam peccarunt in similitudine transgressionis Adami.

XVIII. Dices. Attamen *vers.* 19. dicuntur *per unius hominis inobedientiam multi constituti peccatores*. Resp. *Peccatorem constitui*, phrasi Hebræa, significat, perinde ut peccatorem tractari. Ita 1 *Reg.* I. 21. Bethsabea dicit Regi Davidi: *Erit cum dormierit Dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Hoc est, Adoniah nos tanquam peccatores & regni invasores interficiet. Sic *Genes.* XLIII. 9. & XLIV. 32. Juda dicit patri suo: *nisi Benjaminem reduxero: ero coram te peccator omni tempore. Exod.* V. 16. *Et famuli tui flagellis cædimur, & peccat populus tuus.* Simili phrasi, qua *Esa.* V. 23. qui justum condemnant, *justitiam justi ab eo auferre* dicuntur. Sensus itaque Apostoli hoc loco est; Deum respectu illius primi peccati Adami, ejus posteros usque ad Mosen, peccatores quidem, sed non transgressores expressæ legis mortis comminatione sancitæ, tractasse perinde uti Adamum: ut essent typi fidelium ex Christo spiritualiter regenitorum; quos Deus respectu perfectæ obedientiæ Christi, licet non perfectè justos, gratiosè tractare vult, non aliter ac si perfectè justi essent; id est, perfectam justitiam imputare, ac vitæ æternæ præmio donare. *Explicatur Rom.* V. 19.

Mors & morbi infantium non evincunt peccatum originis. XIX. Dices. Atqui injustum est hominem punire, qui peccator non est: infantes autem non tantum moriuntur, sed & variis hujus vitæ calamitatibus, morbis ac doloribus obnoxii sunt. Nisi ergo peccati Adami participes sint, Deus injustè & crudeliter cum illis agit. Sed quis credat tales seriò loqui, cùm ipsi velint Deum infantibus primum Adami peccatum imputare, & ob peccatum illud ipsis imputatum non tantum subjicere omnibus vitæ hujus miseriis, sed & æternum igne infernali torquere? Quid enim

enim interest, sive dicas Deum miseriam aliquam hominibus innocentibus ex parente nocente natis immittere; sive Deum hominibus nondum boni aut mali scientiam habentibus parentis peccatum, cujus conscii non fuerunt, imputare, ac proinde per solam ipsius imputationem cum peccato parentis communionem habentibus, mala hæc immittere; cùm utrobique hæc miseria à sola actione divina dependeat? Et verò, quantò tolerabilius est mortem & vitæ hujus morbos ac dolores tolerare, quàm cruciatibus illis inferni, tam intensione quàm extensione infinitis, absque ulla intermissione in omnem æternitatem torqueri? Hæc qui Deo adscribere non erubescunt, credendine sunt seriò agere, quando crudelitatem Deo adscribi urgent, quod infantes innoxios, quia ex Adamo prognati sunt, hujus vitæ miseriis obnoxios esse voluit? Sed verò ut de hoc sententiam nostram plenius explicemus, dicimus Deum innoxios posteros non punire ob peccatum Adami; pœna enim delictum non excedit: sed malis hujus vitæ, ac tandem morti subjicere, quia ex Adamo peccatore geniti sunt: Non ut in ipsis Adami peccatum puniat: absit: sed pro suo absoluto dominio, quo unicuique creaturæ vel majora vel pauciora beneficia conferre, vel etiam quibusdam malis ac miseriis justè visitare potest, quia beneficium creationis, vel bonum, quo Deus hanc ipsorum tolerantiam in futuro seculo compensaturus est, non excedunt. Verum est, non est gratiosa actio Dei; sed Deus rigorem illum ostendit, ut typus esset gratiæ per Christum exhibendæ: attamen non est injusta nec crudelis; præsertim cùm adultos mala hæc non premant, nisi propriis accedentibus peccatis, & infantium dolores Deus æternæ vitæ gloriâ compensaturus sit.

Quomodo Adamus totum genus humanum repræsentaverit.

XX. Dices. Adam repræsentavit totum genus humanum, quod in lumbis ejus erat: illo ergo peccante, omnes peccaverunt. Resp. 1. Adam aliter dici non potest repræsentasse genus humanum, quàm alicujus generis aut familiæ stirps, vel caput, omnes ex ipso nascituros. Sicut ergo peccata illius, qui familiæ alicujus caput est, non imputantur illius posteris; ita nec Adami peccatum illius posteris imputari potest. Dices. Deus cum ipso, tanquam generis humani capite, fœdus inierat: sicut itaque vitæ conditionem & promissionem non sibi tantum, sed & suis posteris acceperat, si staret; ita debuit mortis reatum suo lapsu non sibi tantum, sed & posteris suis omnibus contraxisse; nam ad quem pertinent commoda, ad illum quoque onera & incommoda pertinere æquissimum est. Resp. Multa hic temerè assumuntur tanquam certa, quæ incerta, imo planè falsa sunt. Deum enim cum Adamo fœdus ejusmodi erexisse, in quo ipse posterorum personam sustineret, ita ut quicquid ille faceret, etiam posteris ipsius imputaretur, nec Scriptura uspiam docet, nec ratio permittit, ut credatur: quia hinc sequeretur, justitiam Adami, si in integritate perstitisset, etiam omnibus illius posteris fuisse imputandam. Atqui inde gravissimum hoc absurdum sequitur, quod tum oportuisset Adamum posteros progignere sibi admodum dissimiles, hoc est, qui peccare non possent. Nam si genuisset sibi similes, fieri potuisset ut in peccatum inciderent: hoc autem si contigisset, fuissent illi simul justi imputatione justitiæ paternæ, & injusti propriâ transgressione; atque ita simul morte & vitâ digni. Quæ gravissima sunt absurda. 2. Genus humanum etiam fuit in lumbis Adami cum resipisceret & remissionem à Deo obtineret. Si ergo Deus in legislatione fœdus erexit in Adamo cum omnibus illius posteris, quidni etiam Adamum in gratiam recipiendo, unà omnes in ipso posteros in gratiam recepit? Quæ ratio cogit, ut legislatio fuerit universalis, condonatio peccati particularis? 3. Non potest alius actione aliquâ alterius personam sustinere, nisi auctoritate ab illo instructus: hoc enim solo casu quicquid ille peccat alteri imputari potest: Illâ autem Adamus à posteris suis instructus non est. Dices. Non erat id in posterorum potestate: Deus ipsum constituit; ut totum genus humanum repræsentaret. Verùm sic assumitur quod in quæstione est, & à nobis constantissimè negatur.

Explicatio Hebr. VII. 9.

XXI. Sed dicunt, nos antequam eramus in Adamo peccasse, perinde uti Levi antequam esset natus in Abrahamo fuit decimatus, *Hebr.* VII. 9. Resp. 1. Apostolus ipse dicit, esse figuratam locutionem, hisce verbis; *ὡς ἔπος εἰπεῖν, ut ita dicam*: posse nempe hoc per figuram loquendi ita dici. 2. Alia est ratio decimationis, alia peccati: filius aut nepos per figuram loquendi in patre aut avo dici potest decimari; quia decima portio, è patris bonis decedens, ipsi quodammodò decedit; utpote jure hæreditatis ad ipsum devolvenda. Peccatum autem, utpote voluntaria & personalis actio, peccantem non egreditur. Ultro cum ipsis agnoscimus, posse aliquando per fictionem juris favores & privilegia concedi illis qui nondum sunt; sed id locum non habet in suppliciis, neque in delictis & criminibus, ut alicui nondum existenti per fictionem juris alterius peccatum imputetur, ipseque postea propterea supplicio afficiatur.

CAPUT IV.

De Corruptione Originaria.

Quæ corruptio insit hominibus.

I. ITa eversâ primi peccati Adami imputatione, nunc quæ de corruptione originaria dicuntur expendamus. Fatemur hodie homines minus puros nasci quàm Adamus conditus est, & cum quadam inclinatione ad peccandum. Verùm inclinatio illa propriè dictum peccatum non est, aut peccati habitus ab Adamo in ipsos propagatus: sed naturalis tantum inclinatio habendi id quod carni gratum est: quæ propriè oritur à temperamento corporis, quod à proximis parentibus propagari scimus: pro diversâ enim temperamenti ratione animus hominis diversimodè à variis objectis afficitur, quodque uni gratum, alteri ingratum est: inde diversæ adeo in hominibus cupiditates, dum unusquisque appetit, quod pro temperamenti sui ratione ipsi gratum est, ac aversatur ingratum. Quia verò carni nostræ grata plerumque voluntati divinæ adversantur, quoniam Deus in hisce abnegandis promtam animi nostri obedientiam explorare vult, inde est, quod illa inclinatio in objecta carni nostræ grata sit etiam inclinatio in peccatum. Sunt præterea homines destituti potentiâ ex seipsis exercendi religionem, quæ sufficit ad salutem: quia, uti vidimus, planè dependet à gratia divina peccatori condonare, mediumque salutem consequendi revelare.

Sunt & reliqua semina quædam religionis.

II. Attamen in ipsis reliqua sunt quædam semina religionis, quæ excitare possunt, ad Deum colendum juxta vires sibi concessas: sive semina illa sint innata quædam Deitatis idea & communes honestatis notiones; sive vis ratiocinandi nobis ingenita, cujus ope & Dei existentiam è rerum naturalium contemplatione clarè cognoscimus, & communes illas notiones, tanquam rectè vivendi regulam, percipimus: adeo ut gravi se crimine polluant, qui hæc excitare negligunt. Sic *Rom.* I. 20, 21. *& seqq.* Apostolus docet, gentes ex Dei operibus potuisse cognoscere Deum esse, illum omnia administrare, actionesque hominum conspicere: Deum esse colendum, illi gratias pro beneficiis agendas: honesta ac rationi convenientia esse facienda; & si quis contraria faciat, mortis pœnam esse exspectandam. Atque inde colligit, si qui hîc officio suo desint, illos inexcusabiles esse. Et *cap.* II. 14, 15. dicitur *opus legis*, hoc est, discrimen honesti ac turpis, *cordibus* gentilium *esse inscriptum*, adeo ut *naturaliter ea quæ legis sunt faciant*, id est, honesta præcipiant, turpia, hoc est, quævis crimina ac scelera, vetent, additâ pœnæ denuntiatione; atque ita *sibi ipsis lex sint*, id est, sibi ipsis legem figant, & bene vivendi regulam.

Non est peccatum propriè dictum.

III. Sed quæritur, an præterea in homine sit corruptio quædam originaria, seu habitus peccati ab Adamo in omnes ipsius posteros propagatus, quæ verè ac propriè sit peccatum, per quam intellectus & voluntas omnesque affectus adeo sint depravati, ut solummodo in malum inclinent, imo omnes homines natura propensi sint ad odium Dei & proximi. Hanc communiter urgent Doctores Contraremonstrantes, eamque quidam adeo exaggerant, inter alios Spinæus lib. VII. de Tranquillitate animi, & Hildersham *Psal.* LI. *lect.* 60. ut dicant nos omnes naturâ diaboli imaginem habere. Verba Hildershami sunt hæc: Adamus sibi ac posteris suis accepit imaginem „ Satanæ, in eamque mutatus est. Hincque „ factum quod omnes naturâ (horribile qui- „ dem auditu, sed tamen verum est) quàm „ maximè diabolo similes simus. Considere- „ mus ergo naturam nostram illiusque corru- „ ptionem in proprietatibus operibusque ip- „ sius, & clarè patebit, nullam creaturam in „ universa terra existere naturæ adeo venena- „ tæ, quàm unumquemque nostrum." Sed vero ejusmodi corruptio nec cum Sacra Scriptura, nec cum recta ratione conciliari potest.

1. Non agnoscit Scriptura in infantibus peccatum.

IV. Primò. Nullam Scriptura in infantibus corruptionem esse docet, quæ verè ac propriè sit peccatum. *Deut.* I. 39. dicuntur infantes *boni ac mali distantiam ignorare. Joannæ* IV. 11. *nescire quid sit inter dextram & sinistram suam.* Et *Rom.* IX. 11. *Antequam nati sunt nec boni nec mali quicquam fecisse.* Imo ejusmodi innocentiam, à malo immunitatem, aliasque qualitates infantibus adscribit, quas non tantum adultis commendat, sed quales Dominus in adultis desiderat, ut in regnum cœlorum admittantur. Ita Apostolus non tantum præcipit 1 *Cor.* XIV. 20. *malitiâ parvuli estote*, id est, parvulorum instar à malitia puri: sed & Dominus Jesus *Matth.* XVIII. 3, 4. parvulo in discipulorum suorum medio constituto, inquit; *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Et *cap.* XIX. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium enim est regnum cœlorum.* Hic regerere, infantes dici immunes ab actuali, non verò ab habituali peccato; Est 1. principium petere, & assumere quod in quæstione est. 2. Nec congruit textui: quia habituale hoc peccatum homines mortis æternæ ac cruciatuum infernalium, juxta hos Doctores, reos facit. In textibus verò allegatis docetur, infantium conditionem esse talem, ut ipsis regnum cœlorum competat. Ergo talis ab ipsis corruptio removetur.

2. Injustitia argu-

V. Secundò. Absurdum est statuere, Deum

ritur Deus. Deum homines puniviſſe corruptione tali, quæ verè ac propriè dictum eſt peccatum; & ex qua omnia actualia peccata tanquam ex fonte neceſſariò ſcaturiunt: & deinde propter illam corruptionem homines denuò punire pœnâ inferni: ſic enim Deus non tantum erit auctor peccati, ſed & per ſuam punitionem ſibi novæ punitionis cauſam acquiret.

3. Quia concipi non poteſt quomodo propagetur. VI. Tertiò. Concipi non poteſt, quomodo peccatum hoc propagetur. Non enim inhæret animæ, quæ immediatè, etiam juxta communem horum Doctorum opinionem, à Deo creatur; ac proinde ſi peccato eſſet infecta peccatum illud à Deo eſſet. Nam quod quidam ajunt, animam à Deo creari nudam & inveſtem, ſine ſpirituali iſto decore, quæ Dei quidem reſpectu juſtiſſima peccati pœna, hominis autem ratione, qui ſanctus ac creatori ſimilis eſſe debebat, maxima culpa ſit; præterquam quod ænigmata loquantur, confirmant argumentum noſtrum: nam ſi carentia iſtius decoris ſit peccatum, Deuſque animam eo decore denudatam creet; ergo Deus creat animam peccato infectam: quod horrendum eſt. Sed præterea merum eſt ænigma, quod anima, quæ in creatione merè ſe paſſivè habet, culpæ ſit rea, quia Deus eam creavit deſtitutam decore, quod ineſſe illi debebat. Qua ratione actio Dei culpa poteſt eſſe hominis? Et quæ obligatio poteſt eſſe animæ, ut ornata ſit decore, ſine quo eam Deus creare vult? Sed nec corpori, antequam anima illi infuſa eſt, inhærere poteſt: quia corpus ex ſe vitâ eſt deſtitutum, neque peccati capax. Impuritas, quæ corpori inhærere poteſt, phyſica eſt & corporalis, non moralis neque peccaminoſa. Neque oriri poteſt ex unione animæ cum corpore; quia cum neutrum infectum ſit, unio, quæ modus tantum eſt, inficere nequit. Nec phyſica corporis impuritas animam peccato inficere poteſt, quia alterius planè eſt naturæ. Tum, anima inficeretur aut volens, aut nolens. Nolens non poteſt: & in prima unione cum corpore voluntatis nondum eſt capax. Morbi propagari poſſunt; oriuntur enim ex corruptione ſanguinis, aliove vitio corporis, quod per generationem transfundi poteſt. Sic & temperamentum poteſt propagari, & unà cum temperamento inclinatio ad quædam objecta, quibus peccato indulgentes abundantius frui, quibuſdam etiam abſque peccato nullo modo frui poſſumus, atque ita per conſequens, inclinatio ad actiones quaſdam vitioſas, ſeu ſingularia quædam peccata: quatenus anima, quæ per membra corporis, & ſpeciatim ſanguinem operatur, inclinationem habet faciendi ea, ex quibus, juxta corporis ſui conſtitutionem, voluptatem ſibi gratam percipit, & fugiendi ipſi ingrata. At illa inclinatio, uti vidimus, peccatum non eſt. Eſt tamen fons & origo peccatorum, ſi homo illi indulgeat.

4. Quia eſt involuntaria. VII. Quartò. Nullum peccatum pœnâ dignum eſt involuntarium: quia nihil magis debet eſſe voluntarium, quàm quod hominem pœnæ, & quidem graviſſimæ, æternæ nempe & ſummorum cruciatuum, reum facit. Atqui corruptio originaria eſt involuntaria. Probatur: Quia naſci eſt involuntarium; ergo etiam cum hac aut illa labe naſci. Ad hoc argumentum varia excipere ſolent, tam ad majorem, quàm minorem. Primò quidem negant, corruptionem originariam eſſe involuntariam; è contra urgent voluntariam eſſe, & quidem triplici reſpectu: 1. Antecedenter, in Adamo, in cujus voluntate omnes poſterorum ſuorum voluntates continebantur. 2. Subjectivè in ipſis poſteris, cum ea ſit morbus ipſiuſmet voluntatis, cui accedit inſtar ponderis eam à cœleſti bono ad terrena avertentis. 3. Conſequenter in omnibus ſuis actibus malis, in quantum eos lubentiſſimè volunt. Nam cum iſti actus omnes mali procedant ex iſto nativæ corruptionis fonte, illoſque impensè velint peccatores, uſque ſummoperè delectentur; qui negentur velle cauſam & radicem, cujus effectus & fructus tam libenter volunt? Sed verò quis non videt hæc non niſi quæſita effugia eſſe? Quomodo enim in Adami voluntate omnes poſterorum voluntates comprehenſæ fuerunt, quæ actu nunquam in Adamo fuerunt? Certè peccatum, ad cujus perpetrationem voluntas nunquam aſſenſum præbuit, voluntarium non eſt: atqui ad peccatum hoc, ſive conſideretur ut corruptio, ſive ut actuale Adami peccatum, poſterorum voluntas nunquam aſſenſum præbuit. Dicere autem corruptionem ſubjectivè eſſe voluntariam, quia inhæret voluntati, eſt ludere in voce voluntarii. Nos enim per voluntarium intelligimus, non quod ullo modo ad voluntatem ſpectat; ita enim voluntaria dici poſſent ad quæ facienda homo inevitabili neceſſitate determinatur, modo voluntas ejus potenti actione inclinetur ut lubentiſſimè velit, nec aliud velle poſſit; quod abſurdum: ſed illud, quod voluntatis deliberatio præcedit, vel ſaltem præcedere poteſt, adeoque ſi non præcedat, libera ac voluntaria negligentia in cauſa ſit: quodque à voluntate liberè determinatur. Hoc modo voluntarium quid dici non poteſt à ſuo ſubjecto, ſed à ſua cauſa, à qua procedit, ita ut poſſit ab ea non proceſſiſſe; & eo ſolum ſenſu dicimus peccatum pœnâ dignum debere eſſe voluntarium. Nec minus abſurdè conſequenter dicitur eſſe voluntaria. Licet enim verum eſſet, omnes homines propter illam corruptionem lubentiſſimè omnia ſcelera velle, non tamen propterea dici poteſt ipſos corruptio-

ptionem illam voluisse. Ita enim corrupti nati non possunt quin peccata velint: quia autem per nativam illam corruptionem ipsorum voluntas ita ad malum est determinata, ut nihil boni possit velle, exinde ineptè asseritur ipsam corruptionem, quæ hanc malum volendi necessitatem imposuit, voluntariam esse. Si per liberam voluntatis electionem illam corruptionem sibi accersivissent, rectè inferretur, & scelera, quæ illam consequuntur, respectu suæ originis esse voluntaria: nunc verò, cum corrupta nascitur voluntas, quomodo corruptio, quam evitare non potuit, voluntaria dicetur? Ex causa quippe, quam quis voluit, potest quidem colligi, etiam consequenter eum voluisse effectum, ex causa illa necessariò fluens: nullo autem modo, ex effecto necessario, ad quod quis per causam, ad quam nullum adhibuit nec adhibere potuit assensum, determinatus est ut aliter nec velle nec agere possit, colligi potest, aliquem causam illam voluisse. Velle dici non potest, qui non potest nolle.

Omne peccatum pœna dignum est voluntarium.

VII. Sed & ad majorem excipiunt, negando omne peccatum pœnâ dignum esse voluntarium: Motus enim concupiscentiæ primo primos non esse voluntarios simpliciter, & tamen peccata. Esse peccata: liquet ex *Rom.* VII. 7, 8, 9. ubi Apostolus dicit, se nosse ex Lege concupiscentiam esse peccatum, per quam intelligit motus concupiscentiæ primo primos, in lege vetitos præcepto, *non concupisces*: Involuntarios esse liquet ibidem, quia *vers.* 15. ait se non agnoscere quod perpetrat (adeo isti motus ejus approbatione & consensu carebant) sed è contrario se facere non quod velit, sed quod odit: *vers.* 17, 21.

Motus primo primi non sunt peccata.

IX. Verùm multa in hac exceptione supponuntur falsa, quæ singula paucis excutienda sunt. Primò itaque motus concupiscentiæ primo primos, nullo adhuc accedente voluntatis consensu, esse peccata, gratis asseritur. Primò enim, non dicit Apostolus se ex Lege nosse, concupiscentiam esse peccatum. Non enim dicit, concupiscentiam non nossem esse peccatum, sed solummodò, *concupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, non concupisces*: quod commodè exponi potest, non novissem concupiscentiam in me regnare, neque motus illius vehementes sensissem, nisi lex eam mandato suo prohibuisset; atque ita, quoniam omnes in vetita nitimur, illa in me magis excitata fuisset. Ut conveniat cum verbis sequentibus: *Occasione autem acceptâ peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Quanquam non repugnamus, ut priore sensu sumatur, ex lege cognosci concupiscentiam esse peccatum.

Nec propriè tantum præcepto decimo.

X. Sed addimus 2. præcepto *non concupisces.*, non vetari motus primo primos, neque indicari illos esse peccata; sed talem prohiberi concupiscentiam, quâ quis res proximi, puta domum, uxorem, servos, jumenta, aliaque sibi habere concupiscit, omniaque adhibet media, quibus eas obtinere possit, ita ut suæ fiant; non quidem vi aut violentiâ, nec invito propriè domino; sed eo non reluctante: faciendo ut res illa proximo vilescat, & illius possessioni, quâ ægrè aliàs cariturus fuisset, renuntiet; idque ad suum tantum commodum ac voluptatem, nequaquam respiciens ad incommodùm ac damnum proximi. Quod liquet ex concupiscentiæ hujus objectis præcepto decalogi decimo recensitis; sunt illa domus, uxor, servi, jumenta proximi. Potest proximo persuadere, ut domum sibi vendat: nolenti multas creare molestias, sive vicinos in ipsum concitando, sive alio modo ingratam ipsi domus inhabitationem faciendo, ut ultrò eam vendat. Potest optare ut divortium intercedat inter uxorem ac maritum, eumque in finem offensionem, si qua exoriatur, magis accendere, frigidam ut ajunt suffundendo, quò tandem maritus, ut molestiis hisce liberetur, repudium uxori mittat, ipseque eâ fruatur. Atque ita porro. Hoc quoniam multorum in Republica Judaica malorum seminarium esse poterat, à Deo severè vetitum est. Si enim proximo damnum inferre illicitum est, nec concupiscere licet, quo sine proximi damno, aut non, aut difficulter admodum frui possumus. Quantum autem deliberata hæc concupiscentia distat à motibus primo primis involuntariis!

Nec sunt peccatum inhabitans, Rom. VII. *15.*

XI. Tertio, nec *vers.* 15. *& seqq.* quando loquitur Apostolus de peccata inhabitante, respicit motus primo primos, aut originariam corruptionem, motus illos concupiscentiæ subinde excitantem; sed intelligit peccati habitum longâ consuetudine contractum; neque loquitur de voluntate completa, quâ bonum quod non facit velit, & malum quod odit facit; sed de voluntate incompleta, seu nuda velleitate. Describit nempe sub persona sua (uti aliàs fusius ostendemus) miserum hominis irregeniti & sub peccati jugo captivi statum: peccandi habitum ait adeo occupasse ipsius affectus, actionibusque ejus dominari, ut licet ratio dictet bonum faciendum, malum fugiendum esse, ipseque proinde & bonum facere, & malum fugere vellet, quod tamen peccati dulcedine allectus contra rationis dictamen & bonum omittat, & malum faciat. Adeo ut quod aliquo respectu vult, illud absolutè velle dicatur: eodem sensu quo Servator noster, *Matth.* XXVI. 39. *Pater si fieri potest, transeat calix iste a me; non autem sicut ego volo*, id est, ego alias vellem,

sed

sed sicut tu. & *Gal.* v. 17. Simili phrasi quâ *expedit* pro expediret ponitur *Matth.* XVIII. 6. Qui sensus exinde evincitur; quia fieri noquit, ut aliquis voluntate completâ velit bonum, & nihilominus faciat malum; quia voluntas principium actionum est. De nuda ergo velleitate seu voluntate incompleta hæc sunt accipienda; qualis est in illo, qui merces suas vellet servare, sed naufragii evitandi causâ vult jactum facere.

Explicatio Rom. v. 12. XII. Sed nunc præcipuas aliquot, quibus corruptio originaria adstrui solet, rationes expendamus. Primo objiciunt nobis *Rom.* v. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum:* Peccatum autem illud, quod per primum hominem in mundum ingressum est, non est actuale, sed originale, hoc est, habituale, quod in omnes posteros est propagatum. Resp. Imo nullum aliud intelligit Apostolus, quàm ipsum actuale ac personale Adami peccatum; aliud enim per primum hominem in mundum ingressum non est: illud nempe, per quod mors in mundum ingressa est: nam mox inde additur, *& per peccatum mors.* Mors autem non intravit in mundum per peccatum originis, aliàs non intrasset per primum Adami peccatum: quod denuntiatio mortis Adamo propter peccatum facta falsi arguit. Dices. Mors intelligitur, non Adami, sed omnium; ergo & omnium peccatum. Resp. Intelligitur mors Adami. Si enim intelligitur mors omnium, eaque per peccatum ingressa esse dicitur in mundum, quid est ergo, quod Apostolus immediatè addit, quod *mors in omnes pervasit quatenus omnes peccarunt?* Esset enim illa inanis ταυτολογία. Verborum ergo sensus est: peccandi initium esse factum ab Adamo, eumque propterea mortuum: atque ita ad exemplum Adami reliquos esse mortuos, quia Adamum peccantem imitati sunt. Et hunc sensum evincit vocis in textu Græco diversitas: quando enim mortem in mundum ingressam dicit Apostolus, utitur voce εἰσῆλθεν: quando eam porro propagatam ait, voce διῆλθεν: quarum diversa significatio est. Quid etiam ineptius, quàm dicere peccati transitum esse factum in omnes homines? Mos est Scripturæ Sacræ accidentia ejusmodi, qualia sunt, peccatum, justitia, sapientia, mors, &c. describere, tanquam personas, quibus ortum, propagationem, regnum, effecta attribuit. Sic ortus peccati describitur, *Jacob.* I. 14, 15. regnum, *Rom.* v. 21. VI. 12. VII. 17. stipendium, *Rom.* VI. 23. Et ita hic est accipiendum, pro peccato in genere, cujus hic initium describit. Itaque, *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, tantumdem est, atque unus homo, sc. Adam, peccandi initium fecit; seu, per Adamum peccatum existere cœpit, seu ortum suum accepit. Hoc sensu *Joan.* XVI. 21. dicitur homo, quando nascitur, *nasci*, seu venire, *in mundum*; &c. I *Joan.* IV. I. pseudoprophetæ, quando homines seducere incipiunt, *exire in mundum.* Imo Domino Jesu munus suum inchoante, dicitur *lux venisse in mundum*, *Joan.* III. 19.

XIII. Secundo. Citant *Gen.* VI. 5. ubi cum Deus diluvium mundo impiorum esset inducturus, dicitur, quòd *multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis ejus tantum esset mala omni tempore.* *Genes.* VI. 5. Resp. I. Non agitur hic de peccato omnibus hominibus communi; Noachus enim ut *vir justus & perfectus* expressè excipitur, *vers.* 8 9. 2. Malitia hæc vocatur *figmentum cordis*, quod voluntariam malitiam denotat, ac proinde corruptioni originariæ, cum qua nascimur, applicari nequit. 3. Hic describitur malitia, quæ causa fuit impulsiva cur Deus mundum diluvio perdere voluerit: illud autem non est peccatum originis, quia id cùm semper idem sit, cur non prius eum ad iram provocavit? Dices. Peccatum originis propriè non est causa diluvii, sed peccata actualia exinde profluentia iram Dei accenderunt. Resp. Malitia, quæ hic describitur, sola ut ratio adfertur, cur Deum pœnituerit quod hominem condiderit, & quòd eum è terra delere voluerit. Si autem causa illa non fuit peccatum originis, sed peccata actualia, ergo & sola actualia hîc intelliguntur. Dices: Prioribus verbis, *quod multa hominum malitia esset in terris*, agitur de peccatis actualibus: posterioribus verò, quod *cuncta cogitatio cordis ejus solummodò esset mala omni tempore*, eorum causa assignatur, corruptio nempe originaria. Resp. Sed hoc est vim facere textui, & divellere quæ Scriptura conjungit. Describitur solummodò universalis hominum corruptio, eaque adeo ingens, ut quam primum cognitionis capaces essent, jam parentum aliorumque suasu ac exemplo peccatis assuescerent, & antequam ratione uti scirent, consuetudine peccandi in malo obdurati essent. Et verò, quid discriminis intersit, sive corruptio originaria causa sit diluvii: sive peccata actualia ex illa necessariò suppullulantia? utrobique enim tandem omnis illa malitia in corruptionem originariam recidet. 4. Frustra Deus per Noachum invitasset ad pœnitentiam, quos ob corruptionem illam originariam converti impossibile erat, nisi Deo virtute suâ omnipotente malitiam illam superante: frustra centum & viginti annis resipiscentiam exspectasset eorum, quos resipiscere perinde impossibile erat, atque mortuo in vitam resurgere. Ergo hæc de malitia voluntaria accipienda sunt: & verba *omni tempore*, ad tempus, quo discretionis inter honestum ac turpe, ac proinde sceleris, capaces sunt, restringenda sunt.

Genes. VIII. 21. XIV. Tertiò. Eadem fermè verba objiciunt ex *Genes.* VIII. 21. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt à pueritia sua.* Resp. Similiter illic agi, non de originaria, sed voluntaria corruptione. 2. Voculam Hebræam כי, hic non debere verti, *quia*, vel *nam*, uti communiter fit; sed *quamvis*: sic *Jos.* XVII. *ult. Nam Cananæos expelles*, (non *nam*, sed) *etiamsi habeant currus ferreos.* Quam voculæ hujus significationem etiam Buxtorfius in Lexico suo observat. Ita ut verba Dei hoc modo legenda sint: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*; (non quia, vel nam, sed) *quamvis sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua.* Deus enim, odorem gratum holocausti Noachi odoratus, dicit se nolle amplius terræ diluvium immittere, etiamsi contingat homines denuò in eandem impietatem recidere. Si verò vulgatam sequamur lectionem, dicendum eandem rationem, quæ Deum impulit ut diluvium mundo immitteret, nunc eum retinere, ne denuò immittat: quod absurdum.

Job. XIV. 4. XV. Quartus locus est. *Job.* XIV. 4. *Quis dabit mundum de immundo? ne unus.* Resp. Quibus indiciis colligitur hic de immunditia morali, seu de peccato agi? Imo tota textus connexio docet, Jobum loqui de immunditia physica, quæ omnium infirmitatum ac morborum est causa, quibus homo muliere natus obnoxius est. Agnoscit itaque Jobus, se communi hujus vitæ miseriæ cum omnibus hominibus esse obnoxium, neque causam ullam esse, cur illâ eximi velit: quis enim dabit mundum de immundo? sed sortem suam deplorat, quod calamitatibus extraordinariis pressus, & tantum non oppressus sit. Orat ergo, ut vivat tantum cum naturali immunditie & calamitate, & ab extraordinaria illa liberetur.

Psal. LI. 7. XVI. Quintus locus est *Psal.* LI. 7. *Ecce in iniquitate genitus sum, & in peccato calefacta est de me mater mea.* Resp. Etsi horum verborum litera urgeatur, nihil hîc erit pro peccato originis. 1. Non enim David dicit se in matre sua peccasse; sed matris suæ peccatum commemorat? 2. Non facit ullam mentionem Adami, sed non altius quàm ad matrem suam adscendit. 3. Nec etiam omnes homines in iniquitate genitos dicit; sui solius tantum mentionem facit. Dicere omnium hominum eandem esse rationem, atque ita adscendendo tandem pervenire ad omnis corruptionis fontem Adamum; est supponere quod in quæstione est, quodque ex jam dicendis falsum esse patebit. Nempe nihil vetat, imo ratio suadet, verba hæc Davidis de ipso solo accipienda esse. Deplorat David peccatum suum, illiusque veniam orat: ut verò Deum ad misericordiam flectat, dicit se *in iniquitate genitum*, hyperbolicâ loquendi ratione innuere volens temperamentum suum sanguineum ad libidinem admodum proclive, non aliter ac si libido cum ipso genita fuisset. Quales hyperbolæ plures leguntur in Psalmis: sic *Psal.* XXII. 10, 11. *Tu, ô Deus, es eductor meus ab utero, confidere faciens me super ubera matris meæ. Psal.* LXXI. 6. *Tibi innixus sum ab utero; è visceribus matris meæ tu es extractor meus. Psal.* LVIII. 4. *Abalienati sunt impii à vulva, aberraverunt ab utero.* Similiter *Job.* XXXI. 18. *Ab adolescentia crevit* (misericordia vel pupillus) *mecum tanquam apud patrem, & ab utero matris meæ deduxi illum.* Nisi hic hyperbole sit, statuendum misericordiæ virtutem Jobo fuisse adnatam. Neque ulla ratio est excipiendi, Davidem de originali peccato loqui, Jobum de virtute acquisita: cùm, si nulla sit hyperbole, Jobus tam de se dicat, quod ab utero matris suæ deduxerit pupillum, quàm David, quod in iniquitate sit genitus. Porro *Esa.* XLVIII. 8. *transgressorem ex utero vocavi te.* Nec hic, nec *Psal.* LVIII. 4. respici peccatum originis, documento est, quòd aliàs sancti hi viri nihil objecissent sceleratissimis hisce peccatoribus, cujus ipsi rei non fuissent. Eâdem hyperbolicâ loquendi ratione dicunt Pharisæi cœco isti nato *Joan.* IX. 34. *In peccatis natus es totus, & tu nos doces?* Sanè si peccatum originis respexissent, quo jure ipsum reprehendissent, cùm idem à cæco ipsis regeri potuisset? Et hanc hujus loci explicationem etiam agnoscere videtur Beza in notis suis. *In peccatis natus es totus*, id est, *peccatis coopertus & implicatus, quoniam videlicet cæcus natus erat.* Et in *vers.* 2. *Non hîc agitur de illo universali lapsu in Adamo, de quo Apostolus* Rom. V. 12. *sed de singulari & personali quodam peccato.* Dices. Respexerunt ad doctrinam de metempsychosi, crediderruntque ejus animam, antequam ipse nasceretur, multis peccatis fuisse inquinatam. Resp. Esto. Inde liquet, phrasin *in peccatis nasci*, non denotare, nasci cum corruptione originaria ab Adamo derivata, de quo nunc tantum quæritur. Imo ratio non finit, ut verba Davidis illo sensu accipiantur: quia tum dicendum, verborum Davidis hunc esse sensum: Graviter peccavi: sed causa peccati mei est corruptio originaria cum qua natus, & quâ propter Adami peccatum à te, ô Deus, punitus sum, & unde peccatum hoc meum necessariò profluxit, adeo ut, nisi me gratia tua efficace ita sustentes ut peccare non possim, necessariò in quævis peccata ruam. Quid videtur, estne hæc oratio viro sancto, peccatum suum serio deflenti, illiusque remissionem à Deo cum suspiriis ac lachrymis flagitanti, conveniens? Attentius locum hunc considerandi alius illius videtur esse sensus, &

David

David respicere ad legem, quæ exstat *Levit.* xv. 24. & xviii. 19. qua concubitus cum muliere tempore menstruorum prohibetur, illiusque legis transgressoribus pœna mortis denuntiatur. *Cap.* xx. 18. Observat Sebastianus Munsterus in suis ad legem hanc notis communem fuisse Judæorum opinionem, *non nisi miseros & omnino effrænes filios hinc nasci, si interea temporis mulier conceptui operam dederit.* Ad hanc legem & communem Judæorum opinionem David respicere videtur. Expressè enim matris suæ peccatum & iniquitatem commemorat, in qua se genitum ait: atqui quæ alia iniquitas intelligi potest, nisi tam severè in Lege damnata? Cùm itaque communis esset Judæorum opinio, filios in ista matris suæ iniquitate conceptos esse effrænes, sceleratos, ac eximios peccatores; David, ut se gravissimum coram Deo peccatorem fateatur, se in iniquitate genitum, matremque de se in peccato calefactam ait. Unum explicationi huic obstare videtur, quod credibile non sit, Davidem criminis adeo enormis, ac fœdæ contra legem transgressionis matrem suam voluisse ream agere, peccatumque ejus palam traducere. Verùm illi commode occurri potest, si dicamus, Davidem non propriè tale peccatum de matre sua affirmare: sed uti communi inter Judæos loquendi ratione, quâ hominem sceleratum & improbum vocarunt hominem in iniquitate, hoc est, in menstruis matris suæ genitum. Usitatum est in omnibus linguis proverbia & modos loquendi desumi ab historiis quæ contigerunt, imo nonnunquam ab uno exemplo viri eximii ac præcellentis. Sic qui parum feliciter nati sunt, Latinis dicuntur quartâ lunâ nati: quia Hercules, cujus vita fuit laboriosa multisque periculis exposita, quartâ lunâ natus dicitur. Calamitosi & ad extremam inopiam redacti dicuntur equum habere Sejanum; quia Cn. Sejus equum habuit ejusmodi fato, ut quisquis ejus possessor esset, is cum omni domo ad internecionem usque deperiret. Imo & quandoque hæc proverbia & loquendi modi ex communi vulgi opinione ortum habent, & significationem suam accipiunt. Sic qui intemperiis agitur, cuique omnia infeliciter cedunt, in patrios cineres minxisse dicitur; antiquitus enim, ut ait Erasmus, paterni sepulchri summa fuit religio. Proinde qui monumentum patris violasset, huic, sicut & parricidis, Erinnes furias ultrices immittebant, neque quicquam prosperè succedebat. Et quod propius hanc materiam spectat, si quis infans nascatur, cujus capiti amnii pars adhæret, cum galea nasci dicitur: Communis vulgi opinio est, ejusmodi nativitatem pueris multa portendere, & ita natos aliis esse magis perspicaces, eaque videre, quæ alii videre nequeunt. Inde, apud nostrates saltem, vulgare illud natum est proverbium, quo hominem sagacem ac perspicacem designare cupientes, cum cum galea natum dicant. Eodem modo ex communi illa Judæorum opinione, quâ omnes in ista matris suæ iniquitate conceptos crediderunt sceleratos & effrænes, facilè illa consuetudo loquendi fluxit, quâ hominem insigniter peccatorem vocarunt *in iniquitate genitum*. Huc respicere videntur Pharisæi, quando cœco nato, cui Christus visum restituerat, cum indignatione exprobrant, *in peccatis natus es totus*, *Joan.* ix. 34. ex cœcitate, quâ cum natus erat, colligentes ipsum in tali iniquitate genitum, ac proinde hominem esse profanum ac impium. Nihil itaque aliud David hac loquendi phrasi de se affirmare voluit, nisi, se gravissimum esse peccatorem. Vel dici potest, hîc subintelligi particulam *sicut*, quam plurimis in locis subintelligi debere notissimum est; ut *Psal.* xi. 1. xxii. 14. ita ut sensus sit: *Ecce sum sicut in iniquitate genitus*, id est, homo sceleratus, peccato deditus, & concupiscentiæ carnalis servus. Et hæc explicatio statui Davidis, & totius Psalmi, quo peccatum suum amarissimè coram Deo deflet, argumento quam maximè est consentanea: per eam quippe introducitur David peccatum & impietatem suam coram Deo verbis maximè emphaticis confitens ac deflens, ut per apertam istam confessionem, & peccati seriam detestationem; illius remissionem à Deo consequatur.

XVII Sextus locus est *Eph.* ii. 3. *Sumus naturâ filii iræ*. Resp. 1. Solere hunc locum aliter citari, quàm apud Apostolum legitur: non enim dicit, ἐσμὲν, *sumus*, sed ἦμεν, *eramus naturâ filii iræ*; quo manifestum est Apostolum statum præsentem, in quo tunc Ephesi erant, opposuisse statui præterito. Sed nec exinde colligi potest, Apostolum respexisse ad statum ipsorum, quem à natura, hoc est, ut illi volunt, & nativitate sua habent, & ideo loqui in præterito imperfecto, quia nunc in alium statum per gratiam Dei translati erant: quia sic non debuisset dicere, *eramus naturâ filii iræ*, sed, *sumus naturâ filii iræ*; id est, respectu naturalis nostræ originis filii iræ sumus (quemadmodum propterea semper in tempore præsenti, contra omnium exemplarium fidem, locus hic à corruptionis originariæ patronis citari solet) per gratiam autem Dei à statu iræ liberati sumus, & in statu salutis collocati. Nunc autem dicendo, *eramus naturâ filii iræ*, ostendit ipsos non tantum filios iræ non amplius esse, sed nec esse naturâ filios iræ. Quod clarius liquebit, si consideraverimus iræ hujus causam, & vocis *naturæ* genuinam significationem. Causa iræ hujus non assignatur corruptio aliqua *Eph.* ii. 3.

liqua naturalis, sed peccata actualia, in quibus Ephesii ante *ambulaverant secundum seculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris, facientes voluntatem carnis & cogitationum: vers.* 2,3. Per ejusmodi ambulationem dicit eos fuisse *naturâ filios iræ;* quod non significat a nativitate; ille enim iræ status non potest esse effectum hujus ambulationis, sed ex horum doctorum sensu, ejus causa est: neque innuit Apostolus corruptionem hanc, quam à natura habebant, hujus ambulationis caussam esse, indeque eos in iram Dei incidisse; nam *filium iræ* esse conjungit cum voce *naturâ;* adeo ut, si horum doctorum interpretatio valeat, jam filii iræ fuerint, antequam in peccatis illis ambularent: quod Apostolo manifestè contrariatur. Unde evincitur, phrasin *naturâ* hîc non significare, à nativitate, sed verè, seu reverâ, perinde ut *Gal.* IV. 8. *Serviebatis iis qui naturâ non sunt Dii:* hoc est, qui reverâ non sunt Dii. Atque ita verba hæc optimè conveniunt cum toto contextu. Ambulavimus in desideriis carnis nostræ, & eramus verè filii iræ, id est, verè sub irâ ac maledictione Dei eramus, quemadmodum & reliqui homines: sed Deus per gratiam suam nos ex statu iræ liberavit, & in statu salutis collocavit; adeo ut nunc iidem illi non simus, qui eramus.

Refutatio rationum. 1. Quod Adamus peccator necessario peccatores genuit.

XVIII. Hisce Scripturæ Sacræ locis etiam rationes quasdam subjungunt. Prima est. Adamus per generationem non potuit in posteros propagare, nisi quod ipse habuit; cùm itaque peccato fuerit infectus, necessariò etiam peccatores progenuit, quia *qualis est radix, tales etiam sunt rami: Rom.* XI. 16. Resp. 1. Verum est, Adamum non potuisse per generationem propagare, quo ipse destitutus erat; sed exinde non sequitur, Adamum quicquid habuit in posteros propagasse; sed solummodò ea, quæ per propagationem communicari possunt. Certè, secundum communem Theologorum sententiam, quæ maximè probabilis est, Adamus animam suam non propagavit in posteros; quia natura animæ, utpote spiritus, talis est ut propagari non possit. Idem dicimus de peccato, quod est personalis cujuscunque hominis actio; peccantemque non egreditur: impossibile est ut illud per generationem in alios propagetur. 2. Quod attinet locum *Rom.* XI. 16. non ibi generatim legitur, qualis est radix, tales etiam sunt rami; sed, *si radix est sancta, etiam rami sancti sunt.* Atqui per *sanctitatem* hic non intelligitur qualitas inhærens, seu virtus sanctitatis impietati opposita; sed externa sanctitas, seu separatio populi Judaici à reliquis mundi hujus populis; quam Deus fecit, quando ipsorum radicem, hoc est patrem ipsorum Abrahamum, elegit, ut ejus ramos, id est, ex ipsius posteris semper aliquos sibi reservet, & à communi gentium perditione liberet, ex speciali erga Abrahamum favore: adeo quidem, ut licet aliqui per infidelitatem suam ex trunco exscindantur, alii tamen ex gentibus per fidem in Jesum Christum inserantur, & pro Abrahami filiis, tanquam rami in truncum inserti, reputentur. Hoc sensu sanctitas populo Israëlis tributa passim legitur, *Exod.* XIX. 6. *Deut.* XIV. 2. Quid hic reperire est, quod aliquam cum corruptione originaria, ab Adamo in posteros derivata, affinitatem habet? Si tamen hoc exemplum urgere velint, necesse est fateantur, sicut Adamus peccatum suum propagavit in posteros, ita etiam Abrahamum suam justitiam in posteros suos propagasse. Quod nec illi dicent, & revera absurdum est.

2. A circumcisione.

XIX. Secunda. Circumcisio fuit remedium contra peccatum originis. Resp. Gratis id dicitur, extra Scripturam. In contrarium militant rationes non paucæ, & graves, quas, cum de circumcisione sumus acturi, proponemus.

3. A baptismo infantium.

XX. Tertia. Baptismus infantium est ablutio peccati: non autem alterius quàm originalis, quia actualia non commiserunt. Resp. 1. Infantium baptismus nusquam à Christo nec Apostolis est præceptus; neque ullum exemplum ex Scriptura Sacra proferri potest, unde indubitato constat infantes ab Apostolis baptizatos fuisse. Quamvis itaque illum licitum fateamur, & piè ac decenter infantibus administrari posse: illius tamen necessitas ex Scriptura adstrui non potest; imo illa tertio vel quarto demum seculo introducta est. 2. Necesse non est baptismum in infantibus designare ablutionem peccatorum; potest denotare obligationem ad vitæ sanctimoniam sine expressa denotatione ablutionis peccati: & à parte Dei obsignare promissionem vitæ æternæ, sine expressa significatione remissionis peccatorum, quæ adultis propria. Perinde ut hæc designavit in Domino Jesu Christo, peccati omnis experte.

4. Quod Christus etiam sit infantium Servator.

XXI. Quarta. Si infantes non sunt peccato inquinati, ergo Christus non est eorum Servator. Resp. Servator est illorum, non quia eos mundat à peccato, quod in infantes non cadit: sed quia liberat à morte, quam per naturalem generationem ab Adamo trahunt, & ex qua nulla nisi per Christum datur liberatio. Statuimus ergo infantes in infantia morientes servari, non per naturalem ipsorum innocentiam, sed per redemptionem Jesu Christi.

5. Quia in infantibus se produnt indicia malitiæ.

XXII. Quinta. In infantibus se produnt indicia malitiæ; unguibus lacerant, mordent, &c. Resp. Sunt hæc omnia solummodò naturales appetitus habendi quod carni gratum, & aversandi quod carni ingratum & molestum est: quibus ante rationis usum nulla vitiositas moralis propriè dicta inest.

XXIII.

6. Quia infantes moriuntur. XXIII. Sexta. Infantes moriuntur, ergo sunt peccato infecti: quia mors est peccati consequens, *Rom.* v. 12. illiusque stipendium, *cap.* vi. 23. Resp. Mors naturalis, quam ab Adamo trahimus, non est propriè pœna peccati, sed naturale tantum consequens, quod ab Adamo, ob peccatum pœnâ mortis punito, in nos derivatur; neque *Rom.* v. 12. infantes respici, antea ostendimus. *Cap.* autem vi. 23. loquitur Apostolus de morte, quæ pœna seu stipendium peccati est: illa autem non est mors naturalis, quam infantes moriuntur; quia opponitur vitæ æternæ, ibidem: mors autem naturalis, quæ piis via ad vitam æternam est, illi rectè non opponitur, sed sola mors æterna. Illa verò solos peccatores, voluntariâ malitiâ præcepta Dei transgredientes, manet: estque illa, quæ alibi vocatur *mors secunda. Apoc.* xx. 14. Atque hunc genuinum loci hujus esse sensum inde evincitur, quod non dicat Apostolus, mors est stipendium peccati; sed stipendium peccati est mors: qui sunt duo sensus valde diversi. Priore enim modo si legantur verba, sensus erit, mortem nullam esse, nisi quæ sit stipendium peccati. Posteriore autem modo lecta, significant, peccatum quodcunque mereri mortem, & homines ad mortem ducere. Et hoc est, quod in loco illo docere intendit Apostolus. Nam dixerat antea, fideles ante suam conversionem fuisse servos peccati; nunc autem liberatos esse à servitute peccati, & factos esse servos Dei & justitiæ. Ut autem eos in hoc suo statu confirmet, addit utriusque servitutis fructum & finem, peccati quidem mortem; justitiæ vero vitam æternam. Quod hac ratione confirmat: quia stipendium peccati est mors; Dei autem, cui per justitiam serviunt, donum gratuitum est vita æterna per Jesum Christum. Sic probare voluit, servos peccati alium non posse exspectare fructum suorum operum, quàm mortem. Idem Apostolus Jacobus docet, *cap.* I. 15. quod peccatum consummatum parit mortem. Exinde autem non sequitur, quamcunque mortem esse stipendium peccati, omnesque, qui moriuntur, esse peccatores. Non magis, quàm si dicerem, prodigalitatis fructus seu stipendium est paupertas, inde aliquis colligere vellet, omnes pauperes fuisse prodigos, & paupertatem nullis evenisse nisi ob prodigalitatem: cùm ex parentibus prodigis, & per prodigalitatem ad extremam inopiam redactis, nascantur liberi pauperes, absque ulla propria culpa, qui, si parentes prodigi non fuissent, paternarum divitiarum fuissent hæredes. Idem si hîc observetur, apparebit locum hunc nullo modo applicari posse infantibus, neque ex illo concludere licere, quòd infantes, quoniam moriuntur, sint peccatores: sed tantum Apostolum loqui de iis, qui seipsos constituerunt servos peccati (quod in infantes non cadit) & de iis pronuntiare, quòd mors, nempe quam Deus peccati servis comminatus est, sit fructus ac stipendium, quod peccato eorum merentur, & quam neutiquam evadere queunt, nisi gratia divina per Christum ex ea liberentur.

XXIV. Septima. Corruptio originaria est malum. Ergo vel est malum culpæ, vel pœnæ. Si malum culpæ, peccatum est. Si malum pœnæ; quæritur cujus peccati sit pœna? an Adami? atqui sic innocenti pœna à nocente contracta infligitur. An vero nostri? atqui sic aliud peccatum originali prius in nobis est. Resp. Non esse hic sufficientem partium enumerationem. Est nimirum tertii generis malum, naturale nempe, quod nec culpæ nec pœnæ malum est. Talis est cœcitas cœci illius *Joan.* ix. 3. de quo cum discipuli interrogarent Dominum, utrum ille an verò parentes ipsius peccassent, propterea quod cœcus natus esset? respondit Dominus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Ejus generis sunt mala & afflictiones, quas Deus piis seque timentibus ad fidei ac constantiæ ipsorum explorationem immittit; ut Jobo, fidelibus ac Ecclesiæ suæ. Et ad ejusmodi generis mala, quæ neutra sunt, corruptio illa, quæcunque nobis à natura inest, referri debet: nempe non est peccatum, neque pœna, nostri respectu: est tamen malum aliquod naturale, quod ex occasione pœnæ Adamo inflictæ ad nos promanavit, seu carentia boni cujusdam, quo alias gravisi fuissemus: quoniam Adamus bonum, quo ipse propter peccatum spoliatus est, ad nos propagare non potuit. *7. Quia corruptio originaria non est malum pœna, ergo culpa.*

XXV. Potuissemus nunc hac disputatione defungi. Verùm cum hodie quidam ulterius procedant, & non contenti asserere infantes nasci habitu peccati infectos, commento hactenus inaudito infantibus nondum natis, & adhuc utero materno conclusis, adscribant peccata actualia, quod à prima animæ cum corpore unione non nisi stulta cogitent, & actualem à Deo aversionem, quam repetitis jugiter actibus confirment, unde vitiosus habitus, quam corruptionem originalem appellamus, exoriatur; atque ita hîc etiam locum habeat, quod homo prius actu quàm habitu se corrumpat, paucis commenti hujus novi absurditas ostendenda est. Ac primo quidem, cum jam abunde ostensum sit, nullum propriè dictum peccatum esse in infantibus, cùm in lucem eduntur; sequitur nec actuali peccato inquinatos esse ante suam nativitatem. Sed præterea ab omni ratione alienum est, infantibus, qui nondum usu rationis pollent, qui nesciunt quid sit honestum & inhone- *Infantes in utero materno non peccant actualiter.*

honeſtum, tribuere peccata actualia. De infantibus jam natis dicitur, quod *neſciant bonum & malum: Deut.* I. 39. *Eſa.* VII. 16. & *quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam, Jonæ.* IV. 11. ac proinde, quod in illa ætate propriè peccare nequeant. Quis itaque infantibus nondum natis, & à prima ſtatim animæ cum corpore unione, adſcribat ſtultas cogitationes, & actualem à Deo averſionem, niſi aperto Dei verbo, ac manifeſtæ rationi vim facere velit? Scriptura dicit de infantibus nondum natis, quod *nec boni nec mali quippiam fecerint, Rom.* IX 11. Quanta itaque abſurditas eſt, de iis affirmare, non tantum quod actu peccent, ſed & repetitis jugiter actibus vitioſum peccandi habitum contrahant, antequam nati ſint? Præterquam quod mera ſit contradictio, quando affirmant, infantes actualem à Deo averſionem, & ad carnalia inclinationem, in ipſis operationis ſuæ primordiis pati. Si enim patiantur iſtam averſionem à Deo, quâ ratione peccant? Qui enim merè paſſivè ſe habet, ſubjectum tantum eſt operationem alterius recipiens, in qua ſi quod vitium ſit, non ſubjecto recipienti, ſed cauſæ ea adſcribenda eſt. Verùm ita uſu venire ſolet, ut qui monſtroſas & rectæ rationi ac Scripturæ directè adverſantes opiniones excogitant, etiam portenta loquantur, & dum magnificis verbis commenta ſua exornare cupiunt, contradictionibus implicentur. Ipſe Auguſtinus, quamvis acer corruptionis originariæ patronus, hanc ſententiam, quæ infantibus peccata actualia attribuit, ut abſurdam & ſeipſam evidenter deſtruentem, rejicit & traducit de peccat. Merit. & Remiſſ. lib. 1. §. 22. *Qui dicunt parvulos ideo baptizari, ut hoc eis remittatur, quod in hac vita proprium contraxerunt, non quod ex Adam traduxerunt, non magno molimine refellendi ſunt. Quando enim ſecum ipſi paululum ſine certandi ſtudio cogitaverint, quàm ſit abſurdum nec dignum diſputatione quod dicunt, continuo ſententiam commutabunt. Quod ſi noluerint, non uſque adeo de humanis ſenſibus deſperandum eſt, ut metuamus, ne hoc cuiquam perſuadeant. Ipſi quoque ut hoc dicerent, alicujus alterius ſententiæ præjudicio, niſi fallor, impulſi ſunt: ac propterea cum remitti baptizato peccata neceſſario faterentur, nec fateri vellent ex Adamo ductum eſſe peccatum, quod remitti fatebantur infantibus, ipſam infantiam coacti ſunt accuſare: quaſi accuſator infantiæ hoc ſecurior fieret, quòd accuſatus ei reſpondere non poſſet. Sed iſtos, ut dixi, omittamus; neque enim ſermone vel documentis opus eſt, quibus innocentia probetur infantium, quantum ad eorum pertinet vitam, quam recenti ortu in ſeipſis agunt, ſi eam non agnoſcit ſenſus humanus, nullis adminiculis cujuſquam diſputationis adjutus.* Et §. 64. *An vero & hoc quæritur, & de hoc diſputaturi & tempus ad hoc impenſuri ſumus, ut probemus atque doceamus, quomodo per propriam voluntatem, ſine qua nullum vitæ propriæ poteſt eſſe peccatum, nihil mali commiſerint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocentes? Nonne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conſcriptæ legis ſenſus aut motus, nullus in alterutram partem rationis uſus, hoc multo teſtatiore ſilentio, quàm ſermo noſter, proclamat atque indicat? Valeat aliquid ad ſeipſam perſuadendam ipſa evidentia: nam nuſquam ſic non invenio quid dicam, quam ubi res de qua dicitur, manifeſtior eſt quàm omne quod dicitur.* Quid Auguſtinum credimus dicturum fuiſſe, quanta animi deteſtatione exſibilaturum monſtroſam hanc opinionem, quæ infantibus nondum natis, & adhuc utero materno concluſis, adſcribit peccata actualia, ſtultas cogitationes, & actualem à Deo averſionem, quam repetitis jugiter actibus confirmant, aliaque his connexa? Sed vero idem, quod Auguſtinus de ſui ſeculi hominibus dixit, quod alicujus alterius ſententiæ præjudicio impulſi ſint ut hoc dicerent, etiam in hodiernos abſurdi hujus patronos quadrat. Agnoſcunt cum Auguſtino corruptionem originariam: & ſimul tanquam indubitatam veritatem tuentur, animam eſſe meram cogitationem, ac proinde infantes à prima animæ cum corpore unione actu cogitare: ſuppoſitâ itaque corruptione originaria, huic ſuppoſitioni conſentaneè infantibus ſtultas cogitationes & actualem à Deo averſionem tribuunt. Hoc autem cùm è diametro contradicat lumini rationis, & ſacræ ſcripturæ, conſentaneum eſt ut harum opinionum, unde hoc conſectarium neceſſario deduci ipſi fatentur, alterutram rejiciant; ac proinde, vel ſententiæ de corruptione originaria, qualem urgent, renuntient, aut, ſi cum Auguſtino eam tueri cupiant, ſolam cogitationem eſſe animæ eſſentiam non contendant, nec infantibus nondum natis actuales cogitationes adſcribant.

CAPUT V.

De pœna peccati originis.

I. RESTAT nunc, ut quæ ſit peccati originalis pœna inquiramus. Scholaſtici communiter ſtatuunt peccatum originis mereri pœnam damni, hoc eſt, æternam è regno Dei excluſionem, abſque ullo doloris ſenſu: ab ea autem infantes liberari per baptiſmum, qui peccati originis reatum tollit: ideoque finxerunt limbum infantium, in infantia abſque baptiſmo, ut olim abſque circumciſione, decedentium, *Sententia Scholaſticorum.*

in

in quo absque ullo doloris sensu captivi detinentur. Hæc sententia, si benignè accipiatur, rejicienda non est. Sicut enim peccatum originis, quod vocant, non est verum ac propriè dictum peccatum: ita etiam pœnam propriè non meretur. Quoniam verò mors in omnes homines ab Adamo derivata analogiam cum pœna habet; non multum repugnamus, ut pœna vocetur, modo constet pœnam non esse propriè dictam, sed analogicè ita vocatam. Mortem, ex qua non datur liberatio, ab Adamo trahi antea ostendimus: neque id ullo modo injustum: quia Adamus, necessitate moriendi ob peccatum punitus, eandem etiam in posteros propagare debuit; neque ullâ lege Deus obligatur, ad mortem illam abolendum, hominibusque vitam restituendum.

Infantes, etiam non baptizati, servantur. II. Quod de limbo infantium absque baptismo morientium adducunt, merum est commentum. Tum: Baptismus & circumcisio nusquam vocantur remedium contra peccatum originis. Imo omnes infantes, sicut per Adamum moriendi necessitati subjiciuntur; ita, nostro judicio, ex morte liberantur per Christum, sive baptizati sint, sive non: non enim gratia divina ita huic signo alligata est, ut Deus extra illud eam non communicet. Ad omne enim genus humanum pertinet promissio de semine mulieris serpentis caput contrituro, *Genes.* III. 15. Constat autem apud omnes, liberos participes esse privilegiorum parentibus concessorum, nisi novâ inobedientiâ se illis indignos reddant. Infantes verò in infantia decedentes novæ inobedientiæ reatum non contraxerunt, sive baptizati sint, sive non. Ergo omnes illa promissione comprehensi sunt. 2. Dominus de infantibus in genere dicit, *Matth.* XIX. 13, 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.* Dices. Non ait Dominus, illorum est regnum cœlorum, sed *talium.* Resp. Verum: atqui non tantum dicit, *talium est regnum cœlorum*, sed & infantes ad se invitat, manibusque impositis benedictionem divinam iis precatur, addita hac ratione, *talium enim est regnum cœlorum*: quæ omnia evidenter evincunt, infantes hisce verbis etiam comprehensos. Dices. Ait tamen Servator, *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus sit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.* Resp. 1. Non loquitur Dominus de baptismo, sed de regeneratione, quæ aquæ instar est, nosque à peccatis purgat: perinde ut *Tit.* III. 5. *Lavacrum regenerationis*, ipsam denotat regenerationem, quæ lavacri instar est. 2. Agitur de adultis, qui regenerationis capaces sunt, non de infantibus: quod textum inspicienti liquebit.

Sententia Contraremonstrantium de salute & damnatione infantium. III. Contraremonstrantes docent peccatum originis mereri æternam pœnam sensus, seu æternos ignis infernalis cruciatus: adeo quidem, ut multi infantes in infantia decedentes in æternum igne infernali sint torquendi. Ita communiter Doctores Contraremonstrantes de infidelium liberis in infantia morientibus docent. Quod fidelium liberos attinet, de illis non apertè proponunt sententiam suam. Quidam disertis verbis docent, illud electionis ac reprobationis discrimen etiam inter illos locum habere, ac propterea aliquos fidelium liberos, in infantia morientes, in infernum præcipitandos, uti Paræus, Zanchius, Perkinsius, Donteklok: etiam Arthur Hildersham in Psal. LI. lect. 45. Clarum est, Deum „iram suam declarasse contra peccata infan„tium; non tantum odio prosequendo ip„sorum peccata, sed & personas, *Rom.* IX. „11, 13. neque tantum ipsis infligendo pœ„nas corporales, sed & conjiciendo in in„fernum. Et ne dubitemus, utrum agat de fidelium liberis, locus *Rom.* IX. de fidelium liberis agens, omnem hic dubitationem „tollit. Pag. seq. dicit esse errorem damnabi„lem, quod omnes in infantia morientes „certo sint adepturi cœlestem hæreditatem: „è contra statuit, multos infantes fuisse va„sa iræ, & titiones inferni. Alii, illud apertè fateri non audentes, malunt verbis ambiguis sententiæ suæ fœditatem tegere; dicendo, nos juxta revelatam Dei voluntatem, fœderis divini formulis expressam, & judicium charitatis, omnes fidelium liberos, utpote eodem cum parentibus suis fœdere comprehensos, habere debere pro electis. Sed cùm statuant voluntatem Dei occultam sæpe contrariari revelatæ, nosque secundum revelatam obligari aliquando ad credendum, quod tamen secundum arcanam falsum est; & secundum judicium charitatis multos habendos pro electis, qui reverâ electi non sunt; patet hic nullam fidei certitudinem esse, ipsosque hoc solummodò ad dissimulandum sententiam suam, cujus fœditatem quantum possunt tegere student, excogitasse.

Refutatur. IV. Sed quicquid sit, sive pœna hæc solis tantum infidelium liberis applicetur, sive etiam ad quosdam fidelium infantes extendatur, sententia hæc est absurda, & tam Scripturæ, quàm rectæ rationi repugnat. Non repetemus hic argumenta nostra, quibus contra Scholasticos omnes infantes in infantia morientes cœlo recipiendos comprobavimus; quæ & hanc sententiam evertunt: sed illis hæc addimus.

1. Quia Deus comminatus Adamo. V. Primò. Adamus, qui verè ac propriè peccatum commisit, pœnæ cruciatuum infernalium non fuit subjectus: non enim, uti antea ostendimus, illam pœnam Deus illi comminatus est: & pœnæ, in quam per peccatum incidit, juxta communem Theo-

Theologorum sententiam, remissionem à Deo consecutus est: Ergo neutiquam credibile est, Deum illius posteros, qui in Adami peccatum non consenserunt, nec illius ullatenus conscii fuerunt, imo aliquot seculis post illud commissum demum sunt nati, propter illud gravissimâ æterni ignis pœnâ puniturum.

2. Esset Adami peccatum validius ad damnandum, quam Christi obedientia ad salvandum.

VI. Secundo. Adami trangressio majorem haberet vim ad perdendum & condemnandum, quàm Christi obedientia ad salvandum. Quoniam Adami peccatum omnes homines (juxta ipsos) in æterni ignis reatum præcipitavit: Christi verò obedientia paucos solummodò (reliquorum respectu) hoc est, absolutè electos ex perditione redemit in salutem. Contra expressa Apostoli verba *Rom.* v. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum: Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in multos abundavit.* Respondent: Nihilominus Christi obedientiæ majorem inesse vim ad salvandum, quàm Adami transgressioni ad perdendum: quia excellentius multò est, à morte eripere, quàm perdere: Magistratus facili negotio multos potest occidere, sed neminem occisum è morte resuscitare. Ref. 1. Tam habetur ratio numeri, quàm doni; neque enim tantum ostenditur, donum Christi præstantius fuisse, sed & numerum eorum, quibus salutis causa est Christus, non cedere numero eorum, quos Adamus condemnationi involvit: uti illud oppositio inter *unum*, & *multos*, vel *omnes*, toties repetita clarè ostendit. 2. Magistratus tam facile potest condemnatum dimittere, quàm eum condemnare potuit: atqui talis est noster status; sumus tantùm sub reatu condemnationis, nondum autem in condemnationem ipsam præcipitati. 3. Nisi & ratio habeatur numeri, major vis inerit peccato Adami ad perdendum, quoniam ad omnes exitium diffundit, quam obedientiæ Christi ad salvandum, per quam minima tantum hominum pars salvatur. Sicut rectè dicitur, veneno, quod omnibus lethale est, majorem inesse vim ad occidendum, quàm antidoto, quod paucis tantum levamen adfert, ad sanandum.

3. Repugnat justitia Dei.

VII. Tertiò. Repugnat & justitiæ & misericordiæ Dei, ob solum peccatum originis infantes æternis ignis infernalis cruciatibus torquere. Justitiæ quidem: 1. Quia illa non permittit, ut pœnam à nocente contractam luat insons, qui nec boni nec mali cognitionem habet, *Deut.* 1. 39. Aliud de Deo credebat Abraham, cui cùm Deus revelaret, se civitates Sodomam & Gomorrham ob peccata horrenda perditurum, tam severo Dei judicio territus, exclamat *Genes.* XVIII. 25. *Absit à te ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius; non est hoc tuum: Qui judicas omnem terram nequaquam facies judicium hoc:* quia credebat, forte aliquos justos in illis civitatibus latere. Quàm exclamasset, si Deo iniquitatem hanc adscribi audiret, quod, nocente præterito ac dimisso, peccatum illius in posteris, imo tenellis infantibus igne, non temporali, sed æterno vindicet? 2. Creatio illis infantibus non esset beneficium, sed summum maleficium. Dominus *Matth.* XXVI. 24. de Juda proditore dicit: *Væ homini illi per quem filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Si Judæ, qui temporalis habuit peccati jucunditatem, præstitisset non esse natum: quanto satius foret tenellis hisce infantibus, nunquam esse natos, quàm exiguum illud vitæ momentum, cujus nullam aut exilem admodum habuere cognitionem, æternis permutare flammis?

Et misericordia.

VIII. Misericordiæ vero: 1. Quia tantoperè Dei philanthropia commendatur, quà Deus hominum peccatorum est misertus: quoniam eam erga solos homines ostendit, non erga angelos, quos quando peccaverunt absque gratia vinctos catenis caliginis servavit in judicium: Unde *Hebr.* 11. 16. *Angelos utique non apprehendit, sed semen Abrahæ.* Atqui hac ratione rigidius ageret Deus cum hominibus, quàm cum diabolis: quia diabolos non nisi propriâ & evitabili culpâ nocentes rejicit: homines verò ac tenellos infantes innocentes, saltem non propriâ culpâ nocentes, æternis infernalis ignis flammis traderet. 2. Jurat Deus, nolle se mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: *Ezech.* XXXIII. 11. multò minus vult tenellorum infantium æternos cruciatus. 3. Amor Dei erga homines excedit amorem matris erga suum infantem: *Esa.* XLIX. 15. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* At quæ mater tenellum suum infantem lento igne torreri conspicere, miserabilesque ejus ejulatus audire sustineret? Hominumque amantissimus Deus illos æterno igne torquebit? 4. Propter infantium innocentiam Deus nocentibus parcere vult, *Jonæ.* IV. 10, 11, *Ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam?* Qui infantes propter innocentiam non vult delere temporali excidio, imo nocentibus propter ipsos parcit; illumne credemus eos in æternum cruciatibus intensissimis absque ulla intermissione torquere velle? Absit.

In Christo omnibus est remedium ad salutem.

IX. Imo licet concederetur, quod tamen concedendum non est, peccatum originis mereri æternos ignis infernalis cruciatus; exinde tamen nullatenus concludi potest, Deum aliquos infantes, in infantia sua morientes,

rientes, in ignem infernalem præcipitare: quia generale in Christo omnibus hominibus remedium præparavit: quod non tantum Apostolus *Rom.* v. 12. *& seqq.* prolixâ suâ inter Christum & Adamum collatione probat: sed & verbis expressis docet 1 *Cor.* xv. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

Nulli fidelium infantes baptizati damnantur.

X. Atque exinde manifestæ falsitatis illorum sententia convincitur, qui non tantum infidelium, sed & quosdam fidelium liberos, etiam sacro baptismatis ritu tinctos, atque ita sigillo fœderis divini obsignatos, in infantia morientes, igni infernali addicunt. Præterquam enim quod sententia hæc manifestè generali isti fœderi divino, quo omnes homines ex morte, quam ab Adamo trahunt, per Christum liberavit, contradicit; etiam in baptismum, ac proinde in Deum ipsum baptismi institutorem, manifestè injuria est. Est quippe baptismus sigillum externum fœderi divino additum, quo Deus testatur se omnes, qui ritè baptismum recipiunt, in fœderis sui societatem recipere paratum. Si ergo baptizatorum infantium aliqui propter peccatum originis ad æternum ignem sunt prædestinati, sequitur solenni hoc fœderis divini sigillo aliquos tanquam fœderatos Dei obsignari, quos Deus nunquam fœdere suo dignatus est, quosque ab æterno fœdere suo exclusos esse voluit: ac proinde Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, in quorum nomine baptismus administratur, testes invocari rei incertæ, dubiæ, fallacis, & multorum respectu falsæ: quod horrendum est. Unde Zanchius, ad absurdum hoc evitandum, vult infantes semper baptizari sub hac conditione, vel expressâ, vel subintellectâ: ***Ego ô Deus hunc baptizo secundum electionem & propositum divinæ voluntatis tuæ.*** Quo ipso tota hæc baptismi administratio convertitur in signum dubium ac incertum, & parentes fideles, dum liberis baptismum administrari procurant, incerti relinquuntur, utrum eos fœderi suo Deus inclusos voluerit: secundum judicium charitatis illud de liberis suis sperare, verùm nullâ quæ in fide requiritur certitudine, quæ fallere nequit, credere possunt. Præsertim cùm de baptizatis fidelium infantibus Doctores illi apertè scribant, quando contingit, ut progressu ætatis impiâ & profanâ vitâ suâ ostendant se non habere spiritum regenerationis, non posse à nobis dici, eos amisisse spiritum; sed hoc certum indicium esse, ipsos nunquam eum habuisse.

CAPUT VI.

De propagatione peccati per Adami posteros, & naturæ Legis ad id reprimendum impotentia.

Peccati progressus.

I. POstquam primus homo peccandi initium fecit, omnesque suos posteros morti necessariæ involvit, temporis progressu peccati vis in posteris illius mirum in modum est aucta, adeo ut variis peccatis sese coram Deo contaminarint, & propter illa destituti sint gloria Dei, *Rom.* III. 23. Non procul à mundi initio Cain invidia accensus fratrem suum Abelem interemit; & mox in Caini familia incrementum cœpit malitia; uti in Lamecho aliisque videre est. Familia Sethi, licet aliquamdiu puriorem Dei cultum servarit, in eaque cœtus piorum, ad laudes Dei celebrandas convenientium, habiti sint, *Genes.* IV. 26. etiam sensim tota ad impietatem deflexit, adeo ut Deus integrum mundum, unico Noacho cum familia excepto, diluvio exstinxerit. Neque ullum, quo peccati vis in ordinem cogeretur, satis validum fuit atque efficax remedium: quia destituti erant homines clarâ gratiæ divinæ promissione atque exhibitione, quæ nunc per Redemtorem Jesum Christum manifestata est, 2 *Tim.* I. 9.

Lex naturæ ad id reprimendum invalida.

II. Voluit Deus superesse legem naturæ, seu rectæ rationis lucem, quæ discrimen inter honestum ac turpe dictaret, & actionum humanarum regula foret. Verùm licet illa in se sufficiens esset ad hominem dirigendum, tamen ad peccati dominium exstinguendum planè invalida fuit. Peccati quippe jugum non sine maxima lucta animique molestia excutitur. Est nimirum in homine duplex appetitus, secundum duplex bonum, quod appetitus humani objectum est; aliud est utile seu jucundum; aliud honestum: seu, aliud jucundum est carni ac sensibus, aliud animo ac menti: solum quippe jucundum appetitus humani videtur objectum. Fit autem sæpe, ut bonum, quod est utile aut jucundum carni, non sit honestum; & vice versa, quod honestum est, nec utile carni nec jucundum sit, sed maximo cum dolore ac molestia carnis conjunctum. Est in homine appetitus, ut semper aliquam ex factis suis utilitatem percipiat, saltem nullum exinde dolorem sentiat. Est ab altera parte ratio, quæ suadet semper faciendum quod honestum est, licet nulla cum utilitate, imo maximo cum corporis nostri dolore conjunctum sit. Sensibile autem bonum sæpius sensibus occurrit, cum voluptate percipitur, atque perceptum firmiter phantasiæ inhæret, gratamque sui memoriam relinquit; quæ au-

 tem

tem tristia sunt, horridam sui imaginem phantasiæ imprimunt. Appetitus autem, qui fertur in id quod rationi consentaneum est, nullam talis boni delectabilis speciem habet. Verum quidem est, actiones honestas sequi voluptatem sinceram ac spiritualem: sed illa nec semper in ipsa propriè actione percipitur, sed eam sequitur: nec ulli, nisi qui per honestarum actionum patrationem illam percepit, cognita est; unde exiguam admodum vim habet ad peccatorem ad virtutis amorem excitandum. Voluptas autem, quæ ex bono carni delectabili percipitur, in ipsa actione sese prodit, atque ita omnibus hominibus, etiam ante rationis usum, cognita est, suique gratam imaginem profundè ipsorum phantasiæ imprimit. Hinc fit, si bonum honestum non sit cum utili aut jucundo in ipsa actione conjunctum, ut homo illud non appetat; imo si noxium ac molestum sit, ut refugiat; licet ratio dictet illud appetendum, ac proinde illud alioqui sequi mallet; & è contra sequatur inhonestum, quia vel utile est vel jucundum, licet ratio id damnet, ac proinde illud sequi nollet; atque ita in lucta rationis adversus carnem ratio facile succumbat, homoque vix ad sectandum honestum induci possit, nisi sibi adjunctum habeat utile vel jucundum. Accedente itaque peccandi consuetudine, quæ rationis dictamen sensim obliteravit, & jucundi appetitu vehementer adaucto, sola lex naturæ ad peccati jugum excutiendum invalida est.

Signa quædam gratiæ & justitiæ divinæ.

III. Deus itaque jam ab initio aliqua gratiæ suæ indicia inter homines exstare voluit, ut ita amorem justi ac recti incenderet, odiumque peccati induceret; seque peccatorum vindicem, remuneratoremque se quærentium, partim monitis quibusdam generalibus ac præceptis, partim promissis ac minis, partim illustribus quibusdam exemplis, demonstravit. Ab Adamo ad Mosen usque religionem naturalem Deus maximè vigere, interim & gratiæ suæ ac justitiæ erga peccatores signa exstare voluit.

Promissio Gen. III. 15.

IV. Primò habemus promissionem generalem & obscuram gratiæ, de semine mulieris serpentis caput contrituro, *Genes.* III. 15. Quæ promissio licet nuspiam ab auctoribus divinis in Novo Testamento Domino Jesu Christo applicetur, tamen nulla est ratio, quæ eam ad Christum referre prohibeat; communis Theologorum sententia hac Christum denotari statuit: quia ille postea nomine *seminis* Abrahamo promissus fuit, *Gal.* III. 16.

Monita quædam generalia.

V. Secundò exstant monita quædam generalia. Judæi septum recensent præcepta Noacho data: sed Scriptura non meminit nisi duorum. Incertis ergo rejectis, ea solummodò, quæ Scriptura nobis refert, considerabimus. *Genes.* IV. 7. occurrit monitum Dei ad Cainum, jam fratricidium animo meditantem, additâ comminatione & promissione: *Nonne si bene egeris erit remuneratio? sin autem male, statim in foribus cubat peccatum: sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illi.* Postea multiplicatâ jam hominum malitiâ Deus Noachum justitiæ præconem misit, & centum viginti annis maxima cum longanimitate impiorum resipiscentiam exspectavit, *Genes.* VI. 3. *&c.* 1. *Pet.* III. 20. 2 *Pet.* II. 5. Postulatum autem resipiscentiæ tacitè remissionis promissionem quidem includit; non tamen claram illius promissionem adhibitam legimus. Statim post diluvium Deus Noacho duo præcepta dedit, de non comedenda carne cum sanguine, & de non effundendo sanguine humano.

Remuneratio pietatis Abelis.

VI. Tertiò habemus illustria quædam documenta, quibus se Deus pietatis remuneratorem, impietatis verò vindicem demonstravit. Remuneratorem quidem pietatis, quando respexit ad oblationem Abelis, quia ex fide profecta, *Hebr.* XI. 4. Caini autem oblationem neglexit, *Genes.* IV. 4, 5. Quod credibile est, Deum externo ac visibili quodam signo demonstrasse, unde tam Abel quàm Cain dignoscere potuit, Abelis hostiam Deo gratam, Caini ingratam fuisse: quia additur statim: *iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.*

Et Enochi.

VII. Sed maxime illustre habemus exemplum in Enocho, qui *cum Deo ambulavit, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Genes.* V. 24. & *Hebr.* XI. 5. dicitur *translatus ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* Quæritur, quo translatus sit Enochus? Putant Pontificii translatum in paradisum terrestrem, sicut & postea Eliam; indeque in fine seculi unà cum Elia egressurum, ut oppugnet Antichristum, ab eoque unà cum Elia occidendum: huncque in finem allegant *Malach.* IV. 5. *Ecce mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*: & quæ *Apoc.* XI. 3, 4. *& seqq.* de duobus testibus Dei dicuntur, quibus Enochum & Eliam designari constanter credunt. Sed verò, quod de paradiso terrestri somniant, quasi ille adhuc exstaret, mera fabula est: uti & de Antichristo in fine seculi ex fornicaria muliere nascituro, & quæ porro de eo maximè fabulosa habent. 2. Elias jam venit, neque ultra exspectandus est. *Matth.* XVII. 12, 13. Dominus dicit, Joannem Baptistam esse illum designatum Eliam, quia nempe *in spiritu & virtute Eliæ* venit, *Luc.* I. 17. 3. Enochi, quasi adhuc venturi, nulla in Scripturis fit mentio. *Apoc.* XI. 3, 4. *&c.* prædicitur duorum Dei testium adventus; at nec Enoch, nec Elias, nominatur: imo eos non designari ratio

ratio evincit; quia absurdum est statuere, eos, qui ante piè coram Deo vixerunt, & jam pietatis remunerationem à Deo obtinuerunt, denuò in mundum esse mittendos ut occidantur. An verò statim in cœlum supremum, æternæ felicitatis domicilium, rapti fuerint, non certò liquet. Credunt multi id fuisse privilegium ipsius Filii Dei Jesu Christi, ut primus corpore & animâ in illud ingressus sit. Quocunque autem recepti sint, hoc Enochi exemplum manifestum fuit documentum Deum amare probitatem, eamque meliori præmio remunerari velle. Quia tamen declaratio hæc vitæ immortalis promissionem adjunctam non habuit, obscurior fuit, neque homines certos reddere potuit, se ex morte in vitam immortalem resuscitandos; quia Enochus ex morte suscitatus non est, sed à Deo translatus, ne videret mortem.

Judicia in peccatores. VIII. Vindicem verò peccati Deus sese ostendit erga Cainum, quem ob fratricidium voluit esse maledictum, vagum ac profugum super terram. *Gen.* IV. 10, 11, 12. Et potissimum in generali diluvio, quod in mundum impiorum induxit, unico Noacho cum familia excepto, *Genes.* VI. VII. VIII. 1 *Pet.* III. 20. Ut ita utroque hoc frœno, spe remunerationis, & metu pœnæ, grassantem impietatem cohiberet.

Incrementum peccati, & origo idololatriæ. IX. Tantum verò abest ut judicium hoc Dei severum hominum impietatem cohibuerit, ut post diluvium magis diffusum sit peccatum. Statim vidit terra Chamum, patris sui Noachi irrisorem, *Genes.* IX. 22. Omnibusque peccatis tanquam colophon accessit idololatria, quam ante diluvium extitisse nusquam legimus: nec etiam tunc fuisse credibile est: quia recens adhuc erat mundi creati memoria: apparitiones Dei erant crebriores; & religionis puritas ab iis, qui vocabantur filii Dei, conservabatur, *Genes.* IV. 26. Post diluvium verò idololatria in mundum introducta est, eaque duplex. Prima, quod homines Deum colerent in imagine: non quod imaginem crederent Deum, sed necessariam ad colendum Deum: atque hæc idololatria in familia Labanis etiam obtinuit: unde & Rachel patris sui Teraphim abstulit: ipseque Jacobum assecutus, expostulat, quod Deos suos abstulisset: *Genes.* XXXI. 19. & 30. Secunda: quod virtus divina affingebatur rebus quibusdam inanimatis, ut Soli, Lunæ, reliquisque astris; idque dupliciter: 1. Ut eorum interventu Deum coli putarent, non aliter quàm si Deus in istis operaretur, & non sine istis operationem ullam exerceret. 2. Ut illas ipsas res Deos crederent, singulisque propriam divinitatem, majorem vel minorem, adscriberent. Idololatriæ hujus duplicis origo hæc fuisse videtur: Prioris quidem, quòd homo simplex cus non, aut vix, intelligat absque phantasmate: inde factum, ut Deum concipientes aliquod illius phantasma sibi fabricaverint; & inde porro in eam sint delapsi opinionem, Deum illi phantasmati esse similem. Posterioris verò; quia Deum non conspiciebant, neque se beneficia aliqua immediatè ab eo accipere deprehendebant, sed per sidera illa, hinc virtutem divinam illis affixam crediderunt. Et sicuti pronum est humanum genus ex beneficiis æstimare Deum, facile eo devenerunt ut nullum alium præter hæc crediderint, Deum: singulisque pro mensura beneficiorum vel majorem vel minorem deitatem adscripserint: Soli majorem quàm Lunæ. Atque ita sensim idololatria ad summum est perducta fastigium.

CAPUT VII.

De fœdere Dei cum Abrahamo.

I. Ita humano genere ad impietatem relapso, placuit Deo specialem eligere familiam, in qua gratiam suam esset ostensurus: & quidem dupliciter; primò, ut in familia illa puriorem sui cultum conservaret: secundò, ut ex eadem Redemtorem, quem jam ante mundo destinaverat, in plenitudine temporis in mundum esset missurus. Hunc in finem familiam illam, & gentem ex illa orituram, ab omnibus aliis populis distinctam voluit; tum ne facile cum illis confunderetur, atque ita in eandem cum illis idololatriam relaberetur; tum ut constaret Redemtorem ex illa familia, cui fuerat promissus, verè ortum: unde & post illius adventum Deus populorum discrimen, utpote non amplius necessarium, abolevit. *Electio familiæ Abrahami.*

II. Familia hæc est familia Abrahami, cum quâ Deus expressè fœdus pepigisse legitur, *Genes.* XV. 18. XVII. 2. Fœdus multi derivant à feriendo, quod mactatâ pecude solebant fœdera pangi: alii Hebræum ברית, à ברה, quod est *eligere;* quia in fœdere est inter partes contrahentes quædam conditionum electio: alii à ברא, quod in Pihel est *succidit*, *scidit*; quia discisso animali fœdera fieri solebant: vide *Jerem.* XXXIV. 18, 19. Unde & Deus nobiscum *fœdus scindere* dicitur, *Deut.* V. 2. *Jerem.* XXXI. 33. Est autem propriè fœdus conventio inter duos, continens & stipulationem, & promissionem. Quando inter pares intercedit, actiones fœdus constituentes plerumque mutuæ sunt, & fœdus propriè dictum est. Sic 1 *Reg.* V. 12. Salomon cum Hiram rege Tyri fœdus pepigit. Quando autem intercedit inter inæquales, ex. gr. Magistratum & subditos, est propriè lex, quâ Magistratus ab una parte obedientiam stipulatur subditorumque defensionem in se suscipit; ab altera parte subditi obedientiam promit- *Fœdus Dei cum illo.*

promittunt, suique protectionem à Magistratu certò exspectant.

Quale id sit.

III. Ejus naturæ etiam est fœdus Dei cum hominibus, quod revera est legislatio; maluit tamen Deus voce fœderis uti, quia benevolum ejus erga homines animum magis declarat, quàm vox legis. Est itaque fœdus Dei cum homine conventio inter Deum ac hominem, quâ Deus lege lata ab homine stipulatur obedientiam; addita promissione sui favoris: homo ab altera parte, obedientiam fœdere præscriptam promittit, & remunerationem ex formula fœderis exspectat.

Quæ in eo spectanda.

IV. Itaque duo in hoc fœdere Dei cum Abrahamo consideraturi sumus. Primò, conditiones fœderis à Deo Abrahamo præscriptas. Secundò, Abrahami in conditionibus præstandis promptam obedientiam. Conditiones fœderis sunt duæ. Prima est officiorum quorundam stipulatio, certis quibusdam præceptis Abrahamo datis exposita. Altera continet promissa quædam divina, si Abrahamus fœderis divini conditiones præstaret.

Primum præceptum, I. Ut exiret Abraham è terra sua.

V. Præcepta Abrahamo data tria potissimum sunt. Primum est, ut exiret è terra & cognatione sua, & è domo patris sui, & *veniret in terram, quam Deus esset monstraturus illi*, *Genes.* XII. 1. Videtur Deus hoc præcepto omnem Abrahamo præcidere occasionem voluisse ac irritamenta ad idololatriam. Vivens enim inter idololatras, facile ad idololatriam allici poterat. An ipse antea idololatra fuerit incertum est. Majores ejus idolis serviisse liquet ex *Jos.* XXIV. 2. Credibile est ipsum fuisse hominem probum pietatisque studiosum; non tamen improbabile est, idolis fuisse addictiorem. Tum & Abrahami animum Deus hoc præcepto explorare voluit. Non enim facile est è solo natali exire, in regionem non tantum ignotam, sed & nondum certò designatam; & religionem à parentibus haustam deserere. Invicto animi robore ad hoc opus est.

II. Ut ambularet coram Deo, &c. Objectum cultus.

VI. Secundum præceptum est, ut Abrahamus *ambularet coram Deo, & esset perfectus*, *Genes.* XVII. 1. Quibus verbis Deus primò cultus objectum Abrahamo præfigit; nim. ut neglectis idolis, quibus majores & consanguinei ejus addicti erant, Deum verum coleret. Non quòd se Deus illi per imaginem quandam manifestaverat, indeque Abrahamus cognosceret, illum Deum, cujus imaginem viderat, colendum: (Deus enim, uti vidimus, conspici nequit, utpote spiritus) sed actu hoc revelationis: atque ita Deum sub hoc conceptu coleret, Deus qui se mihi revelavit. Ita Deus semper ex operibus & beneficiis suis cognosci voluit, quæ & naturam & attributa ejus nobis aliquatenus manifestant, ipsumque speciatim designant, & à fictitiis gentium idolis distinguunt. Unde & pro ratione novorum beneficiorum recens collatorum denominatio Dei inter fideles ejus cultores diversa admodum fuit. Cùm recens adhuc erat mundi creati memoria, vocatus est *Deus, qui creavit cælum & terram*, *Genes.* XIV. 19, 22. Post fœdus cum Abrahamo erectum, *Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi*, *Exod.* III. 6. *& Ero qui Ero*, *vers.* 14. Postea, Deus *qui eduxit populum Israël ex Ægypto è domo servitutis*, *Exod.* XX. 1. Post liberationem à captivitate Babylonis, ab illo ingenti beneficio Deus se denominandum dicit, *Jerem.* XVI. 14. Nunc autem redemtione per Jesum Christum peractâ, semper nominatur *Pater Domini nostri Jesu Christi*. Omnibus illis denominationibus unus idemque Deus designatur, cui hæc beneficia & opera peculiaria sunt, & per quorum singula à diis fictitiis discernitur.

Sensus præcepti.

VII. *Coram Deo* autem *ambulare*, vel est, vitam secundum Dei præscriptum instituere; quod alibi Scriptura vocat *in præceptis*, seu *viis Domini incedere*, *Deut.* XXVIII. 9. *Psal.* CXIX. 1. Vel ita circumspectè ambulare, tanquam si semper coram Deo verseris, ipsumque omnium tuarum actionum inspectorem habeas. Additur, *& esto perfectus*. Cujus præcepti sensus non est, ut nullus in ipso sit, ne quidem leviculus, defectus; sed ut sese sincero animi affectu totum divinæ legis observationi traderet; & ne sciens ac volens ullum præceptum transgrederetur, neve negligeret continuò in melius proficere: atque ita totum sese Deo addiceret.

III. Circumcisio.

VIII. Tertium præceptum fuit, ut Abrahamus se omnemque suam familiam circumcideret: *Genes.* XVII. 9, 10. &c. Præceptum grave admodum, tum ob dolorem, tum ob pudorem. Grave siquidem fuit, in familia ista casta ac pudica actum in se suscipere, & quidem in ætate adeo provecta, qui absque pudore suscipi non poterat. Nec exiguum intulisse dolorem, ex Sichemitarum historia liquet, quos Simeon & Levi, tertio à circumcisione die cum dolor est intensissimus, ob raptum sororis suæ Dinæ, gladio interemerunt, *Genes.* XXXIV. 25. Credibile quidem est, in infantibus dolorem esse minorem quàm in adultis; magnum tamen in infantibus fuisse, arguit historia Zipporæ, uxoris Mosis, *Exod.* IV 24, 25.

In illa consideranda.

IX. Ut autem distinctius & plenius de circumcisione agatur, illius institutio, prout descripta legitur *Genes.* XVII. 9, 10. &c variæque quæ illic occurrunt circumstantiæ, accuratius examinandæ sunt.

I. Quando instituta.

X. Primò observandum, circumcisionem Abrahamo esse præscriptam, cùm Deus illi promissionem fecit de semine ex ipso orituro,

ro, cujus Deus futurus erat Deus. Per illud autem semen, sensu literali, intelligenda est numerosa posteritas Abrahami, quæ multiplicanda esset, ut æquaret numerum stellarum & arenarum maris, cuique terræ Canaan possessio erat promissa. Secundum mysticum verò sensum, denotatur Jesus Christus, ut *Gal.* III. 16. Constituit quippe Deus ab ipsis mundi fundamentis, imo ante ea jacta, Filium suum mundo dare Servatorem, *Eph.* 1. 4, 5. 1. *Pet.* 1. 20. Propositum hoc suum obscurè primum in paradiso proposuit, semen mulieris promittens serpentis caput contriturum. Postea Abrahamo clarius & perfectius est revelatum, sub nomine *seminis*, in quo omnes terræ nationes essent benedicendæ. Ex illo tempore vox *seminis* mansit; adeo ut cùm filius ille natus esset, *semen promissum* passim vocatus sit, & ex semine Abrahami & Davidis secundum carnem suscitatus passim dicatur.

2. Quod vocetur fœdus. XI. Secundò, quod à Deo *fœdus*, & *signum fœderis* vocetur. Unde apparet, circumcisionem à Deo institutam, ut arctissimè fœderi adhæreret; & quia una ac sola erat ceremonia Abrahamo præscripta, & fœderi cum ipso erecto adjuncta, ut non minus strictè quàm ipsum fœdus observaretur, & ut, tanquam signum aliquod visibile, fœderi obsignando serviret. Idque dupliciter: tam à parte Dei, quàm à parte Abrahami.

Tum à parte Dei. XII. Primò. A parte Dei circumcisio obsignavit fœdus dupliciter. 1. Quia ut ceremonia divina pluribus consciis suscepta & usurpata, tessera ac signum erat, populum illum circumcisum esse populum peculiarem & ab aliis populis segregatum, cujus Deus, tanquam peculii sui, curam specialem habere vellet, tanquam populi jussu suo signati, & quidem tali signo, quod, ubicunque locorum esset, dissimulari aut obliterari non posset. Hinc Deus voluit, ut cum dolore ac pudore susciperetur, ne vel à natura inditum, vel ab hominibus institutum, sed à solo Deo præceptum crederetur. 2. Ut promissio de semine, Abrahamo facta, semper in populo illo recens esset, ejusque semper recordarentur Israëlitæ, quotiescunque infantem circumciderent. Unde & Deus, quando Abrahamus circumcidendus erat, nomen ejus ex *Abram* mutavit in *Abraham*, quod multarum gentium patrem denotat: & uxoris *Sarai*, in *Sara*.

Quo sensu vocetur æterna. XIII. Hinc apparet, licet circumcisio vocetur *fœdus æternum*, intentionem Dei non fuisse, ut æternum duraret, & nunquam abrogaretur; sed ut duraret usque dum promissum illud semen mundo exhibitum esset. *Æternum* itaque eodem sensu hic sumitur, quo alia multa æterna vocantur, hoc est, quod durat ac duraturum est, quousque natura illius requirit ut durare possit ac debeat: hoc est, quod duraturum esset, quousque promissio signo hoc obsignata impleta esset. Illâ ergo impletâ signum hoc sponte cessare debebat. Eodem sensu quo *Exod.* XXI. 6. *Deut.* XXV. 17. de servo, qui anno septimo è domo domini sui discedere nolebat, dicitur, *serviet ei in æternum*: quem tamen anno jubilæi dimittendum Deus jubet *Levit.* XXV. 39, 40. Sic Deus posteris Abrahami terram Canaan promittit *in æternum* possidendam: *Genes.* XII. 7. Vide similem locutionem *Exod.* XXIX. 9. XL. 13. 1 *Reg.* IX. 3. 2 *Reg.* XXI. 7.

XIV. Unde concludimus, male facere eos, qui, Christiani cùm sint, & Christum pro Messia & semine promisso agnoscunt, tamen circumcidi volunt; quales erant illi zelotæ legis, qui ex Judaismo ad Christum conversi erant, & quibus Paulus sese acriter opposuit. Tantumdem enim facere videntur, atque si, post rem jam præstitam, illius tanquam adhuc præstandæ signum retinere velint. Dices. Faciunt id alio longe fine, ut se ex Abrahamo oriundos ostendant. Resp. Ista carnalis cogitatio, discrimine populorum abolito, jam cessare debet. In Christo nulla carnis est prærogativa, *ubi non est gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Coloss.* III. 11. *Gal.* VI. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* 2 *Cor.* V. 16. *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem: & si cognovimus secundum carnem Christum: nunc verò amplius non novimus.* Et Paulus *Philip.* III. 4. & *seqq.* omnia quæ ex lege habebat privilegia *arbitratur detrimentum propter Christum.* Quin *Gal.* V. 2, 3. 4. dicit; *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ: Evacuati estis à Christo qui in Lege justificamini; à gratia excidistis.* Quod in eos dictum, qui in circumcisione fiduciam collocabant, eamque ut ceremoniam necessariam ad salutem urgebant. *Male, qui Christiani sunt, circumcidi volunt.*

XV. Secundò. Ex parte Abrahami serviit circumcisio obsignando fœderi, quia illam suscipiendo obsequium Deo juxta fœderis divini formulam spospondit. Sanè quia postea totius Legis observandæ tessera fuit, uti vidimus ex *Gal.* V. 3. etiam Abrahamus, illam sibi ac domesticis suis suscipiendo, se cultui divino externo hoc signo totum dicavit. Tum & illum in provecta sua ætate suscipiens, tesseram dedit promptissimi obsequii, nihilque sibi tam difficile fore, quod non ad mandatum Dei promptè & alacriter præstiturus esset. *Tum à parte Abrahami.*

XVI. Quæritur an non ulterius quid in circumcisione spectandum sit? Quidam volunt *Non est remedium contra*

lunt

peccatum originis. lunt eam institutam, ad demonstrandam naturæ nostræ corruptionem per peccatum originis, & ut remedium sit contra illud. Sed de eo altum in Scriptura est silentium. Quid de peccato originis sentiendum sit, antea explicuimus. Circumcisionem autem contra peccatum originis institutam esse, ex quo Scripturæ loco probatur? In contrarium hæ militant rationes 1. Maribus tantum imperata est: quid ergo remedii puellis? 2. Si sit remedium contra peccatum originis, cur octavo demum die peragenda erat? ante illum enim mori poterat infans. Itaque si ante octavum diem moreretur, aut sine remedio contra peccatum originis moriendum fuit, & infans æternum à gloria Dei excludendus, siquidem consentaneè præcepto divino non fuit circumcisus: aut ut à reatu peccati originis liberetur, contra præceptum divinum circumcisio præcipitanda fuit. Atqui exinde hoc sequetur absurdum, quod infantes, juxta præceptum divinum non circumcisi, sint excludendi gloriâ cœlesti; circumcisi autem contra Dei præceptum, illius sint futuri participes. Aut alia actio divina excogitanda est, quæ in ejusmodi infantibus defectum circumcisionis suppleat: de qua cum Scriptura taceat, illa etiam gratis fingitur. 3. Omnis masculus in populo illo fuit circumcisus: ergo etiam omnis masculus in illo populo liberatus fuit à reatu peccati originis, & donatus gratiâ.

An firmet fidem? XVII. Sed quæritur: An non circumcisio firmet fidem? Resp. In infantibus fidem firmare nequit, quia illi fide destituuntur. Quod adultos attinet, necesse est ut circumcisionem firma fides præcedat. Dices. *Rom.* IV. 11. dicitur Abraham *accepisse signum circumcisionis, signaculum fidei.* Resp. Circumcisio hîc non dicitur signaculum fidei Abrahami; sed *signaculum justitiæ fidei*, & quidem ejus quæ *in præputio* est. Quia illâ circumcisione, quæ Abrahamo imperata fuit cum jam fide justificatus erat, tanquam sigillo certo atque indubitato palam factum est, circumcisionem necessariam non esse ad justificationem consequendum, sed fidem sine ea sufficere. Ita ut sigillum non Abrahamo datum sit, sed omnibus sano judicio & rectâ ratione utentibus. Qui enim ante circumcisionem justificatus est, is circumcisione ut justificetur opus non habet. Et quoniam Deus omnes nunc, perinde atque Abrahamum, justificare vult; hinc sequitur, nec illis ad justificationem consequendum circumcisione opus esse. Hic sensus ex toto Apostoli scopo elucet, qui est, contra Judæos demonstrare, circumcisionem ac Legis observationem non esse necessariam ad salutem, sed solam in Jesum Christum fidem sufficere.

5. Quod esset peragenda octavo die. XVIII. Tertiò observandum, quòd infans octavo die esset circumcidendus. Quæ hujus præcepti ratio sit, inquirere non est necesse: sufficiat, Deum ita præcepisse. Rationes præcepti si quæramus, meræ illæ erunt conjecturæ, quibus & aliæ probabiles opponi possunt. Illis ergo missis, supponentes Deum in infantili ætate circumcisionem voluisse peragi, causa quibusdam minus obscura videtur, cur octavo die eum fieri Deus præceperit: nempe quia infantes ante octavum diem vix censentur in ordine perfectorum hominum, & ab Hebræis post septimum diem demum recensentur inter videntes aërem hunc: tum & quia mater, quæ masculum pepererat, septem dies impura erat; *Levit.* XII. 2. Pura autem in suo genere Deus sibi consecrari voluit. Hinc & animalia ante octavum diem sibi consecrari noluit, *Exod.* XXII. 30. *Levit.* XXII. 27. Verum & hic ab altera parte dubitari posset, an non præceptum Dei, quo circumcisionem octavo die fieri jussit, occasionem præbuerit hisce legibus, & huic Hebræorum opinioni; Deusque, qui ante legem latam jam Abrahamo circumcisionem præscripserat, postea has leges dederit, quoniam circumcisionem octavo die fieri præceperat. Adeo ut in legibus illis non sit quærenda ratio, cur octavo die circumcisionem fieri oportuerit; sed ex præcepto circumcisionis ratio petenda sit, cur Deus mulierem, quæ masculum pepererat, septem dies voluerit esse impuram, ac animalia ante octavum diem sibi consecrari noluerit, Hebræique infantes post septimum demum diem inter videntes aërem hunc censeant. Adeo ut hîc ignorantiam nostram fateri præstet, nullamque nos præcepti hujus rationem reddere posse.

4. Comminatio illi addita. XIX. Quartò tandem occurrit severa comminatio præcepto huic addita; ut si quis non circumcideretur anima ejus eradicaretur è populo. Quâ severâ comminatione præceptum sancitum videtur, ne, quia grave erat, facile omitteretur. Quæritur quis hujus comminationis sensus sit? Credunt quidam hîc significare interemtionem præmaturam, violentam & ignominiosam, quam Deus incircumciso vel per se, vel per alium, puta Magistratum, inflicturus esset; uti hoc sensu phrasis hæc sæpius usurpatur. Aliis magis placet, phrasi hac denotari mortem civilem, quæ in eo consistebat, quod nullo bono, populo Judaico peculiariter promisso, gavisuri essent, sed tanquam mortui ab omnibus illis privilegiis exclusi essent: quales olim inter Romanos erant, qui capite diminuti vocabantur. Hoc sensu phrasin hanc accipi credunt *Levit.* VII. 20, 21. XVII. 4, 9. *Num.* XIX. 20. & alibi. Quæ posterior sententia nobis præ prima placet.

Cur ea spectet infantes. XX. Dices. Cur Deus incircumcisi animam voluit eradicari è populo? Infantis enim

enim culpa non erat quod omitteretur circumcisio, sed parentum: præstaret itaque parentibus pœnam decernere. Resp. 1. Hæc eradicatio infantium reverà erat pœna parentum: quoniam enim omnes parentes naturâ bonum filiorum suorum amant, gravis illis pœnæ fuit, videre liberos ob suam culpam privilegiis, quibus aliàs gavisuri fuissent, spoliari. 2. Etsi nulla parentibus comminatio sit facta, apparet tamen ex historia Mosis, parentes propter circumcisionis omissionem majoris se pœnæ reos coram Deo constituere, quàm liberos: quia enim Moses infantem suum non circumciderat, voluit eum Deus interimere, *Exod.* IV. 24. Pœnam itaque majorem incurrisset Moses, etsi lex eam non sanxisset, quam infans, quem Deum præteriisse legimus.

Secundo Promissa. XXI. Ita consideratis præceptis divinis, quorum obedientiam Deus ab Abrahamo stipulatus est, accedamus nunc ad alteram fœderis partem, promissa scilicet.

I. Possessio terræ Canaan. XXII. Promissa quatuor occurrunt. Primum quidem, quod Deus terram Canaan semini Abrahami possidendam daturus esset; *Genes.* XII. 7. XIII. 15. & XV. 18. Hic notandum, promissionem hanc secundum literam acceptam, non tam respicere ipsum Abrahamum, quàm posteros ipsius, & inter eam illiusque impletionem intercessisse annos quadringentos triginta. Dicitur tamen jure Abrahamo facta; quia posteritati ipsius promittitur, quatenus ex ipso oriundæ, & cum respectu ad fidem & pietatem ipsius. Omne ergo posterorum jus in terram promissam derivabatur ab Abrahamo. Unde, licet ille in terræ Canaan possessionem introductus non sit, manifestum est, indubitatum illi fuisse jus in illam; quod etiam ad posteros transmisit. Notum autem est, quicunque jus in rem aliquam habet, illius rem aliquo modo dici.

II. & III. Multiplicatio seminis, & omnium nationum in eo benedictio. XXIII. Secundum est, quod Deus semen illius esset multiplicaturus instar stellarum cœli, & arenarum maris, *Genes.* XIII. 16. XV. 5. XXII. 17. Cui tertium adhæret, quod in semine ejus omnes nationes benedicendæ essent, *Genes.* XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. & quod illi futurus esset in Deum, *Genes.* XVII. 7, 8. Quibus promissis, juxta literam, Abrahamo promittitur numerosa posteritas, cujusque tanta sit futura prosperitas, ut omnes nationes eandem aut similem sibi sint precaturæ benedictionem, quæ ipsi ac semini ipsius obtigit; vel quod in benedictionibus suis hac utentur formulâ, Deus tibi benedicat, prout Abrahamo ac semini ejus benedixit.

Illius mysticus sensus. XXIV. At verò, quoniam omnium harum promissionum, si secundum literam sumantur, sensus admodum est dilutus, si ad ipsam Abrahami personam referatur, magisque ejus posteritatem quàm ipsum respicit; Deus autem illis ipsi Abrahamo bonum aliquod ingens, cujus spe fœderis conditiones præstaret, promittere voluit; ipsa nos res docet, alium quendam subliniorem & mysticum sensum in illis verbis quærendum esse, aliudque illis, juxta ultimam Dei intentionem, bonum contineri, quod Abrahamo promissum sit, quodque ipse Abrahamus à Deo obtinuerit. Itaque per terram Canaan Deus mysticè adumbravit cœlum, cujus terra Canaan typus fuit; per semen, Jesum Christum, omnesque in illum credentes, & spiritualiter ex ipso genitos.

XXV. Qui sensus clarius patebit, si addiderimus quartum promissum Abrahamo factum, *Genes.* XV. 1. *Ego scutum tibi, & merces tua multa valdè.* Quod promissum in eo à præcedentibus differt, quod cum tria præcedentia sint specialia, bonumque aliquod particulare designent ac determinent; hoc sit generale, nullius que boni particularis expressionem contineat: itaque ad quemlibet Dei favorem ac quælibet beneficia extendi potest: Vel ad temporalia ac terrena; quòd Deus ipsum scuti instar ab omni malo temporali omnibusque vitæ hujus miseriis protecturus esset, quòdque mercede multà, id est, bonis quibusvis, quæ vitam hanc beatiorem reddunt, ipsum locupletaturus esset: Vel ad spiritualia ac æterna: quòd Deus ipsum à morte æternâ esset conservaturus, peccata ipsi esset remissurus, ipsumque vitâ æternâ in cœlo donaturus. Nihil etiam repugnat utrumque sensum hunc conjungi, quoniam verba sunt generalia, nullamque limitationem continent. *IV. Quod eu. illi sit scutum & merces.*

XXVI. Ex hisce ita consideratis, constat jam, Abrahamo, secundum sensum subliniorem, promissam esse plenam à peccatis justificationem, & vitam æternam: neque de eo nos, qui Christiani sumus, dubitare sinunt verba Servatoris nostri, *Matth.* XXII. 32. qui ex verbis Dei, *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi*, etiam post mortem eorum prolatis, evidenti collectione concludit, eos ex morte in vitam æternam resuscitandos: non conclusurus id, nisi intentio Dei fuisset verbis illis hunc sensum comprehendere. Unde & *Hebr.* XI. 16. dicitur *Deum non confundi ipsorum vocari Deum, quia illis paraverat civitatem.* Utrumque autem hoc bonum Abrahamo verè obtigisse, quis in dubium vocet? testante passim Scripturà, quod *Abraham crediderit Deo, & reputatum illi sit in justitiam Genes.* XV. 6. *Rom.* IV. 3, *Gal.* III. 16. Quin & *amicus Dei sit appellatus*, *Jacob.* II. 23. Et passim in regno cœlorum videmus Abrahamo, tanquam credentium patri, primas tribui, adeo ut qui in regnum cœlorum sunt *Secundum sensum mysticum promissa justificatio & vita æterna.*

reci-

recipiendi, cum Abrahamo, Isaaco ac Jacobo accubituri dicantur, *Matth.* VIII. 11. & Lazarus post mortem ab Angelis portatus dicitur in sinum Abrahæ, tanquam in locum cœlestis beatitudinis honoratissimum, *Luc.* XVI. 22.

Obedientia Abrahami. XXVII. Hactenus fœderis conditiones expendimus; restat ut Abrahami in illis præstandis promptam obedientiam consideremus. Exiisse patriâ & cognatione suâ Abrahamum, historia docet, neque ullo modo fuisse tergiversatum, sed Deo vocanti quocunque obtemperasse. Coram Deo ambulavisse, documento est pietas ejus, quæ passim refertur. Altare crexit vero Deo, qui ipsi apparuerat ibi, *Genes.* XII. 7. & sacrificia victimasque Deo obtulit, *cap.* XV. 9, 10. *&c.* XXII. 7. quin & decimarum oblatione eam testatus est, *cap.* XIV. 20. & potissimum nominis divini invocatione. Amorem proximi testatus est per instructionem familiæ suæ ut custodiat viam Domini, *Genes.* XVIII. 19. per concordiæ ac pacis studium, *cap.* XIII. 8, 9. per hospitalitatem erga sibi ignotos, *cap.* XVIII. 2, 3. quam etiam divus scriptor *Hebr.* XIII. 2. exemplo Abrahami serio commendat, additâ hac ratione, *quod quidam inscii Angelos hospitio exceperint*: ac tandem seriâ pro peccatoribus apud Deum intercessione, *cap.* XVIII. 23. *& seqq.* Circumcisionem in ætate adeo provecta in se, omnemque suam familiam, promptè suscepit.

Ejus fundamentum, fides. XXVIII. Obedientiæ hujus fundamentum fuit fides Abrahami, quâ promissionibus divinis firmum assensum præbuit. *Genes.* XV. 6. Fuit autem illa πληροφορία seu firmus animi assensus, quo plenissimè sibi persuasum habuit, Deum quicquid promitteret non tantum implere posse, sed & reverâ impleturum, quomodocunque & quandocunque id Deo facere liberet. Hæc fides prolixè ab Apostolo describitur *Rom.* IV. 18, 19. *&c.* Illi intimè conjuncta fuit fiducia, Dei potentiâ, benignitate ac veracitate nixa, quâ Abrahamus omnia salutaria à Deo sperare ausus est.

Ea fuit sine exemplo. XXIX. Fides hæc varias habuit illustres circumstantias quæ ipsam commendant. Primò. Quòd Abrahamus sine exemplo crediderit, & nullum habuerit præcessorem, cujus exemplo ad fidem ejusmodi Deo habendam excitaretur. Verum est, Abelis, Enochi & Noachi fidem celebrari; *Hebr.* XI. 4, 5, 7. Sed fuit illa fides generalis, Deum esse, & quærentes se remunerari, uti illa describitur *vers.* 6. Alia fuit fides Abrahami, quæ non tantum Deum ut se quærentium remuneratorem respexit; sed & promissis quibusdam specialibus plenâ animi persuasione acquievit, iisque, uti mox videbimus, creditu difficillimis. Inde est, quod *credentium pater* appelletur, *Rom.* IV. 11. quasi à quo fides primò ortum suum habuerit, & à quo omnes credentes exemplum, in quod respiciant, habeant.

XXX. Secundò. Quod res, in quas fides ejus respexit, arduæ omninò fuerint, & nisi per firmam de divina potentia ac veracitate persuasionem, creditu impossibiles; nempe, quarum non tantum nullæ causæ naturales exstabant, sed & quæ causis naturalibus repugnare videbantur: quales sunt promissio de terra Canaan, à regibus & populis ipso multò potentioribus possessa, semini ipsius in possessionem danda; similiter de semine ipsi jam seni, & hactenus sterili, promisso. *Respexit res arduas.*

XXXI. Tertiò. Accessit constantia, quòd, promissione seminis jam tredecim annos dilatâ, tamen Deo ipsi in decrepita ætate, jam centenario, ex Sara nonagenaria & jam diu effœta, semen promittenti, statim crediderit, non respiciens promissi difficultatem, & secundum naturæ cursum impossibilitatem, sed soli promittentis Dei potentiæ ac veracitati innixus. Quam fidem Apostolus verbis adeo magnificis extollit *Rom.* VI. 18, 19. 20, 21. quod *contra spem in spem crediderit*; *nec consideraverit corpus suum emortuum, & emortuum Saræ uterum*: quod *non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens quia quæcunque promisit potens est etiam facere*. Et *Hebr.* XI. 11. quod *fide Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui promiserat*. Deinde: quia per totam vitam peregrinus & in tabernaculis habitans, imo ne vestigium quidem pedis in terra promissa habens, uti dicitur *Act.* VII. 5. tamen semper fides ipsius immota in Deum respexerit; ipseque posteritati suæ pacatam terræ Canaan possessionem, sibi verò cœlestem hæreditatem exspectaverit. Sic legimus *Hebr.* XI. 10. quod *exspectaverit fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus*: & *vers.* 13, 14; 15, 16. ubi dicitur, *quod exspectaverit meliorem patriam eâ unde exierat, id est, cœlestem*: & *cap.* VI. 15. quod *longanimiter exspectans, adeptus est repromissionem*. *Et fuit constans.*

XXXII. Sed maximè fides Abrahami emicuit in gravissima ac difficillima illa tentatione, quando Deus, ad explorandum ejus animum, præcepit, ut sibi filium Isaacum offerret. Placuit nempe Deo, ut experimentum fidei ac constantiæ Abrahami haberet, quod omnibus in exemplum proponeret, difficillimo mandato animum ipsius explorare. Præcipit ut filium, ex Sara uxore natum, sibi immolet. Multa & gravissima erant obstacula, quæ Abrahamum ab obsequio deterrere poterant. Occidere jubetur filium, unigenitum, dilectum & summè morigerum, & quod caput rei est, *Emicuit maxime in tentatione.*

in

in quo ipsi promissum semen: adeo ut per filii sui cædem videretur spem implendi promissi divini sibi ipse præcidere. Omnia tamen hæc obstacula superavit fide, promptum se paratumque ad filii mactationem ostendit, &, nisi à Deo revocatus, alacri eam animo peregisset; plenissimè persuasus, Deo media, quibus promissa sua expleat, nunquam defutura, imo potius Isaacum e mortuis suscitaturum, quàm permissurum, ut promissum suum irritum sit. Quod *Hebr.* XI. 19. docet divus scriptor, nimirum quod Abraham ita ratiocinatus sit, *quod à mortuis suscitare potens sit Deus.* Et quia hic actus adeo eximius fuit, promissionem de semine numeroso, & benedictione omnium gentium in semine ipsius, Deus iteravit, *Genes.* XXII. 16, 17, 18.

An crediderit, peccata sua per Christum expianda.

XXXIII. Quæritur hic, an Abraham crediderit, peccata sua per Christum expianda? Resp. Istud ex Scriptura non liquere. Abrahamo notitiam quandam Christi esse factam, ex ante dictis liquidò colligitur. Non enim credibile est, sub generali seminis promissione Deum comprehendere voluisse Jesum Christum, Abrahamum verò nullam omninò intentionis divinæ cognitionem habuisse. Hinc Abraham diem *Jesu Christi vidisse & gavisus esse* dicitur *Joan.* VIII. 56. Non tamen exinde sequitur, licet aliquam Redemtoris, utpote ex semine suo orituri, cognitionem habuerit, quod totam redemtionis naturam habuerit perspectam. Cum enim hæc per Christum expiatio per mortem ac sanguinem suum à beneplacito divino pendeat, ex naturali lumine colligi non poterat, sed illius cognitio per solam Dei revelationem est habenda. Cum autem Scriptura hic taceat, præstat nihil hic determinare, quàm operosa & longè petitâ argumentatione illud concludere, & confidenter asseverare.

Nec hoc fœdus peccati vim repressit.

XXXIV. Verùm nec in sancta illa familia fœdus hoc divinum peccati vim plenè reprimere potuit. Fuit ibi Abrahami filius Ismaël, irrisor profanus, *Genes.* XXI. 7. Esau, Isaaci filius, homo non tantum gulæ & ventri deditus, qui ob unicum edulium primogenituræ jus vendidit, quique omnium profanorum, qui mundi deliciis allecti cœlestem hæreditatem spernunt, propterea exemplar proponitur, *Hebr.* XII. 16, 17. sed & qui connubiis suis idololatricis piam parentum suorum animam affligebat; &, quod summum est, cædem fratris sui Jacobi meditabatur. Sed hos promissa hujus fœderis specialia non respiciebant, utpote non numeratos in semine, cui promissio facta est. In familia Jacobi, in qua semen censebatur, habemus Rubenem, paterni thori violatorem; Simeonem & Levi crudeli animo integram Sichemitarum civitatem exscindentes; Judam scortatorem; omnes patriarchas in cædem innocentis sui fratris Josephi animatos, eumque in miseram servitutem vendentes. Postea multiplicatâ illâ familiâ, etiam malitia multiplicata est, quàm variis erga Deum murmurationibus, tentationibus, idololatriis, tum & quibusvis peccatis ac sceleribus, tam in deductione per desertum, quàm postea in ipsa terræ Canaan inhabitatione, creberrimè ostenderunt.

Impietas in mundo extra familiam.

XXXV. Extra familiam hanc magna passim per totum Mundum grassata est impietas. Civitates Sodoma, Gomorrha, Seboim & Adama, ob nefandas libidines igne cœlitus demisso eversæ sunt. Incolæ terræ Canaan, quorum impietas indies majora capiebat incrementa, jam à Deo pœnæ destinabantur; dilatum solummodò eorum excidium, donec impietas ipsorum esset completa. Atque ita per totum passim mundum idololatria reliquaque scelera grassata sunt, peccandi consuetudine indies ingravescente, hominumque animos à Deo avertente, quin & intellectum tenebris involvente, lucemque superstitem magis magisque exstinguente; adeo ut deplorandus ac corruptissimus hominum extra familiam illam status fuerit.

Fœdere hoc non comprehensi omnibus mediis ad salutem non videntur exclusi.

XXXVI. Non tamen credendum, omnes, fœdere illo Dei cum Abrahamo ejusque posteris non comprehensos, exclusos ab omnibus mediis salutem consequendi, Deumque fœderis hujus erectione gratiam suam unicæ huic familiæ ita alligare voluisse, ut reliquos illo non inclusos à salute prorsus rejecerit. Ita docent quidam, non tantum alias omnes gentes, sed & Ismaëlem & Esavum, quos Deus in semine illo Abrahami, cum quo fœdus erigebat, censeri noluit, à salute antecedente decreto absolutè esse reprobatos. Exinde enim sequeretur, quod sicut omnes fœdere non comprehensi à salute sint exclusi, ita omnes fœdere comprehensos absolutè ad salutem esse electos. Atqui utrumque falsum est. Posterius quidem; quia inter Jacobi posteros plurimi fuere impii, idololatræ, scelerati, quos eus in Veteri Testamento passim per prophetas suos reprehendit: quos omnes salutis æternæ esse participes nemo, nisi manifestò Scripturæ contradicere velit, asserere potest. Sicut ergo ab una parte fœdus omnibus fœderatis salutis causa non fuit; ita nec ab altera parte, fœdere illo non comprehensos à salute omnibusque mediis ad salutem ducentibus prorsus & absolutè exclusos fuisse, dici potest. Et sanè inter eos fuere viri quidam eximii ac pietatis studiosi: Melchisedec, rex Salem, & Sacerdos Dei Altissimi, *Genes.* XIV. 18. qui præ aliis insignis Servatoris nostri Jesu Christi typus fuit, adeo ut secundum ordinem illius dicatur factus Sacerdos: & non improbabiliter colligunt quidam, non credibile esse, quin sub imperio regis adeo pii plures subditi

fuerint pietatis studiosi: Jobus, cujus pietas ac patientia tantoperè commendatur, quique ex Esavi posteris esse creditur: Jethro socer Mosis, qui & holocausta & hostias obtulit Deo vero, *Exod.* XVIII. 12. aliique. Augustinus *de Civit. Dei lib.* XVI. *cap.* X. §. 3. *Non possumus affirmare, illo tempore, quo erat illis labium unum, id est, loquela una, tunc jam genus humanum alienatum fuisse à cultu veri Dei, ita ut in illis solis generationibus* (nimirum quæ descendunt de Sem & Japheth) *pietas vera remaneret.* Et paulo post. *Fortasse, quod profectò est credibilius, & in filiis duorum illorum, jam tunc, antequam Babylonia cœpisset institui, fuerunt contemptores Dei & in filiis Cham cultores Dei: utrumque tamen genus hominum terris nunquam defuisse credendum est.* Et *lib.* XVIII. *cap.* XLVII. *Nec ipsos Judæos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum præter Israëlitas, ex quo propago Israël esse cœpit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit: homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israëlitas, supernæ cives patriæ pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt: quia si negant, facile convincuntur de sancto & mirabili Viro Job, qui non indigena, nec proselytus, id est, advena populi Israël fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui divino sic laudatur eloquio, ut, quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Quæ tempora ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israëlitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertiâ generatione posteriorem fuisse quàm Israel. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum, Homo Jesus Christus: qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.*

Fœderatorum prærogativa. XXXVII. Dices: Quæ ergo prærogativa fuit fœderatorum, præ aliis? Utique videntur fœdere illo non contenti etiam ab omnibus bonis, fœdere hoc promissis, excludi. Resp. Bona fœdere hoc promissa duplicis esse generis, prout promissa vel secundum literam, vel sensu mystico accipiuntur. Secundum literam promissa fuit terræ Canaan possessio; & hæc ita fœderatis fuit propria, ut omnes fœdere hoc non comprehensi exinde fuerint exclusi. Hæc est illa electio, seu propositum Dei secundum electionem, *Rom.* IX. 11. quo Deus, rejecto Esavo, elegit Jacobum, ut nimirum ipse ejusque posteri terræ Canaan hæredes essent. Si quis itaque in illa partem cuperet, per circumcisionem totiusque legis Mosaicæ susceptionem populo illi inseri debebat. Sensu mystico promissis illis externis comprehensa fuit vita æterna, quæ ita annexa est fœderi, ut fœderatis, siquidem fœderis conditiones præstarent, per gratiam divinam ea obventura esset; ita tamen, ut & reliqui exinde non ita prorsus fuerint exclusi, quin, si convenienter legi naturæ, monitisque Dei generalibus vitam instituerent, eam per gratiam divinam, quæ in Christo & propter Christum mundo communicatur, obtinere possent à Deo, omnium se quærentium remuneratore.

XXXVIII. Magna nihilominus fœderatorum præ aliis hominibus fuit prærogativa, etiam respectu salutis æternæ: eaque potissimum duplex. Prima: quod haberent claram ac expressam vivendi regulam præceptis aliquot a Deo ipso latis comprehensam; quâ alii destituebantur, quibus sola naturæ lex vivendi norma erat. Sic *Psal.* CXLVII. 19, 20. *Qui annuntiat verbum suum Jacob; justitias & judicia sua Israël. Non facit ita omni nationi; & judicia sua non manifestavit eis.* Secunda: quod ex promissis divinis spem certiorem concipere poterant remunerationis, quin & vitæ æternæ, quàm reliqui, qui ex contemplatione naturæ divinæ, tum & quorundam judiciorum, quibus se & pietatem remunerari, & impietatem punire velle testatus est, collegerunt, Deum se quærentium esse remuneratorem. *Hebr.* XI. 6. Quanquam & diffitendum non sit, quoniam vitæ æternæ bonum primo sensu ac literali in promissis illis apertè expressum non sit, sed sensu mystico in illis lateat, spem patrum fœdere illo comprehensorum tantum per typum ac umbram in vitam æternam respexisse, promissumque hoc tantæ non fuisse efficaciæ, ac si clarè atque expressis verbis enuntiatum esset: ac proinde nec fœdus hoc per se efficax satis fuisse, ad peccati dominium tollendum, hominesque in vitam æternam introducendum.

Etiam respectu salutis æternæ.

CAPUT VIII.

De Lege Mosis.

Lex data Abrahami posteris. I. Multiplicatâ itaque Abrahami familiâ, & adventante tempore, quo Deus eam in terræ Canaan possessionem introducere promiserat, placuit Deo lege latâ adversus transgressiones populum hunc sibi peculiari ratione sanctificare, fœdusque cum Abrahamo sancitum, variorum præceptorum ac promissorum additione ampliare; ut ita in hoc populo nomen ipsius purius coleretur. Sed nec hæc Lex homines potuit

verè

verè ſpirituales reddere, & in vitam æternam introducere: uti in ſequentibus videbimus.

Vocatur fœdus Vetus, & ordinariè Lex.

II. Quoniam vero hæc Lex celebris admodum eſt, populuſque, ex Abrahamo, per Iſaacum & Jacobum oriundus, illi uſque ad Meſſiæ adventum ſubjectus fuit, paulò ſpecialius de ea erit agendum. Vocatur aliquando *fœdus*, & quidem *Vetus*, oppoſite ad novum, per Mediatorem Jeſum Chriſtum erectum, *Jerem* XXXI. 31. *& ſeqq. Hebr.* VIII. 9. Sed vox *Legis* eſt uſitatior, quæ majorem quandam auctoritatem & imperantis ſeveritatem præ ſe ferre videtur: fœderis autem vox benignior eſt, & partium mutuò contrahentium quandam benevolentiam innuere videtur.

Tria in ea ſpectanda.

III. Tria hic conſiderabimus. 1. Legis ſeu fœderis hujus Mediatorem. 2. Legem ipſam. 3. Illius ad juſtificationem & veram à peccatis purgationem inefficaciam.

I Mediator, Moſes.

IV. In hac Lege ſpeciatim obſervandum, quòd Deus immediatè eam non tulerit populo, ſed Mediatorem inter ſe & populum intercedere voluerit, Moſen; qui propterea *Mediator* expreſſe nominatur; *Gal.* III 19. & actus mediationis illi tribuitur *Act.* VII. 38. *Mediator* autem, uti rectè dicitur, *Gal.* III. 20. *unius non eſt*: interceſſit ergo medius inter Deum & homines; mandata Dei ad homines tulit: hominum nomine fœdus per mactationem ac ſanguinem victimarum dedicavit: atque ita ratum fecit ac ſancivit.

Modus revelationis ipſi factæ.

V. Quantus vir Moſes fuerit, ex modo revelationis ipſi factæ, & miraculis illius, clariſſimè liquet. Revelationis modus deſcribitur *Num.* XII. 6, 7, 8. *Si fuerit propheta vobis, Ego Dominus in viſione apparebo illi, in ſomnio loquar cum eo. Non ſic ſervus meus Moſe, qui in tota domo mea fidelis eſt: Ore ad os loquar cum eo, atque in viſione; & non per ænigmata neque per ſimilitudinem adſpiciet. Exod.* XXXIII. 11. *Et loquebatur Dominus ad Moſen facie ad faciem, quemadmodum quis alloquitur amicum ſuum.* & *Deut.* XXXIV. 10. *Neque ſurrexit ultra propheta in Iſraël ſicuti Moſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem.* Quibus ſumma Moſis cum Deo familiaritas deſcribitur, quòd in rebus dubiis Deum, tanquam amicum, conſulere poterat; qui etiam ipſi ſemper reſponſa dabat. Et in eo reliquos omnes Prophetas antecelluit. Non tamen hæc cum Judæis accipienda, quod Deus Moſi immediatè, abſque Angeli cujuſdam miniſterio locutus ſit; neque id phraſis, *ore ad os loqui*, innuit: quod ex duobus liquet. 1. Quia expreſſe *lex* dicitur *per Angelos data in manu Mediatoris*, *Gal.* III. 19. & Iſraëlitæ *legem accepiſſe per miniſterium angelorum*, *Act.* VII. 53. & Lex, *ſermo per angelos dictus*, *Hebr.* II. 2. 2. Quòd Moſes, cum faciem Dei videre cuperet, repulſam tulerit, & tantum poſteriora Dei videre potuerit: *Exod.* XXXIII. 18, 19, 20. Unde quantò inferior ſit Domino noſtro Jeſu Chriſto liquet, qui *fuit in ſinu Patris, eumque nobis enarravit*, *Joan.* I. 18.

Ejus miracula.

VI. Miracula Moſis, quibus Deus illi in munere ſuo auctoritatem conciliavit, magna fuere & excellentia: ſed ſicut Moſes illis omnes Veteris Teſtamenti Prophetas antecelluit; ita etiam longè inferior eſt Servatore noſtro Jeſu Chriſto. Judæi, ut Moſis auctoritatem ſupra omnes prophetas extollant, ſolent miracula Moſis admodum exaggerare: ſed computando omnia, tam quæ à Moſe ipſo, quàm in ipſius gratiam facta ſunt, ad ſummum ſeptuaginta ſex enumerant, & inter ea quædam ab ipſis conficta: reliquorum autem Prophetarum ſimul in unam ſummam congeſta tantum ſeptuaginta quatuor. Quibus & alias prærogativas, ex ipſis miraculorum circumſtantiis deſumtas, adjungunt. Quæ omnia ut Moſi ſupra reliquos Prophetas auctoritatem conciliant; ita eum longè infra Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum collocant. 1. Non enim quadraginta, ſed trium tantum annorum ſpatio, miracula, non numero ſeptuaginta ſex edidit, ſed tot, ut eorum numerus iniri nequeat, neque ſi omnia ſcripta eſſent, mundus libros capere poſſet: *Joan.* XXI. *ult.* 2. Miracula Moſis in certas quaſdam fuere creaturas; momentanea & ſubitò evaneſcentia, & omnia fermè facta expreſſo Dei mandato præcedente: ac tandem pleraque ſigna fuere horrida ac formidoloſa: ut plagæ Ægypti, punitiones murmuratorum & ſeditioſorum in deſerto: Domini Jeſu contra, Univerſalia in omnes creaturas, permanentia, ſolo verbo ac omnipotente juſſu effecta; omniaque mera beneficia, liberationes à variis morbis ac infirmitatibus, imo excitationes ex morte.

II. Lex ipſa, libris Moſis comprehenſa.

VII. Lex a Deo Moſi data digito Dei tabulis lapideis inſcripta fuit. Quod de decalogo, legis moralis ſumma, propriè eſt intelligendum. Reliqua quæ Deus, tum ad externum cultum populique regimen addere voluit, Moſes expreſſo Dei mandato ſcripto conſignavit, quinque libris, vulgò pentateuchus vocatis, quique à Moſe nomen habent. Legem hanc & præcepta divina libris à Moſe conſcriptis quando comprehenſa dicimus, illud volumus; hæc adeo clarè in libris Moſis contineri, ut à quovis attentè libros illos legente eorum ſenſus, quantum ad illorum obſervationem neceſſariò requiritur, plenè ac perfectè intelligi olim potuerit, ac nunc poſſit. Non quòd omnes, qui circa Legis obſervationem incidere poſſint caſus, in illis ſint determinati: ſed quod aut determinari ex præceptis ſcriptis poſſint: aut per oraculum divi-

divinum jam determinati sint: aut si neutrum in iis locum habeat, quòd sub præcepto non sint.

Sententia Judæorum de Lege orali. VIII. Judæi hodierni volunt Mosi, præter scriptam hanc legem, aliam à Deo dictatam spatio quadraginta dierum, quibus Moses apud Deum in monte Sinai erat, quæ legis scriptæ sit explicatio, & sine qua legem scriptam nemo intelligere possit: quam oralem vocant: quia Moses eam scripto non consignavit, sed à monte descendens recitavit primo coram fratre Aarone, deinde duobus illius filiis, Eleasar & Ithamar, postea coram septuaginta senioribus, ac tandem coram toto populo: singulique illi eandem coram toto populo recitaverint; hancque continua traditione in populo conservatam volunt, donec post destructa Hierosolyma & eversum templum, Judæosque per totum terrarum orbem dispersos, eorum Magistri, ne prorsus oblivioni traderetur, eam collegerint in unum volumen, quod librum *Misnaioth*, sive lectionum seu repetitionum, vocant; anno post eversum templum circiter septuagesimo: Postea viri sapientes in Babylonia, circa annum Christi quingentesimum, eum librum commentariis illustrarunt, qui *Guemara*, hoc est, doctrina inscribuntur. Et ex duobus illis libris enatum est Thalmud Babylonicum, quo perfectissimè contineri volunt, quicquid ad legis scriptæ explicationem requiritur; & sine quo legem scriptam intelligi impossibile sit.

Refellitur. IX. Verùm quis non videt, legem illam oralem putidum esse Judæorum commentum, & à posterioris ævi Judæis excogitatum, ut argumentis Christianorum & prophetarum vaticiniis pressi, ad eam promptum haberent refugium, & incredulitatis suæ in ea quærerent prætextum? 1. Nullum enim Legis illius oralis, nec in Scriptura, nec in Judaica antiquitate exstat indicium: neque quando populo Israëlis divinæ legis observatio præcipitur, neque quando violatæ Legis arguitur, neque quando per Prophetas à suis transgressionibus ad illius observationem & pœnitentiam revocatur, ulla illius mentio fit; sed populus ubique ad legem scriptam ablegatur. Unde & à quibusdam Judæis, Karaim dictis, non recipitur. 2. Moses in quibusdam dubiis casibus non consuluisset os Domini, cum Lex oralis de omnibus eum instruxisset: quod tamen aliquoties eum fecisse legimus: in casu blasphemi illius, ex matre quidem Israëlitide, sed patre Ægyptio nati, *Levit.* XXIV. 11. *& seqq.* & illius qui sabbatho ligna collegerat, *Num.* XV. 31. & illorum, qui tempore Paschatis impuri erant super cadavere, *cap.* IX. 6. & filiarum Sclaphaad, in qua familia cum deficiebat mascula proles, determinandum erat qualis ibi esse debebat successio hæreditatis, *cap.* XXVII. 1. *& seqq.* 3. Sacerdotes legem scriptam non servarunt; an credibile cuiquam esse potest, eos legem ore datam, & quidem tot legum varietate ac numero constantem, & tantum hominum memoriæ concreditam, tam perfectè conservasse? Sic legimus 2 *Reg.* XXII. 10. & 2 *Chron.* XXXIV. 14. *& seqq.* in repurgatione templi repertum exemplar legis diu neglectum: & cum regi ac populo lex prælecta esset, omnesque comminationes divinæ auditæ essent, regem vestimenta sua scidisse: evidenti documento, quod non tantum ipsum Mosis autographum (uti quidam volunt) desideratum fuerit, sed tota Legis memoria in populo interierit, nullumque præ manibus fuerit exemplar, unde Legis cognitionem haurire possent. 4. An credibile cuiquam videri potest, Deum omniscium, omniumque futurorum eventuum præscium, quique proinde etiam periculum, quod legi orali per Judæorum dispersionem immineret, prævidit, isti periculo matura illius scriptione obviam non ivisse; sed Rabbinos illius temporis hac in parte fuisse magis providos quàm Deum, eamque ex variis chartis in unum compingendo ab interitu vindicasse? Quæ omnia legis hujus oralis vanitatem satis evincunt, demonstrantque illâ non contineri præcepta divina Mosi olim data; sed Pharisæorum traditiones, à Domino Jesu ut veræ pietatis remoras sæpius reprehensas, quibus accurata admodum ac superstitiosa rituum multorum, etiam Lege non expressorum, observatio præcipitur; quæ à posterioris ævi Rabbinis collectæ sunt, & specioso legis oralis Mosi olim datæ titulo insignitæ, ut ita majore in veneratione perpetuò essent, gensque Judæorum illarum auctoritate cohiberetur, ne facile ad Christianam religionem transiret.

In Lege duo consideranda. X. Lege ergo hac orali, tanquam putido Judæorum commento, rejectâ, consideremus Legem scriptam. Duo in ea se nobis offerunt consideranda. 1. Præcepta. 2. Promissa & minæ.

Primo, Præcepta. XI. Præcepta à Judæis communiter statuuntur numero sexcenta & tredecim; quæ distribuunt in ducenta quadraginta octo affirmantia, quot ajunt esse membra in corpore humano; & in trecenta sexaginta quinque negantia, quot sunt dies in anno: ut significent, omnia humani corporis membra cultui divino debere esse intenta; neque licitum esse ullo die mandatum Dei quodcunque transgredi. Hanc allusionem ut piam sicuti non improbamus, ita agnoscendum, à Judæis numerum hunc excogitatum, non ex Lege depromptum: nam ut illum extundant, nonnunquam duo præcepta in unum compingunt, & sæpiusculè unum in duo dividunt.

Eorum tres species. XII. Nos, communem Christianorum Docto-

Doctorum distributionem secuti, præcepta Legis Mosaicæ distinguimus in tres species: Moralia, Ceremonialia, & Politica: quæ Moses designare creditur *Deut.* VI. I. *Hæc sunt præcepta, & statuta, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos.* Per *præcepta* intelligens præcepta moralia; per *statuta*, ceremonias: & per *judicia*, leges civiles. Estque hæc distributio conveniens discrimini temporum sub Lege, & sub Euangelio, ut exinde cognoscatur, quæ præcepta perpetuò homines obligent, etiam populo judaico exstincto & è terra sua ejecto: moralia nempe: quæ verò populo illi peculiaria fuerint, & usque ad Christi adventum & Euangelii promulgationem durare, illo verò prædicato cessare debebant; ceremonialia nempe ac politica.

1. Moralia. XIII. Præcepta moralia præscribunt officia circa Deum & proximum observanda, à jure naturali seu recta ratione dictata; quæ omnes omnino homines obligant, non quatenus à Mose sunt præcepta, sed lumi ne naturali cuivis homini præscripta. Horum summa continetur decalogo, seu decem præceptis sive verbis, excepto quarto præcepto, quod ceremoniale est, saltem maximâ sui parte: quæ in duas tabulas communiter dividuntur; quia Deus ea duabus tabulis lapideis inscripsit; & postea, illis à Mose ob populi idololatriam confractis, jussit Mosi alias conficere, quibus ea denuò inscipsit, *Exod.* XXXII. 19. XXXIV. 1. Prima tabula quatuor constat præceptis, & præscribit officium erga Deum; posterior sex continet præcepta, & officium erga proximum dictat. Dominus Jesus, distinctioni huic convenienter, totius legis moralis summam contineri ait duobus hisce præceptis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: &, Diliges proximum tuum sicut teipsum: Matth.* XXII. 37, 38, 39. Quod posterius Dominus etiam aliis verbis expressit *Matth.* VII. 12. *Quicquid vultis ut faciant vobis homines, idem facite illis.* Et ad hæc omnia alia præcepta moralia, quæ passim libris Mosis occurrunt, referri possunt.

2. Ceremonialia. XIV. Ceremoniala sunt præcepta positiva circa cultum externum; & à mero Dei beneplacito dependent. Ad cultum autem externum quatuor potissimum referuntur: Personæ sacræ; Res sacræ; Loca sacra; & Tempora sacra.

Huc referuntur, Personæ sacræ. XV. Personæ sacræ sunt vel primariæ, vel secundariæ. Primariæ sunt Sacerdotes, & Levitæ. Totam quippe tribum Levi Deus cultui suo destinavit; Aaronem autem & posteros ad Sacerdotii dignitatem evexit; neque ulli extra Aaronis posteros Sacerdotio fungi licuit; imo horrendis pœnis & miraculis evidentibus hanc Aaronis electionem Deus confirmavit; *Num.* XVI. XVII. XVIII. Sacerdotum officium erat, victimas & oblationes pro populo offerre Deo, pro peccatis populi apud Deum intercedere; & benedictionem divinam populo precari, juxta formulam *Num.* VI. 24, 25, 26. Inter Sacerdotes autem unus erat primarius, cujus jura, privilegia & vestitus erant singularia, quique peculiari oleo unguendus & muneri suo inaugurandus erat. De vestibus vide *Exod.* XVIII. de unctione, *Exod.* XXX. Soli illi licebat semel quotannis ingredi in Sanctum Sanctorum, ibique peccata populi expiare: *Levit.* XVI. 2. *& seqq.* Tum & specialis quædam puritas in Sacerdote requisita fuit; & si cui aliquod vitium esset corporis, ineptus erat ad sacerdotium: quæ omnia fusè *Levit.* XXI. deducuntur. Levitarum officium erat, ministrare sacerdotibus, & tabernaculi, ac postea templi curam gerere. In deserto tabernaculum omniaque vasa sacra portarunt; propterea que & tentoria tabernaculo proxima habuerunt. Postea David ex illis fecit cantores, & tabernaculi janitores 1. *Chron.* XXV. & XXVI. Personæ secundariæ erant Nazaræi, qui votum quoddam sanctificationis fecerant: de quibus *Num.* VI.

XVI. Res Sacræ similiter sunt vel primariæ, vel secundariæ. Primariæ sunt Sacrificia; hoc est, victimæ, oblationes, & libamina. Sacrificia generaliter distribui in duo genera: in eucharistica nempe, ac propitiatoria. Specialius autem in octo species distribuuntur. 1. Holocausta, *Levit.* I. 10. VI. 9. XII. 6, 8. 2. Munera: *Levit.* II. 1, 2. 3. Sacrificia pacifica, *Levit.* III. 1. VII. 6. 4. Sacrificia pro peccato, *Levit.* IV. 5. Sacrificia pro delicto, *Levit.* V. 1. VI. 1. 6. Sacrificium consecrationis Sacerdotis in die unctionis suæ, *Levit.* VI. 10. 7. Sacrificium mundationis, illis qui à variis secundum legem immundiciei speciebus erant purgati, mandatum: *Levit.* XII. XIII. XIV. Quibus tandem 8 addi debet thumiama, sive suffitus super altari aureo, *Exod.* XXX. 7. Hîc notandum, quod in animali Deo offerendo nulla inesse debebat labes, nullumve vitium, *Levit.* XXI. 21, 22. quod sale condiri debebat, *Levit.* II. 13. nullum autem admisceri fermentum, *ibid. vers.* 11. adeps autem & renes comburi: *Levit.* III. 3. & 10. *Res Sacræ: Primariæ.*

XVII. Secundariæ sunt; Primogenita, tam hominum quàm brutorum, quæ Deo sacra erant. De hominum primogenitis vide *Exod.* XIII. 2. 12. *Num.* III. 12, 13. VIII. 13. de brutorum mundorum, *Num.* XVIII. 17. de immundorum verò *Exod.* XXXIV. 20. Primitiæ frugum, *Exod.* XXXIV. 26. ritus offerendi describitur *Deut.* XXXI. 1. & *Secundariæ.*

1. *& seqq.* Decimæ, quæ Levitis erant pendendæ; *Exod.* XXII. 29. *Levit.* XXVII. 30 *&c. Deut.* XII. 11. *&c.* decimarum verò decimas Levitæ pendere debebant sacerdotibus, *Num.* XVIII. 26. ritus oblationis exstat *Deut.* XXVI. 12. *& seqq.* Caper emissarius, *Levit.* XVI. 21. Cinis vaccæ rufæ & aqua aspersionis, quibus mundabantur, quæ aliquâ ratione inquinata fuerant; *Num.* XIX. 2. *& seqq.* Huc etiam referri debet varia illa munditics, requisita in diversis eiborum generibus, quorum quædam Judæis munda, quædam immunda erant: *Levit.* XI. & XVII. 10. *& seqq.* ut & immunditics ex variis causis orta; ex lepra *Levit* XIII. XIV. cadavere, *Num.* V. 2, 3. puerperio, *Levit.* XII. aliisque, Huc referri possunt variæ Sacerdotum, & vasorum sacrorum lotiones.

Loca sacra. XVIII. Loca Sacra quod attinet: primitus fuit Tabernaculum, postea Templum. Tabernaculum fuit ædificium portatile, quod tentorii instar figi & dissolvi poterat, variis columnis asseribusque constans, & diversis aulæis clausum, expresso Dei mandato in deserto constructum, & à Levitis in terram usque Canaan portatum. Hoc tabernaculum, omnisque illius suppellex, describitur *Exod.* XXV. factumque fuit juxta exemplar Mosi in monte ostensum, *vers.* 40. & *Act.* VII. 44. *Hebr.* VIII. 5. Constabat tribus partibus, atrio, Sancto, & Sancto Sanctorum. In atrio erat altare holocausti, & in id populus conveniebat ad sacrificandum, neque extra id sacrificare licebat: *Exod.* XXIX. 42. *Deut.* XII. 5. *& seqq* super quod ignis, qui in consecratione ejus de cœlo deciderat, *Levit.* IX. 24. semper debebat servari inexstinctus, *Levit.* VI. 9. *& seqq.* ex coque semper ignis thuribulo imponendus desumi debebat: Quare filii Aaronis, Nadad & Abihu, quod alienum ignem thuribulis suis imposuerant, igne cœlitus emisso exstincti sunt, *Levit.* X. 1. Sanctum erat tabernaculi pars, quæ velo à sancto sanctorum separata erat, in quam sacerdotes ingrediebantur cultus divini causâ. Erat ibi altare suffitus, mensa aurea cum panibus propositionis, & candelabrum aureum: *Exod.* XXVI. 35. *Hebr.* IX. 2. Sanctum sanctorum erat intima pars, in quam soli Sacerdoti summo semel in anno ingredi licebat: *Exod* XXVI. 34. *Levit.* XVI. 2. *Hebr.* IX. 6, 7. Erat ibi Arca fœderis cum propitiatorio, cui inclusæ erant tabulæ Legis: prope eam erat virga Aaronis quæ fronduerat, & urna aurea cum manna; 1 *Reg.* VIII. 9. *Hebr.* IX. 3, 4, 5. Postea cùm Deus populo quietam in terra Canaan possessionem dederat, templum sibi à Salomone construi voluit; quod erat ædificium solidum ac fixum, quod instar prioris tabernaculi dissolvi, & quoquo versum portari non poterat: quo adumbrare Deus voluit, se fixam ac permanentem habitationem inter Israëlitas elegisse, & præsentiæ suæ specialis favore populo illi præsto esse velle, quamdiu populus ille Dei populus peculiaris futurus, discrimenque populorum duraturum esset: *Psal.* CXXXII. 13, 14. *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi: Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.*

XIX. Tempora Sacra primò sunt Sabbathum, cujus sanctificationem & observationem Deus expressè præscripsit quarto decalogi præcepto; & aliquoties in Lege repetiit: *Exod.* XXXI. 13. *& seqq.* cujus observatio strictè admodum exigebatur, cum cessatione ab omni opere. Quousque illud hodie Christianos obliget, alibi inquiremus. Deinde neomeniæ, seu primi quique dies mensium, qui à novæ lunæ primo conspectu solebant numerari: *Num* XXVIII. 11. *& seqq.* Postea tria festa solennia, Paschatis, Pentecostes, & tabernaculorum, *Levit.* XXIII. *Deut* XVI. Singula per septem dies continuos celebrabantur; quorum primus & ultimus præ aliis erant sancti, in iisque non licebat operari, *Levit.* XXIII. 7, 8, 36, 39. Pascha celebrabatur mactatione agni anniculi pro singulis familiis, debebatque cum panibus infermentatis comedi ab Israëlitis cinctis, calceatis, & baculum in manu habentibus, quasi mox sese itineri daturis: nullumque in eo os debebat frangi: ejusque sanguis postibus domorum illini: In memoriam liberationis ex Ægypto, quia Angelus percussor, primogenitos Ægyptiorum cædens, Israëlitarum domos, sanguine agni illitas, transiit; ipsique ab Ægyptiis urgebantur summa cum festinatione egredi. Et celebrabatur decimâ quartâ, seu plenilunio mensis Nisan; quia illo die ex Ægypto egressi sunt. De quibus omnibus vide *Exod.* XII. Pentecoste, à Græcis ita dictum, ab Hebræis festum hebdomadum vocatur: quia septem post Pascha hebdomadibus celebrabatur, *Levit* XXIII. 15. *&c. Num.* XXVIII. 16. *Deut.* XVI. 9. Vocatur etiam festum messis, quæ circa illud tempus fieri incipiebat in terra Canaan: *Exod.* XXIII. Institutum creditur in memoriam latæ Legis in monte Sinai, quæ quinquagesima post egressum ex Ægypto die lata est; uti liquet *Exod* XIX. 1, 11, 16. Festum tabernaculorum institutum fuit in memoriam commorationis Israëlitarum in deserto sub tabernaculis: *Levit.* XXIII. 34. *&c. Deut.* XVI. 13. *&c* & celebrabatur decimo quinto die mensis septimi. Hisce tribus majoribus festis duo alia adjuncta erant. Festum tubarum, primo septimi mensis die, quo annus Judæorum politicus inchoabatur: à reliquis neomeniis non differebat, nisi celebritate majore propter novi anni initium: *Levit.* XXIII. 24. *Num.* *Tempora sacra.*

XXIX.

xxix. 1. Et festum Expiationis, decimo illius mensis die: *Levit.* xvi. 2, 29, *&c.* xxiii. 27. *&c. Num.* xxix. 7. *&c.* Ita dictum, quia Pontifex illo die ingrediebatur in Sanctum Sanctorum, omniaque populi delicta, toto illo anno commissa, quæ quidem victimis legalibus expiari poterant, expiabat. Illo die duo hirci adducebantur, quorum unus mactabatur in holocaustum: alter, impositis illi per Pontificem peccatis populi, in desertum mittebatur; caper emissarius inde dictus.

Annus Sabbaticus. XX. Temporibus sacris etiam annumerari debet annus Sabbaticus, seu septimus, & Jubilæus, seu septies septimus. Illis annis non licebat terram colere, sed vescebantur sponte nâtis: non licebat creditoribus debita repetere; omnesque servi nullo persoluto pretio abibant liberi: si qui tamen anno septimo elapso dominis suis adhærere maluerant, anno jubilæi dimitti debebant. De septimo vide *Exod.* xxiii. 10, 11. xxi. 2. *Levit.* xxv. 2. *& seqq. Deut.* xv. 1, 2. 12. De jubilæo autem *Levit.* xxv. 8. *& seqq.*

3. Politica. XXI. Præcepta politica sunt Leges civiles, juxta quas Respublica Israëlis administrari debebat: suntque accommodatæ habitationi eorum in terra Canaan.

Ex speciali tribunalia. XXII. Primò hic præcipitur, ut Judices & Magistratus constituant in omnibus portis, per singulas tribus, ut judicent populum justo judicio: *Deut.* xvi. 18. Tria hujusmodi tribunalia erant in populo Israëlis. Unum summum, ordinariè vocatum Sanhedrin, constans septuaginta Senatoribus; &, ut vulgò creditur, erectum fuit primò in Schilo, postea Hierosolymis. Ad hunc senatum pertinebant judicia Dei, hoc est, maxima, quæ in aliis tribunalibus judicari non poterant: qualia sunt quatuor hæc; crimen falsæ prophetiæ; crimen perduellionis: delictum totius tribus, & delictum Pontificis maximi: deinde, etiam ab inferiorum tribunalium sententia ad hoc, tanquam superius, dabatur provocatio. Alterum tribunal erigebatur Hierosolymis, & in omnibus civitatibus, constans viginti tribus judicibus, & de fortunis ac capite civium jus dicebat, exceptis quatuor illis criminibus modo memoratis; & ab eorum sententia, etiam in criminalibus, ad Synedrium magnum provocare licebat. Tertium erat minimum, & erigebatur in minimis pagis ac vicis, solisque judiciis civilibus & litibus dirimendis erat destinatum.

Pœnas. XXIII. Pœnæ transgressoribus constitutæ erant vel corporales, nempe flagellatio; hæc excedere non debebat numerum quadraginta plagarum, *Deut.* xxv. 2, 3. Vel capitales. Quatuor autem species pœnarum capitalium in usu erant inter Israëlitas: strangulatio sive suffocatio, decollatio, combustio, & lapidatio. Posteriorum duarum lex expressam mentionem facit, *Levit.* xx. 14. *Deut.* xxii. 24. reliquas duas ex patrum suorum traditione Judæi habuisse videntur.

XXIV. Præcepta specialia, quibus singulis peccatoribus sua pœna constituitur, passim in Lege occurrunt. Ea quidam non ineleganter ad singula decalogi præcepta referunt; in quo catalogo summatim conspicere licet, quomodo pro ratione gravitatis delicti contra unumquodque præceptum, etiam Deus pœnam justissimè moderatus sit. Nos hæc, quia brevitati studemus, & præter scopum nostrum sunt, non recensebimus, legis politicæ scopum breviter indicasse contenti. *Præcepta.*

XXV. Promissa fœderi huic annexa duum potissimum sunt generum. Aut enim sunt de rebus quibusdam quæ ad beatitudinem conferunt: aut de persona Messiæ, ex populo isto orituri. *Secundo, Promissa.*

XXVI. Promissa de rebus, sive bonis, duum rursus fuerunt generum: alia generalia, alia specialia: quibus comminationes opponuntur. Specialia promissa legis observatoribus facta non continent nisi bona terrena, respiciuntque vitam commodam, quietam, omniumque, quæ eam jucundam reddere possunt, affluentia abundantem, in terra Canaan possidendam: nim: vel bona ipsum hominem concernentia, ut sanitatem, immunitatem à morbis ac doloribus; vel bona externa; quietam in terra Canaan habitationem; victoriam de hostibus, terræ fœcunditatem, omniumque frugum abundantiam. Hæc omnia exstant *Exod.* xxiii. 25, 26. *Deut.* vii. 12, 13. sed prolixum eorum catalogum legere licet *Levit.* xxvi. & *Deut.* xxviii. *Specialia.*

XXVII. Promissa generalia sunt, quæ generalibus terminis sunt facta, sine speciális cujusdam boni expressione: qualia sun: *Ego ero Deus tuus*, vel, *Ego sum Deus tuus*: *Ego benedicam vobis.* Hæc enim promissa, cùm nullum speciale bonum designent, & generalibus terminis enuntientur, juxta illam generalitatem accipi possunt, ut quævis bona, quibus Deus favorem suum testatur, tam spiritualia ac cœlestia, quàm corporalia ac terrena, tam æterna, quàm fragilia ac caduca, comprehendant: quia illa verè bona sunt Deo digna, quibus pios suos cultores remuneretur. Et æternam iis benedictionem comprehendi docet Apostolus *Hebr.* xi. 16. *& 2 Corinth.* vi. 16, 17, 18. addito *cap.* vii. 1. Imo & à mortuis resuscitationem illis includi subtili ratiocinatione ostendit Servator *Matth.* xxii 31, 32. *Generalia.*

XXVIII. Ad generalia promissa etiam referri possunt illa, quibus Deus legis observatoribus in genere vitam promittit, *Levit.* xviii. 5. *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in illis.* Ubi licet vita *Promissum vitæ.*

vita æterna expressè non nominetur, tamen quin sub generali voce *vitæ* comprehendi potuerit, imo juxta Dei intentionem etiam comprehensa sit, dubitare nos non sinit Apostolus *Gal.* III. 12. Et potissimum, quia vitæ hujus promisso, tanquam typo ac umbra, vitam æternam adumbrare voluit: quo sensu & tota terra Canaan, omniaque bona Judæis promissa, typus fuere cœli bonorumque spiritualium ac cœlestium Christianis clarè promissorum.

Quomodo promissa vita æterna. XXXIX. Ex quibus sic colligimus: promissa legis specialia non continuisse secundum literam nisi benedictiones temporales ac terrenas: promissa autem generalia sua generalitate etiam comprehendisse bona cœlestia ac æterna: & bona terrena typicè adumbrasse bona æterna; adeoque sapientiores in populo illo, sive promissionum generalitate, sive Dei benignitate confisos, sive omnia terrena promissa ut melioris boni typos considerantes, præsertim cum Legis observatores iis nonnunquam destitui viderent, neque ea pietatis remunerationem Deo dignam arbitrarentur, neque beatitudinis appetitum quem in se sentiebant satiare posse experirentur; sive ad exemplum Enochi & Eliæ respicientes, bona æterna exspectasse, & à Deo obtinuisse. Quod alios in carnali isto populo attinet, verisimile est, eos in terrena benedictione acquievisse; aut fortasse resurrectionem ad similium bonorum possessionem exspectasse: quoniam promissa generalia ac typica æqualem efficaciam ad fidem excitandum cum promissis vitæ æternæ specialibus ac expressis, qualia in Euangelio exstant, non habent. Eadem de promissis legis est sententia Augustini *de Civit. Dei* lib. XVIII. cap. XXXV. §. 2. ubi disserit de loco *Malach.* III. 1. &c. *Novum procul dubio Testamentum debemus accipere, ubi sempiterna; non vetus ubi temporalia sunt promissa: quæ pro magno habentes plurimi infirmi, & Deo vero talium rerum mercede servientes, quando vident eis impios abundare, turbantur. Propter quod idem Propheta, ut novi Testamenti beatitudinem æternam, quæ non dabitur nisi bonis, distingueret à veteris terrena felicitate, quæ plerumque datur & malis*, inquit *vers.* 13. &c. Et clarius *Epist. de gestis Pelagii* §. 13, 14, 15. ubi Pelagio, qui dixit, regnum cœlorum etiam in veteri Testamento promissum, respondet cum distinctione: *Voce veteris Testamenti comprehendi posse scripturas omnes Legis & Prophetarum: illis autem promitti regnum cœlorum, sicut etiam illud Testamentum novum, ad quod pertinet regnum cœlorum.* Quibus porro hæc subjungit. *In illo verò Testamento, quod proprie vetus dicitur, & datum est in monte Sinai, non invenitur promitti apertissime, nisi terrena felicitas. Unde illa terra, quò est populus introductus, terra promissionis vocatur, in qua pax & regnum, & ab inimicis victoriarum reportatio, & abundantia filiorum & fructuum terrenorum, & si qua hujusmodi, sunt promissa veteris Testamenti, quibus etsi figurantur ad novum Testamentum pertinentia spiritualia; tamen qui propter illa terrena suscipit Legem Dei, ipse est hæres veteris Testamenti, &c.*

XXX. Hisce promissionibus oppositæ erant comminationes Legis, eæque similiter duplices; generales nempe, vel speciales. *Minæ Generales.* Generalis fuit mors, eaque vel violenta, à magistratu; vel misera ac immatura à Deo ipso infligenda. Sicut autem observavimus, generali promisso vitæ, juxta ultimam ac mysticam Dei intentionem, etiam comprehensam fuisse vitam æternam; ita etiam de generali comminatione mortis dicendum, sub ea mysticè comprehensam fuisse mortem æternam seu secundam, in Euangelio clarè expressam. Fateor non æquè facile fuisse ex generali comminatione mortis hanc deducere, quàm ex generali promissione vitæ, vitam æternam. Attamen non deërant rationes, quibus & hanc pœnam colligerent: tum quod viderent, legis divinæ contemtores sæpe non incidere in pœnas Lege divina in ipsos constitutas: tum, si in quasdam inciderent, eas exiles nimis esse, quàm ut tantis sceleribus digna retributio sint. Inde enim colligere potuerunt, alias restare pœnas, quas Deus generali mortis vocabulo comprehensas voluit, impiis illis etiam post vitam hanc infligendas.

XXXI. Speciales comminationes solummodò spectant vitam hanc præsentem ac terrenam: concernuntque vel ipsum hominem, ut varii morbi, pestilentiæ, &c. *Speciales.* Vel externa quædam, quæ hominem miserum reddere possunt: suntque vel bonorum ad hominis felicitatem spectantium denegatio: vel miseriarum ac calamitatum inflictio; ut sunt, sterilitas, fames, captivitas, aliaque: quarum omnium longus exstat catalogus *Levit.* XXVI. 14. *& seqq. Deut.* XXVIII. 15. *& seqq.*

XXXII. Promissum Messiæ etiam est promissum Legis; quod colligimus tum ex promisso Abrahamo facto. *Genes.* XXII. 18. *Promissum Messiæ.* *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: quo Christum denotari docet Apostolus *Gal.* III. 16. tum ex promisso *Deut.* XVIII. 18, 19. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, sicut te; & ponam verba mea in ore ejus*, &c. Quæ ad Christum refert Apostolus Petrus *Act.* III. 22. Postea verò per Prophetas promissio hæc sæpius non tantum iterata est ac repetita, sed clarius multò proposita, variaque, non tantum nativitatis tempus & locum parentesque ejus, sed & muneris ipsius rationem spectantia, sunt addita. Quoniam tamen hæc omnia non clarè sunt expressa, sed sub typo rerum terrena-

renarum adumbrata, tam perfecta muneris Messiæ cognitio sub Lege haberi non potuit, quàm nunc habemus sub Euangelio, in quo clara totius muneris Messiæ revelatio facta est.

CAPUT IX.

De Legis Mosaicæ inefficacia.

III. Inefficatia ad justificationem. I. ITa Fœderis Veteris, seu Legis Mosaicæ conditionibus, hoc est, præceptis ac promissis consideratis: restat nunc tertium nostræ tractationis membrum, ut ostendamus, an Lex potuerit homines reddere verè spirituales, & à peccatis justificatos introducere in vitam æternam? Quæstionem hanc decidit Apostolus Gal. III. 21, 22. *Si data esset Lex, quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* & Hebr. VII. 18, 19. *Reprobatio præcedentis mandati fit propter infirmitatem ejus & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex; introductio verò melioris spei, per quam appropinquamus Deo.* Operæ pretium autem est, id specialius paulo de Lege demonstrare.

Quoad Præcepta politica. II. Tria præceptorum genera in Lege consideravimus, Moralia, Ceremonialia, & Politica. Præcepta Legis politica nihil contulisse ad vitam spiritualem ac æternam, manifestum est: data enim solummodò sunt ad vitam pacatam ac tranquillam in terra Canaan transigendam, Judæosque metu pœnarum à Magistratu infligendarum, continendum a præceptorum divinorum transgressionibus; ac proinde solas tantum externas actiones cohibuerunt; animo, utpote hominis cognitioni non subjecto, nullas posuere regulas.

Quoad ceremonialia. III. Ceremoniæ Legis similiter hominem verè spiritualem reddere, nec à peccatis justificare poterant. Non enim institutæ sunt à Deo, quia per se erant honestæ, in ratione naturali à Deo hominibus indita aliquod fundamentum habebant, ac proinde hominis animum intus à peccatis verè purgabant; sed pro arbitrio ac beneplacito divino, ut essent sepes, per quam ab omnibus aliis mundi populis separarentur, & posteritas Abrahami agnoscerentur; neque cum gentibus mundi commiscerentur: proinde, à quibus admodum diversas, imo nonnunquam planè contrarias Deus populo suo, si voluisset, præscribere potuisset; & ad quarum observationem, æquè ac harum, populus illo casu obligatus fuisset. Inde liquet, ceremonias hasce à Deo Israëlitis non esse præscriptas solummodò pro absoluto dominio suo, quasi nulla omninò earum causa extra legislatoris Dei voluntatem fuerit; sed sapientissimo consilio pro temporum illorum ratione fuisse institutas; ut populus suus per eas à reliquis gentibus separaretur; & fortius à cultu idolorum, qui passim in mundo obtinebat, averteretur, & cultui unius Dei sanctificaretur. Hinc est quòd Deus, licet varia instituerit, quæ etiam ab Ethnicis observabantur, externum templum, aras, sacrificia, sacerdotes ac pontifices, variasque mundationes, ut ita populus ad cultum divinum adduceretur; tamen plurimas instituerit ceremonias, directè contrarias ceremoniis gentium; quales sunt plures, quibus cibos, Ethnicis mundos, populo suo immundos esse voluit, & animalia, à gentibus tanquam Deos culta, sibi immolari in victimas, ut agnum, arietem, ac vitulum; & in eorum immolationibus planè contraria ritibus ab Ethnicis in victimis & immolationibus usurpari solitis observari præceperit. Non enim cum Judæis credendum est, in ipsa animalium natura immunditiem quandam esse, quæ eorum esum Israëlitis reddat illicitum; atque Deum in hoc suo interdicto ad immunditiem illam respexisse: minime: sic enim in Deum creatorem illius immunditiei causa rejicitur; & cum illa immundities alia quàm physica esse non possit, esu suo neminem peccato pollutum reddere potest. Sunt ergo à Deo instituti hi ritus, ut populum suum per illos à reliquis gentibus idololatris separaret, ac omne inter eum & illas commercium abrumperet, ne per illas à genuino sui cultu abductus, ad idololatriam deflecteret. Inde liquet, nullam veram in illis esse sanctitatem; sed potuisse Deum, si voluisset, ritus longè alios præscribere, quorum observatio illo casu cultus divini pars fuisset. Hisce addi alius illorum usus potest: quod fuerint prima tantum elementa seu rudimenta cultus divini, infantibus proposita, ut per illa, tanquam per pædagogum, sensim ad perfectiorem cultum adducerentur: unde vocantur *elementa mundi*, quibus cùm serviebant adhuc *parvuli* erant: Gal. IV. 3. Coloss. II. 20. & *lex pædagogus noster* fuisse dicitur *ad Christum*; Gal. III. 24. Et ad summum typi & umbræ tantum fuerunt cultus spiritualis sub Novo Testamento Deo exhibendi. Col. II. 17. dicuntur *umbra futurorum, corpus autem Christi.* Hebr. X. 1. *Umbram habet Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Sanè si ceremonias Legis cum præceptis spiritualibus Euangelii accuratius conferamus, deprehendemus plerasque earum spiritualis cultus, & beneficiorum spiritualium ac cœlestium umbras fuisse.

IV. Sacerdos summus, seu Pontifex maximus, typum gessit Pontificis nostri æterni Jesu Christi; & speciatim ingressu suo in Sancta Sanctorum, ad expiandum peccata populi, adumbravit ingressum Jesu *Quid adumbraverint Sacerdotes.*

Christi in cœleste sacrarium per proprium sanguinem, ut æternam expiationem perficiat, *Hebr.* IX. 24, 25, 26. Reliqui Sacerdotes oblationibus suis adumbrabant nostram in Christo dignitatem, qui fecit nos Sacerdotes Deo Patri suo: 1 *Petr.* II. 5. *Apoc.* I. 6.

Sacrificia. V. Sacrificia legalia partim, sc. pacifica & eucharistica, adumbrabant bona fidelium opera, quæ instar hostiæ gratæ Deo placent; nempe cultum nostrum rationalem, *Rom* XII. I. spiritum contritum, *Psal.* LI. 19. gratiarum actiones & eleemosynas, *Hebr.* XIII. 15, 16. & preces, *Apoc.* V. 8. VIII. 3, 4. partim, nempe expiatoria, perfectum Jesu Christi Domini nostri sacrificium, quo omnia peccata nostra plenè expiata sunt: uti fusè docetur *Hebr.* IX. & X. Sed præcipuè id adumbrabatur sacrificio illo solenni, quod quotannis offerebatur, & cum cujus sanguine Pontifex ingrediebatur in Sancta Sanctorum expians peccata populi. Hæc enim sacrificia peccata plenè non posse tollere, tum ex ipsorum natura liquet: *Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata; Hebr.* X. 4. tum ex quotidiana eorum iteratione: Sic *ibid. vers.* II. *Omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.* & *vers.* 18. *Ubi horum remissio, jam non est oblatio pro peccato.* Ipse etiam Deus satis ostendit, se cum in finem sub Veteri Testamento sacrificia non instituisse, ut peccata, tollerent; aliàs graviori peccato commisso Deus etiam semper majorem exegisset hostiam. Id agnoverunt Ethnici; quo majorem offerebant hostiam, cò se magis Deum placaturos credebant: hinc à mactatione pecudum ad mactationem hominum ventum est: procul dubio diabolo homines instigante exemplo Abrahami. Ita Ethnici natura duce videntur cogitasse nullum esse faciliorem obtinendæ veniæ viam, quàm si aliqua æqualitas appareret inter expiandum & victimam. Hinc sibi carissimos, filios nempe, & quidem summo cum cruciatu, ac homines sanctitate maximè commendabiles, immolarunt. In Veteri Testamento Deus alio longè modo processit: non exegit victimas aliquam habentes cum expiandis æqualitatem; neque semper majores pro gravitate delicti. Pro idololatria per errorem commissa offerebatur tantum capra, *Levit.* IV. 27. at quid majus crimen idololatriâ? Pro errore Sacerdotis, juvencus vitulus; pro errore regis, hircus: in ascham, seu sacrificio pro reatu, aries aut agnus; in chattath, seu sacrificio pro peccato (quod communi Judæorum opinione gravius creditur) agna aut capella. Deus per hæc significare volens, harum victimarum vi ac præstantia expiationem non fieri, aliàs pro gravissimis peccatis pretiosissimas victimas postulasset; sed per illa adumbrare voluit, ad peccata plenè expiandum aliam requiri victimam longè præstantiorem, in cujus oblatione & amorem suum erga homines, & odium contra peccatum ostensurus esset; quod utrumque perfecit oblatione proprii Filii sui, victimæ perfectæ, quæ æternam remissionem sanguine suo proprio obtinuit.

VI. Variæ illæ purgationes & lotiones, abstinentiæ à certis cibis ut immundis, adumbrarunt spiritualem nostram à peccatis purgationem, & sanctitatem vitæ: *Coloss.* II. 16, 17. *Lotiones, &c.*

VII. Tabernaculum, & præsertim Sanctum Sanctorum, adumbravit cœlum, in quod Christus Pontifex noster æternus ingressus est ad expiandum peccata nostra: *Hebr.* IX. II. *&c.* Hinc & Christo moriente; velum, quod Sanctum Sanctorum à Sancto separabat, scissum est in duas partes, à summo usque ad imum, *Matth.* XXVII. 51. Quo significabatur, apertam esse nobis per Christi mortem Sanctorum viam, id est, cœli; quæ, stante priore tabernaculo, nondum erat propalata. *Hebr.* IX. 8. *Tabernaculum.*

VIII. Festa illorum; liberationes & beneficia nobis obventura, & lætitiam nostram spiritualem, quam bonis operibus & cultu sincero testari debemus, 1 *Cor.* V. 7. Sabbathum, quietem denotat ab omni opere malo, & sanctificationem nostri ad Deum colendum: *Esai.* LVI. 2. LVIII. 13. & æternum illud sabbathum, seu quietem in cœlo cum Deo; *Hebr.* IV. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. *Festa.*

IX. Agnus Paschalis repræsentavit Dominum Jesum verum agnum Paschalem, 1 *Cor.* V. 7. cujus nullum os debebat frangi, *Joan.* XIX. 31. *& seqq.* Panes infermentati, quibuscum comedi debebat, pietatis nostræ sinceritatem; 1 *Cor.* V. 7. *Agnus Paschalis.*

X. Quin & ipsa circumcisio figura fuit internæ nostræ circumcisionis, quâ præputium cordis, hoc est, carnales cordis concupiscentiæ præciduntur: sic *Coloss.* II. II. dicimur *in Christo circumcisi circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis, sed in circumcisione Christi.* *Circumcisio.*

XI. Adeo ut cultus ille magna sui parte typicus fuerit, & umbratilis, perfectiorem & spiritualem cultum, beneficiaque spiritualia ac cœlestia adumbrans ex instituto divino. Scio plures præter has occurrere in Lege ceremonias, quarum significationem typicam Christianorum interpretes, & inter hos viri maxime eruditi, ingeniosè excogitarunt. Verum in applicando externo illo ac typico cultu ad internum & spiritualem cautos ac sollicitos admodum nos esse oportet, ne temerè pro arbitrio nostro allegorias comminiscamur; neque quando nobis præcepti alicujus ratio obscura est, statim ad allegoriam *Quid sit observandum in typica ceremoniarum explicatione.*

riam confugiamus; sed in allegoriis applicandis Scripturam ducem sequamur, & extra eam parcos admodum in iis sectandis nos ostendamus. Is enim optimus legis ceremonialis interpres est, qui ostenderit, quâ ratione per illam populus Israël ab idololatria gentium sit cohibitus, singulæque ceremoniæ gentium ritibus idololatricis è diametro fuerint oppositæ: exinde enim facile liquebit, cur Deus pro summa sua sapientia ejusmodi ritus à populo suo pro temporum illorum ratione observari voluerit. Ab hac simplicitate si recedamus, & temerè extra Scripturam allegorias comminiscamur, qualescunque sensus, non tantum diversi, sed & directè contrarii, Scripturæ adaptari possunt, pro diverso interpretum ingenio. Notum est, non tantum diversas esse Christianorum de variis Religionis Christianæ articulis sententias: sed & inter ὁμοδόξυς diversissimam & multiplicem ingeniorum varietatem. Hac itaque allegorias comminiscendi licentiâ admissâ, unusquisque pro præjudicio suo, & diversa indole ac genio, sibi interpretationes finget à sacrorum Scriptorum mente alienissimas; & ex iisdem ritibus prodibunt allegoriæ directè contrariæ & se mutuo evertentes; nihilque erit, ne minima quidem in ritibus circumstantia, quin mysterium sub ea latere credatur, quod in apertum producendum est, &, ut allubescere possit, multis coloribus incrustandum. Fœcundum enim est humanum ingenium, præcipuè si commentis propriis incrustandis & adornandis operam det, Scripturamque, si eam in allegorias convertere velit, in quemlibet sensum facile torquere potest; non aliter atque in nubibus quascunque sibi figuras imaginari, quas in eadem nube singuli pro diversa imaginantium dispositione ac temperie sibi admodum diversas depingunt. Qui sensus tandem ita allubescet, ut eum, licet quandoque vanitate suâ diffluat, magisque deliri somnia quàm sensum divinum exhibeat, certissimum credat, in eoque sibi plaudat non aliter ac si intima sapientiæ adyta penetrasset, nec ullâ ratione induci possit ut eum dimittat. Ne hic erremus, & temerè in devia abripiamur, non aliæ sunt quærendæ allegoriæ, aut significationes typicæ, quas tanquam certas legis ceremonialis explicationes admittamus, præter illas, quas Spiritus Sanctus, optimus & infallibilis legis divinæ interpres, per Apostolos Domini Jesu in Novo Testamento nobis revelavit. Si quis præter has in lege ceremoniali alias venari cupiat allegorias, tanquam sensus legis extensiones ad quippiam spirituale, aut quod mores spectat, piè hoc facere potest: non autem eas urgere debet, tanquam genuinum Legis sensum & Dei in danda Lege scopum continentes.

An omnes cognoverint hos typos.

XII. Sed quæri hic posset, An omnes in populo Israëlis intellexerint ista quæ diximus rerum spiritualium typos fuisse? Resp. Data à Deo fuere, ut pii hæc inquirerent, in iisque sese exercerent, atque ita per externa hæc ad interna & Christum verum liberatorem tenderent: illique, qui hæc ita intellexere, simul cognoverunt, per ea veram à peccatis liberationem obtineri non posse: unde *Gal.* III. 24. *Lex* vocatur *pædagogus noster ad Christum.* Credibile quidem est, omnes studium illud non adhibuisse; sed plebem, perinde uti plebem Christianam, externis hisce captam, nihil ultra spectasse, sed in hisce fiduciam suam collocasse, & cultu hoc ceremoniali exactè observato, officio suo se defunctam credidisse. Hinc Deus per Prophetas sæpe denuntiat, cultum illum externum neutiquam sibi placere; imo si sanctitas animique probitas absit, sibi ingratum ac molestum esse. *Psal.* L. 8, 9. *& seqq. Esa.* I. 11. *& seqq.* LVIII. 3, 4. *& seqq.* LXVI. 3. *Jerem.* VII. 3, 4, 5. *Amos.* V. 21. *& seqq. Mich.* VI. 6, 7, 8. Qui autem ita externis hisce confisi sunt, eos multo minus per hæc opera potuisse justificari certum est; imo & legem moralem sibi irritam reddiderunt.

Lex umbra & litera.

XIII. Hujus itaque ceremonialis Legis respectu, lex vocatur *umbra*, *Hebr.* X. 1. & *litera*, 2 *Cor.* III. 7. quia non erat nisi tenue quoddam rudimentum divinæ voluntatis; quale pueris literas discentibus dari solet, ut ita sensim perfectiori cultui præstando apti redderentur: ideoque non tantum vocantur elementa, sed *infirma & egena elementa*, *Gal.* IV. 9. quibus nulla per se vis inerat ad veram ac solidam pietatem: ab hyprocrita quippe eâdem ἀκριβείᾳ observari poterant, imo plerumque majore obsetvabantur, quàm à verè piis, quibus puritas cordis & spiritus contritus sacrificia erant & oblationes, quibus Deum sibi reddere studebant propitium: ceremoniæ animum non purgantes, carnalem tantum conserebant munditiem, *Hebr.* IX. 10. ut qui ob immunditiem quandam carnis castris aut tabernaculo arcebatur, denuò expurgatus in illa admitti posset.

Quoad moralia. Non potuit liberare à reatu peccati.

XIV. Quod Legem moralem attinet, spectatam quatenus est pars fœderis veteris, nec eâ hominem à peccato liberare potuit, id est, nec à servitute, nec à reatu peccati. A reatu peccati non potuisse hominem liberare, exinde constat; quia nullam de vera ac perfecta peccatorum remissione promissionem continet: sed solummodò delictis ex ignorantia aut infirmitate commissis, aut impuritatibus carnalibus, seu externis & carnem solummodo inquinantibus, expiationem statuit: quin imo peccata quædam, licet voluntaria & deditâ operâ facta, non tamen cum protervo ac impio Dei contemptu, quæ elatâ manu fieri dicuntur, con-

juncta, qualia describuntur *Levit.* VI. 2, 3, 4. *&c.* in Lege expiari poterant, ad obtinendum remissionem temporalem, quæque vitam civilem in terrena felicitate transigendam spectabat. Quæ verò elatâ manu fiebant, per Legem nullatenus expiari poterant, neque etiam Lex vitam æternam conferre poterat. Unde *Hebr.* IX. 9. 10. dicitur, quod in Lege *munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Peccatis autem gravioribus pœna mortis erat constituta, absque ulla misericordia: unde *Hebr.* II. 2. dicitur, quod *omnis inobedientia & prævaricatio in eu acceperit justam mercedis retributionem.* Et *cap.* X. 28. *Irritam quis faciens legem Mosis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur.* Et quia, ut ante vidimus, nemo hominum, tam Judæorum quàm Gentium, ab omni graviore delicto prorsus insons vixit, meritò concludit Apostolus, per Legem neminem justificari, sed omnes quotquot ex Lege sunt sub maledictione esse: *Gal.* III. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.* Expiabat quidem quotannis, in solenni expiationis festo, Pontifex totius populi peccata, toto illo anno commissa; sed ea solummodò, quæ per Legem expiari poterant; non autem graviora: quia *impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Hebr.* X. 4. Promittit etiam Deus populo, ob impietatem captivitate punito, si, pœnitudine ductus, ad Deum reversus fuerit toto corde & totâ animâ, ipsiusque præceptis obedierit, se eum ex captivitate reducturum, omnesque suas benedictiones in eum cumulaturum: *Deut.* XXX. 1. *& seqq.* Sed hæc est promissio solummodò de benedictione terrena, non spirituali ac cœlesti; ac deinde, toti populo peccatori ac se convertenti facta, non autem privato cuipiam: is enim non per promissa Legis, sed speciali Dei gratiâ, in promissis divinis aut terminis tantum generalibus comprehensa, aut typicè adumbrata, peccati sui remissionem obtinere potuit; uti David, aliique. Unde *Lex* dicitur *iram operari*, *Rom.* IV. 15. & 2. *Cor.* III. 7. *litera*, id est Lex Mosis, quæ tenue quoddam veræ pietatis rudimentum continet, *occidere*: id est, quibusvis gravioribus delictis pœnam mortis, absque veniæ spe, intentare. Legis enim tantum est officium præscribere, & transgressoribus denuntiare pœnam, culpam autem dimittere, & à pœna absolvere non est Legis, sed gratiæ.

Nec propterea à

XV. Hisce ita adstructis, liquet jam, Legem à Deo datam non fuisse, ut homines, à peccati servitute liberatos, redderet verè spirituales, & æternæ vitæ hæredes. *servitute peccati.* Quia enim remissionis gravium peccatorum promisso carebat, à culpa absolvere non poterat, nec proinde à jugo peccati: peccati quippe servitute pressus, viribus ad se in libertatem vindicandum destitutus est: magis enim æstuantibus cupiditatibus, ob crebram ac diuturnam consuetudinem, quâ virtute, quibusve viribus, illarum impetum retundet homo, qui persuasus est, se conversione suâ Legis maledictionem effugere nequaquam posse, sed nihilominus sibi necessariò esse moriendum? Unde David. *Psal.* CXXX. 4. *Apud te, ô Deus, est remissio ut timearis*: innuens, spe remissionis sublatâ, etiam Dei timorem concidere.

Destituta erat idoneo auxilio.

XVI. Deinde, Lex destituta erat idoneo auxilio, ad dominium peccati exstinguendum; tantumque abest, ut homines à peccato liberaverit, ut peccati concupiscentiam vehementius excitarit. *Rom.* VII. 5. *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificemus morti.* Et. *vers.* 8. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine Lege enim peccatum mortuum erat.* Quod factum per rigida legis interdicta, quæ concupiscentiam ad peccandum irritarunt magis, juxta illud, nitimur in vetitum; non Legis vitio, quasi ea ex se eò tenderet, ut peccatum excitaretur; sed hominum peccatis assuetorum. Tum etiam, quia interdictum de concupiscentia Lex nullâ sancit pœnâ, carnales homines facile sibi indulserunt, licere impunè concupiscere, modò concupiscentia in actum externum non erumpat. His adde quod Lex ob cordis populi Judaici duritiem quædam concedebat per se non bona, quæ postea sub Euangelio sunt vetita: qualia erant polygamia, divortium ob quamcunque causam, aliaque.

Infirma reddebatur per carnem.

XVII. Tandem hisce accessit defectus ille Legis, quòd non posset à peccati culpa homines absolvere, nec remissionis ac vitæ æternæ spe homines ad vitam spiritualem adducere. Quod egregiè explicatur *Rom.* VIII. 3. *Quod impossibile erat Legi, eò quòd infirma esset per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & pro peccato, peccatum damnavit in carne.* Ubi manifestè docet Apostolus, si sequentia addamus, Legi impossibile fuisse ut hominem justificet; non quia perfectè observata hominem justificare non posset; sed quia infirma erat reddita per carnem, quia homines, carnalibus concupiscentiis addicti, Legem violaverant. Et propter illam in carnalia desideria propensionem Lex homines verè spirituales reddere non potuit, & à peccati dominio planè liberos; sed metu pœnæ coërcere

coërcere tantum à gravioribus criminibus, perinde uti fræno ac virgâ equi refractarii, ac valido præsidio cives ad rebellionem proni, aut pædagogo pueri coërcentur, animo interim cupiditatibus intus æstuante. Quod *Rom.* VII. passim docetur: & *Gal.* III. 23, 24. dicitur Lex pædagogi instar homines severiori disciplinâ, utpote adhuc admodum carnales & duræ cervicis, cohibuisse ac compescuisse; perfectos autem reddere non poterat, quia illud pædagogi non est. Præterea, infirma fuit Lex reddita per carnem: quia, si literam ejus spectes, sancita erat promissis non spiritualibus, sed corporalibus & terrenis, quæ typi tantum erant cœlestium: promissa autem Legi addita sunt, ut bonorum promissorum amore homines ad Legis obedientiam excitentur: promissa ergo carnalia etiam appetitum carnalem excitabant, desideriumque carnis voluptatibus fruendi. Atque tali potissimum desiderio homo ad Legis divinæ transgressionem concitatur: & desiderio erga voluptates carnales semel excitato, pronum est homini ad quasvis sibi gratas abripi, etiam cum contemtu earum voluptatum, quas Deus promisit. Tum, videbant bona illa sæpius obvenire impiis, pios illis destitui, uti conqueritur David *Psalm.* XXXVII. & LXXIII. & hac ratione per carnem Lex non minus infirmabatur, quatenus caro hominem ad appetitus carnales & legi divinæ contrarios pertrahebat, non abjectâ omni spe, fore nihilominus ut promissa bona consequeretur. Imo & aliis modis, per rapinas, aliaque facinora, bona illa acquiri poterant: hinc & peccati cupiditas magis accendebatur.

Quibus mediis præparati Judæi ut ad bona spiritualia adspirarent.

XVIII. Interim negandum non est, sapientem hanc Dei directionem, quâ pios aliquando bonis terrenis destitutos esse, impios autem illis abundare voluit, eò serviisse, ut plurimi oculos mentesque à terrenis hisce, tanquam vili nimis ac indigna obedientiæ suæ mercede, abduxerint; & generalibus Dei promissis intenti, ad bona spiritualia ac cælestia adspiraverint. Ad tempora usque captivitatis Babylonicæ populus Judaicus carnalis admodum fuit. Non obstantibus tot Dei miraculis, tam in ipsa ex Ægypto liberatione, quàm in deserto, tamen sæpe adeo murmuravit: in terram Canaan introductus, licet haberet apertissima de Deo testimonia, prophetias, miracula, apparitiones angelorum; nihilominus vero Deo deserto subinde in idololatriam lapsus est. Post captivitatem diuturnis malis pressi videntur, neglectis cultus divini primis elementis, ad aliquam maturitatem pervenisse; Deus quippe sensim visibilem illam sui præsentiam eis subduxit, variisque malis eos premi permisit, ut ita animos eorum in cœlum erigeret, & sine præsidiis carnalibus sibi fidere doceret. Non enim legimus tunc Prophetas exstitisse, neque illos post istud tempus in idololatriam relapsos. Ab eo tempore spes vitæ alterius magis videtur subiisse ipsorum animos, cùm viderent Legis studiosissimos sæpe in mala incidere, Legis defectoribus proposita. Vide libros Macchabæorum, præsertim *lib.* 2 *cap.* VII. *Hebr.* XI. 35. *& seqq.* atque ita sensim præparati sunt ad recipiendum Euangelium. Unde quidam tempus illud, eleganti metaphora, *vestibulum Euangelii* vocavit.

Ex Lege nemo justificatus.

XIX. Hic facile quæret quis, an itaque nemo ex Lege sit justificatus? Resp. Apostolum hanc quæstionem pro nobis decidere; docet enim passim in Epistolis *ad Rom.* & *Gal.* ex operibus Legis nullum hominem justificari; imo si ex Lege sit justitia, Christum frustra fuisse mortuum. Dices. An ergo nemo eorum, qui sub Lege vixerunt, justificationem & vitam æternam est consecutus? Resp. Omnino; sed aliud est sub Lege, aliud ex Lege & vi Legis justificationem consequi. Quod ut distinctius appareat, ostendemus qualis justificatio ex Lege obtineri potuerit; ad quam verò Lex hominem adducere non poterat.

Lex strictè accepta.

XX. Lex itaque dupliciter accipi potest, vel strictè, vel minus strictè. Justificatio hominis similiter duplex est, vel temporalis, conferens à peccatis, quæ sacrificiis legalibus expiari poterant, expiationem & bona terrena ac temporalia Lege promissa; vel spiritualis, conferens plenam à peccatis absolutionem & vitam æternam. Lex strictè accepta, solummodò tanquam lex, præscribit perpetuam obedientiam sine ulla interruptione, ulliusque præcepti violatione. Hoc modo considerata Lex præstitu est impossibilis, & nemo per eam ullâ ratione justificationem obtinere potest. Et licet Lex ita considerata hominem exclusum teneat extra regnum cœlorum, & in morte, cui propter naturalem ex Adamo propagationem obnoxius est, relinquat: non tamen eum maledictionis, quam comminatur reum agere potest. Ad impossibile enim nemo obligatur, neque ob id non præstitum maledictionis reus peragi potest.

Minus strictè accepta, habet temperamentum gratiæ, respectu proximæ intentionis divinæ.

XXI. Lex minus strictè accepta, continet præcepta & promissa statui populi Judaici accommodata. Sic temperamentum aliquod habebat gratiæ divinæ, cujus auxilio præstari poterat: idque dupliciter. Primo, respectu proximæ intentionis divinæ, per literam Legis clarè revelatæ, statuique populi infantilis accommodatæ. Sic præstari poterat; non quidem ut in delicta & culpas leviores non inciderent; illud enim in infantibus pronum est; sed ut à delictis & transgressionibus gravioribus abstineant; atque ita à delictis minoribus per sacrificia legalia expiati, justificationem ad benedictio-

ctiones temporales Lege promissas consequendum, obtinerent; non tamen ex vi Legis vitam æternam expectare possent, illud enim Lex præstare non poterat. *Gal.* III. 21. *Si data esset lex quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia. Hebr.* VII. 18, 19. *Reprobatio præcedentis mandati fit propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim perfecit Lex; introductio verò melioris spei, per quam appropinquamus Deo.* Hanc ex Lege justificationem obtinuerunt aliqui, quorum vita inculpata dicitur fuisse coram Deo: David, 1 *Reg.* XI. 33. XIV. 8. XV. 5. Asa, 1 *Reg.* XV. 8. *&c.* 2 *Paral.* XV. 12. Josias, 2 *Reg.* XXII. 2. XXIII. 25. Sacharias & Elisabeth, *Luc.* I. 6. Dices. Attamen & illi inciderunt in quædam delicta; David in adulterium, 2 *Sam.* XI. Asa prophetam Hanani in carcerem misit, 2 *Paral.* XVI. 10. Sacharias Angelo Domini incredulus fuit, *Luc.* I. 18. & ita etiam de aliis dicendum videtur. Resp. 1. Potuissent in illa delicta non incidere: non enim major requiritur ad ea devitandum virtus, quàm ad alia, quæ studiosè vitarunt. 2. Dicendum ergo, eos secundum Legis rigorem reos fuisse mortis, & non nisi per specialem Dei gratiam inde potuisse liberari, quæ non clarè verbis Legis expressa, sed typicè tantum adumbrata fuit: de qua nunc dicemus.

Respectu ultimæ intentionis divinæ. XXII. Secundò ergo Lex minus strictè accipitur secundum ultimam, sed mysticam intentionem Dei, id est, non clare revelatam, sed verbis generalibus expressam, aut typis ac figuris adumbratam, de vita æterna ac plena peccatorum remissione sincerè obedientibus danda. Ita considerata Lex, non differt ab Euangelio nisi ratione clarioris & minus claræ revelationis: quod enim Lex sub figuris ac ænigmatibus quibusdam abscondit, Euangelium verbis expressis clarè proponit. Atque hac ratione potuisset Lex, licet difficulter, præstari, si clarè proposita fuisset: nunc autem, quia gratiam hanc obscuris umbris involvit, & eminus tantum conspiciendam præbet, præstari non potuit, neque ob eam non præstitam, homines rei peragi maledictionis, licet per eam ex miseria, cui obnoxii erant, liberari non potuerint.

Sub Lege quidam justificati, sed non per Legem. XXIII. Quæres. An ergo nemo sub Lege justificationis perfectæ, ac proinde vitæ æternæ fuerit particeps? Resp. Credere nos, omnes, quotquot Deum ex toto corde suo quæsiverunt, etiam veræ justificationis ac salutis æternæ esse participes, non ex vi Legis, sed per gratiam promissam in Christo, & figuris typisque Veteris Testamenti adumbratam; sive eam per typos illos ac umbras respexerint; uti credibile est eos, qui in populo illo notitiâ ac studio inquirendæ Legis divinæ excelluerunt, per umbras illas ad aliqualem, quamvis obscuriorem quàm nunc sub Euangelio, uti ex *Matth.* XIII. 16, 17. liquet, gratiæ illius cognitionem pervenisse: sic *Hebr.* XI. 13, 14, 15. cognitio & fides istiusmodi illis adscribitur. Sive eam non respexerint, sed extra Legis literam nihil ulterius cogitarint; Deus tamen illam pro immensa sua bonitate ipsis applicarit. Quamvis enim fateamur, illos, qui nihil sublimius in Lege scrutabantur, extra culpam non fuisse; præsertim accedentibus variis Prophetarum revelationibus, qui de Christo sensim clariora edebant oracula, piorumque ac eximiorum institutione, typorumque explicatione; tamen quia nec Prophetarum oracula verbis propriis, sed plerumque figuratis enuntiata erant; & typorum illa explicatio sua obscuritate non caruit, culpa illa apud benignissimum Deum excusationem obtinuit. Quicquid sit, quocunque modo justificationem obtinuerint, manifestum est, non vi Legis, sed solummodò virtute gratiæ per Christum dandæ, tunc obscurè ac quasi è longinquo ostensæ, postea vero suo tempore clarè revelandæ, eam esse consecutos: ac proinde Legem absque Christo nihil potuisse ad perfectam justificationem conferre: atque hoc sensu etiam Legem pædagogum fuisse ad Christum; quatenus homines, consideratâ Legis inefficaciâ ad plenam peccatorum expiationem obtinendum, quasi manu duxit ad Christum, ut in illo plenam expiationem quærerent.

XXIV. Indeque liquet, licet Lex aliquoties *fœdus æternum* vocetur, intentionem Dei nunquam fuisse, ut in perpetuum permaneret: abroganda quidem nunquam propriè erat per legem contrariam; sed naturâ rei id postulante, sponte debebat desinere: accedente scilicet corpore & veritate, typus ac umbra evanescere debuit, filioque jam adulto munus pædagogi ac tutoris sponte concidit: uti egregiè docet Apostolus *Gal.* IV. 1, 2, 3. *&c.* & *Hebr.* VIII. 7. *Si prius fœdus fuisset irreprehensibile* hoc est, absque imperfectione, *non utique secundo locus esset.* *Lex æterna esse non debuit.*

XXV. Quæritur, an hodie inter Christianos Lex eo officio fungatur, ut sit noster pædagogus ad Christum? Ita quidam docent: existimantes homines prius minis Legis terrendos, & tantum non ad desperationem adigendos; ut ita ad misericordiam Dei in Christo confugiant. Sed hi longè errant à mente verborum Pauli: non enim dicit Legem semper pædagogi munus debere obire; sed tempus præteritum ante natum Christum respicit, eoque munere isto functam docet; & præcipuè ratione ceremoniarum, Christi typorum, & ratione gratiæ imperfectioris, quæ ipsos docebat perfectiorem quærere, in solo Christo inveniendam. Ridiculum verò est, homines, qui se à Legis vinculo solutos, ejusque commi- *Hodie non est pædagogus noster ad Christum.*

minationibus non amplius teneri sciunt, minis Legis velle terrere. Neque est quòd Euangelium minas Legis ad peccatores terrendos in subsidium vocet; cum & suis comminationibus, iis quæ in Lege exstant multò gravioribus, utpote æternos ignis inferni cruciatus verbis disertis denuntiantibus, peccatores impœnitentes satis terrere possit. Verùm error hic alii errori ortum suum debet: quo creditur Legem solummodò præcepta, Euangelium autem mera promissa continere: quam doctrinam, ut erroneam, alibi refutabimus.

XXVI. Atque hinc jam liquet, nullum eorum mediorum, quæ Deus ante Christi Filii sui adventum adhibuit, per se efficax fuisse ad homines è miseria sua liberandum, & quæcunque ipsis fuit efficacia, eam omnem à gratia in Christo danda esse mutuatam. Atque ita necessitas operis Redemtionis evicta est.

CAPUT X.

De Causa impulsiva operis Redemtionis, vid. Misericordia Dei cum Justitia mixta.

Causa impulsiva Redemtionis, Gratia Dei.

I. ITa consideratâ totius humani generis miseriâ, tanquam occasione operis Redemtionis, sequitur, ut causam Redemtionis impulsivam inquiramus. Hæc est, gratia & misericordia Dei; uti passim docetur *Joan.* III. 16. *Rom.* III. 23. *Eph.* II. 3, 4, 5, 6. *Tit.* III. 3, 4, 5. 1 *Pet.* 1. 3. 1 *Joan.* IV. 9, 10. & alibi: Et quidem profectà ex liberrima voluntate Dei, nullo alieno consilio inducta, nullo hominum beneficio aut præcedente amore, nulla etiam spe commodi ab hominibus consequendi provocata. Hinc dicitur hæc gratia nobis facta, *secundum propositum voluntatis* Dei, *Eph.* I. 5. & *secundum beneplacitum ejus quod proposuit in seipso*, *vers.* 9. & *secundum consilium voluntatis suæ*, *vers.* 11. *secundum propositum suum*, 2 *Timoth.* 1. 9. *Quis enim consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Rom.* XI. 34, 35. Unde liquet, hunc Dei amorem erga humanum genus esse immeritum & spontaneum. Vulgaris amor est amare redamantem, aut à quo beneficiis sis affectus, vel beneficia exspectes, quique ita mutuis beneficiis utrimque testatus redditur: Deus verò amat homines pœnam meritos, à quibus nulla beneficia exspectat, quibusque ipse benefacturus est: qui amor immeritus ac spontaneus, ac proinde maximus est.

Temperamentum habens Justitiæ.

II. Habuit tamen amor hic divinus aliquod temperamentum justitiæ. Licet enim pro supremo ac absoluto suo jure Deus gratis omnia peccata hominibus condonare posset, eoque ipsum impelleret affectus misericordiæ: noluit tamen, sed in gratuita hac remissione etiam aliquod justitiæ suæ documentum exstare voluit. Non enim illorum accedimus sententiæ, qui credunt Deum ex obligatione justitiæ suæ vindicativæ, sibi essentialis, non potuisse peccata impunita dimittere; sed illi debuisse satisfieri per pœnam ipsis peccatoribus, aut eorum loco vadi seu sponsori, qui omnia ipsorum peccata in se transtulit, inflictam. Præterquam enim quod unicuique de jure suo remittere licet, modò alterius non intersit ne jus suum rigidè exsequatur; multò ergo magis summo ac absoluto omnium Domino; uti id aliàs, cum de justitia Dei universali ageremus, ostendimus: non potest ejusmodi plenaria pœnarum exactio consistere cum gratuita peccatorum remissione, quæ Deo passim in Scriptura attribuitur, 2 *Cor.* v. 19. *Eph.* 1. 7. *v.* 32. *Coloss.* 1. 4. Si enim rigori justitiæ divinæ pro omnibus peccatis plenè est satisfactum omnesque pœnæ peccatis promeritæ à sponsore sunt toleratæ, nihil restat quod Deus Pater nobis remittat; sicut quando creditori à sponsore plenissimè est satisfactum, nihil quod debitori remittere possit restat. Impromeritum quidem erga peccatores amorem testatur Dominus ejus, seu sponsor, quod omnia ipsorum peccata in se transferat, eorumque pœnas ipsorum loco pendat: verùm Deus Pater, hunc justitiæ rigorem ostendens, misericordiam simul exserere nequit. Sed de hisce aliàs latius.

III. Temperamentum itaque justitiæ cum misericordia in eo consistit; quòd Deus genus humanum in peccatum ac mortem æternam lapsum cernens, sacrificio expiatorio placari voluerit, & absque eo peccatores in gratiam non recipere: Atque hunc in finem ipse Redemptorem in mundum miserit, qui non tantum doctrina suâ homines à peccatis ad Deum converteret; sed & sacrificio expiatorio ipsorum peccata expiaret, ipsosque Deo reconciliaret. Ita manifestum hic apparet temperamentum gratiæ cum justitia divina. Gratia Dei hic apparet: quia ipse hominibus, qui pro se Sacerdotem mittere non poterant, Sacerdotem seu Redemtorem dat: *Joan.* III. 16. 1 *Joan.* IV. 9, 10. Eo enim se reconciliabilem & gratiose cum hominibus agere velle ostendit. 2. Quia illius sacrificium pro hominibus admittit, ut plenam omnium peccatorum ipsorum expiationem. Non quidem, quod sacrificium illud sit satisfactio, sensu rigidiore accepta, quâ redemtor ita plenè satisfecit justitiæ divinæ, ut omnia hominum peccata in se transtulerit, omnesque peccatorum pœnas sustinuerit: sic enim, uti vidimus, nullus gratiæ fuisset locus; sed quâ satisfecit voluntati divinæ, misericordi simul ac justæ, omnia persolvens ac sustinens, quæ Deus ad plenam peccatorum expiationem

In quo id consistat.

nem exegit. In eo itaque misericordia divina apparet, quòd sacrificium illud tanquam plenariam satisfactionem admittere voluerit. Sic dicitur 2 *Corinth*. v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata ipsorum.* Ubi reconciliatio tribuitur Deo, ita tamen, ut facta sit per Christum; eamque gratuitam esse docent postrema verba; quòd Deus *mundo non imputaverit peccata*; peccata enim non imputare gratiæ est.

Quomodo hic Deus ostendat justitiam.

IV. Justitiam suam Deus ostendit: 1. Quia sacrificium illud non voluit peragi, nisi cruentâ ac maledictâ morte dilecti atque innocentis Filii sui Jesu Christi, tanquam victimæ piacularis pro peccato. In eo enim clarè odium suum erga peccatum demonstravit. Quo enim clariore documento Deus odium suum erga peccatum demonstrare potuit, quàm quod noluerit, licet pro absoluto suo jure posset, illud remittere, nisi intercedente tam funestâ unigeniti sui Filii morte? 2. Quia ab hominibus postulavit resipiscentiam, tanquam conditionem necessariam, sine quâ fructuum hujus sacrificii nemo particeps esset futurus. Eo enim postulato Deus spem in posterum impunè peccandi tollere voluit.

Quomodo misericordiam.

V. Et in utraque hac justitiæ demonstratione misericordiæ temperamentum sese exhibet. 1. Quòd Deus victimam illam piacularem admiserit tanquam plenum pro peccatis sacrificium. Cum gratia enim sacrificium propitiatorium consistere, manifestum est ex *Levit*. IV. & V. ubi sacrificiis propitiatoriis pro delicto, errore, &c. non tantum adjungitur effectus expiationis, sed additur, *& remittetur ei*: manifesto documento, gratuitam remissionem cum sacrificio propitiatorio optimè consistere posse. 2. Quòd gratia divina hominem prævenіat, ut sese convertere possit. Ex se enim homo inidoneus erat, ut propriis viribus peccati jugum ac tyrannidem excuteret: hic itaque rursus gratia Dei hominem prævenit, quâ homo ex ignorantiæ tenebris & peccati dominio vocatur, aptisque ad vocationi parendum à Deo viribus instruitur. Atque hæc est gratia illa in Euangelio manifestata, quâ Deus humanum genus vocavit ad resipiscentiam ac fidem sub certa spe remissionis, per sacrificium Redemtoris Jesu Christi obtinendæ, & vitæ æternæ. *Eph*. I. 11. III. 2 *Tim* I. 9, 10. *Tit*. II. 11, 12, 13, 14. III. 3, 4, 5, 6.

Gratiam facere potest Deus, & Sacerdotem dare.

VI. Quæres. Quomodo hæc consistere possint, gratiam facere, & sacrificium propitiatorium dare? Qui enim sacrificium dat ut gratiam faciat, sibi ipsi illud dat: quod planè ineptum ac superfluum videtur. Resp. Non dat Deus sacrificium, sed Sacerdotem. Sacerdotem dans, se quidem placabilem ostendit Deus: sed, sacerdote dato Deus nondum placatus erat; requirebatur porrò ut à sacerdote sacrificium peragеretur, & quidem mortis cruentæ ac maledictæ toleratione. Hic itaque sacerdos aliquid de suo dat, quatenus non tantum moritur, vitamque Deo, à quo accepit, reddit; sed & maximo cum dolore, molestiâ animique angore, quem ultro & liberè in se suscepit: illaque ultronea mortis hujus dolorisque susceptio, quæ ex propria Sacerdotis voluntate procedit, morti huic eam dignitatem confert, ut sit sacrificium propitiatorium pro peccato apud Deum. Ideo mors illa vocatur λύτρον & ἀντίλυτρον pro hominibus, *Matth*. XX. 28. 1 *Timoth*. II. 6. & alibi: quo quid designetur, aliàs explicabimus. Et sicut Deus Filium suum tradidisse dicitur, *Joan* III. 16. 2 *Cor*. V 18. 1 *Joan*. IV. 9, 10. Ita & Filius seipsum pro nobis tradidisse dicitur, *Joan*. XV. 10. *Eph*. V. 2. Atque hac ratione Deus aliàs circa peccatores usus est. Ipse iis indicat deprecatorem pro ipsis & intercessorem, cujus intercessione placari velit. Ita Abimelecho intercessorem dat Abrahamum, *Genes*. XX. 7. amicis Jobi ipsum Jobum; *Job*. XLII. 7, 8, 9. 10. populo Israëlis Sacerdotes, quorum intercessione ac sacrificiis placatus, peccata remittat.

Et placari, licet ex amore miserit Filium.

VII. Dices. Quomodo placari potuit, qui jam, cùm mitteret Filium in mundum, amabat homines, eosque salvandi intentionem habebat? ut dicitur *Joan*. III. 16. 1 *Joan*. IV. 10. Resp. Intentio illa salvandi nudus fuit affectus & incompleta voluntas: Christo mortuo secuta est efficax reconciliatio à parte Dei, quâ paratus est hominibus remissionem & salutem æternam conferre, modo in Jesum Christum credant; adeo ut Deus, qui se, Christum in mundum mittendo, reconciliabilem ostendit, Christo mortuo verè reconciliatus sit.

CAPUT XI.

De Joanne Baptista.

Instrumentum redemtionis Jesus Christus.

I. SEquitur nunc ut de causa Redemtionis instrumentali agamus, hoc est, de Redemtore, cujus ministerio Deus usus est ad opus hoc divinissimum redemtionis seu salvationis peragendum. Ea est Jesus Christus Filius Dei, qui propterea non tantum ante nativitatem suam *Jesus*, hoc est, Salvator, ab Angelo nominari jubetur, *Matth*. I. 21. sed & vixdum natus ab Angelo expressè *Salvator*, seu σωτὴρ, appellatur, *Luc*. II 11. Et postquam publicè populum docere, munusque suum administrare cœpit, *Salvator*, & *Salvator mundi* passim vocatus est: *Joan*. IV. 42. *Actor* V. 31. *Philipp*. III. 20. 1 *Tim*. I. 1. 2 *Tim*. I. 10 *Tit*. II. 13. & alibi: & *causa salutis æternæ*, *Hebr*. V. 9.

II. Quia

Elias præcursor, II. Quia vero opus hoc salvationis seu redemtionis diviniffimum eft, excellentiffimum, ac fanctiffimum, totque jam feculis à Deo prædictum, ut hominum animos ejus exfpectatione attentos & affectos detineret; placuit Deo, impleto jam tempore quo Filium fuum mundi Redemtorem mittere decreverat, præcurforem in mundum mittere, qui hominum animos ad illum debitè excipiendum præpararet, quique de ipfo coram hominibus teftimonium daret: perinde uti Reges legatos præmittere folent, qui viam præparent, ut debitè recipiantur.

Joannes Baptifta. III. Præcurfor hic fuit Joannes Baptifta; qui propterea *Matth.* III. 3. dicitur effe, *qui dictus eft per Efaiam prophetam, dicentem: Vox clamantis in deferto: parate viam Domini: rectas facite femitas ejus.* Ut autem plenius de eo differamus, confiderabimus 1. Perfonæ ipfius dignitatem. 2. Munus.

Hujus dignitas. IV. Perfonæ dignitas ex variis liquet. Non hic recenfebimus, quod genus ducat ex Aarone, natufque fit ex familia facerdotali, poft exftinctum in familia Davidis regnum, nobiliffima ac excellentiffima inter Judæos: hoc enim illi cum pluribus commune eft. Ipfi peculiaria folummodò dicemus. 1. Nativitas ejus feculis aliquot fuit prædicta: *Malach.* III. 1. *Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* & IV. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Quibus Joannem Baptiftam defignari docet Dominus, *Matth.* XI. 14. *Si vultis recipere, ipfe eft Elias qui venturus eft.* & XVII. 11, 12, 13. Quod nulli prophetarum contigit. 2. Non fine miraculo eft natus: ex patre fene & matre per naturam fterili, & per ætatem jam effœta quodque miraculum auget, annuntiata eft ejus nativitas per Angelum patri, juxta familiæ fuæ ordinem fuffitum adolenti in Templi Sacrario; addito figno, patre ob incredulitatem ad tempus ufque nativitatis Joannis muto facto. 3. Spiritu Sancto repletus fuit ab utero, *Luc.* I. 15. Cujus fpecimen edidit, quando, Mariâ Elifabetham matrem ejus falutante, ipfe in matris utero exultavit, *Luc.* I. 41. quafi jam tum agnofcere inciperet eum, cujus adventus præco aliquando futurus effet. Unde & Dominus Jefus *Matth.* XI. 11. dicit, quòd *inter natos mulierum non exftiterit major Joanne Baptifta.*

Præparatio ad munus. V. Hunc tantum virum, antequam muneris fui functionem aggrederetur, Deus ritè præparare voluit; non miraculorum gloriâ, nulla enim miracula Joannes ediddiffe legitur; *Joan.* X. 41. procul dubio, ne ille ipfe crederetur, de quo ut teftimonium perhiberet in mundum miffus erat; cùm & fine miraculis adeo clarus ac venerandus exftiterit, ut eum Judæi aliquoties, num Chriftus ille effet, interrogaverint; *Joan.* I. 19, 20. fed aufterâ vivendi ratione; vinum enim & ficeram non bibit; fed vitam degit in deferto; a communi hominum convictu fegregatus: amictus ejus erat indumentum hirfutum ex pilis camelorum: zona quâ cingebatur coriacea: cibus, locuftæ & mel fylveftre, qualis nimirum in deferto haberi poterat. Adeo ut hac vivendi aufteritate meritò alter Elias vocetur: & de eo rectè dicatur, quod *nec ederit nec biberit, Matth.* XI. 18. id eft, uti Lucas id explicat, *cap.* VII. 33. *neque panem edit, neque vinum bibit*, aliorum inftar hominum.

VI. Hic ita à Deo ad munus fuum præparatus, etiam ad id à Deo miffus fuit; *Miffio.* quod neceffe fuit, ut tanquam cœleftis præco viam Domino venturo præpararet. Ita expreffè dicitur *Joan.* I. 6. *Erat homo miffus à Deo, nomen ipfi Joannes.* Et *Luc.* III. 2. dicitur, *Verbum Domini factum effe fuper Joannem Zachariæ filium in deferto.* Qua phrafi mandatum divinum & afflatus propheticus defignari folet. Ita LXX. *Jerem.* I. 1. eadem phrafi utuntur. Idque juxta prophetiam *Malach.* III. 1. & IV. 5. Unde & ipfe Joannes fe à Deo miffum ait, *Joan.* I. 33. & Dominus Jefus miffionem hanc fatis apertè comprobat, cum ex principibus Sacerdotum quærit, *utrum baptifmus Joannis effet è cœlo, an vero ex hominibus, Matth.* XXI. 25.

VII. Munus Joannis Baptiftæ in duobus *Munus: In to dua.* potiffimum occupatur: Annuntiatione doctrinæ fuæ, quâ Domino Jefu viam præparavit; & teftimonio, quod Domino Jefu, ut vero Meffiæ, præbuit. In priore duo rurfus occurrunt: ipfa doctrina, & externus baptizandi ritus doctrinam plenè adumbrans.

VIII. Doctrina continet præceptum refi- *1. Doctrina: ea continet;* pifcentiæ, & promiffum de remiffione peccatorum. *Marc.* I. 4. *Fuit Joannes in deferto baptizans, & prædicans baptifmum pœnitentiæ in remiffionem peccatorum.* Vide & *Matth.* III. 2. *Luc.* III. 3.

IX. Quod præceptum *refipifcentiæ* attinet; *Præceptum refipifcentiæ,* non hic anxiè inquiremus difcrimen vocum μετανοίας & μεταμελείας, feu Latinarum, *Refipifcentiæ* & *Pœnitentiæ*; neque in quibus refipifcentia Chriftiana propriè confiftat: hæc enim, cùm ad præcepta Religionis Chriftianæ ventum erit, plenius excutientur. Solummodò monemus, Joannem hoc præcepto Judæis Legis Mofaicæ tranfgrefforibus præcipere, ut mente in melius mutatâ tranfgreffionibus illis valedicant, fincerum non tantum concipiant propofitum ad Legem revertendi, fed & opere ipfo propofitum hoc fuum teftatum reddant, atque ita fructus pœnitentiâ dignos proferant. Dominus Jefus, poftea illud idem præceptum repetens, fublimius quid illo intellexit,

ut non tantum ad Legis Mosaicæ sinceram observationem redirent; sed & præceptorum suorum, quibus Legis mentem aut illustrabat magis, aut ipsam Legem perficiebat, observantia sinceros ipsius discipulos sese ostenderent. Hoc autem officio viam Domini Jesu adventui præparari docet Joannes, additâ prædicationi de resipiscentia hac ratione, *appropinquavit enim regnum cælorum*. Per *regnum cælorum* intelligens regnum Messiæ, quod tunc instabat & præ foribus erat: quod non tantum originis erat cœlestis, sed & cælesti regiminis formâ administratur, hominesque, nisi sibi ipsis propriâ culpâ desint, ad felicitatem summam in cœlis fruendam tandem perducit. Illius regni cives nulli impii esse possunt: illo ergo regno jam adventante, necesse erat, siquidem illius esse vellent subditi, ut à peccatis pœnitentiam agant.

Zelus illius in docendo. X. In hac autem doctrina sua ostendit non tantum summum gloriæ divinæ zelum, sed & παῤῥησίαν, seu dicendi libertatem; non enim vulgus tantum docuit, aut peccatorum reum egit, sed promiscuè omnes quotquot ad ipsum accedebant peccatis inquinati, specialiaque vitæ emendandæ præcepta singulis dedit, turbæ, militibus, publicanis, *Luc.* III. 10, 11, 12, 13. *&c.* meretricibus, *Matth.* XXI. 32. Pharisæis & Sadducæis, *Matth.* III. 7, 8. *&c.* Quin & ipsum regem Herodem, fratris sui Philippi uxori Herodiadi illegitimè cohabitantem, intrepidè increpuit, *Matth.* XIV. 4. regis Herodis odium ac indignationem contemnens. Adeo ut jure in spiritu Eliæ venisse, alterque Elias dicatur, qui & vitæ austeritate, & zelo ac παῤῥησίᾳ alterum Eliam exhibuerit: quique ad exemplum Eliæ, multa dura gravissimasque persecutiones in gratiam Jesabelis ab impio rege Achabo perpessi, etiam ab Herode rege in carcerem conjectus, & tandem in gratiam incestuosæ Herodiadis capite truncatus est.

Promissum remissionis peccatorum. XI. Præcepto Resipiscentiæ additum erat promissum *remissionis peccatorum*. Novum hoc erat, ac fermè in populo Judaico inauditum. Nullam enim, uti nuper vidimus, Lex gravium peccatorum elatâ manu erga ipsam commissorum veniam largiebatur; solummodò minoribus delictis expiandis sacrificia quædam instituerat. Novum autem se gratiæ præconem ostendit Joannes, etiam graviorum delictorum remissionem, modo pœnitentiâ ducti sincerè & ex animo illis renuntiarent, promittens; cujus præludium aliquod exstat, *Ezech.* XVIII. sed solummodò ad integrum populum in captivitate gravia passum consolandum. Nunc autem singulis consolationem hanc Joannes plenius & apertius annuntiat. Videtur autem hæc remissio speciatim respicere liberationem à pœnâ & excidio, cui ob peccata erant obnoxii; excidium enim solummodò nisi resipiscant minitatur, *Matth.* III. 10, 11, 12. Unde apparet, quantum gratiæ annuntiatione inferior sit Domino Jesu, qui non tantum liberationem à pœna, sed & justitiæ gratiosam imputationem, vitamque æternam promittit. Joannes autem, præcursor Domini Jesu, medius inter Legem & Euangelium, seu inter Mosen & Christum intercedens, prædicavit Judæis remissionem & à pœnis liberationem, ut ita præparati ad Christum recipiendum, ab ipso ut fideles subditi legibus ipsius regantur, atque ita per ipsum cœlestem felicitatem tandem obtineant.

XII. Doctrinam hanc suam adumbravit baptismo, ritu quidem inter Judæos recepto circa illos, qui desertis falsis gentilium idolis unius veri Dei cultum amplectebantur; à Joanne autem primum ad peccatores Mosaicæ Legis transgressores translato, ad ipsorum resipiscentiam adumbrandum. *Baptismus.* Fiebat hic baptismus totius corporis in aquam immersione, subitàque ex illa emersione: quo designabatur purgatio à peccatis, tum à peccatorum consuetudine, per resipiscentiam, tum à reatu, per remissionem; non aliter atque aquâ corpus ablui solet. Unde & ad baptismum accedentes, peccata sua confiteri solebant, *Matth.* III. 6. Quia autem baptismum non exigua erat muneris Joannis pars, totiusque doctrinæ ipsius adumbratio, ipse communiter Joannes *Baptista*, doctrinaque ejus integra nonnunquam *Baptismus Joannis* vocatur: ut *Matth.* XXI. 25. *Act.* XVIII. 25. XIX. 3. Quæ hîc porro de baptismo Joannis inquiruntur, utrum idem specie sit cum baptismo Christi, utrum à Joanne baptizati, postea ad fidem Christi conversi, denuò baptizari debuerint, commodius quando ad doctrinam de Baptismo pervenerimus examinabuntur.

XIII. Altera muneris Joannis Baptistæ pars fuit testimonium, quod Domino Jesu perhibuit, ipsum esse promissum illum Christum seu Messiam. *2. Testimonium de Christo.* Quod tanto majoris ponderis apud Judæos esse debebat, quia omnes Joannem habebant ut Prophetam, *Matth.* XIV. 5. & XXI. 26. Ut autem testimonium hoc plena cum fiducia Christo præbere posset, divinitus speciali revelatione fuit edoctus, *Joan.* I. 31, 32, 33, 34. Sed hîc quæret forte quis, quomodo Joannes dicat *vers.* 33. *Ego non noveram eum; sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eo, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Cum tamen ex *Matth.* III. 14. constet, Dominum Jesum, cum ad baptismum accederet, jam Joanni cognitum fuisse: ipsum enim prohibebat, hac additâ ratione: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?*

Resp.

Resp. Joannem loqui de majori confirmatione in cognitione Domini Jesu. Antequam Dominus Jesus ad baptismum accederet, Joanni prorsus ignotus erat; tunc autem speciali divinâ revelatione Joanni fuit manifestatus, ut eum cognosceret: afflatu nim: spiritus illius, quo jam repletus fuit ab utero matris: perinde uti Samuelis David, & Elisabethæ Mariæ dignitas in ipsâ salutatione, innotuit. Signum autem sequens, Spiritus Sancti visibiliter in Dominum Jesum descendentis, revelationem priorem in spiritu factam, magis confirmavit. Quoniam enim Deus expressè illi signum hoc promiserat, *Joan.* I. 33. ut plenè convinceretur, & plenâ cum animi persuasione Christo testimonium perhiberet, omninò requirebatur, ut Deus illud signum ei exhiberet. Eodem sensu I. *Reg.* XVII. 24. vidua Sarephtana, quæ jam ex miraculo evidenti cognoverat Eliam esse prophetam, postquam filius ejus ab Eliâ ex mortuis erat suscitatus, dicit; *Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est:* quia per hoc signum in cognitione illa multò confirmatior erat reddita.

Illius in eo fidelitas. XIV. In testimonio autem hoc Joannes maximè fidelem se ostendit: quod ex duobus liquet. I. Quia cùm Judæos jam sibi haberet summoperè addictos, adeo ut ipsum pro Messia recepturi viderentur, ipse ingenuè se Messiam non esse coram toto populo & Judæorum delegatis testatus sit, *Luc.* III. 15, 16. *Joan.* I. 19, 20. honoremque illum à se removendo Christi honorem semper promoverit: *Joan.* III. 30. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Imo Ipsum aliquando digito suis discipulis demonstravit, *Joan.* I. 29, 35, 36. Unde *Joan.* X. 14. dicitur, quod multi dixerint, omnia quæcunque Joannes de Domino Jesu dixerit vera esse. 2. Quia in eo fidelis fuit ad mortem usque. Dices. Attamen *Matth.* XI. I. *& seqq.* legitur Joannes quosdam ad Dominum Jesum misisse ex carcere, cum hac interrogatione: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Unde colligi videtur, Joannem in testimonio suo circa vitæ finem vacillasse. Resp. Nullo modo: ipse enim Dominus Jesus eodem tempore dicit, Joannem non esse similem arundini à vento quassatæ, *vers.* 7. Verba ergo Joannis ita legenda sunt, ut prior eorum pars non sit membrum interrogationis, sed aperta de Jesu professio: hoc modo: *Tu es, qui venturus es:* & ut ostenderet se id plena cum animi fiducia testari, addit: *an alium expectamus?* Quales interrogationes maximam negandi vim habere omnibus notissimum est. Adeo ut Joannes ex carcere discipulos hos ad Dominum Jesum mittere voluisse videatur, ad ostendendum se in testimonio suo, etiam in ipso carcere, fidelem & constantem esse, ipsosque jam morti proximus, ut id suo nomine testarentur, ad Dominum Jesum ablegarit.

CAPUT XII.

De persona Jesu Christi.

I. EX præcursoris dignitate ipsius Salvatoris seu Redemtoris dignitas aliquatenus colligitur. Ut autem ipse plenius cognoscatur, distinctius de ipsius persona disserendum est.

II. Diximus Salvatorem vocari *Jesum Christum*. *Jesus* propriè denotat Salvatorem, uti diximus: *Christus*, sive Hebraicè *Messias*, unctum. Voluit quippe Deus ut Redemtor officium suum per tria munera, in populo Judaico maximè usitata, exequeretur, Propheticum, Sacerdotale, ac Regium. Ungi autem Reges & Sacerdotes peculiari oleo expressè præcepit Deus: & quamvis id Prophetis ordinarium non esset, tamen quando Prophetam populo suo ordinarium voluit dare Doctorem, ad majorem ipsi auctoritatem conciliandum unctionem adhibitam discimus ex exemplo Eliæ Elisam in Prophetam ungentis, I *Reg.* XIX. 16, 19. Unde & munere tali fungentes, *uncti Domini* vocati fuere. Jesus ergo similiter, ut muneribus illis legitimè fungeretur, ungi debuit, seu Christus esse: unde & sub nomine *Messiæ*, sive uncti fuit promissus. Estque hoc nomen adeo inter Judæos usitatum, ut Regem ac Redemtorem suum nullo alio quam *Messiæ* nomine exspectent; Dominusque noster Christi sæpius quam Jesu nomine appellari soleat; nosque omnes ab illo denominemur Christiani. *Christus significat unctum.*

III. Unctus autem est non oleo materiali hominum manibus facto, sed Spiritu Sancto; *Esa.* LXI. I. *& seqq.* *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me,* &c. Quod in se impletum esse docet ipse Dominus *Luc.* IV, 18. *& seqq.* *Hebr.* I. 8, 9. *Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quem Deus ipsi absque mensura dedit, *Joan.* III. 34. Et speciatim observatur, sicut David, qui typus Christi insignis fuit, ter fuit unctus in Regem, primo privatim in domo paterna per Samuelem, I. *Sam.* XVI. 12, 13. deinde Hebrone à tribu Juda, 2. *Sam.* II. 4. ac tandem ab omnibus tribubus Israël, ut totius Israëlis Rex esset, *cap.* V. 3. Ita etiam Dominum Jesum ter fuisse unctum Spiritu Sancto, & ab omnibus hominibus segregatum, ut esset promissus ille Rex & Salvator mundi. Primò, cùm ex Spiritu Sancto est conceptus, atque ita à primo conceptionis momento eximius supra omnes homines fuit; *Matth.* I. 20. *Luc.* I. 35. Secundò, quando baptizatus ex aqua adscendit, Spiritus *Unctus est Spiritu Sancto.*

Sanctus visibili specie instar columbæ in ipsum descendit, *Matth.* III. 16. Ac tertiò, quando per Spiritum sanctificationis suscitatus est ex mortuis, *Rom.* I. 4. ipseque sanctificatus & demonstratus Filius Dei; adeo ut munus ipsius Propheticum fuerit plenè comprobatum, & gradus factus, non tantum ad Sacerdotium, in morte inchoatum, plenè in cœlis perficiendum, sed & ad regnum in cœlis ad dexteram Dei Patris, super omnia tam in cœlo quàm in terra, divina cum majestate administrandum.

Est Deus & homo in una persona.

IV. De hujus persona dicturi, primò & ante omnia dignitatem illius explicabimus. Est itaque verus æternusque Deus, & simul perfectè justus homo in una persona. Verus est æternusque Deus per arcanam & ineffabilem generationem, *Joan* I. I. *Rom.* IX. 5. I *Joan*. V. 20. atque ita unigenitus ac proprius Dei *Filius*, *Joan*. I. 18. III. 16. *Rom.* VIII. 32. Est etiam homo, seu filius hominis, ita tamen, ut & illius respectu sit Filius Dei, quia non ex semine virili, instar aliorum hominum, sed virtute Spiritus Sancti matrem ejus virginem inumbrantis, conceptus est, *Luc.* I. 35. Atque ita Filius Dei est & filius hominis in una eademque persona. Non enim credendum, duas hîc esse personas, alteram divinam, alteram humanam, perinde sicut duæ naturæ sunt: sed natura divina humanam sibi in unam personam assumsit: adeo ut natura Christi humana, quia nunquam sola subsistit, nunquam per se fuerit persona; sed semper naturæ ejus divinæ fuit unita, & ab ea in personæ unitatem assumta est. Qua ratione id factum sit, & utraque hæc natura una tantum sit persona, à nobis explicari nequit; quoniam nullum simile, quo id illustrari possit, datur exemplum. Sed quoniam de natura Iesu Christi divina in antecedentibus actum est, nos hic ea, quæ naturam ejus humanam spectant, solummodò considerabimus.

Est verus homo.

V. Est itaque verus homo, naturæque humanæ, aliorum instar hominum, verè particeps. Quod Scriptura evidentissimè docet, cum non tantum vocans *hominem*, I *Tim* II. 5. sed & *ex patribus secundum carnem*, *Rom.* IX. 5. *semen mulieris*, *Genes.* III. 15. *semen Abrahæ*, *Gal.* III. 16. *ex semine Davidis secundum carnem*, *Rom.* I. 3. 2. *Tim.* II. 2. *Act.* II. 30. & *ex muliere factum*, *Gal.* IV. 4. Unde & ipse seipsum pluries, imo ordinariè, vocavit *Filium hominis*; ad designandum, se verè hominem aliorum instar hominum esse. Respicit procul dubio ad locum *Daniel.* VII. 13. qui se in visione noctis vidisse ait in nubibus cœli *sicut filium hominis*, id est, qui hominem, & nihil præter hominem repræsentabat; oppositè ad reges cæteros, qui per feras bestias è mari prodeuntes adumbrabantur. Quâ visione non tantum natura Christi humana, sed & regni ipsius indoles repræsentatur: quod non, ut aliorum regum regna, vi armatâ hominumque cæde (unde & per feras bestias repræsentatur) sit erigendum ac propagandum; sed mansuetudine, lenitate, vi rationum, mediisque naturæ humanæ rationali consentaneis. Quicquid sit, certum est, *Filii hominis* appellatione denotari eum verè esse hominem; cùm homines *filios hominis* appellare, Hebræis familiare sit. Tum & mater eum, more aliarum mulierum, in utero gestavit, & justo gestationis tempore impleto peperit, *Luc.* II. 6. quod manifesto indicio est, eum, aliorum instar infantium, è sanguine matris conceptum, eoque nutritum, tandem in lucem prodiisse. Tum, quod non minus humanæ ipsius naturæ cum nostra similitudinem arguit, iisdem quibus nos infirmitatibus obnoxius fuit, tam in corpore, quàm anima; in corpore sensit lassitudinem, famem, sitim, somnium, &c. in anima fuit gaudium, dolor, tristitia; sapientiæ incrementum, &c. Adeo ut meritò nobis per omnia similis dicatur, omnibusque nobiscum infirmitatibus obnoxius, *Hebr.* II. 17. excepto solummodò peccato, *Hebr.* IV. 15.

De humanitate Christi sententia quorundam Anabaptistarum.

VI. Rem hanc adeo claram ex Scriptura aliquot rationibus adstruere necesse duximus, ad refutandum sententiam quorundam Christianorum, qui Anabaptistæ Flandri vulgò vocari solent: quorum sententia est; humanam Christi naturam non ex carne & sanguine Mariæ productam; sed, Essentiam Filii Dei, sive verbi æterni, divinam, transsubstantiatam esse in carnem, eamque in Mariæ uterum ex cœlesti aut increata aliqua materia delatam, & quidem sic, ut Filius Dei manserit quod erat, & factus fuerit quod non erat.

Illius refutatio.

VII. Hæc sententia uti abundè satis illis quæ ex Scriptura Sacrâ produximus testimoniis profligata est; ita etiam propriâ suâ absurditate concidat necesse est. Primo enim, manifesta est contradictio, aliquid manere quod est, & mutari in id quod non est. 2. Repugnantia est manifesta, ex essentia merè immateriali fieri materialem, ex immortali mortalem, ex spiritu carnem & ossa. 3. Quoniam homo constat carne & anima, necesse est ut essentia Filii divina mutata sit partim in animam immortalem, partim in carnem mortalem: aut si in carnem solummodò mutatam velint, quia dicitur, *verbum caro factum est*, ut sit mutata in carnem animâ ac spiritu destitutam, eaque sola Filius Dei fuerit, illique anima, quæ eam vivificet & regat, aliunde fuerit superinfusa. Ac tandem 4. necesse est alterutrum fateantur: aut Filii essentiam eandem non esse cum Patris essentia; quòd tamen non fatentur; aut si eadem sit, mutata essentia

Filii

Filii in carnem, etiam Patris essentiam in carnem mutatam; Filio itaque moriente, etiam totam essentiam divinam esse mortuam; ac proinde Christo mortuo mundum triduo fuisse absque Deo: imo quoniam nulla est potentia, quâ Deus mortuus excitari possit, etiamnum mundum absque Deo esse, & æternum fore. Quæ omnia inextricabiles sunt absurditates. Non tamen hæc ipsis tanquam genuinam ipsorum sententiam objicimus; sed solummodò ut consequentias & absurda, quæ legitima sequela ex ipsorum sententia deducimus; quæ & ipsos toto animo detestari novimus. Urgemus autem eos, ut si verè hæc detestntur, etiam à sententia, unde hæc necessaria ac evidenti sequela deducuntur, sibi caveant.

Responsio ad objectiones.

VIII. Pro sua tamen sententia adstruenda solent pauca quædam Scripturæ Sacræ testimonia proferre; quæ breviter examinaturi sumus.

Quod sit conceptus ex Spiritu Sancto.

IX. Primò objiciunt: Quòd Dominus Jesus non sit natus more aliorum hominum, sed conceptus *ex Spiritu Sancto*. Resp. Particula ἐκ non semper denotat materiam ex qua aliquid fit; sed sæpe etiam causam efficientem: sic *Rom.* XI. 36. ἐκ Θεοῦ, καὶ δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. 1 *Cor.* VIII. 6. de Deo dicitur, ἐξ οὗ τὰ πάντα. vide & *Joan.* VIII. 23, 44, 47. 2. Non posse particulam ἐκ hic denotare causam materialem, liquet, quia sic Jesus esset filius Spiritus Sancti, quia ex spiritu Sancto conceptus dicitur; imo non esset caro, sed totus spiritus; quoniam *quod natum est ex carne caro est; & quod natum est ex spiritu spiritus est. Joan.* III. 6. 3. Si tamen illi hanc ejus significationem mordicus retinere velint, necesse est simul fateantur Christi carnem ex matre Maria, tanquam materia, ortum suum habere; quoniam non minus ex Maria genitus, quàm ex Spiritu Sancto dicitur: *Matth.* I. 16. ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς: *Gal.* IV. 4. γενόμενος, vel ut alii legunt, γεννώμενος, ἐκ γυναικός. Quod tamen nullo modo admittere volunt. Restat ergo, ut Christus dicatur ex Spiritu Sancto conceptus, quia Spiritus Sanctus peculiari virtute carnem vel sanguinem Mariæ fœcundavit, ut ex eo tanquam materia corpus Christi formaretur.

Ad Joan. I. 14.

X. Secundò objiciunt, quod *Joan.* I. 14. legimus, *Verbum caro factum est;* quod aliud non significare ajunt, quàm, verbum in carnem mutatum est. Hoc enim est fieri. Resp. 1. In Græco est ἐγένετο, quod non necessariò per *factum est* transfertur, sed & sæpenumerò per *fuit* transferri debet: *Luc.* I. 5. XX. v. 19. imo in hoc eodem capite Joannis *vers.* 6. Et hoc sensu si accipiatur, nihil hîc erit pro illa essentiæ divinæ in humanam transmutatione. 2. Etsi ἐγένετο vertatur per *factum est*, non tamen exinde sequetur substantialis verbi in carnem mutatio; quia multis modis aliquid fieri dicitur. Sane 1 *Cor.* XV. 45. dicitur *Adam factus in animam viventem*, qui tamen mutatus non est in animam viventem; sed Deus illi animam viventem inspiravit per nares, uti legimus *Genes.* II. 7. Genuinus ergo loci hujus sensus est, quod verbum caro fuit, id est, vera substantia carnea, omnibusque infirmitatibus, quæ carni nostræ adhærent, obnoxia; hoc est, Jesus Christus fuit mortalis, vilis ac abjectus. Quod potissimum in diebus passionis ejus ac mortis apparuit; qui propterea *dies carnis* ejus dicuntur. *Hebr.* V. 7.

Et 1 Cor. XV. 47.

XI. Tertiò. Pugnant verbis Apostoli 1 *Corinth.* XV. 47. *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis.* Resp. Non loquutur illic Apostolus de Christo quatenus ex Maria genito, ac de corpore ejus quod ex Maria habuit; sed de Christo quatenus ex mortuis in vitam æternam suscitato, ac de corpore ejus glorioso; quod nunc in cœlis habet: uti ex tota capitis illius deductione liquidissimè constat. Aliàs si Apostolum de Christi corpore, quod à prima sua nativitate in Maria matre sua ex verbi æterni essentia habuit, loqui velimus, sequetur 1. Quod Apostolus argumenti sui vim enervasset, cujus unicus scopus est, ostendere, ex similitudine corporis Christi nos in resurrectione habituros corpus cœleste. Quomodo enim hoc sequeretur, cùm, si vera sit hæc sententia, Christus nunquam corpus nostro simile habuisset, ac proinde ex eo quod nunc in cœlis habeat corpus glorificatum, concludi non posset, nostrum etiam glorificandum? 2. Sequeretur Dominum Jesum jam à prima nativitate habuisse corpus cœleste, hoc est, gloriosum, incorruptibile atque immortale: quod falsum; quoniam & Dominum esse mortuum ipsi fatentur. 3. Addi his posset, quod tum & nos in resurrectione habituri simus corpora ex æterna verbi essentia facta: quia dicitur *vers.* 49. *Sicut gestavimus imaginem terreni hominis; sic gestabimus etiam imaginem cœlestis hominis.* Quæ omnia manifestam continent absurditatem.

Fuit reliquis hominibus similis.

XII. Concludimus itaque, Domini Jesu carnem, ad instar aliorum hominum, ex carne & sanguine Mariæ matris suæ productam; hoc solummodò adhibito discrimine, quod Dominus Jesus, non aliorum instar hominum, ex conjunctione viri & fœminæ, sed virtute Spiritus Sancti, Mariæ sanguinem miraculosè fœcundantis, natus sit, atque ita à primo conceptionis momento supra omnes homines eximius fuerit; cujus respectu, etiam quod naturam suam humanam spectat, uti diximus, Filius Dei nuncupatur ab Angelo, *Luc.* I. 35.

Credendum Christum fuisse

XIII. Idque firmâ à nobis fide est retinendum, Jesum Christum verum fuisse hominem;

verum hominem. nem; non tantum quia passim in Scriptura expressè homo vocatur; sed &, quia pro nobis mortuus est, & morte sua reconciliationem cum Patre, & à peccatis liberationem nobis procuravit: quod, nisi homo fuisset credatur, de eo credi nequit. Porro Deus nobis ipsum dedit exemplum obedientiæ, & salutis æternæ per resurrectionem ex mortuis consequendæ, siquidem vestigiis ipsius insistentes sanctitati studeamus: si vero homo non fuerit, nullum nobis in eo exemplum gratiosæ istius divinæ voluntatis repræsentari potest. Adeo ut illi, qui olim in Ecclesia Christiana Domino Jesu veram carnem & humanam naturam denegarunt, veluti, Marcionitæ, Cerdoniani, Manichæi, aliique, Dominumque non revera mortuum, sed in phantasmate tantum quasi passum & mortuum Judæis apparuisse docuerunt, mirum in modum salutis nostræ œconomiam pervertetint, salutisque nostræ fundamentum planè subruerint.

CAPUT XIII.

De statu Humiliationis Christi.

Status Christi duplex. I. ANtequam ad officiorum Jesu Christi, quibus opus Redemtionis absolvit, considerationem accedamus, status Christi admodum diversi, in quibus munus suum peregit, propius considerandi sunt.

II. Duplex est Jesu Christi status, Humiliationis & Exaltationis. Quem utrumque descriptum videmus *Phil.* II. 6, 7, 8, 9, 10, 11. Humiliatio potissimum consistit in passionibus gravissimis, & morte maledicta ac cruenta. Status ejus in hoc mundo ab ipsa nativitate fuit humilis & abjectus: natus quippe ex paupercula virgine, in stabulo, & positus fuit in præsepe, vixit in paupertate, multorumque contumeliis ac injuriis expositus fuit: quin ipsa in terris conversatio hominis instar vulgaris humilis fuit respectu Exaltationis consecutæ: tamen & in hoc statu specimina quædam divinitatis ostendit per miracula, quibus gloriosus est effectus. Huc respicit *Joan.* I. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Sed in passione omnis ille decor recessit, neque *species ei fuit*: sed fuit *despectus & novissimus virorum, vir dolorum & sciens infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus & despectus*: *Esa.* LIII. 2, 3. Et in eâ potissimum humiliationem Christi collocat Scriptura, quod *se exinaniverit, formam servi assumserit, factusque obediens fit ad mortem, mortem autem crucis*; *Phil.* II. 7, 8.

Humiliationis primus gradus. III. Humiliationis Christi tres sunt gradus: I. Mors, cum antecedanea passione. II. Sepultura. III. Descensus ad inferos. In morte ac passione duo sunt consideranda. 1. Gravitas passionis. 2. Illius modus isque triplex: 1. Quòd Christus passus sit secundum voluntatem Patris: 2. Sponte, non invitus nec coactus: ac tandem 3. Innocens.

Gravitas passionis. IV. Passionis gravitas ut appareat, consideranda sunt quæ tulerit 1. in corpore: 2. in anima.

In corpore. V. In corpore tulit gravissimos cruciatus & dolores. A proprio discipulo, Judâ Iscarioth, perfidè fuit proditus: ab hominibus nefariis latronis instar ac sicarii ignominiosè captus & ligatus: hinc ipse turbis ipsum apprehendentibus dicit: *Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis & fustibus ad comprehendendum me*: *Matth.* XXVI. 55. Virgis, vel potius flagellis est cæsus, *Joan.* XIX. 1. &c. Clavis cruci est affixus, & postquam horas aliquot in cruce pependisset tandem mortuus est. Hic considerandum, quod mors hæc fuerit, non tantum violenta & dura admodum: quia enim manus ac pedes clavis perforatæ cruci affigebantur, quæ vulnera ob nervorum coëuntium multiplicem lacerationem intensissimum quidem dolorem, lentam verò mortem afferunt, supplicium crucis grave admodum fuit ac horrendum; sed & ignominiosissima: quia à Concilio Judæorum fuit condemnatus ut blasphemus, accusatus coram præside Pilato ut seditiosus, multis modis à fæce hominum irrisus multisque contumeliis exceptus; non tantum in aula Pontificis post injustam condemnationem, sed & à militibus Pilati, qui, impositâ capiti ipsius spineâ coronâ, circumdatâ chlamyde purpureâ, & arundine tanquam sceptro in manum tradita, ipsum indignis modis ludibrio habuerunt: quin & convitiis acerbissimis impetitus fuit, præsertim in cruce pendens, promiscuè à quibusvis, non tantum turbâ, militibus, sed & Sacerdotibus ac Scribis. Tandem & ipsa mors crucis est maledicta, *Gal.* III. 13. ex *Deut.* XXI. 23. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Huc respicit Scriptor ad *Hebr.* XII. 2. dicens, quod Christus *pro proposito gaudio sustinuit crucem ignominiâ contemtâ.* Neque parum aucta est hæc ignominia, quòd medius inter duos latrones, tanquam eorum caput, crucifixus sit: *Marc.* XV. 27, 28. idque juxta vaticinium *Esa.* LIII. 12. *cum iniquis reputatus est.*

In animo. VI. In animo pertulit gravissimos angores; in horto nempe Gethsemane, paulò ante suam captivitatem, adeo ut dixerit, *tristis est anima mea usque ad mortem*: indicantque id Euangelistæ vocibus λυπεῖσθαι, *contristari*, ἀδημονεῖν, *gravissimè angi*, *Matth.* XXVI. 37. ἐκθαμβεῖσθαι, *expavescere*, *Marc.* XIV. 33. sudor ejus instar grumorum sanguinis in terram defluxerit, *Luc.* XXII. 44. ter Patrem oraverit ut à se transiret calix iste, id est, aliquo-

liquoties, & feriò, cum clamore valido ac lachrymis, uti dicitur *Hebr.* v. 7. imo per angelum è cœlo fit corroboratus, *Luc.* XXII. 43. Poftea in cruce pendens, cum lamentabili voce ad Patrem exclamaverit, *Deus mi, Deus mi, cur dereliquifti me? Matth.* XXVII. 46. Adeo ut nullum fit tentationis genus, quo ipfe non fuerit probatus: hinc *per omnia fratribus fimilis fuiffe* dicitur, *Hebr.* II. 17. IV. 15. id eft, omnia paffus, quibus humanam conftantiam Deus explorare folet.

Non fuftinuit pœnas damnatorum. VII. Quæritur, an Dominus Jefus fuftinuerit pœnas damnatorum, vel, ut alii loqui amant, damnandorum? Ita docent quidam, quod Deus Pater omnium electorum peccata Filio fuo impofuerit, eorumque pœnas ab ipfo exegerit, Chriftumque eas & in horto & in cruce pendentem fuftinuiffe. Quidam eorum adeo crudè loquuntur, ut dicant, Chriftum ante mortem dolores aut cruciatus infernales in anima fuftinuiffe: gaudium & fiduciam, quod ex fide & fiducia folet emanare, non tantum non fenfiffe, fed loco ejus fenfiffe preffuram & vexationem, proficifcentem ab ira Dei, non adverfus ipfum abfolutè, fed quatenus fponfor nofter fuit: & non tantum timuiffe, fed & fenfiffe iram Dei. Atqui fententia illa manifeftè eft falfa, rationi rectæ ac Scripturæ repugnans, atque in Dominum Jefum, ac Deum Patrem ipfum manifefte injuria. Quod ut appareat, diftinctè pœnas damnatorum, feu inferni, confiderabimus. Solent eæ communiter numerari quatuor. 1. Mors æterna. 2. Cruciatus infiniti. 3. Senfus iræ divinæ. 4. Defperatio.

Non mortem æternam. VIII. Primò. Quod mortem æternam attinet, Dominum Jefum eam non tuliffe manifeftum eft: tertio enim die ex morte refurrexit. Dices. Non tulit mortem æternam extenfione, fed intenfione, id eft, gravitate fupplicii, quod æternitati æquipollet. Refp. Ineptè hoc dici: æternitas enim non intenfionem, fed extenfionem notat. 2. Si intenfionem illam denotari velint, pertinebit ad fecundum membrum, & fic mors æterna idem erit cum cruciatibus infinitis.

Non cruciatus infinitos. IX. Secundò. Sed nec cruciatus infinitos fuftinuit: damnatorum enim cruciatus refpectu extenfionis feu æternæ durationis propriè dicuntur infiniti. 2. Damnatorum cruciatus femper adfcribuntur igni æterno & inexftinguibili: in illum autem Dominus Jefus conjectus neutiquam eft. Et licet graviffimos pertulerit dolores, non tamen eos plane infinitos fuiffe dici poteft: non enim humana Chrifti natura, in qua paffus eft, infiniti capax eft, ita ut id quod infinitum eft fimul & eodem tempore totum percipiat.

Non iram Dei. X. Tertiò. Multo minus iram Dei fenfit cum pateretur; quia tum maximè fuit obediens Patri, & propterea Patri fummè amatus: *Joan.* x. 17. *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum fumam eam.* Hinc dicitur *femetipfum pro nobis tradidiffe oblationem & hoftiam Deo in odorem fuavitatis*, *Eph.* v. 2. Ipfeque propterea à Patre ad cœleftem dignitatem eft exaltatus, *Phil.* II. 9. Dices. Non fenfit iram Dei adverfus feipfum abfolutè, fed quatenus fponfor nofter fuit. Refp. Qua ratione Dominus Jefus fponfor nofter, feu potius Novi Fœderis, fit, in fequentibus inquiretur. Nunc folummodò ad objectionem hanc dicimus, quod ex locis allegatis liqueat, Chriftum abfolutè Patri fuiffe dilectum cùm pateretur: fieri autem non poffe, ut, qui abfolutè Deo Patri eft dilectus, iram Dei quatenus fponfor nofter fentiat: non enim ex ira Deus pœnas aliorum peccatis debitas exigere poteft ab eo quem intenfiffimè amat; aut iram fuam exferere erga eum, qui ipfi fummè eft obediens, & quidem eo refpectu, quatenus Deo fummè obediens eft. Dices. Attamen *Gal.* III. 13. dicitur *execratio factus pro nobis.* Refp. Non quòd Pater ipfum fit execratus: abfit! fed ob mortem maledictam crucis quam paffus eft; uti mox additur ex *Deut.* XXI. 23. Dices. Tamen *Matth.* XXVII. 46. queritur fe à Deo derelictum. Refp. Non omnis derelictio Dei ex ira eft. Alia quippe eft derelictio Dei ex ira, quâ Deus impios homines deferit, non tantum ipfis non benefaciendo, fed & affectu deferendo. De ea agit Apoftolus *Act.* XIV. 15. dicens, quod *Deus in præteritis generationibus dimifit omnes gentes ambulare in viis fuis. Rom.* I. 24. quod *tradidit illos in defideria cordis eorum.* 2 *Theff.* II. 11. quod *miferit illis efficaciam erroris, ut credant mendacio.* Alia eft fecundum fapientem Dei directionem, quâ homines pios ad tempus deferit, non affectu, fed potius effectu, quo fit, ut non fentiant amoris divini effecta: eaque vel externa, & in eo confiftit, quòd Deus externum auxilium illis non conferat, neque liberet à malis imminentibus aut prementibus: fic David tanquam typus Chrifti, fe à Deo derelictum conqueritur, *Pfal.* XXII. 1. quia præfens Dei auxilium contra hoftes, à quibus graviter premebatur, non percipiebat. Vel interna, eftque propriè denegatio internæ confolationis per fpiritum confortantem, quo aliàs fideles in mediis afflictionibus à Deo corroborari folent; ut *Rom.* v. 2, 3, 4, 5. Quæ tamen derelictio longè abeft à fenfu iræ divinæ. Et hæc eft illa derelictio, quâ Dominus fe à Deo derelictum conqueritur.

XI. Quartò. Tandem defperationem non fenfit, quæ infeparabile pœnæ damnatorum adjunctum eft. 1. Quia per paffionem Patri fummoperè fuit obediens. 2. Quia in graviffimâ paffione & fummo angore Patri confidit: quod oftendit precibus fuis, & appellatione Patris, in horto Gethfemane, *Nec defperationem.*

Matth.

Matth. XXVI. 39. *& seqq.* in cruce exclamans *Deus mi, Deus mi,* &c. *cap.* XXVII. 46. & alloquio ad latronem, *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, Luc.* XXIII. 43. & præsertim ultimâ illâ precatione, quam moriens fudit, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Luc.* XXIII. 46. Nec est, qui hoc de Domino Jesu affirmare audeat, quod desperaverit. Nihil enim magis injurium in Dominum Jesum & in perfectissimam ipsius sanctitatem excogitari potest, quàm quòd desperaverit; aut angores desperantium proprios senserit; illi enim locum habere nequeunt, nisi ex certâ persuasione, quòd nulla ex pœna futura sit liberatio, aut spes gratiæ ac favoris divini planè conciderit: quod de Domino Jesu credere horrendum est. Non tamen video, quomodo, qui Dominum omnes damnatorum pœnas sustinuisse urgent, hoc absurdum evadant. Aut enim negandum ipsis est, desperationem inter damnandorum pœnas esse numerandam: sive inseparabile pœnæ damnatorum adjunctum esse; quod quo jure negare queunt? aut alterutrum est fatendum; vel Dominum Jesum ex sensu iræ divinæ desperasse: quod horrendum est, & ab ipsis rejicitur; vel ipsum non omnes damnatorum pœnas sustinuisse: quod nos urgemus.

Qua ratione nos à pœnis damnatorum liberaverit.

XII. At dicunt, quomodo nos ab æterna morte ac pœnis damnatorum liberavit, si ipse eas non est passus? Resp. 1. Ipsos hac sua objectione præsupponere, non posse Dominum nos à pœnis quibuscunque liberare, nisi ipse nostri loco pœnas easdem subeat, quarum liberationem nobis acquirit. Hoc posito, dico ipsos confirmare accusationem statim ipsis objectam. Quæro enim, an non desperatio numeranda sit inter pœnas peccatis electorum debitas? Aut ergo à desperatione electos suos non liberavit Dominus: quod juxta ipsos manifestè est falsum: aut juxta hanc hypothesin, desperationem illorum loco Dominus sustinuit: quod tamen constanter negant. 2. Non esse Dominum pœnas damnatorum passum antea ostendimus: neque id necessarium fuit: quia mors Domini fuit sacrificium pro peccatis nostris: atqui in sacrificio non requiritur æquipollentia; quod in sacrificiis Veteris Testamenti manifestum est; sed oblatio & intercessio, ut satisfiat voluntati illius qui per peccatum læsus est, atque ita obtineatur gratuita peccati remissio; uti in sequentibus fusius ostendemus.

Quid sit, descendisse ad inferos.

XIII. Dicunt porro: In Symbolo Apostolorum dicitur, quòd Dominus descendit ad inferos; atqui per descensum illum dolores summi, quales sunt damnatorum, intelliguntur, perinde uti . *Sam.* II. 6. *Psal.* XVI . 6. CXVI. 2. Resp. Nusquam vocem *inferni* illo significatu in Scriptura Sacra usurpari: in locis verò allegatis per *dolores inferni* intelliguntur dolores mortis, juxta significationem vocis *inferni* in Veteri Testamento usitatam: uti singula loca inspicienti manifestum est.

Unde summus ille Domini horror.

XIV. Quæres: Si Dominus non sensit pœnas inferni, unde ergo summus ille horror? Resp. Quia instanti mox passione omnes horrores passionis & mortis simul ipsius animo obversati fuerunt: & quoniam homo fuit nobis per omnia similis, iisdemque quibus nos infirmitatibus obnoxius, non mirum ipsum atrocitate instantis passionis, ipsi plenissimè repræsentatæ, horrore fuisse correptum. Dices. An non id indignum videtur Domino Jesu? ita enim fortitudine multis martyribus cedet, de quorum constantia, imo gaudio ac cantu mediis in flammis ac tormentis, tam admiranda leguntur in Martyrologiis. Resp. Non omnino certa esse omnia illa quæ in Martyrologiis narrantur: eorum scriptores potuere martyrum fortitudinem valdè exaggerare, præsertim tempore persecutionis, ut alios ad similem constantiam & pro fide Christiana tolerantiam exhortentur. 2. Fieri potest, ut martyres ad populum producti vim sibi fecerint, ac naturalem illam à morte ac doloribus aversionem, indeque ortum metum, occultaverint, signaque fortitudinis ostenderint, ut alios exemplo suo excitent ad imitationem. Interim fieri potuit, ut in occulto, in squallido carcere, angores non leves senserint, quos, quia ignoti erant, historici commemorare non potuerunt; aut si noti fuerint, consultò omiserunt, ne aliorum animi iis lectis consternarentur. 3. Sed esto, omnia sint certa, atque eo modo prout scripta sunt gesta; uti multa certa esse indubium est, id speciali Spiritus divini operationi adscribendum est, qui animos eorum cœlestis præmii spe, non aliter quàm boni præsentis visione, ita corroboravit, ut in illius excellentiam intenti, omnes cruciatus ac dolores alacri animo sustinuerint; certi, hujus ævi passiones neutiquam cum gloria futura comparandas. Noluit autem Deus Filio suo tantam in initio gratiam largiri, sed eum sibi relinquere. 1. Ut si quando nos vocamur ad patiendum pro nomine Christi, neque in nobis illam animi alacritatem, quâ quosdam martyres ad rogum properasse legimus, sentiamus, sed potius horrore quodam corripiamur; ne cogitemus nos minus Deo acceptos, aut quicquam Christiano nomine indignum facere: modò nos, Christi instar, totos Dei voluntati permittamus, & ad illius exemplum oremus, ut non nostra, sed Dei voluntas fiat. 2. Ut esset fidelis Pontifex apud Deum, qui compati possit infirmitatibus nostris; quoniam quia ipse tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere potest, & ad succurrendum promtus est. *Hebr.* II. 17, 18. IV. 15, 6.

XV.

Modus passionis. 1. Secundum voluntatem Patris.

XV. Modus passionis Christi est: Primò. Quòd passus sit secundum voluntatem Patris. Quod liquet. 1. quia Pater ipsum non tantum in mundum misisse, sed & expresse *tradidisse* dicitur, *Joan.* 11. 16. *Act.* 11. 23. *Rom.* VIII. 32. 1 *Joan.* IV. 9, 10. 2. Voluisse ut moreretur: *Hebr.* x. 5, 6, 7. *Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mibi: holocautomata pro peccato tibi non placuerunt: Tunc dixi, Ecce venio; in capite libri scriptum est de me; ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Joan.* x. 18. *Nemo tollit animam à me; sed ego pono eam à me ipso; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Unde 3. dicitur per mortem suam Patri *obediens* fuisse *Phil.* II. 8. & *Hebr.* v. 8. *ex iis quæ passus est didicisse obedientiam.* Cur verò Deus id voluerit, & jam antea partim dictum est, & in sequentibus fusius explicabitur.

2. Libere.

XVI. Secundò. Quòd omnia hæc tulerit sponte & liberrimà obedientià, non invitus nec coactus: quòd ex variis manifestum est. Quia licet antea discipulis suis prædixerit se Hierosolymis crucifigendum & occidendum, *Matth.* XVI. 21. XVII. 22. XX. 18, 19. sponte tamen eò se confert; imo etiam ad locum, quo ad se comprehendendum inimicos suos venturos noverat; hortum nempe Gethsemane; *Matth.* XXVI. 36. & *Joan.* XVIII. 1. *& seqq.* Ubi speciatim notandum venit, quod Joannes expresse addit, etiam Judæ, qui jam de proditione ejus cum Judæorum primoribus contraxerat, locum illum fuisse cognitum; ut ita commodam eum tradendi occasionem haberet. Cùm caperetur, & hostes verbo prosternere posset, uti & fecit in initio, *Joan.* XVIII. 5, 6. cum posset Patrem orare, & ab eo plus quàm duodecim legiones Angelorum ad sui defensionem impetrare, *Matth.* XXVI. 53. noluit tamen: sed intrepidè inimicis suis obviam procedendo, se Jesum fassus est, ipsorumque potestati ultrò tradidit: suos magistrum suum gladio defendere volentes inhibuit & reprehendit. Quin & ipsa mortis ejus historia arguit, vitam ipsi non tam ab inimicis ereptam, quàm ipsum sponte eam deposuisse. Cùm enim omnia, quæ ferenda sibi erant, & à Prophetis prædicta, pertulisset; dixissetque *consummatum est, Joan.* XIX. 30. tum exspiravit ante tempus: unde & Pilatus ipsum jam exspirasse miratur, *Marc.* XV. 44. Magnam in morte edidit vocem, quod significat num, vires sufficientes ad ulterius vivendum ei superfuisse: spiritum emissurus inclinat sponte caput, quod aliàs in moribundis, non nisi post mortem deficientibus viribus, fieri solet: ac tandem spiritum suum Patri commendans mox exspiravit. Quæ omnes mortis ejus circumstantiæ arguunt Dominum liberrimè mortuum. Hinc ipse dicit *Joan.* x. 18. *Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à me ipso. Matth.* XX. 28. *Filius hominis venit, ut det animam redemtionis pretium pro multis.* Diciturque *seipsum pro nobis* aut *peccatis nostris dedisse*, *Gal.* I. 4. 1 *Tim.* II. 6. *Tit.* II. 14. quod ultroneam in mortem traditionem denotat: *se ipsum obtulisse*, *Eph.* v. 2. & expressè *Patri obediens fuisse in morte*, *Phil.* II. 8. *Venisse, ut faceret voluntatem Patris*, *Hebr.* x. 5, 6, 7. *Pro proposito gaudio crucem tulisse*, *Hebr.* XII. 2. id est, ut propositum gaudium consequeretur crucem liberè subiisse.

Sensus precum, transeat calix iste a me.

XVII. Quærat hic fortè quis: An non preces Domini in horto, ter repetitæ, *Pater si fieri potest, transeat calix iste à me*, arguunt, ipsum non sponte, sed aliquatenus invitum mortem subiisse? Resp. Nequaquam. Primò enim, necesse non est per *calicem* illum intelligere mortem ipsam; potuit Dominus per eum intellexisse summos illos animi angores, quos sentiebat, & orasse ut ab iis liberaretur. Dices. Explicationem illam non convenire cum iis quæ *Hebr.* v. 7. leguntur, Dominum Jesum *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset ipsum salvum facere à morte, cum clamore valido ac lacbrymis obtulisse:* ubi ad preces has respici indubium est. Resp. Sicut non negamus ad preces hasce respici, ita etiam credimus non ad solas hasce verba illa restringenda, sed etiam ad preces in cruce effusas, & præsertim quando magnâ voce exclamans spiritum suum Patri commendavit, extendenda esse. *Servare* itaque *a morte*, seu, ut in Græco est, *ex morte*, non significat, efficere ne mortem subeat, sed ne in morte deseratur; hoc enim intendit, cum Patri spiritum commendaret. 2. Dicitur expressè *exauditus à metu*, quia nempe in morte non est relictus: si autem petiisset ita à morte liberari, ne mortem subiret, exauditus non fuisset. Neque credibile est, Dominum Jesum orasse ut à morte liberetur, quam sciebat decreto Patris sibi destinatam, & ad quam subeundam in mundum venerat. Quod angores illos extraordinarios attinet, potuit credere, se, salvo decreto divino de morte sua, ab illis potuisse liberari, ideoque eorum liberationem se à Patre petere posse. Ideo dicit, *si fieri potest*; id est, si decretum tuum permittat, ut absque illo angore passionem ac mortem sustineam. Secundò. Etsi concedamus, per *calicem illum* mortem intelligendam, non tamen ex illis rectè colligitur Dominum Jesum mortem declinasse: illis solummodò indicatur naturalis aversio à dolore ac morte, quæ omnibus hominibus communis est, & quam fieri nequit quin fortissimus quisque in se experiatur. Indicat ergo Dominus hac precatione, tum quid vellet, consideratâ nempe naturæ humanæ imbecillitate; tum quid absolutè velit, considera-

fideratâ voluntate ac decreto Patris sui. Vellet quidem, si alio modo hominum salutem procurare posset, à morte ac doloribus instantibus liberari; sed quia aliam Patris voluntatem esse cognoscebat, etiam idem quod Pater voluit: qualis mixta actio in omnibus molestis actionibus occurrit. Qui omnia sua membra salva vellet, vult tamen membrum gangrænâ corruptum recidere, ne aliæ partes sinceræ corripiantur. Quod itaque Dominus certo quodam respectu volebat, enuntiatur ac si absolutè voluerit; adeo ut, *quod ego volo*, tantumdem sit, atque, quod ego vellem; phrasi simili quæ extstat *Matth.* XII. 34. XVIII. 6 *Joan.* V. 44. Omnibus autem consideratis, idem quod Pater voluit; quod plenissimè testatur, addens, *non sicut ego volo, sed sicut tu vis*: quæ perfectissima est obedientia.

3. *Innocens.* XVIII. Tertiò. Quod passus sit innocens. Hoc patet ex toto contra ipsum instituto processu. Deficiente enim accusationis materia falsi testes contra ipsum subornati sunt: illis non consentientibus, nec digna morte proferentibus, adjurat ipsum summus Pontifex, ut dicat utrum sit Christus: & ob veritatis illius ingenuam confessionem, cui ut testimonium perhiberet in mundum venerat, scilicet, se esse Christum, condemnatus est, *Matth.* XXVI. 63. *& seqq.* Quod manifestissimum innocentiæ ipsius documentum est. Voluit nempe Deus toti mundo constare, nullam aliam ob causam Filium suum à Judæis condemnatum, nisi quia se Christum professus erat. Postea cum Pilato esset traditus, statim Pilatus eum innocentem, & per invidiam traditum cognovit: ingenuè coram Judæorum primoribus nullam se in ipso culpam invenire fatetur: quin & uxor, somnio territa, ad ipsum mittit, orans, ut nihil ipsi sit cum justo illo. Tandem cum indesinenter à Judæis urgeretur, manus suas coram omnibus abluit, apertè protestatus, purum se ab illius sanguine esse velle. Centurio, qui cum militum præsidio cruci adstabat, visis signis mortem consecutis, exclamat, *verè filius Dei erat iste*, *Matth.* XXVII. 54. Unde & passim sine peccato vixisse dicitur: 2 *Cor.* V. 21. *Non novit peccatum. Hebr.* IV. 15. *Nobis per omnia similis, excepto peccato.* 1 *Pet.* II. 22. *Peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus.* 1 *Joan.* III. 5. *Peccatum in eo non est.* Et vocatur *justus*, 1 *Pet* III. 18. 1 *Joan.* II. 1. & *agnus immaculatus*, 1 *Pet.* I. 18. Hinc & aliquando ad inimicos suos provocasse legitur: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan.* VIII. 46.

Sepultura. XIX. Secundus gradus est Sepultura. Hanc mortem Christi excipere voluit Deus, ut esset irrefragabile argumentum Dominum Jesum verè esse mortuum. Intererat quippe mundum de morte Jesu certum esse, ut fidem de ipsius resurrectione indubitatam concipere posset; cùm si verè mortuus non fuerit, nec resurrexerit.

XX. Mortis autem certitudinem confirmant variæ circa sepulturam circumstantiæ. Primò. Antequam sepulturæ traderetur voluit Deus mortem ipsius esse exploratam; quod primò factum per milites, qui crura ejus fracturi eum jam mortuum deprehendebant; utque nullum de ejus morte dubium esset, unus eorum lanceâ latus ejus perfodit, adeo ut aqua cum sanguine ex ejus latere flueret; quod signum fuit, pericardium fuisse perforatum, Dominumque verè exspirasse. Unde & Apostolus Joannes hoc tanquam maximi momenti rem, suo testimonio, ut testis oculatus, validissimè confirmat, *cap.* XIX. 35. Deinde per Pilatum, cum accedente ad ipsum Josepho ab Arimathea, corpusque Christi postulante ut sepulturæ traderet, mirabundus Christum tam subitò exspirasse, ex centurione prius cognoscere voluit, quamdiu Christus mortuus fuisset, antequam Christi corpus illi concessert: *Marc.* XV. 43, 44, 45. *Variæ illius circumstantiæ. Prima.*

XXI. Secundo. Quod corpus Christi, ante sepulturam, more inter Judæos recepto, variis aromatibus conditum, linteisque involutum sit à Nicodemo & Josepho Arimathæensi, ut aptè in sepulchrum inferretur: uti ab omnibus Euangelistis exactè narratur: quæ omnia nullum de ejus morte dubium superesse relinquunt. Sepulchrum enim mortuorum receptaculum est, ut postquam vitâ sunt functi illic eorum corpora in sua elementa resolvantur. Non tamen eum in finem corpus Christi sepulchro illatum est; non enim corruptionem videre debuit, juxta *Psal.* XVI. 10. *Act.* II. 31. *Non derelinques animam meam in inferno, neque permittes sanctum tuum videre corruptionem;* verùm tertio die resurgere: sed solummodò ut indubium mortis ipsius esset argumentum. *Secunda.*

XXII. Tertiò. Impositus fuit novo monumento, cui nullus antea impositus fuerat; ne forte postea resurgens alius resurrexisse fingeretur; aut ipse virtute ossium alicujus sancti antea illic depositi revixisse crederetur, uti olim quidam Prophetæ Elisæi sepulchro injectus tactis illius ossibus revixit. 2 *Reg.* XIII. 21. *Tertia.*

XXIII. Quartò. A Judæorum primoribus, conscio ac concedente Pilato, monumentum sigillo fuit munitum, militumque custodia apposita, *Matth.* XXVII. 66. ne vel fraude, vel vi corpus Jesu Christi a discipulis auferri posset: dirigente Deo præposteram hanc ipsorum sollicitudinem in finem longè alium, ut hæc omnia, quæ ad Jesum in sepulchro detinendum suscepta erant, irrefragabilia essent argumenta, quibus resurrectionis ipsius veritas comprobare- *Quarta.*

baretur: uti in sequentibus liquebit.

Descensus ad inferos. XXIV. Tertius gradus est detentio corporis Christi in sepulchro usque ad tertium diem; non quidem tribus integris diebus, sed parte primæ, secundâ totâ, & parte tertiæ diei; quo tempore velut in potestate ac vinculis mortis versatus est, & statum mortuorum reverâ subivit. Illud credimus significari parte illâ Symboli Apostolici, *descendit ad inferos*. Certum est articulum hunc olim in variis Symbolis non fuisse lectum: vide *Vossium de tribus Symbolis pag.* 26. & *Usserium de Symbolis pag.* 8 Nunc verò de genuino illius sensu acriter inter Christianos disputatur. Quidam volunt eum idem significare cum præcedente, *sepultus est;* illiusque tantum esse exegesin. Et fatendum vocem *inferni*, sive Hebræam שאול in Veteri Testamento ordinariè sepulchrum denotare: *Gen.* XXXVII. 35. *Job.* XIV. 13. XVII. 13. *Psal.* VI. 6. *Act.* II. 27. & alibi. Adeo ut non sine maxima probabilitate præcedentis articuli exegesis habeatur. In contrarium autem duo Pontificii objicere solent. Prius est, quod *Act.* II. 27. de Christo dicatur, *non derelinques animam meam in inferno*: Christi autem anima non fuit in sepulchro, sed corpus solummodò: aliud ergo per infernum intelligitur. Resp. *Animam* non semper designare nobiliorem illam hominis partem, quæ unà cum corpore hominem constituit; sed & integrum hominem: *Genes.* XLVI. 15, 18, 22, 25, 26. *Rom.* XIII. 1. imo aliquando cadaver anima destitutum, quia animæ domicilium fuit: *Levit.* XIX. 28. XXI. 1, 11. *Num.* V. 2. VI. 6. IX. 6. quibus in locis agitur de immunditie ex contactu animæ, hoc est cadaveris, contractâ. Itaque, *non derelinques animam meam in inferno*, idem est cum sequentibus, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Alterum est, quòd *Matth.* XII. 40. filius hominis dicatur tribus diebus ac noctibus futurus *in corde terræ*: cor autem cujusque rei medium est; sepulchrum autem non in medio, sed in superficie terræ est. Resp. *In corde* rei alicujus quippiam esse dicitur, non tantum quod in illius medio est; sed & quicquid à re illa circumdatum est: sic *Ezech.* XXVII. 3, Tyrus, quæ tamen à littore non longe remota erat, *in corde maris* sita dicitur, quia mari undique circundata. 2. Dicitur Dominus *tribus diebus & tribus noctibus futurus in corde terræ*: si illud non de commoratione corporis in sepulchro, sed animæ in terræ meditullio intelligatur, quomodo latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso*, *Luc.* XXIII. 43. Ita ut nihil objiciatur, quod aliam vocis *inferni* quàm sepulchri significationem quærere cogat. Netamen in Symbolo adeo brevi idem bis enuntiari concedere necesse sit, præstat, judicio nostro, per *descensum ad inferos*, ad distinctionem articuli præcedentis, *sepultus est*, intelligere statum mortuorum, quem hominum reverâ subiisse, & aliorum instar hominum vinculis mortis reverâ detentum fuisse, hoc articulo profitemur.

Sententia Pontificiorum de inferis, & limbo Patrum. XXV. Pontificii vero, propriam vocis Latinæ *infernus* significationem urgentes, volunt eo locum quendam subterraneum intelligi, in quo animæ tanquam carcere conclusæ detinentur. Quatuor nempe pœnarum genera post mortem statuunt, damni, nempe, vel sensus: easque vel temporales, vel æternas, & unicuique pœnæ peculiarem intra terram locum adscripserunt, in quo sustineatur. Pœnæ æternæ sensus, quæ damnatorum est, seu cum peccato mortali absque remissione morientium, locum statuunt gehennam, in ipso terræ medio. Illum ambire purgatorium, locum pœnæ temporalis, in quo animas eorum, qui cum venialibus peccatis moriuntur, aut pro temporalibus peccatorum mortalium pœnis in hac vita non persolverunt, purgari ajunt, donec purgatæ in cœlum recipiantur. Hosce locos duo, juxta ipsos, ambiunt limbi, in quibus animæ tanquam in carceribus, absque ullo pœnæ sensu, asservantur. Limbus interior purgatorio proximus infantium absque baptismo decedentium animas in æternum servat. Limbo exteriore patrum fidelium sub Veteri Testamento animæ detentæ fuerunt, usque ad mortem Christi: quem nunc ajunt esse vacuum. Omnia hæc loca per *inferos*, quoniam infra terram sunt, Pontificii intelligi volunt; semperque, quando *inferni* mentio fit, ad aliquem horum respici, quem materia indicat. Per *descensum* itaque Christi *ad inferos* intelligunt ingressum Christi in Limbum Patrum; unde, ereptis patrum animabus illic detentis, triumphantem abiisse in cœlum volunt, omnibus illis animabus comitatum, & latrone converso, cui dixit, *Hodie mecum eris in paradiso.*

Ejus refutatio. XXVI. Sed verò, quis non videt, totum illud de inferis variisque intra terræ globum pœnarum locis commentum magis redolere Ethnicorum poëtarum fabulas, in quibus multa de locis illis subterraneis legas, quàm fidei Christianæ articulum sapere? 1. Nulla enim limbi illius in Scripturis mentio; nusquam animas intra terram tanquam carcerem concludi docetur: è contra *Eccles.* XII. 7. dicitur *spiritus redire ad Deum qui dedit illum.* 2. Si vera est Pontificiorum sententia, actio illa descensus Christi ad inferos fuisset actio gloriosa & triumphans; cùm tamen ex *Act.* II. 31. constet statum fuisse maximè humilem.

1 Pet. III. 19, 20. *agit de incredulis tempore Noachi.* XXVII. Ad limbi hujus probationem varia Pontificii Scripturæ loca congerere solent. *Bellarminus lib.* IV. *de Christo cap.* 10, 11, 12. varia loca profert, quibus limbum hunc adstruere conatur; sed adeo à scopo

ejus aliena, & violenter contorta, ut ea recensere, nedum refellere, inutilis planè sit operæ. Unum solummodò & præcipuum, obscuriorem, & qui aliqua cum specie proferri videtur, expendemus, 1. *Pet.* III. 19, 20. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo: mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu; in quo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noæ*: uti Vulgata versio habet; vel ut in Græco textu legitur, *quando exspectabat Dei patientia in diebus Noæ*. Resp. Primò. Locum illum, fatente ipso Bellarmino, esse obscurissimum; non ergo illi dogma aliquod fidei controversum superstrui potest. Secundò. Sed & multa in loco illo occurrunt, quæ cum de limbo illo Patrum accipere vetant. 1. Non enim hic agitur de communi fidelium sub Veteri Testamento statu; sed de incredulis, & quidem tempore Noachi diluvio ob incredulitatem deletis. Quid illis commune cum limbo Patrum? & quæ ratio, quòd illi magis hoc Christi prædicationis privilegio gavisi fuerint, quàm reliqui homines? Dices: Prædicavit quidem Christus in inferno omnibus bonis spiritibus, sed nominatim fuere expressi illi, qui fuerunt in diebus Noæ increduli, quia de illis erat majus dubium, an essent salvi nec ne, cùm puniti fuerunt à Deo & submersi aquis diluvii: indicat ergo hic Petrus, etiam ex illis incredulis fuisse aliquos, qui etiam in fine vitæ pœnitentiam egerint, & licet quantum ad corpus perierint, tamen quantum ad animam salvi fuerint. Resp. Responsio hæc multis modis laborat. Primò enim supponitur Christum omnibus bonis spiritibus in inferno prædicasse; quod ex hoc loco probandum, non præsupponendum erat: hic enim incredulorum tempore Noachi solummodò mentio fit. Secundò. Gratis dicitur, quosdam ex illis in vitæ fine pœnitentiam egisse & salvos factos. 1. Nullum enim de eorum pœnitentia Petrus verbum facit, sed eos vocat incredulos. 2. Generatim de omnibus loquitur, nullâ factâ quorundam resipiscentium à reliquis pertinacibus discretione. 3. Imo expressè opponuntur illis, qui salvi facti fuerunt in arca, & 2 *Pet.* II. 5. expressè *impii* vocantur, nullâ uspiam ipsorum pœnitentiæ factâ mentione.

Et non de anima Christi separata. XXVIII. Secundò. Dicitur Christus, *spiritu vivificatus*, in illo prædicasse spiritibus olim incredulis: quod de anima Christi separata intelligi nequit: illa enim, utpote immortalis, vivificata nunquam est. Dices. *Vivificari* in Scriptura sæpius dicitur, quod non occiditur: 1 *Sam.* XXVII. 9. 2 *Sam.* VIII. 2. *Act.* VII. 19. Resp. Dicitur hoc solummodò de iis quæ occidi possunt: anima autem est immortalis: nullumque ex Scriptura exemplum proferetur, ubi anima vivificari dicitur. Dices. Sicut per spiritus, quibus Christus prædicavit, intelliguntur animæ separatæ; ita etiam per spiritum Christi anima ejus separata est intelligenda. Resp. 1. Per spiritus non animas separatas, sed integros homines intelligendos, mox ostendemus. 2. Nulla est consequentia, spiritum eodem significatu, licet eadem sit oratio, accipiendum esse: uti inter alia ex 1 *Corinth.* v. 3, 4, 5. clarè liquet. Per *spiritum* ergo, quo Christus *vivificatus est*, intelligitur spiritus Dei, quo Christus suscitatus est ex mortuis, *Rom.* I. 4. Agitur hic ergo de prædicatione, non quam Christus immediatè, sed quam per Apostolos suos fecit, post resurrectionem suam ex mortuis & sessionem ad dexteram Dei Patris, communicato ipsis spiritu suo, per quem (hoc enim est ἐν ᾧ) illi gentibus Euangelium annuntiarunt: quod enim Apostoli jussu Christi, & virtute Spiritus sibi à Christo communicati, fecerunt, meritò ipsi Christo adscribitur; ut *Eph.* II. 17.

Nec Christus illis prædicasse dicitur. XXIX. Dices. Loquitur Petrus expressè de spiritibus aliquando tempore Noachi immorigeris. Resp. Non ita accipienda sunt verba Petri, quasi Christus aut Apostoli Euangelium prædicaverint animabus seu spiritibus hominum tempore Noachi defunctorum: sed solummodò instituit Petrus comparationem inter homines olim Noachi prædicationi, & Ethnicos nunc prædicationi Euangelii immorigeros: adeo ut subaudienda sit vocula *sicut*: *Prædicavit spiritibus aliquando immorigeris, sicut cum exspectabat patientia Dei in diebus Noë*: quales loquendi modi occurrunt *Psal.* XI. 1. XXII. 14. *Esa.* XIV. 19. XXXVII. 27. XL. 6, 7. LXVI. 3. *Jacob.* IV. 14. 2 *Pet.* III. 4. Dices. Sed expressè vocantur *spiritus in carcere*. Resp. Per *spiritus* sive animas homines integros designari, notius est, quàm ut probare necesse sit: hoc eodem loco *octo animæ*, id est, homines, in arca dicuntur salvæ factæ. Dicuntur autem esse *in carcere*, quia ob incredulitatem jam certæ damnationi erant destinati, non aliter ac si jam damnati revera essent; uti dicitur *Joan.* III. 18. *Qui non credit, jam judicatus est.* Vel quia vinculis ignorantiæ ac peccati, non aliter ac spirituali aliquo carcere, detinebantur; uti dicitur *Matth.* IV. 16.

Verus loci sensus. XXX. Loci ergo hujus difficilis ac obscuri, salvo meliore aliorum judicio, sensus nobis hic esse videtur: Jesum, cum esset vivificatus, id est, ex mortuis in vitam immortalem resuscitatus, spiritu Dei, per istum spiritum, Apostolis suis communicatum, profectum esse & prædicasse Euangelium gentibus à cognitione Dei alienis: illas autem prædicationem hanc respuisse; & per hanc suam rejectionem similes esse hominibus

bus olim tempore Noachi immorigeris & Noachi, ipsos ad pœnitentiam hortantis, prædicationem respuentibus, & ideo illos esse in carcere, hoc est, in statu damnationis: Et sicut tunc pauci, id est, octo tantum animæ in arca servabantur, ita etiam nunc paucos servari, illos nempe, qui per bonæ conscientiæ interrogationem, per externum baptismum adumbratam, ad Deum accedunt.

CAPUT XIV.

De Statu Christi Exaltationis.

Exaltatio Christi. I. Humiliationem Christi immediatè excepit ejus Exaltatio. Illa similiter tribus constat gradibus: I. Resurrectione ex morte. II. Adscensione in cœlum. III. Sessione ad dextram Dei Patris.

Resurrectio. II. De Resurrectione dicturi, primò ejus veritatem adstruemus; deinde præcipuas aliquot illius circumstantias expendemus; ac tandem usus illius salutares indicabimus.

Illius veritas. III. Quod resurrectionis Christi veritatem attinet, quia illa totius religionis Christianæ est fundamentum; *Si enim Christus non resurrexit, vana est fides nostra, adhuc sumus in peccatis nostris, & qui dormierunt in Christo perierunt.* 1 *Corinth.* XV 17, 18. operæ pretium est eam argumentis aliquot contra Judæos aliosque incredulos adstruere.

Adstruitur, rationibus. IV. Præsupponentes jam Christum verè esse mortuum, quod ex præcedentibus manifestum est, resurrectionem ejus hoc solido atque invicto argumento demonstramus. Certum est sepulchrum Jesu Christi fuisse inventum vacuum; non tantum ab ejus amicis ac discipulis, sed & inimicis: nisi enim & hi sepulchrum vacuum invenissent, utique cadaver Christi produxissent, eoque prolato omnem discipulorum de ejus resurrectione prædicationem falsitatis coarguissent. Alterutrum itaque dicendum; aut corpus Christi è sepulchro fuisse sublatum ab hominibus: aut à Deo resuscitatum. Prius dici nequit. Aut enim ab amicis Christi fuit sublatum, aut ab inimicis. Non ab inimicis; quia unicum illorum studium fuit illud in sepulchro detinere; & propterea etiam sepulchro custodiam apposuerunt, ne à discipulis auferri posset: ipsorum enim quàm maximè intererat, Jesum, quem ut blasphemum & populi seductorem damnaverant, sepulchro detineri. Non etiam ab amicis: quia aut vi aut fraude ab ipsis sublatum oportuit: at neutrum dici potest. Non vi; quia animus ipsis deërat ad facinus ejusmodi peragendum: cùm enim Dominus Jesus caperetur, omnes exterriti aufugerunt; quin & ipse Petrus, zelo omnes antecellens, ter eum abnegaverat. Dices: Forte animum resumserunt, novâque audaciâ crimen illud timoris delere voluerunt. Dico itaque 2. etiamsi voluissent, non potuissent perficere, quia sepulchrum armatis militibus erat circumdatum; & pone quod illos potuerint abigere, statim tot testibus furti & violentiæ potuissent coargui: tum & directè contra magistri sui præcepta, publicam violassent auctoritatem. Nec etiam fraude, aut furto sustulerunt corpus Domini; apposita enim erat sepulchro militum custodia. Sed fefellerunt custodes dormientes. Resp. An verisimile est omnes custodes, qui ad corporis Jesu custodiam sepulchro appositi erant, simul dormivisse? Sed & si concedamus omnes in somnum incidisse, an cuiquam credibile videri potest, omnes ita fatuos & capitis sui negligentes fuisse, ut nemo inter illos, cùm alios dormientes videret, seque somno corripi animadverteret, juxta saxum illud, quod sepulchrum clausit, procumberet? Si enim illic se solum reclinasset, quantumvis somnolentus, securus dormire potuisset, & tuta fuisset sepulchri custodia. Si tamen & illam negligentiam omnibus tribuamus, an credibile Apostolos illud momentum, quo omnes simul sopiti erant somno, observare potuisse? An potuissent furtum hoc perficere absque strepitu, & lapidem à sepulchri ostio amovere, ita ut nullus expergisceretur? Tum quam maximè festinassent, ne ab expergiscentibus custodibus deprehenderentur: sed omnia contraria videmus, si hominum manu hoc peractum quis urgeat; linteola enim aptè erant convoluta, & seorsim quidem linteum capiti obvolutum, & in sepulchro seposita. Tum, nunquam Domini Jesu discipuli, licet è Judæis rumor ille de corpore Christi ab ipsis sublato dispersus sit, coram Judæorum senatu furti illius fuere accusati: manifesto indicio, Judæos de rumoris illius falsitate plenè fuisse persuasos. Cùm ergo nec ab inimicis, nec ab amicis Domini Jesu corpus è sepulchro sublatum sit, concludimus Dominum à Deo Patre ex mortuis fuisse suscitatum.

Et Apostolorum testimonio, qui falli non potuerunt; V. Id etiam confirmatur manifestius non tantum duorum Angelorum testimonio, qui mulieribus, ad sepulchrum ut Domini corpus ungerent accedentibus, resurrectionem ejus annuntiarunt; sed & duodecim Apostolorum testimonio, testium in hoc negotio omni exceptione majorum; quoniam nec falli potuerunt, nec alios fallere voluerunt. Falli non potuerunt; quia Dominus Jesus se ipsis post resurrectionem suam aliquoties vivum exhibuit; variisque apparitionibus de resurrectione suâ plenissimè persuasos reddidit. Neque est, quod quis credat ipsos aut spectri alicujus apparitione, aut temerariâ credulitate deceptos: quoniam contrario præjudicio de regno Christi in terris erigendo penitus præoccupati, difficil-

ficillimè ad fidem resurrectionis ipsius adduci potuerunt. Unde etiam Dominus sensim illorum animos præparare voluit, antequam se ipsis redivivum ostenderet; primo, testimonio mulierum angelum à se conspectum annuntiantium: secundò, sepulchri vacui linteorumque aptè convolutorum inspectione, quæ quasi muti præcones Domini resurrectionem ipsis annuntiarunt. Ita ritè eorum animis præparatis tandem Dominus sese redivivum ostendit; ac primò quidem Mariæ Magdalenæ prope sepulchrum, *Marc.* XVI. 9. *Joan.* XX. 11. *& seqq.* secundò mulieribus à sepulchro Hierosolyma redeuntibus, *Matth.* XXVIII. 8, 9, 10. tertio, Petro, *Luc.* XXIV. 34. quartó, duobus discipulis Emmauntem euntibus: *ibid. vers.* 13. *& seqq.* Hisce apparitiones has reliquis indicantibus, atque ita omnibus suspensis animis pleniorem rei revelationem exspectantibus, Dominus, ut omne dubium tolleret, tandem quintò omnibus Apostolis simul, uno Thomâ excepto, sese redivivum ostendit: *Luc.* XXIV. 36. *& seqq. Joan* XX. 19. *&c.* illis autem præ timore ac gaudio fidem non habentibus, ostendit manus ac pedes, unaque cum iis comedit ac bibit. Cum reliqui id narrassent Thomæ, non credidit, sed nisi ipse videret, manusque & digitos vestigiis vulnerum Domini immitteret, se non crediturum dixit. Sextò ergo Dominus sese omnibus, præsente etiam Thomâ, ostendit, iisque experimentis, quæ ipse requisiverat, eum de resurrectionis suæ veritate plenissimè persuasum reddidit. *Joan.* XX. 26. *& seqq.* Hanc autem ipsorum incredulitatem Deus direxit, ut esset evidentius ac certius resurrectionis Dominicæ argumentum: inde enim liquidissimè nobis constat, ipsos non temere, sed solâ rei evidentiâ convictos, resurrectionem Domini credidisse, aliisque annuntiasse. Ad hanc apparitionem respicere videtur Joannes, 1 *Epist.* I. 1, 2, 3. *Quod audivimus, quod oculis nostris vidimus, quod conspeximus, & manus nostræ palparunt, de verbo vitæ annuntiamus vobis.* Septimò tandem prope mare Tiberiadis Dominus sese omnibus discipulis manifestavit, cum eis edit ac bibit, variaque cum ipsis locutus est, *Joan.* XXI. Unde dicitur *Act.* I. 3. quod Apostolis *seipsum præbuit vivum post passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Et *Actor.* X. 40, 41. dicit Petrus, *Deum Jesum suscitasse, & dedisse manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo; nobis,* inquit, *qui manducavimus & bibimus cum eo, postquam resurrexit à mortuis.* Quin & plus quàm quingentis fratribus simul visus est, 1 *Cor.* XV. 6. Tandem etiam Paulo è cælo sese videndum præbuit, eumque è cœlo allocutus est; *Act.* IX, 3, 4. 1 *Cor.* XV. 8.

VI. Nec etiam fallere voluerunt: quia testimonium hoc suum morte ac sanguine suo confirmarunt, neque ullis minis nec pœnis deterreri potuerunt, quo minus in testimonio hoc reddendo constantes essent. Quis sapiens rem, quam falsam novit, & quæ si falsa est, nullam ipsi utilitatem, sed contra ignominiam & dedecus adferre potest, morte ac sanguine confirmabit? Si quis id suspicetur, non tantum mortalium pessimos, sed & stultissimos eos faciat necesse est. Hoc eorum testimonium respici credo à Joanne 1 *Epist.* V. 8. quando inter tres testes, qui in terra testimonium præbent, recenset *sanguinem*; quo non alius designari videtur, quàm Apostolorum aliorumque martyrum sanguis, quo Euangelicæ prædicationis veritas, Christo jam in cœlum sublato, in terris confirmata fuit. *Nec falle re volue runt.*

VII. Causa efficiens resurrectionis Christi est Deus Pater, ita passim testante Scriptura, *Act.* III. 26. XIII. 33. *& seqq. Gal.* I. 1. 1 *Thess.* I. 9, 10. quibus in locis expressè Deo adscribitur, quod Filium suum Jesum ex mortuis suscitaverit; quæ Patrem designare extra dubium est. His addi possunt varia loca, quibus resurrectio Christi Deo adscribitur, & quorum omnes circumstantiæ docent, solum Patrem intelligendum esse, ut *Actor.* II. 24, 32. III. 15. X. 40. XVII. 31. *Rom.* X. 9. 1 *Corint.* XV. 15. *Hebr.* XIII, 20. & alibi. Imo hac periphrasi Deus Pater nonnunquam describitur, *qui suscitavit Jesum ex mortuis, Rom* IV. 24. VIII. 11. 2 *Corinth.* IV. 14. Tribuitur tamen & Christo sui ipsius resuscitatio. Ita Judæis dicit, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud; Joan* II. 19. *& seqq.* & *Cap.* X. 17, 18. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo.* Sed ipsa locorum inspectio docet, Patrem primariam resurrectionis causam esse; Dominum Jesum autem habuisse potestatem, ut virtute spiritus divini in se habitantis ex mortuis resurgeret, ac proinde etiam resurrectionis suæ causam esse, sed Patri subordinatam. *Illius causa efficiens.*

VIII. Circumstantiæ resurrectionis variæ fuerunt. 1. Quòd Dominus tertiâ die resurrexerit, juxta Scripturas: & quidem sapientissimo Dei consilio. Si enim ante tertium diem revixisset, potuisset videri non satis confirmata fuisse mors ipsius, ac per consequens nec certitudo de resurrectionis veritate. Si diutius in sepulchro mansisset, procul dubio Apostolorum fides collapsa fuisset, quæ jam satis, per mortem ejus ignominiosam, vacillabat: quod sermo discipulorum Emmauntem euntium satis indicat *Luc.* XXIV. *Circumstantiæ.*

XXIV. 21. nec etiam plenâ cum certitudine animique persuasione eundem qui mortuus est revixisse, & a se post mortem redivivum conspectum, testari potuissent: quod tamen ad fidem Euangelio faciendam omnino necessarium erat. 2. Quod primo hebdomadæ die resurrexerit, qui propterea vocatur dies Dominicus, *Apoc.* 1. 10. & quidem horâ illus diei primâ, seu secundum calculum nostrum, sextâ matutinâ. Manè enim sole vixdum exorto resurrexisse unanimiter omnes docent Euangelistæ. 3. Quod cum terræ motu contigerit, *Matth.* XXVIII. 2. Insolitum Deo non est terræ motu, ac pavore quem excitare solet, hominum animos præparare, ut cum reverentia revelationes suas recipiant: sic *Psal.* LXVIII. 8, 9. LXXVII. 19. XCIX. 1. CXIV. 7. *Actor.* XVI. 26. 4. Quod Angelorum apparitio circa sepulchrum fuerit: tum ut lapidem à sepulchro removerent, ut corpus Christi exinde egredi posset: (non quòd Deus Angelorum ministerio indiguerit; sed ut majestatem suam ostendat, Filiumque suum Jesum Angelorum Dominum esse demonstret:) tum ut resurrectionis Christi testes essent, non tantum apud mulieres, sed & cœlesti suo fulgore apud custodes, qui, gloriâ illâ cœlesti visa, mortuorum instar perterriti aufugerunt, *Matth.* XXVIII. 4.

Num resurrexerit corpore glorioso.

IX. Ad resurrectionis Dominicæ circumstantias pertinet etiam quæstio, quo corpore Dominus resurrexerit, an immortali ac glorificato? Resp. Eodem planè quo mortuus est, iisdemque adhuc qualitatibus ac attributis prædito: utpote in quo adhuc erant vestigia vulnerum in morte ipsi impressorum, *Luc.* XXIV 39, 40. *Joan.* XX. 27. Idque etiam necesse erat, ut discipuli certi redderentur de resurrectione ipsius: si enim tanta in corpore Christi facta fuisset mutatio, nunc à se conspici credidissent alium ab eo quem ante mortem noverant. Eatenus quidem Christi corpus immortale fuit, ut nunquam in mortem rursus tradendum foret; non tamen in resurrectione videtur fuisse glorificatum; sed in ipsa adscensione in cœlum glorificatio hæc contigisse. Omnis enim imperfectio glorificato corpori adversatur: illa autem non tantum in vestigiis vulnerum apparuit, sed &, quod Dominus post mortem cum discipulis ederit ac biberit: quæ statui corporum glorificatorum non conveniunt, 1 *Cor.* VI. 13.

Sententia Pontificiorum.

X. In contrarium tamen Pontificii urgent, corpus Christi in ipsa resurrectione fuisse glorificatum; quod ut evincant, corpori Christi resuscitato ea tribuunt, quæ cum natura corporis non glorificati consistere non possunt. Sed verò ea talia sunt, ut corporis naturæ in genere adversentur, ac proinde nec corpori glorificato competere possint; sc. quod nullum occupet spatium; ut ita præsentiam corporis Dominici in Cœna aliqua cum specie defendere possint. Sed præterquam quod Domini corpus in Cœna non repræsentetur glorificatum sed mortuum; ac proinde ex corporis glorificati proprietatibus nullum pro præsentia corporis mortui possit desumi argumentum; dicimus corporis naturam non permittere, ut alicubi sit, & nullum tamen locum impleat.

Ad objectiones responsio.

XI. Objiciunt: Quòd Dominus transierit saxum sepulchri. Resp. Nusquam illud in Euangelio dici: *Matthæus cap.* XXVIII. 2. dicit Angelum à sepulchro saxum revolvisse; quod procul dubio nullo alio fine factum est, quàm ut Dominus egrederetur. Addunt. Intravit Dominus ad discipulos per fores clausas, *Joan.* XX. 26. Resp. Dicitur venisse *januis clausis*, id est, vesperi cùm jam januæ essent clausæ: extraordinario quidem modo ingressus est, nullo hominum fores ipsi aperiente; non tamen per clausas fores corpore suo penetrasse dicitur: sed ipse virtute suâ divinâ eas aperiens sibi viam fecit. Pergunt. Evanuit Dominus Emmaunte ex oculis discipulorum suorum. *Luc.* XXIV. 31. Resp. Non quod corpus ipsius ab illis non recedens inconspicuum sit redditum: sed quia ipse subitò ex illorum conspectu fuerit sublatus, aut oculi eorum retenti, ut, quemadmodum antea ipsum non agnoverant, ita nunc discedentem non animadverterint.

Resurrectionis Domini usus.

XII. Usus resurrectionis Dominicæ varii sunt. 1. Gloria Dei, *Rom.* VI. 4. *Suscitatus est ad gloriam Dei Patris:* in ea enim ostendit Deus *supereminentem magnitudinem virtutis suæ*, *Eph.* 1. 9. quod potens sit etiam mortuos in vitam reducere. Unde & illius respectu Christus vocatur *potentia Dei*, 1 *Cor.* 1. 24. quatenus in Christo crucifixo, qui Judæis scandalum erat, suscitando potentiam suam ostendit. Resuscitationis autem ex mortuis negatio, potentiæ divinæ abnegatio est, dicente Domino Sadducæis, *Matth.* XXII. 29. *Erratis, nescientes Scripturas & potentiam Dei* Hinc Ethnici resurrectionem incredibilem judicantes, *Actor.* XVII. 32. etiam Diis suis potentiam omnia faciendi attribuere non potuerunt. II. Demonstratio Christum à Deo esse missum, doctrinamque ipsius divinam. Signum enim rogatus divinæ suæ missionis, non aliud quàm hoc dedit, *Matth.* XII. 38. *Joan.* II. 18. *& seqq.* Atqui impossibile est, Deique sanctitati ac rectitudini adversum, ut Deus impostorem, se à Deo missum falsò jactantem, & in missionis suæ comprobationem ad sui resurrectionem provocantem, signo adeo illustri honorare voluerit: quid enim id fuisset aliud, quàm illi apud homines auctoritatem conciliare, seductionemque hominibus inevitabilem reddere? Unde & *Rom.* 1. 4. *definitus* dicitur *Filius Dei per Spiritum sanctificationis*

cationis . ex resurrectione mortuorum : quia Deus ipsum suscitando, eum sanctificavit, hoc est, segregavit ab omnibus falsis prophetis, & evidentissimo hoc signo demonstravit suum esse Filium, qui fidelissimè voluntatem suam mundo patefecerit. III. Confirmatio specialis articuli de resurrectione mortuorum : quia enim tota ejus doctrina, ut divina, per resurrectionem ejus est comprobata; etiam specialis de resurrectione mortuorum articulus, qui doctrinæ ipsius præcipuum promissum est, comprobatus est : *Joan.* VI. 39, 40. XIV. 2, 3. Tum & Deus ipsum resuscitando speciale promissorum suorum pignus dedit, cui absque dubitatione inniti possemus. Suscitavit enim Jesum ut primogenitum ex mortuis, ut caput ac ducem nostrum, in cujus membris quod in capite inchoatum est perfecturus est : *Rom.* VIII. 11. 1 *Thess.* IV. 14. speciatim 1 *Corinth.* XV. *toto*, ubi Apostolus eam inter Christi Domini, & nostram resurrectionem esse connexionem docet, ut si quis affirmet Christum resurrexisse, & nos resurrecturos affirmare debeat; aut si nos resurrecturos neget, etiam Christum resurrexisse negare debeat. IV. Ut pateret mortem ab ipso devictam, atque ita peccata nostra per ipsum plenissimè expiata : 1 *Corinth.* XV. 17. *Si Christus non resurrexerit, adhuc estis in peccatis vestris, & quotquot in Christo obdormierunt perierunt.* Unde *Rom.* IV. 25. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* V. Resurrectio nostra spiritualis ex morte peccati in vitam novam ac spiritualem; 1 *Pet.* I. 3. *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Christi ex mortuis.* Estque consequens præcedentium: quia enim resurrectio Christi nostræ resurrectionis, si in novitate vitæ ambulemus, irrefragabile est documentum; etiam ad vitæ sanctitatem nos validissimè excitat, ut ita resurrectionem illam beatam consequamur. Quin & typus illius est, quo elegantissimè adumbratur; *Rom.* VI. 3, 4, 5. *Coloss.* III. 1, 2. Et ob omnes illos usus resurrectioni, seu potius fidei de resurrectione Christi, Apostolus salutem adscribit, *Rom.* X. 9. *Si ore tuo confessus fueris Dominum Jesum, corde autem credideris quod Deus ipsum suscitaverit ex mortuis, salvus eris.* Ideoque & semper nos illius meminisse vult, 2 *Tim.* II. 8.

Adscensio in cœlum. XIII. Hæc de Resurrectione Jesu Christi. Secundus Exaltationis gradus est Adscensio in cœlum, facta quadragesimo post resurrectionem die, postquam aliquoties sese Apostolis ex morte redivivum ostenderat, cum ipsis ederat ac biberat, ac de regno cœlesti per ipsos erigendo mandata dederat, promissumque de Spiritu in ipsos effundendo renovaverat: ut ita ab ipsis iteratò discedens, & quidem non ad ipsos, quemadmodum ex morte, visibiliter rediturus, hoc illius discessu animi ipsorum non consternarentur, quasi jam spes regni dudum promissi collapsa esset; & ut promissum spiritus accipientes, inde cognoscerent ipsum esse regem, regnumque apud Deum obtinere; tandemque ab ipso, licet visibiliter non præsente, semper dependere, illique confidere discerent: ac proinde munus sibi demandatum fideliter exequerentur, certi ipsum in cœlo ac terra supremum obtinere dominatum.

XIV. Est ergo adscensio in cœlum motus localis vere ac propriè sic dictus, quo Dominus Jesus, relictâ terrâ, sublatus est in cœlum. *Quid illa sit.* Ita enim ubique adscensio ejus describitur, ut motum localem eâ denotari manifestum sit: sic *Marc.* XVI. 19. *Dominus postquam locutus est eis, assumtus est in cœlum.* *Luc.* XXIV. 51. *Et factum est cum benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* *Act.* I. 9. *Et cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est; & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Adeo ut hic, perinde ut in omni motu locali, duo sint termini considerandi, nim. à quo, & ad quem. Terminus à quo fuit terra, & quidem speciatim mons oliveti; quem Dominus eum in finem speciatim elegisse videtur, ut Apostoli, in locum editiorem educti, nullâ re impedirentur, quò minus ipsum in cœlum conspicerent adscendere. Terram itaque verè ac localiter Dominus deseruit. Sic *Joan.* XVI. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.* & *vers.* 7. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Sic & *cap.* XIV. 3. & *Hebr.* VIII. 4. Terminus ad quem Adscensionis Jesu Christi, est cœlum; non illud in quo aves volant, nec in quo astra micant; sed cœlum supremum, quod vocatur *tertium cœlum* & *paradisus Dei*, 2 *Cor.* XII. 2, 3, 4. *thronus Dei*, *Esa.* LXVI. 1. Hoc manifestè evincunt loca *Joan.* XIV. 2, 3. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, &c. *vado parare vobis locum*, &c. 1 *Pet.* III. 22. *Profectus in cœlum, subjectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.* *Coloss.* III. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

XV. Veritas hujus Adscensionis comprobatur testimonio duodecim Apostolorum, *Illius veritas.* qui omnes unanimiter eum in cœlum adscendentem conspexerunt: ita enim expressè dicitur *Act.* I. 9. *Videntibus illis elevatus est*: id est, non subitò, & in tempestate ut olim Elias; sed sensim, ita ut Apostoli ipsum adscendentem oculis suis conspexerint; ipsique adeo adscensionis testes omni exceptione majores essent, utpote testantes quod ipsi oculis suis, & quidem clare ac diu satis, viderant. Ideo etiam voluit Deus, ut

ut nube interveniente ab ipsorum adspectu separaretur. Non enim, uti quidam volunt, nubes ipsum in altum subvexit; transversim enim nubes aguntur, non sursum: sed corpore Christi in altum sublato donec commodè conspici posset, voluit Deus nubem intercedere, ne forte, corpore Christi ob nimiam elevationem ex oculis ipsorum evanescente, ipsi in suspicionem venirent, oculos suos non rectè videre, quid illi evenerit; atque ita incerti essent, quonam locorum id delatum esset.

Cur non sit facta videntibus Judæis. XVI. Quæri hic posset, cur Dominus Adscensionem suam in loco solitario Apostolis solis inspicientibus fieri voluerit: & non potius in urbe Hierosolymis, inspectantibus proceribus ac toto populo Judaico; qui exinde causam habuissent eum pro rege cœlesti recipiendi? Resp. Dominum Jesum procedere alio ac planè directè contrario modo, quàm reges mundani solent. Quicquid ad ipsorum gloriam ac majestatem facit coram omnibus ostentare, & buccinarum clangore promulgare solent: quæ vero majestati ipsorum adversantur quantum possunt tegunt. Dominus vero Jesus omnia contraria fecit. Pati ac crucifigi voluit publicè, omnibus inspectantibus, & quidem in ipso Paschatis festo, quo ex omnibus regionibus ac civitatibus ad Paschatis celebrationem Judæi Hierosolyma confluxerant: resurgens verò ex mortuis, non omni populo, sed testibus à se electis, sese ostendit, *Act.* x. 41. In monte Thabor glorificatus fuit tribus tantum Apostolis inspectantibus, illisque interdictum dedit, ne id cuiquam referrent, *Matth.* XVII. Effudit Spiritum Sanctum in Apostolos seorsim congregatos, totis Hierosolymis miraculi illius ignaris. *Act.* II. 3. *&c.* Nec divini hujus processus ratio obscura est. 1. Ut fidei locus esset, per quam Deus mundum ad salutem perducere cupiebat: visus enim cum fide consistere nequit; quia fides est actus obedientiæ à commandatus. 2. Posito, Judæi, Jesum in cœlos adscendere videntes, eum pro rege cœlesti recepissent, non fuisset illa receptio quà Deo placere potuissent; recepissent enim Dominum, quia eum regem esse vidissent: at dicit Dominus Thomæ, *beati qui non viderunt & crediderunt*, *Joan.* XX. 29. Tandem nec certum est, Judæos eum pro rege recepturos fuisse. Qui credere non vult, semper quod carpat obtendere potest, neque impietati deest prætextus etiam clarissima in dubium vocandi. Miracula Christi tam multa & excellentia, adeo ut Judæi dicerent; *Messias cum venerit, an plura faciet signa quàm hic? Joan.* VII. 31. tantum abest ut à Judæis recepta sint, ut ea dæmoniorum principi adscripserint. Milites, qui Angelum Christi sepulchrum aperientem conspexerant, & Pontifices, quibus id milites renuntiaverant, satis persuasi erant, corpus Christi ab ipsius discipulis furto non esse sublatum; nihilominus militibus persuaserunt, ut id sublatum esse mentirentur. Christo in cruce pendente, dicebant Scribæ, descendat ex cruce, & credemus in illum: interim majora illius signa videbant. & nihilominus in incredulitate perseverabant. Rectè itaque Dominus *Luc.* XVI. 31. ait: *si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*

XVII. Sed porrò quæri posset, cùm Apostoli Dominum non viderint in ipsum cœlum ingredientem, sed eum nubes ab ipsorum oculis separaverit: unde certi fuerint, & nos jam certi simus, ipsum verè in cœlum ingressum? Resp. 1. Ex duorum Angelorum testimonio, qui cum cœlesti gloriâ apparentes ipsum in cœlum receptum testati sunt, *Act.* I. 10, 11. 2. Ex Spiritus S. ncti in Apostolos effusione, juxta promissum Christi: *Act.* II. 1. *& seqq.* Inde enim manifestè colligere potuerunt, eum regnum in cœlis obtinere. 3. Conspectus est in cœlis Stephano *Act.* VII. 55, 56. & Paulo Damascum proficiscenti, *Act.* IX. 4, 5, 17. 1 *Corint.* XV. 8. 4. Quia Apostoli omnia, quæ fecerunt, miracula se in nomine Christi ex mortuis suscitati & in cœlis regnantis facere ajunt: unde dicitur Deus signis illis unà testimonium præbuisse, nimirum veritati annuntiationis ipsorum, *Hebr.* II. 4. *Illius veritas confirmatur.*

XVIII. Hæc ita satis clara videntur ex Scripturis. Verùm Lutherani per Adscensionem Christi in cœlum, non tam mutationem loci quàm status designari credunt. Volunt quippe Christi corpus per unionem hypostaticam ab initio ubique fuisse præsens, animamque Christi omnium plenariam habuisse cognitionem: sed humiliationis Christi tempore omnes hasce eximias tam corporis quàm animæ qualitates fuisse occultatas, quoniam tum Christus servi formam assumsit, non aliter ac principis filius plebeji cujusdam vestibus tectus: sed cùm ex mortuis resurgeret & glorificaretur, hæc eximia dona rursus apparuisse, adeo ut Christus tunc corpus suum rursus ostenderit, prout antea fuerat, ubique præsens: illamque status mutationem adscensione Christi in cœlum designari. Verùm sententia hæc omnibus illis Scripturæ locis, quibus localem Christi in cœlos adscensum probavimus, validissimè destruitur; ac præcipuè verbis Angelorum *Act.* I. 11. *Hic Jesus, qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quæ verba, sicut corporalem Christi è cœlo in terram adventum prædicant; ita etiam localem à terra discessum, non tantum in locum ubi nubes eum suscepit, quousque Lutherani localem adscensum haud illubentes admittunt, sed in ipsum usque cœlum, ex- *Non est sola status mutatio.*

fertè asserunt. Hisce adda verba Petri *Act.* I. 1. 21. *Quem oportet cœlum capere usque ad tempora restitutionis omnium.* Verum est, verborum illorum constructionem esse ambiguam, & tam posse accipi, ut Christus capiat cœlum, quàm ut Christus capiatur à cœlo: sed res ipsa satis docet, posteriore sensu ea accipienda esse; non tantum quia mysterium est incredibile & rationi rectæ repugnans, Christum corpore suo cœlum capere; sed & quia Petrus expressè restrictionem illam addit, *usque ad tempora restitutionis omnium*; id est, usque ad diem illum magnum, quo Christus omnia, quæ in hoc mundo confusa nulloque ordine volvi videntur, restituet, singulisque locum debitum assignabit; id est, usque ad ultimum judicii diem; tum enim Christus visibiliter è cœlis rediturus est, uti Angeli dicunt *Act.* I. 11. & passim alibi docetur. Si verò accipiantur sensu priore, restrictio illa non tantum supervacanea, sed & falsa erit; quia, secundum illum, Christus cœlum capit in omnem æternitatem. Tum ipse adscensus è terra in cœlum, quem antea ex Scriptura descripsimus, manifestè motum localem arguit. Sed dicunt, cœlum est ubique: ergo adscensio in cœlum non motum localem, sed status mutationem denotat. Resp. 1. Quis ipsis concedet cœlum ubique esse? Imo id quàm maximè est absurdum. Si enim cœlum ubique est, etiam est in inferno; atque ita Christus in infernum descendens, etiam in cœlum descenderit; ac sic porro ex descensu Christi ad infernum extruetur ejus adscensio in cœlum.

Diluitur objectio prima ex Matth. XXVIII. 20.

XIX. Sed pro sua sententia objiciunt primò. Christum dicere *Matth.* XXVIII. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi:* & *Matth.* XVIII. 20. *Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Resp. Illis in locis non agitur de præsentia corporis, quæ visibilis est: sed de præsentia spiritus, quo Dominus Apostolos ad muneris sui exsecutionem non tantum instruit, & aptos reddit; sed & incitat, protegit, defendit, & adversus omnia obstacula securos facit; quoque omnibus sincerè in nomine suo congregatis præsens est.

Secunda, ex Eph. IV. 10.

XX. Secundò. Objiciunt *Eph.* IV. 10. *Qui descendit, ipse est qui adscendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Resp. Ipse textus, ejusque cum antecedentibus & consequentibus connexio, docet, non agi de impletione corporali, quâ Dominus corpore suo omnia implet: sed de impletione spirituali, qua nim: Ecclesiam Spiritus Sancti donis implet: quod arguit *vers.* 8. præcedens: *Adscendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dona dedit hominibus*; & versus immediatè sequentes, in quibus docetur, Dominum varios ministros, Apostolos, Prophetas, &c. misisse ad ædificationem Ecclesiæ; quos donis Spiritus implendo misit. Et hunc in finem in cœlum ipsum adscendere oportuit; non enim alias Spiritum mittere potuisset, uti docetur *Joan.* VII. 39. XVI. 7. non autem ut omnia corpore suo impleret: quid enim huc conferebat adscensio supra omnes cœlos? sufficiebat solummodo sese quaquaversum in immensum diffundere.

Tertia.

XXI. Addunt. Si Christus est in certo quodam cœli loco, non erit omnibus invocantibus sursum, illis nempe qui in alia parte terræ convexæ habitant, nec omnibus faciem advertet: quod quammaximè absurdum. Resp. 1. Non dicimus Christum Jesum certo cœli loco alligatum, ita ut exinde discedere nequeat. 2. Quoniam terra est centrum, Christus in cœlo existens omnibus ubicunque terrarum degentibus est sursum. 3. Ubique & semper potest exaudire preces nostras, licet faciem suam directè ad nos non convertat. Locutio illa est metaphorica, desumta ab hominibus, qui prono affectu preces cujusquam exaudire cupientes faciem illi advertere solent: Scriptura ergo, Dei erga timentes se propensum favorem designare cupiens, figuratâ locutione Deum faciem illis advertere dicit.

Quarta.

XXII. Tandem quidam eò absurditatis deveniunt, ut dicant cœlum illud supremum, quod supra cœlum stellatum esse dicimus, tam immenso spatio juxta Astronomorum calculos à nobis esse dissitum, ut Dominus Jesus continuo velocissimè adscendendo, brevi adeo spatio, imo secundum quorundam calculum nondum, eò potuerit pervenire: unde concludunt, quicquid de cœlo illo supremo dicitur, merum ingenii humani commentum esse. Resp. Sed verò quis non videt istiusmodi argutias tandem in Religionis Christianæ ac Scripturæ Sacræ contemtum ac ludibrium desituras, atheisque ac profanis hominibus creationis historiam cavillandi ansam præbere? Sane suppositâ Scripturæ Sacræ auctoritate ejusmodi objectio sponte evanescit: Deus enim unico momento cœlum creavit, & in immensam istam amplitudinem expandit. Sed & ratio illius vanitatem demonstrat. Viginti enim quatuor horarum spatio, juxta communem astronomorum sententiam, tota illa cœli machina circumvolvitur: sol unico momento radios suos ad terram usque ejaculatur: quid ni & Deo omnipotenti facile sit Christi corpus unico momento è terris ad cœlum usque supremum evehere? Apage ineptas ac profanas ejusmodi cavillationes.

Ejus causa efficiens.

XXIII. Causa efficiens adscensionis Jesu Christi fuit Deus Pater: is enim Christum Filium exaltasse, & quidem dextrâ suâ, passim dicitur: *Act.* II. 32, 33. *Hunc Jesum suscitavit Deus*, &c. *Dextra igitur Dei exaltatus*, &c. Et *cap.* V. 30, 31. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum*, &c. *hunc principem*

pem & Salvatorem Deus exaltavit dextrâ suâ, &c. *Ephes.* I. 19, 20, 21, 22. *Phil.* II. 9, 10. Quibus posterioribus locis, non tantum Christum à Deo Patre in cœlum evectum docetur, sed etiam omnem illi dominatum & potestatem esse traditam; adeo ut Pater eum in Majestatis suæ solium, ut ita dicam, collocaverit, omnique honore & gloria coronaverit, imperiumque dederit in omnia.

Fines, vel respiciunt Christum solum. XXIV. Fines adscensionis Jesu Christi diversi fuerunt. Quidam respiciunt ipsum Jesum Christum; quidam nos. Qui respiciunt Christum, vel respiciunt ipsum solum, vel propter nos seu nostri causa. Finis adscensionis Jesu Christi ipsum solum respiciens, fuit, ut Pater Christum, qui se per omnia obedientem exhibuerat, introduceret in gloriam, & tanquam legatum munere suo fideliter functum, honore ac majestate in cœlesti suo palatio remuneraretur: *Luc.* XXIV. 26. *Nonne oportuit hæc Christum pati, atque ita intrare in gloriam suam? Phil.* II. 8, 9. *Quia Patri obediens fuit ad mortem, & mortem quidem crucis, ideo Pater eum superexaltavit, & dedit illi nomen supra omne nomen.* Adde *Hebr.* XII. I, 2.

Vel Christum propter nos. XXV. Fines, qui Christum respiciunt nostri causâ, sunt I. Ut esset Mediator noster, quo intercedente ad Deum accedamus. Novimus summam Dei majestatem, coram qua Angeli & Seraphim faciem abscondunt; & nostram vilitatem, qui non tantum pulvis & umbra sumus, sed & peccatores iram divinam commeriti. Ne itaque majestas divina nos terreat, aut ira perdat, cœlum tanquam solium tradidit Filio suo Jesu Christo, nobis per omnia simili, carni de carne nostra, & ossi de ossibus nostris, ut per illum ad Deum accedamus; & quotiescunque cœlum intuemur, cogitemus eum, qui illic imperium obtinet, fratrem nostrum esse nobis per omnia factum similem, ut cum fiducia accessum ad thronum gratiæ ejus habeamus. Quod nobis præstat tanquam Sacerdos, & tanquam Rex. Neutrum autem præstare potuisset, nisi in cœlum sublatus. Ut Pontifex enim pro nobis comparere debebat in cœlo coram Patre, ut se ipsum Patri pro nobis offerret; perinde uti olim Pontifex cum sanguine victimarum ingrediebatur in Sanctum Sanctorum: *Hebr.* IX. 24. *Non in manufacta Sancta Christus intravit, figuras verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et *Cap.* VIII. 4. *Si esset super terram, nec foret Sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & umbræ serviunt cœlestium.* Et 1 *Joan.* II. 1 *Si quis peccavit, habemus advocatum apud Patrem, Jesum Christum justum.* Ut Rex cœlum adscendere debuit; qui enim Dei nomine imperium in omnia exerciturus est, etiam solium divinum conscendere debuit, indeque sceptrum suum extendere in omnia. Hinc 1 *Pet.* III. 22. dicitur, quod sit *in dextra Dei, profectus in cœlum, subjectis ipsi angelis, ac potestatibus, ac virtutibus.* II. Ut è cœlo super Apostolos mitteret Spiritum Sanctum, quem, nisi in cœlum adscendisset, mittere non potuisset: *Joan.* VII. 39. *Nondum erat Spiritus Sanctus*, sc. in quemquam effusus, *quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et *cap.* XVI. 7. *Veritatem dico vobis, expedit vobis ut abeam; si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Vel nos solos. XXVI. Finis adscensionis Jesu Christi nos respiciens, est confirmatio de veritate nostræ adscensionis, ac felicitatis cœlestis, si nos fideles ipsius ministros ac discipulos præstiterimus: *Joan.* XIV. 2, 3. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; sin minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Et *cap.* XII. 27. *Ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Hinc in precatione sua dicit *Joan.* XVII. 24. *Pater quos mihi dedisti volo ut ubi sum ego & illi sint mecum; ut videant gloriam meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me, ante constitutionem mundi.* Unde & Paulus de ea, tanquam de re præsenti loquitur, *Eph.* II. 5, 6. non tantum quòd Deus nos *unà resuscitavit*, sed & *considere fecit in cœlestibus in Christo.* Unde colligimus, felicitatis nostræ locum non esse terram hanc perituram, uti describitur 1 *Joan.* II. 17. & 2 *Petr.* III. 10. sed cœlum supremum & incorruptibile, in quod Christus assumtus est. Utque sedem illam tandem obtineamus, animus à mundi rerumque visibilium amore est abstrahendus, & in cœlum attollendus: mente nunc comtemplari oportet locum, quò rex noster præcessit, ut olim ipsum corpore insequentes, ipsi conjungamur; perinde uti ministri ac aulici, rege iter aliquod aggrediente, totâ mente eò contendunt, omnibusque sepositis, se unà cum rege itineri accingunt. *Coloss.* III. 1, 2. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, &c. *Phil.* III. 20, 21. *Nostra conversatio in cœlis est; unde etiam exspectamus Salvatorem Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori ipsius glorioso.*

Sessio ad dextram Patris. XXVII. Tertius Exaltationis Jesu Christi gradus, est Sessio ad dextram Dei Patris: *Eph.* I. 20. *Coloss.* III. 1. *Hebr.* I. 3. VIII. 1. Quæ phrasis desumta est ex *Psal.* CX. 1. ubi de Christo dicitur, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quid autem hac phrasi denotetur, propius paulò inquirendum est. Quidam, Judaico potius quàm Christiano spiritu

tu ducti, unde & Semijudaizantes appellari solent, Christi imperium, quod nunc in omnia exercet, denegantes, ex proprietate vocis *sedendi* argumentum ducentes, volunt Christum nunc otiosum spectatorem agere, & imperium ejus demum inchoandum, postquam Deus omnes inimicos ejus, qui nunc regno ejus adversantur, & Antichristum, qui in domo ejus sedet, aboleverit: adeo ut effati hujus divini sensus sit; Quiesce, innixus dextræ & potentiæ meæ; quia ego pro te omnes inimicos sum profligaturus. Ne jam sententiam illam plenius refutemus, quod commodius fiet, cùm de regno Christi dicturi sumus, solummodò dicimus, quod phraseos hujus explicationem attinet, licet *sedere* includat quietem, nunquam tamen *sedere ad dextram* sumi pro quiescere; sed semper honorem aliquem ac majestatem denotat: uti mox ostendemus. Deinde, ipse Psalmus contrarium docet: quia *vers.* 2. dicitur, *dominare in medio inimicorum tuorum*. Quin in toto illo Psalmo dicitur contra gentes præliaturus iisque dominaturus: Ergo *sede à dextris* &c. tantumdem est, ac regna mecum super populo.

Non significat ubiquitatem carnis Christi.

XXVIII. Lutherani quidam, considerantes quod dextra Dei ejus potentiam denotet, hac phrasi ejusmodi glorificationem intelligunt, qua Jesus Christus secundum carnem ubique præsens sit factus. Quia enim dextra seu potentia Dei ubique est; hinc & eum, qui a dextris Dei sedet, ubique esse debere contendunt. Cùm itaque Christus homo ad dextram Dei sedeat, eum etiam ut hominem seu secundum carnem ubique esse urgent. Dextram Dei nonnunquam Dei potentiam denotare, negari nequit: ita *Esa.* XLVIII. 13. *Manus mea fundavit terram, & dextra mea mensa est cœlos. Act.* II. 33. & V. 31. Christus *dextrâ*, id est potentiâ, *Dei* dicitur *exaltatus*. Sed exinde nullo modo concludi potest, quoniam dextra Dei est ubique, eum, qui à dextra Dei sedet, etiam ubique esse. Non enim unum idemque sunt, dextra Dei, & is qui à dextrâ Dei sedet. 2. Quoniam dextra Dei locum aut situm localem non significat, nulla cum specie ex sessione ad dextram Dei, seu ex glorificatione, quâ Christus particeps est factus potentiæ ac majestatis divinæ, naturæ ipsius humanæ ubiquitas seu omnipræsentia infertur. Sed dicunt, Si Christus secundum naturam suam humanam non sit ubique, dextra Dei alicubi erit, ubi non sit Christus. Resp. Nihil in eo esse absurdi, modò Christus nusquam sit, ubi non sit dextra Dei; ubicunque enim esse concipitur, semper ad Dei dextram erit.

Sed communem

XXIX. Itaque dicendum, phrasin hanc ab usu inter homines vulgari desumtam esse, uti familiare est sacris scriptoribus res divinas phrasibus à rebus humanis desumtis illustrare. Notum est, latus hominis dextrum, si duo tantum sint, esse honoratius; si tres, locum honoratissimum esse in medio. Locus autem regis, ubicunque sedeat, est honoratissimus; locus à dextris regis, dignitati regiæ est proximus; & licet inter æquales locus dexter sit honoratior, tamen id in rege locum non habet: ille enim, ubicunque sedet, loco summum confert honorem; regiique thronus in palatio ipsius locus est honoratissimus: locus ipsi proximus, honorem dignitati regiæ proximum confert: & quia dexter honoratior est sinistro, hinc qui regi immediatè à dextris sedet, locum occupat inter omnes honoratissimum. Sic legimus 1. *Reg.* II. 19. Salomonem matri suæ ad se accedenti collocari jussisse thronum ad dextram suam: non ut se matri subjiceret, sed ut matri locum suo throno proximè accedentem, reliquosque locos gloriâ excedentem, concederet. Sessio autem ad dextram regis non tantum gloriam & honorem, sed & regiæ potestatis imperiique comprehendit participationem. Sic mater filiorum Zebedæi *Matth.* XX. 20. orat Dominum Jesum, ut quando in regnum suum venerit, *alter filiorum* suorum *ipsi sedeat à dextris, alter à sinistris*: quâ petitione summam filiis suis dignitatem supra reliquos Apostolos postulavit, utpote qui utrumque locum juxta Christum honoratissimum occupaturi essent. Quem petitionis hujus sensum fuisse arguit indignatio & contentio Apostolorum mox secuta. Domino autem Jesu imperium & majestatem tributam esse, arguit locus *Eph.* I. 20, 21. ubi Deus dicitur Christum *constituisse ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem*, &c. 1 *Pet.* III. 22. dicitur Christus *profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus & virtutibus*. Unde & *Act.* VII. 55. Stephanus mox moriturus vidit Dominum Jesum cum gloria *stantem à dextris Dei*, quasi paratum, potentiâque armatum ad opem ferendum. Sed de hisce latius, quando de munere Christi regio dicturi sumus.

nem imperii & dignitatis.

CAPUT XV.

De Munere Christi Prophetico, illiusque Impositione.

Triplex Christi munus.

I. Restat quartum tractationis nostræ membrum, opus ipsum redemtionis: quod quoniam Dominus Jesus muneris sui administratione perfecit, officium ejus mediatorium jam considerandum venit. Officium hoc, pro ratione multiplicis miseriæ, quâ genus humanum immersum fuit, varios in se complectitur actus, quorum ratione

ne triplex illi adscribitur munus; Propheticum, Sacerdotale, ac Regium. Miseria nempe generi humano incumbens fuit, uti ante diximus, peccati dominium, & mors æterna. Peccati dominium destruxit per munus Propheticum: mortem æternam per Sacerdotale; eo nim: & peccati reatum delevit, & nos à crimine absolvit. Utrumque sustulit per munus Regium; nam & sanctitatis regulas præscribit, & viribus ac donis Spiritus nos instruit: quibus omnibus peccati illecebris & diaboli tentationibus resistamus; & virtute suâ omnipotente nos actu à mortis vinculis vindicat, & in statum felicitatis transfert. Quanquam nec Sacerdotium à liberatione è peccati dominio excludatur; seipsum enim pro nobis ut victimam piacularem offerendo, etiam à peccati dominio nos redimit: ut in sequentibus fusius ostendetur.

Propheticum illius impositio.

II. Ut ergo officium hoc mediatorium plenè explicemus, à munere Christi Prophetico initium faciemus. Duo nobis in eo consideranda veniunt: Muneris illius Impositio, & Functio. Ad Impositionem quod attinet, in ea consideranda est, personæ Jesu Christi ad munus illud præparatio, & ejusdem divina missio.

In hac videnda, 1. Præparatio.

III. In præparatione unicum hoc considerandum est, quomodo de voluntate Dei edoctus, donisque ad munus hoc aptè obeundum instructus sit. Huc referri potest, quòd non tantum è Spiritu Sancto sit conceptus, atque hac ratione à primo vitæ suæ momento fuerit sanctificatus ac segregatus à reliquis hominibus; sed & quod Spiritus ille semper ipsi inhabitaverit, qui sapientiâ & scientiâ ipsum instruxit: *Luc.* II. 40. *Puer autem* (Jesus) *crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo*: cujus indicium illustre patuit anno ætatis ipsius duodecimo, *Luc.* II. 46, 47. Hinc & spiritus, quo donatus fuit, vocatur spiritus *scientiæ & sapientiæ*, *Esa.* XI. 1, 2. Passimque ipsi plena voluntatis divinæ cognitio tribuitur; quam adeptus est non per imagines, visiones, aut somnia, uti reliqui prophetæ; neque per angeli, Dei nomine loquentis, alloquium, ut Moses; sed per immediatam Dei Patris revelationem: *Joan.* I. 18. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ipse eum nobis enarravit. Matth.* XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* Maximè autem omnium huc referenda est plenaria illa Spiritus Sancti effusio in baptismo, cum Spiritus corporali specie instar columbæ in ipsum descendit, *Matth.* III. 16. Hinc dicitur *Joan.* III. 34. *Non ad mensuram Deus illi dat spiritum.* & *cap.* I. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Adeo ut plenissimè de Patris sui voluntate instructus sit.

Non fuit receptus in cœlum, ante inchoationem muneris.

IV. Quæritur hic, an Jesus Christus in coelum ad Patrem suum fuerit receptus, cum eo familiariter fuerit versatus, ibique de voluntate Patris plenissimè instructus, antequam ad Euangelium annuntiandum in mundum mitteretur? Resp. Sententia hæc, licet in se spectata pia sit, & ad gloriam Domini Jesu faciat, mihi tamen neutiquam est verisimilis: quoniam ab Euangelistis in historia vitæ Jesu Christi nusquam narratur. Credibile autem neutiquam est, Euangelistas, qui res cum hac neutiquam conferendas de Jesu Christo exactè enarrant, negotium tanti momenti, quod vel maximè ad gloriam Jesu Christi, doctrinæque ipsius divinitatem confirmandum faciebat, silentio fuisse prætermissuros. Fatemur quidem, nihil referre, quo loco quid dicatur, aut ubi ac quando contigerit nusquam declaretur, modò clarè ac perspicuè, verbis propriis nullamque aliam significationem admittentibus, alicubi enarretur; uti quod Paulus de se dicit, sese in tertium usque cœlum fuisse raptum, 2 *Cor.* XII. 2. Sed alia longè ratio est, quando res gesta in narratione historiæ nusquam memoratur, eademque ex obscuris quibusdam verbis, occasione longè aliâ prolatis, quæque sensu alio commodissimè explicari possunt, eruitur. Quod hîc locum habere, textus, quibus communiter adstrui solet, abundè nos docent. Citari hunc in finem solent verba quædam Salvatoris, in sermonibus, quos cum Judæis aut discipulis habuit, prolata; ut *Joan.* III. 13. *Nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est* (seu, ut illi legunt, *qui erat*) *in cœlo.* VI. 38. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam*, &c. & *vers.* 62, 63. *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis adscendentem ubi erat prius?* XVI. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Sed nullo eorum sententia hæc solidè adstrui potest. Nam qui arcana coeli penetrat, *in cœlum adscendere* dicitur: *Prov.* XXX. 3, 4. *Non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum. Quis adscendit in cœlum atque descendit?* &c. *De cœlo* autem *descendere*, quicquid speciali Dei dono nobis est concessum. Sic *Joan.* VI. 58. *Hic est panis qui de cœlo descendit. Jacob.* I. 17. *Omne bonum donum desursum est, descendens à Patre luminum.* III. 15. *Non est ista sapientia desursum descendens*; & *vers.* 17. Hoc sensu quærit Dominus ex Pharisæis de baptismo Joannis, *an è cœlo esset, an ex hominibus*, *Matth.* XXI. 25. & *Apoc.* III. 12. *nova Jerusalem è cœlo descendere* dicitur à *Deo.* Et quod attinet *Joan.* VI 63. Filius hominis rectè dici potest prius fuisse apud Patrem, cùm per decretum Patris destinatus fuit in mundi Salvatorem, non minore certè jure, quàm secundum ipsos sermo erat apud Deum, cùm soli Deo cognitus esset: præsertim cùm toto hoc capite Dominus figuratâ oratione utatur.

Tentatio. V. Ad præparationem hanc etiam referri potest tentatio Christi per diabolum, statim post baptismum facta: ut Christus ipso experimento disceret, summam illius quo donatus erat Spiritus potentiam ac virtutem, ad omnibus diaboli tentationibus resistendum: ut ita, spiritus hujus virtute sufficienter explorata, majore cum alacritate munus suum inchoaret & exequeretur.

2. Missio. Hanc comprobat Scriptura. VI. Missionem Christi ad Propheticum munus comprobant, primò, varia Scripturæ Sacræ loca. Ipse Dominus se à Patre missum aliquoties testatur: *Joan.* XII. 49. *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* XX. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, Et Apostolus, *Rom.* VIII. 3. *Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati*, &c. *Gal.* IV. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, &c.

Inauguratio in baptismo. VII. Secundò: Inauguratio Christi, facta in baptismo. Voluit quippe Deus Filium suum à Joanne per solennem illam ceremoniam, ut visibilem ac externum actum, muneri suo inaugurari: perinde uti olim oleo Reges ac Sacerdotes, & nonnunquam Prophetas, quos ordinarios ac continuos populo suo destinaverat doctores, inaugurari voluit. Inde est, quod Jesus baptismum suscipiens Joanni dixerit, *ita oportet nos implere omnem justitiam*; id est, omnia quæ Deus (cujus mandata quia justa sunt *justitiæ* vel *justificationes* vocantur) præcepit, ac se velle testatus est. Aliàs videri posset baptismus Joannis Christo non convenire, quia est baptismus resipiscentiæ in remissionem peccatorum: sed tamen & rationes erant, cur baptismum susciperet; ut ita Joannis divinam missionem exemplo suo comprobaret, ipseque à Joanne præcursore, cujus tunc munus exspirabat, initiaretur. Præcipué verò inauguratio illa facta est, Jesu post baptismum ex aquis egrediente; cùm non tantum Spiritus visibili specie in illum descendit, quæ unctio propriè fuit, unctioni sub Veteri Testamento oleo factæ respondens; sed & Deus vocem è cœlo addidit, *Hic est Filius meus dilectus*, scilicet, ille dudum promissus; *in quo complacui*; cui omne beneplacitum meum aperui, quique voluntatem meam bonam, perfectam & beneplacentem, uti vocatur *Rom.* XII. mundo anuntiaturus est: & additur *Matth.* XVII. 5. in transfiguratione, *Hunc audite.* Huc etiam referri potest *Joan.* XII. 28. cum Dominus oraret, *Pater clarifica nomen tuum*; quod vox è cœlo venerit, *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Illa enim voce munus Christi esse confirmatum, liquet ex verbis Domini ad turbam *vers.* 30. *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.*

Testimonium Joannis. VIII. Tertiò. Hisce accedit illustre testimonium Joannis Baptistæ, cujus excellentiam antea descripsimus, cujusque testimonium apud Judæos, qui ipsum habebant pro Propheta, magni esse momenti debuit. Unde & Dominus ad illud provocat *Joan.* V. 33. *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati.* Dices: Attamen Dominus mox addit, *Ego ab homine testimonium non accipio.* Resp. Sequentia docent, non esse orationem absolutam, sed comparatam; testimonium nempe Joannis esse minoris ponderis, quàm miracula quæ à Patre acceperit: addit enim *vers.* 36. *Ego testimonium habeo majus Joanne.* Vel si sit oratio absoluta οὐ λαμβάνω, perinde ut *vers.* 41. & 44. significabit, *non capto, non requiro*; quasi mihi opus sit testimonio hominis cujuscunque: Patris mei testimonium missionis meæ divinæ abundè sufficiens est documentum.

Miracula. IX. Quartò. Tandem potentia miracula faciendi, quâ Deus Jesum Christum tanquam literis fiduciariis, quibus Reges legatos solent, instruxit, quibus missionem suam divinam comprobaret. Sic *Joan.* V. 36. *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Et *cap.* X 37, 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Unde Nicodemus dicebat *Joan.* III. 2. *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Sed de miraculis fusius dicemus, cùm de confirmatione doctrinæ Domini acturi sumus.

CAPUT XVI.

De Functione muneris Prophetici, seu, Doctrinæ Euangelicæ annuntiatione, &c.

Functio. I. FUnctio muneris Christi Prophetici potissimum annuntiatione doctrinæ absolvitur, adeo ut illa præcipua illius pars sit; cui tamen aliæ functiones, Prophetis usitatæ, adhærent. In functione duo hæc distinctè considerabimus. 1. Doctrinæ Euangelicæ annuntiationem, & quæ illi adhærent. 2. Doctrinæ illius confirmationem. In primo duo rursus expendemus: 1. Ipsam doctrinam. 2. Illius proponendi modum.

Est annuntiatio Euangelii. II. Quod itaque muneris Prophetici functiones attinet, prima illarum ac præcipua est, annuntiatio Euangelii. Potest autem doctrina Euangelica dupliciter considerari; vel quatenus eam Dominus Jesus in terris versans ipse prædicavit; vel quatenus eam post adscensionem in cœlum per Spiritum suum in Apostolos effusum porro prædicari curavit.

curavit. Quæ posterior consideratio licet magis ad Regium ipsius munus referenda sit, priorque propriè munus Propheticum concernat; tamen nos, ne in tautologiam incidamus, doctrinam Euangelii integram, prout non tantum à Domino ipso inter Judæos, sed & ab Apostolis inter omnes gentes prædicata est, considerabimus.

Quid sit Euangelium.

III. Est itaque doctrina Euangelii revelatio ultimæ ac perfectissimæ voluntatis divinæ, de æterna hominum salute, ac modo eam consequendi. Unde liquet, eam, perinde uti omnia quæ Deus cum hominibus erexit fœdera, duobus constare membris; præceptis nimirum, quorum obedientiam Deus exigit, & promissis.

Continet etiam præcepta propriè dicta.

IV. Antequam præceptorum naturam explicemus, expedienda est quæstio, utrum Christus sub Novo Testamento præcepta dederit propriè dicta, quorum obedientiam sub conditione promissæ salutis ab hominibus exigit. Contraremonstrantes Christum in munere suo mediatorio vix aliter quàm Sacerdotem considerantes, qui plenè Deo Patri pro omnibus electorum peccatis satisfecit, eorumque loco legem implevit, negant Euangelium continere præcepta propriè dicta, sed constare solis promissis: præcepta, quæ in eo occurrunt, esse solummodò repetita ex Lege, quorum obedientiam non sub ratione legis, aut conditionis præstandæ ab electis Dominus exigit; sed in ipsis spiritus sui virtute efficit; adeo ut aliquid præcipiens, reverâ promittat quid ipse in electis effecturus sit. Verùm illa sententia omnem obedientiæ necessitatem penitus evertit, omneque studium sanctitatis exstinguit. Si enim Christus obedientiam propriè ab hominibus, ut consequendæ salutis conditionem, non exigit, sed ipse in iis efficere vult, quæ necessitas præstandi id quod Deus non exigit? quæ sollicitudo istud faciendi, quod ipse Deus se in homine effecturum promisit? Dices: Deus præceptis illis indicat, quodnam hominis officium sit; debitor autem est homo officii sui præstandi. Resp. 1. Esto, Deus quid officii nostri sit præceptis suis indicet, quando tamen ejus præstationem præcepto aliquo, cujus obedientiam postulat, à nobis non exigit, omnis officii præstandi necessitas collabitur. 2. Quando ipse Deus officii præstationem in homine efficere vult, quod homines debent, ipse solvit: atque ita officii præstandi sollicitudinem tollit.

Quod probatur.

V. Euangelium autem continere præcepta, patet ex variis. 1. Ipse Dominus *Matth.* V. præcepta sua proponens, aliquoties, postquam Legis Mosaicæ præcepta adduxit, sua illis præponens, dicit, *Ego vero dico vobis*: quæ loquendi ratio præcepta verè ac propriè dicta ab ipso esse data manifestè arguit. Sic & *Joan.* XIII. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, &c. *cap.* XV. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*: & *vers.* 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* & *vers.* 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* 2. Quia Dominus est rex; regis autem est, præcepta subditis suis præscribere: unde Dominus, tanquam rex in cœlum adscensurus, Apostolis suis mandat, non tantum ut gentes instituant & baptizent; sed & *doceant servare omnia quæcunque mandaverat* ipsis, *Matth.* XXVIII. 19.

Et plenius asseritur.

VI. Divellunt ergo illi, quæ conjuncta sunt. Habet Euangelium sua promissa, sed non sola, non absoluta, verùm conditionalia, quibusque obedientiæ conditio arctissimè est connexa. Vide *Joan.* III. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Rom.* VIII. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* Vide & *Gal.* VI. 7, 8. *Hebr.* XII. 14. 1 *Joan.* III. 7, 8.

Quomodo Christus sit legislator.

VII. Objiciunt. Atqui sic Jesus mutatur in Legislatorem, & Euangelium in Legem. Resp. Euangelium expressè vocatur *lex fidei, Rom.* III. 27. & *lex Christi, Gal.* VI. 2. & *perfecta lex libertatis, Jacob.* I. 25. Neque id in nobis carpant, quod stylum ac phrasiologiam Scripturæ imitemur, præsertim cùm & inter ipsos non desint, qui Christum expressè Legislatorem vocant. Ita Gallica precum formula eum *Legislatorem & regem nostrum* appellat. *Aretius Problem. Theol. Loc.* LI. *de Jejunio Quadragesimæ. Ne in hoc Judæi pertinaces præferrent legem suam, placuit Deo Patri novum illum Legislatorem Christum non minus quàm Mosen jejunare.* Et Bochartus Hieroz. part. I. lib. II. cap. L. de agno Paschali, No. VII. *Debuit etiam agnus totus comedi, ita ut nihil esset residuum.* Exod. XII. 10. *Neque enim sufficit illum ex parte comedere; ut si quis Christi gloria frui velit, nec passionum ejus esse particeps; aut illum habere pro Redemtore, non pro Legislatore & Domino.*

Explicatio Joan. I. 17.

VIII. Dices. Attamen dicitur *Joan.* I. 17. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Resp. In quavis lege duo sunt spectanda; præcepta ipsa, & modus quo exiguntur. Præcepta omni legi conveniunt. Modus variare potest. Vel enim præceptorum observatio rigidè exigitur, absque ulla, graviorum saltem delictorum, conniventia, aut remissione; vel secundum æquitatem, perinde uti pater agere solet cum filio, uti dicitur *Psalm.* CIII. 13. In Lege rigor obtinuit: obedientia aliquatenus erat proportionata promissis expressè & secundum literam Legi annexis, neque tanta erat donorum spiritus divini

divini copia, quin hominis ipsius industria ac labor plurimum ad obedientiam requisita fuerit: unde & opera propriè vocantur, quasi labore ac diligentiâ humanâ maxima cum molestia præstita. Transgressoribus, præsertim gravia committentibus, pœna mortis absque ulla gratia erat denuntiata, *Deuter.* XXV. 1. 26. *Gal.* III. 10. *Hebr.* II. 2. X. 28. Eoque respectu Lex propriè ac strictè est dicta; Legis quippe est obedientiam strictè exigere, & delinquentem punire. Æquitas autem & ἐπιείκεια locum habet sub Euangelio: Euangelii quippe postulatum est resipiscentia, quæ præcedaneam transgressionem præsupponit, & resipiscentibus pollicetur remissionem peccatorum: *Luc.* XXIV. 47. *Act.* X. 11. 38, 39. quam etiam post acceptam gratiam lapsis, sese que sincerè denuo ad Deum convertentibus, applicandam, docent nos exempla Petri Christum abnegantis, *Matth.* XXVI. 69. *& seqq. coll. cum Joan.* XXI. 15. *& seqq.* incestuosi, *1 Cor.* V. 1. *& seqq. coll. cum* 2 *Cor.* II. 6, 7, 8. & Ecclesiarum Asiæ, *Apoc.* II. & III. Præterea tanta est promissorum Euangelii excellentia, tantaque donorum Spiritus Sancti copia, ut homo non tam proprio labore ac industria obedientiam ipse præstare, quàm Deus in ipso donorum excellentia ac promissorum magnitudine eam efficere jure dici possit; *ipse enim est qui in nobis operatur & velle & perficere, secundum beneplacitum suum, Philip.* II. 13. Hoc respectu Euangelium gratia vocatur, opponiturque Legi, non quatenus nos liberavit ab obligatione Deum colendi, seu præcepta legis, quatenus nos obligant, destruxit, sed quatenus Legis rigorem abolevit.

Ex Jerem. XXX. 31. *& seqq.* IX. Dices. Attamen dicitur *Jerem.* XXXI. 31. *& seqq.* quòd Deus cum fidelibus fœdus sit erecturus, non instar fœderis antiqui, Lege Mosis contenti; sed cujus hæc sit futura summa; *Dabo legem meam in visceribus eorum, in corde eorum scribam eam,* &c. Resp. Deus illis verbis non promittit, se in electorum cordibus obedientiam suorum mandatorum immediatè effecturum: sed tantis se populum beneficiis cumulaturum, ut eorum sensus legis divinæ amorem ipsorum cordibus inscripturus sit: quod ex verbis Dei *vers.* 34. clarissimè liquet: *Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum memor non ero amplius.* Deus ergo se leges cordibus eorum inscripturum dicit: non quia ipse immediatâ actione inscriptionem hanc peracturus est, uti aliàs ostendimus, sed quia magnitudine suorum beneficiorum homines est excitaturus, ut legem Dei accuratè scrutentur, & studiosè observent, atque ita quod Deus ab ipsis lege suâ exigit, promptè ac alacriter præstent. Ita ut merito concludamus, Dominum Jesum leges tulisse, præceptaque verè ac propriè sic dicta dedisse, eaque tanquam conditionem necessariò præstandam promissis suis adnexa voluisse.

X. Huic quæstioni alia adhæret; utrum Dominus Jesus novorum præceptorum additione Legem Mosis perfecerit; an verò Legem solummodò à corruptelis Pharisæorum vindicaverit? Socinus & qui cum se quuntur, non satis conveniens judicantes dignitati Jesu Christi, ipsum tantum constituere expositorem Legis, Mosen vero Legislatorem, cùm Moses tantum fuerit servus fidelis in domo Domini sui; Christus verò fuerit filius in domo suâ, *Hebr.* III. 5, 6. credunt, Dominum esum non tantum præceptorum Legis dilucidâ explicatione, sed & novorum præceptorum additione, qualia sunt, de uxore non dimittenda nisi ob causam adulterii, de juramento, de diligendis inimicis, de non amando mundo, de humilitate, abstinentia à rebus licitis, ut domesticis carnem, & aliorum vitemus scandalum, malorum propter justitiam tolerantiâ, aliaque, Legem perfecisse. Contrarium monstrantes vero cum fœderis novi naturâ pugnare credunt, omnium Jesum constituere legislatorem, ac proinde nulla nova Legi perficiendæ præcepta addidisse, sed Legem tantum explicuisse, & à Pharisæorum corruptelis vindicasse volunt; ideoque & decalogum omnium Religionis Christianæ præceptorum summam, ad quam omnia referuntur, esse docent. *An D. Jesus novorum præceptorum additione Legem perfecerit;*

XI. Nos dissensum istum amicè componi posse credimus, si distinguamus inter sensum Legis literalem & mysticum; seu eum quem litera præcisè sumta indicat, & eum quem juxta ultimam Dei intentionem, licet claré non expressam, involvit. Legem si consideremus secundum literam, indubium est, quin Euangelium ipsam tam præceptorum perfectione quàm promissorum magnitudine antecellat. Præcepta quippe Legis plurimum erant ceremonialia: unde *lex carnalis mandati* vocatur, *Hebr.* VII. 16. & rudimenta tantum pietatis continere, *Coloss.* II. 20. *Gal.* IV. 1. *&c.* Euangelium paucissimas præscribit ceremonias, sed purgationi animi solummodò est intentum. Quod moralia Legis præcepta attinet, certum est Legem, ob duritiem cordis Judæorum, defectus aliquot permisisse, quos Euangelium sustulit; quales sunt, de dimissione uxoris ob quamcunque causam, *Matth.* V. 31, 32. XIX. 3. *& seq.* de vindicta ob injuriam illatam, *Matth.* V. 38. *& seqq.* aliaque: quin & præcepta, quæ nostri directionem mandant, nusquam in Lege expressa conspiciuntur. Eadem fuit sententia multorum Veterum. Irenæus lib. IV. cap. XXVI. pluribus allatis ex *Matth.* V. testimoniis docet, quod *Dominus Jesus legem in nobis adimplevit, extendit, & dilatavit*: idque *Ita, si literam Legis præcisè sumtam spectemus.*

que aliquoties in eodem capite repetit. Hilarius in Matth. Canon IV. explicans *Cap.* V. *Matth.* dicit de Domino Jesu: *Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere, ut non dissolveret eam; sed profectu potiore præcelleret.* Et mox. *Propositis igitur his, quæ in Lege præscripta sunt, profectu ea, non abolitione transgreditur.* Quod & totius Capitis explicatione ostendit. Chrysostomus verò Homil. XVI. in Matth. ad verſ. 17. *Cur hoc dixit?* (nempe Dominus Jesus, quòd venerit non ut solvat, sed impleat Legem) *Non simpliciter, nec vacuè, sed quia veteribus præceptis multo erat majora positurus, dicens: Audistis quia dictum est antiquis. Non occides: Ego autem dico vobis, etiam ab iracundia temperate, & divina quadam conversatione atque cœlesti iter secate vivendi. Quia ergo ista erat dicturus, ne ipsa novitas audientium corda turbaret, & adversus Domini præcepta quasi quandam cogitationum seditionem moveret, hac utitur præmunitione.* Et ibidem, postquam duos modos, quibus Christus Legem implevit, proposuit, ita sermonem continuat. *Si verò aliquis diligenter examinet, alium quoque tertium modum impletæ ab eo Legis inveniet. Quem verò istum? Per ipsa utique præcepta quæ erat daturus. Non enim interitus priorum, sed augmentum potius & complementum erant quæ dicebantur à Christo.* Quod porro collatione inter præcepta Legis & Christi prolixe confirmat. Similia habet Theophylactus in Matth. V. *Quin & alia ratione implevit Legem, hoc est, denuo implevit: quæcunque enim illa adumbravit, ea hic perfectè depinxit. Illa dixit, ne occidas: Hic verò dixit, ne temere irascaris.* Possem alios addere, verùm hi sufficiunt.

Quomodo Lex jubeat Deum diligere ex toto corde.

XII. Contra hanc nostram sententiam varia objiciuntur. Ae primo quidem; in Lege dicitur, *Diliges Deum tuum ex toto corde, totâ animâ, & omnibus viribus tuis, & proximum sicut te ipsum*: Major autem dilectio in Euangelio non exigitur. Resp. Ex generali præcepto, quod compendium ac summa est specialium, inferri nequit, eadem præcepta sub Lege olim viguisse, quæ nunc sunt tradita sub Euangelio; sed solummodò, modum obediendi similem olim fuisse exactum, illi qui nunc sub Euangelio exigitur. *Diligere* quippe *Deum* hic est, diligere Deum ut legislatorem: Dei autem ut legislatoris dilectio in mandatorum ejus observatione consistit; dicente Domino *Joan.* XIV. 21. *Qui præcepta mea habet, eaque observat, is est qui diligit me.* Quicumque ergo præceptis divinis obedit ex toto corde, etiam Deum ex toto corde diligit. Sed exinde non sequitur, quando Deus in Lege illum dilectionis modum exigit, eundemque postea in Euangelio præscribit, eum in Euangelio non perfectiora dedisse mandata, quàm in Lege; sed id ex præceptis specialibus, eorumque inter se comparatione, dignosci debet.

Explicatio Exod. XXIII. 4, 5.

XIII. Secundò objiciunt, quod perfecta charitatis lex, de inimicorum dilectione, exstet *Exod.* XXIII. 4, 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum:* &c. Resp. 1. Agitur tantum de inimico Israëlita: erga alios non tantum licitum fuit odium, sed & expressè mandatum fuit, ut eos exscinderent; *Deuter.* XXV. 19. VII. 1. *Exod.* XVII. 14. XXXIV. 12. Non itaque dilectio erga omnes sine discrimine fuit mandata. 2. Non licebat diutinum in corde odium contra fratrem fovere; sed non erat mandatum preces & benedictiones rependere pro diris & execrationibus. 3. Vindictam injuriæ illatæ fuisse licitam liquet ex *Exod.* XX. 23, 24, 25. *Levit.* XXIV. 19, 20, *Deut.* XIX. 21. & præsertim ex Lege *Num.* XXXV. 19. quæ permitit, ut propinquus occisi homicidam interficiat, statim ut apprehenderit eum.

Sensus præcepti decimi.

XIV. Tertiò. Objiciunt, præcepta de directione nostri contineri decimo decalogi præcepto, *non concupisces uxorem proximi tui,* &c. Resp. Non loquitur Lex de concupiscentia ad adulterium, de qua Dominus *Matth.* V. 27, 28. declarat, quod sit adulterium corde commissum; sed (uti in antecedentibus ostendimus) quâ proximi uxorem tuis quis concupiscit, ut ejus fiat uxor, concitando nim: maritum inter & uxorem rixas ac jurgia, atque ita faciendo ut divortium inter maritum ac illam intercedat, eaque hac ratione ipsius fiat uxor. Atque hoc modo omnia decimi præcepti membra intelligenda sunt. Illa enim solum concupiscentia vetatur, quâ proximus directè læditur, quæque proinde contra charitatem proximo debitam peccat. Dices. Attamen *Deut.* X. 16. jubentur *circumcidere cor.* Resp. Opponitur illa circumcisio cordis observationi ceremoniarum: circumcidunt itaque Israëlitæ cor, quando non sequuntur carnis suæ ductum, sed Legi sese subjiciunt in omnibus quæ præscribit, licet aliàs caro reluctetur, malitque obsequi concupiscentiis suis. Illud itaque ulterius quàm Lex in specialibus suis præceptis præscribit extendendum non est.

Lib. 3. cap. 4. §. 10.

Explicatio Act. XXVI. 22.

XV. Quarto. Objiciunt, Paulum dicere, nihil se docere extra Mosen & Prophetas, *Actor.* XXVI. 22. Resp. Paulus dicit, se nihil docere extra ea quæ Moses & Prophetæ dixerunt futura esse. Docuit quippe Jesum esse Christum, & ex mortuis suscitatum nunc in cœlis regnare: hæc siquidem per Prophetas prædicta erant; eoque nomine Paulus persecutionem sustinebat. Exinde autem nullo modo sequitur, omnia, quæcunque Jesus docuit ac præcepit, jam olim à Mose ac Prophetis præcepta ac tradita esse: Sed tantummodò, Jesum Christum sua

Hh do-

doctrinâ nihil docere Legi adversum; quia Moses jam de eo testimonium perhibuerat, docueratque eum Prophetam sui similem, id est, legislatorem fore.

F: Matth. XI. 30. XVI. Tandem ajunt: Si tanta est præceptorum Euangelicorum perfectio, jugum nostrum non erit leve, uti Dominus dicit *Matth.* XI. 30. sed aggravatum. Si enim Lex jugum erat, quod nec nos nec patres nostri ferre potuerunt, *Actor.* XV. 10. quid dicemus de Euangelio, præceptorum perfectiorum additione aucto? tantum abest ut jugum leve dici queat, ut meritò nobis objici possit, quod Rehabeam tribubus Israël, tributorum remissionem petentibus, respondit, 1 *Reg.* XII. 14. ***Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.*** Resp. 1. Lex erat jugum intolerabile respectu ceremoniarum, ad quas *Act.* XV. 10. manifestè respicitur: ab iis nos liberavit Euangelium. 2. Erat jugum respectu rigidæ suæ obligationis, obedientiam exigens perfectam, absque ulla gravioris delicti remissione proposita: Euangelium exigit resipiscentiam, promissumque habet remissionis peccatorum. 3. Erat jugum respectu exiguarum quas conferebat virium; infirma erat per carnem: Euangelium autem habet spiritum vitæ, ***Rom.*** VIII. 2. Sub Lege comparantur homines infantibus, sub Euangelio adultis: quod autem infanti grave & portatu impossibile est, viro est leve, & vix oneris rationem habet.

Promissa Euangelii præstantiora. XVII. Promissa Legis, secundum literam accepta, erant temporalia, continebantque vitam in terra Canaan quietè ac feliciter transigendam: Euangelium autem disertis verbis promittit vitam æternam: unde & *melioribus promissis sancitum* dicitur, *Hebr.* VIII. 6. & Dominus Jesus, ***mortem destruxisse, vitam verò ac incorruptionem illuminasse per Euangelium***, 2 *Tim.* I. 10.

Non vero spectata juxta ultimam Dei intentionem. XVIII. Si verò mysticum Legis sensum, ultimumque quem Deus intendit scopum attendamus, indubium est quin Deus perfectam vitæ sanctitatem intenderit, perfectamque felicitatem promiserit. Generalia quippe præcepta, de corde circumcidendo, Deo ex omnibus viribus amando, similiaque, juxta ultimam Dei intentionem, ad omnia officia, quæ huc referri possunt, extendi poterant & debebant: sicut & promissum generale vitæ, vitam æternam in se includebat. Interim certum est, plurimos mysticum hunc legis sensum, tam ratione præceptorum quàm promissorum, non percepisse, & literæ legis intentos, secundum ipsius præscriptum vitam instituisse. Quanquam itaque scopus Legis esset, ut homines à sibi speciali Dei indulgentia concessis abstinerent, quique Legis verè studiosi erant ea ut defectus sollicitè vitarent; tamen durante illâ Legis œconomiâ si quis defectus illos non evasisset, & literæ Legis intentus ad cultum verè spiritualem non adscendisset, violatæ Legis reus censeri non poterat. In eo itaque præcepta Jesu Christi præstant Mosaicis, quod quæ ex scopo generalibusque præceptis Legis studio ac industriâ erui debebant, nunc specialibus præceptis à Christo clare mandata sint; adeo ut sine peccato ignorari aut omitti nequeant.

XIX. Hisce ita in genere præmissis, ad præceptorum propiorem explicationem accedendum est. Præcepta respiciunt vel dogmata quædam credenda, vel officia ac mores. Præceptum dogmata credenda respiciens fuit Fides, eam quippe passim exegit Jesus Christus in Euangelio; *Joan.* III. 16. & alibi. Utque fides in ipsum collocari posset, dogma illud tanquam præcipuum inculcavit, se esse Messiam & Regem illum promissum, cujus ministerio Deus regnum Israëlis erigere vellet. Ita *Matth.* XVI. 17. Petrum ob confessionem quod esset Christus beatum pronuntiavit. *Joan.* I. 50. Nathanaëli, idem de ipso confitenti, dicit ipsum majora visurum, ut iis visis in fide illa magis confirmetur. *Cap.* VIII. 12. *Ego sum lux mundi*, &c. & præsertim tempore passionis à Pontifice rogatus, sese coram toto Judæorum synedrio Christ[redacted] esse testatus est, *Luc.* XXII. 66, 67, &c. *Præcepta Euangelii sunt fidei.*

XX. Præcepta mores spectantia generali Resipiscentiæ voce comprehensa sunt, cujus postulatum præceptorum Christi compendium est; *Matth.* IV. 17. cui adhæret præceptum regenerationis, *Joan.* III. 5. Quod aliàs ita singillatim à Domino est enarratum, præsertim *Matth.* V. VI. VII. ut doctrina illius perfectissimam vitæ morumque normam contineat; non tantum externas actiones seu facta, sed & intimas cogitationes cordisque arcana dirigentem; ut ex *Matth.* V. 22, 28, 29. XV. 18, 19. aliisque liquet. Adeo ut hujus respectu doctrina Jesu Christi *lux* vocetur, præ qua omnes Philosophorum doctrinæ meræ sint tenebræ, imo ipsa Lex Mosis diluculum modò & tenuis lux: Sic *Joan.* II. 12. ***Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed vitæ lumen habet.*** Præsertim omnes Legis ceremonias antiquavit, easque ad salutem non esse necessarias docuit, neque in illarum observatione veram, quam Deus requirit, sanctimoniam consistere. Cui doctrinæ adhæsit acris Pharisæorum, qui, principali Legis scopo neglecto, externis ceremoniis & traditionibus nimium inhærebant, objurgatio, Legisque ab eorum corruptelis vindicatio; uti inter alia *Matth.* XV. & XXIII. videre est. *Et resipiscentiæ.*

XXI. Unde liquet, doctrinam ejus non uni populo Israëlitico, uti olim Legem, fuisse destinatam, sed ad omnes homines per totum terrarum orbem propagandam. Docuit qui- *Spectat omnes homines.*

quidem Dominus in sola Judæa, utpote ad perditas solummodò oves Israëlis missus, *Matth.* xv. 14. Doctrinam tamen docuit omnibus hominibus accommodatam: non enim ceremonias Legis inculcavit, sed resipiscentiam, quæ in moribus consistit, non in ritibus. Si quid verò de illis habet, id eo modo est propositum, ut non obscurè indicetur, nullam aut saltem exiguam eorum à Christo rationem habitum iri. 2. Cùm jam post resurrectionem suam in cœlum esset receptus, Spiritumque super Apostolos effudisset, eos ad omnes gentes misit, doctrinamque suam ad omnes gentes propagari voluit, easque per fidem solam absque ceremoniis Legis ad sui communionem admitti. Certissimo indicio, doctrinâ suâ ea tantum contineri, quæ in moribus consistunt, quæque ad omnes populos, rituum & sacrificiorum diversissimo usu tanquam pariete intergerino separatos ac distractos, in unum congregandos faciunt. Unde & in omnem terram suos misit, *Matth.* xxviii. 19. *Marc.* xvi. 15, 16. ipsique per omnem terram verbum Euangelii disseminarunt, *Rom.* x. 18. *Coloss.* 1. 23.

Promissa. XXII. Promissa Jesu Christi præcipuè sunt. 1. Remissio peccatorum, *Luc.* xxiv. 47. & quidem, non levium tantum, quæ sacrificiis legalibus expiari poterant; sed gravium, adeoque omnium, *Act.* xiii. 38. 2. Spiritus Sanctus fideles ducens, & salutem in ipsorum cordibus obsignans: quem non tantum Apostolis suis promisit, *Joan.* xiv. xv. xvi. sed fidelibus in genere, *Luc.* xi. 13. *Joan.* vii. 38. 3. Resuscitatio ex mortuis, *Joan.* v. 28, 29. vi. 39, 40. Cui 4. adhæret vita æterna, non generalibus verbis comprehensa, aut terrenarum benedictionum typis obscurè adumbrata; sed clarè expressa; *Joan* iii. 16. xvii. 3, & alibi. Unde *mortem destruxisse*, *vitam* verò *ac immortalitatem in lucem produxisse* dicitur, 2 *Tim.* 1. 9, 10. Hisce oppositæ fuerunt comminationes gravissimæ excidii sempiterni; uti potissimum *Mat.* xxv. 41. *& seqq.* videre est. Unde & doctrina ejus vocatur *bona*, *perfecta ac beneplacens Dei voluntas*, *Rom.* xii. 2. quia omne Dei beneplacitum nobis revelavit, adeo ut perfectiora nec præcepta, nec promissa exspectanda sint.

Futurorum prædictio. XXIII. Huic principali functioni duæ aliæ adhærent, Prophetis usitatæ. Prima est, futurorum prædictio; ea enim prophetis propria erat, uti & occultorum revelatio. Prædixit autem Dominus Jesus varia de morte & passione sua; videl: quod in manus gentium esset tradendus, & crucifigendus, tertiaque die ex morte resuscitandus, *Matth.* xx. 18, 19. prædixit Judæ proditionem, Apostolorum fugam, & Petri abnegationem, *Matth.* xxvi. urbis Hierosolymæ excidium, multaque Ecclesiæ suæ statum concernentia, *Matth.* xxiv. suumque ad judicium ultimum adventum, *Cap.* xxv. alibique. Occulta revelavit, cùm arcana hominum consilia intimasque cordis cogitationes perspectas habuit, *Joan.* 11. 24, 25.

Precatio pro populo. XXIV. Altera est precatio pro populo, & pro felici prædicationis verbi divini successu. Prophetarum quippe, utpote Dei legatorum ac ministrorum, ideoque majore apud Deum gratiâ pollentium, pro populo intercedere officium fuit. Ita Abrahamus intercessit pro Abimelecho, *Genes.* xx. 7. Moses pro populo sæpius oravit; *Exod.* xxxii. 11. *& seqq.* & *vers.* 31. *& seqq.* *Num* xiv. 13. *& seqq.* Samuel, 1 *Sam.* xii. 23. *Absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis.* Elias, 1 *Reg.* xvii. xviii. *Jacob.* v. 17, 18. Ita etiam legimus preces Domini ardentissimas, *Matth.* xiv. 23. *Marc.* 1. 35. in quibus aliquando pernoctavit, *Luc.* vi. 12. pro discipulis omnibusque ipsorum ministerio in se credituris, *Joan.* xvii. quin & pro crucifixoribus ac hostibus suis, *Luc.* xxiii. 34.

D. Jesu zelus. XXV. Modus quo Dominus Jesus functionem hanc muneris sui obivit ut cognoscatur, varia consideranda sunt. Primò, zelus ejus ingens, quo omnia posthabuit gloriæ divinæ & salutis hominum promotioni. Sic ipse inquit *Joan.* iv. 34. *Cibum suum esse, ut faciat voluntatem Patris sui.* Et *Marc.* iii. 20. legitur, eum adeo in docendo occupatum fuisse, ut ne cibum quidem capere potuerit: hinc mysticè de eo dicitur *Psam.* lxix. 10. quod *zelus domus Domini ipsum comederit*: quod etiam in ipsum quadrare discipuli animadvertunt, *Joan.* 11. 17.

Libertas in docendo. XXVI. Secundò. Libertas & παῤῥησία in docendo, quod docuerit sine acceptione personarum: hoc enim veri prophetæ est, qui nomine Dei legatione fungitur ad homines. Coram Deo omnes homines sunt æquales, neque ulla unius præ altero est prærogativa: qui ergo verba Dei ad homines fert, sine personarum acceptione quosvis compellare debet. Hanc ingenuam libertatem veri Prophetæ exercuerunt passim; ita Nathan Davidem reprehendit, 2 *Sam.* xii. & Propheta à Deo missus contra altare in Bethel præsente Jeroboamo prophetavit, 1 *Reg.* xiii. 1, 2, 3. Ita Esaias, Jeremias, aliique passim. Sic Elias Achabum, Joannes Baptista Herodem regem intrepidè reprehendit, neque ullo majestatis ipsius timore cohibitus fuit, quo minus Dei mandata ad eum intrepidè perferret. Hanc παῤῥησίαν ipsi inimici in Domino Jesu agnoscunt *Matth.* xxii. 16. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum*: eamque Dominus ostendit, uti passim alibi, ita præsertim *Matth.* xxiii. & *Luc.* xi. & *cap.* xiii, 31, 32.

Auctoritas. XXVII. Tertiò, Auctoritas: Non enim docuit ut Scribæ & Pharisæi, sed ut potestatem habens: *Matth.* VII. 29. necut reliqui Prophetæ, qui populum allocuturi dicere solebant, *ita dicit Dominus*, sed divina cum auctoritate *Ego dico vobis*, *Matth.* v. passim.

Sapientia. XXVIII. Quartò. Sapientia, quâ revelavit seculis prateritis incognita, quin & summis Prophetis nunquam claré revelata: sic *Matth.* XIII. 17. *Multi prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.* Et cujus ope doctrinam suam auditorum ingeniis aptè accommodare novit, ut eorum animi probitas vel improbitas detegeretur: uti mox plenius ostendemus.

Eloquentia, & docendi perspicuitas. XXIX. Quintò Eloquentia: *Luc.* IV. 22. *Omnes mirabantur verba gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. Joan.* VII. 46. ministri ad ipsum comprehendendum à Pontificibus missi, renuntiant; *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Cui adhæret maxima doctrinæ perspicuitas; quòd doctrinam suam non typis ac umbris obvolutam tradiderit, sed verbis claris, apertis, ac propriis: unde & *vera lux* dicitur, *illuminans omnem hominem veniens in mundum*, *Joan.* I. 9. & *in ipso omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitare*, *Coloss.* II. 9. Attamen, dices, & sæpius usus est verbis figuratis, phrasibusque duris, ut *Joan.* VI. 41. quin & parabolis sæpissimè. *Resp.* Verba ac phrases figuratas duriores ipse explicat, omnemque ipsorum obscuritatem suâ explicatione tollit; uti dicto *cap. Joan.* VI. *vers.* 63. videre est. Parabolæ rem magis solent illustrare, quàm intricare; unde & illustrandæ orationi adhiberi solent: fueruntque Domini parabolæ nil nisi lux respectu piorum, exemplorum instar doctrinæ suæ planius explicandæ adhibitæ: impiorum verò ac mente perversorum respectu propriâ ipsorum culpa fuere tenebræ; non quia ab ipsis non potuere intelligi; sed quia in sese dictas percipientes, ab ipsius doctrina alieniores reddebantur, ut *Matth.* XXI. & XXII. Dices. Attamen liquet *Matth.* XIII. 10, 36. etiam Apostolis parabolas ipsius fuisse obscuras. *Resp.* Factum id, ut in discipulis discendi ardor accenderetur, ipsique parabolarum sensum non plenè percipientes incitarentur, ut ex Domino penitiorem earum sensum exquirerent; qui illorum discendi cupiditate perspecta, iis parabolas suas explicavit: Et ut aliis, ob animi improbitatem à verbi doctrina alienis, omnis non præriperetur occasio verbum rejiciendi, & in cæcitate sua progrediendi, atque ita animi sui improbitatem patefaciendi. Hinc Dominus de illis dicit; *Ipsis datum non esse mysteria regni cœlorum nosse;* non quia Dominus noluit ut ab ipsis intelligerentur; sed quia sermonem ejus negligentes ulteriorem ejus explicationem non quærebant, Dominus etiam illos non esset instructurus: quia *videntes non vident*, &c. id est, videndi occasionem habentes ea tamen non utuntur. De eventu itaque loquitur, non de fine ac intentione sua.

CAPUT XVII.

De illius Confirmatione, Fine & Eventu.

I. Alterum, in muneris Prophetici functione considerandum, est illius confirmatio, quæ varia ac multiplex fuit. Prima ac præcipua est per miracula, quæ indubium divinæ missionis sunt signum: dicente Nicodemo *Joan.* III. 2 *Rabbi scimus quoniam à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Unde & ipse ad signa sua, tanquam irrefragabile missionis suæ divinæ documentum, provocat, *Joan.* v. 36. x. 37, 38. *Matth.* XI. 4, 5. & multi visis ejus miraculis ad fidem fuere permoti, *Joan.* I. 49, 50. & *cap.* II. 11, 23. & *cap.* IV. 39. eæque ad nos ad fidem adducendum sufficere dicuntur, *Joan.* XX. 31. *Hæc* (sc. signa) *scripta sunt ut credatis Jesum esse Christum Filium Dei.* Et maximè reprehenduntur Judæi, quòd, cùm Jesus tanta signa fecisset coram eis, non tamen in eum crederent, *Joan.* XII. 37. XV. 24. *Confirmatio doctrinæ prima est per miracula.*

II. Objiciunt tamen Judæi, miracula non esse sufficiens missionis divinæ Jesu Christi argumentum; quia fieri potest, ut à falso propheta miraculum aliquod edatur, quem tamen Deus audiri non vult, *Deut.* XIII. 1, 2, 3. Nec Christianos ex miraculis Jesu Christi de ipsius missione divina posse esse persuasos: quoniam ipse Christus prædicat, quod falsi prophetæ signa sint edituri, *Matth.* XXIV. 24. *Resp.* Vetat Deus *Deut.* XIII. prophetam audiri, si apostasiam suaserit à Deo vero, & à religione jam sufficientibus miraculis à Deo confirmata: quia nulla signa religionem à Deo semel sufficienter confirmatam falsitatis arguere possunt; aliàs Deus expressè Prophetam audiri vult, *Deut.* XVIII. 18, 19. Et in novæ doctrinæ annuntiatione omnino miracula ad fidem conciliandum sufficiunt; aut si illa non sufficiant, nihil sufficit: quoniam enim illa à beneplacito divino dependet, de illius veritate nullo alio medio homo convinci potest, quàm operibus ejusmodi, quæ à nullo nisi à Deo, aut cum quo Deus est, edi possunt. Dominus eius autem neminem à veri Dei cultu abducere voluit; sed cultum antea imperfectè sub typis ac umbris propositum perfecit. Ut autem validius argumentum hoc confutetur, dico, ex hoc textu rectè colligi, *Explicatio Deut.* XIII. 1, 2, 3.

gi, Deum permittere posse, ut opus aliquod extraordinarium, quod in admirationem rapiat homines, ad prædictionem falsi alicujus prophetæ contingat; ut ita Israëlis constantiam probet, utrum talis signi conspectu induci se passuri sint ad deserendam religionem tot miraculis jam à Deo confirmatam: sed ut ad falsæ doctrinæ confirmationem fiant miracula plura ac majora, quàm quibus vera confirmata est, nec veritati, nec sanctitati Dei consentaneum est. Unde enim Judæi certi sunt, Mosen legem suam accepisse à Deo? Certè non aliunde, nisi ex miraculis à Mose in illius confirmationem editis. Jam dico: Aut miracula sufficiens sunt divinitatis doctrinæ testimonium, aut non. Si non sunt: Nec etiam ex miraculis Mosis certi sunt illius Legem esse divinam. Si sunt: Ergo doctrina, illustrioribus ac pluribus miraculis confirmata, validius habet à Deo testimonium: nec ulla ratio dari potest, cur pluribus ac majoribus miraculis, à Domino Jesu & Apostolis in Euangelii confirmationem editis, si non major, saltem æqualis non insit virtus, quàm paucioribus & minus illustribus miraculis, quibus Moses legis suæ divinitatem confirmavit. Et quoniam Deus homines à se & Lege sua, tanquam à se non profectâ, abducere nequit: fieri etiam non potest, ut in gratiam doctrinæ, quæ homines à se abducit, miracula fieri permittat illustriora ac plura iis, quibus Lex ipsius confirmata est. Unde colligo, doctrinam, cui ejusmodi miracula testimonium præbent, homines a Deo aut Lege divina neutiquam abducere. Quod verò falsos prophetas attinet; non credimus illos vera miracula facturos; sed opera, quæ, licet stupenda sint & admirationem in hominibus, ea non exactè intuentibus, pariant, naturæ vires tamen non excedunt: quia expressè 2 *Thess.* II. 9. vocantur *signa & prodigia mendacia*, *secundum operationem satanæ*; quem vera miracula edere non posse certum est, cum id solius Dei sit, *Psal.* LXXII. 18.

Ex Matth. XXIV. 24.

Conditiones veri miraculi sunt in miraculis Christi.

III. Et ne quis Domini Jesu miracula criminetur, dicimus si eorum naturam consideremus, omnes in veris miraculis requisitas conditiones in illis reperiri: quas, brevitatis causâ, ad tres generales revocabimus.

Prima.

IV. Prima est, ut opus, quod pro miraculo recipiendum est, constet verè esse factum, effectusque ejus sensibus externis pateat: ut cœcum videre, surdum audire, mortuum vivere. Ea nota convenit omnibus Domini nostri Jesu Christi miraculis; non enim ea in occulto, sed palam inspectantibus omnibus fecit, eorumque effectus patuit. Ad hanc notam si expendantur Pontificiorum miracula, quæ quotidie jactant, falsa esse comperientur: non enim ea facta esse constat, sed coram suis pontificiis, qui iis non indigent, facta dicuntur, semotis ab eorum conspectu omnibus ab ipsorum Ecclesia dissentientibus: quod meritò ea falsitatis suspecta reddit. Et maximè notam hanc sustinere nequit miraculum ipsorum omnium maximum, quod quotidie in Cœna fieri ajunt, transsubstantiatio nempe panis in verum ac substantiale corpus Christi; nullam enim hic sensus mutationem deprehendunt; quin imo post quinque verborum demurmurationem non minus panem esse deprehendunt, quàm ante eam. Dicere verò, hoc omnium esse miraculum maximum, ideoque non sensibus sed fide recipi debere, est ineptissimum. Quid enim ineptius, quàm miraculum debere credi? miracula enim non creduntur, sed videntur, ad confirmandum id quod fide recipiendum est. Hinc & Pontificii multa excogitarunt miracula, ad hoc unum confirmandum; quæ tamen examen justum sustinere nequeunt: tum etiam ridiculum est, miraculum miraculo indigere ut credi possit.

V. Secunda est, ut omnes naturæ vires excedat. Idque dupliciter fieri potest. 1. Ut opus ipsum nullis naturæ viribus fieri queat: talis est suscitatio hominis mortui in vitam; cœco nato non restitutio propriè, sed datio visus; & similia. 2. Ut, licet opus ipsum naturæ vires non superet, modus tamen, quo peragitur, sit planè supernaturalis: ut quando res, quæ mediis naturalibus idoneè adhibitis cum aliqua temporis mora existere potest, fit in instanti, sine ullis mediis, solo verbo: tales sunt instantaneæ morborum sanationes, solo verbo à Domino effectæ: aut etiam per media planè inidonea; talis est immersio in aquam Jordanis ad curandam lepram, 2 *Reg.* V. in Naamane Syro: immissio digitorum in aures surdi, ad restituendum auditum, *Marc.* VII. 33. immissio cœni & salivæ in oculos cœci, ad dandum visum, *Joan.* IX. 6. &c. Hæc enim fieri nequeunt, nisi superior vis accedat, quæ effectum, ad quem verba & media illa idonea sunt, producat: vis autem illa naturâ superior est.

Secunda.

VI. Tertia est, ut non tendat ad eversionem doctrinæ, à Deo antea sufficientibus miraculis comprobatæ. Deus enim sibi ipsi adversari nequit; adversaretur autem, si doctrinam miraculis confirmans postea eandem miraculis destruere vellet. Hic autem Judæi objiciunt; non ergo audiendum Dominum Jesum, quoniam ille Legem, à Deo miraculis abunde confirmatam, abrogavit. Resp. Non abrogavit Dominus Legem, sed miraculis suis doctrinam confirmavit, quæ Legem Mosis divinam esse præsupponebat. Dices. Is tamen erat doctrinæ Jesu Christi genius, ut per illam Lex Mosis tandem abroganda esset. Resp. Non abrogata fuit tanquam falsa, ut illi contraria introduceretur;

Tertia.

tur; sed desiit sponte, tanquam jam finem & complementum suum habens. Docuit nimirum Christus ceremonias Legis ad salutem non esse necessarias; institutæ quippe erant ad veram animi sanctitatem adumbrandum: non prohibuit, quo minus Judæi, etiam ad fidem conversi, eas observarent, modo in illis fiduciam non collocarent; verùm gentes iis onerari noluit; sed fidem ac veram sanctimoniam iis prædicari. Hoc autem nullo modo ad Legis contemtum, sed magis ad illius gloriam & honorem tendebat; perficiebatur quippe præsentiâ illius, quem tanquam typus adumbraverat: unde & per præsentiam illius evanescere debebat: accedente quippe corpore typus ac umbra ut intereat, necesse est. Inde est, quod Deus non tantum voluerit ceremoniis legalibus salutem non amplius esse alligatam: sed & ut respublica Judæorum, cujus incolumitati cultus ille ceremonialis erat alligatus, destrueretur; ut ita ceremoniæ illæ evanescerent, totaque illa lex ceremonialis honestè sepulturæ quasi traderetur; non ut falsa, sed in futurum inutilis, & jam complementum suum nacta. Inde est quod Dominus dicit, *se non venisse ut Legem & prophetas solveret, sed ut impleret*, *Matth.* v. 17.

Fuere ea numero infinita. VII. Ut autem miraculis Jesu Christi major vis ad homines convincendum inesse demonstretur, considerandum: Primò. Quod numero fuerint infinita, *Joan.* XXI. 25. *Sunt & alia multa quæ fecit Jesus; quæ si singillatim scribantur, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Qui licet hyperbolicus sit loquendi modus, similis illi, quo Deus Abrahamo promittit seminis multiplicationem instar arenarum maris & stellarum cœli, non dubitandum tamen est, quin maxima, & innumerabilis, ut ita dicam, multitudo, eo designetur: unde & Judæi, tot miraculis Domini Jesu conspectis, dicunt; *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Joan.* VII. 31.

Universalia. VIII. Secundo. Quod universalia fuerint in omnes creaturas: in diabolos, *Matth.* VIII. 28. XII. 22. XVII. 15. in mare, *Matth.* XIV. 26. in ventos, *Matth.* VIII. 24. in pisces, *Joan.* XXI. 6. *Matth.* XVII. 27. in panes, *Matth.* XIV. 13. XV. 30. in porcos, *Matth.* VIII. 28. in ficum, *Matth.* XXI. 19. in aquam, illam mutando in vinum, *Joan.* II. 1, 2, &c. ac tandem in omnia morborum genera, *Matth.* VIII. 16. imo & in mortem ipsam, *Matth.* IX. 24, 25. *Luc.* VII. 14, 15. *Joan.* XI. 43, 44.

Beneficia. IX. Tertio. Quod fuerint mera beneficia, liberationes nim: à morbis, & excitationes à morte; duobus tantum miraculis exceptis, immissione diabolorum in porcos, *Matth.* VIII. 31, 32. & maledictione ficus, *Matth.* XXI. 19. adeo ut omnes ad sese allicerent, omnesque undique certatim ad ipsum confluerent: *Matth.* IX. 8.

Eorum effecta permanentia. X. Quartò. Quod habuerint effecta, non momentanea & subito evanescentia; sed permanentia; cœci enim visu recuperato videbant, leprosi purgati erant, à dæmonibus liberati sanitatem recuperabant, è mortuis suscitati actiones edebant vitales, omnibus inspectantibus.

Facta unico verbo. XI. Quintò. Omnia sua miracula Dominus fecit unico verbo: *Matth.* VIII 3. leproso dicit, *volo mundator*: *Marc.* IV. 39. increpat mare & ventos: morbos solo verbo sanavit, etiam absens; *Matth.* VIII. 7. & 13. XV. 28. *Joan.* IV. 50. imo qui fimbriam tantum vestis ipsius tangebant sanabantur: *Marc.* VI. 56. *Matth.* IX. 20. *& seqq.* omniaque direxit ad gloriam Dei Patris sui, *Joan.* V. 17 *& seqq.*

Potestatem ea faciendi dedit Apostolis. XII. Sextò. Denique aliis potestatem miracula faciendi in suo nomine dedit: sic Apostolos suos dimittens, ait, *Matth.* x. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date.* Et eventum illius doni legimus *Luc.* X. 17. *Reversi sunt septuaginta cum gaudio, dicentes; Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.*

Miracula in ejus gratiam facta. XIII. Miraculis Christi meritò etiam accensentur, quæ Deus Pater in Filii sui gratiam fecit, ut illi coram hominibus auctoritatem conciliaret, Filiumque suum esse testaretur: qualia sunt, apertio cœli in baptismo, descensus Spiritus Sancti visibili specie, & vox addita, *hic est Filius meus dilectus, &c.* *Matth.* III. 6. Tum & glorificatio illa, *Matth.* XVII. 2. quam tanti momenti judicavit Petrus, ut expressè illius tanquam signi maximè eximii, mentionem fecerit, 2 *Epist.* I. 17, 18. & vox è cœlis demissa *Joan.* XII. 28. Hisce adde, quæ in morte & resurrectione Christi evenisse Evangelistæ narrant; qualia sunt, obscuratio solis, scissio veli in templo, apertio monumentorum, & excitatio corporum sanctorum demortuorum: *Matth.* XXVII. 51, 52, 53. ac tandem ipsius Jesu Christi resuscitatio & assumtio in cœlum; illis enim doctrinæ ipsius divinitas quam maximè est comprobata: unde signum divinæ suæ missionis rogatus, aliud nullum præter illam dedit, *Matth.* XII. 39, 40. *Joan.* II. 19, 20. *&c.* Vide & *Actor.* XVII. 32. *Rom.* I. 4. 1 *Pet.* I. 21. Unde & *Hebr.* II. 3, 4. Deus dicitur doctrinæ Christi testimonium dedisse variis signis & prodigiis.

Cur non sint facta in cœlo. XIV. Dices. Cur non sunt facta miracula in cœlis, uti temporibus Josuæ & alias factum est? & quemadmodum Pharisæi postulabant, *Matth.* XVI. 1. ita enim omnis incredulitatis prætextus ipsis fuisset ademtus. Resp. 1. Deus miracula non facit ad placitum hominum, sed juxta sapientissimum suum consilium; neque omnia quæcunque curiositas hominum

num exigere posset, sed quæ accommodatissima sunt ad fidem ingenerandum; quæ cum liberam requirat obedientiam, etiam necesse est non omnem hominibus perversis ac malevolis prævaricandi prætextum præcidat. 2. Non sequitur, ipsos infidelitatis prætextu fuisse carituros; majus enim illis exhibuit signum, resuscitationem Christi ex mortuis, quæ omnia alia signa tantum antecellit, ut Deus in illa *supereminentem magnitudinem virtutis suæ* ostendisse dicatur, *Eph.* I. 19. Animus enim malignus semper sibi incredulitatis prætextum quærere potest. 3. Tandem Deus in Jesu Christi gratiam signa in cœlo ostendit, apertione cœli, missione Spiritus Sancti &c. uti statim ostendimus.

Judæorum pertinacia. XV. Ex hisce jam colligimus, Judæorum pertinaciam, Christum rejicientium, omni prætextu esse destitutum. Credidit Naaman Syrus unico miraculo, 2 *Reg.* V. 15. similiter & Sareptana, 1 *Reg.* XVII. 24. Quæ causa, quod Judæi fidem denegent tam multis ac verè stupendis miraculis Jesu Christi? Ipsi Judæi dicunt *Joan.* IX 29. *Nos scimus quia Mosi locutus est Deus*: Unde vero id sciebant, nisi ex miraculis Mosis? Atqui si Mosis miraculis credant, quem obtendent prætextum, quòd Jesu Christi miraculis, & numero & magnitudine Mosis miracula longè antecedentibus, fidem denegent?

Secunda est, per testimonia Scripturæ. XVI. Secunda doctrinæ Christi confirmatio fuit per testimonia Scripturæ Sacræ. Inde ait *Joan.* V. 39. *Scrutamini Scripturas; quia putatis in illis vitam æternam habere; & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et doctrinam suam testimoniis è Veteri Testamento depromptis confirmavit, *Luc.* IV. 21 *& seqq.* & XXIV. 27. & 46, 47. & quidem tanta cum evidentia & dexteritate, ut Judæi mirati sint, ipsum literas scire, cum non didicerit, *Joan* VII. 15. Similiter & Apostoli, *Act.* XXVI. 22. Sic & Pharisæorum ac Scribarum insidias ex Scripturis, & mystica earum interpretatione ita retudit, ut nihil ipsi respondere potuerint, *Matth.* XXI. & XXII. Hic vero notandum, non cujusvis esse, mysticum Scripturæ sensum cum auctoritate allegare, aliosque illius allegatione convincere; sed illius solummodo, qui jam sufficientibus miraculis divinam suam missionem demonstravit. Etenim cum sensus Scripturæ mysticus ex vi verborum non inferatur; sed sit sensus occultus, verborum involucris tectus, quædamque sensus literalis extensio ad ea, quæ Deus aliquantisper tegere, & suo demum tempore revelare decrevit; sequitur sensum illum retegi non posse, nisi ab eo, quem idem Spiritus ductor, quo primum Scriptura est inspirata, dirigit; neque cum auctoritate aliis ut credendum præscribi posse, nisi ab eo, qui miraculis se Spiritum illum in se habere inhabitantem demonstraverit. Aliàs valet illud Theologorum axioma, Theologia symbolica non est argumentativa: typorum quippe ea est natura, ut magis confirment credentem, quàm convincant incredulum.

Tertia, doctrinæ sanctitas. XVII. Tertia confirmatio fuit doctrinæ sanctitas. Hanc allegat Dominus *Joan.* VII. 16, 17. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar*: Et *cap.* VIII. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Fieri enim nequit, quin doctrina, quæ non spirat nisi sanctitatem, sit divina. Attamen probatio hæc neminem convincit, nisi pietatis studiosum Deique timentem: ille enim solus ex pietatis exercitio cognoscit ejusmodi doctrinam Deo convenientem esse, neminemque nisi Deum habere posse auctorem.

Quarta, Vitæ Christi sanctimonia. XVIII. Quarta est vitæ sanctimonia; tanta quidem, ut *peccatum non fecerit*, 1 *Pet.* II. 21. imo ne *noverit* quidem, 2 *Cor.* V. 21. Hinc *nobis per omnia* dicitur *similis, excepto peccato*, *Hebr.* IV. 15. Ipseque inimicos suos provocat *Joan.* VIII. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato*? Talis nunquam suspectus esse potest mendacii. Tum & vitæ suæ sanctitate præceptorum suorum divinitatem validissimè confirmat, utpote exactè præstans, quicquid aliis ut divinum præscribit. Qui doctrinæ suæ contrarium factis testantur, auctoritatem doctrinæ suæ derogant.

Quinta, mors ejus cruenta. XIX. Quinta ac ultima confirmatio fuit mors ejus cruenta ac ignominiosa. Prophetæ quippe veri est, pro doctrina, quam Dei jussu annuntiat, vitam ponere, omniaque ab hominibus adversa in se suscipere. Id si recuset, doctrinam suam in suspicionem meritò vocabit falsitatis; utpote hominum metu, quos omnes minus quàm Deum metuendos norunt, omittens, quod sibi à Deo mandatum docet. Seductor in doctrinæ, quam falsam novit, confirmationem mortem non oppetet: tales enim non hominum salutem, sed proprium emolumentum quærunt: hinc vocantur *lupi rapaces, ovium vestimentis tecti*, *Matth.* VII. 15. & ex nota hac Dominus verum pastorem à mercenario discernit, quod verus pastor animam pro ovibus ponat; mercenarius autem lupo advenienti fugiat, *Joan.* X. 11, 12. Fuit ergo mors Christi quasi sigillum & confirmatio fœderis: ipsiusque sanguis, quasi sanguis victimæ fœderalis, quo Novum Testamentum obsignatum ac sancitum est. Hinc ipse morte instante coram Pilato dicit, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, *Joan.* XVIII. 37. Unde & 1 *Tim.* VI. 13. dicitur *coram Pilato testatus esse bonam confessionem.* Et ipse vocatur *testis fidelis & verus*, *Apoc.* I. 5. III. 14.

14. qui nempe morte sua veritatis testimonium comprobavit; & sanguis ipsius, *sanguis Novi Testamenti*, *Matth.* XXVI. 28. quo nempe Novum Testamentum sancitum fuit.

Legis & Euangelii convenientia.

XX. Ex hisce ita explicatis facile jam est convenientiam & discrimen Legis & Euangelii explicare. Conveniunt nempe Lex & Euangelium in duobus. Primo, auctore, qui Legis & Euangelii idem est, Deus nempe Pater Domini nostri Jesu Christi. Quod notandum contra Manichæorum deliria, qui alium Veteris, alium Novi Testamenti auctorem fingebant. Sed ii, aliique eadem cum ipsis somniantes, manifestissimè refelluntur *Hebr.* I. 1. ubi idem Deus, qui olim variis modis & per varias particulas patribus est locutus per Prophetas, ultimis hisce temporibus nobis locutus dicitur per Filium. Deinde, quod utraque contineant mutuum quendam contractum inter Deum & homines, in quo Deus obedientiam stipulatur ab homine, quam si præstet, homini promittit præmium.

Discrimen. 1. In Mediatore.

XXI. Differunt autem in variis. Primò quidem in Mediatore utriusque. Legis siquidem Mediator fuit Moses, qui eam ab Angelis acceptam Israëlitis tradidit, *Act.* VII. 53. *Gal.* III. 19. Euangelii autem Mediator est Christus, qui illud immediatè à Deo Patre accepit, uti dicitur *Joan.* I. 18. & III. 13. Unde & expressè melioris ac novi Fœderis Mediator appellatur, *Hebr.* VIII. 6. & XII. 24. In contrarium tamen quidam contendunt, Jesum Christum etiam Veteris Fœderis fuisse Mediatorem, quia I *Tim.* II. 5. expressè dicitur, quod *unus* tantum *sit Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus*. Resp. Si homo Jesus Christus sit unicus ille Mediator, fanè veteris Fœderis Mediator non fuit; quia tempore promulgatæ Legis nondum fuit homo. Dicit quidem Apostolus, Jesum Christum unicum esse Mediatorem æternæ remissionis obtinendæ, quæ non nisi virtute Novi Fœderis confertur, id tamen non impedit, quo minus & alii internuntii, qui inter Deum & homines medii sunt, mandataque Dei ad homines referunt, Mediatores appellari possint. Hoc sensu Moses, quo Deus ut internuntio in Fœderis sui sanctione usus est, Mediator vocatur; *Deut.* V. 5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* & *Gal.* III. 19. dicitur, *Lex per angelos ordinata in manu Mediatoris*; ubi per Mediatorem non Jesum Christum, sed Mosen esse intelligendum, ipsa textus verba docent: quia Lex Mediatori dicitur tradita per angelos; Moses autem per angelos Legem accepit. De Filio Dei, præsertim nondum incarnato, dici nequit, quod ipse, utpote Deus, ministerio angelorum legem acceperit. Quid quod *Act.* VII. 31. expressè dicitur, quod Angelus cum Mose sit locutus in monte Sinai: qui etiam, quoniam tanquam Dei legatus Dei ipsius personam sustinebat, se Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi vocavit, *Exod.* III. 2, & 6. Hunc enim *Angelum Domini* fuisse clarè docet Stephanus, *Act.* VII. 30. Dices. Attamen *vers.* 31, & 33. eum vocat *Dominum*. Resp. Vocat eum *Dominum* quia speciatim Domini personam repræsentabat; sicut legati regum in legum promulgatione etiam nomine regis loquuntur, nomenque regis usurpare solent: quia nempe nomine ac auctoritate regis eas promulgant. Sed verò, ut pressius respondeam, quoniam volunt Filium Dei Legis Mosaicæ fuisse promulgatorem, ac consequenter per *Dominum* secundam in Trinitate personam intelligunt, quæro, quando Stephanus *vers.* 30. eum vocat *Angelum Domini*, cujus Domini Angelus ille fuerit, qui Mosi locutus dicitur? Si secundæ personæ Trinitatis, & ipse Angelus etiam fuit illa secunda persona, jam sui ipsius Angelus fuit: quod absurdum. Si Patris, seu primæ personæ, sequitur, quod Stephanus continuato sermone voce *Domini* utens, vers. 30. per *Dominum* intellexerit Patrem, seu primam Trinitatis personam; versu autem immediatè sequenti, Filium, seu secundum personam. Quæ sanè maximè absurda sunt, & valde intricatam reddunt Stephani locutionem, nec ullo modo accommodatam Judæis, quos alloquebatur. Validissimè autem refutatur hæc sententia *Hebr.* II. 2, 3. ubi Lex vocatur *sermo per angelos dictus*, oppositè ad Euangelium, quod vocatur *salus per Dominum annuntiata*, eoque nomine Legi præfertur. In præcedente quippe capite divus Scriptor Dominum Jesum Angelis esse superiorem docuerat: ex illa Domini supra Angelos excellentia nunc infert, etiam Euangelium, à Domino annuntiatum, Lege per Angelos data, esse excellentius, ac proinde ejus transgressores ac contemtores gravius mereri supplicium. Non autem eo nomine Legi opponi, nedum præferri posset, si tam Lex quàm Euangelium ab ipso Domino esset annuntiata.

2. In sanciendi modo.

XXII. Secundò. In utriusque sanciendi modo. Lex siquidem sancita est sanguine pecudum, *Exod.* XXIV. 8. *Hebr.* IX. 20. Novum vero Fœdus sanguine ipsius Mediatoris, *Hebr.* IX. 15. *& seqq.* qui propterea *sanguis Novi Fœderis* appellatur, *Matth.* XXVI. 28.

3. In doctrina.

XXIII. Tertiò. In doctrina: Euangelium enim antecelluit Legem, tam præceptis quàm promissis. Præceptis: Legis enim præcepta plurima erant ceremonialia; tum & moralia aliquos permittebant defectus, veræ perfectioni non convenientes: Euangelium paucissimas habet ceremonias, & maximè commendavit vitæ sanctitatem, omnesque à Lege Mosaica permissos defectus sustulit, uti videre est *Matth.* V. ali-

v. alibique. Promissis: Legis enim promissa, saltem quoad literam, erant temporalia; generali promisso vitæ continebatur etiam vita æterna, eaque promissis particularibus rerum terrenarum tanquam typo adumbrata fuit: unde & multi sub Veteri Testamento eam exspectarunt: Euangelium autem clara & expressa habet vitæ æternæ promissa: unde *melioribus promissis* dicitur *sancitum Hebr.* VIII. 6. Dominusque *mortem destruxisse, vitam verò ac immortalitatem in lucem produxisse*, 1 *Tim.* 1. 9, 10. Sub Lege promissum vitæ æternæ erat generale; promissa vero specialia spectabant hanc vitam: sub Euangelio promissa vitæ æternæ sunt specialia, terminisque propriis ac claris expressa: promissum verò hujus vitæ est generale; ut *Matth.* VI. 33. 1 *Tim.* IV. 8. Porro sub Lege non erat promissio remissionis peccatorum, nisi levium; nunc omnium, etiam quorum remissio per Legem obtineri non poterat, *Actor.* XIII. 39. Nec erat sub Lege clara ac diserta illa promissio Spiritus Sancti, quæ nunc credentibus facta est, *Luc.* XI. 13. imo Spiritus ille datus non fuit, nisi post adscensionem Domini, *Joan.* VII. 39. Horum omnium respectu, Lex umbram tantum & rudimenta habere dicitur, perfectio autem esse in Euangelio *Joan.* 1. 17. *Gal.* IV. 1. *& seqq. Coloss.* II. 20. *Hebr.* X. 1. & alibi.

4. Efficacia. XXIV. Quartò. Efficaciâ. Lex quidem lata fuit adversus transgressiones, *Gal.* III. 19. sed fuit infirma reddita per carnem, *Rom.* VIII. 3. & prædagogi instar homines in officio continebat, metuque pœnæ à gravioribus criminibus retrahebat; non autem verè spirituales poterat efficere. Euangelium autem conscientiam purgat ab operibus mortuis, ut non tam ipsi homines vivant, quàm Christus in ipsis, *Gal* II. 20. mandataque sua hominum cordibus veluti inscribit, *Hebr.* III. 10, 11. Vide etiam *Rom.* VIII. 3. *Hebr.* II. 19. IX. 14.

5. Amplitudine. XXV. Quintò. Amplitudine. Lex soli populo Israëlitico data est, quippe illius statui accommodata; neque alios extra populum illum concernebat: *Deut* IV. 8. *Psal.* CXLVII. 19. Euangelium autem toti mundo est destinatum & annuntiatum, utpote doctrinam habens omnibus populis ex æquo accommodatam, fidem solummodò, resipiscentiam, morumque emendationem exigens. Unde & in omnes populos Dominus Apostolos suos dimittit, *Matth.* XXVIII. 19. *Marc* XVI. 15.

6. Duratione. XXVI. Sextò, denique Duratione. Vetus abolitum est, utpote constans umbris ac typis, quorum ea est natura, ut accedente corpore quod adumbrant, sponte desinant, & instituuntur solummodò ad tempus: vide *Hebr.* VII. 19. VIII. 13. Novum autem est æternum, *Hebr.* XIII. 20. utpote perfectum, continens omne Dei Patris beneplacitum, voluntatemque ejus bonam, perfectam ac beneplacentem, viamque æternam obtinendi salutem, plenamque peccatorum remissionem consequendi tradens. Est enim *potentia Dei ad salutem cuivis credenti*, *Rom.* 1. 6. Ideoque vocatur *novum*, quasi semper novum; ac tempora Euangelii vocantur *tempora ultima*, *Hebr.* 1. 1. quæ nullum aliud tempus, nullaque perfectior revelatio sequetur.

XXVII. Restat tandem ut eventum ac finem muneris Christi Prophetici consideremus. Hic considerandus est, vel quatenus Christus ipse in persona sua Euangelium in terris prædicavit; vel quatenus post ipsius in cœlum adscensionem jussu ejus ab Apostolis prædicatum est. Utriusque ratione, finis vel est per se, vel per accidens, qui potius eventus dicendus est. *Finis muneris Prophetici.*

XXVIII. Finis per se muneris Christi Prophetici, quatenus ipse in terris Euangelium prædicavit, fuit paucorum instructio. Nam ipse dicit *Matth.* XV. 24. *se non esse missum nisi ad perditas oves domus Israëlis*: & Apostolos constituens mandat ipsis *Matth.* X. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israël.* Finis, seu potius eventus per accidens fuit, rejectio Euangelii facta à pluribus, etiam primoribus populi. Hic enim eventus non provenit ex doctrinæ genio, quæ ad Judæos alliciendos & ad fidem perducendos abundè miraculis signisque divinis erat confirmata; sed ex malitia hominum, gratiam divinam protervè respuentium. *Quatenus Christus in terris Euangelium prædicavit.*

XXIX. Prædicationis Euangelii, quatenus ab Apostolis post Domini adscensionem peractæ, idem fuit eventus per accidens; rejectio nempe Judæorum, eorumque propterea reprobatio à salute, uti in Actis passim videre est. Finis autem per se, prædicatio Euangelii per totum mundum, & conversio gentium ad fidem: in hunc enim finem Dominus Apostolos suos misit in totum terrarum orbem, *Matth.* XXVIII. 19. Et jam olim à Deo gentium Salvator fuit destinatus. *Esa.* XLIX. 6. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Similter *Oseæ* 1. 10. & II. 23, 24. juxta *Rom.* XI. 25, 26. & *Psalm.* LXXII, passim. Verum quidem est, Euangelium ad gentes fuisse delatum occasione rejectionis Judæorum: ita enim Apostolus Judæis inquit *Act.* XIII. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes.* & XVII. 6. XXVIII. 28. & *Rom.* XI. 11. *Illorum delicto salus est gentibus.* Attamen ex dictis prophetiis constat, Dominum *Quatenus ab Apostolis prædicatum est.*

minum Jesum jam olim à Deo distinatum fuisse Servatorem gentium. Videtur itaque prima Domini intentio fuisse, Apostolos primò mittere ad Judæos seu Israëlitas, per omnes gentes dispersos; iisque primus videtur fuisse sensus missionis Apostolorum, cùm Dominus præcepit, ut Euangelium prædicarent omnibus gentibus, id est, Judæis seu Israëlitis per omnes gentes dispersis. Atque ita verba hæc ab Apostolis accepta fuerunt, qui in omnes gentes ingressi Judæis solummodò illic dispersis Euangelium annuntiarunt: Judæis autem conversis, videtur Deus voluisse, ut & gentibus Euangelium prædicaretur, ipsæque ita cum Judæis in unum mysticum corpus coalescerent; ita tamen, ut jam Deus ante plenam Judæis per omnes gentes dispersis factam prædicationem, signa suæ voluntatis dederit, gentes ab Euangelio non esse exclusas; uti ex exemplo Cornelii *Actor.* x. liquet. Sed Judæorum incredulitas occasio fuit, quâ Euangelium citius gentibus promiscuè annuntiatum sit, ut ita Judæi, gentium fide conspectâ, ad æmulationem provocarentur, ut Apostolus ait *Rom.* XI. 11. Unde *Actor.* XIII, 46. Apostolus Judæis non dicit, *vobis solis*, sed *vobis primum* oportebat annuntiari regnum cœlorum.

Illius effecta. XXX. Inde jam hæc sunt consecuta. 1. Ut unus Deus Israëlis, creator cœli ac terræ, ab omnibus ubique populis pro uno vero Deo sit agnitus. Neque enim ulla jam est natio quæ Euangelium recepit, quin Deum Israëlis colat: cùm antea veri illius Dei cognitio intra angustos terræ Israëlis fines conclusa videbatur. 2. Idololatria est extincta, gentiumque idola penitus sunt sublata. 3. Omnium dæmonum oracula, ubicunque fides in Christum est recepta, obmutuerunt; juxta vaticinium *Zachar.* XIII. 2. *Disperdam nomina idolorum de terra; & pseudoprophetas & spiritum immundum auferam de terra.* 4. Sublata est inimicitia inter Judæos & gentes, & ex duobus illis populis unus coaluit, *Eph.* II. 14. *Coloss.* II. 14. Verum est, idololatria & inimicitia contra Judæos ex parte quidem est restituta. Sed 1. alia est idololatriæ species, quàm quæ inter gentes obtinuit; gentium idola penitus sunt abolita. Tum & inimicitia illa exercetur erga Judæos incredulos, ac mysticam illam unitatem respuentem; non verò eò tendit, ut ex Judæis & gentibus conversis duplex constituatur Ecclesia Christiana, quarum una cum altera nihil commune habeat. 2. Nihil id religioni Christianæ, prout à Domino est, obesse potest: non enim hæc restituta sunt ex doctrinæ Christianæ genio, sed per Antichristi spiritum, quem Dominum suo tempore spiritu oris sui destructurum speramus.

CAPUT XVIII.

De Munere Christi Sacerdotali, illiusque Impositione.

Munus Sacerdotale. I. PRopheticum Christi munus excipit Sacerdotale. In eo tria considerabimus. I. Ejus impositionem. II. Functionem. III. Fructus.

Illius impositio. II. Munus Sacerdotale Christo à Deo debuisse imponi, docet divus Scriptor. *Hebr.* v. 4, 5. *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cùm enim Pontifex ex hominibus assumatur, & pro hominibus constituatur ad peragendum ea, quæ coram Deo necessariò peragenda sunt, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, ut dicitur *Hebr.* v. 1. Dei solius est declarare, quem muneris tam excellentis functione dignari velit. Cùm enim tota reconciliatio ejusque modus à beneplacito divino dependeat, etiam ut ipse Sacerdotem constitueret, cujus intercessione hominibus placaretur, necesse fuit. Et cùm omnes homines, nemine excepto, peccatores essent, ac proinde reconciliatione indigerent, neminem ipsi ut Sacerdotem pro se delegare potuerunt, ad peccata sua expiandum; utpote qui ipse alterius expiatione pro peccatis suis indigeret: requirebatur ergo, ut, sicuti Deus sese ultrò placabilem ostendit, etiam ipse Sacerdotem constitueret, cujus interventu plenè hominibus reconciliaretur.

Adstruitur. III. Sacerdotium autem Domino Jesu à Deo Patre impositum esse fusè nos docet Epistola ad Hebræos; quæ nobis magno in pretio est habenda; quia illa officium Christi Sacerdotale multò fusius & distinctius explicat, quàm ulli libri Novi Testamenti; omnesque Veteris Testamenti typos ac sacrificia in eo esse adimpleta accuratissimâ eorundem applicatione demonstrat.

Non est facta ex necessitate naturæ divinæ. VI. Quæritur autem, an Deus, Domino Jesu Sacerdotium imponens, illud fecerit ex necessitate aliqua naturæ, ut satisfaceret justitiæ suæ vindicativæ? Potuissemus illâ quæstione carere. Quid enim necesse est inquirere, quid Deus potuerit, modò de voluntate Dei nobis certò constet? Sed quoniam aliorum importunitate, qui id quàm maximè urgent, constringimur, ut etiam nostram de hac quæstione sententiam aperiamus, æquum est. Ex iis, quæ antea fusius de Justitia Dei vindicativa disputavimus, liquet, nullâ naturæ necessitate Deum constringi ut peccata puniat: nec ergo ullâ naturæ necessitate constringi dici potest, ut pro peccatis, quæ remissurus est, satisfactionem exigat. Quin ipsæ Sacræ Literæ ubique gratuitum Dei amorem, & liberrimum ejus

ejus beneplacitum, deprædicant, tanquam salutis fontem, ex quo processit, non tantum missio Christi in mundum ad redemtionem nostri; sed & ipsa peccatorum remissio, jam oblato sacrificio Christi. Missio quidem Christi in mundum, *Joan.* III. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum*; &c. *Rom.* v. 8. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* 2 *Tim.* I. 9, 10. *Deus nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia*: &c. Vide & 1 *Joan.* IV. 9, 10. Remissio verò peccatorum, *Eph.* I. 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus.* Vide & *cap.* IV. 32. *Coloss.* I. 14. III. 13.

Cur Deus Filio tam duram passionem imposuerit.

V. Dices. Si Deus salvâ justitiâ potuisset peccata absque satisfactione remittere, non imposuisset Filio tam duram passionem, quæ supervacanea fuisset. Resp. Non quicquid absolutè non est necessarium, eo ipso supervacaneum est. Deus pro summa sua sapientia hanc homines ad salutem perducendi rationem elegit tanquam convenientissimam, utpote ad gloriæ suæ illustrationem, & homines à peccatis ad sanctimoniæ studium convertendos, maximè accommodatam. Durâ quippe Filii sui passione, quam ad redemtionem hominum requisivit, odium suum erga peccatum ostendit; cujus nullum effectum, nullo intercedente sacrificio expiatorio, homines conspexissent: atque ita se justum esse judicem injustitiæque vindicem demonstravit. Simul ad sanctimoniæ studium homines excitare voluit; utpote qui facile colligere poterant, nullam se peccatorum, ad quorum expiationem Deus Filii sui unigeniti ac dilecti cruentam mortem exegit, sperare posse veniam, nisi serio illis valedicant, totosque se sanctitati exercendæ tradant. Voluit præterea, ut Christus Jesus dux esset noster, qui cœlum per passiones nobis reseraret, quia per passiones nos ad gloriam cœlestem grassari voluit; ut plenè constaret nobis, etiam per passiones ingressum in illud patere. Inde legimus *Luc.* XXIV. 26. *oportuisse Christum ista pati, & ita intrare in gloriam suam.* Deumque constituisse, ut eâdem ratione fideles ad salutem contenderent, liquet ex *Rom.* VIII. 29. ubi dicitur Deus fideles *prædestinasse, ut conformes sint imagini Filii sui;* sc. ut perinde atque illi per crucem ac passiones ad gloriam contendant. Quod porro docetur 2 *Tim.* II. 11, 12. *Hebr.* XII. 1, 2. his adde *Act.* XIV. 22. 2 *Tim.* III. 12.

Discrimen inter

VI. Ut autem modus, quo Deus munus hoc Sacerdotale Filio suo imposuit, plenius cognoscatur, ante omnia discrimen inter Sacerdotium Jesu Christi & Aaronicum considerandum est. Illud vero varium est ac multiplex.

Sacerdotium Christi & Aaronicum.

Primum.

VII. Primo. Sacerdotium Aaronicum impositum fuit sine juramento; Jesu Christi vero cum juramento; *Hebr.* VII. 20, 21. *Alii quidem sine jurejurando Sacerdotes facti sunt: hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pænitebit eum; tu es Sacerdos in æternum.* Rebus autem minoris momenti confirmandis non solent adhiberi juramenta, sed solummodò præstantioribus. Deinde; Res juramento confirmata rescindi non potest aut immutari: non itaque Sacerdotium Aaronicum juramento confirmari debuit, quia abrogandum & meliori cessurum: Christi verò æternum est duraturum, ideoque juramento confirmatum.

Secundum.

VIII. Secundò. Sacerdotium Christi est secundum ordinem Melchisedec, *Psal.* CX. 4. In eo autem duplex conspicitur discrimen à Sacerdotio Aaronico. 1. Aaronicum non erat conjunctum cum potestate regia; ex alia quippe tribu, Levitica nimirum, assumtum, & familiæ Aaronis speciatim alligatum: unde nec reges functiones sacerdotales exercere potuerunt. Exempla vide in Saul, 1 *Sam.* XIII. 8. & Usiâ, 2 *Chronic.* XXVI. 16. Melchisedec autem simul Rex fuit & Sacerdos Dei Altissimi, *Genes.* XIV. 18. 2. Sacerdotium Aaronicum transiit de patre in filium: Messias autem, perinde uti Melchisedec, nec successit alteri, nec successorem habet; sed illius sacerdotium est ἀπαράβατον & æternum: *Hebr.* VII. 23, 24. *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eò quod manet in æternum, intransibile habet sacerdotium.* Unde & *vers.* 3. de Melchisedeco dicitur, quod fuerit *sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Perperam autem Pontificii hunc Melchisedeci typum ulterius applicant Missæ suæ: quod sicut Melchisedec Deo obtulit panem & vinum, ita & Jesus Christus seipsum obtulerit Deo sub speciebus panis & vini. Primò enim, Melchisedec non obtulit Deo panem & vinum; nulla quippe ratio erat, quæ Mosen movere poterat ad sacrificium aliquod Melchisedeci describendum: sed quidem eum vocandi Sacerdotem, quia narrat Melchisedecum Abrahamo benedixisse. Dicitur autem Melchisedec protulisse panem & vinum, non in oblationem Deo, sed ad cibandum Abrahamum ejusque milites, à persecutione regum defessos, *Genes.* XIV. 18, 19. Deinde, cùm auctor ad Hebræos tam prolixè & sæpius Melchisedeci typum Christo applicet, nullamque hujus significationis mentionem faciat;

manifestum est eam extra Scripturam à Doctoribus Pontificiis, ad sacrificii sui Missatici absurditatem aliquatenus incrustandam, excogitatam esse.

Tertium. IX. Tertiò. In Sacerdotio Aaronico hostia & Sacerdos subjecto differebant; in Sacerdotio Jesu Christi, idem hostia ac Sacerdos: *Hebr.* IX. 12. *Non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta.* Vide & *cap.* X. 5, 6. &c. omniaque illa loca, quibus se ipsum obtulisse, & pro nobis in mortem tradidisse dicitur; *Matth.* XX. 28. *Rom.* V. 8. 2 *Cor.* V. 15. *Gal.* I. 4. 1 *Tim.* II. 6. *Tit.* II. 14. & alibi.

Quartum. X. Quartò. Differunt efficaciâ. Sacrificia enim Aaronica, utpote expiandis solummodò levioribus peccatis instituta, non poterant expiare peccata gravia, quibus pœna mortis erat constituta *Hebr.* X. 4. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Jesus Christus autem seipsum obtulit hostiam pro peccatis omnibus: *Hebr.* X. 12. *Hic unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextra Dei.* 1 *Joan.* I. 7. *Si in luce ambulaverimus, sicut ille* (Deus) *in luce est, sanguis Filii ejus Jesu Christi purgat vos ab omni peccato.* Ita quidem, ut nunquam in posterum conscientia nos torqueat aut condemnet; sed in plenissima illius reconcilatione læti ac fiduciâ pleni acquiescamus. *Hebr.* IX. 13, 14. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ adspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum semet-ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Quamvis enim verba hæc videantur accipi posse de mundatione illa animæ quâ peccatis validicit, & sanctimoniæ operam dat: tamen propriè respici videtur ad mundationem illam, qua conscientia à morsu, quo peccatorem ob peccata præcedentia torquet, liberatur per sensum remissionis peccatorum. 1. Quia non animum aut cor mundari dicit, sed conscientiam. 2. Quia hic sanguis Christi opponitur sacrificiis Veteris Testamenti, non quatenus peccatorem à peccato retrahebant ad sanctitatis studium; sed quatenus ea reatum carnis, id est, inhabilitatem intrandi in templum ac cœtum Israëlis auferebant. 3. Non agitur de sanguine Christi, quatenus operationem quandam circa hominem exserebat ad eum convertendum; illud enim in sequentibus tanquam mundationis hujus finis additur, *ad serviendum Deo viventi*: sed hic agere videtur de ejus operatione in conscientia hominis, quatenus illa Deum respicit ut judicem ac vindicem peccati.

Quintum XI. Inde jam emergit quintum discrimen: Quòd sacrificia Aaronica quotannis, imo quotidie repetebantur; quia erant inefficacia, neque conscientiæ solidam ac plenam poterant adferre tranquillitatem; uti docetur *Hebr.* X. 1, 2, 3. Dominus Jesus autem seipsum semel obtulit, & *unicâ illâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, *Hebr.* X. 14. Unde *vers.* 10. dicit: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Et *vers.* 12. *Hic unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextra Dei.* Et prolixè *cap.* IX. 25, 26, 27, 28. & *cap:* VII. 27. Quod observandum contra Pontificios, qui statuunt in Missa sua esse repetitionem sacrificii Jesu Christi. Primò enim manifestè docet Scriptor ad Hebræos locis citatis, Christi sacrificium non repeti, sed semel esse peractum. 2. Quæ repetitio sacrificii Christi esse potest, ubi nulla est sanguinis Christi effusio? Et sacrificium hîc fingere incruentum, est contradictoria fingere. 3. Injurium est illud sacrificium vero sacrificio Christi; insimulat enim Christi sacrificium insufficientiæ & inefficaciæ, quasi continuâ repetitione indigeat; cùm Christus unica oblatione, ejusque in cœlo continuatione, nos plenè Deo reconciliet, peccatorumque remissionem obtineat.

XII. Sextò. Sacerdotium Leviticum peractum est in terris: Sacerdotium Jesu Christi inchoatum quidem est in terris, sed in cœlo est consummatum. *Hebr.* IX. 24. *Non in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Cap.* VII. 26. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens*, &c. *& excelsior cœlis factus*, Vide & *cap.* VIII. 1. & 4. Hinc & *cap.* IV. 14. vocatur *Pontifex magnus, qui penetravit cœlos.* Adeo ut Sacerdotium Christi multis modis Aaronicum antecedat. *Sextum.*

CAPUT XIX.

De Functione Muneris Sacerdotalis, Oblatione & Intercessione.

I. FUnctio consistit in ipsa muneris Sacerdotalis apud Deum administratione. Illius duas cum omnibus fermè Theologis statuimus partes: Oblationem nimirum & Intercessionem: quibus quasi tertiam quidam addunt, Benedictionem. Verùm ea sub prioribus commodò comprehenditur, quatenus Christus per illas non tantum jus benedictionem nobis conferendi acquisivit: sed & quatenus benedictio reliquarum complementum est, ipsæque in illa terminantur. *Duæ functionis Sacerdotalis partes.*

II. Oblatio est, quâ Jesus Christus seipsum Patri suo obtulit in hostiam & victimam expiatoriam pro peccatis nostris. Illius respectu dicitur *seipsum pro nobis dedisse*, *Tit.* II. 14. & *pro peccatis nostris*, *Gal* I. 4. & qui- *I. Oblatio. Inchoata in terris.*

quidem *in oblationem & victimam Deo in odorem suavitatis*, *Eph.* v. 2. Oblatio hæc peracta est partim in terra, partim in cœlis. In terra: quando seipsum, ut mandato Patris obediens esset, ultrò ac liberè tradidit in mortem cruentam ac maledictam, sanguinemque suum pretiosum, tanquam redemtionis pretium, effudit pro nobis: quam obedientiam, ad mortem usque crucis, Pater ita gratam habuit, ut sanguinem illum, tanquam plenariam persolutionem pro peccatis nostris, acceptaverit de manu Filii sui, illoque se moveri passus sit ad plenam nobis peccatorum remissionem donandum. Hinc dicitur *propter peccata nostra mortuus; peccata nostra tulisse in cruce*, *seipsum dedisse redemtionis pretium pro nobis*; & quæ sunt similes locutiones: *Matth.* XX. 28. *Rom.* IV. 25. 1 *Pet.* II. 24. 2 *Corinth.* V. 15. & 21. & alibi passim.

Consummata in cœlis. III. Perfecta autem & consummata est in cœlis: quia per sanguinem suum cœlum antea clausum, *Hebr.* IX. 8. aperuit, *vers.* 12. atque ita per proprium sanguinem cœlum ingrediendo eum quasi intulit in sacrarium, Deoque Patri suo præsentavit. Quod docetur in *Epist. ad Hebr.* passim, præsertim *cap.* IX. illustratque id divus Scriptor exemplo ac similitudine summi Pontificis sub Veteri Testamento. Quia maxima inter oblationem Jesu Christi & oblationem victimarum, præsertim victimæ illius anniversariæ, per Pontificem sub Veteri Testamento quotannis offerendæ, convenientia ac similitudo est. Sicut enim mactatis victimis Pontifici per sanguinem, & non sine sanguine, aditus patebat in tabernaculum, *Hebr.* IX. 7. Ita & Dominus Jesus non nisi per proprium sanguinem cœlum antea clausum aperuit, *Hebr.* IX. 8, 12. & in illud tanquam Sacerdos ingressus est, *vers.* 24. & *cap.* X. 19, 20, 21. quod *habeamus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam; & Sacerdotem magnum super domum Dei.* Et *cap.* V. 8, 9, 10. *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.* Hinc *Rom.* IV. 25. dicitur *traditus propter delicta nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram.* Deinde: Sicut sanguis victimæ mactatæ inferebatur à Pontifice in Sanctuarium, ibique spargebatur, atque adeo Deo repræsentabatur; & hac suâ actione Pontifex expiationem peccatorum quasi procurabat apud Deum: Ita & sanguis Jesu Christi in cœlo, non propriè, sed modo quodam loquendi, Deo est præsentatus; quatenus Jesus Christus, qui non nisi per proprium sanguinem cœlum intravit, sese in cœlo coram Patre pro nobis sistit: atque ita figuratâ quadam loquendi ratione, vulnera sua ac sanguinem Patri ostendere, sanguinemque suum Patri offerre dici potest; remissionemque peccatorum nostrorum tam efficaciter procurare, non aliter ac si sanguinem suum continuò Patri ostentaret. Simili locutione, qua *Hebr.* XII. 24. *Sanguinis Christi aspersionem meliora loqui* dicitur *quàm Abelis:* allusione factâ ad Abelis sanguinem; sicut enim ille vindictam clamabat contra fratrem apud Deum, *Genes.* IV. 10. ita sanguis Jesu Christi pro hominibus peccatoribus effusus remissionem flagitat apud Deum.

IV. Quæ cum ita sint, patet jejunè nimis de morte Christi illos sentire, qui eam præparationem tantum ad oblationem, in cœlo solummodò peragendam, vocant, Dominoque Jesu in terris degenti functiones Sacerdotales non attribuunt. Licet enim ultro fateamur, Sacerdotium Jesu Christi passim, præsertim in *Epist. ad Hebr.* variis locis, interque alia *cap.* II. 17. IV. 14. VII. 26. VIII. 1, 2, 3, 4. IX. 12, 24, 25. nobis describi, tanquam in cœlo administratum: non tamen id facit ad exclusionem earum functionum, quæ in terra peractæ, & suo modo consummatæ sunt. *Mors Christi etiam vere est oblatio, & non ad eam præparatio tantum.* Quamvis enim Dominus Jesus, dum in terris fuit, in terminis non vocetur Sacerdos; actiones tamen sacerdotales illi attribuuntur; ut quod *sese tradidit pro nobis oblationem & hostiam in odorem suavitatis*, *Eph.* V. 2. Quod *dederit animam suam redemtionis pretium pro multis*, *Matth.* XX. 28. quod *sanguinem pro multis effuderit in remissionem peccatorum*, *cap.* XXVI. 27. passim quòd *pro nobis sit mortuus.* Distinguendum itaque inter actus & functiones sacerdotales Jesu Christi, quarum una ad alteram collata rationem habet initii & inchoationis; altera verò rationem consummationis. Mors Christi, seu oblatio in cruce facta, respectu repræsentationis coram Deo Patre in cœlis, rationem habet initii seu inchoationis sacrificii Christi; quæ tamen in sese spectata suo modo in terra perfecta fuit. Hinc *Hebr.* IX. 25. & *seqq.* dicitur se obtulisse cum mortuus est: probans enim Christum *non intrasse in cœlum*, *ut seipsum sæpius offerat*, hoc argumento utitur; quod *aliàs oportuisset eum frequenter pati ab origine mundi*: quæ ratio non stringeret, si mors Christi oblationis ipsius pars non esset. Et *cap.* X. 12. *Hic unâ pro peccatis oblatâ hostiâ, in sempiternum sedet in dextra Dei*; apertè docens, Jesum Christum jam ante suam ad dextram Dei sessionem sese obtulisse. Et 1 *Pet.* II. 24. dicitur *peccata nostra in corpore suo super lignum tulisse:* id est, propter peccata nostra crucis mortem tulisse, atque ita peccatorum nostrorum reatum abstulisse; quod alia ratione, quàm oblatione ac sacrificio pro peccatis nostris non fecit. Quid quod 2 *Cor.* V. 21. dicatur Deus Jesum, *qui peccatum non novit, peccatum fe-*

cisse pro nobis; quod nihil aliud quàm mortem ejus respicere potest: sensus enim est, Deum Patrem Jesum, qui peccatum non novit, ita voluisse tractari, perinde ac si peccator esset, eamque crucis mortem maledictam subire, quæ solis debita erat peccatoribus: quia autem addit, Jesum factum *peccatum pro nobis*, manifestè ostendit, diram illam ac maledictam mortem sacrificii rationem habere, imo sacrificium pro peccatoribus esse propriè dictum. Idem sensus est verborum *Gal.* III. 13. *Christus nos liberavit à maledictione Legis, factus maledictio pro nobis*; nempe quando in cruce pendebat; sequitur enim: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

Consummatio ejus est in cœlis.

V. At comparitio Domini Jesu redivivi in cœlis, ejusque coram Deo Patre præsentatio seu oblatio, rationem habet consummationis sacrificii. Christus enim, per sanguinem suum in cœlum ingressus, illius vim propiu s applicat, atque ita sacrificium suum plenè perficit ac consummat. Quia autem mors Christi rationem habet initii oblationis, ingressus autem in cœlum rationem consummationis; hinc in *Epist.* ad Hebr. variis in locis ita loquitur divus Scriptor, perinde ac si Christus tum esset factus Sacerdos, quando sese in cœlo coram Patre præsentavit; quoniam tunc functiones illas obivit, quas mortem præcedere necesse fuit, & per quas propior mortis applicatio facta est; uti clarè videre est *Hebr.* II. 17. & IX. 24. Illud tamen nullo modo ad exclusionem mortis facit: imo potius mors oblatione includitur: unde & illi soli ejusque sanguini aliquoties Scriptura peccatorum nostrorum expiationem adscribit, eamque vocat *redemtionis pretium pro nobis*; nullâ oblationis in cœlis peractæ factâ mentione: ut inter alia *Rom.* V. 9, 10 *Eph.* I. 7. *Coloss.* I. 14.

Refutatio objectionis.

VI. Hic forte objiciet quis, victimæ mactationem in Veteri Testamento non fuisse partem oblationis, sed solummodò præparationem ad illam. Resp. 1. Fateri nos libenter, victimæ mactationem non esse partem illius oblationis, quæ à Pontifice in Sancto Sanctorum fiebat, cum qua oblatio Christi in cœlis facta comparatur: fuit tamen pars sacrificii, prout plenè & integrè consideratur, & suam etiam perfectionem habuit. 2. Alia est ratio mortis Jesu Christi, alia victimarum sub Veteri Testamento: illæ enim à Sacerdotibus rapiebantur & trahebantur ad immolationem; Jesus Christus verò ultrò ac libere se in mortem tradidit ex amore ingenus humanum. Itaque licet victimæ mactatio sub Veteri Testamento pars sacrificii non esset, idem tamen de morte Christi, ob maximum inter utramque discrimen, dici minimè posset.

Cur morti Christi remissio peccatorum adscribatur.

VII. Dicet forte alius: Si mors Christi rationem initii oblationis habet, præsentatio autem in cœlis rationem consummationis; cur ergo soli morti Christi remissio peccatorum ordinariè adscribitur? Resp. Quia mors, uti ex dictis liquet, summam ad peccata nostra expiandum efficaciam habet, oblatioque in cœlis omnem suam à morte efficaciam nanciscitur. Et sanè varia in morte Christi occurrunt, quæ illi efficaciam istam conferunt. Primò enim habemus promissum ac voluntatem Dei, qui humani generis redemtioni pretium hoc mortis Christi constituit: *Esa.* LIII. 10, 11. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini per manum ejus prosperabitur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur: In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam*, &c. Adeo ut Deus humani generis redemtionem noluerit alio pretio, quàm Filii sui sanguine peragi. 2. Consideranda est personæ dignitas: quia Filius Dei: *Joan.* III. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum*, &c. *Rom.* VIII. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed eum pro nobis omnibus dedit*: Sic & 1 *Joan.* IV. 9, 10. & alibi. Quæ personæ dignitas magnum virtuti mortis Christi pondus confert. 3. Innocentia ejus ac vitæ puritas: Hinc 1 *Pet.* I. 18, 19. dicitur *agnus immaculatus*: *Cap.* II. 22. *peccatum non fecisse, neque inventa esse fraus in ore ejus*: & *cap.* III. 18. *justus*. 4. Obedientia promptissima ad mortem usque, & mortem quidem crucis; *Phil.* II. 7, 8. *Hebr.* X. 5, 6, 7. 5. Tandem gravitas perpessionum, summa nempe animi angustia, & mors maximè maledicta ac cruenta. Ideo *Esa.* LIII. 11. dicitur *laborasse anima ejus*; & *Gal.* III. 13. ipse *factus maledictio pro nobis*. Quæ cùm ita sese habeant, rectè concludimus, oblationem Jesu Christi non solummodò peractam in cœlis; sed & in terra, mortemque illius eximiam esse partem.

2. Intercessio.

VIII. Secunda functio est Intercessio. Quid ea sit, & quomodo ab Oblatione differat, operæ pretium est paulo penitius inquirere. Quidam ad hanc referunt etiam preces illas, quas Dominus Jesus in terris degens fudit pro discipulis, aliisque: sed minus rectè: illæ enim potius ad propheticum ipsius munus pertinent: Prophetæ enim, ut antea vidimus, est pro populo orare. Propriè ad illam respectat officium, quod nunc pro nobis peragit in cœlo. Huc referri potest id quod legimus *Joan.* XIV. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*: ibi enim tempus adscensionem Domini secuturum respici manifestum est. Etiam eximia illa precatio *Joan.* XVII. paulò ante captivitatem effusa, quâ discipu-

scipulos suos, omnesque in se credituros, Patri suo commendat: quæ Interpellationis, quæ in cœlo fit, typus quidam ac figura esse videtur. Directè autem huc spectant loca, quibus in cœlo pro nobis interpellare dicitur: ut *Rom.* VIII. 34. *Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Hebr.* VII 25. *Unde & Jesus servare potest in perpetuum* (seu perfectè) *eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis.* 1. *Joan.* II. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.*

Quid sit. IX. Sed nunc inquirendum, quid illa Intercessio sit, quâ Christus nunc in cœlis exaltatus, & gloriosè ad dextram Dei Patris regnans, fungitur.

Non est humilis supplicatio. X. Primò certum est, non esse humilem supplicationem ac precationem, quâ Dominus Jesus flexis genubus coram Patre prostratus, manibusque expansis, qui supplicantium gestus, pro nobis orat. Pugnat enim id cum statu gloriæ & potestate regiâ ipsi in cœlo ac terra concessa, *Eph.* I. 20, 21, 22. *Hebr.* I, 3. Nec etiam denotat simplicem affectum, quo Dominus Jesus propensus est ad peccata nostra expiandum, nobisque salutem dandum. Id enim jejunum nimis est: neque talis affectus denotat functionem aliquam Jesu Christi pro nobis apud Patrem, sicut de Intercessione passim Scriptura loquitur: sed est mera tantum propensio & affectus internus erga nos nostramque salutem, qui in Domino Jesu etiam fuit, cùm adhuc in terris versaretur, antequam in cœlum adscendisset, imo is causa est, quòd mortem pro nobis obierit: *Joan.* XV. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ponat quis pro amicis suis.*

Sed apparitio coram Patre, & continua applicatio remissionis. XI. Itaque aliud nihil Intercessione hac intelligi posse videtur, quàm præsentia & apparitio Jesu Christi coram Patre, & continua applicatio remissionis ad salutem, per oblationem sanguinis sui partam: quæ apparitio figuratâ loquendi ratione intercessio appellatur: quia aliquam cum intercessione analogiam habet. Sicut enim advocatus suâ intercessione rei causam agit, & ipso intercessionis suæ actu, & quamdiu rei causam agit, pœnam suspendit; totaque ejus intercessio eò spectat, ut reus absolutionem à judice impetret; ita & Dominus Jesus suâ intercessione nostram causam agit apud Patrem, pœnamque peccatis nostris debitam suspendit. Sed verò advocati metaphora totam muneris Christi rationem non exhaurit. Non enim Christus instar terrenorum patronorum causam dubiam agit, de eventu anceps ac dubius; sed de eventu certus continuum nobis commodat patrocinium, & liberationem à pœnâ efficacem procurat, quæ continuum sacerdotii ipsius effectum est. Perinde sicut præsentia & comparitio Josephi in aula apud Pharaonem (ut eam simili hoc aliquatenus illustremus) perpetuum & efficax medium fuit favoris & gratiæ regiæ obtinendæ erga fratres & consanguineos suos. Ita enim se res habet. Christus per proprium sanguinem ingressus est in cœleste ac æternum sanctuarium, ibique comparet coram facie Patris sui pro nobis, seque hac ratione pro nobis offert. Non quòd sanguinem suum propriè Patri offerat: sed quia in cœlo, in quod non nisi per proprium sanguinem ingressus est, seipsum coram Patre exhibet, tantumdem est ac si cruentus ac sanguine proprio adspersus se coram Patre exhibeat, & vulnera sua quasi continuò hiantia, sanguinemque quem pro peccatis hominum fudit emittentia, Patri ostentet. Quia verò in eo maxima est efficacia ad remissionem pro nobis impetrandum, & à condemnatione liberandum; ideo Scriptura, ut efficaciam illam exprimeret, figurato loquendi modo dicit, Dominum Jesum pro nobis apud Patrem intercedere; id est, tam efficaciter procurare & obtinere remissionem peccatorum ac salutem nostram æternam, non aliter ac si coram Patre prostratus jaceret, vulnera sua ostendens, suppliciterque orans, ut propter illa hominibus peccata condonet. Adeo ut ex hisce liquere videatur, Intercessionem non esse actum reipsâ ab oblatione, quatenus in cœlo peragitur, distinctum; nam & oblatio phrasi comparitionis coram Patre exprimitur; sed vel sub oblatione posse comprehendi; vel esse effectum illius immediatum ab eaque inseparabilem; vel potius unam ad alteram relatam habere rationem inchoationis, alteram vero continuationis; adeo ut oblatio sit intercessio inchoata; & intercessio oblatio continuata.

XII. Ut autem intercessionis hujus vis melius percipiatur, attendendum intercessionem opponi solere accusationi: ita & hæc Jesu Christi intercessio consideranda est tanquam opposita accusationi, eique duplici: uni, quam adversus nos instituit diabolus, qui propterea *Apoc.* XII. 10. vocatur κατήγορος *accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Alteri, quam adversus nos instituunt peccata, quibus clamor ad Deum tribuitur, quo vindictam efflagitant, *Jacob.* V. 4. Unde sanguis Christi *meliora loqui* dicitur *quàm sanguis Abel*, *Hebr.* XII. 24. quia clamorem illum peccatorum diluit. *Opponitur accusationi.*

XIII. Cavendum autem hîc, ne functionem hanc cum munere Christi regio confundamus; perinde quasi aliud nihil sit, quàm præstatio & actualis communicatio eorum, quæ ad fidem & conversionem necessaria sunt ut peccatorum remissionem adipiscamur. Sic enim omnis hujus functionis efficien- *Non est confundenda cum munere regio.*

efficientia versaretur circa hominem; cùm contra Scriptura doceat, eam versari circa Deum: quia enim dicit, Christum *interpellare pro nobis*, *Rom.* VIII. 34. *comparere coram Patre pro nobis*, *Hebr.* IX. 24. esse *advocatum nostrum apud Patrem*, 1 *Joan.* II. 1. manifestè docet, functionem hanc Sacerdotalem totam circa Deum Patrem occupari, ut eum propitium reddat hominibus. Manifestum certè est discrimen inter Regem & Sacerdotem. Rex quippe minister Dei est apud homines, *Rom.* XIII. 1. *& seqq.* at Sacerdos constituitur ut sit legatus aut intercessor pro hominibus apud Deum, *Hebr.* V. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quod si duo munera hæc confundamus, perit omnis ἐνάργεια & elegantia collationis, quam divus scriptor ad Hebr. instituit inter Sacerdotes Aaronicos Veteris Testamenti, & Dominum nostrum Jesum Christum, tanquam summum Novi Testamenti Pontificem secundum ordinem Melchisedec.

Quo sensu Christo tribuatur thronus gratiæ.

XIV. Dices. Attamen Domino Jesu Pontifici nostro tribuitur thronus gratiæ & potestas nos juvandi & liberandi: *Hebr.* II. 17. 18. & IV. 15. 16. quæ propriè regum sunt. Resp. Quia divus scriptor *cap.* I. Dominum Jesum nobis proposuit tanquam regem, perinde uti & Melchisedecum, *cap.* VII. illi etiam tanquam regi thronum adscribere debuit: nequaquam tamen munus regium cum Sacerdotali confundere voluit, sed utrumque conjungere. Tribuit ergo thronum gratiæ Jesu Christo, qui Pontifex, sed non quà Pontifex est, sed qua Rex à Patre constitutus. Est ergo Rex simul ac Pontifex, ac proinde Pontifex, qui quatenus Rex thronum habet gratiæ.

Nec etiam repugnat muneri regio.

XV. Sed nec ab altera parte credendum, functionem hanc intercessionis pugnare cum potestate regia Domini nostri Jesu Christi. Nam sicut duo ista munera, Sacerdotale nimirum & regium, simul consistere nequeunt, si regium munus concipiatur tanquam supremum, independens, nullique subordinatum (qui enim rex talis est, quâ ratione alium tanquam superiorem oret, aut apud eum intercedat?) ita optimè conveniunt, si regnum consideretur tanquam ab alio collatum, ejusque supremæ potestati subordinatum, ab eaque dependens: quale est regnum Domini nostri Jesu Christi, ipsi tanquam mediatori à Patre concessum. Sic utraque hæc functio optimè convenit in Melchisedeco. Sic videmus Josephum regiâ potestate donatum, solum tantum supra se habentem regem Pharaonem intercedentem, *Genes.* XLVI. & XLVII. Eodem modo & Christo potestas regia & intercessio, seu Pontificatus, simul attribuitur, *Rom.* VIII. 34. *Hebr.* VIII. 1, 2.

Benedictio.

XVI. Quia vero Dominus Jesus per Oblationem & Intercessionem suam à Patre potestatem accepit æternam nobis conferendi benedictionem; hinc & illa ad munus ejus Sacerdotale referri debet, & sub duabus hisce functionibus comprehendi potest, utpote quæ in illa consummationem suam accipient. Illius expressè meminit divus Scriptor *Hebr.* IX. 28. *Christus semel oblatus est, ad multorum peccata auferendum: secundò sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem.* Alludit ad factum Pontificis, quem, cum reatu peccatorum in Sancta Sanctorum ingressum, populus exspectabat, dum ipse interim sanguine victimæ peccata populi expiaret; qui postea egrediens populo jam à peccatis expiato benedicebat, omniaque à Deo fausta vovebat ac precabatur. Ad eundum modum etiam Christus semel cœlum est ingressus, ad expiandum nostra peccata oblatione & intercessione suâ: interim à fidelibus suis non conspicitur, sed exspectatur ab iisdem ut egrediatur ipsisque benedictionem divinam conferat: tempore autem ultimi judicii egredietur ad suos sine peccato, id est, sine reatu peccatorum, quæ jam per ipsum expiata sunt; ablatique illius reatus effectum suis præstabit, non tantum fausta illis vovens ac precans, instar Pontificis Levitici; sed & conferens, & divinâ sua virtute ex morte vindicans ac salute æternâ donans. Hæc verò benedictio, sicut tanquam muneris Sacerdotalis complementum considerari potest; ita non ratione considerandi ab actu regio, quo salutem credentibus largitur in judicio extremo, differt.

CAPUT XX.

Examen sententiæ Socini de Satisfactione Jesu Christi.

Triplex de redemtione Christi sententia.

I. EX hisce facile liquet, quis sit Sacerdotii Jesu Christi actus, nempe impetratio remissionis peccatorum, & redemtio nostri. Qua autem in re ea consistat, non eadem omnium est sententia.

Socini refellitur, ex natura Sacerdotii.

II. Socinus, & qui cum ipso sentiunt, illam in eo collocant, quòd Christus, per proprium sanguinem in cœlum ingressus, potestatem à Patre acceperit in omnia; quâ præditus, homines à peccatis ad justitiam convertat, & sic eorum expiet peccata, ipsosque Deo reconciliet. Sed verò, nimis id dilutum est, quàm ut in eo Sacerdotium Christi compleri judicetur: Hoc enim, quod ipsi Christo tribuunt, tanquam Propheta & Rex facere potest. Quis verò hic est actus Sacerdotalis? quæ oblatio? Nudus tantum est ingressus in cœlum & otiosa tantum præsentatio, quæ nullam vim aut efficaciam

caciam propriè dictam habet apud Patrem, iram ejus super peccatis nostris accensam placandi; quod Sacerdotis est: sed acquisitio tantum potestatis soli Patri subordinatæ, quâ, per Spiritum sibi à Patre datum, homines à peccatis convertere, & conversis pro suprema sua potestate peccata condonare potest. At verò totum illud Regis est. Ut propterea Sacerdos jure meritò vocari possit, necesse est ut actu aliquo Sacerdotali, qui vim & efficaciam propriè dictam habet apud Patrem, eam adeptus sit: perinde ut Sacerdos Veteris Testamenti, qui in sanctuarium ingressus sanguinis oblatione Deum placans, postea potestatem populo benedicendi accepit à Deo. At vero, secundum ipsos, nulla ejusmodi actio sacerdotalis intercessit; quia jam Deus peccata remittere volebat, juxta eorum sententiam, antequam hæc oblatio Christi fieret.

Quid proprie sit Sacerdotium.

II. Non itaque regnum Christi cum ipsius Sacerdotio confundendum est. Rex, perinde ut Propheta, (uti diximus) minister Dei est, mandata vicemque Dei gerens apud homines. Sacerdotis autem actio tota pro hominibus occupatur apud Deum, uti dicitur *Hebr.* v. 1. Idque evidentissimè liquet ex Sacerdotio Veteris Testamenti hujus Sacerdotii typo: tota enim illius functio circa Deum occupata fuit. Hinc ritibus quibusdam sacris Sacerdotes initiari debebant, omnisque impurus, mutilus, aut aliquo corporis vitio notatus à sacerdotio arcebatur, ut ita Deo consecrati, ipsi ministrarent. Ita eorum functio vocatur *ministerium Dei*, *Exod.* XXVIII. 41. XXXIX. 44. & alibi; quia nempe sacrificia offerendo fungebantur officio, quod propriè circa Deum occupatur. Quod clarius explicatur phrasi *ad Deum appropinquandi*, *Levit.* x. 3. XXI, 21. *Ezech.* XL. 46. XLIV. 13, 14, 15. Quæ evidentissimè evincit, munus ipsorum non circa homines propriè, sed circa Deum occupatum fuisse. Hinc & victimas dicuntur immolare, & Deo offerre, in Levitico passim. Ideoque & sacrificia primò in tabernaculo, deinde in templo fieri debebant, quæ durante œconomia legali Dei peculiare habitaculum fuerunt; ut ita victimarum sanguis in templum, & victimæ illius anniversariæ in sanctum sanctorum, ipso expiationis die, illatus, Deo offerretur, & quasi in ejus conspectu spargeretur, nullam aliam ob causam, nisi ad impetrandum remissionem peccatorum populi, & facultatem populo jam reconciliato benedicendi. Ut itaque sacrificium Christi tanquam antitypus typo suo respondeat, necesse etiam est, ut illius operatio propriè circa Deum occupetur.

Etiam ex Scriptura.

IV. Sed & Socini sententia validius convellitur, si consideremus vim & efficaciam, quam Scriptura passim morti Christi adscribit. Exinde enim liquebit eam habuisse rationem sacrificii propriè dicti, per quam Deus ex irato placatus est redditus, peccataque, iræ suæ causam, remittere voluit.

Quando Christus vocatur victima pro peccatis.

V. Ac primò quidem id evincunt omnia Scripturæ loca, quibus Christus vocatur victima ac oblatio pro hominibus, aut pro peccatis hominum. Ut *Esa.* LIII. 10. *Eph.* v. 2. *Hebr.* IX. 14, 26. X. 10 & alibi. Ex illis enim ostendimus, similitudine adhibita inter victimas ac oblationes Veteris Testamenti & oblationem Jesu Christi æterni Sacerdotis, quòd sanguinis sui effusione suique ipsius oblatione, Deum iratum placaverit, remissionemque obtinuerit. Sanè oblationum expiatoriarum, quæ fiebant pro peccato, ea fuit vis, ut in ipsas quasi ira Dei derivata, homo eâ liberaretur: hoc est, ut ipsis infligeretur mors violenta, cujus intuitu Deus hominem, peccato suo mortem meritum, in gratiam reciperet. Hinc &, quando oblationes ejusmodi præcipiuntur, additur plerumque, *& rogabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei*, aut, *propitius erit ei Dominus*; *Levit.* IV. 20, 26, 31, 35. *cap.* V. 10, 13, 16, 18. &c. Manifesto indicio, quod ipsa sui oblatione peccata auferebant, id est, reatum ac pœnam tollebant. Hinc & victimarum capiti manus imponebantur, quasi hoc ritu peccata hominum in illas transferrentur, *Levit.* I. 4. XVI. 21. Ut itaque typus rectè respondeat antitypo suo, necesse est, ut mors à Christo suscepta rationem habeat gravis mali Christo impositi, quo pœnam peccatis nostris commeritam quasi in se transtulit, & hac sua passione Deum placavit, nostrorumque peccatorum remissionem obtinuit. Huc quoque pertinet 2 *Cor.* v. 21. ubi Christus, qui peccatum non novit, dicitur à Deo *Factus peccatum pro nobis*: quia durâ adeo morte, Christo ob peccata nostra impositâ, peccatorum nostrorum pœna quasi in ipsum translata est.

Propitiatio.

VI Idem 2. clarius probant omnia illa loca, quibus Christus ἱλαστήριον & ἱλασμὸς pro peccatis nostris appellatur; *Rom.* III. 25. 1 *Joan.* II. 2. & IV. 10. & ἱλάσκεσθαι *peccata populi*, *Hebr.* II. 17 Quibus loquendi formulis manifestè indicatur, Dominum Jesum Patrem suum nobis propitium reddidisse: & sive id applicetur morti Jesu Christi, sive illius apparitioni in cœlo coram Patre, semper constat, omnem propitiationis hujus efficaciam à morte, quam Christus pro peccatoribus sustinuit, derivandam; cùm apparitio illa in cœlo, nisi per sanguinem, quem Deus, ut pro peccatis nostris fusum, intuitus est, facta foret, ad nostri cum Deo reconciliationem inefficax fuisset

Propter peccata nostra mortuus.

VII. Tertiò. Idem plenius evincunt omnia illa loca, quibus Christus *pro peccatis nostris* vel *propter peccata mortuus* dicitur: ut *Esa.* LIII. 4, 5, 6. 1 *Cor.* XV. 3. *Galat.* I. 4. 1 *Pet.*

1 *Pet.* III. 18. Quibus in locis occurrunt voculæ ὑπὲρ & περὶ: illis autem denotatur caufa impulfiva, quæ Deum Patrem moverit, cur Chriftum pro nobis mori voluerit, nim. peccata noftra. Quo fenfu vocula hæc ufurpatur *Rom.* XV. 9. ubi gentes dicuntur *laudare Deum* ὑπὲρ ἐλέυς 2 *Cor.* I. 11. *Gratiæ agantur* ὑπὲρ ἡμῶν. Et *cap.* XII. 10. *in angustiis* ὑπὲρ Χριστοῦ. Quibus in locis, aliifque, voculam ὑπὲρ caufam denotare impulfivam extra dubium eft. Eadem eft vis vocis περὶ. 1 *Cor.* I. 4. *Gratias ago Deo* περὶ ὑμῶν. *Judæ verf.* 15. *Deus arguet impios* περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας. Sed objiciunt, voculas hafce non caufam impulfivam, fed finalem defignare, feu quonam refpiciat, & in quem veluti fcopum mens agentis intendat. Refp. Si confideremus voces illas feorfim, non diffitemur quin alicubi, imo aliquoties, caufam finalem denotent; fed fi integra phrafis confideretur, explicatio hæc admitti hifce locis non poteft. Non enim peccata noftra pro fcopo habuit. Dices. Mortuus eft ut peccata noftra aboleret. Refp. Impropriam admodum effe locutionem, pro peccatis mori, id eft, ad deftructionem peccatorum mori, feu ut peccata deftruas. Tum enim non peccata, fed eorum deftructio intenditur. Dices. Similem occurrere locutionem *Rom.* IV. 25. ***Qui traditus eft propter delicta noftra, & refurrexit propter juftificationem noftram.*** Et 1. *Cor.* VII. 2. ***Propter fornicationem unufquifque fuam uxorem habeat***; ubi vocula ***propter*** non poteft denotare, nifi finem, qui eft in priore loco deftructio peccatorum, in pofteriore, evitatio fcortationis. Refp. 1. Duobus hifce in locis occurrere voculam διὰ, non ὑπὲρ & περί: de quarum fenfu propriè controvertimus. 2. Non liquere, in loco *Rom.* IV. 25. fignificare finem: non enim fequitur, licet διὰ in pofteriore textus illius membro defignet caufam finalem, etiam in priore membro illam defignare: quia in priore mortis paffioni additur; atqui paffionibus addita femper fignificat caufam impulfivam, ut *Eph.* V. 6. *Levit.* XXVI. 28. *Deuter.* XVIII. 12. neque etiam ipfi eundem illi fenfum tribuunt; fecundum ipfos enim mortuus eft ad deftructionem peccatorum; fed non ad deftructionem juftificationis refurrexit. 3. Efto in locis iftis hunc fenfum admittendum effe; ipfa contextus ratio docet, illam interpretationem neceffariò hic (faltem in pofteriore loco) effe quærendam; non enim conjugii finis eft fcortatio, fed fcortationis vitatio. Contrarium autem locum habet in locis allegatis, quibufdam faltem, ubi Chriftus *pro peccatis noftris mortuus* dicitur; contextus enim ratio evincit, non caufam finalem, fed impulfivam intelligendam effe: quod inter alia manifeftiffimè apparet *Galat.* I. 4. ubi Chriftus feipfum dediffe dicitur ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *ut eriperet nos de præfenti feculo nequam.* &c. Illa enim ultima verba caufam finalem continent: fi jam prioribus eandem contineri velimus, jam bis idem dictum fuerit ab Apoftolo, fenfufque erit planè alienus: Chriftus dedit femetipfum ut deftruat peccata noftra, eo fine ut eriperet nos de præfenti feculo nequam: quæ foret tautologia admodum inficeta & impertinens. Si vero caufam impulfivam denotet, fenfus erit elegantiffimus: Chriftus dedit femetipfum pro peccatis noftris, feu propitiationem pro peccatis noftris; ut ita reatu peccatorum noftrorum abolito nos eriperet de præfenti feculo nequam: hoc eft, à peccatis converteret ad juftitiam. Idem dici poteft de *Efa.* LIII. ubi Chriftus non tantum dicitur *vulneratus propter iniquitates noftras*, fed & *languores noftros tuliffe*; & quod *Dominus omnium noftrûm iniquitatem in eo pofuerit*: perinde quafi peccatorum noftrorum tranflatio a nobis in Dominum Jefum Chriftum facta fit, ut morte cruentâ ea expiaret.

Cur in hoc negotio nunquam ira, fed femper amoris divini meminerit Scriptor.

VIII. Sed, inquiunt, Deus, cum Filium traderet in mortem, iratus nobis non fuit, fed ex amore Filium nobis mifit: nunquam enim iræ divinæ, fed femper amoris Scriptura meminit, quando de miffione Filii in mundum loquitur. Refp. 1. Deum ob peccata hominibus irafci, notius eft, quàm ut probatione indigeat: videantur inter alia *Pfal.* V. 5. *Efa.* LIX. 2. *Coloff.* III. 6. Etiam eo tempore, quo Filium in mundum mifit, iram Dei erga peccata accenfam docet Apoftolus *Rom.* I. 18. ***Revelatur ira Dei de cœlo fuper omnem impietatem & injuftitiam hominum***, &c. *Eph.* II. 3. *Eramus naturâ*, feu verè, *filii iræ, ficut & cæteri.* 2. Sed verò ira Dei non femper eodem fignificatu accipitur. Quandoque denotat affectum puniendi, magnitudine ac gravitate peccati exftimulatum, non tamen cum immutabili propofito puniendi conjunctum: quo fenfu Dominus dicit Mofi *Exod.* XXXII. 13. *Dimitte me, ut irafcatur furor meus contra eos.* Qui affectus fæpe à Deo fiftitur, interveniente ejus amore, quo peccatoris refipifcentiam exfpectat, & refipifcenti condonat. Aliquando fignificat firmum ac immutabile Dei propofitum peccatorum puniendi: Ut *Joan.* III. 36. ***Qui Filio inobediens eft non videbit vitam, fed ira Dei manet fuper eum.*** Hoc pofteriore fignificatu, quando Deus ex amore nobis Filium fuum mifit, nobis iratus fuiffe dici non poteft: quia illa nullum amoris temperamentum admittit. Solummodò illi ira adfcribitur priore fignificatu. Ira autem hæc temperamentum quoddam amoris ac mifericordiæ habuit: oftendit nempe fe Deus reconciliabilem, & humani generis amantem; ideoque Filium fuum in mortem tradidit, ut amorem fuum erga juftitiam oftenderet, & cruentâ ac dirâ morte Filii fui placatus, ple-

nè

nè hominibus reconciliaretur. Et quia in hoc justitiæ cum misericordia, seu iræ cum amore temperamento, amor ac misericordia longè excedunt iram ac vindictam, Deusque ex amore erga homines Christum dederit, qui sacrificium expiatorium esset futurus pro eorum peccatis; hinc est quod Scriptura in negotio hoc nunquam iræ divinæ, sed semper amoris meminerit.

Sanguis Christi redemtionis pretium. IX. Quartò occurrit vox ἀπολύτρωσις, *Eph.* I. 7. *Coloss.* I. 14. Quibus affines sunt λύτρον & ἀντίλυτρον, *Matth.* XX. 28. I *Tim.* II. 5, 6. & expressè quidem additur *Matth.* XX. 28. illud esse datum ἀντὶ πολλῶν. Quibus phrasibus docetur, sanguinem Christi fuisse redemtionis pretium, quod pro nobis persolutum est, ut à peccatorum reatu liberemur. Et egregiam hîc personarum permutationem indicat vocula ἀντὶ, quæ Christum nostro loco afflictum docet. Nos siquidem peccaveramus, & iræ divinæ reatum contraxeramus. Deus, nobis præteritis, Filio suo diram ac cruentam mortem imponit, quâ nos affici merueramus: eaque placatus nobis remissionem peccatorum applicat, atque à pœna absolvit. Ideoque & dicimur à Domino Jesu empti, ἠγοράσθητε, I *Cor.* VI. 20. 2 *Pet* II. 2. quia sanguine suo, tanquam redemtionis pretio pro nobis persoluto, nos sibi in peculium acquisivit, ut nos jam nostri ipsorum non amplius simus, sed corpore & animâ illius, qui nos sanguine suo emit. Imo ἐξαγοράσαι nos dicitur *à maledictione legis*, *factus maledictio pro nobis*, *Gal.* III. 13. quia maledictam crucis mortem in se suscipiens, maledictionem, quæ nobis debebatur, à nobis abstulit, & in se quasi derivavit. Quæres. Cui itaque redemtionis illud pretium persolutum sit? Resp. Deo Patri, coram cujus judicio reatum per peccata nostra contraxeramus. Dices. Atqui Deus ipse dedit redemtorem. Resp. Ita est; sed redemtore in mundum misso nondum redemtionis opus erat peractum: requirebatur insuper, ut redemtor ultrò ac sponte mortem dirosque cruciatus subiret, sanguinemque suum maximo cum dolore effunderet. Quoniam verò dolorum eorum susceptio fuit ipsius redemtoris opus, sanguinisque effusio, quatenus summo cum dolore & liberé suscepta, aliquid fuit redemtori proprium, rectè, quatenus eum in peccatorum gratiam effudit, Deo Patri redemtionis pretium persolvisse dicitur: & quatenus Deus Pater eum ita gratum habuit, ut eo motus peccata nobis condonare voluerit, rectè ἀντὶ ἡμῶν, hoc est, pro nobis, seu loco nostro, mortuus, & sacrificium pro peccatis nostris verè propitiatorium dicitur.

Solutio objectionis. X. In contrarium autem objicitur, Scripturam testari, Christum ideo esse mortuum, ut novum Fœdus, promissaque divina in eo comprehensa, quorum potissimum est remissio peccatorum ac vita æterna, confirmaret ac sanciret, & sic jus quoddam ad ea obtinenda nobis daret: deinde ut omnes homines ad conditiones huic fœderi insertas amplectendas & exsequendas adduceret. Resp. Verum hoc esse; at mors Christi hoc respectu considerata pertinet ad propheticum ipsius munus; & utrumque hoc præstat, quatenus Christus morte suâ testimonium perhibuit veritati à se prædicatæ. Est itaque hoc respectu mors martyris, non Sacerdotis. Neque illi remissio peccatorum, nisi remote, adscribi potest: quatenus confirmat doctrinam, cujus observatione remissionem peccatorum ex gratia divina consequimur. At hac ratione & morti martyrum, pro Religionis Christianæ veritate patientium, aliquatenus peccatorum nostrorum remissio adscribenda foret: quod tamen nusquam fieri certissimum est. Verum quidem est, Paulum dicere *Coloss.* I. 24. *Gaudeo in passionibus pro vobis*; iisque verbis indicare, suas passiones etiam in salutem fidelium tendere: verum alium longè esse mortis Christi ad salutem fidelium respectum clarè indicat I *Cor.* I. 13. cum quærit, *nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Ostendens Christum ita pro hominibus esse mortuum, ut nec ipse, nec quicunque alius eo modo pro hominibus mori potuerit. At in testimonium veritatis Evangelicæ innumeri martyres mortui sunt. Alium ergo respectum mors Christi habet, quando Christus *pro nobis mortuus* esse dicitur, & de quocunque alio negatur; nempe victimæ & sacrificii propitiatorii pro peccatis. Et eo respectu pertinet ad sacerdotium Jesu Christi, de quo nunc agimus. Dices. Intervenit Christi mors, ut Christus hoc pacto misericors Pontifex effectus, supremamque in omnia potestatem adeptus, peccata nostra expiaret, ac promissa fœderis, conditiones ejus servantibus, reipsa præstaret. Resp. Nos jam ante ostendimus, quicquid illi sacerdotio Christi hîc adscribunt, ad regnum ejus pertinere: nullum hîc esse actum Sacerdotalem, ut ex ante dictis evidentissimè liquet.

CAPUT XXI.

Examen sententiæ Contraremonstrantium de Satisfactione Jesu Christi.

Sententia Contraremonstrantium de Merito & Satisfactione Christi. I. CONtraremonstrantes sententiam planè contrariam hic sequuntur; docent namque quòd Christus Justitiæ divinæ satisfecerit pro peccatis nostris. Verùm omnes non eodem modo sententiam exponunt. Alii duas hîc constituunt partes, Meritum, & Satisfactionem; inter quas hoc obtinere volunt discrimen, ut Meritum respiciat justitiam Christi perfectam, quam, ut ajunt, nostro loco præstitit, & quâ illus imputationem ac vitam æternam nobis promeruit: Satisfactio

tisfactio autem pœnas peccatorum nostrorum, quas peccatis nostris debitas omnes ac universas loco nostro sustinuit, earumque perpessione justitiæ divinæ plenè satisfecit. Alii autem, nullam hic distinctam actionem agnoscentes, Meritum in Satisfactione Christi collocant, dicentes, Satisfactionem Christi esse meritoriam salutis & vitæ æternæ. Quod voces *Meriti* & *Satisfactionis* attinet, non leguntur illæ in Scripturis, quando de Christi obedientia & morte sermo est: quod agnoscit ipse Maresius *Loc.* x. *de officio Mediatoris*, §. xxix. sed eliciuntur ex voce *pretii*, quæ morti Christi adscribitur, quo nobis cœlum comparatum est; *ibid.* §. xliv. Cùm itaque in Scriptura non existent, sed ab hominibus excogitatæ sint, nemo earum explicationi ulterius adstrictus est, quam quatenus ex Scripturæ phrasibus, ad quarum sensum elucidandum adhibitæ sunt, adstrui potest.

Refellitur, de Merito Christi. II. Quod itaque Meritum attinet, solet id collocari in perfecta Christi obedientia, qua dicitur pro nobis ac nostro loco legem perfecté implesse, & justitia sua, quam nostro loco præstitit, meruisse ut ea nobis à Deo Patre imputetur. Sed verò, si Christus hac ratione pro nobis meritus sit justitiam, ipseque eam ita pro nobis præstitit, ut nos in ipso legi Dei per omnia simus conformes, nihil à nobis potest exigi ut justitiæ illius participes simus, ne quidem ut meritum id fide apprehendamus: quoniam omnem, quæ ad salutem requiritur, justitiam jam in Christo habemus, & Christus omnia, quæ ad salutem nostram requiruntur, jam pro nobis præstitit. At contra passim videmus requiri fidem & vitæ sanctimoniam, ut salutem æternam consequamur. Vide inter alia *Matth.* v. 20. 1 *Cor.* vi. 9. 10, 11. *Hebr.* xii. 14. 1 *Joan.* iii. 7. *Rom.* viii. 13. *Apoc.* xxii. 14. Dices. Requiritur beneficii illius agnitio, ut nos ostendamus gratos. Resp. An non ingratitudo est peccatum, & gratitudo officium debitum? Si ergo Christus totam pro nobis legem observavit, etiam gratitudinis officium pro nobis præstitit. Et sic nulla obligatio est, quæ nos ad illud constringat. Quo jure enim Deus à nobis potest exigere officium, quod Christus jam pro nobis præstitit, quodque perfecta Legis impletione per Christum, nobis imputata, jam pro præstito habetur? Dices. Si legem nostro loco non implevit, quid ergo oportuit ipsum sanctum esse & immaculatum? Resp. Variæ illius sunt causæ, sed nos eas, quæ sacerdotium ipsius concernunt, tantum commemorabimus; ut esset victima immaculata & sacerdos sanctus: qui enim seipsum ut victimam propitiatoriam pro peccatis hominum expiandis Deo esset oblaturus, eum oportebat peccati planè expertem esse; alias sacrificio pro sui ipsius peccatorum expiatione indiguisset. Unde *Hebr.* vii. 26, 27. *Talis decebat ut nobis esset: Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Unde & passim dicitur esse *sine peccato*, 2 *Cor.* v. 21. *Hebr.* iv. 15. 1 *Pet.* ii. 22 23. & *agnus immaculatus*, 1. *Pet.* i. 19.

Explicatio Rom. v. 10. III. In contrarium tamen objici solet, *Rom.* v. 10. *Quod si inimici reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui; multò magis reconciliati servabimur per vitam ejus.* Resp. Per *vitam* Christi, oppositè ad ejus mortem, non intelligi obedientiam, quam Patri præstitit, seu justitiam ejus activam, ut loquuntur; sed vitam, quam à mortuis resuscitatus vivit in cœlis, ut munus Sacerdotis nostri plenè ac fideliter perficiat coram Patre, nostraque peccata expiet. Non enim, uti vidimus, ad oblationis Christi consummationem sufficit mors ipsius in cruce tolerata, sed requirebatur insuper, ut per sanguinem suum in cœleste sacrarium ingressus seipsum Patri pro nobis exhiberet, & ut victimam offerret. Sensus itaque verborum est: Si Deus, quod majus est, præstitit, sc. Filium suum tradidit in mortem, & per illam mortem nos, cum ipsius essemus inimici, sibi reconciliavit: multò magis per Filium, jam ex morte resuscitatum in vitam immortalem, & coram ipso pro nobis comparentem, nobis sibi jam reconciliatis dabit salutem æternam. Hinc dicitur Christus *Rom.* iv. 25. *traditus pro peccatis nostris, & resuscitatus propter justificationem nostram;* id est, ut nos per eum justificemur.

IV. Addunt: Eodem *cap. vers.* 18, 19. dici: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ:* &c. *Rom.* v. 18, 19. Resp. Non dicitur hoc loco, Dominum Jesum nostro loco justè vixisse, seu ejus justitiam nobis, dum adhuc impii sumus, imputari: sed tantum, justitiam Christi causam esse nostræ justificationis, seu quod Deus nobis, qui fideles & spiritualiter ex ipso regeniti sumus, justitiam imputare velit. Perinde uti Adami inobedientia causa mortis est posterorum ex ipso descendentium.

V. Præterea objiciunt 1 *Cor.* i. 30. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio.* 1 *Cor.* i. 30. Resp. Nec hic dicitur, quod Jesus Christus nostro loco justè vixerit, aut quòd illius justitia nostra sit & nobis imputetur: nam sic & Christi sapientia nobis esset imputanda; cùm non minus sapientia nobis factus dicatur, quàm justitia. Sensus itaque est, quod Christus à Deo Patre sit constitutus auctor sapientiæ, justitiæ, &c. per Christum enim solum veram ac salutarem sapientiam, justitiam, &c. consequi

sequi possumus. Eadem phrasi Dominus *Eph.* II. 14. dicitur *pax nostra*, id est, causa pacis nostræ, quâ credentes & conversi ex Judæis & gentibus in unam coaluerunt Ecclesiam: uti sequentia manifestè evincunt, *qui fecit utraque unum*, &c. Simili phrasi Dominus de se dicit *Joan.* XI. 25. *Ego sum resurrectio:* hoc est, causa resurrectionis; seu, ut Musculi verbis utar, *Ego sum virtus illa Dei ad resuscitandum & vivificandum.*

Et de Satisfactione.

VI. Satisfactio Christi dicitur, quâ pro nobis pœnas omnes luit peccatis nostris debitas, easque perferendo & exhauriendo divinæ justitiæ satisfecit. Verùm illa sententia nullum habet in Scriptura fundamentum. 1. Mors Christi vocatur sacrificium pro peccato, atqui sacrificia non sunt solutiones debitorum, neque plenariæ pro peccatis satisfactiones; sed illis peractis conceditur gratuita peccati remissio. Vide inter alia *Levit.* IV. 26, 32, 35. ubi peracto sacrificio propitiatorio, additur: *rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* 2. Christus non est passus mortem æternam, nec intensione, non enim sub iræ divinæ pondere desperavit; nec extensione; ad tres enim horas in cruce pependit, & tertio die ex mortuis resuscitatus est in vitam æternam, ut id aliàs ostendimus. Atqui illa est pœna peccatis nostris debita. 3. Si Christus omnes peccatis nostris debitas pœnas plenè sustinuit & exhausit, nihil Deus nobis ex gratia condonare posset. Si enim Christus pro nobis omnia, ad minimum usque quadrantem, persolvit, nihil restat quod Pater ex gratia nobis condonare possit, utpote cujus justitiæ jam plenissimè satisfactum sit. Atqui docet Scriptura, Deum ex misericordia sua nobis concedere remissionem peccatorum in Christo. *Eph.* I. 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus. Cap.* IV. 32. *Donate invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Sic & *Coloss.* I. 14. & alibi. 4. Si Christus ita pro nobis satisfecit, nec Deus, ut remissionis, pro qua Christus jam persolvit, participes simus, jure à nobis exigere posset fidem & obedientiam, prout eum facere constat *Joan.* III. 16. *Actor.* III. 19. I *Joan.* I. 7. *Matth.* VI. 14, 15. nec nos, licet conditionem illam non præstemus, jure possemus spoliari fructu mortis Christi, aut propter peccata nostra puniri: quia Deus injustus foret, ejusdemque peccati pœnam bis exigeret, semel à Christo, dein à nobis. Atqui hoc quam maximè est absurdum, & non tantum Scripturæ adversum, *Hebr.* X, 28, 29. 2 *Pet.* II. 1, 2. sed & omne pietatis studium extinguere aptum est.

Quo sensu Christus Novi Fœderis sponsor.

VII. In contrarium tamen quædam objici solent. Primò quidem ac præcipuè, quòd Dominus Jesus vocetur *sponsor* noster, *Hebr.* VII. 22. Atqui sponsoris est, ubi debitor solvendo non est, creditori integrum debitum plenariè persolvere. Resp. Christus dicto loco non vocatur propriè *sponsor* noster, sed *Novi fœderis*. Quanquam autem certum sit, ipsum etiam pro nobis in Novi Fœderis sanctione spondere: tamen inde apparet, quando *sponsoris* titulus Christo attribuitur, nos propriè non considerari ut Dei debitores à quibus plenam debiti persolutionem exigere vult; sed ut fœderatos, quibuscum fœdus gratiæ, certis quibusdam stipulatis conditionibus, erexit. Sponsor itaque fœderis, qui hic medius intercessit, non tanquam pro debitore apud creditorem spondens considerandus est; sed ut sponsor fœderis: & ex natura sponsionum, quibus fœdera confirmari solent, etiam sponsio hæc est explicanda. Sponsor itaque in fœderibus pangendis adhiberi solet, ut partes contrahentes de conditionum fœdere comprehensarum præstatione certas reddat, ne ullum de earum executione supersit dubium: Sponsor nempe promittit se curaturum, ut conditiones fœderis præstentur. Quod itaque Christi sponsionem attinet, quidam eam considerant, quasi tantum sponsor sit pro Deo apud homines, ut eos certos reddat, promissa fœderis à parte Dei implenda esse. Perinde uti *Galat.* III. 19. Moses mediator dicitur à parte Dei; quia per eum Deus populo legem dedit: Deus enim, inquiunt, sponsore non indiget; potest siquidem nos, si officio nostro desimus, pro beneplacito suo punire: Nos verò ob nostram in fide infirmitatem sponsore indigemus: Deus itaque nobis gratificatus est sponsorem Jesum Christum, quem à mortuis in vitam æternam resuscitando & in cœlum evehendo, nobis dedit exemplar, & veluti pignus ac sponsorem, quo certi reddamur & Deum nos, quod aliàs incredibile videri poterat, è mortuis suscitaturum, & vitâ æternâ in cœlis donaturum. Verùm hi Apostoli scopum, aut naturam sacerdotii Christi, non rectè percipere videntur. Apostolus nempe hic de sacerdotio Christi disserit, quod antea ostendimus munus esse, non quo Christus nomine Dei fungitur apud homines; sed quo pro hominibus fungitur apud Deum; uti liquet *Hebr.* II. 17. V. I. VII. 25. I *Joan.* II. I. Scopus autem ejus est, probare, Sacerdotium Christi præstare Levitico; quia hoc fine, illud verò cum juramento institutum sit: uti ex *vers.* 20. manifestum est. Hoc autem versu inferens, quod ex iis, quæ *vers.* 20. dixit, consequitur, cum potuisset dicere, tantò melioris fœderis Jesus factus est Sacerdos: loco vocis *Sacerdotis*, utitur voce *sponsoris*. Inde manifestè nobis liquere videtur, sponsionem hanc Christi ita explicandam esse, ut Dominus Jesus non tantum sit sponsor à

Sponsor vocatur, Hebr. VII. 22.

parte Dei apud homines, sed & pro hominibus apud Deum: quatenus videlicet præsentia sua in cœlis apud Deum intercedit pro hominibus, & promittit homines peccatores se ad Deum conversuros, seque id per verbum & spiritum suum effecturum, ne ira Dei in peccatores erumpat, ipsique statim pereant, & à salute excludantur. Est itaque sponsio naturæ fœderis conveniens, non quâ Dominus Jesus pro peccatoribus spondet, se omnia ipsorum debita, omnesque peccatis ipsorum debitas pœnas in se recipere, sed quâ se per verbum & spiritum suum effecturum recipit, ut fœderati conditiones fœderis præstent. Dices. Atqui omnes, pro quibus Christus hac ratione spondet, fœderis conditiones non præstant. Resp. Ita est: sufficiens tamen est Christi actio apud omnes, ut ejus auxilio conditiones illas præstare possint. Nec sacerdotium Christi efficax ad reconciliationem concipi potest, nisi ejusmodi sponsione Christi intercedente. Non enim concipi potest justus ac sanctus Deus sanguine Christi placatus novum cum peccatoribus fœdus pangere velle, nisi & pro hominibus ea sponsio fiat, quod prædicatio verbi & spiritus communicatio circa illos adhibenda sit, cujus ope à peccatis desistere, & ad fidem ac sanctimoniam reduci possint: cui quicunque morem gerunt, salutem, ex fœderis formula, consequuntur: quicunque verò eam respuunt, tanquam fœdifragi, gratiæ contemtores, & sanguinis Christi conculcatores, horrendum Dei judicium experientur, & vindice flammâ punientur: *Hebr.* x. 26, 27, 28, 29.

Ei redemtionis pretium. VIII. Objiciunt porrò, quod Dominus passim vocetur λύτρον & ἀντίλυτρον, seu *redemtionis pretium*; non autem potest esse redemtionis pretium, nisi plenè satisfecerit justitiæ divinæ, omniaque passus sit quæ nos meriti eramus. Sed verò in eo errant quàm maximè, quòd velint redemtionis pretium per omnia æquivalens esse debere miseriæ illi, e qua redemtio fit: redemtionis pretium enim constitui solet pro libera æstimatione illius qui captivum detinet, non autem solvi pro captivi merito. Sic videmus unum eundemque hominem modò minore, modò majore pretio, imo aliquando viliorem majore, præstantiorem minore pretio redimi, pro detinentis æstimatione. Ita enim pretium, quod Christus persolvit, juxta Dei Patris æstimationem persolutum est. Sanè ipsam *redemtionis*, aut *redemtionis pretii* vocem non sufficere ad plenariam illam, quam urgent, solutionem comprobandum, vel exinde evincitur, quod Deus dicat, se aliquando unum populum alterius populi λύτρον constituere: ut *Esa.* XLIII. 3. *Ego Dominus Deus tuus sanctus Israël salvator tuus, dedi propitiationem tuam Egyptum, Æthyopiam, & Saba pro te.* Qui tamen, cum ipse peccator sit, pro alterius peccatis persolvere nequit.

IX. Addunt, quod *Galat.* III. 13. dicatur, *Christus nos redemit à maledictione Legis, factus maledictiò pro nobis.* *Ei maledictio pro nobis, Gal. III. 13.* Maledictionem autem fieri pro aliquo, idem esse, atque maledictionem, quam is subiturus fuisset, in se transferre, eamque totam loco illius sustinere. Quare cum maledictio, quæ nos propter peccata nostra manebat, fuerit mors æterna; si Christus pro nobis maledictio sit factus, sequitur etiam cum mortem æternam pro nobis tolerasse; alioqui nos à maledictione liberare non potuisset. Resp. Ostendimus jam, ad redemtionem non requiri pretium per omnia æquale malo ae miseriæ, è qua redemtio fit; sed tantum juxta æstimationem illius, cui pretium persolvendum est; ille autem acquiescere potest quocunque pretio, quod ipsi exigere placet, persoluto. Sanè mortem æternam non sustinuisse Dominum, evidentius est quàm ut probatione indigeat; neque illius æquivalens hic concipi potest, nisi juxta acceptationem Dei. Quod ingenuè agnovit Wendelinus, *Christ. Theol. lib.* I. *cap.* XVII. *in explica. thes.* V. *pag.* 359. *Etiamsi Christus non sensit mortem æternam quoad durationem, tamen quoad intensionem & lytri à Dei Filio persoluti præstantiam, &* (NB.) *acceptationem Dei.* Et Calvinus *Instit. lib.* II. *cap.* XVII. §. I. in fine, quod *ex sola Dei gratia dependet meritum Christi.* Et paulo ante. *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur in homine dignitas quæ possit Deum promereri.* Ipse etiam Apostolus satis indicat, se non maledictionem æternam, sed maledictam crucis mortem, quam Christus in se suscepit, intelligere, addens immediatè; *Quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno.* Adeo ut ipse textus illiusque circumstantiæ explicationem hanc refellant.

CAPUT XXII.

Vera de Satisfactione Jesu Christi sententia adstruitur.

I. Restat itaque sententia nostra, quæ inter duas hasce extremas media est. *Sententia verior de sacrificio Christi.* Hæc est: Quòd Dominus Jesus Christus fuerit sacrificium verum ac propriè dictum pro peccatis nostris; sustinendo gravissimos angores & maledictam crucis mortem, & postea ex mortuis suscitatus per proprium sanguinem ingrediendo in sacrarium cœleste, ibique se coram Patre sistendo: quo suo sacrificio Patrem, peccatis nostris iratum, placavit, nosque illi reconciliavit. Tulit itaque pro nobis & nostro loco gravissimam afflictionem, atque ita pœnam commeritam à nobis

nobis avertit. Hoc evincitur omnibus illis locis, quibus Christus *victima*, *sacrificium*, *pro nobis mortuus*, *nos redemisse*, *nos Deo reconciliasse*, *se λύτρον pro nobis dedisse*, &c. dicitur; quæ paulò ante citata sunt.

Sustinuit Christum pro nobis pœnam vicariam. II. Quæres: Quodnam sit illud malum, quod Christus loco nostro sustinuit? An sit pœna, quam nos peccatis nostris meriti eramus? Resp. Pœnam eandem, quam nos peccatis nostris meriti eramus, Dominum nostrum non tulisse, jam ante ostendimus; non enim tulit mortem æternam. Sed tulit miseriam gravem & mortem cruentam nostro loco; quæ fuit vice pœnæ à nobis justè sustinendæ. Non quòd nos propriè eandem specie præcisè meriti fuerimus; meriti enim sumus multò graviorem, maledictionem æternam: sed quia ipse innocens hanc in se ultrò suscepit, fuit sacrificium Deo Patri adeo gratum, ut eo nos in gratiam recipere permotus sit. Dices. An non ergo nostro loco punitus est? Resp. Eâdem, quam nos meriti eramus, specie pœnâ non punitum, jam ostendimus. Potest tamen certo sensu pro nobis dici punitus, quatenus pœnam vicariam, pro beneplacito divino sibi imponendam, hoc est, afflictionem, quæ pœnæ vicem sustinuit, in se suscepit. Mors enim maledicta, pro nobis tolerata, revera pœnæ speciem habet, sed vicariæ, cujus ea est ratio, non ut idem pœnæ genus sit quod nos meriti eramus, sed ut pro arbitrio divino illi, qui victima est futurus, imponatur; & ea efficacia, ut ab eo exacta, perinde à nobis pœnam auferat, Deum placet, peccata nostra expiet, eorumque remissionem nobis impetret, ac si ejusdem fuisset generis cum illa quam nos meriti eramus. Ita ut hoc sensu Jesus Christus nostro loco punitus rectè dicatur, quatenus summos animi angores, crucisque mortem maledictam pro nobis tulit, quæ pœnæ vicariæ pro peccatis nostris rationem habuit. Atque hoc sensu Dominus morte suâ Patri pro nobis satisfecisse, nobisque justitiam meruisse dici potest, quatenus satisfecit, non rigori justitiæ divinæ, sed voluntati Dei justæ simul, ac misericordi, omniaque peregit, quæ ad nostri reconciliationem à Deo requisita sunt: uti inter alia legere est *Hebr.* x. 5, 6, 7, 8, 9, 10. Nihil enim augustum nimis de morte ac passionibus Domini sentire possumus, modò unum id caveamus, ne gratuitam Dei Patris remissionem excludamus. Quare ita hæc explicanda sunt, ut & morti ac passioni Jesu Christi sua constet dignitas; & misericordiæ ac gratuitæ remissionis Dei Patris gloria illibata conservetur.

Non meritus est nobis fidem & regenerationem. III. Dices. Si Christus eo tantum modo pro nobis satisfecit, non meritus est nobis fidem & regenerationem. Resp. Ita est: meritus est, hoc est, impetravit & effecit, ut Deus iram suam suspenderit, gratiæ tempus nobis concesserit, ad fidem & regenerationem nos vocaverit, omniaque gratiæ auxilia quibus vocationi divinæ parere possimus largitus sit: ipsam autem fidem & regenerationem nobis non meruit: alias enim Deus eam à nobis sub mortis comminatione exigere non posset: tum & ex vi meriti Christi obligatus esset ad eam in nobis omnipotente virtute efficiendam: atqui sic non esset officium nostrum, sed Dei solius opus. Dices. Dicitur tamen *Eph.* 1. 3. quod *Deus nobis benedixerit in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*. Resp. Dicitur Deus *nobis in omni benedictione spirituali in Christo benedixisse*, non quia fidem & regenerationem à Jesu Christo pro nobis meritam ipse omnipotentente sua virtute in nobis operatur: sed quia gratiam ad fidem & regenerationem, ac proinde ad remissionem peccatorum ac vitam æternam consequendum, necessariam in Christo contulit. Et præsertim, quia jam fidelibus adoptionem in filios, remissionem peccatorum, obsignationem per Spiritum Sanctum aliasque benedictiones spirituales, benignè in Christo largitus est.

IV. Sed sententiæ nostræ objici posset, quòd absurdum videatur, & à natura Dei alienum, ut voluerit victimam humanam, & quidem Filii sui unigeniti: sapere id crudelitatem aliquam. Resp. Nequaquam. Absurdum enim censeri deberet, aut quia Deus Filium suum voluerit mori; aut quia eum ut victimam expiatoriam pro peccatoribus mortem subire voluerit. Neutrum dici potest. Non prius: Quia Deus Pater jus habet Filium suum in mortem tradendi; sicut enim omnis homo Dei in solidum est; ita & Dominus Jesus, non tantum in mundum à Patre suo missus, sed & eum in finem, ut ea quæ Patris sui erant ageret, *Luc.* 11. 49. Tum & passim Scriptura testatur, Deum Filium suum in mortem tradidisse: quod eo ipso, quia à Deo factum est, injustum non esse arguitur. Non secundum: Quia si Patri licuit Filium in mortem tradere ut Prophetam, ut victimæ instar fœderalis novum fœdus sanguine suo sanciret, uti Doctores illi agnoscunt; cur Patri minus licuit exigere, ut Filius suus victimæ instar propitiatoriæ pro peccatis moreretur, atque ita sanctificatus etiam pro peccatoribus tanquam Sacerdos intercederet? Si enim justè potuit Filium in mortem tradere, etiam jus habuit, mortem Filii in finem, saluti hominum ac gloriæ suæ convenientissimum, destinare. Præsertim, quia Filium non invitum tradit in mortem, sed volentem ac ultrò se in mortem pro humani generis salute offerentem: &, quod caput rei est, quia Filio suo mortis hujus respectu promisit non tantum semen multum, & justificationem omnium in se credentium, *Esa.* LIII. 11. sed & resuscitationem *Absurdum non est, Deum voluisse victimam, mortem Filii sui.*

ex mortuis, & sessionem à dextris suis cum majestate ac gloria, uti docetur *Hebr.* XII. 2. Dices. Quandoquidem Deus vetuit, humanas sibi victimas fieri, absurdum videtur, quod Christum pro hominibus victimam mori voluerit. *Resp.* 1. Deus hominibus legem præscribens de non immolandis victimis humanis, sibi ipsi legem non fixit, nunquam extra ordinem victimam humanam exigendi: quod in Isaaco liquet, *Genes.* XXII. 2. Non præcepit Deus hominibus, ut Jesum Christum tanquam victimam pro peccatis ipsorum immolarent sibique offerrent. Absit: sed solummodo eum hominum improborum potestati permisit, Christusque ultrò se in illorum manus tradidit, ut pro malitia sua ipsum possent interimere; eamque indignam Filii sui mortem, alio licet fine ab hominibus illi illatam, ut sacrificium pro peccatis expiatorium admittere voluit. Sanè si, non obstante interdicto de victimis humanis, Deo jus est Filium suum in mortem tradere; etiam jus illi manet plenarium, morti Filii sui hanc conferre dignitatem, ut rationem habeat sacrificii propitiatorii, quò sibi genus humanum reconcilietur: neque hîc ulla est absurditas.

Unde victimæ Jesu Christi hæc dignitas & vis.

V. Quæri hic posset: Quomodo unius hominis victima sufficere possit, & revera sufficerit ad tot hominum myriades eorumque peccata innumera expiandum? *Resp.* Sufficit illa duplici respectu. Primò, respectu voluntatis divinæ, quæ ad generis humani liberationem nihil ultra requisivit, sed in unica hac victima acquievit. Deo autem, uti vidimus, jus absolutum est declarandi, quo pretio sibi satisfieri velit. Sanè si ex voluntate Dei Veteris Testamenti victimæ sufficere potuerunt, ad expianda minora populi delicta, pro quorum expiatione Deus illo tempore sacrificia admisit; & imprimis hirci illi duo, *Levit.* XVI. quorum unus post manuum Pontificis impositionem in desertum emittebatur, alter verò occidebatur, cujusque sanguis à Pontifice in Sanctum Sanctorum inferebatur, ad auferendum & expiandum peccata populi toto illo anno commissa: quidni & ex eadem illa voluntate Dei sanguis Jesu Christi sufficiat omnibus totius mundi peccatis expiandis? Secundò: respectu dignitatis personæ Jesu Christi, qui est Dei Filius, imò *Deus super omnia benedictus in secula*, *Rom.* IX. 5. Quamvis enim Dominus Jesus non sit passus, nisi in humana sua natura; tamen quia illa in personæ unitatem assumta est à natura divina, rectè ipse Dei Filius æternus tulisse dicitur, quicquid homo Jesus Christus in carne pro peccatoribus sustinuit. Quin &, licet Christus solummodò consideretur ut homo, excellentia personæ ipsius tanta est; ut omnium hominum sortem longissimè superet. Illius enim respectu, ut antea vidimus, etiam, & quidem non uno modo, Filius Dei est, & vocatur in Scriptura. Destinatus quippe fuit à Patre in Redemtorem & Salvatorem mundi, & ut sit Rex super omnia in cœlo ac in terra. Conceptus est ex Spiritu Sancto, & natus ex virgine immaculata; ita ut ab ipso primo vitæ suæ momento eximius supra omnes homines fuerit. In baptismo in ipsum descendit Spiritus Sanctus instar columbæ, Deusque Pater voce è cœlo demissâ eum Filium suum esse dilectum testatus est: virtute Spiritus illius, quem absque mensura accepit, doctrinam Euangelii, quo solo salvamur, prædicavit, ac divinissimis miraculis, qualia nunquam ante ipsius adventum audita fuerunt, confirmavit. Adeo ut & respectu humanæ naturæ, etiam ante ipsius resuscitationem ex morte, & exaltationem in cœlis, dignitatem habuerit, cui nulla dignitas, quantumvis excelsa, comparari queat. Hanc autem personæ Christi dignitatem immensum passionibus ejus pondus conferre, quis est qui in dubium vocare possit? Unius principis aut ducis captivi dignitas multis aliis captivis redimendis sufficit: quantum momenti censemus ad generis humani liberationem conferre dignitatem illam supremam Filii Dei? Hinc 1 *Petr.* 1. 18, 19. *sanguis* ejus vocatur *pretiosus*, quoniam personæ dignitas summum illi pretium confert.

CAPUT XXIII.

De Effectis muneris Sacerdotalis Jesu Christi.

Effectum Sacerdotii concernens Christum.

I. Effecta muneris Sacerdotalis Jesu Christi duplicia sunt. Alia nempe ipsum Dominum Jesum, alia nos respiciunt. Effectum Dominum Jesum respiciens, est adeptio summæ potestatis in cœlo & in terra, per sanguinem & mortem suam; quâ servare potest omnes qui sincerè ipsi obediunt, & fiduciam in ipsum collocant: quod egregiè docetur *Luc.* XX: V. 26, 46. *Phil.* II. 8, 9. *Hebr.* VII. 26. X. I. 1, 2. Uti & impetratio Spiritus Sancti, quem post adscensionem in cœlum misit in Apostolos ac fideles suos, juxta *Joan.* VII. 39. XV. 26. XVI. 7. & illustre ejus effectum videre est *Act.* II. 1. *& seqq.* & alibi passim.

Effecta concernentia nos. Primum Confirmatio Religionis Christianæ.

II. Effecta nos concernentia varia sunt. Primum: Confirmatio Religionis Christianæ. Quia enim Deus Pontificem nostrum exaltavit in cœlum, veram eam esse confirmavit, & æternum duraturam. *Hebr.* IV. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem;* nempe, quâ religionem Christianam confitemur ut veram ac divinam. Sacerdotium quippe religionis ac cultus divini basis est, eoque translato, cultum immutari

ri necesse est. Hinc Apostolus *Hebr.* VII. 11. *& seqq.* colligit, cultum Leviticum non fuisse perennem & perpetuum, quia Sacerdotio illius aliud præstantius succedere debebat. Cùm itaque Dominus noster Jesus Christus sacerdotium illud præstantius obtinuerit, sequitur & cultum nostrum esse Deo gratum, &, quia illi aliud præstantius sacerdotium non succedet, eum non esse abrogandum, sed fore perpetuum.

Secundum. Reconciliatio nostri cum Deo.

III. Secundum: Reconciliatio nostri cum Deo. Illa comprobatur phrasibus *reconciliandi, propitiandi, redimendi*, quas passim in Scriptura occurrere antea ostendimus. Potest autem reconciliatio hæc dupliciter considerari: vel quatenus præcedit fidem nostram ac conversionem; vel quatenus eam sequitur. Utroque modo consideratæ mentio fit *Rom.* V. 8, 9, 10. Priore quidem modo consideratæ, in hisce verbis. *Commendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Posteriore autem modo consideratæ, verbis sequentibus: *Multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Rursus priore modo consideratæ *vers.* 10. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*: Posteriore autem modo consideratæ, in verbis ultimis: *Multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Et 2 *Cor.* V. 19, 20. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Est reconciliatio priore modo considerata. Addit. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Quoniam obsecrat ut reconcilientur Deo, postquam jam dixit, Deum mundum sibi in Christo reconciliasse, manifestum est ipsum postremis hisce verbis reconciliationem alio modo considerare, quàm in præcedentibus, nempe quatenus fidem ac conversionem sequitur.

Duplex illius consideratio.

IV. Discrimen inter reconciliationem utroque hoc modo consideratam hoc est, Priore modo considerata in eo consistit, quòd Deus, morte Christi placatus, novum cum hominibus fœdus erexit, in quo paratus est omnibus hominibus omnium peccatorum remissionem ac vitam æternam largiri, modò in Christum credant, vitamque ex præscripto ipsius instituant, hoc est Novi Fœderis conditiones observent: & interea dum verbum illud gratiæ annuntiari curat, eos longanimiter tolerat, tempusque resipiscentiæ concedit. Hanc Dominus Jesus orat à Patre pro crufigentibus se: *Luc.* XXIII. 34. *Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciant.* Non quòd pro illis nondum resipiscentibus plenam peccatorum remissionem oraverit; sed ut Deus ipsis resipiscentiæ tempus ac gratiam ad resipiscendum necessariam largiri velit, cujus ope peccatum suum agnoscentes ejusque pœnitentiam agentes, veniam obtinere possint. Posteriore modo considerata, consistit in plena remissionis applicatione, qua fidelibus ac officium suum facientibus remissio pro omnibus impetrata speciatim applicatur, ipsorumque peccata actu delentur, ut consequantur vitam æternam. Hanc respicit Joannes. 1 *Epist.* 1. 7. *Si in luce ambulaverimus, quemadmodum Deus in luce est, communionem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato.* Prior illa, licet in se spectata perfecta sit, quatenus Christus hominibus omnia impetravit, quæ ad salutem obtinendum (modò sibi ipsis non desint) necessaria sunt; tamen ad reconciliationem posteriore modo consideratam relata, imperfectior vocari potest, quatenus nondum omne suum complementum accepit, sed fidem ac officium hominis intervenire necesse est, ut reconciliatio impetrata plenè applicetur. Sanguis nempe Christi considerari potest, vel ut effusus solummodò, vel etiam ut aspersus. Per sanguinem Christi effusum Deus eò usque placatus est, ut hominibus peccata remittere velit, modo credant ac resipiscant, gratiamque ad fidem & resipiscentiam necessariam largiri; credentibus autem & resipiscentibus sanguis Christi quasi aspergitur, quo mundantur, reatusque peccatorum plenè deletur ac tollitur.

Ad plenam remissionem requiritur fides & conversio.

V. Ex dictis liquet, ad plenariam peccatorum remissionem, morte Christi impetratam, consequendum, requiri fidem & conversionem hominis, absque qua nemo reconciliationis fructum percipiet. Fidem quidem ac scientiam Christi, *Esa.* LIII. 11. *In scientia sua justificabit ipse justus mens servus multos. Joan.* VIII. 24. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Rom.* III. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Conversionem autem & vitæ sanctitatem, *Act.* III. 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et 1 *Joan.* 1. 7. & alibi. Quòd si verò per solam mortem Christi, ante ullum fidei aut resipiscentiæ actum, plenariam peccatorum remissionem nobis jam contigisse statuamus, dicendum erit, verbi prædicationem, cum annexa promissione remissionis peccatorum, siquidem homines crediderint, & comminatione iræ Dei ac mortis in peccatis, nisi crediderint, quæ passim leguntur in Euangeliis, vide *Joan*: III. 16, 36: VIII. 24. esse frustraneam. Quomodo enim comminatio mortis rectè fit illis, quibus jam omnia peccata remissa sunt? Nec etiam remissio rectè ut obtinenda per fidem promittitur illis, quorum jam peccata remissa sunt. Dices forte. Omnia hæc eum in finem adhibentur, ut

Ll nobis

nobis constet & innotescat, peccata nobis remissa esse. *Resp.* Atqui hoc esset naturam promissorum penitus evertere. Aliud quippe est promittere, aliud, simpliciter notificare. Promissio siquidem bonum proponit ut per conditionis requisitæ præstationem acquirendum, illiusque amore hominem ad conditionis præstationem excitat: simplex autem notificatio, nullam habens inclusam conditionem, indicat, bonum hoc quidem hominibus præparatum esse; nullam autem habet vim, homines ad officium excitandi, sed potius negligentiam excitat, ut otiosè bonum sibi notificatum exspectent. Secundò, sequetur, illis, pro quibus Christus mortuus est, peccata, quantumvis gravia ac enormia, nequaquam nocere, nec eos ullo modo per ea perire, aut è statu gratiæ excidere posse. Cùm tamen Scriptura passim doceat, etiam eos, pro quibus Christus mortuus est, propria culpa posse perire: ut *Rom.* XIV. 15. 1 *Cor.* VIII. 11. 2 *Petr.* II. 1, 2, 3. & gravius in se supplicium accersere, *Hebr.* X. 26, 27, 28, 29. 2 *Pet.* II. 19, 20, 21, 22.

Responsio ad object. ex Esa. LIII. 5. VI. In contrarium tamen varia objici solent. Ac 1. quidem, quod *Esa.* LIII. 5. dicamur *livore ejus sanati.* *Resp.* Dici id, non quia sola mors Jesu Christi, absque nostra fide ac conversione, nobis confert plenam ab omnibus peccatis liberationem; sed quia morte Domini tanquam sacrificio expiatorio interveniente eam obtinemus. Per eam siquidem Deus nobis placatur ut iram deponat, fœdus gratiæ erigat, & gratiam ad fœderis conditiones præstandum sufficientem largiatur, ac tandem fidelibus omnia peccata plenè remittat. Quoniam enim mors Christi rationem non habet pœnæ propriè dictæ, & ex justitiæ rigore exactæ; sed vicariæ pro beneplacito divino impositæ; hinc etiam reatum ultra ac aliter delere non potuit, quàm Deo visum fuit. Sicut enim beneplaciti divini est, qualicunque voluerit Christi afflictione sibi satisfieri; ita ejusdem beneplaciti est, qualemcumque conditionem plenæ remissionis impetrationi apponere, ut ita gratia ipsius obtineatur. Sic & in Veteri Testamento victimarum sanguini attribuitur expiatio, *Num.* XXVIII. 22. Sed tamen alia ab homine officia requirebantur, ut plenam quorundam peccatorum obtineat remissionem: nim: bonorum ablatorum restitutio, *Levit.* VI. 1. *& seqq.* jejunium & humiliatio animi, *Levit* XVI. 29, 30. Sensus ergo verborum Esaiæ est, quòd per sanguinem Christi nobis gratia facta sit, & remissio peccatorum nostrorum sanguinis illius virtuti sit adscribenda. Quod & agnoscimus, qui fidei & conversionis necessitatem, ad plenariam remissionem obtinendum, urgemus.

Ex Matt. XXVI. 28. VII. Secundò. *Matth.* XXVI. 28. dicitur *sanguis* Christi *fundi ad remissionem peccatorum.* Et qui docent plenam in sanguine Christi remissionem non obtineri nisi per fidem ac resipiscentiam, etiam urgent, sanguinem Christi fundi in remissionem peccatorum. Sane is est finis mortis Christi, ut peccatorum remissio obtineatur: sed quâ conditione illa obtineri debeat, alibi docet Scriptura. Instabis. Dicimur tamen *Eph.* 1. 7. & *Coloss.* 1. 14. *in sanguine ejus habere remissionem peccatorum.* *Resp.* Totus contextus docet, id de iis dici qui jam in Christum credebant, ac per fidem in Christum remissionem consecuti erant. Atqui hoc est quod nos urgemus.

VIII. Tertiò. Urgent, quod *Rom.* V. 9, 10. dicimur *justificati per sanguinem & mortem* Christi, oppositè ad ejus vitam. *Resp.* Dicimur justificari per sanguinem Christi, ut causam quæ Deum impulit, ut nobis peccatoribus justitiam imputare velit; non tamen absque fide, quam Deus justificationis conditionem proposuit, *Rom.* III. 25. Sed quia sanguis Christi causa est, quod fides & resipiscentia nostra Deo grata sint ad obtinendum remissionem, ideo solius sanguinis Christi mentio fieri solet in negotio justificationis. Et notandum, quod, ut ante ostendimus, hoc loco Apostolus reconciliationem duplici respectu consideret, prout præcedit, & prout sequitur fidem nostram. Posteriore modo considerata, plenam quidem & perfectam in se comprehendit peccatorum remissionem; sed & fidem ac obedientiam hominis præsupponit ac includit, ut nempe homo, qui antea sensu in operibus malis Dei inimicus fuit, nunc deposita malitia, & spiritu renovatus, fit amicus Dei. *Ex Rom. V. 9, 10.*

IX. Quartò. Pugnant verbis Apostoli Joannis 1 *Epist.* 1. 7. *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.* Sed verò illi divellunt, quæ conjuncta sunt, nec separari debent. Apostolus siquidem purgationem ab omni peccato per sanguinem Christi, conjungit cum ambulatione in luce; imo ambulationem hanc exigit ut conditionem necessariam, sine qua purgatio à peccatis per Christi sanguinem obtineri nequit. Illi verò, ambulationem in luce seponentes, purgationem per sanguinem Christi arripiunt, atque ita promissum amplectuntur, repudiatâ, quæ illi connexa est, conditione. *Ex 1 Joan. 1. 7.*

X. Hisce Scripturæ locis aliquot adjungunt rationes. Prima est. Si per & propter mortem Christi actu & reverà peccata remissa non sunt illis, pro quibus mortuus est Christus; ergo nemo per illum salvatus, seu in statu salutis collocatus est. *Resp.* Argumenti illius consequentia negatur; si per remissionem, quæ actu & revera fit, intelligant plenam illam peccatorum remissionem, cum qua salus immediatè cohæret: de ea enim sola controversia est. Licet enim plenaria illa remissio non fuerit acquisita omnibus, pro quibus Christus mortuus est, exinde non rectè infertur, *Ad alias. Ad primam.*

fertur, neminem per Christum salvari, aut in salutis statu collocari: quoniam pro omnibus, pro quibus mortuus est, obtinuit eum remissionis gradum, ut via ad salutem ipsis aperta sit, gratiaque ad salutem obtinendum concessa, quam si non respuant reverà per Christum salutem consequentur. Tales autem reverà in statu salutis sunt collocati, non quidem proximo & immediato, sed remoto. Si dicas, nos tamen requirere conditionem fidei & obedientiæ, quæ hominum vitio abesse possit, atque ita salus ab illis non obtineri: Respondebo. Hoc esse Scripturæ Sacræ consentaneum, quæ ubique utrumque hoc officium stipulatur; & qui illud negligunt, dicuntur sibi ipsis redemtionem sanguine Christi partam irritam reddere; *Hebr.* x. 29.

Ad secundam. XI. Secunda est. Si per mortem Christi peccata actu remissa non sunt, ergo Dominus Jesus ex parte tantum est Servator, quippe qui tantum remissionem peccatorum per mortem suam præparaverit, seu viam ad eam aperuerit. *Resp.* Negatur rursus argumenti consequentia. Nam licet mors Christi sola non conferat actualem ac plenam peccatorum remissionem, non tamen propterea sequitur, Christum dimidiatum tantum esse Servatorem. Totum enim opus salvationis solâ Christi morte non completur: etiam ut rex verbum ac spiritum suum adhibet, quorum virtute & fides & conversio in nobis producitur, atque ita secundum Dei promissiones in statu salutis collocamur. Quicquid itaque ad salutem nostram requiritur, à Jesu Christo præstatur. Dices. Omnibus illis mediis à Domino Jesu adhibitis, fieri tamen potest, ut homo se non convertat, nec salutem consequatur. Ita est: ergo vitio suo, salute, quam adipisci poterat, excidit. Dices. Exinde sequi, esse ergo in potestate hominis media sibi oblata vel amplecti, atque ita salutem consequi; vel respuere ac perire: ac proinde homo aliquid ad salutem suam confert. *Resp.* Oblationem mediorum salutarium esse opus Dei ac Christi in solidum: hoc itaque respectu tota salus à Jesu Christo dependet. Quod mediorum oblatorum acceptionem ac rectum usum attinet, fatemur esse arbitrii humani, Spiritus Sancti gratiâ excitati. Illud verò ad Christi gloriæ imminutionem, quasi solus Salvator non sit, neutiquam facit: quia quod media hæc arripere possint, & arrepta salutem conferant, hoc Christo debetur; à quo proinde solo est omnis ad salutem efficacia.

Ad tertiam. XII. Tertia est. Si per Christi sanguinem non obtingit actualis peccatorum remissio; ergo peccatum Adami potentius est ad nos condemnandum, quàm mors Christi ad nos salvandum. Cùm tamen contrarium testetur Apostolus *Rom.* v 15. & 18. *Resp.* Negatur rursus argumenti consequentia. Licet enim mors Christi nobis immediatè non conferat plenariam à peccatis absolutionem, eam tamen per certos à Deo isti fini destinatos gradus confert. Ipso moriendi actu præstitit, ut è morte liberationem consequi possimus. Tum & spiritu ac verbo suo, quæ nobis per mortem suam acquisivit, nos è tenebris eruit, atque ita erutos plenè à morte & condemnatione servat. Atque ita potentior est ad salvandum, quàm Adamus fuit ad condemnandum. Quod locum *Rom.* v. 15, 18. attinet, docet Apostolus, per obedientiam Christi gratiam esse majorem condemnatione quæ est per Adamum; non quia per mortem solam nobis acquisivit remissionem; nam omnis quæ in Christo nobis contingit gratia illic intelligi potest: sed quia nos, non ex miseriis ex uno tantum Adami peccato nos prementibus, sed ex multis peccatis eruit, uti expressè dicitur *vers.* 16.

XIII. Quarta est. Si Christus per mortem suam actu nos non reconciliavit Deo, ergo nos non reconciliavit; nam reconciliatio nisi actualis non est reconciliatio. *Resp.* Verum est, nullam esse reconciliationem, nisi quæ actu fit: sed reconciliatio suos habet gradus, alter altero perfectior est. Nullatenus itaque sequitur: Si Christus nos non reconciliavit perfectissimo reconciliationis gradu, ergo nos nullo modò reconciliavit. Actu itaque nos reconciliavit ipsa sua morte, sed imperfectiore illo reconciliationis gradu. Accedente fide ac resipiscentiâ nostrâ perfectissimè nos reconciliat, & in vitam æternam introducit. *Ad quartam.*

XIV. Quinta est. Aut reconciliati sumus per mortem Christi absolutè, aut conditionatè: Si absolutè; jam plenaria habetur peccatorum remissio: Si conditionatè; jam efficacia mortis Christi dependet à libero hominis arbitrio. *Resp.* Imperfectiore reconciliationis gradu reconciliati sumus absolutè: non enim ullam Deus exegit conditionem ut Christus pro nobis moreretur: sed ut perfectiore illo gradu reconciliatio obtineatur; requiritur à nostra parte conditio fidei & conversionis. Nec tamen inde sequitur, mortis Christi efficaciam à libero hominis arbitrio dependere; non enim homo morti Christi per suam fidem confert efficaciam, aut per infidelitatem tollit; sed effectum solummodò, in quod Christi mors tendit, accedente hominis fide ac obedientia, obtinetur. Neque per id quicquam efficaciæ mortis Christi decedit; Deus enim, qui Christum sacrificium pro peccatis expiatorium admisit, sive ab eo ut victimâ pœnam vicariam exegit, jus habet, qualemcunque vult conditionem apponendi, sub cujus præstatione remissionem morte Christi impetratam nobis applicare velit: cum victimæ mors reatum per se delere nequeat, sed non ultra ac aliter quàm Deo visum est. *Ad quintam.*

 XV.

An pro impœnitentia finali Christus sit mortuus.

XV. Ex dictis facile solvi potest quæstio, utrum Dominus Jesus etiam pro impœnitentia finali sit mortuus? Cùm enim impœnitentibus denuntiatum sit exitium, & fructus mortis Christi per fidem & resipiscentiam solummodò obtineri possit, manifestum est Dominum pro impœnitentia finali nequaquam esse mortuum. *Joan.* III. 36. *Qui Filio inobediens est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Eatenus tamen Dominus pro impœnitentia finali mortuus dici potest, quatenus & pro illis, qui impœnitentes sunt, obtinuit gratiam, cujus ope à peccatis resipiscere potuissent. Ut verò actualem remissionis applicationem obtinuerit pro illis, qui gratia oblata uti noluerunt, & in impœnitentia sua mortui sunt, & à ratione & à Scriptura alienum est. Dices. Attamen pro omnibus peccatis Dominus mortuus est. Resp. Impœnitentia finalis non denotat singularem peccati speciem, sed tantum in eo, qualecunque sit, perseverantiam.

Tertium effectum.

XVI. Tertium sacerdotii Christi effectum est liberatio à jugo ceremoniarum legalium. Sic *Coloss.* II. 14. dicitur *chirographum illud decreti, quod erat contrarium nobis, tulisse de medio, affigens illud cruci*: quasi unà cum Christo cruci affixum esset, ac proinde planè exstinctum ac abolitum. Secundum Legem quippe maledictus erat qui in cruce pendet, *Deut.* XXI. 23. neque licebat cuiquam cum homine secundum Legem maledicto ullam habere communionem, sed tota concio debebat dicere amen, *Deut.* XXVII. passim. Atqui Christus mortem crucis perpetiendo sacerdos noster fuit, & solà cum cruce ejus communione & sanguinis ipsius aspersione peccatorum remissionem obtinemus; ipse per crucem factus est caput nostrum, princeps & dux salutis. Manifestum igitur, nos per crucem ipsius à ceremoniarum jugo liberatos. Quod & egregiè docetur *Coloss.* II. 20, 21, 22, 23.

Usus Sacerdotii Christi.

XVII. Usus Sacerdotii Christi varii sunt. 1. Agnitio amoris Dei erga nos peccatores, quòd Filium suum unigenitum pro nobis dederit, *Joan.* III. 16. Personæ enim Filii Dei dignitas major videbatur, quàm ut Deus posset, & amor, quo eum complectebatur, intensior, quàm ut vellet eum pro nobis tradere. Illum itaque tradens maximè illustri argumento suum erga humanum genus amorem demonstravit, utpote qui pretiosissimum ac carissimum, quem habebat, ipsorum saluti impendit. Hinc Scriptura divinæ charitatis ἀκμὴν in traditione hac collocat: *Rom.* VIII. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Et cap. V. 8 & alibi. 2. Agnitio amoris Christi, qui Patri obediens factus est ad mortem & mortem quidem crucis, & maledictionem ultrò & sponte in se suscepit, ut nos à maledictione liberaret, & auctor esset salutis omnibus obedientibus sibi, *Hebr.* V. 8, 9, 10. ac per omnia tentatus misericors esset Pontifex ad compatiendum nostris infirmitatibus, *Hebr.* II. 17, 18. IV. 15. Majorem autem hac nemo charitatem habet, quàm ut animam suam pro alio ponat, *Joan.* XV. 13. Hinc & nobis in exemplar dilectionis proponitur, *Eph.* V. 2. *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit se*, &c. 3. Agnitio odii divini contra peccatum; quòd dilectissimi Filii cruentam ac maledictam mortem exegerit sacrificium propitiatorium, quo induceretur ad peccata condonandum. Nullo enim evidentiore documento odium suum contra peccatum Deus testari potuit, quàm tam illustrem & eximiam exigendo victimam.

Ad alios usus relata.

XVIII. Hæc autem omnia porrò ad usus maximè nobis salutares referuntur: videlicet. 1. Ut peccatum summo habeamus odio, utpote Deo adeo ingratum, ut illius reatum non nisi hostiâ adeo eximiâ tolli voluerit, propriumque Filium illius abolitioni impenderit. Qui enim adeo detestatus est peccatum, multò gravius gratiæ suæ contemtum Fœderisque Novi violationem vindicaturus est: quoniam *voluntariè post acceptam gratiam peccantibus nulla restat pro peccatis hostia, sed terribilis exspectatio judicii:* uti legitur *Hebr.* X. 26, 27. 2. Ut ex contemplatione summi erga nos amoris Dei Patris & Filii ejus Jesu Christi, fiduciam & spem remissionis omnium præcedentium peccatorum concipiamus, eâque fiduciâ ad vitæ emendationem Deique mandatorum præstationem excitemur, neque peccatorum antecedentium magnitudine territi de divina gratia desperemus. Sic dicimur *Hebr.* X. 19. *& seqq. habere fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*: & hoc fundamento monemur *Accedere cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aquâ mundâ.* Et 1 *Joan.* II. 1, 2. *Filioli hæc scribo ne peccetis: sed & si quis peccaverit: advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* &c. Et seipsum proponit Paulus in exemplum 1 *Tim.* I. 15, 16. Imo ipse Dominus ait, *Joan.* XII. 32. *Ego cum exaltatus fuero à terra, omnes ad me traham.* Tandem, ut ita fiduciâ remissionis Deo obedientes, ac sanctitati operam dantes, consequamur serenitatem conscientiæ, pacem cum Deo, ac æternam in cœlis beatitudinem. *Rom.* V. 1. *Justificati ex fide, pacem habemus cum Deo, per Jesum Christum Dominum nostrum.* Vide & *vers.* 8, 9, 10. *Heb.* V. 9. dicitur *omnibus obtemperantibus sibi factus causa salutis æternæ.* Et 1 *Thess.* I. 10. *nos eripere ab ira ventura.*

CA-

CAPUT XXIV.

De Munere Christi Regio. & Regni ipsius Amplitudine.

Regnum Christi.

I. TAndem sequitur Regium Christi munus, omnium præstantissimum. Prophetæ siquidem est salutem annuntiare: Sacerdotis, impetrare: Regis verè, actu eam conferre. Unde & plerumque Rex noster vocatur. Quatuor circa Regium Christi munus considerаturi sumus. I. Illius veritatem. II. Amplitudinem. III. Functiones. IV. Durationem.

Quatenus est Mediator.

II. Ut de regno Christi distinctè disseramus, notandum, Theologos solere illud dupliciter considerare: alterum, quod ei tanquam verbo Dei essentiale & cum Patre commune est: alterum, quod Jesu Christo competit ut mediatori inter Deum ac homines; ideoque ad distinctionem alterius à quibusdam mediatorium solet nuncupari. Nos regnum Christi secundo hoc sensu considerаturi sumus.

Tres illius gradus.

III. In eo autem tres secundum Scripturas animadvertere possumus gradus. Primus: Quòd Jesus Christus rex & dominus sit natus, ac proinde jam à nativitate jure & designatione rex fuerit. Sic *Luc.* I. 31, 32. Angelus Mariæ Domini nativitatem annuntians, ait, quod *regnaturus esset super domum Jacob*, & quod *Deus illi daturus esset tronum David patris ejus.* Et *cap.* II. II. pastoribus illius nativitatem annuntians, ait, *natus est vobis hodie Servator, qui est Christus dominus.* Et Magi ex oriente advenientes quærunt, ubi sit *rex Iudæorum qui natus est*, *Matth.* II. 2. Secundus: Quòd Jesus Christus munere suo jam fungens, & à Deo Patre suo Spiritu absque mensura donatus, etiam regiæ potestatis indicia in terris ostenderit, dominiumque suum in res quascunque demonstraverit; nempe cùm quævis miracula solo verbo effecit, cœcis visum restituit, morbis, ventis, tempestatibus, quin & dæmonibus, tanquam ipsorum rex & Dominus, imperavit, hominibusque in terra peccata remisit; uti videre est *Matth.* IX. 2. *& seqq.*

Duo priores propriè non sunt hujus loci.

IV. Verùm in hisce gradibus plenariam majestatem suam Dominus non ostendit: licet enim majestatis quædam signa ostenderit, tamen ea humili ac abjecto quoad externam speciem statu ejus quasi nebula quadam obducta fuit. Natus quippe est pauper, humilis, ex matre vilis conditionis, & in stabulo inter pecora, *Luc.* II. 7. Etiam cùm jam miraculis claruit, fuit conditionis in terra humilis, multaque indigna, quin & maledictam crucis mortem, tolerare debuit: quæ summæ ejus majestati minimè convenire videbantur. Licet itaque gloria ejus illo in statu conspicua fuerit, tanquam Filii unigeniti Dei, in demonstratione potentiæ divinæ per maxima omnisque generis miracula, uti legimus *Joan.* I. 14. nullâ tamen pompâ conspicuus fuit, neque regio more satellitibus stipatum & splendore mundano fulgentem ostendit. Declaravit quidem aliquatenus se regem esse, regisve filium; non solùm cum Petrum rogaret, utrum reges terræ tributum à filiis suis exigerent? indeque concluderet, & se, utpote regis cœlestis Filium, ab illo pendendo immunem esse debere; *Matth.* XVII. 24, 25, 26. sed & cum se toti Israëli ostendit cum aliquali pompa, insidens vid: asinæ, cum fausta acclamatione ingrederetur Hierosolyma, potestatemque regiam aliquatenus jam ostendisset, mittens discipulos ut solvant asinam & ad se adducant; hoc addito mandato, ut si quis quæreret, cur asinam solverent, responsuri sint, Dominus opus habet; quod proprium regis Israëlis jus erat: *Matth.* XXI. I. *& seqq.* Verùm hoc non fuit, nisi demonstratio quædam juris sui, à Patre ipsi concessi, quod Rex futurus esset possessione & usu. Propriè autem Prophetam se ostendit, qui prædicatione doctrinæ suæ, miraculorumque, quibus eam confirmabat, gloriâ, hominum animos sibi Deoque Patri subjicere cupiebat. Tantum vero abest, ut se regis instar gesserit, ut servi formam assumserit, & ultrò ac sponte se infami ac maledicto crucis supplicio afficiendum hominum improborum potestati tradiderit: quæ demonstrationi potentiæ ac majestatis ejus regiæ contraria sunt. Unde dicitur *pauper factus, cum esset dives; ut nos paupertate sua divites faceret*, 2 *Cor.* VIII. 9. Et *rapinam non duxisse Deo æqualem*, seu potius, *Dei instar esse*; ἴσα enim legitur, non ἴσον, *Phil.* II. 6, 7, 8. hoc est, non jactasse nec ostentasse gloriam suam, sicut solent, qui rapinam ex hostibus reportant, sed eam occultasse. Hinc & cùm posset, noluit Patrem suum orare, ut Angelos sibi in subsidium mitteret, *Matth.* XXVI. 53, 54.

Tertius gradus.

V. Tertius gradus est, qui obtinuit à resurrectione Domini ex mortuis, & adscensione in cœlos, postquam dextra Dei exaltatus omnem potestatem accepit in cœlo ac in terra, ac gloriosè in omnia imperat *Matth.* XXVIII. 18. *Act.* II. 33. V. 31. *Hebr.* II. 7, 8, 9. & alibi passim. Qui gradus regni quoniam præcipuus est, in quo Dominus majestatem ac gloriam suam ostendit, regiasque functiones exercuit & etiamnum exercet, præcipuè & ferè solus respicitur in Novo Testamento, passimque per excellentiam regnum Christi vocatur; ipseque cum exaltatus est rex constitutus esse dicitur. Non, quasi antea rex non fuerit; sed quia exaltatus actu & possessione regnum adeptus est; regiamque majestatem ostendit, quæ antea humilitate ac passionibus ejus, quasi umbrâ quâdam, obducta

ducta fuit. Et hoc sensu regnum Christi accipimus, ejusque explicationem sumus traditurі.

Christum jam actu regnare comprobatur. VI. Regnum hoc Dominum Jesum jam obtinere, actuque administrare, adeo clarè in Scriptura docetur, ut supervacaneum videri possit istud probare. Attamen propter Christianos quosdam semi-judaizantes veritas hæc, adeo evidens & perspicua, penitius adstruenda est. Credunt illi, Dominum Jesum nunc actu non regnare in cœlis, sed otiosum quiescere, & sedere à dextra Dei Patris: regnum verò ejus inchoandum, quando omnes totius terræ populi ad fidem Euangelii fuerint adducti, omnes ejus hostes debellati, ac præcipuè Antichristus, qui in templo Dei sedet, Ecclesiamque tyrannide suâ premit, abolitus. Verùm illi non videntur regni Christi naturam rectè percipere: quia enim Christus corporaliter & visibiliter more regum hujus mundi non regnat, eum nondum regnare existimant. Sed considerare ipsos oportuisset, regnum Jesu Christi esse spirituale, & alerius planè naturæ à regnis hujus mundi, quod obtinuit non armis aut vi externa, sed cruce ac morte maledicta: uti docetur *Phil.* II. 7, 8, 9, 10, 11. *Hebr.* II. 9, 10. V. 8, 9. XII. 1, 2. 1 *Pet.* 1. 11. Hinc ipse ait Pilato *Joan.* XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc.* Et *Luc.* XXIV. 25, 26. expressè ait, *oportuisse Christum ista pati, atque ita intrare in gloriam suam.*

1. Ex Matth. XXVIII. 18. VII. Sententia autem hæc validissimè convellitur argumentis evidentissimis ex Scriptura Sacra depromptis. 1. Dominus Jesus paulò ante suam adscensionem ait discipulis suis, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; *Matth.* XXVIII, 18. Nec excipi hic potest, Dominum dicere potestatem sibi datam, quia sibi erat à Patre destinata, & olim danda: Prophetarum more, qui quæ certò futura sunt tanquam præsentia enuntiare solent: quia huic suæ potestati superstruit mandatum, quo Apostolis jubet Euangelium ubique prædicare, gentesque ad præceptorum suorum obedientiam adducere: *Euntes ergo docete omnes gentes*; &c. Atqui ea sufficiens huic mandato fundamentum non fuisset, si post multa demum secula potestas illa Christo esset conferenda: nemo enim legibus illius, qui potestatem nondum adeptus est, parere tenetur: sola quippe potestatis possessio imperandi autoritatem, ac parendi obligationem introducit. Imo, ut omne dubium excludatur, additur tandem, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quibus spiritus sui assistentiam promittit, ut demandato sibi munere fideliter fungantur, omniaque hominum obstacula perrumpant. Quod præstare non potuisset, nisi statim ab adscensione regnum suum obtinuisset.

VIII. Secundò. Idem confirmat effusio Spiritus Sancti in Apostolos facta die pentecostes. Quæ quoniam regni Jesu Christi irrefragabile est documentum, penitius eam considerabimus. Tria ergo in ea sunt consideranda, quæ singula distinctam habent vim & efficaciam regimen Christi cœleste adstruendi. Promissio Domini de Spiritu Sancto: ipsa Spiritus Sancti effusio: & ejus effecta. Promissio facta est à Domino tum ante suam mortem, *Joan.* XIV. 16. 17. XV. 26. & XVI. 7. *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et *vers.* 13, 14. tum post resurrectionem ex morte; *Luc.* XX. v. 49. *Ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Act.* 1. 8. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos*, &c. Hanc decimo ab adscensione die secuta est ipsa in Apostolos Spiritus Sancti effusio. *Act.* II. 1. *& seqq.* Spiritus hic à nemine nisi à Deo, aut quem Deus ad summam suæque proximam dignitatem evexerat, mitti potest: quia Spiritus est, qui à solo Deo egreditur, *Joan.* XV. 26. per quem Deus omnia creavit, *Psal.* XXXIII. 6. omniaque etiamnum conservat & administrat, *Psal.* CIV. 30. cuique omnia sua secreta revelat, 1 *Cor.* II. 10, 11. Qui itaque potestatem habet Spiritum hunc mittendi cuicunque vult; in illum Spiritum potestatem habet, cœlique Dominus est. Sed & promissio antea facta Apostolos plenissimè persuasos reddere potuit, Dominum in cœlis regnare. Quod inopinatò contingit, admirationem quidem parit; sed quod juxta promissum expectatur, si eveniat, fidem conciliat. Samuel Saulem certum reddere volens ipsum à Deo in regem electum, prædicit varia ipsi obventura, ac tandem cœtum prophetarum cum tympanis ac cytharis occursurum, ipsumque unà cum ipsis prophetaturum, 1 *Sam.* X. Hæc omnia cùm juxta Samuelis prædictionem & Saulis exspectationem impleta essent, Saul certus redditur se à Deo electum populi regem. Cùm verò Saul Davidem persequeretur, ipseque ad Samuelem accedens in Rama spiritu prophetico corriperetur, miratur quidem statum suum, sed à proposito Davidem persequendi non desistit: quia inexspectatò hoc ipsi contigerat, 1 *Sam.* XIX. 21. *& seqq.* Simile exemplum habemus circa Eldad & Medad, qui in castris prophetabant: non coram tentorio; ideoque id à quibusdam Mosi tanquam res indecens indicatur, *Num.* XI. 26. *&c.* quia prophetia solummodò exspectabatur coram tentorio. Eodem modo & Apostoli, promissi Dominici impletionem exspectantes, Spiritu Sancto misso plenissimè de illius regno

2. Ex effusione Spiritus Sancti in Apostolos die pentecostes.

gno cœlesti fuere persuasi. Sed & effecta Spiritus illius admiranda totum orbem convincere potuerunt Jesum Christum regimen cœleste obtinere: quia virtute Spiritus, ab ipso effusi, Apostoli Jesu Christi, quos constabat esse idiotas, nullâ disciplinâ aut eruditione imbutos, *Act.* IV. 13. & suæ tantum linguæ gnaros, extemplo omnium linguarum divinorumque mysteriorum cognitione donantur, adeo ut magnifica Dei facta magna cum παῤῥησίᾳ celebrarent. Hinc Petrus, postquam de miraculo hoc disseruisset, ita concludit, *Act.* II. 36. *Certissimè sciat ergo omnis Domus Israël, quia, & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Quod & porro magis confirmatum est, quoniam Apostoli spiritus illius virtute etiam quibuscunque manus imponebant, spiritum communicabant, miraculaque maxima faciebant, seque id virtute Jesu Christi in cœlis regnantis facere constantissimè profitebantur: *Act.* III. 6. & 16. IV. 10. V. 32. & alibi.

3. Ex claris Scripturæ Sacræ testimoniis. IX. Tertiò. Sed & Scriptura passim Christum jam regnum suum obtinere testatur: *Act.* V. 31. *Hunc principem & Salvatorem exaltavit Deum dextrâ suâ, ad dandum pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum. Eph.* I. 20, 21, 22, 23. *Deus constituit illum ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem*, &c. *Phil.* II. 8, 9, 10, 11. *Quia obediens fuit ad mortem, & mortem quidem crucis, ideo Deus eum superexaltavit, & dedit ei nomen supra omne nomen*, &c. Vide & I *Pet.* III. 22. Quæ loca de re non futura, sed jam impleta, loqui, omnes eorum circumstantiæ docent. Et præcipuè id evincitur ex I *Cor.* XV. 25, 26. *Oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subjecit pedibus ejus.* Illic enim docetur, Christi regnum non inchoandum postquam inimici ejus aboliti erunt, sed jam præsens esse, Christumque ipsum omnes inimicos sibi subjecturum, & eo usque imperium ejus duraturum, donec mortem, ultimum hostem, in resuscitatione universali sit destructurus. Non ergo demum regnare incipiet, cum hostes destructi sunt; sed regnat, ut hostes destruat.

4. Ex Apocalypsi. X. Quartò. Evidentia adeo habemus regni Christi jam præsentis testimonia in Apocalypsi, ut nulla cum specie eludi possint, nisi quis totam libri illius auctoritatem in dubium vocare sustineat; quem tamen ut Canonicum jam olim unanimiter à Christi Ecclesia receptum antea ostendimus. Legantur solummodò tria prima capita, manifesta passim regni Christi jam præsentis indicia occurrent. Adscribit sibi Jesus Christus, quod *in dextra sua habeat septem stellas*, qui sunt Angeli septem Ecclesiarum Asiæ; & quod *in medio septem candelabrorum aureorum*, quæ sunt septem Ecclesiæ, *ambulet*: quibus curam ac providentiam suam, qua tanquam earum rex & caput circa illas versabatur, designat. Quod evidentius liquet, cum dicit se earum opera nosse; cum bona earum opera approbat, mala improbat; eas officii sui admonet, ad pœnitentiam hortatur, comminatur nisi resipiscant; officium facientes in afflictionibus consolatur, & ad constantiam hortatur, amplo proposito præmio; quòd nempe victores cum ipso *sessuri sint in throno ipsius, quemadmodum ipse vicit, & sedit in throno Patris sui, cap.* III. 21. Quæ omnia præsentem ejus majestatem & actuale imperium indicant.

5. Ex votis Apostolorum. XI. Hisce possumus addere vota & precationes, tum in initio & fine epistolarum Apostolicarum, tum alibi occurrentes, quibus gratia & pax à Domino Jesu Christo optatur, quin & ipse Dominus nonnunquam directè invocatur; quæ ineptæ & frustraneæ forent, nisi Dominus potestate regia foret præditus, qua se invocantibus bona illa posset largiri. Verùm hæc in sequentibus, quando de cultu Jesu Christi Mediatoris dicemus, plenius sunt ventilanda.

Explicatio Hebr. II. 8. XII. Sed objiciunt quidam, Apostolum Hebr. II. 8. dicere, *Nunc autem nondum videmus omnia subjecta illi.* Resp. Illis verbis non negatur, Dominum Jesum imperium in omnia habere, aut ipsum donatum virtute ac potentia omnia sibi subjiciendi: sed tantum, quòd nondum omnes inimicos destruxerit. Traditum quippe Domino Jesu est regnum à patre suo, ut omnes inimicos gloriæ divinæ ac fidelium saluti adversantes destruat; illud autem non facit simul ac eodem momento: sed paulatim, & quamdiu seculum hoc duraturum est, quo homines ad salutem vocat, patienter ipsorum resipiscentiam exspectat, ac pœnas differt, ut plures ad salutem perducantur: donec tandem in consummatione seculorum omnes hostes est destructurus, mortem, hostem ultimum, abolituras, impiosque unà cum diabolo in ignem æternum conjecturus. Licet ergo hanc omnium subjectionem non videamus ante tempus illud ultimum; inde male infertur, Dominum Jesum nondum in omnia imperium obtinere: nam eodem in loco satis manifestè dicuntur, Domino Jesu omnia subjecta, eumque gloriâ & honore coronatum: & *cap.* IV. 16. quod habeat thronum gratiæ. 2. Nemo ambigit, quin Deus Pater in omnia imperium obtineat: ille tamen in hoc seculo nondum omnes hostes destruxit; sed id demum per Filium suum Jesum Christum in seculorum consummatione faciet. Sicut ergo hoc non evertit Dei Patris, ita nec Domini nostri Jesu Christi regimen evertere potest.

Regnum XIII. Sed verò non sufficit scire, Domi-num

Christi in quibus consistat. num Jesum actu in cœlis regnare, nisi cognoscamus in quibus regia hæc dignitas consistat: illud itaque imprimis explicandum est. Tria illa sunt potissimum. Primum est eminentia & honor, quo exaltatus est supra omnia, omnibusque creaturis, etiam nobilissimis, tam invisibilibus quàm visibilibus, excelsior est factus, proximumque à Deo Patre obtinuit dignitatis locum, solumque Patrem se superiorem agnoscit. *Cum enim omnia illi sint subjecta, manifestum est excipi eum qui subjecit ipsi omnia*. 1 *Cor*. xv. 27. Hoc denotatur phrasi, *Sessionis ad dextram Dei*; qua proximum à Deo dignitatis locum designari antea ostendimus. Eadem eminentia indicatur titulo *Filii Dei*, utpote dignitatis supremæ hæredis, & omnibus servis excellentioris, *Hebr*. I. 4, 5, 6, 7, 8, 9. Secundum; Potestas, jus ac dominium in omnia, ita ut omnia ipsi subjecta sint, & ipse omnibus imperare possit. Sic *Matth*. XXVIII. 18. datam sibi omnem in cœlo ac terra potestatem, substernit tanquam fundamentum missionis Apostolorum ad prædicandum omnibus gentibus Euangelium. *Eph*. I. 22. *omnia* dicuntur *ejus pedibus subjecta*. *Apoc*. I, 18. III. 7. adscribit sibi Dominus *clavem Davidis, quod aperiat & nemo claudat*, atque iterum *claudat, & nemo aperiat*. *Rom* XIV. 9. dicitur quod *vivis & mortuis dominetur*. Tertium: Quod speciatim sit rex & judex constitutus hominum, ut eis vivendi leges præscribat, ac secundum opera sive bona sive mala eos judicet Sic non tantum ipse dixit *Luc*. XXIV. 47. *in suo nomine prædicandum omnibus resipiscentiam & remissionem peccatorum*: & Apostoli docuerunt, illum exaltatum dextra Dei, *ad dandum pænitentiam Israëli & remissionem peccatorum*, *Act*. x. 31. Sed & passim *judex à Deo* dicitur *constitutus vivorum ac mortuorum*, *Act*. v. 42. XVII. 31. Et peculiariter caput Ecclesiæ ac fidelium suorum. Sic *Eph*. I. 22, 23. dicitur expressè *constitutus caput Ecclesiæ*. 1 *Pet*. II. 25. vocatur *episcopus animarum*. *Hebr*. XIII. 20. *Magnus pastor ovium*. 1 *Pet*. v. 4. *Princeps pastorum*.

Attributa ad id requisita. XIV. Ut autem potestatem illam supremam exerceat, iis præditus est qualitatibus & attributis, quæ ad talis regni administrationem requiruntur. Ea sunt, 1. Sapientia ac omniscientia. Hæc ipsi adscribitur etiamnum in terris versanti, *Joan*. II. 25. *Non opus habebat, ut ei quisquam testaretur de homine, quia ipse sciebat quid esset in homine*. De ipso autem jam in cœlis exaltato dicitur *Apoc*, II. 23. quod *corda & renes scrutetur*. Hinc *Esa*. XI. 3. de ipso prædicitur: *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet*: quia necesse non habebit, regum instar terrenorum, per testimonia, quæ sæpe fallacia sunt, veritatem inquirere, neque externa specie decipi potuerit; sed ipsa corda, occultissimasque cogitationes plenissimè perspectas habet. 2. Justitia, qua unicuique retributurus est secundum opera, *Matth*. XVI. 27. *Rom*. II. 6. 2 *Cor*. v. 10. idque sine acceptione personarum: *Rom*. II. 11. *Coloss*. III. 25. *Apoc*. VI. 15, 16. *Esa*. XI. 4. 3. Omnipotentia: *Spiritu oris sui conficiet improbos*. *Esa*. XI. 4. 2 *Thess*. II. 8. quasi solo jussu suo, simul atque os suum aperuerit, & halitum ex ore emiserit ut sententiam pronuntiet, impios sit consecturus. *Phil*. III. 21. tribuitur ipsi *efficacia, qua sibi subjicere potest omnia*. Et apparitùrus ad judicium dicitur *cum angelis potentiæ suæ*, 2 *Thess*. I. 7.

XV. Amplitudo regni Christi tanta est, ut nullis omninò terminis circumscribatur: est enim universale, & in omnia, adeo ut nihil omninò excipiatur quod ipsi subjectum non sit, præter solum Deum, qui subjecit ipsi omnia, 1 *Cor*. xv. 27. Sic *Hebr*. II. postquam *vers*. 5, 6, 7. verba. *Psal*. VIII. Christo adaptaverat, addit *vers*. 8. *In eo quod omnia ei subjecit, nihil omisit quod ei non sit subjectum*. Extendit quippe se regnum Christi in cœlum & in terram, *Matth*. XXVIII. 18. & in omnes res ac creaturas ibi contentas: *Phil* II. 10. *Ut in nomine Jesu flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & inferorum*. ubi distributione creaturarum facta, omnes ubicunque sint, Domini Jesu imperio subjectas esse docetur. Quod distinctâ omnium enumeratione plenius demonstrari potest. *Amplitudo regni Christi.*

XVI. In cœlum Dominum Jesum imperium obtinere, constat ex *Matth*. XXVIII. 18. mox allegato: & *Joan*. XIV. 2, 3. quia dicit se in cœlum vadere, ad parandum suis locum. Ubi etiam in dextra Dei consedit, *Hebr*. VIII. 1. Angelos, cœli incolas, Christo subjectos, jam constat ex locis antea allegatis, *Eph*. I. 20, 21. *Phil*. II. 10. *Hebr*. I. 6, 7. 1 *Pet*. III. 22. Quorum operâ, ne alia in capite de Angelis dicta nunc repetamus, præcipuè utitur ad diaboli astus ac fraudes, quibus fidelium saluti insideatur, retundendum, ut videre est *Apoc*. XII. suosque fideles contra hostium vim protegendum, quantum gloria ipsius requirit: Exemplum habemus in Apostolis, *Act*. v. 19. & Petro speciatim, *Act*. XII. 7. *& seqq*. vel etiam ad judicia sua in impios exercendum: quod Apocalypsios liber passim docet. *In cœlum & angelos.*

XVII. Exinde colligere licet, diabolos seu Angelos malos Domino non minus esse subjectos. Sanè Christo in terris versanti usque adeo subjecti fuere, ut solo ejus jussu ex obsessorum corporibus ejecti sint, neque nisi ejus permissu porcos ingredi potuerint, *Matt*. VIII. In cruce autem *exspoliavit principatus & potestates, traduxitque con-* *In diabolos.*

fidenter,

fidenter, palam triumphans de illis in semetipso, Coloss. II. 15. adeo ut inviti coacti fuerint imperium ejus agnoscere, *Luc.* IV. 34. *Act.* XVI. 16. *& seqq.* Quin & Apostolis suis potestatem diabolos ejiciendi communicavit, adeo ut ipsorum jussu corpora obsessorum deserere coacti sint. *Act.* V. 16. & alibi. Utitur autem illis Dominus tanquam ministris suis ac mancipiis ad fideles suos humiliandum & præservandum, ne se efferant: quale exemplum habemus in Paulo, 2 *Cor.* XII. 7. Vel tanquam tortoribus ac carnificibus ad puniendum improbos ac Euangelio suo immorigeros. Sic Apostolis concessit potestatem tales tradendi satanæ ad interitum carnis, 1 *Cor.* V. 5. 1 *Tim.* I. 19, 20. Maximè autem imperium hoc apparebit in ultimo judicio, quando diabolum & angelos ejus conjecturus est in ignem æternum, *Matth.* XXV. 41.

In terram, & omnes terræ incolas. XVIII. In terram omnesque terræ incolas se imperium Domini extendere, non minus est evidens. Omnia siquidem, quatenus ad salutem nostram æternam aliquem habent respectum, illius jussibus parent: omnia pro arbitrio suo dirigit, vel in pœnam; vel in remunerationem hominum. Omnes similiter homines ejus imperio subsunt; non solùm fideles, quorum caput est; sed & infideles; qui vel simpliciter illum ignorant; quos ministerio verbi & spiritus ad se congregat, vel justo judicio in tenebris ignorantiæ relinquit: vel Euangelium ejus respuunt, ejusque imperium agnoscere nolunt, quos *reget virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringet, Psal.* II. 9. & *interficiet, quia noluerunt ipsum super se regnare, Luc.* XIX. 27. Nec vulgaribus tantum hominibus imperat, sed & in reges ac principes terræ dominatum obtinet. Hinc *Psal.* II. 12. David hortatur reges terræ, ut *Filium osculentur*: osculo nimirum subjectionis, quo se illum Dominum suum agnoscere fatentur: vocaturque hoc respectu, *rex regum & Dominus Dominantium*, *Apoc.* XVII. 14. XIX. 16. Et tanta cum auctoritate, ut *claves habeat inferni & mortis*, *Apoc.* I. 18. & *clavem Davidis, aperiat & nemo claudat; claudat & nemo aperiat; Apoc.* III. 7. Nec vivis tantum dominatur, sed & in mortuos imperium habet: *Rom.* XIV. 9. Huc referri potest, quod *subterranei* dicantur *in nomine Jesu genu flexuri*, *Phil.* II. 10. Adeo ut nulla creatura, tam in cœlo quàm in terra, ab imperio ejus excipiatur.

Est regno Patris subordinatum. XIX. Est autem id imperium non absolutè supremum, uti regnum Patris, sed Patris regno subordinatum: non enim Pater omni se potestate abdicavit, nec providentiam ac gubernationem mundi ita Filio tradidit, ut ipse omnium otiosus sit spectator. Nihil minus: nam, ut Dominus ait *Matth.* V. 45. *Deus facit solem suum oriri super bonos ac malos; & pluit super justos & injustos.* Omniaque in usum hominum producit ac liberali manu largitur, *Act.* XIV. 16, 17. XVII. 25, 26. Est itaque munus speciale, Domino Jesu ut Redemtori hominumque Servatori à Deo Patre demandatum, ad salutem hominum procurandum, cum amplissima in omnia potestate, ut iis pro libitu ad finem istum obtinendum utatur: quod tamen semper ad nutum Patris, cujus imperio subordinatum est, administratur. Sic dicitur *Joan.* V. 22. *Pater non judicare quemquam*; nim: per se & immediatè: *sed omne judicium dedisse Filio.* Et *cap.* XVII. 2. quod *dederit ei* Pater *potestatem omnis carnis, ut omne quod dedit ei det eis vitam æternam.* Et datus est Ecclesiæ caput, *Eph.* I. 22. Adeo ut Deus Pater propriè per ipsum regnet. Cujus imperii typum habemus in Josepho, cui Pharao dicebat, *Ecce constitui te super universam terram Ægypti*, &c. Qui tamen se imperio non abdicabat, sed supremum, etiam in ipsum Josephum, sibi reservabat: Addit enim: *Uno tantum regni solio te præcedam, Genes.* XLI. 40. Hinc & Apostoli preces ad Deum dirigunt, *Act.* IV. 24. *& seqq.* Et fideles Deum invocare jubent, *Phil.* IV. 6, 7. sed per Jesum Christum, & in nomine ipsius, ut ita à Patre per Christum quod petunt impetrent: juxta promissum Domini *Joan.* XIV. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio.* Vide & *Joan.* XV. 16. & XVI. 23, 24. Unde & honor Christo exhibitus dicitur cedere in gloriam Dei Patris, *Phil.* II. 11.

CAPUT XXV.

De Functionibus Regiis, & Regni Christi Duratione.

Functio prima. Vocatio ad participationem regni sui. I. FUnctiones ad regnum Christi pertinentes variæ sunt: quarum quasdam Dominus jam olim peregit, quasdam etiamnum exercet, quasdam in posterum suo tempore peracturus est. Omnes ad hasce facile reduci possunt.

Actusejus primus, Missio Spiritus Sancti in Apostolos. II. Prima est, vocatio ad participationem regni sui: non enim Dominus subditos sibi obsequentes, & regni sui bonorum participes invenit; sed ipse ex mera liberalitate eos ad regni sui participationem vocat. Hunc in finem jam olim instituit ministerium, ministrosque suos donis ad munus illud arduum exsequendum necessariis instruxit. Adeo ut primus regii muneris actus fuerit, gloriosa illa missio Spiritus Sancti, quem Dominus ipso Pentecostes festo, decimo ab Ascensione sua die, in Apostolos largiter effudit, adhibitis signis illustrissimis tantæ rei adumbrandæ convenientissimis: quo ipsos, ad legationem illam universalem, *Matth.* XXVIII. *Marc.* XVI. *Luc.* XXIV. ipsis demandatam, obeundam, planè ineptos, aptos reddidit,

reddidit, donisque ad id perficiendum necessariis instruxit: uti legimus *Act.* 11. 1. *& seqq.* Hanc autem Spiritus missionem actum esse regii Christi muneris, docet Apostolus Petrus *Act.* 11. 33, 34, 35, 36. Fuitque hic omninò necessarius. Mittendi quippe erant Apostoli ad omnes gentes, ut verbum salutis omnibus prædicarent: ab ipsorum itaque ore dependere debebat ratio ac via salutis consequendæ. Spiritu itaque donari debebant, qui ipsos esset instructurus sapientiâ ac cognitione voluntatis divinæ, quæ hactenus abscondita fuerat, 1 *Cor.* 11. 7 *& seqq.* ac introducturus in omnem veritatem, *Joan.* XVI. 13. ne in prædicando verbo salutis usquam labi aut errare possent. Mittendi ad gentes cujuscunque linguæ, ideo linguarum dono instruendi erant. Et hanc missionem plures aliæ distributiones Spiritus per Apostolorum manus factæ, & fidelibus communicatæ, secutæ sunt: vide inter alia *Act.* VIII. 15, 16, 17. XIX. 6. *Hebr.* 11. 4. Itaque hac missione Dominus ministerium illud extraordinarium suorum Apostolorum instituit. Sed & Spiritum illum aliis ministris, quos Apostolis adjungere placuit, communicavit, ut eorum ministerio regnum suum erigeretur: uti luculenter legere est *Eph.* IV. 7, 8, 9, 10, 11. *& seqq.* Ubi, allusione factâ ad morem inter Romanos usitatum, qui hostibus devictis triumphantes urbem invecti, non tantum captivos post se ducebant, sed & dona ac munera in vulgus spargere solebant, dicit Dominum, cùm in cœlos adscenderet, dona hominibus dedisse; nim: Spiritus Sancti charismata, quibus diversorum ordinum ministros instruxit, quorum ministerio Ecclesiam suam erecturus esset.

Per hos vocatio facta est. III. Per hosce ministros vocatio hominum ad regni cœlestis participationem facta est. Voluit nempe regnum suum spirituale ac cœleste per ipsos, tanquam publicos præcones, proclamari ac hominibus manifestari; ut amore ejus incitati certatim ad id se conferrent. Neque tantum proclamationem hanc inter Judæos fieri voluit; sed & omnes gentes, cujuscunque regionis, ad regni sui communionem vocari. Ita expressè Petrum visione cœlesti admonuit, nullas nunc gentes pollutas esse habendas, *Act.* X. Paulum speciatim constituit Apostolum præputii, ejusque ministerio gentes ad Euangelii communionem vocavit, absque observatione ceremoniarum legalium: uti tota Actorum Apostolicorum historia, & Epistolæ Paulinæ, præsertim ad Romanos & Galatas, abundè testantur.

Secunda, præscriptio legum. IV. Secunda functio est, præscriptio legum, iis facta quos ad regnum suum vocat. Leges hæ sunt, Fides, & resipiscentia seu vitæ Sanctitas; id est, vita gloriosa ista vocatione digna, ac tam beati regni subditis conveniens: cui annexa fuit felicitatis illius perfectæ promissio & condemnationis inobedientibus infligendæ comminatio. Vide *Act.* 11. 38. 111. 19. v. 31, 32. Et nominatim *Tit.* 111. 8. *Fidelis sermo est, & de his volo te confirmare; ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus.* Inde & Dominus dicit, *oportere in nomine suo prædicari resipiscentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc.* XXIV. 47. Vide & *Joan.* 111. 36. *Rom.* VIII. 13. *Tit.* 11. 11, 12, 13. Media, quibus hæc exsequitur, duo sunt: Verbum, & Spiritus Sanctus. Per verbum homines gratiosè vocat. Utque id continuò ipsis prædicari possit, etiam instituit ministerium ordinarium, dando Episcopos & presbyteros Ecclesiis, *Act.* XX. 28. ministeriumque hoc perpetuò contra omnia obstacula, omnesque Satanæ machinationes & insultus conservat, ministrosque suos non tantum conservat, sed & sibi semper obnoxios habet. Hoc illud est, quod dicitur *septem stellas*, id est, septem Ecclesiarum Episcopos, *in dextra sua habere*, *Apoc.* 11. 1. Per Spiritum, qui ordinariè verbo inest, & per verbum operatur, vires ad vocationi suæ parendum, legibusque obtemperandum requisitas, gratiosè concedit, & in intima cordis penetralia penetrans, ad fidem ac obedientiam flectit: ut ita totam suam salutem ipsi in solidum acceptam ferant. Sic 2 *Pet.* 1. 3. dicitur, *per divinam ejus virtutem nobis omnia donata, quæ ad vitam & pietatem faciunt.*

Tertia, judicium. V. Tertia functio, & potestatis regiæ evidentissimum documentum, est judicium. Hoc autem exercet vel in hoc, vel in futuro seculo. Utrumque respicit vel fideles, qui ipsum pro rege agnoscunt: vel infideles ac impios, qui jugum ejus respuunt, imperiumque detrectant. Fideles vel officio suo sedulo incumbunt; vel socordia quadam aut peccati tentatione allecti, labuntur, aut etiam quandoque in gravius aliquod incidunt peccatum. Officium sedulò facientes Spiritu promissionis Sancto in spem vitæ æternæ obsignat, & de antecedentium peccatorum plenaria remissione persuasos reddit: *Rom.* v. 2, 3, 4, 5. VIII. 15, 16. iisque bona hujus vitæ largitur, quatenus saluti ipsorum conducere novit: non tamen ut bonum principale sed principalis adjectionem, *Matth.* VI. 33. Peccantes verò ac negligentes castigat, sed ipsorum bono, ut pœnitentiam agant, novum ardorem concipiant, & remissionem consequantur: 1 *Corint.* XI. 32. *Hebr.* XII. 5. *& seqq.* *Apoc.* 111. 19. Infideles autem excæcat & indurat, tradit in reprobam mentem, & in efficaciam erroris, ut credant mendacio: 2 *Thess.* 11. 11. *Joan.* XII. 40. *Rom.* 1. 26, 28. & nonnunquam in hac vita punit pœnis corporalibus. Sic mulierem Jesabelem in lectum se conjecturum, filiosque ejus interfecturum, minatur *Apoc.* 11. 22.

II. 22, 23. Et quia potestate sua ad fidelium perniciem abutuntur, eos compescit, ne suos affligant, ultra quam fidei ac constantiæ ipsorum explorandæ consultum judicat; I *Cor.* x. 13. *Apoc.* II. 10. Ad judicia, quæ Dominus ut rex in hoc seculo exercebit, etiam pertinet abolitio & destructio ἀνόμου illius, de quo legimus 2 *Thess.* II. quem Dominus spiritu oris sui conficiet, & claritate adventus sui, quocunque tandem tempore is contingat, abolebit, *vers.* 8. Tum & varia illa, quæ Joanni sub diversis visionibus in Apocalypsi revelantur, quibus judicia varia Domini in impios, ut & fidelium Ecclesiæ multiplices præservationes à malo, aut è malis liberationes, præfigurantur; quæque nondum omnia impleta esse, eventus docet. In futuro seculo judicium exercebit universale in omnes omnino homines, quos ex mortuis suscitaturus & coram tribunali suo collocaturus est; & unicuique reddet secundum opera; piis gloriam & immortalitatem; impiis verò dedecus, afflictionem & angustiam: quod judicium graphicè nobis describitur *Matth.* xxv. 31. & *seqq.* *Rom.* II. 5, 6. & *seqq.* 2 *Thess.* I. 7, 8, 9, 10. & alibi.

Discrimen inter regnum & sacerdotium Christi. VI. Ex quibus functionibus, quas Scriptura Sacra Domino Jesu ut regi cœlesti adscribit, si conferantur cum functionibus muneris Sacerdotalis, manifestum inter Regium & Sacerdotale Domini munus discrimen elucescit. Sacerdotalis quippe muneris functiones omnes primò & directè occupantur circa Deum; Regii verò muneris, primò & directè circa homines, eorumque conversionem, & salutem, quam conversis Dominus largiturus est, respiciunt. Verum est *Hebr.* IX. 27, 28. similitudinem quandam subindicari, inter egressum Pontificis Veteris Testamenti è tabernaculo ad populo benediendum, & adventum Domini è cœlo ad judicium, quod tum sine peccato fit venturus exspectantibus se ad salutem; qui, ut vidimus, actus regius est. Sed licet actus quidam regius certo aliquo respectu & ob quandam analogiam assimiletur actui cuidam sacerdotali, exinde minime sequitur, munera ipsa revera in Domino Jesu non esse distincta, seu omnes sacerdotii Jesu Christi actus eosdem esse cum actibus regiis: cum in ipso hoc actu judiciali, ad quem Apostolus alludit, plures circumstantiæ sint, quæ distinctionem ejus ab egressu Sacerdotis è tabernaculo manifestissimè demonstrent: ut quòd in judicio illo extremo Christus non tantum, Sacerdotis instar, declarabit peccata nobis à Deo remissa esse: sed & ipse ea actu, tanquam rex, remittet, nosque virtute sua omnipotente ex mortuis suscitabit, & humilia nostra corpora conformia reddet glorioso suo corpori, *Phil.* III. 20, 21. atque ita tandem nobis vitam æternam largietur: impiis verò ac incredulis tanquam justus judex supplicium irrogabit æternum: quod cum munere Sacerdotis nullam planè habet analogiam.

Refutantur, qui credunt Christum in terras rediturum, & Judæos reductu-rum in terram Canaan. VII. Ex iis, quæ hactenus de munere Christi regio dicta sunt, facile liquet, quid statuendum sit de sententia illorum, qui dicunt, Jesum Christum ante ultimi judicii diem in terras descensurum, & conversis Judæis eos reducturum in terram Canaan, & Jerusalem cum templo & cultu Levitico restauraturum, Legem Mosis ab omnibus observatum iri, etiam gentibus in societatem adscitis, & antequam id fiat, martyres suscitandos ex morte, & cum Christo regnaturos annis mille. Hæc nempe sententia quammaximè est absurda. Primo: quia tendit ad eversionem regni Christi quod jam habet in cœlis. Nam oracula illa prophetarum, quibus regnum hoc adstruere conantur, aut secundum literam sunt accipienda, aut mysticè intelligenda. Si secundum literam; Unde probabunt, Jesum fore regem cœlestem? Si mysticè; quomodo ostendent regnum in terris? Si verò quædam urgeant mysticè accipienda, quo modo probabunt, quædam excipi debere? Secundò. Christus aut jam non regnat in cœlis; aut duplex Christi est regnum, unum in cœlis, aliud in terra: contra quàm Dominus ait *Joan.* XVIII. 36. ***Regnum meum non est de hoc mundo.*** Dicere, regnum hoc esse patefactionem regni cœlestis, planè ineptum est, ob maximum inter utrumque discrimen. Nam 1. Ad regnum præsens sufficit, quod Christus summa polleat potestate, licet totus illi adversetur mundus: ad hoc omnino requiritur, ut multi eum pro rege agnoscant. 2. Cœleste nullum discrimen locorum & personarum habet: hoc omninò: Judæi enim (uti volunt) reliquis gentibus præferentur, & Jerusalem sedes erit regni. 3 Cœleste requirit summam in cœlo & in terra potestatem: hoc tantum in terra. 4. Quid attinet regnum Christi in terris patefieri? patefiet enim in consummatione seculi. Tertio. Scriptura docet, Christum non descensurum corporaliter è cœlo, nisi ad judicium; *Act.* III. 21. ***Quem oportet cœlum capere, usque ad tempora restitutionis omnium,*** &c. *Coloss.* III. 3, 4. I *Thess.* IV. 16. Quarto. Regnum illud aut erit regnum remunerationis; & sic cum eo incipiet judicium universale: aut legislationis; & sic etiam subditi poterunt rebellare, regnumque hoc desinere. Aut si hoc nolimus, dicendum Deum potentia irresistibili obedientiam in ipsorum cordibus operaturum: at sic regnum hoc colligi posset ex hominibus maximè impiis; totaque divinæ providentiæ administratio, quæ hactenus in mundo viguit, irrita ac frustranea reddetur: quorsum enim comminationes pœnarum inobedientibus propositæ, si potentia

insuperabili Deus obedientiam in ipsorum cordibus operaturus sit?

Sensus Apoc. xx. 4.

VIII. Objiciunt, quod *Apoc.* xx. 4. de martyribus ob testimonium Jesu Christi decollatis dicatur, quòd cum Christo regnaturi sint mille annis. Resp. 1. Illum unicum fermè esse locum, quo sententia hæc nititur: nec enim, nisi hic locus exstaret, verisimile est ipsos Veteris Testamenti prophetias ad hoc regnum adstruendum unquam applicituros fuisse. At cogitandum, librum hunc quammaximè esse obscurum; itaque solidum alicujus dogmatis fundamentum ex eo, præsertim ex visione prophetica, cujus sensus conjecturâ colligitur, peti non posse. 2. Licet dicantur *cum Christo* regnaturi, exinde minimè colligi potest, Christum hic in terris fore præsentem. Similes quippe phrases passim in Scriptura occurrunt: *Genes.* v. 22. *Rom.* VIII. 17. *Coloss.* III. 1. 2 *Tim.* II. 11, 12. Tandem, nihil hic dicitur de restitutione Judæorum in suam terram, & cultus Levitici restauratione.

Rejicitur crassior Chiliastarum opinio.

IX. Crassius errant, qui putant Christum, postquam in terras descendit, nunquam cum suis rediturum in cœlum; contra clarissima Scripturæ Sacræ testimonia, *Joan.* XIV. 2, 3. 2. *Corinth.* v. 1. &c. Crassissimè autem omnium, qui Christum cum suis fruiturum credunt omnibus deliciis ac voluptatibus carnis; contra expressa Scripturæ testimonia, *Luc.* xx. 35. 1. *Cor.* VI, 13. & naturam corporis gloriosi, quale Christus jam habet, nosque in resurrectione habituri sumus, quod iis quæ corruptionem sapiunt, qualia sunt omnia quæ carnem nostram spectant, affici nequaquam potest.

Expenduntur sententiæ de regno Christi millenario magis spirituali.

X. Sed explosâ crassâ hac sententiâ, alii regnum Christo millenarium, sed spirituale magis tribuunt; neque Christum ex cœlo deducunt in terras, sed è cœlo regnum hoc administrare volunt. Verùm tanta de hoc regno ac tam multiplex est sententia, ut ipsa illa varietas invictum sit argumentum, Scripturam nihil quicquam perspicuè de eo determinasse, sed obscuris verborum involucris tegere voluisse.

Primo, eorum qui id jam dudum elapsum credunt.

XI. Alii siquidem credunt, regnum hoc jam dudum elapsum esse: quando vero inceperit, non una eorum est sententia. Quidam volunt incepisse à tempore Constantini Magni, & desiisse circa annum à nato Christo CIↃCCC, cum imperium Ottomannicum cœpit. Plures verò illorum initium arcessunt à tempore prædicati Euangelii, sive à Domino Jesu in propria persona; sive à morte Domini & missione Apostolorum in totum mundum: sive ab excidio Hierosolymorum; tunc enim (ajunt) Satan cœpit ligari, juxta *Matth.* XII. 29. *Luc.* x. 18. *Joan.* XII. 31, 32. *Act.* XXVI. 18. *Eph.* IV. 8. *Coloss.* II. 15. *Hebr.* II. 14. Sed verò si temporum illorum historiam recolamus, comperiemus, quod de ligatione Satanæ dicitur *Apoc.* xx. 3. quod *missus sit in abyssum*, ipseque abyssus *sit clausus & signatus*, *ut non seducat* satanas *amplius gentes*, *donec consummentur mille anni*, neutiquam illis applicari posse. Nam toto illo millenario satanas vires suas quam maximè explicuit, quatuor prioribus seculis concitando persecutiones gravissimas contra Ecclesiam, juxta *Apoc.* II. 10. sex posterioribus homines seduxit, & sensim à fidei sinceritate deficere suasit, mysteriumque iniquitatis operatus est. Sed ajunt, non est intelligenda omnimoda ligatio, ut satan nihil omninò seduceret; sed non tam universaliter, quemadmodum antea seduxit gentes. Verùm durum & coactum est, generales illas de satanæ ligatione locutiones ita restringere: sic enim revera satanas concipitur solutus; nam juxta potentem operationem ejus mysterium illud iniquitatis effectum est, 2 *Thess.* II. 9. Negari non potest, satanam aliquatenus ligatum: verùm generaliorem ligationem *Apoc.* *cap.* xx. verba innuunt. Deinde, quando martyres, securi ob testimonium Jesu percussi, illo millenario resuscitati sunt? Dicunt martyres illo millenario exstitisse, & ob repudiatas superstitiones Ethnicas securi percussos, posterioribus autem quatuor seculis fidos illos confessores occisos, qui non adorarunt bestiam, & Antichristi stigmatiæ esse noluerunt. Sed verò, non prædicuntur martyres occidendi, verum occisi martyres resurrecturi. Atqui coactum est & ab usu loquendi alienum, dicere martyrem, quando martyrio afficitur, ex morte propter martyrium suum resurgere.

Secundo, eorum qui id adhuc implendum credunt.

XII. Alii è contra credunt hos mille annos adhuc implendos; Christum verò non descensurum in terras, sed è cœlo regnaturum, perinde uti nunc in cœlo regnat: in eo autem regnum hoc collocant, quod Jesus Christus ante ultimum judicium requiem Ecclesiæ sit concessurus à persecutionibus, & majore quàm antehac gratiæ copia Judæis affulsurum, atque ad se conversurum; juxta prædictionem Apostoli *Rom.* XI. 25, 26. Idque innui volunt, non tantum *Apoc.* xx. sed & multis Veteris & novi Testamenti locis, in quibus sub figura revocationis Judæorum à dispersione sua, conversionem eorum ad Christum & collectionem in unum corpus cum Ethnicis, & majorem quàm hactenus in mundo viguit pacem, adumbrari credunt. Et illo tempore martyres resuscitandos, juxta *Apoc.* xx. Quid verò per martyrum resuscitationem intelligendum sit, valdè dissentiunt. Quidam resuscitationem interpretantur regenerationem spiritualem: Alii reviviscentiam in memoria & æstimatione fidelium: Alii suscitationem fidelium, eodem spiritu cum priscis illis martyri-

martyribus animatorum; eodem sensu quo Joannes *in spiritu & virtute Eliæ* venisse dicitur, *Luc.* I. 17. Alii veram ac propriè dictam martyrum è morte suscitationem, quæ mille annis reliquorum mortuorum resuscitationem sit præcessura. Ut de diversitate hac nihil dicam; sicut sententiam hanc ut falsam damnare nolo, ita non video rationes satis solidas, quæ eam persuadeant: præsertim quia felix & quietus ille Ecclesiæ status non convenire videtur cum plurimis illis de cruce ferenda prædictionibus, quæ in Novo Fœdere exstant. Dices. Prædictiones illæ potissimum respiciunt prima Ecclesiæ tempora; sed non significant ita perpetuò cum Ecclesia actum iri; illud enim experientiâ redarguitur. Resp. Me hoc libenter concedere: attamen generales illæ de cruce ferenda prædictiones illud saltem innuunt, hanc esse Ecclesiæ hisce in terris conditionem, ut semper malorum hominum persecutionibus exposita sit; ac proinde, licet aliquando respiret, nunquam tamen secura esse possit; sed semper animum erga crucem, si forte ingruat, ipsi præmuniendum esse. Atqui in isto regno millenario plena foret à persecutionibus securitas.

Præstat ἐπέχειν. XIII. Quare cùm tanta sit sententiarum de hoc regno diversitas, omnesque loco illo unico obscuro ac symbolico, *Apoc.* XX. nitantur (nisi enim ille exstaret, nunquam Veteris Testamenti prophetiæ huic regno accommodatæ fuissent) præstat, meo judicio, hic ἐπέχειν, quàm temerè quid in alterutram partem determinare. Et si qui hic quidpiam determinent, æquitatis memores sint, ne aliis suam opinionem imperiosè præscribant, aut dissentientes temerè damnent. Et si qui regnum aliquod in hac terra exspectent, ne in eo, tanquam in parte non exigua felicitatis suæ, spem aliquam collocent, atque ita terræ aliquo modo affigantur.

Duratio regni Christi. XIV. Sequitur tandem duratio regni Christi. Ea est æterna: regni enim illius non erit finis. Sic Angelus dicit matri ejus Mariæ, *Luc.* I. 32. *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Dices. Apostolus tamen inquit, I *Cor.* XV. 24. *& seqq. Deinde erit finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri*, &c. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Resp. Agnoscimus varia hoc in loco dici, quæ in seculorum consummatione regni Christi Mediatorii finem fore probant: qualia sunt, quòd Dominus sit regnaturus donec omnes inimicos suos pedibus suis subjecerit: quòd ultimus inimicus sit mors, qui non destruetur nisi in mortuorum suscitatione: quòd omnibus hisce subjectis, ipse Filius Patri regnum tradet, Patrique subjectus futurus sit. Hæc quidem docent, regnum Christi mediatorium tunc habiturum suum complementum: illa autem nequaquam repugnant iis locis, ubi regnum Messiæ dicitur æternum. Regnum quippe Mediatorium, quatenus consideratur ut functio Mediatoris nos in salutem introducentis, non vocatur, nec vocari potest, æternum absolutè; sed tum comparatè & oppositè ad reges & regna terrena hujus mundi, quæ vel priorum regum morte, vel vi hostili, in alios successores transferuntur: Christus verò, utpote rex immortalis & potentia ac gloria supra omnes coronatus, regni successorem nec habiturus est, nec habere potest: quo sensu Melchisedeci Sacerdotium dicitur æternum, *Hebr.* VII. 3. quia successorem non habuit. Tum quia ad seculi consummationem duraturum est, & quousque regni illius natura permittit ut durare possit. Regnat quippe Christus, ut fideles in gloriam cœlestem introducat. Quando vero fideles actu ex mortuis excitavit, & in salutem æternam introduxit, manifestum est functionem mediatoriam jam sponte cessare, quia jam finem suum assecuta est: perinde uti ducis, quem rex exercitui præfecit ut hostes debellet, functio debellatis hostibus sponte desinit, ipseque dux munus suum in manus regis, à quo id accepit, resignat. Hoc sensu Dominus in Epistola ad Hebræos passim dicitur sacerdos constitutus in æternum secundum ordinem Melchisedeci, cùm tamen certum sit, sacerdotii, quando fideles jam fructum reconciliationis, salutem æternam, obtinent, nullum amplius esse posse usum: sed quia durat, quamdiu natura sacerdotii permittit ut durare possit, ipse immortalis existens sacerdos manet in perpetuum absque ullo successore; uti egregiè docetur *Hebr.* VII. 23, 24, 25. Post judicium autem regno ac gloriâ suâ non erit destitutus Dominus, sed ut Ecclesiæ suæ caput triumphabit, ac in æternum regnabit cum Patre, gloriaque ejus perfectissimè consummabitur, ita ut, licet regnum ejus mediatorium complementum suum habeat, regni tamen ejus gloriosi nullus unquam futurus sit finis. Qui enim fideles suos in gloriam ac immortalitatem introducit, ipse ut eorum caput gloria immortali triumphabit.

XV. Hæc cum ita sint, sequitur Dominum Jesum nullum regni sui vicarium habere in terris, sed omnia immediatè administrare è cœlo. Rex enim, qui omnibus regni negotiis sufficere valet, eaque ipse administrare vult, vicario non indiget: proregis enim nulla præsente rege auctoritas est: imo rege præsente ineptum & superfluum est concipere vicarium. At rex noster semper nobiscum est, *Matth.* XXVIII. 20. Proregem verò absque diserto regis mandato creare, ad summam regis injuriam *Nullum habet Christus vicarium in terris.*

 per-

pertinet. Ruit hoc modo vicariatus Papæ, cùm Dominus Jesus nullum in terris vicarium constituerit; imo expressè Ecclesiæ ministris omnem dominatum interdixerit, *Matth.* xx. 25, 26. Nec Petrus, cujus se successorem jactat, imperium in alios Apostolos habuit; cum ab aliis Apostolis in Samariam sit missus, *Act.* VIII. 14. & Apostolus Paulus ipsi palam contradixerit, *Gal.* II. 6, 7, 8, 9. & Petrus ministris dominatum neget, 1 *Epist.* v. 1, 2, 3. Nec ostendere possunt, aliquem à Petro vel quocunque alio Apostolo successorem relictum. Tum, Christus solus caput est Ecclesiæ suæ, quæ corpus ejus mysticum est: uni autem corpori unum tantum convenit caput. Distinguere hic inter caput principale & ministeriale, est oppositum in apposito fingere, & naturam capitis abnegare. Verum de hisce alias.

Usus regni Christi. XVI. Usus Regii Christi muneris varii sunt. I Honor & gloria Dei Opt. Max. qui in regis hujus missione non tantum ostendit summam suam bonitatem, & erga homines amorem; sed & fidelitatem, qua omnia promissa, patribus per prophetas facta, implevit. Hanc celebrat Maria mater Domini, *Luc.* 1. 55. & Sacharias, pater Joannis Baptistæ; *Ibid. vers.* 69, 70. *& seqq.* Et Apostoli passim in concionibus suis; *Act.* II. 25. *& seqq.* III. 22. *& seqq.* XIII. 23. *&* 32. *& seqq.* Unde & *Rom.* xv. 8. dicitur, *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Hinc & potestas ac honor Domino Jesu traditus, dicitur esse *ad gloriam Dei Patris*, *Phil.* II. 11 II. Agnitio & confessio hujus dominii: illum enim in finem datum est Christo nomen supra omne nomen, *ut omnis lingua confiteatur Jesum Dominum*, *Phil.* II. 11. Estque hæc confessio adeo necessaria, ut illi una cum fide Apostolus salutem adscribat, *Rom.* x. 9. *Si ore tuo confessus fueris Dominum Jesum, corde autem credideris quòd Deus ipsum ex mortuis suscitaverit, salvus eris.* III. Adoratio, ut regis summi: *Joan.* v. 22, 23, 26, 27. IV. Obedientia mandatorum ejus: sicut enim regis est imperare & leges ferre; ita subditorum, obedire. Hæc mandatur *Psal.* II. 12. *Osculamini Filium*: osculo nimirum subjectionis. Et Dominus Jesus Apostolos suos ad omnes gentes mittens, ut Euangelium prædicent, jubet, ut doceant ipsas observare omnia quæ præceperat ipsis, *Matth.* XXVIII. 19. Hinc & Dominus dicitur, postquam *consummatus* est, *factus auctor salutis omnibus sibi obtemperantibus*, *Hebr.* v. 9. Estque hoc officium adeo necessarium, ut Joannes dicat 1 *Epist.* II. 4. *Si quis dicit novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est.* V. Consolatio in adversis, qualiacunque sint, præsertim quæ pro nominis ipsius confessione sustinemus, certi nos in cœlis habere Jesum Christum, non tantum Pontificem misericordem, per omnia tentatum ut nos, sed absque peccato, ut compati possit infirmitatibus nostris: sed & Regem divinâ potentiâ præditum, qui nobis ad gratiæ suæ thronum confugientibus, ejusque opem cum fiduciâ implorantibus, auxilium opportuno tempore suppeditaturus est: *Heb.* IV. 15, 16. & suis semper præsto est; cujus egregium in Stephano protomartyre exstat exemplum, *Act.* VII. 55.

CAPUT XXVI.

Qua ratione Jesus Christus Servator noster sit per tria sua munera.

Christus nos salvat per sua munera. I. Hactenus expendimus munera Jesu Christi, quorum administratione salutem nostram procurat. Restat nunc ut ea propius salutis nostræ negotio applicemus, ac quâ ratione per tria illa munera Dominus noster sit Salvator consideremus. Ostendimus miseriam, à qua liberandi fuimus, non unam, sed multiplicem esse; peccati nim. servitutem, & mortis reatum. Munera itaque Jesu Christi pro multiplicis miseriæ nostræ ratione diversimodè concurrunt ad liberationem nostri efficiendum.

Per propheticum nos liberat à servitute peccati. II. Per propheticum munus salutem nostram Dominus procurat, quatenus nos è peccati servitute eruit, & in libertatem filiorum Dei asserit, & in statu salutis collocat. In eo autem munere quatuor potissimum actibus Dominus occupatur, per quos opus salvationis perficit.

Doctrinâ. III. Primus est, prædicatio doctrinæ suæ sanctæ ac perfectæ, quæ continet præceptum resipiscentiæ & sanctitatis vitæ, & promissum remissionis peccatorum ac vitæ æternæ. Illis verò vis inest ac efficacia hominibus cœcis oculos aperiendi, intellectum eorum ex ignorantiæ tenebris eruendi, veraque de Deo ejusque voluntate cognitione illuminandi. Hoc respectu, *lux mundi* vocatur, *quam qui sequitur in tenebris non ambulat, sed vitæ lumen habet*. *Joan.* VIII. 12. ejusque verbum, *semen regenerationis*, *Jacob.* 1. 18. 1 *Pet*, 1. 23. quin *& per cognitionem ejus, omnia quæ ad vitam* & *pietatem* requiruntur *nobis donata sunt*, 2 *Pet.* 1. 3. Ab altera parte, homines promissorum magnitudine potenter ad sanctimoniæ studium exstimulantur, peccatorumque anxiæ ac desperabundæ conscientiæ spe. emissionis eriguntur: atque ita novâ quadam virtute ac potentiâ; veluti spiritu quodam efficace, donantur ut à peccatis ad Deum se convertant. Quod Petrus verbis immediatè sequentibus *vers.* 4. docet: *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, post quam ef-*

fugi-

fugiftis ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.

Miracula. IV. Alter eſt, confirmatio doctrinæ hujus ſanctæ ac divinæ per miracula inaudita & innumera; quæ abundè ſuffecerunt, ad homines convincendum, ut Chriſto tanquam prophetæ magno, ejuſque doctrinæ tanquam divinæ, plenam fidem adhibeant; atque ita mediante fide ac obedientia ad ſalutem perducantur. Quod teſtatur Nicodemus, *Joan.* III. 2. *Magiſter ſcimus quoniam à Deo miſſus es; quia nemo novit facere opera quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Et ipſe Dominus ad ea provocat, *Joan.* v. 36. x. 37. iiſque ſufficienter mundum convinci, docet *Joan.* xx. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum Filium illum Dei, & ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus.*

Exemplo vitæ. V. Tertius eſt, exemplum vitæ innoxiæ ac inculpatæ, & ad omnia ſua præcepta exactiſſimè directæ; per quam & eorum divinitatem confirmavit, & præcepta ſua à ſanctitatis ſtudioſis obſervari poſſe oſtendit, aliiſque ut viam immortalitatis ſecum ingrediantur ſeque imitentur, animum addidit. Hinc Apoſtoli exemplo vitæ Domini fideles ſæpius ad ejus imitationem adhortati ſunt; non tantum, ut in genere vitæ ejus ſanctitatem imitentur; ut Paulus 1 *Cor.* XI. 1. *Eſtote imitatores mei, ſicut ego ſum Chriſti*: & Joannes 1 *Epiſt.* II. 6. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Sed & particulares quaſdam, quæ ſpeciatim in Domino eminuerunt, virtutes exprimant; nimirum, modeſtiam & humilitatem, *Phil.* II. 3,4,5,6,7,8. promptum obſequium, *Hebr.* x. 5, 6,7. caritatem, etiam inimicorum, *Eph.* v. 2. adeo ut nec animam pro fratribus ponere dubitent, 1 *Joan.* III. 16. manſuetudinem, 1 *Petr.* II. 21,22,23. & condonationem offenſarum, *Coloſſ.* III. 12, 13.

Morte. VI. Quartus eſt, mors ejus cruenta, acerbiſſima ac ignominioſiſſima, per quam non tantum tanquam teſtis fidelis doctrinam ſuam obſignavit; ſed & tanquam victima fœderalis ipſas Novi Fœderis tabulas ſancivit ac ſtabilivit. Hinc *Matth.* XXVI. 28. ſanguis ejus vocatur *ſanguis novi fœderis*, per quem nimirum novum fœdus ſancitum eſt: & *Heb.* IX. 16,17, &c. mors ejus comparatur morti teſtatoris, per quam teſtamentum ratum eſt, & ſanguis ejus ſanguini victimarum fœderalium ad veteris fœderis confirmationem interfectarum; & *cap.* XIII. 20. ſanguis ejus vocatur *ſanguis æterni fœderis*, ſeu teſtamenti. Hiſce ſi adjungamus reſurrectionem ejus ex mortuis, ad quam, tanquam indubitatum ſuæ à Patre acceptæ auctoritatis, doctrinæque ſuæ divinitatis ſignum, aliquoties ante mortem ſuam provocavit, *Matth.* XII: 39,40. *Joan.* II. 19. &c. & per quam *potenter declaratus eſt filius Dei*, *Rom.* 1. 4. noſque *regeniti ſumus in ſpem vivam*, 1 *Pet.* 1. 3. & porrò ejus glorioſam in cœlis exaltationem, & ſeſſionem ad dextram Dei, quam prædixit *Matth.* XXVI. 64. & quâ Deus ipſum honoravit, *ut fides noſtra & ſpes eſſet in Deo*, 1 *Pet.* 1. 21. nihil ultra vel ipſa incredulitas exigere poſſe videtur, ut plenam doctrinæ Domini Jeſu fidem exhibeat.

Ergo per id eſt Servator. VII. Ex quibus omnibus evidenter colligimus, Dominum Jeſum reſpectu muneris ſui prophetici eſſe & meritò vocari Servatorem noſtrum. Scriptura Apoſtolos, qui in muneris ſui functione ſolummodò Domini Jeſu fuere miniſtri ac teſtes, eos quos docent, & verbi divini, quod à Domino acceperunt, virtute & efficaciâ convertunt, ſervare & regenerare dicit: *Rom* XI. 14. *Si quo modo ſalvos faciam aliquos ex illis.* 1 *Cor.* IV. 15. *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres; nam in Chriſto Jeſu per Euangelium ego vos genui.* Et *cap.* IX. 22. *Omnibus omnia factus ſum, ut aliquas ſaltem, facerem ſalvos.* 1 *Tim.* IV. 16. *Hoc faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.* Quin & quiviſè vulgo Chriſtianus idem charitatis officium proximo præſtans, eum ſervare dicitur: 1 *Cor.* VII. 16. *Unde ſcis mulier, an virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, an mulierem ſalvam facies? Jacob.* v. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte.* Itaque ſecundum rationem conjugatorum illis etiam nomen Salvatorum certo reſpectu applicari poteſt. Multo ergo potiore jure Domino Jeſu Chriſto, qui tanquam Propheta magnus & Angelus Fœderis ipſum Novum Fœdus, per quod ſalvamur, primus nomine Dei omnium efficaciſſimè & perfectiſſimè promulgavit, miraculis innumerabilibus ac maximè ſtupendis confirmavit, vitæ exactiſſimo exemplo expreſſit, & denique morte acerbiſſima & ignominioſiſſima ſancivit & obſignavit, atque ita homines de doctrinæ ſuæ divinitate pleniſſimè perſuaſos reddidit, & viribus ad Deo parendum potenter inſtruxit, reſpectu harum actionum ſalutarium, Salvatoris noſtri titulus tribuitur. Sanè *Luc.* XIX. 9. Dominus de Zachæo, à ſe munus tantum propheticum exercente converſo, inquit; *Hodie ſalus huic domui contigit, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ*: & ſubjungit *verſ.* 10. *Venit enim Filius hominis quærere & ſervare quod perierat.*

Per Sacerdotale reatum peccati abolevit. VIII. Per munus Sacerdotale Dominus Jeſus opus ſalvationis peculiari ratione ac modo perfecit, per duas nimirum functiones, muneri illi peculiares ac proprias, Oblationem nimirum & Interceſſionem; per quas juſtiſſimæ Patris voluntati pleniſſimè ſatisfecit, omniaque implevit, quæ Pater ad noſtri redemtionem requiſivit; atque ita factus hoſtia piacularis pro peccatis noſtris reatum omnem

omnem abolevit, nobisque accessum ad thronum gratiæ Dei patefecit. Hic modus salvandi Domino Jesu proprius ac peculiaris est; ita quidem, ut licet Apostoli aliique verbo Euangelii homines convertentes, aliquatenus prophetiam Christi imitentur, atque ita, saltem ex parte, hominum Servatores vocentur; nemo tamen in hujus beneficii participationem venire possit. Nemo enim morte sua augustius quid effecit, quàm quod testimonium perhibuit veritati, gloriamque divinam promovit. Jesus Christus verò, virtuti mortis ac oblationis suæ, tanquam sacrificii propitiatorii, obtinuit, ut Deus, nobis ob peccata offensus, actu nobiscum in gratiam redire voluerit, mediaque largiri, per quæ in Christum credere præceptisque ejus obedire possimus; ac tandem vitam æternam, modò in Christum credamus, conferre velit. Hoc respectu dicitur 1 *Tim.* 11. 5,6. *Unus Deus; unus & Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus: qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.*

Ergo Salvator est. IX. Exinde colligimus, Domino Jesu, ut Sacerdoti, Salvatoris titulum jure meritoque tribui: & quidem duplici argumento. 1. In corporalibus qui pro captivo redemtionis pretium, quod constituit dominus captivum detinens, solvit, rectè redemtor ejus dicitur: multo ergo majori jure Dominus Jesus noster est dicendus Redemtor ac Salvator, qui persolvit ac plenissimè præstitit, quicquid Deus ad humani generis redemtionem requisivit; quique ad nostri redemtionem non aurum neque argentum dependit; sed maledictam crucis mortem pro nobis est passus, sanguinemque suum pretiosum, imò seipsum redemtionis pretium dedit pro nobis; tantoque pretio innixus pro nobis adhuc intercedit apud Patrem, & remissionem peccatorum efficacissimè procurat. 2. In Veteri Testamento Sacerdotibus, per victimarum oblationem juxta ritus tum à Deo institutos peccata expiantibus, & quidem expiatione inefficace, quæ quotidie iterari debebat, passim peccatorum remissio & expiatio tribuitur; qui proinde hac ratione aliquatenus homines à peccatis liberare, atque ita salvare dici possunt: multò ergo magis Dominus Jesus, qui simul victima & Sacerdos, non typicum sed ipsum verum redemtionis pretium Patri suo persolvit, & sanguine suo cœlum nobis aperuit, aditumque ad gratiam Patris ac remissionem peccatorum paravit, salutis nostræ auctor agnoscendus est. Unde & Scriptura passim redemtionem nostri, reconciliationem, remissionem peccatorum, justificationem, & similia, sanguini Jesu Christi adscribit. Quin & *Hebr.* v. 9, 10. de Domino Jesu per passiones consummato & perfecto, inquit, quod factus sit causa & *auctor salutis omnibus qui ipsi obediunt, cognominatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedek.* Quæ arcta & immediata conjunctio Sacerdotii & Pontificatus Domini cum eo quod sit auctor salutis, evidenter demonstrat, eum, quà Pontificem, etiam auctorem salutis esse.

Enervant absolutæ prædestinationis patroni, tam respectu reproborum. X. Hujus autem Sacrificii vim & efficaciam evertunt, qui æternum absolutum ac irrevocabile de omnium hominum salute ac damnatione, sine respectu fidei aut infidelitatis, decretum à Deo ordine prius factum esse docent, quàm Jesus Christus à Patre ipsis destinatus sit Mediator. Per illud enim omnis ratio sacrificii, seu reconciliationis & propitiationis, tollitur: quoniam nec absolutè electi, nec reprobi Deo reconciliari potuerunt. De reprobis res manifesta est; quoniam æterno decreto à gratia Dei ita sunt exclusi, ut nullum pro iis Deus sacrificium fieri voluerit. Dices. Redemtio tamen Christi sufficiens est pro omnibus, etiam reprobis. Resp. Ergo vim illius enervant, docentes, Deum nolle, ut ea reprobis communis sit; & in gratiam Dei injurii sunt, qui à fructu pretii omnibus hominibus redimendis sufficientis, maximam generis humani partem excludunt. Dices. Sua culpa excluduntur. Resp. Qua culpa excludi potuerunt, qui jam antequam ut peccatores erant considerati à Deo sunt rejecti, quibusque propterea Deus redemtionem illam nunquam destinare voluit? Quique nati sunt impotentes ad redemtionem illam recipiendum?

Quàm electorum. XI. De electis non minus evidens est. Qui enim absolutè ad salutem electi sunt, à Deo summo ac flagranti, & quidem immutabili, amore diliguntur: tales verò Deo reconciliari non possunt. Dices. Verbum *eligendi* vel intentionem finis in mente divina significat, & voluntatem miserendi, eamque efficacem; & ad eam non requiritur prævia Mediatoris destinatio: vel rationem & modum voluntatis executivæ à Deo ab æterno institutum; atque ita Christus ordine prius est destinatus electis, quàm destinata salus. Resp. Repugnantia hic est manifesta: nam secundum primam vocis *eligendi* acceptionem, quæ ipsis verè ac propriè est electio, Deus non tantum potuit, sed & reverà voluit, & quidem actu & efficaciter, sine intenta Mediatoris satisfactione, electis salutem dare. Ergo pro illis satisfactio nec necessaria fuit, nec possibilis: quia ut salvare velit Christi satisfactione moveri non potuit Deus, qui jam absque ejus satisfactionis consideratione electos ad salvare volebat. Secundum posteriorem, Deus constituere vult Mediatorem, cujus meriti vi ac efficacia moveatur ut salutem largiatur peccatori: at qua ratione tum Deus antea efficaciter salutem illam voluit ut finem? Velle enim salutem efficaciter, ut finem, & dein-

& deinde velle medium quo movearis ad volendum salutem, contradictoria sunt. Secundum enim priorem modum Deus electis Christum dat, quia eos amat: secundum posteriorem Deus amat electos, quia Christus facit ut amentur, & amari possint. Quoniam itaque jam à Deo efficaciter diligebantur, antequam Christus ipsis destinatus sit Salvator, Christi Sacrificio aut Satisfactione Deo reconciliari non potuerunt. Atque ita tandem liquet, Christum ab ipsis non fundamentum decreti electionis, sed executorem tantum considerari, non qui electis Deum satisfactione sua propitium reddat; sed qui media, quibus Deus eos ad salutem perducere vult, solummodò exequatur. Atqui hoc est omnem meriti ac satisfactionis Christi rationem penitus evertere. Dices. Medicus primò vult sanitatem ægri, deinde pharmacum; sic & Deus prius intendit peccatorum salutem, deinde ipsis destinavit Christum. Resp. Hac exceptione magis confirmatur argumentatio nostra: non enim medicus vult pharmacum, ut velit sanitatem ægri; sed ut ægri sanitatem, quam antea voluit, procuret. Ita etiam secundum hanc exceptionem Deus non voluit Christum, ut reconcilietur electis, seu ut ipsis velit salutem dare; sed ut salutem, quam antea efficaciter ipsis destinaverat, per Christum conferat. Atqui in eo non consistit ratio meriti & Satisfactionis; sed ut Deus, qui antea justitiæ amore salutem peccatoribus efficaciter dare noluit, propitius redditus ac placatus eam dare velit. Et hoc est quod Apostolus dicit *Eph.* I. 4. *nos in Christo* (tanquam nim. decreti hujus fundamento) *electos esse ante jacta mundi fundamenta.*

Per illud etiam peccati dominium destruxit. XII. Sicut autem Sacerdotium Christi condemnationis reatum abolevit; ita etiam multiplex illi inest efficacia ad peccati dominium destruendum; sive id consideremus respectu Dei Patris, sive Jesu Christi, sive denique nostri ipsorum, statusque felicis, in quem per mortem Jesu Christi collocati sumus. Respectu quidem Dei Patris: quia exinde non tantum cognoscimus summum illius erga genus humanum amorem, quòd proprio Filio non pepercerit, sed eum tradiderit prò nobis, *Rom.* VIII. 32. qui amor ad Deum redamandum nos provocare debet; sed & odium illius erga peccatum, & amorem erga justitiam; quòd misericors licet sit, & pronus ad nobis peccata condonandum, ea tamen nobis condonare noluerit, nisi sanguine Filii sui unigeniti ac dilectissimi placatus; neque Christum admittere in Sacerdotem, nisi per proprium sanguinem, quem innocens profudit. Respectu Jesu Christi: quia Christus in morte, quam pro nobis sustinuit, summum suum erga nos amorem ostendit; quoniam non dubitavit pro suis Patrisque sui inimicis vitam ponere; qui summus amor est, *Joan.* XV. 13. Ille autem amor nos ad ipsum redamandum provocat. Atqui ejus amor est, mandatis ipsius obsequi, *Joan.* XIV. 21. 1 *Joan.* V. 3. Cui si accedat hæc consideratio, quòd Dominus mortem illam sustinuerit propter peccata nostra, majus in nobis peccati odium excitabitur. Quis enim Domini sui amans eo delectabitur, imo quis non detestabitur ac omni animi contentione fugiet, quod Domino suo mortis acerbissimæ causa fuit? Imo ipse Dominus, mortem hanc diram pro nobis sustinens, hunc habuit finem, ut nos peccato mortui justitiæ vivamus; 2 *Cor.* V. 14, 15. *Gal.* I. 4. *Tit.* II. 14. 1 *Pet.* II. 24. IV. 1, 2. Hucque mors ejus tanquam typus nobis aptissimè inservire potest. Sicut enim resurrectio Christi typus est resurrectionis nostræ spiritualis in vitam novam; ita & mors Christi typus est mortis nostræ spiritualis, qua peccato & mundo morimur: egregiè id illustrante Apostolo *Rom.* VI. 3. 4, 5. *An ignoratis quod quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Quid quod Dominus nos pretio sanguinis sui sibi acquisivit in peculium. 1 *Cor.* VI. 19, 20. *Pretio empti estis. Tit* II. 14. *Acquisivit sibi populum peculiarem.* 1 *Pet.* II. 9. *Populus acquisitus.* Ac proinde sibi obnoxios habet, sibique ac serviendum obligatos: 1 *Cor.* VI, 20. *Glorificate Deum corpore & spiritu vestro, quæ Dei sunt.* Tandem, morte suâ salutem nobis impetravit, ita tamen, ut impetrationis illius fructum nobis non sit applicaturus, nisi peccato mortui, justitiæ studeamus: hinc 1 *Joan.* I. 7. *Si in luce ambulaverimus, quemadmodum ipse est in luce, sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato.* Respectu nostri ipsorum, statusque nostri felicis in quo collocati sumus: quia nobis gratiam divinam remissionemque peccatorum per sanguinis sui effusionem impetravit: cui felicitati immediatè adhæret liberatio à jugo peccati. Quia enim sensus iræ divinæ ac condemnationis reatus est abolitus, in libertatem asserimur, peccatumque, quod ob defectum spei obtinendi remissionem nos in servitute detinebat, nobis amplius dominari non potest. Evincunt id loca *Hebr.* II. 14, 15. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Et. 1 *Pet.* I. 18, 19. *Non corruptibilibus auro vel argento redemti estis*

estis de vana conversatione vestra à patribus tradita; sed pretioso sanguine Christi, &c. Quibus adde *Rom.* VI. 14. *Peccatum vobis non dominabitur; non enim sub Lege estis, sed sub gratia*: & *cap.* VIII. 2, 3. Sicut autem Christi mors & sacrificium efficax est ad peccati dominium destruendum; ita non minori pollet virtute, ut in sanctitatis exercitio perseveremus, & constantes simus ad mortem usque: quoniam si à sanctitate rursus deficiamus, peccatique nos constituamus servos, *sanguinem ejus pollutum ducimus*; id est, tantundem est ac si eum credamus pseudo-prophetam ac blasphemum, cujus sanguis, tanquam hominis profani ac scelerati, meritò est effusus; ipsumque, quantum in nobis est, denuò crucifigimus: *Hebr.* X. 29. & VI. 6. Quo sacrificio ita impiè conculcato, nullum aliud superest, quo liberari à condemnatione possimus.

Per regium est noster Servator. XIII. In Regio Christi munere tres præcipuè sunt functiones, quibus salutem nostram procurat. Prima est: Missio Apostolorum in totum terrarum orbem, per quos, donis necessariis à se instructos, homines ad fidem, resipiscentiam & participationem regni sui vocat: quam missionem etiam hodie continuat, alios, licet non tantis donis præditos, continuò mittens ad finem usque mundi, qui virtute verbi divini homines ad conversionem vitæque sanctitatem hortantur: *Matth.* XXVIII. 19, 20. *Marc.* XVI. 15, 16. *Act.* II. I. *& seqq.* XVII. 30. XX. 28. *Eph.* IV. 11, 12, 13, 14. Secunda est: Cura quam agit fidelium suorum, quos in statu salutis collocat, variisque mediis, tum internis tum externis, quantum liberæ obedientiæ ratio permittit, in fide & pietate ad salutem æternam conservat. Unde *magnus pastor ovium* dicitur, *Hebr.* XIII. 20. *Episcopus animarum*, I *Pet.* II. *ult.* & *omnia potenti suo verbo sustinere*, *Hebr.* I. 3. Exemplumque ejus illustre habemus in septem Ecclesiis Asiæ, *Apoc.* II. & III. Tertia: Judicium quod in fine seculorum, constitutus à Deo judex vivorum & mortuorum, exerciturus, & fideles suos in fide & pietate ad finem usque perseverantes è morte suscitaturus, vitâque ac gloriâ æternâ donaturus est: *Joan.* V. 20, 21. VI. 39, 40. XI. 25. 2 *Cor.* V. 10. *Phil.* III. 21. *Apoc.* III. 21. In hoc salutis nostræ consummatio est. Per Propheticum suum munus salutem nobis annuntiat; per Sacerdotale impetrat; per Regium vero eam consummat actuque confert. Unde sic colligo. Moses, qui populum Israëlis è servitute Ægyptiaca liberavit, redemtor illius dicitur, *Act.* VII. 35. Othoniel; Simson, aliique judices, qui populum ab hostium suorum oppressione vindicarunt, liberatores & redemtores dicuntur, *Judic.* III. 9. 2 *Reg.* XIII. 5. *Nehem.* IX. 27. maximo itaque jure Dominus noster Jesus Christus Servator ac redemtor est dicendus, qui verbo suo nos convertit, in statu salutis collocat, in fide ac obedientia sua custodit, tandemque potentia sua irresistibili è mortuis suscitatos verâ ac æternâ salute donaturus est.

Cur morti Christi salus nostra adscribi soleat. XIV. Ex dictis facile liquet, cur morti ac sanguini Domini Jesu remissio peccatorum ac salus nostra passim adscribi soleat: quia in omnibus & singulis muneribus Jesu Christi, adeoque in toto salutis negotio, multiplicem habet respectum. Est enim obsignatio Fœderis Novi; est sacrificium sanguisque hostiæ, pro peccato occisæ & mactatæ: est denique via ac medium quâ Christus pervenit ad regiam majestatem. Præterea, mors Christi fuit durissimum ac laboriosissimum opus, in quo Christus obedientiam suam promtissimam Patri probavit: quæ mortem sunt secuta, non tam fuere opera obedientiæ, quàm honores & præmia, quibus Patri laudatissimam Filii sui obedientiam remunerari placuit; & quicquid in reliquis Christi operibus excogitari potest ad salutem nostram quicquam conferens, id suum in morte Christi fundamentum habet, ab eaque vim & efficaciam suam mutuatur.

Qui sacerdotium Christi solum considerant, munus Christi mutilant. XV. Conclusionis loco colligimus; perperam facere eos, qui, cùm de ratione ac modo, quo Dominus Jesus Servator noster est, agitur, vix quicquam considerare solent, nisi munus ejus Sacerdotale. Non tantum enim aliis Christi muneribus detrahunt, per quæ, uti jam vidimus, multis ac illustribus modis, salutem nostram procurat; sed & modum, quo Servator noster est, non parum obscurant, dum eum dimidiatum tantum Servatorem nobis proponunt. Cùm enim hominis salvandi miseria consistit non tantum in reatu mortis, sed & in servitute ac dominio peccati, reatui tantum medelam quærunt, non servituti peccati, qui Christum tantum ut Sacerdotem nobis depingunt, & reliqua munia, quibus nos à servitute peccati liberat, tantum non intacta relinquunt. Non quod velimus, eos & Propheticum & Regium Christi munus rejicere: sed quando de ratione, qua Christus propriè Servator noster est, disquiritur, solummodò meriti ac satisfactionis, quæ Sacerdotium concernunt, mentionem facere solent: aut si Christum ut Regem considerant, solummodo eum considerant ut protectorem suorum, virtute omnipotente conversionem in suis electis operantem; non verò ut legislatorem, liberam in suis obedientiam promissorum magnitudine, & spiritus sui virtute producentem.

Et officium hominis perperam explicant. XVI. Unde porrò consequitur: eos officium hominis, quo erga Dominum Jesum tanquam Servatorem suum occupari tenetur, perperam explicare, dum solam consolationem hominis peccatoris consideran-

tes,

tes, fidem in Dominum Jesum ita describant, ut objectum fidei justificantis solummodo sit mors & satisfactio Christi pro peccatis, non verò totus Christus, quà Propheta, Sacerdos, & Rex noster. Neque hoc tantum: sed & fidem describunt, quòd sit fiducia specialis misericordiæ, quà credimus propter Christi satisfactionem peccata jam nobis esse remissa; & hominis conversionem considerant, non tanquam conditionem requisitam & medium antecedens remissionem peccatorum impetrandi; sed tanquam officium gratitudinis remissionem adeptam consequens: atque ita contra Scripturæ ordinem peccatorem prius de remissione & salute adepta securum esse jubent, quàm a peccatis sit conversus. Cùm contrarium passim testetur Scriptura; *Esa.* I. 16, 17, 18. *Ezech.* XVIII. 21, 22. XXXIII. 11. *&c Luc.* XXIV. 47. *Act.* III. 19. 1 *Joan.* I. 5, 6, 7. aliisque locis plurimis.

Etiam, qui sacerdotium tollunt. XVII. Sed & ab altera parte peccant alii, his è diametro adversi, qui solùm muneris Prophetici & Regii in negotio salvationis mentionem faciunt, & quantumcunque loquantur de munere Sacerdotali, illud reverà in munus Regium transformant; tribuentes Christo affectum, quo propensus est homines à peccatis ad justitiam convertere, & sic eorum peccata expiare, ipsosque Deo reconciliare. Non enim illi nobis describunt functionem aliquam apud Patrem, quæ vim habeat Patris iram placandi, quæque propriè Sacerdotis est; sed apud homines, per quam convertantur ad Deum: atque ita actum Sacerdotalem reverà transformant in Regium.

Sed omnia munera concurrunt. XVIII. Si verò rationem ac modum salvationis consideremus, prout à nobis factum est, remedium omni nostræ miseriæ tollendæ in Christo invenimus; vid: ignorantiæ, infidelitati, peccatorum servituti, reatui mortis, ac desperationi: honor omnium Christi munerum illibatus conservatur, officiique nostri ratio ac necessitas constat: & ab altera parte, Christi meritis ne minimum quidem detrahitur, nec immensæ Dei Patris gratiæ gloria obscuratur, nec justæ consolationis quicquam nobis subtrahitur; sed spem & fiduciam nostram in unicum nostrum Servatorem collocamus, ab eoque salutem & vitam æternam, juxta conditionem in verbo ejus præscriptam, sine ulla hæsitatione exspectamus.

CAPUT XXVII.

Jesum esse Christum, seu Messiam, Judæis olim promissum.

In Christo omnes prophetiæ sunt impletæ. I. Quanquam ex iis, quæ de persona ac muneribus Jesu Christi hactenus tradita sunt, satis manifestum sit, ipsum esse Christum illum seu Messiam Judæis olim à Deo promissum; tamen ad majorem fidei nostræ certitudinem, ostendemus etiam omnia Prophetarum oracula, quibus Messiæ adventus prædictus fuit, in ipso complementum suum habere.

Præsupponitur veritas librorum Novi Testamenti. II. Præsupponimus hic divinitatem librorum Novi Testamenti, veritatemque historiæ illis contentæ, quam antea fusius adstruximus: quia, hac non præsuppositâ, difficile admodum est, ex solis prophetiis Judæos convincere, ac ostendere, omnia ita debuisse fieri, prout in Evangelio facta narrantur. Ratio est, quia pleræque prophetiæ, paucis solummodo exceptis, duplicem admittunt sensum, literalem & mysticum: Judæi autem ostendere possunt, plurimas prophetias juxta sensum literalem, quem verba primò ac propriè innuunt, olim impletas esse: difficulter autem persuaderi possunt, alterum illum, quem nos vocamus mysticum, qui Messiam spectat, cujusque res literali sensu designata, typus tantum fuit, prophetarum verbis contineri. Ille tamen exinde facile evinci potest, quòd impletio, quæ in typo contigit, plerumque imperfectior multò sit, quàm promissa Dei secundum propriam & genuinam verborum, quibus enuntiata sunt, vim ac significationem sonant: sensusque verbis illis expressus, si in latitudine ac propria vi sua accipiatur, multò augustior sit, quàm ut impletio in typo facta eum explere possit. Illud enim evidentissimum indicium est, Deum, qui ordinariè plus, nunquam verò minus præstare solet quàm promisit, sensum sublimiorem verbis illis involvere voluisse: cujus impletionem in Messia ostensurus sit. Et hinc est, quòd Apostoli non soleant Judæos convincere solis Prophetarum testimoniis: paucissima siquidem sunt quæ hunc in finem allegant: sed provocare ad miracula, tam à Christo Jesu, quàm à se in nomine Jesu facta. Illi autem probationi addunt testimonia à Prophetis antea edita: tum ut Judæos, quos miraculis credere oportebat, Prophetarum vaticiniis porrò convincant: tum ut, quibus per miracula jam religionis Christianæ veritas erat plenè comprobata, etiam ostenderent œconomiam & directionem Dei, qui omnia sapientissimè propter Messiam ordinavit, ejus adventum prædixit, & eum primò rudi quasi penicillo delineavit temporibus præcedentibus, varios adhibendo typos, qui alii obscurius, alii clarius Messiam adumbrarent & repræsentarent; donec omnium complementum in ipso Messia exhiberet, perque ejus adventum confirmaret promissiones Patribus factas, *Rom.* XV. 8.

Omnes de Messia prædicta conditiones. III. Veritate itaque librorum Novi Testamenti eorumque, quæ hactenus de Jesu Christi persona ac muneribus tractavimus, præ-

...ne, in Christo sunt impleta. præsuppositâ, dicimus, omnes in vero Messia requisitas conditiones in Domino nostro Jesu Christo reperiri; ac proinde Judæos nullam habere rationem ipsum rejiciendi, sed inexcusabiles esse, & summæ incredulitatis ac pervicaciæ reos, quòd ipsum pro Messia non recipiant. Hoc ut breviter ostendamus, notandum, ea, quæ de Messia prædicta sunt, duplicis esse generis. Quædam negativè solummodo concludunt, ostenduntque, non, quòd ille cui hæc competunt sit Messias, sed, in quo hæc desiderantur, quòd ille non sit Messias; quia Messiæ cum aliis communia sunt: talia sunt, quæ respiciunt externas quasdam circumstantias; ut, tempus & locum nativitatis, familiam & parentes. Alia etiam affirmativè demonstrant, eum in quo hæc reperiuntur verè esse Messiam. Hæc ipsum esse rei, ut sic dicam, seu potius officium ipsius concernunt: nimirum ejus doctrinam & miracula, mortem, resurrectionem ex morte, adscensionem in cœlum, ac tandem prædicationem doctrinæ per totum terrarum orbem: quia hæc soli Messiæ propria sunt, neque ulli præter Messiam conveniunt.

Tempus adventus. IV. Quod tempus nativitatis attinet, decrevit Deus certam temporis periodum intra quam Messias venire debuit: quæ etiam attendenti ex certis quibusdam & indubitatis signis cognosci potest elapsa esse. Illa temporis periodus est duratio politiæ & templi Judaici, cultusque ceremonialis illi annexi. Elegit nimirum Deus certum populum ex Abrahamo oriundum, ex cujus prosapia Messiam voluit oriri. Hunc variis ritibus ac institutis ab omnibus aliis populis voluit discretum; discrimenque hoc perdurare, usque ad Messiæ illius adventum, per quem omnes gentes rursus in unum colligere constituit. Adveniente itaque ipso, quia in eo complementum fuit omnium eorum, quæ in Lege instituta fuerunt, etiam ea, ut typi ac umbræ, accedente corpore evanescere debuerunt. Ritus illi alligati erant templo Hierosolymis constructo, intra quod sacrificia peragi debebant. Ritibus ergo illis finem imponere volens Deus, rempublicam & templum, cui ritus illi erant alligati, excidit, atque ita populorum discrimen abolevit. Certissimum ergo signum est tempus adventui Messiæ destinatum advenisse, quamprimum Respublica Judaica est eversa, templum Hierosolymitanum solo æquatum, & cum eo sacerdotium Leviticum, totusque cultus ceremonialis templo annexus, desiit. Tempus autem hoc Deum præfinivisse, certissimis Prophetarum oraculis constat.

Genes. XLIX. 10. V. Ac primò quidem, ante politiæ Judaicæ eversionem Messiam venire debuisse, probatur vaticinio Jacobi *Genes.* XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & legislator de femore ejus, donec veniat Schilo, & illi erit aggregatio gentium.* Hic tria videmus prædici: Sceptrum Judæ dandum: Adventus Schilo: & illius adventus tempus, antequam nim: sceptrum à Juda ablatum sit. Primum impletum est, cùm post mortem Salomonis decem tribubus à filio ejus Rehabeamo divulsis, regnum Judæ erectum fuit. Tunc enim Judæ sceptrum datum fuit. Antea fuit sceptrum Israëlis seu duodecim tribuum. Præcipua quidem inter tribus fuit Juda, regnumque Israëlis Davidi, ex tribu Juda oriundo, commissum; non tamen Judæ sceptrum fuit datum, nisi cum tribus Juda regnum habuit speciale, à reliquis decem tribubus, quorum regnum vocatur Israëlis, distinctum. Voce *Schilo* designatur Messias: sive vox illa derivetur à שלח, *misit*, & tantundem valeat, atque, *qui mittendus est:* sive a שלה, *tranquillum esse*; & reddatur, *pacificator*, *salvator*, *felix:* sive à שליה, *secundinæ*; unde שיל, *filius*; ut sit, *filius ipsius*; & quidem (ut aliqui addunt) ex mulieris secundinis, absque viri opera genitus. Idque clarius arguunt verba sequentia: *Et ei erit aggregatio populorum:* spontanea enim gentium submissio & obedientia genuina est Messiæ nota, fatentibus ipsis Judæis; juxta vaticinia *Esa.* XI. 10. XLIX. 6. *Mich.* VII. 12. Adventus illius tempus prædicitur, antequam sceptrum à Juda ablatum sit, additur enim, *donec veniat Schilo.* Dices. Alium horum verborum esse sensum: Non auferetur sceptrum à Juda, &c. in æternum, quia veniet Schilo. Resp. Textus Hebræus illam explicationem non admittit. Deinde, nullo modo verisimile est, Jacobum prædicere æternum regnum tribui Judæ post Messiam demum erigendum, cùm Scriptura passim asserat in Davide & post Davidem, Deum Judæ regnum erexisse, 2 *Chron.* XXIII. 3. *Psal.* LXXXIX. 34, 35, 36.

VI. Excipiunt Judæi, per vocem שבט designari virgam, non imperii sed castigationis, & per מחקק, non legislatorem, sed exactorem: tantum itaque abesse, ut regnum Judæ prædicatur, ut è contra Jacob Judæ non nisi afflictiones & calamitates prædicat, non cessuras usque ad adventum Messiæ. *Agitur non de virga castigationis, sed sceptro.* Resp. Novitium hoc esse Judæorum commentum, ad clarissimæ hujus prophetiæ lucem obscurandum. Vox שבט enim simpliciter prolata virgam castigationis non significat. Propriè denotat baculum qui nascitur ex arbore. Inde accipitur pro baculo, quo tanquam potestatis insigni utebantur reges & principes: quod licet postea argenteum fuerit, initio tamen fuit ex ligno. Hoc sensu legitur *Psal.* XLV. 8. *Virga directionis virga regni tui. Zachar.* X. 11. *Virga* (hoc est sceptrum) *Ægypti recedet.* Interim negari nequit,

nequit, aliquando per applicationem virgam castigationis significare; ut quando *Esa.* x. 5. Assur *virga furoris* Domini vocatur; & *Psal.* II. 9. dicitur, *conteres eus virga ferrea*: in illis autem locis quædam adduntur, ex quibus liquet virgam castigationis denotari. Hæc autem significatio textus hujus circumstantiis repugnat: 1. Quia juxta hanc explicationem tribui Judæ nulla prædicitur benedictio, sed potius afflictio, & quidem præ cæteris tribubus. Atqui hic Jacobus tribui Judæ benedictionem prædicit. Tum, quæ fuit illa Judæ præ reliquis tribubus afflictio? Rectius de cæteris tribubus hoc diceretur, quæ in Assyriam sunt deportatæ sine ulla spe reditus: Judæ veró post septuaginta annorum captivitatem è Babylone rediit. 2. Tantum abest, ut à tempore illius vaticinii virga castigationis non fuerit ablata à Juda, ut ante tempora Davidis æquali in statu fuerit cum reliquis tribubus; & post ejus tempora regnum peculiare habuerit, per annos plus quingentos; & postea in captivitate Babylonica suos αἰχμαλωτάρχας, adeo ut species aliqua principatus penes ipsos remanserit: & post septuaginta annos redierunt in patriam, ducibus plerisque ex Juda, & denuò in terra sua sceptrum obtinuerunt, & respublica manserunt.

Quando sceptrum à Juda sit ablatum. VII. Ex quibus liquet, prædici hic, sceptrum imperii seu dominationis à Juda non auferendum ante Messiæ adventum: idque impletum est. Licet enim in captivitatem sit abducta tribus Juda; vidimus tamen in ipsa captivitate speciem aliquam principatus remansisse, & postea sceptrum illi redditum, adeo ut durante captivitatis tempore sceptrum potius sit interruptum, quàm à Juda ablatum. Nec refert, quòd populo illi non semper præfuerunt reges principesque ex tribu Juda; sed & aliquando ex tribu Levi, & aliquando Pontifices. Nam semper nihilominus mansit respublica Judaica, sceptrumque, quod gerebant, erat sceptrum Judæ: illi enim à Juda potestatem habuerunt, non Juda ab ipsis. Rex quippe est propter Rempublicam, non respublica propter regem. Adeo ut, licet stirps regia deficiat, sceptrumque ad aliam stirpem devolvatur, non tamen deficiat respublica. Imo etiamsi sceptrum ad aliam, etiam extraneam stirpem devolvatur, idem tamen manet sceptrum. Sic corona Hispaniæ devoluta est ad Austriacos; corona Poloniæ aliquando commissa Gallo, ex Valesiorum stirpe. Eodem modo & respublica Juda semper mansit populi Judaici respublica, etiamsi illi præessent Levitæ Hasmonæi; imo etiamsi illius sceptrum esset commissum Herodi alienigenæ; sceptrum quippe ac regnum ejus à Juda denominatum est. Hinc jam consequitur, sceptrum à Juda tum demum fuisse ablatum, cùm respublica Judaica desiit: quod factum, cùm Romani urbem Jerusalem exsciderunt, templumque solo æquarunt. Fateor quidem, sicut prærogativa Judæ, ejusque evectio in Davide & posteris, prælludium fuit sceptri Judaici; ita etiam quædam fuisse prælludia ablationis sceptri: primò, quando Judæa à Pompeio in provinciæ formam est redacta: deinde, cùm devoluta est in manus Herodis alienigenæ, & porro per procuratores Romanos administrata. Sed quia etiam tum Judæi vixere secundum proprias leges, sceptrum à Juda ablatum dici nondum potest. Sed ea ablatio contigit in deletione Jerusalem ac templi. Ac proinde, cum hic dicatur, non auferetur sceptrum à Juda, &c. donec venerit Schilo; sequitur, Messiæ adventum Judaicæ Reipublicæ excidium antecedere debere.

VIII. Ante templi secundi excidium Messiam adventurum docetur expressè *Hagg.* *Ex Hagg. II. 7,8,9, 10. & Malach. III. 1.*
II. 7, 8, 9, 10. *Adhuc unum pusillum ipsum, & ego tremere faciam cœlum & terram, & mare, & aridam, & tremere faciam omnes gentes, & veniet desiderium omnium gentium: & implebo domum hanc gloriâ, dixit Dominus exercituum: Meum est argentum, & meum est aurum, dixit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus hujus novissimæ, plus quàm primæ, dixit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem; dixit Dominus exercituum.* Cui affinis est *Malach.* III. 1. *Ecce ego mittens Angelum meum, & præparabit viam ad facies meas; & statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus fœderis, quem vos vultis.* Certa adeo adventus Messiæ nota est, quando templum est destructum, & cum eo sacerdotium Leviticum desiit. Utroque enim in loco dicitur, Messiam, stante adhuc secundo templo, venire debere. Priore quidem, quod Deus templum à Sorobabele constructum, impleturus esset gloriâ, & quidem majore, quàm prius templum à Salomone constructum decoratum fuit: quia in illud templum *desiderium omnium gentium*, sive, omnibus gentibus desideratus, qui & *Malach.* III. 1. vocatur *dominator*, qui est Messias, venturus, & Deus in illo templo pacem daturus esset: quod per Messiæ adventum præstitit. Gloria autem templi secundi major non quærenda est in externo ornatu: quia non tantum nullam ejus se velle habere rationem Deus apertè dicit hisce verbis; *Meum est argentum, & meum est aurum:* sed & templum secundum neutiquam cum priore, si externum ornatum spectes, comparandum fuit: *Hagg.* II. 4. *Esd.* III. 12. Et licet Herodes templum illud admodum amplificaverit & ornaverit; nullatenus tamen credendum illud ullo modo cum Salomonis templo comparandum, qui in illius ædificationem ingentes thesauros, jam à patre suo David in id longo tempore congestos,

Nn 3 impen-

impendit: cujusque vasa erant aurea, secundi verò templi ærea tantum. Itaque major illa gloria quærenda est in ornatu interno ac donis spiritualibus, vero ac genuino templi, quod Dei domus est, ornatu, quodque solâ Dei inhabitatione honoratur. Si autem Messiam excipias, prior domus donis divinis longè superavit posteriorem, utpote in quâ, docentibus ipsis Judæis, fuere Urim & Thummim, arca Fœderis, ignis qui è cœlo descendit hostiasque consumebat, divinitas, ac spiritus prophetiæ. Nihil horum in secundo templo. Sola ergo gloria, qua prius templum superavit, est præsentia Messiæ, qui omnibus hisce donis major est, utpote eorum complementum, illis tanquam umbris solummodò ac typis præfiguratum.

Quomodo hoc sit impletum.

IX. Videmus hic sapientiæ divinæ rationem, quod adventu Messiæ finem imponere voluerit administrationi, quâ populum Judaicum administrabat, & tribus illis functionibus, quibus populi illius administrationem peragebat, regno videlicet, sacerdotio, ac prophetiæ: quia horum omnium complementum in Christo erat. Regno Davidis Christi regnum adumbrari, notius est quàm ut probatione indigeat. Sacerdotium Aaronicum sacerdotii Messiæ fuisse typum, arguit illius imperfectio. Non enim nisi minoribus delictis expiandis institutum erat: graviorum delictorum expiatio Messiæ reservabatur. Non itaque aboleri debuit, ante perfecti sacrificii adventum: illo vero adveniente, statim cessare necesse fuit, quemadmodum ad antitypi præsentiam evanescit typus & umbra. Sed & prophetiæ complementum in eo fieri debuit. Hinc *Dan.* IX. 24. dicitur in ipso *prophetiarum* fieri *obsignationem*: sive id significet prophetiarum complementum; sive potius, prophetiarum somniorumque propheticorum finem ac deletionem; (eodem sensu, quo ibidem *peccata obsignaturus* dicitur) quoniam tam clara ac perfecta voluntatis divinæ per ipsum revelatio futura est, ut nulla amplius prophetia aut revelatio opus sit. Illis itaque tribus administrationibus ac functionibus, una cum populo, republica ac templo, deletis, manifestissimum est indicium, tempus adventui Messiæ destinatum jam dudum esse elapsum.

Ex Dan. IX. 24, 25, 26, 27.

X. Sed præterea Daniel adventui Messiæ certum temporis articulum præfixit, *cap.* IX. 24, 25, 26, 27. *Septuaginta hebdomadæ decisæ sunt super populum tuum, & super civitatem sanctitatis tuæ, ad consummandam prævaricationem, & ad sigillandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum justitiam seculorum, & ad sigillandum visionem, & prophetam, & ad ungendum sanctitatem sanctitatum. Et scies & intelliges, ab exitu sermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalem, usque ad Messiam ducem, hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta duæ; redibit & ædificabitur platea & fossa, & in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta & duas excidetur Messias, & non ei: & civitatem & sanctitatem corrumpet populus ducis venturi*, &c. Non hic accuratè definitum harum hebdomadarum initium, uti nec finem investigabimus: sufficit, ex hoc loco demonstrasse, ante finem prophetiæ & sacrificiorum, & urbis ac templi destructionem, Messiam venturum; ac proinde liquere, ante eorum finem septuaginta has Danielis hebdomadas exspirasse. Solummodò contra Judæos probandum est, illum, cujus adventus & mors hîc prædicitur, esse quem juxta Prophetarum oracula exspectant Messiam. Id autem vel ipsa appellatio Messiæ, bis ipsi hîc tributa, evincit; semel cum addita voce נגיד, dux. Nec est, quod excipiant, ipsum non vocari מלך, seu regem, quod ordinariè Messiæ illius magni epitheton est; duæ enim illæ voces, נגיד, seu dux, & מלך, rex, olim non duo distincta munia, uti hodie, significabant, sed inter se permutabantur. Quod exinde evidentissimè liquet, quia ea de Davide rege, qui inter reges Israëlis maximè eximius, & Messiæ progenitor fuit, dicitur, 2 *Sam.* VII. 8. *Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israël.* & Jeroboamo, 1 *Reg.* XIV. 7. quin & 1 *Reg.* I. 35. voces מלך & נגיד inter se permutantur. Nec qui hîc Cyrum designari volunt, uti ex Judæis multi, hac exceptione se tueri possunt: quoniam constat, Cyrum fuisse regem eximium & maximè potentem, cui nullus regum Israëlis, ne quidem David aut Salomon, ullatenus comparari potuit.

Est hæc prædictio de Messia.

XI. Diffiteri non possumus, Messiæ epitheton aliis etiam in Scriptura attribui; ut Sauli regi, 2 *Sam.* XXIV. 7. XXVI. 23. Davidi *Psal.* II. 2. LXXXIX. 39. Cyro, *Esa.* XLV. 1. Josiæ, sive Sedeciæ, *Lament. Jerem.* IV. 20. Verùm tum semper manifesta est relatio ad aliquem, cujus in antecedentibus aut consequentibus aliis verbis aut alio nomine fit mentio, & quem respici totus contextus evincit. Verùm hîc absolutè & per excellentiam vocatur Messias; & nec in antecedentibus, nec in consequentibus ulla alterius mentio fit, ad quem hæc denominatio respicere dici possit. Is ergo hîc intelligitur, qui per excellentiam Messias dicitur. Idque exinde etiam luculenter confirmatur; quòd, si hic locus non loquatur de eximio illo Messia, nullus ex Veteri Testamento possit proferri locus, ubi eximius ille rex & redemtor Israëlis hoc epitheto Messiæ insigniatur: quod & Judæi agnoscunt, qui inquirere solent, cùm rex ille nusquam in Veteri Testamento vocetur Messias,

Messias, unde illa denominatio, quæ jam quasi proprium illius regis nomen evasit, adeo ut nullo alio nomine quam Messiæ vocari soleat, originem suam habeat. Et non præter rationem: mirum enim meritò videri posset, nomen hoc Messiæ adeo invaluisse inter Judæos, ut regi illi promisso proprium evaserit, & tamen id nusquam in Scriptura illi attribui um reperiri. Quare omninò concludendum est, nomen id desumtum ex Scriptura: ac proinde, vaticinium hoc Danielis olim de promisso hoc rege à Judæis unanimiter fuisse intellectum, in quo cum absolutè vocetur Messias, inde profluxerit appellatio illa Messiæ, qua ex illo tempore à Judæis fuit insignitus. Accedit tandem, nisi hic promissus ille Messias intelligatur, nemo alius excogitari poterit, in quo quæ de Messia prædicuntur, impleta dici possint. Et frustra hic se torquent Judæorum Rabbini, dum alii Cyrum, alii summum sacerdotem Jehosuam, alii Nehemiam, alii Darium intelligi volunt, quia omnes illi longè ante harum hebdomadarum expirationem mortui sunt.

Non de duobus diversis. XII. Sed verò Judæi, ut locum hunc Christianis extorqueant, urgent per *Messiam ducem* alium significari, quam per *Messiam* simpliciter ita nominatum, quæ etiam quorundam Christianorum opinio est. Verùm nec inter se consentiunt, quis sit Messias dux, & quis sit Messias: Adeo ut illa opinionum diversitas indicium sit, ipsos, dum à vera hujus prophetiæ explicatione oculos avertunt, incertos ac dubios hærere, neque ullam quæ sibi satisfaciat explicationem reperiri posse. Atqui hæc explicatio, præter ea quæ jam dicta sunt, vel exinde refellitur, quòd sit orationis connexio non interrupta, & eadem Messiæ appellatio; quæ omninò de uno ac eodem sermonem continuari evincit. Dices. Unicuique diversum temporis intervallum attribui: unum dici compariturum post septem, alterum exscindendum post sexaginta duas hebdomadas: verbaque esse legenda, non prout vulgò leguntur, sed cum alia distinctione: hoc modo. *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem. Hebdomades sexaginta duæ redibit & ædificabitur platea*, &c. Resp. Hoc ex textu probari non posse; sed commodius textum legendum & explicandum esse, ut uterque numerus in unum conjungatur; ita ut ab egressu verbi usque ad Messiam elapsuræ dicantur hebdomadæ septem, & sexaginta duæ; quibus si jungatur hebdomas ultima, cujus mentio fit *vers.* 27. habebimus septuaginta hebdomadas, quas Angelus dicit super populum definitas esse. Neque hoc abhorret à Prophetarum stylo, qui quandoque numerum perfectum in particulas secant: ut *Ezech.* XLV. 12. *Viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli mina erit vobis.* Et licet ita legatur textus, prout illi urgent, non tamen poterit quisquam assignari a Judæis, in quem prophetia hæc designato tempore suum complementum habeat. Quis enim est iste Messias, post septem & sexaginta duas hebdomadas exscindendus?

Sententia Marshami de hoc loco. XIII. Possemus hic defungi, tanquam sufficienter contra Judæos probato, tempus adventui Messiæ hic à Daniele esse præfinitum intra septuaginta hebdomadarum decursum. Verùm quoniam Joannes Marshamus, nobilis Anglus, in suo Canone Chronico novam hujus prophetiæ explicationem excogitavit, qua admissâ nullum Christianis in suis contra Judæos disputationibus in ea præsidium est; ut verum illius sensum tantò fortius adstruamus, hocque invictum contra Judæos argumentum asseramus, operæ pretium est paucis in explicationem ipsius inquirere, & quam à scopo loci abeat, quin & secum ipsa consistere nequeat, ostendamus.

Ea proponitur. XIV. Explicationis suæ fundamentum præsupponit, quòd precatio Danielis, & verba hæc Angeli sint prolata annis viginti & uno, seu tribus hebdomadibus, à captivitate Babylonica jam elapsis. Idque probare contendit ex eo, quia visio hæc obtigit Danieli post orationem & jejunium, *Cap.* IX. 3, 4. Orationis autem atque jejunii sui diuturnitatem testatur ipse Daniel *Cap.* X. 3. *Lugebat Daniel dies trium hebdomadarum*; id est, (prout ille interpretatur) orare & jejunare solebat Daniel à desolatione Hierosolymorum usque ad diem hujus visionis, per tres integras annorum hebdomadas, sive per annos viginti & unum. Hoc jacto fundamento, porrò explicationem suam superstruit. Ac primò quidem distinctionem facit inter duos numeros hebdomadarum, & septem priores à sexaginta duabus sequentibus separat: priorem numerum Cyri tempora, posteriorem Antiochi Epiphanis indigitare contendit. Ad tempora Cyri adhuc elapsuras septem hebdomadas, seu quadraginta novem annos: cùm enim jam tres hebdomadæ seu viginti unus anni captivitatis Babylonicæ elapsi essent, monet ipsum Angelus, post septem hebdomadas, seu quadraginta novem annos, Judæos è captivitate sua liberandos; ut confirmet vaticinium Jeremiæ, qui captivitatem hanc septuaginta annorum futuram prædixerit. Sed & aliud isti vaticinium Angelus adjungit, de desolatione & oppressione per Antiochum Epiphanem, quæ futura sit post hebdomadas sexaginta tres.

Fundamentum illius refellitur. XV. Quod fundamentum explicationis hujus attinet; primò, non tantum incertum est, sed nec ratio loquendi, quâ Daniel utitur, permittit, ut per *dies trium hebdomada-*

domadarum, quibus se jejunasse scribit, *Cap.* x. 3. annorum hebdomadæ, seu viginti & unus annus intelligantur. Quamvis enim certum sit, dies nonnunquam in Scriptura annos, & hebdomadas annorum hebdomadas designare; ea tamen significatio ut hic admittatur, textus non permittit. Dicit enim Daniel, sibi revelationem factam anno tertio Cyri regis Persarum: se illis diebus luxisse trium hebdomadarum diebus; & jejunasse, neque unctum unguento, donec complerentur trium hebdomadarum dies: die autem vigesimâ & quartâ mensis primi sibi juxta fluvium magnum oblatam visionem. Quæ integra locutio satis manifestè indicat, Danielem per dies trium hebdomadarum non intellexisse annos, sed dies naturales, quorum vigesimo quarto mensis primi ipsi visio illa oblata est. Sed pone, Danielem hebdomadas tres annorum intellexisse, nihil exinde concludi potest, nisi prius evincatur, utramque hanc visionem eodem circiter tempore Danieli oblatam. Atqui contrarium apertè docet Daniel. Visio enim *Cap.* IX. narrata Danieli oblata est anno primo Darii Medi; quæ autem narratur *Cap.* x. anno tertio Cyri regis Persarum; inter quas visiones, juxta ipsius Marshami calculum, quadraginta novem circiter anni intercesserint necesse est: quia contendit, septem priores hebdomadas in Cyri temporibus complementum habere. Non itaque ex diebus jejunii Danielis tempore Cyri colligi potest, quanto tempore jejunaverit Daniel anno primo Darii Medi; nisi verba Danielis, *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus*, explicemus, quadraginta novem ante hosce dies annis ego Daniel lugebam. Quod unusquisque videt quàm maximè absurdum esse. Marshamus, ut huic difficultati occurrat, dicit, luctum illum Danielis visionem hanc potius respicere, quàm illam quæ *Cap.* x, recensetur: & Angelum ipsum hoc tempus indicare; ait enim, se pro Judæis *stetisse ab anno primo Darii Medi*, *Cap.* XI. 1. id est, (juxta ipsius explicationem) ab hoc anno quo ad preces, quæ *Cap.* IX. referuntur, responsum à Deo datum est. Sed verò, Angelus dixerit *Cap.* XI. 1. se ab anno primo Darii Medi stetisse pro Judæis; an exinde sequitur, quod luctus Danielis, quo dicit se luxisse anno tertio Cyri, non contigerit anno tertio Cyri, sed anno primo Darii Medi? Verba Danielis nimis clara sunt, quàm ut tam violenter detorqueri possint.

Illius explicatio refutatur. XVI. Sed verò, admisso hoc fundamento, Marshami explicatio neutiquam consistere potest, imo seipsam evertit. Dicit Angelus septuaginta hebdomadas esse definitas super populum & super urbem sanctam; &c. quæ septuaginta hebdomades conficiunt annos quadringentos & nonaginta. Hoc annorum spatium Marshamus in duas distribuit periodos: prior est septem hebdomadarum, seu annorum quadraginta novem, & terminatur in Cyro; altera est sexaginta duarum hebdomadarum, cui jungenda hebdomada cum dimidiâ, quæ recensetur *vers.* 27. adeo ut integra illa periodus sit hebdomadarum sexaginta trium cum dimidia, seu annorum quadringentorum quadraginta quatuor cum dimidio. Atqui à temporibus Cyri usque ad Antiochum Epiphanem, ipso id agnoscente Marshamo, totidem anni elapsi non sunt. Marshamus, ut difficultati isti occurrat, dicit, utriusque computi eandem esse epocham, ab excidio scilicet templi Salomonis; atque ita initium harum hebdomadum non ponit in fini hebdomadum septem, sed decem hebdomadibus seu annis septuaginta retrogreditur, ad excidium nimirum templi Salomonis. Atqui primo: quomodo hic utriusque computi eadem est epocha? Dixit antea septem hebdomadum epocham esse ab egressu verbi Angeli ad Danielem, quem tribus hebdomadibus seu viginti & uno annis excidio templi posteriorem esse vult; hic autem fingit, Angelum sibi præfigere epocham ab initio captivitatis & excidio templi. Ita epochas fingit & refingit pro arbitrio, prout explicationis ipsius ratio exigit, parum memor quid in antecedentibus dixerit. Sed secundò, gravior multò est difficultas. Angelus dicit septuaginta hebdomadas super populum esse definitas. Atqui juxta ipsius calculum tantum sexaginta erunt definitæ. Septuaginta hebdomadas, quas Angelus super populum definitas dicit, ipse vult in duas distribui periodos; quarum prior comprehendat septem hebdomadas, & terminetur in Cyro; posterior reliquas complectatur. Ut ergo septuaginta hebdomades compleantur, necesse est, ut, post elapsas septem priores, porro sequantur sexaginta tres reliquæ: ac proinde sexaginta trium initium sit, ubi septem priorum finis est. At vidit ipse Marshamus, tempus à reditu Judæorum usque ad Antiochum Epiphanem angustum nimis esse, quàm ut sexaginta trium hebdomadum decursum comprehendat: ideo longè alium calculum instituit: non enim sexaginta trium hebdomadum initium quærit à temporibus Cyri, seu reversionis Judæorum in terram suam; sed post septem hebdomadum impletionem retrogreditur, non ad exitium verbi Angeli ad Danielem, unde septem priorum hebdomadum initium arcessit; sed altius ad annum captivitatis Judæorum & destructionis templi, quam tribus hebdomadibus exitum verbi hujus antecessisse contendit: ut ita, decem hebdomadas retrocedens, earum complementum in Antiocho Epiphane invenire queat. Non jam inquiram, an Marshami

hami calculus chronologicus intervallo, quod inter templi Salomonici destructionem, & Antiochum Epiphanem intercedit, respondeat; illam disquisitionem Chronologis relinquo: verùm ex ipsa Marshami supputatione concludo, definitas super populo esse tantum sexaginta hebdomadas, contra verba Angeli, qui septuaginta definitas ait. Si enim à tempore excidii templi usque ad Antiochum Epiphanem elapsæ sunt sexaginta tres hebdomades; ergo à tempore reditus Judæorum sub Cyro, qui decem hebdomadibus posterior fuit excidio templi, non plures sunt elapsæ quàm quinquaginta tres hebdomades: quibus si jungantur septem priores, quæ in reditu Judæorum finiuntur, conficiunt sexaginta hebdomadas: atque ita numero Angeli decem hebdomades deërunt.

Confirmatio refutationis

XVII. Verum quidem est, potuisset Angelus duas temporum periodos indicare Danieli, & utriusque eandem ponere epocham, ita ut dicat, ab exitu verbi usque ad Cyrum effluxuras hebdomadas septem: & ad Antiochum Epiphanem hebdomadas sexaginta tres. Verùm quando primum utriusque periodi anni in unam summam colliguntur, & postea illius integræ summæ distributio fit in duas partes, prout hîc contingit, tum id locum habere nequit; sed prioris partis debet esset complementum, antequam posterioris initium concipi possit. Aliàs prioris partis anni bis numerantur, & integræ summæ omnes anni bis numerati decedunt. Non enim possumus concipere duos temporum decursus sibi collaterales; sed unus tantum temporis est decursus, quo elapso, sequens initium capit. Aliàs, si ita numerare licet, exiguus temporis decursus in longissimam durationem extendi potest; si nempe plurium eventuum anni in unam summam colligantur, & ab eadem epocha numerandi initium toties sumatur, quot eventuum anni simul colliguntur. Eodem modo ego possem dicere, à nativitate Domini nostri Jesu Christi super rempublicam Judæorum esse definitos annos centum & quinque; eosque destribuere in duas periodos, quarum una eademque sit epocha, nativitas nim: Christi: hac ratione: A nativitate Christi usque ad illius necem, fluxere anni triginta tres: rursus à nativitate Christi usque ad excidium reipublicæ Judæorum effluxere anni septuaginta duo; qui ambo in unam summam collecti conficiunt centum & quinque annos. Nonne ridiculus forem, si ita sermonem ac calculum instituerem? Atqui istiusmodi calculum Angelo tribuit Marshamus.

Conclusio & [illegible]

XVIII. Sunt & alia in explicatione Marshami, quæ examen rigidum ferre non possent; quanquam & fatendum sit, varia hujus textus commodè ab ipso explicari, & iis, quæ Antiochi temporibus contigerunt, applicari. Verùm quoniam jam satis superque ostensum est, ipsum in supputatione temporum adeo graviter lapsum, indeque liquidò constet, harum hebdomadarum finem in Antiochi Epiphanis tempora incidere nequaquam posse, eo ipso tota ipsius explicatio corruit. Concludimus itaque, quatuor hisce vaticiniis, quæ leguntur apud Danielem, non unam eandemque rem præsignificari, quæ in Antiocho Epiphane complementum suum habeat; uti contendit Marshamus: sed hoc, quod *Cap.* IX. Danieli per Angelum revelatur, esse peculiare, & præsignificare non tantum liberationem ex captivitate Babylonica; sed & ingentem illam liberationem, quam ex peccatorum jugo ac reatu Deus per Messiam populo esset procuraturus; & qui populi interea status esset futurus, quæ ingratitudo contra Messiam; & tandem, quàm horrendo exitio Deus scelus illud esset ulturus, & Reipublicæ Judaicæ finem impositurus. Sicut & *cap.* VII. Daniel vaticinatur de Filio hominis, cui *potestas æterna* est tradita, & *regnum quod non corrumpetur*, *vers.* 14. Quod Dominum nostrum Jesum Christum designare, ac proinde ultra Antiochi tempora extendi, indubium est. Huic prophetiæ verò hoc peculiare est, quod Angelus Danieli temporis periodum, intra quam hæc omnia implenda essent, & præterea finem Reipublicæ Judaicæ, significet: quemadmodum etiam prædictionis hujus veritatem eventus comprobavit.

Adventus Messiæ non est dilatus ob Judæorum peccata.

XIX. Vanum itaque est Judæorum hodiernorum effugium, asserentium, Deum adventum Messiæ, propter populi peccata, ultra tempus à se definitum distulisse. 1. Quia omnia promissa de Messiæ adventu sunt absoluta, nulla addita conditione. 2. In loco Danielis expresse dicitur, septuaginta hebdomadas esse decisas, hoc est, certo ac immutabili decreto præfixas adventui Messiæ. 3. Tantum abest, ut propter Judæorum peccata Messiæ adventus dilatus sit; ut è contra prædicatur tempore corruptissimo adventurus, & quidem, ut populum peccatorem reducat ad Deum; *Jerem.* XXXI. 31, 32, 33. *Sachar.* XIII. 1, 2. Tandem, dicant Judæi, quænam sua scelera sint, propter quæ Messiæ adventum Deus differt. Minatur Deus populo propter peccata sua captivitatem; si verò resipiscant, promittit liberationem & reductionem in patriam: *Deut.* XXX. Ob idololatriam ipsos tradidit in captivitatem septuaginta annorum, & interea per Prophetas ipsos alloquitur, & spe reditus ac liberationis consolatur: ac elapsis septuaginta annis ipsos restituit. Nunc autem per sexdecim secula & quod excurrit extorres sunt è patria, quocunque terrarum dispersi, contemti, abjecti

& exofi: neque toto illo tempore ullus ipfos nomine Dei alloquitur Propheta, aut fpe reftitutionis confolatur: fed omnia iræ ac vindictæ divinæ figna vident & experiuntur. Aut ergo excidit illud promiffum Dei, aut ipfi omnium hominum, quos terra fuftinet, funt fceleratiffimi. At quodnam eft ipforum fcelus adeo horrendum, & idololatria gravius, quod Deus, fiquidem jure Dominum noftrum Jefum Chriftum rejiciant, non facile ob eximium erga legem divinam zelum, quem oftendunt rejectione Chrifti, & per varias ignominias, calamitates, quin & mortem ipfam conftanter tuentur, non effet condonaturus? Si enim jure Dominum Jefum Chriftum rejiciunt, foli funt legis ac gloriæ divinæ affertores in toto terrarum orbe. At quid Deus tam flagranti zelo & eximiæ pietati, per tot fecula in tantis calamitatibus teftatæ, non effet condonaturus? Sanè ut infidelitati fuæ prætextum quærant, fe mortalium fceleratiffimos ultrò confitentur. Si verò abfque præjudicio animos fuos explorent, comperient crimen fuum Deo adeo exofum aliud nullum effe, quàm rejectionem Meffiæ, quem Deus ad ipforum liberationem jam olim definito à fe tempore in mundum mifit, quemque ipfi rejecerunt, crucique ut blafphemum ac maleficum affixerunt.

Illo tempore Jefus venit. XX. Poffet tamen exceptio illorum aliquem habere colorem, fi tempore à Deo conftituto nemo comparuiffet, qui fe Meffiam dixiffet: nunc verò validiffimè infidelitatis ac contumaciæ convincuntur, quia Dominus Jefus tempore prædicto apparuit, feque Meffiam effe non tantum affirmavit; fed fignis adeò evidentibus ac multis demonftravit, ut ipfi Judæi, illorum magnitudine ac multitudine attoniti, dixerint, *Meffias cum venerit, an plura faciet figna quàm hic? Joan.* VII. 31. Deinde, nemo alius circa illud tempus apparuit, qui fe cum fignis adeo illuftribus, aut aliqua veri cum fpecie, pro Meffia venditaverit. Unde colligimus, Jefum Dominum noftrum verum effe Meffiam à Deo olim Judæis promiffum.

XXI. Sed & alia de Meffia vaticinia in Domino Jefu impleta funt: quæ videlicet fpectant locum nativitatis, familiam, & parentes.

Locus nativitatis, Bethlehem: ex Mich. V. 2. XXII. Locus nativitatis debuit effe Bethlehem; *Mich.* V. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvula es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui fit dominator in Ifraël*, &c. Quibus verbis locum nativitatis Meffiæ defignari manifeftum eft: ideo enim Bethlehem, parva licet, millibus Judæ præfertur, quia dominator in Ifraël ex ipfa effet proditurus. Excipiunt Judæi, ideo Bethlehem numerari inter millia, feu principes, Judæ, quia ex ipfa ortus eft David, ex cujus femine Meffias fit oriturus. Sed quis non videt, ut infidelitati prætextus quæratur, manifeftam hic effe verborum Prophetæ detorfionem? Præterquam enim quod patrum fuorum explicationem rejiciunt, qui tempore nativitatis Jefu hunc à Micha locum nativitatis Chrifti indicari crediderunt, *Matth.* II. 5, 6. verba Prophetæ hanc explicationem non admittunt: dicendum enim tum fuiffet, non, *ex te mihi egredietur*, fed, *ex te egreffus eft, qui dominator fuit in Ifraël.* Præterea, fi hæc explicatio valeat, ratio cur Bethlehem inter magnas Judæ civitates numerari poffit, primo ac præcipuè in eo collocanda foret, quod David ex ipfa fuiffet ortus, minus principaliter & fecundario, quia Meffias ex Davidis femine effet oriturus: cùm ratio excellentiæ primo, imo folummodo, collocetur in egreffu, feu nativitate Meffiæ in Bethlehem, abfque ullo ad Davidem, ut ibidem natum, refpectu.

XXIII. Excipiunt fecundò, verba hæc refpicere Sorobabelem, aliumve populi ex captivitate liberatorem. *Refp.* Nos ultrò Judæis concedere velle, verba hæc fenfu primo ac imperfectiore Sorobabelem refpicere poffe, & fortaffe refpexiffe: attamen ex verbis ipfis fatis liquere, ea non nifi fenfu admodum imperfecto illi applicari poffe. *Non eft impletum hoc in Sorobabele.* Prædicitur enim propriè nativitas Bethlehemi futura, ac quidem ducis eximii, ob cujus ex fe originem Bethlehem digna fit, quæ inter duces Juda nominetur: quod cùm de Bethlehemo dicatur, etiam poftquam David, regum Ifraëlitarum eminentiffimus, inde ortus fuit, manifeftum eft, defignari ducem Davide multò præftantiorem. Atqui neutrum in Sorobabelem quadrat: non enim Bethlehemi natus eft; ac proinde Bethlehemo oriundus dici nequit, nifi quia generis fui originem è Bethlehemo ducit; qui fenfus admodum imperfectus & dilutus eft: Tum, Davide multò inferior fuit. Manifeftum itaque eft, licet concedamus, fenfu literali ac imperfecto alium hic poffe defignari; myftico tamen ac perfecto fenfu Meffiæ natalem locum prædici.

XXIV. Atqui Dominus nofter Jefus Chriftus, juxta hanc Michæ prophetiam, natus eft in Bethlehem, & quidem fpeciali directione divinâ, per mandatum Cæfaris Augufti, totius orbis defcriptionem imperantis, matrem Jefu Nafarethæ habitantem, & de Bethlehemo ut ibi filium eniteretur nullo modo cogitantem, inftante partus tempore compellente Bethlehemum, ut ibi Jefum juxta prophetiam Michæ pareret: *Luc.* II. 1. *& feqq.* *Jefus natus eft Bethlehemi.*

XXV. Quod familiam attinet, prædictus fuit Meffias originem habiturus ex familia Davidis, 2 *Sam.* VII. 12, 13, 14. *Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, fufcitabo femen tuum poft te, quod egredie-* *Familia Davidis*

egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus: Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum, &c. Quæ, etsi sensu primo ac literali respiciant Salomonem, sensu tamen secundo ac mystico Messiam designant, nec in Salomone complementum habuerunt: non enim in sempiternum thronus ejus stabilitus fuit. *Psal.* LXXXIX. 30. *& seqq. Jerem.* XXIII. 5, 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & suscitabo David germen justum; & regnabit rex, & sapiens erit & faciet judicium & justitiam in terra:* &c. Et quidem ex familia Davidis jam collapsa, omnique splendore suo orbata: *Esa.* XI. 1, 2. *& seqq. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus adscendet. Et requiescet super eum spiritus Domini*, &c. Quæ loca, licet à quibusdam sensu primo ac imperfecto applicentur, prior quidem Sorobabeli, posterior Eseciæ; tamen manifestum est iis sensu pleno ac mystico designari Messiam: non enim nisi imperfectè ac dilutè adeo Sorobabeli ac Esechiæ applicari possunt, ut ipsa verba nos doceant, sensum ulteriorem quærendum; ac proinde nos ad Messiam manu quasi ducant. Hinc & *Ezech.* XXXIV. 23, 24. & XXXVII. 24, 25. expressè *David* nominatur. Et nihil usitatius est, etiam inter ipsos Judæos, quàm Messiam vocare *semen Davidis*; hodieque eum ex Davidis prosapia Judæi exspectant.

Jesus est ex familia Davidis.

XXVI. Hoc autem in Domino Jesu impletum esse, constat ex genealogia ejus, *Matth.* I. & *Luc.* III. Quæ, quamvis Josephi tantum sit, tamen ad Dominum Jesum spectat; quia Maria jure connubii, utpote Josepho desponsata, jam transierat in familiam Josephi; ac proinde quicquid benignitate divina Mariæ accesserat, etiam Josephi censeri poterat. Si dicas; Jesum hac ratione non fore propriè semen Davidis: Regeram; id aliter fieri non potuisse, quia ex virgine nasciturus erat; ea autem familiam propriè non habet, nec stirpem facit. Cui addere licet, credibile esse, Mariam ex eadem familia oriundam: & licet nos omnes circa genealogiam Christi difficultates, tum quæ originem matris ipsius, tum quæ diversitatem inter Matthæum & Lucam concernunt, aliasque quæ moveri possunt, nunc plenè expedire non possimus; nullam tamen de eo olim litem motam fuisse, sed omnia Apostolorum temporibus fuisse plana atque expedita, argumento est, quod Scriptor ad *Hebr.* VII. 14. ait, non tantum δῆλον, sed πρόδηλον esse, *Dominum Jesum ex tribu Juda ortum*: non usurus tanta confidentia, si vel minimum tunc de genere Christi superfuisset dubium: quod nobis sufficere debet. Familiam autem Davidis, cùm Christus nasceretur, valdè fuisse collapsam, dubitare nos non sinit humilis Josephi status, qui ex Davidis stirpe oriundus fabrili arte vitam suam toleravit. Inde ortum Judæorum scandalum, *nonne hic est filius fabri?*

Mater Virgo, ex Esa. VII. 14. Illius sensus literalis.

XXVII. Mater Messiæ debuit esse virgo, juxta *Esa.* VII. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus, Immanuel.* Negari nequit, quin sensu primo ac literali prophetia hæc temporibus Esaiæ aliquatenus complementum suum habuerit, cùm puella aliqua, tunc cùm Esaias verba hæc efferret, adhuc virgo, & fortasse coram rege præsens & ab Esaia digito monstrata, postea marito nupta, filium peperit, quem Deus pignus liberationis Judæorum è manibus regum Syriæ & Israëlis esse voluit. Et fortasse fuit prophetissa illa, ad quam Esaias se accessisse dicit, *Cap.* VIII. 3. quæ & concepit & filium peperit: tum & omnia, quæ de filio illo dicuntur, planè similia sunt, si non eadem cum illis, quæ hîc de filio virginis dicuntur; uti inspicienti, caputque octavum cum septimo conferenti, manifestum fiet. Non enim directè & sensu primo Messiæ nativitatem hîc prædictam, id unum argumento est, quòd nativitas filii hujus promittatur in signum liberationis Judæ ab oppressione duorum regum. Absurdum autem esset credere, signum prædici, quod aliquot demum seculis eventum, quem præsignificaturum est, sequetur: signum enim eventum, quem præsignificat, præcedat necesse est.

Et mysticus.

XXVIII. Sed verò verba ipsa ita sunt concepta, ut priorem hunc sensum tantum esse imperfectum ac typicum, & multò augustiorem ac sublimiorem illis contineri, qui in solo Messia complementum suum habuit, illa attentius inspicienti manifestum fit. 1. Quia quæ paritura dicitur expressè vocatur *virgo*, עלמה; quâ voce, quod & origo ejus docet, puella cui virginitas adhuc illibata est, designari solet in Sacris; vide *Genes.* XXIV. 43. *Exod.* II. 8. *Psal.* LXVIII. 26. *Cant.* I. 3. VI. 7. Quin & *Proverb.* XXX. 18, 19. quem tamen Judæi in contrarium citare solent; sed immeritò, ut attentius locum consideranti liquebit. At veró quando puella nubit viro, ac post nuptias concipit & parit, non parit virgo, sed quæ virgo esse desiit. Quæ verò absque viri opera concipit & parit, verè virgo parit. 2. Quia infantis hujus nativitas *signum* vocatur, & quidem eximium ac illustre, Deoque, Achazo signum in incredulitate sua, quo convinci posset, dare volenti, conveniens. Tale autem non est nativitas infantis ex puella marito in matrimonium tradita; sed ex virgine illibata. 3. Nomen infantis dicitur fore *Immanuel*; id est, ipse infans futurus est Immanuel, eâdem phrasi quæ reperitur *Esa.* I. 26. IX. 5. LVI. 7. LXII. 4. id est, procuraturus & effecturus ut Deus favore

ac auxilio suo nobis præsto sit: id enim phrasi hac, *Deum cum aliquo esse*, designari evincitur *Jos.* I. 5. *Psal.* XXIII. 4 *Jerem.* I. 8. *Act.* XVIII. 10. Atqui illud non nisi dilutè admodum huic infanti applicari potest: qui ipse Dei favorem non procuravit; sed nativitas ejus signum tantum favoris divini fuit: tum beneficium, quod favore Dei tunc obtinuerunt, fuit non ita eximium nec constans: quia pax illa brevi iterum est diremta, & non multò post populi captivitas secuta. Restat ergo, aliud hic significari beneficium, in quo prophetia hæc, juxta plenam verborum, quibus enuntiata est, significationem, complementum suum habuit, cujusque prius illud beneficium tenuis tantum umbra ac typus fuit. Est id nativitas Domini nostri Jesu Christi, qui ex matre virgine natus est, cujusque nativitas signum fuit maximè eximium ac illustre, & cui nullum par antea contigerat; & qui verus fuit Immanuel, nobisque æternum Dei favorem vitamque immortalem promeruit. Ita enim sese res habet. Virgo illa temporé Esaiæ typus fuit virginis matris: infans illius puellæ, quem post nuptias peperit, typus Jesu Christi, quem Maria virgo enixa est: & liberatio, cujus infans ille signum fuit, typus liberationis nostræ spiritualis, quam Jesus Christus nobis procuravit, atque ita plenissimè Deum nobis propitium reddidit. Et hanc Jesu Christi ex virgine nativitatem non dubitamus, quin certum veri Messiæ indicium sit: est enim maximum ac illustrissimum miraculum, & per quod jam ab ipso conceptionis momento primoque vitæ suæ articulo ab omnibus hominibus segregatus fuit, & ad munus illud eximium à Deo Patre sanctificatus.

Functiones Messiæ propria. XXIX. Sequuntur nunc argumenta, quæ propius Messiæ munus spectant, ipsumque verè designant, adeo ut in quocunque hæc reperiantur, ille verus ac unicus sit Messias, quia illi soli peculiaria sunt. Tria antea in Domino Jesu observavimus munera, Propheticum, Sacerdotale, ac Regium. Tria hæc, præcipuasque eorum functiones, à Prophetis de Messia fuisse prædicta, ut Jesum esse Christum constet, nunc ostendendum est.

Quod sit futurus Propheta. Deut. XVIII. 15. XXX. Primò quidem, Messiam debuisse esse prophetam, prædictum est à Deo per Mosem, *Deut.* XVIII. 15. & 18. *Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum, sicut te, & ponam verba mea in ore ejus*, &c. Excipiunt Judæi, hic non esse sermonem de Messia; sed Deum verbis his promittere, se non relicturum populum absque prophetis, sed modò hunc, modò illum missurum, qui ipsos continuò nomine Dei alloquantur. Idque probant, partim iis quæ antecedunt, quibus continetur occasio, qua verba hæc prolata sunt, videlicet, ne consulant incantatores, pythones, ariolos, &c. sed auscultent Prophetæ quem Deus ipsis missurus sit: partim sequentibus: *Propheta verò, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Quibus subjungitur signum, unde verus Propheta à falso dignosci possit. Quæ manifestè indicant, Deum promittere se plures uno missurum, & contingere posse, ut inter eos falsi quidam existant. *Resp.* Fateor, sensu primo ac literali verba hæc ita accipi posse. At in sensu illo primo plenam verborum, quibus hæc prophetia est concepta, vim non esse exhaustam, sed ea sensu mystico Messiam designare, ac proinde ab Apostolis *Act.* III. 22. VII. 37. rectè Domino nostro Jesu Christo applicata esse, facile demonstrari potest. Verba enim hæc attentius inspicienti liquet, Deum illis promittere, se certo quodam à se definito tempore, ipsis missurum Prophetam Mosi similem; ita tamen, ut interim plures ad ipsos Prophetas missurus sit, quibus vult ut auscultent. Id probatur. 1. Quia Deus de uno, non de pluribus loquens, inquit, *Prophetam illis suscitabo*, &c. Si dicas, esse enallagen numeri; Addo. 2. Eam hic non admittendam, quia dicitur, *suscitabo* Prophetam; quod sanè propriè magis unius eximii Prophetæ certo quodam tempore excitationem significat, quàm variorum Prophetarum missionem; quos Deus, quandocunque eos missurus sit, audiri velit. 3. Additur expressè, suscitabo Prophetam *sicut te*. Atqui à temporibus Mosis, usque ad adventum Christi, nullus exstitit Propheta similis Mosi: Moses enim fuit legislator; reliqui Prophetæ tantum Legis Mosaicæ expositores fuerunt, populumque ad illius observationem hortati sunt, & transgressores acriter reprehenderunt, ut ad obedientiam Legis redirent; usque ad Prophetarum ultimum Malachiam: Vide *cap.* IV. 4. Unde legimus *Deut.* XXXIV. 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moses.* Promittitur itaque hîc Propheta ejusdem cum Mose auctoritatis; id est, non expositor legis, sed legislator, perinde uti Moses: qui itaque legem laturus esset Mosis lege perfectiorem: novam enim legem ferre non poterat, quin Mosis legem esset superatura. Revera itaque major Mose Propheta promittitur.

XXXI. Atqui supereminentia illa supra legem Mosis in tribus consistit: 1. Quod perfectissimam Dei voluntatem esset annuntiaturus. *Legem laturus Mosis Lege perfectiorem.* Huc spectat, quod dicitur, *& ponam verba mea in ore ejus.* Et *Esa.* XI. 2. quod *super ipsum requiescet spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus*, &c. & *in qua anima* Dei *sibi* dicitur *complacuisse*, *Esa.* XLII. 1. Et *cap* LXI. 1, 2, 3. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me; ad annun-*

annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis dimissionem, &c. 2. Quod eam esset annuntiaturus modo perfectissimo: *Esa.* XLII. 2, 3, 4. *Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet: in veritate educet judicium:* &c. Quibus indicatur, eum fore mitem, ac serium. 3 Quod doctrinam esset annuntiaturus, quæ se ad omnes totius terræ populos extendat: Sic *Esa.* XLII. 1. *Judicium gentibus proferet, vers.* 4. *Et legem ejus insulæ exspectabunt. Cap.* XLIX. 6. & alibi. Hæc autem omnia neminem respicere possunt, nisi Messiam.

Miraculis clarus. XXXII. Messiam miraculis fore insignem, licet expressè nuspiam prædicatur, tamen ex hoc eodem *Deut.* XVIII. loco rectè concluditur. Aliàs enim Mosi, quem miraculis claruisse constat, longè inferior fuisset. Solet in hunc finem allegari *Esa.* XXXV. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet ut cervus claudus, & laudabit lingua muti; quia eruperunt in deserto aquæ; & torrentes in solitudine*, &c. Quod, licet alio sensu explicari queat, & figuratè dictum accipi, tamen negotio huic applicari, nihil vetat. Sed necesse non est de miraculis per Messiam edendis exstare vaticinia, cùm illa per se sola sufficiant ad missionem divinam comprobandum, uti antea ostendimus. Judæos autem credidisse Messiam miracula facturum, constat ex *Joan.* VII. 31. ubi conspectis Jesu Christi miraculis dixisse leguntur, *Christus cùm venerit, num signa plura edet iis quæ iste edidit?* Hæc autem omnia in Domino nostro Jesu Christo impleta esse, ex iis, quæ antea de munere ejus prophetico dicta sunt, manifestum est.

Quod sit futurus Sacerdos, Ps. cx. 4. XXXIII. Messiam fore Sacerdotem prædicitur *Psal.* CX. 4. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Quibus verbis prædicitur, eum Sacerdotem simul fore, & regem ad instar Melchisedeci, de quo testatur Moses *Genes.* XIV. 18. quod fuerit *rex Salem, & sacerdos Dei Altissimi*. Duo ad hæc Judæi excipiunt. Primò, Psalmum hunc non a Davide conscriptum in honorem Messiæ, sed ab alio in honorem Davidis, ac proinde Messiam non respicere. Deinde, vocem כֹּהֵן non vertendam, *Sacerdos*, sed *princeps*; quo significatu legitur *Genes.* XLI. 45. *Exod.* II. 16. III. 1. & præcipuè, 2 *Sam.* VIII. 18. ubi per Sacerdotem reddi neutiquam potest: uti & *cap.* XX. 26. Sed resp. ad primum; 1. Ipsam Psalmi inscriptionem לדוד מזמור, arguere hunc esse Davidis Psalmum; eam enim omnes à Davide conscripti Psalmi præferunt. 2. Olim hunc esse Davidis Psalmum Judæorum primores agnoverunt: aliàs argumentationem Domini Jesu, quomodo David Messiam, qui filius ipsius erat, vocet Dominum suum, nullo negotio solvere potuissent, respondendo, hæc verba non à Davide de Messia, sed à subditorum aliquo Davidis, de Davide ipso prolata esse: cum tamen eos nihil ipsi respondere potuisse dicatur *Matth.* XXII. 42, 43. *& seqq.* Est ergo nuperum Judæorum commentum, in odium religionis Christianæ, quia se hoc Psalmo premi vident, effictum. Sed verò, si Judæis concedamus, quod urgent, ad summum inde sequetur, Psalmum hunc juxta sensum literalem & imperfectum respicere Davidem, tanquam Messiæ typum: tam augusta enim in eo dicuntur, quæ in Davide, si verba propriè accipiantur, impleta neutiquam sunt; non enim David ad dextram Dei sedit; nec id Davidi, nisi sensu admodum diluto, quo à verborum proprietate discedítur, accomodari potest. Sequitur ergo, sublimiorem ac mysticum illo contineri sensum, qui Davidem non respiciat, sed in solo Messia complementum suum habeat. Ad secundum: Concedo vocem כהן nonnunquam significare principem; ordinariè tamen significat Sacerdotem: hìc autem principem designare non potest: quia is, de quo hæc verba enuntiantur, dicitur esse כהן *secundum ordinem Melchisedec*: eodem ergo significatu dicitur כהן, quo Melchisedec. Atqui de Melchisedeco vox hæc enuntiata necessariò significat Sacerdotem: vocatur enim *rex Salem*, & כהן, id est, *Sacerdos Dei Altissimi*: tum & ipse benedicendi actus eum Sacerdotem arguit; *Genes.* XIV. 18, 19. Quod si verò vertamus principem vel regem, inepta erit tautologia. Dices. Si vertendum sit Sacerdos, quomodo Davidi, tanquam Christi typo, applicari poterit? ille enim sacerdos non fuit. Resp. Necesse non esse, ut omnia, quæ sub typo de Messia prædicuntur, typo applicari possint. Sicut enim antea ostendimus. nonnunquam contingere, ut relicta significatione mystica, Prophetæ quædam addant, quæ ipsum typum solummodò, non autem quatenus Messiæ typum, respiciunt, ac in Messiam nullatenus quadrant; ita nihil vetat dicere, Prophetas quandoque, typo relicto, directè ipsum Messiam delineare, adhibitis verbis, quæ nulli nisi Messiæ accommodari possunt. Ita, licet Judæis concedam, Psalmum hunc sensu imperfecto ac literali Davidem posse respicere, negabo tamen hæc verba in Davidem quadrare, sed directè Messiam repræsentare, qui solus Sacerdos & Rex fuit. Aut si Davidi etiam sint aptanda, dicam vocem כהן sensu imperfectiore, quatenus significat principem, de Davide accipi: sensu vero pleno, quatenus non tantum principem, sed & sacerdotem significat, Messiæ applicari.

XXXIV. Sed præterea, quia antea docuimus, *Et veri;*

turus propter hominum peccata. Esa. LIII.

cuimus, sacrificium Christi morte ejus interveniente fuisse peractum, imo mortem Christi cruentam & ignominiosam fuisse oblationis Christi actum eximium, necesse est, ut eam etiam per Prophetas prædictam ostendamus: idque eò magis, quia mors Christi maledicta scandalum est Judæis, quo vel maximè offenduntur, 1 *Corinth.* 1. 23,24. Hoc autem vel unico *Esa.* LIII. capite evidentissimè demonstratur. Illic enim de Messia prædicitur, non tantum, quòd ei *non fuerit species nec decor*, quòd fuerit *despectus, novissimus virorum, vir dolorum;* &c. sed quòd hæc omnia victimæ instar piacularis pro peccatis nostris tulerit: quòd *languores nostros ipse tulerit*, *vulneratus sit propter iniquitates nostras*, &c. quod *Dominus omnium nostrum iniquitatem in eo posuerit:* quòd *animam suam posuerit* אשם, seu *sacrificium pro peccato:* aliaque his similia. Excipiunt Judæi, ut infidelitati suæ prætextum habeant, caput hoc non Messiam, sed alium quempiam respicere. Verùm ostendere nequeunt, si Messiam non respiciat, quisnam ergo capite hoc designetur. Certum est, quoniam caput hoc cum præcedente connectitur, hîc etiam de eodem servo Domini sermonem esse, de quo *Cap.* LII. 13. Propheta sermonem inchoat, *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè*, &c. Communis Judæorum expositio est, per *servum* illum Domini ipsum populum Israëlis intelligendum, in gravi ac diuturnâ suâ captivitate ac exilio valdè afflictum, & mox ex afflictione sua liberandum: Prophetam autem à *vers.* 1. ad *vers.* 11 hujus capitis, non ex sua, sed aliena, regum nimirum gentilium persona, loqui de populo integro tanquam de uno homine, aut servo: perinde ut *Esa.* XLI. 1. *Jerem.* XXXI. 10. *Psal.* CXXXVI. 22. Sed quis non videt, hanc esse duram ac contortam explicationem, à recentioribus Judæis cum solummodò in finem confictam, ut genuinum capitis hujus sensum pervertant? Præterquam enim quod nullum hic istiusmodi prosopopœiæ indicium sit, omnia, quæ toto hoc capite de servo illo Domini dicuntur, nullo modo populo Israëlis aptari possunt, imo statui illius directè adversantia sunt: de ipso enim dicitur *vers.* 9. quod *iniquitatem non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus.* Quomodo hoc convenit populo propter gravissima ac diuturna sua peccata in hostium suorum potestatem tradito, ac à Deo justè punito? Imo dicitur, quod ipse insons, propter aliorum peccata passus sit, animamque suam hostiam pro peccato posuerit. Sed qua specie hoc applicari potest populo peccatori, impio, rebelli, & ob propria peccata gravissimè à Deo punito? Restat ergo eum hic neutiquam intelligi posse, sed Messiam designari.

Non sub typo.

XXXV. Verùm quæritur, quoniam pleræque prophetiæ Christum sub typo respiciunt; utrum hæc prophetia secundum sensum literalem in typo olim imperfectè impleta sit; & sensu secundo ac mystico referatur ad Christum: an verò sensu primo ac directè Christum respiciat? Interpretes quidam doctissimi, considerantes *cap.* præced. LII. sermonem esse de liberatione populi judaici è captivitate Babylonica, quâ velut typo spiritualis nostra liberatio è servitute peccati adumbratur; etiam hoc caput exponunt de eximia quadam persona, quæ captivitatis Babylonicæ tempore varias contumelias & afflictiones, innocens & propter Dei cultum, tulit, cujus ita egregius Christi typus fuit; de Jeremia nempe, qui in carcerem conjectus, in locum cœnosum demissus, quasi è terra viventium abscissus est, propter prophetias suas: postea verò post urbis excidium magno in honore fuit apud Chaldæos. Sed si verborum horum expositionem, prout Jeremiæ ab ipsis applicantur, consideremus, comperiemus eam admodum duram esse ac contortam, & à verborum proprietate penitus recedentem. Quàm coactum enim est, *abscissus est è terra viventium*, interpretari de carcere? *Attritus est propter culpam nostram* iniquissima de eo sensimus, & propterea eum crudeliter tractavimus? Ne jam plura excutiamus. Quod unum indicio est, explicationem hanc esse quæsitam, violentam, ac nullo modo è proprietate ac connexione verborum deductam.

Sed directè.

XXXVI. Quæres: An itaque non constat, capite præcedente de liberatione è captivitate Babylonica, ut liberationis nostræ spiritualis typo, sermonem esse? *Resp.* Omninò. *Dices.* Nonne itaque exinde sequitur, servum illum, de quo ibi, & consequenter in hoc capite, sermo est, eximium fuisse hominem illius temporis, & Jesu Christi typum? *Resp.* Non id necessariò sequi. Diximus enim jam ad *Psal.* CX Prophetis non esse insuetum, aliquando typo relicto directè antitypum, hoc est, ipsum Messiam, delineare, ut tanto plenius constet, etiam verbis præcedentibus, quibus sensu imperfectiore typus describebatur, sensum subliniorem contineri. Hoc uti aliis locis factum dici potest, ita potissimum hoc *cap.* LIII. factum est. Ea enim hîc dicuntur de Messia, quæ nulli alii, etiam sensu imperfectiore, applicari possunt: sed quæ non, nisi admodum impropriè & sensu figurato, de alio, tanquam Messiæ typo, accipi possent. Quæ si quis hac ratione alicui tanquam Messiæ typo applicare velit, non multum repugnabo; verùm difficulter aliquem reperturus est, in quo hæc impleta dici possint, nisi verba in sensum alienum torqueantur.

XXXVII

Ex Ps. XXII. & LXIX.

XXXVII. Sed & alia Prophetarum vaticinia passionem & mortem Christi prædicunt, & præcipuè Psalmi: inter quos eminent *Psalmus* XXII. & LXIX. in quibus variæ passionis Christi circumstantiæ sub Davidis typo prædicuntur; quæ omnes in Davide imperfectè admodum impletæ sunt & non nisi figuratè: ut quòd manus & pedes ejus fuerint perforati, quòd aceto ac felle ipsum potarint, similiaque; perfectè autem ac plenè in Christo complementum suum habuerunt. Tum & *Dan.* IX. 29.

Quod sit futurus rex, & quidem cælestis.

XXXVIII. Ex hisce ita disputatis jam manifestum est, quæ de regno Messiæ Prophetæ prædicunt, non de regno terreno sed spirituali ac cœlesti, quale Christi Domini nostri esse antea evicimus, intelligenda esse. Messiam regem fore, contra Judæos probare non est necesse: ultrò enim id contendunt. Tota autem disputatio de regni ipsius natura est. Regem fore spiritualem ac cœlestem à Prophetis esse prædictum, variis nos contendimus argumentis: quorum quidem præcipuum est, quod prædicatur à populo suo rejiciendus, affligendus, & occidendus: quæ cum regno terreno conciliari nequeunt. Hinc Judæi quidam, ad prædictiones hasce respicientes, easque cum natura regni Messiæ, quod exspectant, conciliare non valentes, duos sibi commenti sunt Christos: unum filium Judæ, gloriosum ac triumphatorem; alterum, filium Josephi, miserum, infelicem, ac occidendum. Verùm optimè hæc conciliantur, si agnoscamus regnum Messiæ cœleste, mortemque ejus consideremus, sicut reverà fuit, gradum ac viam perveniendi ad regnum: sicut ipse Dominus ait *Luc.* XXIV. 25, 26. *Nonne hæc oportuit Christum pati, atque ita intrare in gloriam suam?* Prophetæ enim prædixerant, mortem ac passiones gloriam ejus præcessuras: non enim vaticinia de morte minus evidentia sunt, quàm de gloria ac regno. Quæ itaque Domino Jesu post mortem evenerunt, resurrectio nimirum è morte, adscensio in cœlum, & regnum, seu sessio ad dextram Dei Patris, omnium evidentissimè, eum esse Messiam à Prophetis prædictum, evincunt.

Resurrecturus ex morte.

XXXIX. Messiam è morte resurrecturum, docent 1. Vaticinia illa omnia, quibus gloriosissimum, amplissimum, ac æternum Messiæ prædicitur regnum: 2 *Sam.* VII. 12, 13, 14, 15. 1 *Reg* VIII. 25. *Psal.* LXXXIX. 29, 30, 36, 37, 38. *Psal.* CXXXII. 11. Quia enim Prophetæ eum multa passurum, quin & moriturum prædicunt; ut ad regnum hoc æternum perveniret, necesse fuit ut ex morte suscitaretur. Sed præcipuè hoc prædictum est *Psal.* XVI. 10. *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ verba sensu primò & imperfectè admodum Davidem respiciunt, ut typum Christi, quatenus Deus ipsum ab insidiis ac violentia Saulis liberavit, atque ita aliquatenus dici potest non esse relictus, sc. ne occideretur, & in sepulchro corruptionem subiret. Attamen rectè Apostolus Petrus *Act.* II. 25. *& seqq.* & Paulus *cap.* XIII. 36, 37. contra Judæos probat, ea in Davide non esse impleta, hoc est, perfectum suum complementum, juxta genuinam ac propriam verborum significationem, ultimamque Dei intentionem, non habuisse. Verba enim hæc, si propriè prout sonant accipiantur, prædicunt eum, de quo enuntiata sunt, in sepulchro noncorrumpendum. Atqui hoc in Davidem non quadrat: licet enim illo tempore, quo Psalmum hunc scripsit, è manibus Saulis sit liberatus; postea tamen mortuus, sepultus, & aliorum instar hominum corruptionem subiit; in ejusque rei testimonium etiam sepulchrum ejus Hierosolymis inter Judæos perduravit. Ergo sequitur hic prædici resurrectionem mortui ex morte, & quidem, antequam caro corruptionem videret, suscitati. Id verò impletum est in Domino Jesu, vero Messiâ, quem ex mortuis Deus suscitavit, & quidem tertio die, antequam caro ejus corruptionem vidit. Hæc etiam resurrectio adumbrata fuit typo Jonæ, qui tribus diebus ac noctibus fuit in ventre ceti, *Matth.* XII. 40.

Adscensurus in cœlum.

XL. Resurrectionem Jesu Christi excepit ejus adscensio in cœlum, & Sessio ad dextram Dei Patris. Ad adscensionem refertur illud *Psal.* LXVIII. 16. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, dona dedisti hominibus.* Quod ascensioni Jesu Christi ab Apostolo applicatur, *Eph.* IV. 8. Licet autem hæc propriè de Deo Patre enuntiata sint, qui illustribus de populi sui hostibus victoriis reportatis se gloriosum ostenderit, non aliter ac si triumphans in cœlum ascenderit: ac proinde per accommodationem Domino Jesu ab Apostolo applicari dici possint, quales accommodationum species Scriptoribus Novi Testamenti usitatæ sunt; quasi id quod de Domino Jesu dicere voluit, verbis Davidicis, tanquam emphaticis admodum, exprimere maluerit quàm suis; ac si diceret; id quod David olim de Deo dixit, potiori jure nunc, & magis secundum literam, de Domino Jesu dicere licet: Attamen hæc accipi possunt, quasi Apostolus dicere voluerit, id quod David olim figuratâ loquendi ratione de Deo enuntiavit, propriè ac secundum literam in Domino Jesu, cùm in cœlos adscenderet, impletum est; non aliter ac si Deus illud olim sub typo ac figura prædicere voluisset. Sed quicquid sit de Psalmo hoc, *Psal.* CX. 1 *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec inimicos tuos ponam scabellum pedum tuorum*, quo Messiam respici, dominiumque ejus cœleste designari, antea evicimus, mani-

manifestè ascensionem ejus in cœlum prædicit. Non enim ad dextram Dei sedere, summumque infra Deum in omnia imperium obtinere potuit, quin in cœlum adscenderet, atque ita throno ac solio Dei quasi insideret: uti egregiè Petrus argumentatur *Act.* II. 34. *Non enim David adscendit in cœlum; sed dicit ipse, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, &c. Quasi dicat; nisi Christus in cœlum ascenderit, ad dextram Dei sedere non potuit. Christum autem Dominum nostrum ad dextram Dei sedisse, antea comprobatum est.

Quod omnes gentes ad Dei cultum per ipsum sint vocandæ.

XLI. Tandem, prædictus est per Prophetas, omnes gentes ad communionem unius veri Dei, quem Israëlitæ colunt, per Messiam vocandas. Judæi hoc quidem admittunt, sed gentes non alia lege in communionem admittendas credunt, nisi ut sibi serviant, perinde uti olim Gabaonitæ; & ut legem Mosis, omnesque illius ceremonias suscipiant. Sed verò, si prophetias attentius inspiciamus, comperiemus nullum populorum discrimen fieri, sed omnes æquali privilegio admittendos; quin imo gentes fideles in Judæorum incredulorum, qui ejicientur & ut inutiles rami abscindentur, locum assumendas, infidelibusque Judæis præferendas. Ex plurimis locis, quæ passim magno numero apud Prophetas occurrunt, nos pauca, quæ nobis videntur præcipua, seligemus. Primus est *Esa.* II, 2, 3. cui parallelus est *Mich.* IV. 1, 2. *& seqq.* ubi prædicitur *in novissimo dierum* futurum, *ut mons Domini Jehovæ præparatus sit in vertice montium, & altior sit omnibus collibus, ad quem confluxuri sunt populi, ituræque gentes multæ, & dicturæ; Venite adscendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in eis*, &c. Ubi figurata locutione, desumta à ritu ac consuetudine antiquis illis temporibus usitata, quibus templa in montibus ac collibus editissimis solebant ædificari, dicitur, montem Domini omnibus montibus fore excelsiorem; ad ostendendum religionem Messiæ Regis, omnium aliorum religionibus præferendam, & ad omnes extendendam. Est enim Prophetis usitata formula loquendi, cultum spiritualem, Messiæ temporibus Deo exhibendum, actibus ac exercitiis, quæ durante Legis œconomia in populo Judaico obtinebant, repræsentare ac describere. Quod aliis in locis, mox allegandis, plenius liquebit. Secundum legimus *Esa.* XI. 10, 11. ubi Messias dicitur *erigendus in vexillum populorum*, & quod *eum gentes requirent*: quem locum citat Apostolus *Rom.* XV. 12. Tertium, *Esa.* XIX. 18, 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*, &c. Quo in loco manifestius, quod statim monebamus, sub typo cultus ceremonialis, repræsentatur cultus spiritualis sub Messia; imo ceremonialis cultus abrogatio innuitur, cum altare non liceret erigere, nec proinde sacrificia offerre, nisi Hierosolymis in templo à Deo ad id electo. Quartum, *Esa.* XLIX. 6, *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israël convertendas; Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea ad extremum terræ.* Quod sibi applicant Paulus & Barnabas, *Act.* XIII. 47. sed ut ministris ac legatis Christi. Hisce adde alia complura, quæ passim occurrunt; ut *Esa.* LX. 3. LXV. 1, 2. LXVI. 21. *Ose.* I. 10, 11, 12. qui citatur *Rom.* IX. 25. *Amos.* IX. 11, 12. quem citat Apostolus Jacobus *Actor.* XV. 16, 17. *Sachar.* II. 11. *Malach.* I. 11. aliaque complura, quæ passim apud Prophetas, præsertim Esaiam, occurrunt, quæque singillatim commemorare, longum foret.

Est hoc in Domino Jesu impletum.

XLII. Hæc autem omnia impleta sunt in Domino Jesu. Illa enim in cœlum ascensurus Apostolos suos misit in omnem terram, mandatumque dedit, ut omnibus gentibus Euangelium annuntiarent; *Matth.* XXVIII. 18. *Marc.* XVI, 15, 16. Quod primo sensu respexit Israëlitas in omnem terram & per omnes populos dispersos; ita tamen, ut sensu secundo ac pleno omnes gentes comprehendantur. Quod quia Apostoli in initio non perceperunt, Dominus visione cœlesti Petrum monuit, gentes non amplius pollutas esse habendas, *Act.* X. Apostolosque ad omnes gentes misit. Quos munere isto fideliter esse functos, liquet *Rom.* X. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in finem orbis terræ verba eorum. Coloss.* I. 23. dicitur *Euangelium prædicatum in universa terra quæ sub cœlo est.* Adeo ut *Coloss.* III. 11. dicatur in Christo *non esse gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.* Et res ipsa comprobat. Videmus enim Euangelium quaquaversum per totum ferè mundum esse dispersum, Deumque Israëlis verum ac unicum ab omnibus coli ac adorari. Non quòd velimus omnia hæc, statim atque Euangelium inter gentes prædicari cœptum est, integrum suum complementum habuisse: sed sensim promulgatum est Euangelium, & ad omnes gentes delatum: tum & reductio populi Israëlitici per Apostolorum, ad ipsos primò ac principaliter missorum, prædicationem cœpta, ob ipsorum pertinacem incredulitatem ex parte & ad tempus aliquod quasi interrupta est, postea verò, ubi plenitudo gentium introiverit, repetenda, integrumque suum complementum habitura est; ut sic totus Israël, unà cum gentibus, per fidem in Jesum Christum salvus fiat: uti Apostolus docet *Rom.* XI. 25, 26, 27. Lex Mosis cultum unius veri Dei sexdecim seculorum spatio ad alias gentes propagare non potuit; sed veri Dei sincera cognitio angustis Judææ terminis conclusa

fuit

fuit, Prædicatio verò Jesu Christi paucos intra annos totum terrarum orbem veri Dei cognitione replevit, adeo ut Deus Israëlis jam ab omnibus passim agnoscatur ac colatur. Quod sanè non exiguum divinitatis doctrinæ Jesu Christi argumentum est.

CAPUT XXVIII.

Responsio ad præcipuas Judæorum Objectiones.

I. Restat nunc, ut præcipuas quasdam Judæorum objectiones in contrarium expendamus,

Responsio ad object. 1. quod non videatur pax prædicta.

II. Primò quidem objiciunt, non conspici altam illam pacem *Esa.* II. XI. alibique prædictam, temporibus Messiæ futuram: sed contra, omnia odiis, bellis intestinis ac dissidiis flagrare inter Christianos, quin & in ipsa Ecclesia Christi. Resp. Non prædici, quid præcisè futurum sit: sed quis genius sit futurus doctrinæ Messiæ; hominibus nempe inspirare animi lenitatem ac mansuetudinem, adeo ut depositâ omni feritate ac amarulentiâ, mitescant, leonum ac luporum instar, qui ferinâ indole exutâ cum agnis ac vitulis consuescunt. Hunc autem religionis Christianæ esse genium, præcepta ejus vel leviter inspecta, nil nisi pacem ac charitatem erga omnes, etiam inimicos, spirantia evidentissimè comprobant. Dices. Dominum Jesum tamen affirmare, se non venisse pacem mittere in terram, sed gladium: &c. *Matth.* X. 34, 35, 36. Resp. Ita est: Sed non indicat doctrinæ suæ finem, sed eventum, vitio hominum, contra doctrinæ suæ genium extiturum: simili phrasi, quâ utitur *Joan.* IX. 39. XII. 37, 38, 39, 40. Ea quippe est sanctissimæ ipsius doctrinæ indoles, ut homines maligni, se illâ impietatis convinci ac coargui ægrè ferentes, adversus illam illiusque professores insurgant; atque ita, contra doctrinæ genium, turbæ excitentur. Deinde; Ipsi Judæi suis persecutionibus turbarum Euangelii prædicationem secutarum causa fuerunt: ne ergo crimen suum sanctissimæ Christi doctrinæ imputent. Addo; non prædici propriè pacem corporalem: sed, more Prophetarum, qui res spirituales per corporales adumbrare solent, spiritualem. Eam autem Dominum Jesum procurasse evidentissimum est. Pacem nempe conciliavit inter Deum & homines: *Rom.* V. I. *Justificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Homines, antea inimicos, pace factâ in unum corpus collegit: *Eph.* II. 14. *Et ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ*, &c. *reconciliat ambos in uno corpore*, &c. & *Coloss.* I. 19, 20,

... quod

III. Dices. Sunt tamen dissidia, & schismata in Ecclesia Christi; & bella acerrima geruntur inter Christianos. Resp. Illa geri non secundum doctrinæ Christi genium, sed a non genuinis Christi discipulis. (loquor de bellis non necessariis, sed ultrò pro gloria aut imperii amplificatione susceptis) Sic & schismata ac dissidia si quæ fuere, aut adhuc sunt in Ecclesia Christiana, fuere vel nudæ tantum sententiarum diversitates, absque animorum divulsione, aut Ecclesiæ in partes scissione; illæ verò paci non repugnant, & per clariorem voluntatis divinæ cognitionem statim sunt sublatæ; vel sunt schismata, ac Ecclesiæ dilacerationes in partes: illa autem introducta sunt à pseudo Christianis, qui, neglectâ Magistri sui doctrinâ, Ecclesiam, mysticum ejus corpus, dilacerant; justamque Judæis causam præbent à religione Christiana abhorrendi. Non autem doctrinæ imputari debet, quicquid degeneres illius discipuli contra doctrinæ genium committunt.

Schismata fiunt in Ecclesia Christi.

IV. Secundò. Messias reducturus est Israëlem in terram promissam; juxta *Esa.* XI. 11, 12, 13. *Ezech.* XXXVII. 25, 26, 27, 28. *Zachar.* II. 10, 11. & alibi. Atqui tantum abest, ut per Jesum nostrum populus Israël in terram suam sit reductus; ut non multò post ipsius adventum etiam tribus Juda, quæ è captivitate redierat, unà cum templo, sit excissa, omnisque populus in captivitatem abductus, ac per totum terrarum orbem miserè dispersus. Resp. I. Loca illa, si primum, ac literalem consideremus sensum, pleraque respicere liberationem è captivitate Babylonicâ. 2. Esto, respiciant tempora Messiæ; possunt accipi cum conditione, si populus Messiam sibi à Deo missum recipiat. Posset ergo adhuc impleri promissio hæc, modò recipiendo Messiam conditionem annexam impleant. Nunc autem suæ rebellioni imputent, quod in terram suam non reducantur. 3. Promissa hæc non sunt accipienda secundum literam, de reductione in terram Canaan; quia sic respicerent tantum Israëlitas, Messiæ tempore victuros, omnesque antea mortuos à beneficiis istis excluderent: tum, exile nimis est, ut Messias, quem Deus omnium gentium regem destinavit, mitti dicatur, ut solos Israëlitas in terram suam reducat: sed mysticè accipienda sunt de cœlo, cujus terra Canaan typus fuit, & sub cujus figura Deus populo isti carnali beneficia spiritualia ac cœlestia adumbrare solebat. Nec sanè est, quod conquerantur de non impleta promissione divina, licet secundum literam esset accipienda, si Deus regem terrenum promittens ipsis dederit cœlestem: nulla enim injuria fit homini, cui bonum eximium confertur, loco exigui, nulloque modo cum eo quod datur conferendi.

Ad 2. object. quod Israel non sit reductus in terram Canaan.

Ad 3. object. quod idololatria non sit sublata.

V. Tertiò. Messiæ tempore prædicuntur omnia idola auferenda e terra, ac idololatria exstirpanda, *Sachar.* XIII. 2. *Esa.* II. 17, 18, 20. *Zephan.* II. 11. Id vero tempore Jesu Christi impletum non est: in multis enim terræ regionibus adhuc idololatria viget; imo in ipsa Jesu Christi Ecclesia idololatria turpissima committitur. Resp. 1. Prædictionibus ejusinodi non designatur, statim, quamprimum Messias apparuerit, illa quæ prædicuntur esse implenda; sed sensim ac paulatim, & impletionis illius initium fieri in ipsa Messiæ apparitione. Atqui certum est, simulatque Euangelium est promulgatum, idololatriam cœpisse exstirpari, eamque sensim magis magisque in variis orbis terrarum partibus exstirpatam: omnem quippe idololatriam Euangelium damnat; & ubicunque receptum est, omnis statim idololatria illius virtute deleta est, omnia gentium oracula ubicunque terrarum obmutuerunt. Quòd verò etiamnum hodie inter gentes quasdam idololatria supersit, causa non est Euangelii quidam defectus, aut inefficacia; sed quòd Christus illis non sit revelatus, nec Euangelium prædicatum: aut saltem non à ministris idoneis, & modo convenienti: sed ab hominibus nefariis ac latronibus, qui non salutem animarum, sed aurum sitiebant, ideoque Christum prædicabant, ut sibi ad gentes istas aditum pararent, quò facilius ac tutius divitiis earum potirentur: qui proinde Christum verbis prædicantes, vitâ profanâ quod prædicabant destruebant, gentesque à salutari Christi doctrina alienas reddebant. Dices. Attamen & idololatria viget inter Christianos, in Ecclesia nimirum Romana. Resp. 1. Certum est, vaticiniis illis propriè prædici idololatriæ ethnicæ exstirpationem: quæ verò idololatriæ species in Ecclesia Romana viget, alia longè est ab ethnica idololatria 2. Primi Christiani ab omni idololatria fuere alienissimi: Ecclesia Romana, quæ eam reduxit, à sinceritate fidei majorumque suorum vestigiis recessit, seque potius Antichristi quàm Christi spiritu regi ostendit. Multæ vero sunt Christianorum myriades, & Ecclesiæ passim toto orbe dispersæ, quæ idololatriam istam detestantur, nullumque propterea cum Ecclesia Romana sibi commercium esse volunt; quin imo quævis acerba ac dirissima pati malunt, quàm idololatria se polluere. 3. Ipse Christus per Apostolos suos prædixit, 2 *Thess.* II. 3, 4. *& seqq.* apostasiam illam in Ecclesia sua exstituram. Sicut ergo idololatriæ Ethnicæ exstirpatio Judæis veri Messiæ signum est; ita etiam defectio illa à fidei ac pietatis Christianæ sinceritate, à Christo prædicta, Judæis signum esse debet, Jesum nostrum verum esse Messiam; Romanaque Ecclesia, sua defectione prædictionem hanc confirmans, ejus documentum est.

Ad 4. object. quod Jesus Legem Mosis aboleverit.

VI. Quartò. Jesus Legem Mosis abolevit, quæ tamen lex æterna est, & à Deo lata ut æternum duret: Ergo verus Messias esse nequit. Resp. 1. Ad majorem argumenti; Messiæ officium fuisse novam legem, Mosaicâ perfectiorem, promulgare, docetur *Deut.* XVIII. 18, 19. ubi prædicitur futurus Propheta Mosi similis: non autem Mosi similis esse potest, nisi sit legislator; interpres enim Legis si solummodò concipiatur, Mose longe inferior erit: si autem, Mosis instar, sit legislator, necesse est ut legem, Mosis lege perfectiorem ferat; aliàs enim legislator esse non potest. Quin & ostendimus jam, per Prophetas fuisse prædictum, omnes gentes per Messiam ad veri Dei cultum adducendas, per præcepta omnium gentium genio ac naturæ accommodata, præscribentia cultum spiritualem nimirum ac internum, non carnalem ac ceremonialem: Ergo necesse est, ut Messias novam legem, Mosis lege perfectiorem, ferat. Secundò: ad minorem: Negamus Dominum Jesum legem Mosis propriè abrogasse, aut abolevisse: ipse ait *Matth.* V. 17. *Nolite putare, quod venerim solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere.* Legem sanè moralem Dominus non solvit, sed dilucida præceptorum explicatione, à corrruptelis Pharisæorum vindicatione, quin & novorum præceptorum additione, perfecit. Legem ceremonialem abolevisse videtur, quatenus in Ecclesia illius non amplius observatur, nec quisquam ad illius observationem constringitur. Sed verò, Dominus Jesus ceremonias, propriè loquendo, non abrogavit; ipse enim eas observavit, discipulisque ut eas observarent mandavit, *Matth.* XXIII. 1. Verum quidem est, præcipuè exegit cultum spiritualem, ceremoniasque absque illo nullius apud Deum esse valoris docuit: sed & idem à prophetis factum est, *Esa.* I. 11. *& seqq.* *Mich.* VI. 6, 7, 8. *Esa.* LVIII. 3, 4. *& seqq.* LXVI. 3. *Jer.* VI. 20. VII. 4. 22, 23. *Hos.* VI. 6. *Amos.* V. 21, 22, 23. *Ps.* L. 7, 8, 9, 10. Quos tamen nemo propterea cultum ceremonialem abolevisse unquam somniavit.

Id non factum ab Apostolis, post Christi exaltationem.

VII. Quæres. An non Dominus Jesus, post suam in cælos exaltationem, legem ceremonialem per Apostolos abrogaverit? Apostolus Paulus certè ubique se acrem libertatis Christianæ à jugo ceremoniarum legis vindicem ostendit. Resp. Nec per Apostolum Paulum, nec per alios Apostolos legem ceremonialem fuisse propriè abrogatam. Ipse Paulus ceremonias legis observavit: Timotheum, patre Græco quidem, at matre Judæâ natum circumcidit, *Act.* XVI. 1. in Syria cum Aquila ac Priscilla, quia votum fecerat, caput totondit, *Act.* XVIII. 18. & se sanctificavit in templo, ac totondit, *Act.* XXI. 26, 27. Dices. Attamen passim in Episto-

Epistolis suis docuit, nos non teneri ceremoniis legis Mosaicæ. Resp. Nusquam comperietur docuisse, Judæos ab obligatione legis ceremonialis solutos; sed gentium libertatem acerrimè vindicavit, jugumque ceremoniarum legalium illis imponi noluit: non enim gentibus, sed solis Judæis ac Israëlitis lex illa à Deo erat lata: non solvit autem legem, qui docet ea non teneri, quibus nunquam lata est. Interim negari nequit, hac suâ doctrinâ Apostolos apertè satis indicasse, ceremoniarum legalium observationem ad salutem neutiquam esse necessariam; quin imo, Judæis non admodum commendasse, sed eos perinde uti gentes, per solam in Jesum Christum fidem, vivam tamen ac per charitatem operantem, absque operibus Legis, salutem posse consequi. Quo ipso earum necessitas quidem subvertebatur, non tamen ut illicitæ damnabantur aut vetabantur: sed sponte, natura rei ita postulante, evanescebant; uti ad præsentiam antitypi typus, & corporis umbra, evanescit: & ut leges belli pace facta non abrogantur, sed sponte desinunt. Voluit nimirum Deus, ceremonias illas non propriè abrogari, sed sponte desinere; ideoque non multis post exortum Euangelii annis terram Israëlis, & templum, cui cultus ille ceremonialis fuit alligatus, destruxit, finemque iis imposuit: juxta Danielis vaticinium *Cap.* IX. 26, 27. Atque ita legem ceremonialem, quæ jam per doctrinam spiritualem Euangelii languebat & evanescere incipiebat, honestè quasi sepulturæ tradidit. Evanuit igitur, non quia abrogata est; sed quia perfectiore doctrina, cujus typus & umbra fuerat, accedente, locum amplius habere non potuit. Quod verò dicitur, Legem illam datam utæternum duret; respondeo, quando æternitas rebus quibusdam adscribitur, non significat durationem nunquam finiendam; sed accommodatè rebus quibus tribuitur, durationem non finiendam, & perpetuò permansuram, quamdiu natura earum permittit, quod durare possint. Hoc sensu, ne alia nunc exempla allegemus, accipitur *Exod.* XXI. 6. ubi de servo, qui elapso anno septimo apud dominum suum manere voluit, dicitur, *serviet ei in perpetuum:* qui tamen anno jubilæi dimitti jubetur *Levit.* XXV. Itaque *serviet in perpetuum*, significat, serviet, quamdiu juxta Legem serviens in populo Israël perdurare potest, hoc est, ad annum jubilæi, quo omnis servus in libertatem dimitti debuit; oppositè ad illum, qui anno septimo dimittebatur.

Eodem modo cultus ceremonialis vocatur *cultus perpetuus*, *fœdus perpetuum*, quia ab Israële observari debuit, quamdiu Deus eum vult esse populum separatum, & in terra Canaan tanquam populum ab omnibus distinctum habitare, ac proinde, quamdiu ceremoniarum natura permittit, ut observari possint. Hoc ipse Deus indicat *Deut.* XII. 1. *Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris:* hoc est, cunctis diebus quibus Deus vos, ut populum sibi sanctificatum & ab omnibus segregatum super terra existere, atque in terra Canaan habitare vult. Quoniam enim Deus Legem dedit, ut discrimen populorum introduceret; ita etiam, quando discrimen hoc cessare vult, populosque rursus cum Judæis in unam coalescere Ecclesiam, necesse est ut ipso, natura rei id exigente, cesset & sponte evanescat. Idem dicendum de lege politica, quam Dominus & observavit, suosque observare docuit. Verùm illa, quatenus conditioni populi Israëlitici & terræ Canaan accommodata & alligata fuit, per gentis ac terræ illius excidium sponte desiit, neque amplius obligandi vim habere potest. Ita ut Judæi nullam exinde, quod lex ceremonialis non inculcetur in Religione Christiana, causam habeant Jesum Dominum nostrum rejiciendi. Quin imo perfectior ejus lex, Mosis legem antecellens, evidentissimum veri Messiæ indicium est, juxta *Jer.* XXXI. 31, 32. *Malach.* I. 11.

VIII. Quintò. Elias debuit præcedere adventum Messiæ, juxta *Malach.* IV. 4, 5. Atqui Elias nondum venit. Resp. Per Eliam non intelligitur ipse Elias, sed Eliæ similis; quales figuræ loquendi apud omnes, tam profanos, quàm sacros auctores, sunt usitatissimæ. Sic Messias, ob magnam cum Davide similitudinem, expressè vocatur David, *Ezech.* XXXIV. 23, 24. XXXVII. 24, 25. Atqui hoc sensu Eliam venisse jam olim, dicimus. Is autem fuit Joannes Baptista, præcursor Domini Jesu, qui venit in spiritu & virtute Eliæ, *Luc.* I. 17. & austera vivendi ratione, zelo flagranti, ac ingenua parrhesia, Eliam plenè expressit, non aliter ac si Elias denuò populo apparuisset. Quod Dominus noster discipulis suis ambigentibus & inquirentibus plenè explicat *Matth.* XI. 14. XVII. 12. 13. Venit ergo Elias; sed eum Judæi, perinde uti Messiam, recipere noluerunt. *Ad 5. object. quod Elias nondum venerit.*

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

LIBER QUARTUS, DE PRÆDESTINATIONE DEI.

CAPUT I.

De Prædestinatione hominum tam ad salutem quàm ad damnationem.

Duo in N. Fœdere videnda.

I. HActenus de Opere Redemtionis, & ratione quâ salus nobis per Jesum Christum Dominum nostrum parta est. Sequitur ut videamus, quâ ratione Deus homines salutis per Christum partæ secundum Novi Fœderis formulam participes facere velit. Duo hic videnda: 1. Quæ Deus à parte suâ per Filium suum Jesum Christum in nobis, seu circa nos, facere decrevit, ut salutis æternæ per ipsum partæ consortes efficiamur. 2. Quæ à nobis mediante gratiâ suâ fieri vult, si salutem æternam reipsâ consequi velimus. Quo posteriore membro ratio cultus, quo Deum prosequi, promissaque divina, quorum amore ad pietatis studium excitari debemus, continentur. Estque hæc secunda tractationis nostræ pars, quæ doctrinam de Deo operibusque divinis excipit. Quoniam verò fœdus Novum, aliorum instar fœderum, mutuus est inter Deum ac homines contractus, quo Deus testatur quid ad salutem hominum facere decreverit, & vicissim ab homine officium stipulatur; res ipsa exigit, ut, antequam cultum quem ab homine postulat explicemus, primo inquiramus, quid Deus à parte sua circa homines facere decreverit, ut eos ad cultum sui potenter exstimulet.

Primum. Decreta Dei de salute hominum.

II. Duo itaque Deus decreta fecit, quorum consideratione nos ad cultum sui, salutisque nostræ studium potenter exstimulat, per quæ & utilitas & necessitas officii nostri constat: quæque totius nostri cultus fundamentum sunt. Primum est decretum prædestinationis ad salutem, quod aliàs vocari solet, Electionis ad gloriam; continetque modum ac rationem, qua Deus salutem æternam hominibus conferre decrevit. Alterum est decretum vocationis ad fidem, seu Electionis ad gratiam: continetque modum vocationis divinæ, & gratiæ ejus cœlestis ad fidem ac obedientiam Jesu Christo juxta voluntatem Dei in Euangelio clarè revelatam, præstandum, utilitatem simul ac necessitatem. Duo itaque nobis consideranda erunt. 1. Natura ac conditio Prædestinationis divinæ. 2. Vocatio, qua homines per Jesum Christum ejusque Euangelium, vocat ad salutem.

Prædestinatio.

III. Vox ipsa *prædestinationis*, seu Græcè, προορισμῦ, aliquoties occurrit in Scriptura: *Rom.* VIII. 29, 30. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: Quos autem prædestinavit, hos & vocavit*, &c. *Eph.* I. 5, 11. 1 *Cor.* II. 7. Et vox *præcognitionis*, seu προγνώσεως, *Rom.* VIII. 29. XI. 2. 1 *Pet.* I. 2, 20. *Act.* II. 23. Uti & *propositi*, seu προθέσεως, *Rom.* VIII. 28. IX. 11. *Eph.* III. 11. Verùm loca illa attentius inspicienti patebit, illis vocibus non tam designari decretum Dei de salute hominum, seu Electionis ad gloriam, uti loquuntur; quam decretum vocationis ad beneficia in Euangelio nobis clarè exhibita ac promissa: quod Electionis ad gratiam vulgò vocari solet. Adeo ut voces προορισμὸς, πρόγνωσις, aut πρόθεσις, quarum frequens inter Theologos in negotio prædestinationis est usus, in Scriptura decretum prædestinationis de salute ac damnatione hominum designare, probari minimè possit; uti id in sequentibus plenius patebit.

Quo sensu hic accipiatur.

IV. Attamen quoniam Deus decernens homines vocare ad gratiam Euangelicam, etiam certum vocationi suæ finem propositum habuit, nim: salutem æternam: sequitur Deum etiam de salute ac damnatione hominum decretum fecisse, cui decretum de Vocatione, seu Electione ad gratiam, subordinatum fuit. Atque hoc decretum communiter à Theologis, *Prædestinatio* vocari solet. Et hoc sensu, qui jam longo seculorum usu obtinuit, nunc etiam vocem *Prædestinationis* accipimus, & quid de decreto illo Dei secundum Scripturas sentiendum sit, inquiremus. Solent quidam vocem *Prædestinationis* applicare soli decreto de salvandis hominibus, quod alias vocari solet Electio, adeo ut illi ipsis soli sint prædestinati,

nati, qui sunt electi ad salutem. Hoc significatu frequens est vocis hujus acceptio apud Patres; & maximè consentanea phrasiologiæ Scripturæ: semper enim usurpatur de donis gratiæ divinæ, quibus hominibus salus præparatur, hominesque ad salutem vocantur; nunquam verò de actibus iræ aut severitatis divinæ, quæ in justa impœnitentium damnatione conspicitur. Sed verò quoniam vox est generalis, & Deus decretum fecit non tantum de salute, sed & de damnatione hominum; juxta communem hodie acceptionem nos *prædestinationem* generali hoc significatu accipiemus, ut tam decretum Dei de hominum damnatione, quàm salute comprehendat.

Ejus definitio. V. Est itaque Prædestinatio Dei, decretum divinum, quo pro voluntatis suæ beneplacito constituit ante tempora secularia fideles in Jesum Christum Filium suum eligere, in filios adoptare, justificare, & si in fide perseverent æternum glorificare: Infideles vero ac contumaces reprobare, excœcare, indurare, &, si in contumacia sua perseverent, in æternum damnare.

Duæ illius quasi partes. VI. Ex hisce constat, decreti Prædestinationis duas esse quasi partes: altera respicit salvandos, altera damnandos. Prius vocatur decretum Electionis: posterius, Reprobationis.

Facta est ante tempora secularia. VII. Dicimus autem, prædestinationis decretum esse factum ante tempora secularia, quià ante secula & mundi constitutionem factum est. Sic *Matth.* xxv. 34. dicit Dominus Jesus iis qui à dextris sunt; *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum præparatum vobis ante constitutionem mundi*: nempe virtute illius decreti, quo constituit fidelibus ac obedientibus salutem dare; cui decreto omnium fidelium in tempore destinatio ad salutem inclusa est. Ergo virtute illius generalis decreti omnes in tempore credentes dici possunt ante constitutionem mundi ad salutem prædestinati. *Eph.* 1. 4. *Elegit nos ante constitutionem mundi in Christo Jesu.* Verum est, agitur illic de electione ad gratiam, ut in sequentibus fusius ostendetur: sed quoniam illud decretum subordinatur prædestinationi ad salutem, manifestum est, sicut ante jacta fundamenta mundi Deus decretum condidit de vocatione hominum, etiam illud condidisse de eorum salute. Et 1 *Pet.* 1. 20. *Christus dicitur præcognitus ante mundi constitutionem.*

Fundamentum ejus est Christus. VIII. Fundamentum decreti prædestinationis est Jesus Christus: *Eph.* 1. 4. *Elegit nos in Christo Jesu*: quia Deus homines in prædestinatione considerat, tanquam Christo fideles vel infideles; ita ut, sicut nulli benedictio aliqua spiritualis obtingit, nisi propter Christum, nemoque condemnatur nisi quia Christo incredulus fuit; etiam nemini salus aut damnatio destinata sit, nisi quatenus in Christo consideratus est, vel fidelis, vel infidelis. Adeo ut destinatio ad salutem vel damnationem sit juxta Novi Fœderis, quod Christus inter Deum ac nos erexit, abolito præcedente operum fœdere, formulam ac conditionem; Christusque antea destinatus sit in Salvatorem, antequam hominibus destinata salus.

IX. Objectum prædestinationis vel sunt res, vel personæ. Res, respectu Electionis, sunt benedictiones spirituales in hac vita; ut Adoptio in filios, Justificatio, Obsignatio per Spiritum Sanctum; & post hanc vitam, vita æterna: respectu Reprobationis, sunt pœnæ divinæ, ac præsertim spirituales: in hac vita, ut excœcatio, induratio, &c. ac tandem post hanc vitam mors æterna. *Objectum, sunt vel res.*

X. Personæ, respectu Electionis, sunt fideles, ac in fide perseverantes: respectu Reprobationis, infideles ac contumaces: docente id Scriptura *Marc.* xvi. 19. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur; qui verò non crediderit, damnabitur. Joan.* iii. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum, ut quicunque credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam Et vers.* 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam: Qui verò incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Joan.* vi. 40. *Hæc est voluntas qui misit me Patris, ut quicunque in Filium ejus credit habeat vitam æternam, & ego eum suscitabo in novissimo die*; & alibi passim. Nec non eventu id comprobante: Deus enim nullos nisi credentes & in fide perseverantes salvat; nullos nisi incredulos & in incredulitate contumaciter perseverantes damnat; nullos ergo nisi hos salvare aut damnare decrevit: quia executio cum decreto suo conveniat necesse est. Dices: An ergo homo non est verè electus, antequam in fide ac obedientia perseveraverit ad finem usque; Inde tandem sequitur, non hominem vivum, sed in fide mortuum decreti electionis objectum esse. Resp. Hominem etiam dum vivit, & quamprimum credit, electum esse: Deus enim decretum Electionis homini statim atque credit applicat. Sed verò, quia homo ob voluntatis suæ mutabilitatem à fide sua rursus deficere, potest, nec salus destinata est, nisi perseveranti ad finem usque, *Matth.* xxiv. 13. hinc fit, ut electio quidem verè applicetur homini dum in terris vivit; non tamen peremtoriè, nisi quando jam in fide ac obedientia mortuus est, nullaque amplius voluntatis mutatio intervenire potest. Veritas enim non opponitur illi quod semper non durat, sed quod falsum est: ita peccator ante conversionem suam verè peccator est, & reus iræ divinæ; post conversionem verò nequaquam. *Vel personæ.*

XI. Causa impulsiva hujus decreti, re- *Causa*

 spectu

Impulsiva est Dei beneplacitum. ſpectu electionis, extra Deum nulla eſt, ſed merum Dei beneplacitum. Quod ex variis liquet. 1. Quod Deus hominibus decreverit dare ſalutem; nulli enim erat debitor. 2. Quòd eam decreverit dare peccatoribus, qui contrarium erant meriti; quod planè indebitum eſt & gratuitum: 2 *Tim.* 1. 9, 10. *Deus nos liberavit, & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia.* 3. Quòd fidem conſtituerit medium perveniendi ad ſalutem; potuiſſet enim pro abſoluto ſuo beneplacito exegiſſe opera. Sic *Rom.* IX. 16. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* XI. 5. *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Eph.* 1. 5. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* 4. Quod viam elegerit ad ſalutem pauperibus & humilibus magis accommodatam, quàm divitiarum, ſapientiæ ac ſcientiæ typho inflatis ac tumentibus. *Matth.* XI. 25, 26. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Vide & 1 *Cor.* 1. 26, 27, 28, 29. Quod verò Deus quoſdam in particulari eligit, in eo omninò reſpicit ad eorum fidem, tanquam conditionem à ſe requiſitam, ob quam decretum electionis ipſis in particulari applicetur. Si verò reſpiciamus ad decretum reprobationis; quamvis eatenus intercedat Dei beneplacitum, quod pœnam pro arbitrio conſtituerit infidelibus ac impœnitentibus; nihilominus id juſtæ Dei iræ ac ſeveritati eſt tribuendum; quoniam per peccata ſua mortem æternam, à Deo ipſis deſtinatam, meriti ſunt.

Eſt hæc prædeſtinatio perſonarum. XII. Sed objicitur: Hanc prædeſtinationem non eſſe perſonarum, ſed fidei. Fides enim per eam prædeſtinatur conditio ad ſalutem. Reſp. Qui fidem eligit tanquam conditionem ab hominibus, ſi ad vitam eligi velint, præſtandam; ille revera homines ſub conditione fidei eligit, & in decreto ſuo directè perſonas reſpicit. Itaque hæc duo divellenda non ſunt, perſona, ejuſque qualitas; ſed conjungenda: eſtque electio & fidei, & perſonarum ſimul. Perinde ut olim in militibus Gideonis, electio conditionis fuit, ut canum inſtar aquas lamberent: ſed & perſonarum ſimul; quia in militibus, quos ſibi adjuncturus erat, hanc conditionem juſſu Dei requirebat, *Judic.* VII. 5.

Illi repugnat particularem prædeſtinatio abſoluta. XIII. Objiciunt porrò: generale decretum non eſſe decretum, ſed legem tantum: debere ergo illi præmitti particulare quoddam de quibuſdam ſalvandis ac damnandis. Reſp. 1. Ejuſmodi particulare decretum cum decreto hoc generali minimè conſiſtere poſſe. Qui enim ante decrevit certos quoſdam homines pro ſuo beneplacito ad ſalutem eligere, reliquos ad exitium deſtinare, fieri nequit, ut ille poſtea decernat in genere homines ſalvare ſub conditione fidei, aut damnare ſub conditione infidelitatis. Illa enim ſe mutuò evertunt. 2. Legem & decretum generale non eſſe adeo diſtincta, quin facile pro uno ac eodem haberi poſſint. Qui enim lege ſua obedientibus præmium, inobedientibus pœnam conſtituit, rectè etiam alteris præmium, alteris pœnam decreviſſe dicitur: præſertim id de Deo dici debet, qui legem ſuam executioni mandare decrevit. 3. Rectè dici poteſt, virtute hujus generalis decreti quemvis fidelem in particulari ad vitam æternam electum ac prædeſtinatum eſſe, & quidem ante jacta mundi fundamenta, quia quando hujus decreti generalis, ante ſecula facti, applicatio particularis ſequitur in tempore cum homines credunt; virtute hujus decreti generalis, cui particularia includuntur, etiam particulares ante ſecula prædeſtinati dici poſſunt.

Non vero, ex fide prævisa. XIV. Optimè tamen cum generali iſto decreto conſiſtere poteſt, particulare decretum ex prævîſione fidei aut infidelitatis applicatum omnibus ſalvandis ac damnandis. Tale enim decretum præſupponit conditionem ad ſalutem conſequendum ab illis eſſe præſtitam, ab his verò neglectam: eſtque aliud nihil, quàm generalis illius decreti divini applicatio ſpecialis in mente divina, ex certa præſcientia fidei ac infidelitatis ſingulorum hominum. Neque illud negari poſſe videtur, quin ſimul præſcientia divina, qua præſcit quid homo facturus vel non facturus ſit, negetur vel in dubium vocetur. Sicut enim Deus in tempore, quando homo credit, decreti ſui generalis de ſalvandis fidelibus applicationem facit; ita eandem facere dicendus eſt, quando prævidet hominem crediturum. Dices. Exinde ſequitur, ſingulorum hominum ſalutem ac damnationem jam ante ſecula ratam ac fixam eſſe; ac proinde videri non poſſe, qua ratione unicuique ſalva conſtet libertas, gratiæ divinæ ope ad ſalutem perveniendi; aut voluntaria inobedientia in damnationem incidendi. Reſp. Duo iſta non pugnare, Salutem ac damnationem hominum ratam eſſe ac fixam ſecundum præſcientiam divinam; & tamen unicuique hominum ſalvam eſſe libertatem vel virtute vel vitio ſuo ſalutem conſequendi, vel in exitium incidendi: quia præſcientia non tantum præſupponit, ſalutem poſſe acquiri per fidem & obedientiam, & ad exitium homines poſſe damnari propter infidelitatem ac impœnitentiam: ſed etiam, cùm ſalus acquiri poſſit, eam vel acquirendam vel non acquirendam, virtute vel vitio noſtro. Quia præſcientia non tantum

rem

rem futuram præsupponit, sed & omnem rei modum quo futura est. Estque hoc decretum priori decreto generali subordinatum, & ex eo deductum; ac proinde optimè cum eo consistere potest.

Finis. XV. Finis Prædestinationis, est demonstratio gloriæ Dei, *Rom.* XI. 36. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula. Eph.* I. 5, 6. *Qui prædestinavit nos,* &c. *in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Isque finis est decreti tam Reprobationis, quàm Electionis. Nam non tantum gratiosè salvando, sed & justè condemnando Deus gloriam suam illustrat. Sic *Exod.* IX. 16. *Idcirco posui* (vel, stare feci) *te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terrâ.* Hæc enim est gloria Dei & Jesu Christi Filii ejus, quod salvare possit ac velit, ac proinde salvaturus sit omnes in Jesum Christum verè credentes ipsiusque Euangelio obtemperantes; perdere autem ac damnare omnes incredulos & impœnitentes. Dices. Posito ejusmodi generali decreto, fieri posse ut nullus credat ac salvetur; quomodo ergo hoc tendit ad gloriam Dei & Christi? Resp. Honor omnes credentes salvandi, incredulos autem damnandi, Deo Christoque constat, etiamsi nullus omnino crederet, quod tamen nunquam fiet, Deusque nunquam fore præscit. Homo enim non potest Deum privare honore suo, etiamsi credere nolit, ac propterea salute excidat: quia & hic honor Dei est, talem ad se non admittere, sed punire: sed seipsum solummodò privat honore beneficiorum Christi.

Sensus Rom. XI. 33, 34. XVI. Dices. Hæc Prædestinationis doctrina ita explicata nullum continet mysterium, sed plana est ac captu facilis: Apostolus autem Paulus prædestinationem vocat imperscrutabile mysterium; *Rom.* XI. 33, 34. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Resp. Agitur manifestè illo in loco de vocatione gentium ad salutem, earumdemque in locum Judæorum incredulorum assumtione; rursus, de nova gratia Judæis, postquam plenitudo gentium intraverit, offerenda, per quam toti Israëli luculenta dabitur occasio salutem consequendi. Ea autem vocatur mysterium, non respectu temporis præsentis, quo Deus gentes ad communionem sui vocavit, & decretum de iteratò vocandis Judæis per Apostolum Paulum manifestavit; sed respectu temporis præcedentis, quo Deus decretum hoc, nulli homini revelatum, intra se occultum habuit. Tum enim verè fuit mysterium, & nulli notum. Hoc sensu vocatio gentium passim in Scriptura, & præsertim in Epist. ad Ephes. vocatur *mysterium*, & in cujus revelatione consistit multiformis sapientia Dei, *cap.* III. 10. Eodem sensu decretum de Judæis denuò vocandis Apostolus *Rom.* XI. 25. vocat *mysterium*. Et hoc sensu plura in Novo Testamento mysteria vocantur: I *Cor.* XV. 51. *Coloss.* II. 2. *Eph.* V. 32. I *Tim.* III. 16. & alibi. Malè autem colligunt: Quia decretum Dei de vocandis gentibus ante ejus revelationem fuit mysterium: etiam in eo post divinam revelationem semper remanere mysterium humano intellectui imperverstigabile. Sed si contendere velint, etiam respectu præsentis temporis mysterium vocari; quanquam id directè repugnet tenori contextus, dico, nihil in eo pro ipsis præsidii esse. Nam initio capitis hujus ostendimus duplex esse Dei decretum seu prædestinationem; una est de salute ac damnatione: altera de mediis ad salutem pervenienди, hominibus communicandis, vel etiam denegandis. Prior prædestinatio non est mysterium, eamque nos hactenus explicuimus. In posteriore verò agnoscimus incomprehensibile esse mysterium, ratione inæqualitatis, quâ Deus media ad salutem perveniendi hominibus distribuit. Non enim æqualem gratiam, Deus omnibus ubique hominibus & semper largitur. Nunc iu Christo copiosiore mensurâ gratiam suam communicat, quàm olim sub Lege & ante Legem. Imo & nunc gratiam non dispensat semper habitâ ratione minoris aut majoris dignitatis vel indignitatis personarum; sed aliquando minus dignis, seu potius magis indignis, majorem gratiæ copiam largitur, dignioribus aut minus indignis præteritis. Sic Tyro ac Sidoni non largitus est gratiam, per quam conversi fuissent; incolis autem Corazim & Bethsaida, qui eam præfractè respuerunt, illam largitus est, *Matth.* XI. 21. Quæ adoranda sunt mysteria, nobis imperscrutabilia, & à mero Dei beneplacito dependent. Dices. An non ex inæquali illa mediorum distributione colligendum est, Deum antecedente decreto quosdam ad salutem destinasse, alios autem præteriisse, & à salute mediisque ad illam ducentibus absolutè rejecisse? Resp. Nequaquam. Nam, ut in sequentibus fusius deducemus, nemo ita absolutè & in totum destitutus est gratiâ divinâ, ut nullo modo ad salutem pervenire queat: sed, licet careat gratiâ salvificâ, non tamen illa gratiæ mensurâ destitutus est, quin, si ea rectè utatur, sensim in meliorem statum transferri possit, in quo ope gratiæ salutaris ad salutem pervenire queat. Sed de hisce in sequentibus latius.

CA-

CAPUT II.

Refutatio sententiæ de absoluta Prædestinatione.

I. ITa breviter ac compendiosè vera de prædestinatione divina sententia exposita; sequitur ut aliorum opiniones inquiramus, statuentium Prædestinationem divinam esse antecedens absolutum ac inevitabile Dei decretum de singulorum hominum salute vel damnatione. Quorum variæ ac discrepantes sunt sententiæ, prout hominem diversimodè consideratum Deo prædestinanti objiciunt. Nos credimus omnes illas discrepantes opiniones ad duas commodè posse revocari.

Sententia Supralapsariorum. II. Prima sententia est eorum, qui Deo prædestinanti objiciunt hominem nondum consideratum ut lapsum, imo ne quidem ut creatum. Quorum sententiam ut rectè concipiamus, proponemus quem ordinem illi in decreto Prædestinationis concipiant, ratione prioritatis ac posterioritatis, quo Deus res unam post aliam, unamque propter aliam velit existere. Dicunt ergo, Deum primò decrevisse finem, dein media ad finem ducentia. Finis Dei ultimus est manifestatio gloriæ divinæ. Hanc deus decrevit demonstrare declaratione attributorum suorum, & præsertim misericordiæ ac justitiæ suæ: misericordiæ, electione quorundam hominum ad salutem; justitiæ vindicativæ, aliorum hominum reprobatione ac destinatione ad æternos cruciatus. Ut id efficeret Deus, decrevit ut esset subjectum miserum. Quod ut existeret, decrevit Deus hominem creare, eum libero arbitrio donare, illi legem ferre; & ne fine suo Deus excideret, voluntatem hominis liberam determinare in alteram partem, hominumque fibi permittere, ut certò seu necessariò peccaret, & in ipso omnes homines, adeoque omnes homines æternæ morti essent subjecti. Ita homine in peccatum lapso, misericordiam decrevit Deus facere electis, decernendo Mediatorem, & vocationem ad fidem ac resipiscentiam, & fidei ac pœnitentiæ in corda vocatorum infusionem per virtutem insuperabilem, ejusque perpetuam ad finem usque vitæ conservationem; ac tandem translationem ex morte in vitam æternam. Justitia autem vindicativa ut circa reprobos locum haberet, decrevit illis Deus denegare media salutaria; ex illa enim denegatione incredulitatem, impœnitentiam, & æternum tandem exitium sequi necesse est.

Infralapsariorum. III. Altera est eorum, qui Deo prædestinanti objiciunt hominem consideratum ut lapsum, & per lapsum æternæ condemnationis reum. Hi eodem ordine cum prioribus procedunt; sed primum faciunt decretum de hominis creatione; alterum de permissione efficace peccati; atque ita porrò eodem cum præcedentibus ordine pergunt.

IV. Videntur itaque hæ sententiæ aliquatenus discrepare; quia una prædestinationem præordinat lapsui; altera subordinat; altera alteram absurdo gravi premit; altera nempe, quod Deum faciat tyrannum, destinando ad exitium quem nondum decrevit creare: altera, quod Deum faciat insipientem, utpote qui creet hominem, absque certo ad quem cum destinavit fine. Attamen si rectè inspiciantur, utramque amicè inter se convenire comperiemus. Etenim licet aliud planè sit, aliquem exitio destinare: aliud, aliquem non liberare ex exitio, cui jam obnoxius est: sciendum tamen, quod illi, perinde ac priores, statuunt hominem directione divina in peccatum & miseriam lapsum. Ecquod verò discrimen est, hominem, nondum ut nocentem consideratum, destinare exitio: vel eundem non liberare ex exitio, in quod jam tuâ directione incidit, & ex quo non nisi operatione tuâ efficaci liberari potest; eumque, quia defectu tuæ operationis exinde non liberatur, æternâ pœnâ punire? Deinde, pleraque in utraque sententia conveniunt: Quod salus non destinetur, nisi paucis; absque fidei aut obedientiæ respectu: & ex illius destinationis vi media ad salutem ad inevitabiliter subministrentur, aut denegentur; &, quod caput rei est, quia tam Infralapsarii quàm Supralapsarii absolutè ajunt, peccatum reprobationis non esse causam, sed merum beneplacitum divinum. Videtur ergo hæc posterior sententia solummodò excogitata, ad vitandam vulgi offensionem, quia mollioribus verbis ac phrasibus proponi potest: interim eadem contra utramque militant absurda; & posteriores rationibus pressi subinde ad Supralapsariorum sententiam confugiunt, eamque defendere non verentur. Nos utramque simul impugnabimus, quia argumenta nostra utramque feriunt. Ita autem distribuemus disputationem nostram, ut primò argumenta simus adducturi, quibus tota Prædestinationis absolutæ doctrina, tam respectu Electionis quàm Reprobationis, evertitur: hisce subjungemus argumenta, quæ speciatim aut potissimum, absolutum Reprobationis decretum oppugnant. *Discrimen & convenientia utriusque sententiæ.*

V. Esto ergo primum nostrum generale argumentum. Quæ sententia directè invertit Sacram Scripturam, ea est manifestè falsa: Atqui sententia de absoluta prædestinatione directè invertit Sacram Scripturam: Ergo. Minor nostra variis Scripturæ Sacræ locis docetur. Ubi enim Scriptura dicit, ***Qui crediderit salvabitur, qui verò non credide-*** *1. Invertit directè Scripturam.*

crediderit condemnabitur, *Marc.* XVI. 16. *Joan.* III, 16, 36. alisque plurimis locis: ibi illa contrarium docet; qui salvabitur, seu saluti destinatus est, credet: qui non salvabitur, ille non credet. Major autem nostra exinde evidens est, quòd illa Sacræ Scripturæ inversio neutiquam veritati consona esse possit; tam enim decretum ejusmodi absolutum evertit exactionem fidei & resipiscentiæ, tanquam officii præstationem, ad obtinendum salutem, necessariam; quàm fidei & resipiscentiæ exactio ejusmodi absolutum decretum evertit. Deus enim fidem & obedientiam exigendo, ut officium necessarium ad obtinendum vitam æternam, eam constituit conditionem salutis obtinendæ; infidelitatem & contumaciam ut conditionem damnationis subeundæ. Atqui repugnantia sunt, salutem & damnationem sine conditione decernere, & postea conditiones salutis ac damnationis præscribere. Excipiunt, mirum non esse, nos hæc conciliare non posse, quoniam cogitationes & viæ Dei non sunt sicut nostræ: quia *sicut cœlum est exaltatum à terra, ita viæ Dei exaltatæ sunt à viis nostris*, &c. *Esa.* LV. 8, 9. & *incomprehensibilia sunt judicia ejus, ac viæ impervestigabiles*, *Rom.* XI. 33. Ideoque, si ratio nostra hoc non assequatur, ea abnegari debet. Resp. Scripturam nihil rationi contrarium docere, anteà fusius probavimus. Verum quidem est, non omnia Dei judicia rationis modulo metiri non posse: certum tamen est, Scripturam Deo repugnantia non adscribere; neque id loca allegata docent. Prior quippe ne verbum quidem habet de doctrina Prædestinationis, neque eam incomprehensibilem docet: sed ostendit tantum Deus, misericordiam suam erga peccatores longissimè excedere misericordiam hominum, quâ utuntur erga eos à quibus offensi sunt. Posteriore loco *Rom.* XI. agitur, uti vidimus, de inæqualitate dispensationis mediorum ad salutem, non autem de quorundam absoluta à salute exclusione: adeo ut turpiter loco illo abutantur. Cùm enim Apostolus illic deprædicet summam Dei sapientiam, illi locum hunc applicant actioni, quam Deo affingunt, in qua nulla sapientiæ ratio deprehendi potest: uti in sequentibus fusius videbimus.

2. Comparata est, omnem religionem exstinguere.

VI. Secundum argumentum. Quæ doctrina ita est comparata, ut toti religioni perniciem inducat, illa est falsa: At talis est doctrina de absoluta Prædestinatione: Ergo. Argumenti hujus majorem ut probemus, nihil est necesse; neque ea à quopiam Christiano in dubium vocari potest. Minor autem comprobatur aliquot rationibus.

Quia apta est in aliis

VII. Prima est: Quia doctrina de absoluta Prædestinatione apta est in iis, qui se electos credunt, producere securitatem carnalem; in aliis verò, qui se reproborum numero contineri credunt, desperationem: quæ duo omnis religionis pestes sunt. Etenim cum Prædestinatio sit decretum Dei de omnium hominum salute vel damnatione, necesse est ut omnes ac singuli homines vel electorum vel reproborum numero contineantur. Cùm autem decretum Prædestinationis adeo sit immutabile, ut electus nullis peccatis è gratia Dei excidere queat, nec reprobus salutem adipisci, etiamsi omnia sanctorum opera faciat: exinde juxta doctrinæ illius genium necesse est, ut in eo, qui se electum credit, exoriatur securitas, in eo verò, qui se reprobum opinatur, desperatio. Excipiunt, id minimè sequi, quoniam nemini prædestinationis suæ arcanum revelatum est. Resp. Esto: certus tamen est unusquisque, quoniam juxta hanc sententiam universum genus humanum in duas distributum est partes, se sub alterutra comprehendi; decretumque divinum adeo esse irrevocabile, ut ab uno statu ad alium nullus detur transitus. Dices: Multi tamen, hac doctrinâ imbuti, piè vivunt. Resp. Non dicimus, quid doctrina illa in omnibus efficiat, sed quid efficere apta sit, si genius illius rectè inspiciatur. Quod si in aliis illum effectum non producat, fit id singulari gratiâ divinâ, quod doctrinæ illius genium non attendant, sed magis ad clara Dei præcepta respiciant. Possunt quippe duæ doctrinæ repugnantes simul in mente hominis locum habere, quamdiu theoreticè solum menti inhærent; ita ut homo repugnantiam illam non animadvertat, nec una alteri præponderare videatur: quando verò ad praxin deducenda est doctrina, repugnantia illa efficit, ut una doctrina alteri præponderet, & praxis ostendit, doctrinam illam præponderare, cujus genium praxis sequitur. In illis ergo, qui absolutæ prædestinationis doctrinæ imbuti piè vivunt, in ipsa doctrinæ applicatione ad praxin vitæ, præponderant clara præcepta Dei doctrinæ theoreticè solùm in mente receptæ. Excipiunt. Officium hominis consistere posse cum absoluto Dei decreto, docent nos duo Scripturæ loca: *Phil.* II. 12. *Operamini salutem vestram cum timore ac tremore*: *Quoniam est Deus qui operatur in vobis velle & perficere secundum beneplacitum suum.* Et *Act.* XXVII. 22. postquam Paulus dixerat, *amissio nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis*: nihilominus cùm nautæ è navi aufugere vellent, dixit militibus, *nisi hi in navi manserint, vos salvi esse non potestis*, *vers.* 31. Resp. In priore loco non agitur de æterna Prædestinatione, sed de operatione divinâ, quâ in tempore versatur circa fideles. 2. Nec etiam agitur de operatione irresistibili, quæ ex Prædestinatione flue-

producere securitatem carnalem, in aliis vero desperationem.

re creditur; sed quæ cum libera obedientia optimè consistit: quia dicit, *operamini salutem cum timore ac tremore*: uti in sequentibus videbimus. Promissionem *Act.* XXVII. 22. Paulo Apostolo factam absolutam non fuisse, sed tacitam in se habuisse inclusam conditionem, salvos nempe fore omnes qui in navi erant, si operam omnem adhibeant, & consilio Pauli morem gerant; liquet tum ex *vers.* 24. ubi dicitur expressè, *κεχάρισαί σοι*, id est, *gratificatus est* Deus tibi omnes, seu in gratiam tuam omnes est servaturus, ut exinde constet te ejus esse legatum: tum ex verbis ex *vers.* 31. allegatis, quæ vera esse non possent, si promissio fuisset absoluta. Dices. Qui prædestinationem absolutam statuunt, dicunt etiam Deum adhibere media, quibus obtineat quod decrevit. Resp. Ita est: Sed quia dicunt Deum ea adhibere, & efficere, manifestè ea hominis sollicitudini ac curæ eximunt: aliud namque est, Deum ipsum media illa efficere; aliud hominibus officium, tanquam conditionem salutis obtinendæ præscribere, ut ipsi illud præstent. Quia ergo Deus ipse omnipotentiâ suâ media hæc in electis efficit, in reprobis autem efficere non vult, securitatem in illis, qui se electos, in iis vero, qui se reprobos credunt, desperationem oriri, si doctrinæ istius genium rectè attendant, necesse est.

Quia curam pietatis extinguit. VIII. Secunda: Quia omnem pietatis sectandæ & impietatis fugiendæ curam extinguit: quia curam illam reddit inutilem. Argumenti hujus consequentia comprobatur dicto Salvatoris nostri, *Matth.* VI. 27. dehortari namque volens homines à curis hujus vitæ, hac tanquam validissimâ utitur ratione, quod ea sit inutilis, & quòd homo per illam nihilo magis possit proficere, quàm si curâ suâ studeat cubitum staturæ suæ addere. Doctrinam autem absolutæ Prædestinationis omnem pietatis sectandæ curam inutilem reddere, exinde liquet: quia stante ejusmodi decreto, cura pietatis id efficere non potest, ad quod exigitur; exigitur enim pietas, ut per eam, tanquam conditionem necessariò requisitam, homo perveniat ad salutem æternam: prohibetur impietas, ne homo ob illam ad æternum exitium condemnetur: At, positâ absolutâ prædestinatione, nec reprobus per pietatis studium ad salutem pervenire, nec damnationem evadere potest: nec electus per pietatis neglectum salute excidere, nec damnationem incurrere potest. Sed dicunt: Deus, qui decrevit finem, decrevit etiam media, quæ ad finem ducunt. Resp. Sed docent media illa ex decreto Dei fluere necessariò, Deumque ea in electis virtute insuperabili operari, & in quibus ea hoc modo non operatur, illos iis necessariò destitui. Volunt itaque, non esse media, quæ homo operatur, ut salutem tanquam præmium sibi propositum obtineat; sed quæ ipse Deus efficit, ut finem à se intentum assequatur. Inutilis ergo in homine est cura de re, quæ solius Dei omnipotentiam exserentis opus est; quæque non minus extra potestatem hominis est, quam mortuos excitare, aut manu cœlum tangere.

IX. Tertia ratio ex duabus prioribus fluit: Quia per hanc sententiam omne studium precum ineptum redditur. Frustra quippe fatigatur Deus precibus, qui jam ab æterno irrevocabile decretum de cujusque hominis salute ac damnatione, mediisque eò ducentibus fecit. Quod enim decrevit non dare, nunquam, etiamsi oretur, dabit: quod dare decrevit, nemo irritum reddet, etiamsi preces negligat. Dices. Reprobi à Deo gratiam, qua converti possunt, petere nolunt. Resp. Id fit, ex ipsorum sententia, quia Deus illos ita perversos condidit, ut absque speciali ipsius gratia eam petere non possint; Deus autem gratiam illam iis donare non vult, ut possint velle gratiam illam à Deo petere. Dices. Deus tamen constituit salutem non dare absque precibus. Resp. Ex ipsorum sententia Deus preces excitabit in illis, quibus salutem dare decrevit: quos verò præteriit, in illis preces non excitabit. Atqui sic officium hominis mutatur in actionem divinam, omnisque precum cura tollitur. *Et studium precum ineptum reddit.*

X. Tertiò. Per hanc sententiam evertitur meritum Christi; illud enim, stante ejusmodi decreto, non est meritum gratiæ & reconciliationis, sed salutis. Quod quoniam antea, de muneribus Christi agentes, fusius deduximus, hic jam paucis indicasse sufficiat. *3. Evertit meritum Christi.*

XI. Hisce accedat quartum argumentum, speciatim sententiam Supralapsariorum impugnans: Quod per suam sententiam naturalem rerum ordinem invertant. Quia statuunt decretum de æterna salute ac damnatione illius, de cujus creatione Deus nullum fecit decretum: Atqui planè ordini rerum naturali contrarium est, de salute ac damnatione æterna illius disponere, qui nec actu est, nec potentia in suis causis: cùm enim Deus prima omnium rerum causa sit, ille, cujus creationem Deus nondum decrevit, ne quidem potentia in causa sua est. Sic non homo creandus, sed creabilis tantum prædestinationis objectum foret: Atqui homo creabilis dici non potest prædestinatus, sed prædestinabilis tantum: imo ne hoc quidem: quia, nondum posito decreto Dei de creatione, homo ne à Deo quidem ipso considerari poterat ut ens, ac proinde nec idoneum prædestinationis objectum. Dices: Naturalem rerum ordinem exigere, ut quod primum est in executione, ultimum sit in intentione: & vice versa. Resp. 1. Illud sem- *4. Invertit naturalem ordinem.*

ſemper locum non habet in finibus ſubordinatis, ſed ultimis tantum: licet autem quandoque Contraremonſtrantes concedant gloriam quorundam, aliorum verò exitium, eſſe finem Dei ultimum, ut *Piſcator contra Schafman: pag.* 27. tamen plerumque id negant, gloriamque Dei ultimum ejus eſſe finem, hunc verò illi ſubordinatum volunt. 2. Id ſolummodò locum habet in finibus abſolutè intentis, & per modum finis: non autem in finibus intentis per modum præmii conferendi illi, qui conditionem ad præmium requiſitam præſtiterit. Hic enim exigit ordo, ut prius intendatur conditio, quàm finis ſive præmium; ac proinde homo prius conſideretur fidelis, quàm deſtinetur ad ſalutem, tanquam fidei ſuæ præmium. Atqui hoc modo Deum in negotio ſalutis procedere, patet in executione decreti ſui; non enim vitam æternam confert, niſi per modum præmii; neque damnationem infligit, niſi per modum pœnæ. Executio autem intentioni divinæ ut reſpondeat, neceſſe eſt; aliàs pugna eſſet inter decretum & ejus executionem.

CAPUT III.

Chriſtum pro omnibus hominibus eſſe mortuum.

Argumenta contra reprobationem abſolutam.

I. HActenus propoſuimus argumenta noſtra, quibus integrum Prædeſtinationis decretum, tam reſpectu Electionis quàm Reprobationis abſolutæ impugnatur. Nunc pergemus ad alteram argumentorum claſſem, quæ Reprobationis abſolutæ decretum ſpeciatim, aut ſaltem potiſſimum, oppugnant.

Chriſtus pro omnibus eſt mortuus.

II. Eſto ergo primum principale noſtrum argumentum. Chriſtus ex decreto & intentione Patris, mortuus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus, ut iis gratiam & remiſſionem peccatorum impetret, nemine ſpeciatim excepto: Ergo Deus neminem antecedente decreto abſolutè a ſalute reprobavit. Antecedens variis ex Scriptura depromtis argumentis probamus.

Probatur 1 locis illis, ubi dicitur pro omnibus mortuus.

III. Primum ſuppeditant nobis omnia illa loca, quibus expreſſè Chriſtus dicitur pro omnibus eſſe mortuus: quorum quædam intentionem Dei Patris declarant, quod Chriſtum pro omnibus mori voluerit, ſeu Chriſtum tradiderit, ut pro omnibus moreretur: ut *Eſa.* LIII. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Rom.* VIII. 32. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quædam de ipſo Chriſto pronuntiant, quod pro omnibus mortuus ſit: 2 *Corinth.* V. 14, 15. *Charitas Chriſti urget nos; æſtimantes hoc, quoniam ſi nunc pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus; ut & qui vivunt non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* 1 *Tim.* II. 6. *Qui dedit redemtionem ſemetipſum pro omnibus. Hebr.* II. 6. *Ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.*

Omnes, non ſignificat genera ſingulorum, ſed ſingula generum.

IV. Excipiunt hic: *Omnes* non denotare ſingula generum, quaſi Chriſtus pro omnibus ac ſingulis hominibus ſit mortuus, ſed genera ſingulorum, quod pro omnis generis hominibus ſit mortuus. Unde & Beza, ne ejuſmodi textus ipſius opinioni repugnarent, omnibus illis locis vocem πάντες tranſtulit per *quoſvis*. Et hoc ſenſu vocem *omnis* ſæpius in Scriptura accipi contendunt: Ut *Geneſ.* VII. 14. *Joël* II. 28. *Matth.* IV. 23. IX. 35. *Luc.* XI. 42. *Act.* X. 12. *Eph.* I. 3, 8. *Hebr.* XIII. 4. 1 *Cor.* X. 33. 1 *Tim.* II. 8. Quibus addi poſſunt *Joan.* III. 26. *Marc.* I. 5. & 33. Reſp. 1. Hæc locorum horum expoſitio ſi admittatur, dicendum, nullum eſſe penitus hominum genus, ex quo non ſint aliqui, quin pro iis Chriſtus ſit mortuus. Atqui unde id conſtare poteſt, ſi Chriſtus non pro omnibus ac ſingulis mortuus eſt? Deinde, inter omnia hominum genera ſunt etiam impii ac impœnitentes ad mortem uſque: pro quibuſdam ergo talium etiam Chriſtus mortuus eſt, ac per conſequens, juxta ipſorum ſententiam, quidam ex illis ſalvabuntur. Quod abſurdum. 2. Poſſet ſecundum hanc expoſitionem multò juſtius dici de omnibus, Chriſtum non eſſe mortuum pro ipſis, aut potius pro nullis eſſe mortuum; quia in omnibus ſtatibus, ſecundum ipſos, multò plures ſunt pro quibus Chriſtus mortuus non eſt: atque hac ratione omnes, id eſt, quivis homines e mortis Chriſti beneficiis excluſi dicendi ſunt. 3. Vox *omnes*, quando ſumitur ſpecie ſpecialiſſima, non poteſt denotare genera ſingulorum; ſed ſolummodò quando dicitur de re, cujus diverſæ ſunt ſpecies. Homo autem ſpecies eſt ſpecialiſſima, nullam inferiorem ſub ſe habens ſpeciem. Dices. Non intelliguntur genera philoſophica, ſed politica, in quæ diſtributum eſt genus humanum. Reſp. Quæritur an ex uſu Scripturæ ſit, ut vox *omnes*, de ea ſpecie dicta, quæ apud Logicos vocatur ſpecialiſſima, ſignificet non ſingula ejus individua, ſed genera politica. Nullum ejuſmodi in locis allegatis profertur exemplum. *Geneſ.* VII. 14. *Matth.* IV. 23. IX. 35. *Luc.* XI. 42. *Act.* X. 12. non agunt de ſpecie ſpecialiſſima: animalia enim, languores ac morbi, olera, ſpecies ſunt ſubalternæ, inferiores ſub ſe habentes ſpecies. Idem dici poteſt de benedictione cœleſti, ac ſapientia, *Eph.* I. 3, 8. quanquam nec vetat *omnem* ibi accipere pro tota ſeu integra. 1 *Tim.* II. 8. non agitur de generibus locorum, ſed de ſingulis locis in quibus viri ſunt. *Joan.* III. 26. & *Marc.* I. 5, 33. non magis genera ſingu-

singulorum, quam singula generum intelliguntur. Sed verò in locis hisce est hyperbole, tali in casu usitatissima. 4. Circumstantiæ quorundam locorum aliquando vocis *omnis* restrictionem ac limitationem quandam requirunt; ut *Joel.* II. 28. manifestum est, restringi ad fideles: *Hebr.* XIII, 4. manifestè respiciuntur conjuges. 1 *Cor.* X. 33. clarum est, tantum respici eos, quibuscum Paulus versatus fuerat. In locis autem, in quibus Christus *pro omnibus* dicitur *mortuus*, nullæ occurrunt circumstantiæ, quæ ejusmodi restrictionem requirunt; imo in quibusdam reperiuntur circumstantiæ, quæ omnem restrictionem manifestè excludunt; ut *Esa.* LIII. 6. nam in initio versus dicitur, *omnes nos quasi oves erravimus*, &c. quæ de omnibus nemine excepto intelligenda esse, ipsi fatentur. Manifestum est ergo, vocem *omnes* in posteriore versus parte, immediatè cum priore connexa, eodem significatu esse accipiendam. Et 2 *Cor.* V. 14, 15. non posse cum quibusdam admitti illam restrictionem, ut *omnes* denotet omnes qui sibi & peccato mortui sunt, liquet, quoniam ibidem dicitur finis morientis Christi pro omnibus is esse, ut non sibi vivant, sed Christo pro se mortuo: ergo in eo statu pro ipsis mortuus est, ut nondum peccato mortuis.

2. *Ubi dicitur mortuus pro mundo. Joan.* III. 16. *Mundus non significat electos.* V. Secundum desumimus ex locis omnibus, ubi Christus dicitur pro *mundo* mortuus. Quorum primus occurrit *Joan.* III. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum, ut quicunque in eum credit non pereat sed habeat vitam æternam. Mundus* autem denotat omnes in genere homines. Excipiunt: *Mundus* sæpius non omnes homines, aut integrum mundum, sed magnam duntaxat mundi partem denotare: ut *Joan.* VII. 4. *Si hæc facias, manifesta teipsum mundo.* XII. 19. *Mundus ipsum sequitur.* Imo & voces *totus mundus*, *Luc.* II. 1. *Apoc.* XII. 9. Ita etiam *mundum* hic denotare partem mundi, nimirum electos, quibus solis Christus datus sit in Servatorem. *Resp.* Nos non illubentes concedere, vocem *mundi* non semper denotare integrum mundum, sed magnam mundi partem; idque ex verborum circumstantiis facile liquere: nunquam tamen in Scriptura per *mundum* denotari electos. Improbi & peccatores, electis & fidelibus oppositi, aliquoties vocantur *mundus*: ut *Joan.* XIV. 17. *Spiritum veritatis mundus non potest accipere. Cap.* XVII. 9. Christus dicit, *non rogo pro mundo*; quo loco ipsi urgent reprobos electis oppositos intelligi: & 1 *Joh.* V. 19. *Totus mundus in maligno positus est.* Unde & diabolus *princeps mundi* vocatur *Joan.* XIV. 30. Nunquam verò electi: sed illi dicuntur *è mundo* esse *electi*, *Joan.* XV. 19. Dices: Dominus *Joan.* IV. 42. vocatur *Salvator mundi*: & *cap.* VI. 52. *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ.* Non autem salvat totum mundum, aut vitam dat toti mundo, sed solis electis. *Resp.* Illis in locis voce *mundi* omnes in genere homines designari; quos Christus *salvare*, quibusque *vitam dare* dicitur, quia præstat quicquid ad salutem ipsorum procurandum requiritur; licet mundus totus reipsa non salvetur, quia gratiosam Domini Jesu actionem recipere non vult. Hoc sensu dicitur *Joan.* I. 9. *lux quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum*: quia facit quicquid ad illuminandum homines requiritur, etiamsi non omnes actu illuminentur, quia *dilexerunt tenebras magis quàm lucem*, uti dicitur *Joan.* III. 19. Verba nempe actionem significantia non semper ipsam actionem denotant; sed præstationem solummodò omnium ad actionem illam eliciendum requisitorum, licet actio ipsa, vitio hominum operationem illam recipientium, non sequatur; ut *Ezech.* XXIV. 13. *Immundities tua execrabilis; quia mundavi te, & mundata non es à sordibus tuis. Ose.* VII. 1. *Cum sanarem Israël, revelata est iniquitas Ephraim.* Et *Rom.* II. 4, 5. dicitur *longanimitas Dei ad pœnitentiam ducere eos, qui pro corde suo impœnitente sibi thesaurizant iram.* 3. Fac verò vocem *mundi* nonnunquam denotare electos, loci tamen hujus conditio illam expositionem neutiquam fert; quia additur, *ut omnis qui credit non pereat, sed habeat vitam æternam.* Inde enim liquet quosdam eorum, pro quibus Christus in mortem traditus est, posse non credere ac perire: aliàs inepta esset locutio: quod cum de electis non concessuri sint, sequitur voce *mundi* etiam alios comprehendi quàm electos, &, ut nos diximus, omnes homines. Dicunt. Intelligi illum mundum quem Deus dilexit; Deus autem reprobos nunquam dilexit, sed solos electos. *Resp.* Non agitur de amore Dei amicitiæ aut complacentiæ, qui cum destinatione ad salutem immediatè conjunctus est, & beneficiorum morte Christi partorum specialem ac propiorem applicationem continet; ille enim erga solos sese exserit fideles, qui jam in Christum pro omnibus mortuum credunt: sed de amore benevolentiæ, quem & antecedentem vocavimus, quo Deus erga omnes homines benevolus est, omnibusque gratiam facere & salutem dare decrevit, modò in Christum credant. Illeque amor universalis est erga omnes, & ex illo missio Christi in mundum profluxit; uti liquet ex loco *Joan.* III. 16. de cujus sensu nunc agimus, & 1 *Joan.* IV. 10. aliisque.

VI. Secundus locus est 2 *Corinth.* V. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata ipsorum.* &c. Excipiunt, per *mundum* intelligi electos, idque exinde liquere, quia dicitur Deus *mundum* 2 *Cor.* V. 19.

dum sibi reconciliasse, & *peccata non imputasse*. Nullos autem sibi reconciliavit nisi electos, eorumque solorum peccata non imputavit. Resp. 1. Nos jam ostendisse, esse contra Scripturæ stylum, per *mundum* electos intelligere. 2. Nec hic textus permittit, per *mundum* electos posse intelligi, quia omnes reconciliati dicuntur, ad quos reconciliationis sermo est missus, qui est sermo Euangelii: ille autem non ad solos absolutè electos, sed ad omnes indifferenter homines missus est. 3. Quod ipsorum rationem attinet, dicimus reconciliationem dupliciter considerari posse: vel quatenus Deus morte Christi placatur, ut ob præcedentia peccata homines punire non velit, sed iram deponat, fœdusque gratiæ cum hominibus erigat, paratus omnibus fœderis novi conditiones servantibus, salutem æternam dare: hæcque est universalis erga omnes: vel quatenus est propior illius reconciliationis applicatio, credenti facta; quæque cum destinatione ad salutem immediatè est connexa. Hic Apostolus respicit reconciliationem, priore modo consideratam; quod manifestè verba sequentia arguunt: postquam enim dixit, Deum sibi mundum reconciliasse in Christo, ipsisque non imputasse peccata, & verbum reconciliationis in Apostolorum ore posuisse; addit, *Nos itaque legatione nomine Dei fungentes, oramus, reconciliamini Deo*. Si enim in initio propiorem illam reconciliationem intellexisset, quomodo reconciliatos illos orare potuisset, *reconciliamini Deo?*

1 Joan. II. 1, 2. VII. Tertius locus est 1 *Joan.* II. 1, 2. *Filioli hæc scribo vobis ne peccetis: Si quis verò peccaverit, habemus advocatum apud Patrem Jesum Christum justum: Ipseque est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantum, sed & totius mundi*. Hic manifestè dicitur Christum non pro *nostris*, id est, fidelium *tantum*, sed & *pro totius mundi peccatis propitiationem* esse factam. Ad hunc tam clarum locum varia excipiunt. 1. Per *peccata totius mundi*, electorum solummodò peccata intelligenda esse: sed Apostolum innuere, alios esse electos ex Judæis, alios ex gentibus: Apostolum itaque, ut fastum Judæorum, sibi solis Messiam esse missum credentium, retundat, dicere, Christum esse propitiationem factum, non tantum pro peccatis electorum ex Judæis, sed & electorum totius mundi. Resp. 1. Epistola hæc est catholica ad fideles ex omnibus gentibus missa, neque solis Judæis inscripta: ergo per *peccata nostra* jam Apostolus omnium fidelium peccata intellexit. Quæ ergo sunt peccata illa *totius mundi?* Sanè illa alia esse non possunt, quàm omnium indifferenter hominum. Adeo ut Apostoli mens sit, non pro fidelium tantum, sed & totius mundi peccatis Christum esse propitiationem factum. 2. Tollitur vis & fundamentum consolationis peccatori propositæ *vers.* 1. Quomodo enim certus erit, se habere Christum apud Patrem advocatum, si ipsius propitiatio non sit omnibus peccatoribus communis, sed quibusdam solummodò absolutè electis peculiaris? Excipiunt 2. Christum dici pro totius mundi peccatis esse propitiationem, quia pro omnibus hominibus sufficienter est mortuus; id est, quia mors ejus in se spectata sufficiens est pretium omnibus hominibus redimendis. Resp. Non quærimus de sufficientia & valore mortis Christi in se spectatæ; sed de sufficientia in ordine ad alios, pro quibus Deus pretium sanguinis Christi sufficienter datum, & per consequens quibus mortis Christi meritum prodesse voluit. Aliàs similiter præcedentis consolationis vis planè tollitur. Quæ enim consolationis ratio peccatori esse potest, Jesum Christum esse sufficiens propitiationis omnium totius mundi peccatorum pretium; sed tamen sanguinem suum non nisi pro paucis quibusdam electis effudisse, aliisque illius meritum nullo modo velle esse commune? Quid prodest peccatori, sanguinis Christi pretium omnibus redimendis esse sufficiens, si ipse antecedente Dei decreto ab illo beneficio sit exclusus?

VIII. Tertium argumentum desumimus ex illis locis, ubi Dominus Jesus dicitur *venisse in mundum, ut peccatores salvos faciat*, 1 *Tim:* I. 15. & *ut quærat & salvum faciat quod perierat*, *Luc.* XIX. 10. *Matth.* XVIII. 11. Quod sine mortis suæ interventu facere non potuit. Cum itaque Scripturæ dictio sit indefinita, nullam habens limitationem aut restrictionem, ex qua appareat, ad quosdam solummodò peccatores salvandum Jesum in mundum venisse; rectè colligimus, pro peccatoribus indefinitè Christum esse mortuum; ac proinde non pro solis electis, sed omnibus peccatoribus, imo omnibus hominibus, quoniam omnes peccatores, esse mortuum. *4. Ubi dicitur mortuus pro peccatoribus.*

IX. Quartum argumentum nobis suppeditant illa loca, in quibus Christus dicitur mortuus pro iis qui perire possunt: Ergo non pro solis electis & salvandis est mortuus, sed & pro iis qui perire possunt, imo & pro pereuntibus. Antecedens argumenti nostri aliquot Scripturæ locis probamus. Primus extat *Rom.* XIV. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Alter illi parallelus 1. *Cor.* VIII. 11. *Sic peribit scientia tua frater tuus infirmus, pro quo Christus mortuus est*. Excipiunt. 1. Non agi de verè fidelibus, sed de iis qui tales apparebant, & pro quibus Christus judicio charitatis mortuus censeri debet. Resp. Exceptionem hanc utriusque capitis scopo esse adversam. Voluit enim Apostolus peccatum eorum, qui intempestivo rerum indifferentium esu *4. Pro iis qui pereunt. Rom. XIV. 15. 1 Cor. VIII. 11.*

infirmo fratri offendiculum præbebant, exaggerare, hac adhibita ratione, quod perderent illum, pro quo Christus mortuus est; quæ ratio cessaret, si Christus revera pro ipsis mortuus non sit, sed judicio tantum charitatis mortuus censeri debet. Excipiunt 2. Non dici quid eventurum sit, sed tantum quò tendat offendiculum, quod fratri infirmo præbetur, nempe in illius perditionem; quoniam ille, qui offendiculum præbet, quantum in se est, fratrem infirmum in perditionem ducit; in quam etiam ruiturus esset, nisi illum Deus potente sua gratia sustentaret. Resp. Nec nos dicimus semper fratris infirmi perditionem secuturam, sive is scandalum accipiat, sive non: sed Apostolum docere, non tantum quo offendiculum natura sua tendat, sed & quid efficere possit, nempe ut infirmus frater peccet; &, si contingat fratrem peccare, quid porro id peccatum effecturum sit, illius nempe perditionem. Quod nisi concedatur, omnis rationis vis perit: quæ hæc foret: Cave ne fratri infirmo offendiculum præbeas; quia per id, quantum in te est, fratrem infirmum ad perditionem ducis, quem tamen perdere neutiquam potes. In rebus possibilibus ejusmodi dehortatio locum habere potest, non autem in impossibilibus.

Hebr. x. 29. X. Tertius locus est *Hebr.* x. 29. *Quantò putatis acerbiora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Excipiunt, hic non agi de verè fidelibus, sed iis solummódo, quos externa fidei professio separaverat. Resp. Non dicuntur externa professione, sed sanguine Testamenti seu Jesu Christi esse sanctificati: quod fieri nequit, si pro ipsis non est fusus.

2 Pet. II. 1. XI, Illi addimus quartum locum 2 *Pet.* II. 1. *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit ipsos Dominum negabunt.* Excipiunt. Non agi de redemtione per mortem Christi, non enim dicitur λυτρώσας, sed ἀγοράσας: sed de emtione seu liberatione à peccatis gentilium per agnitionem doctrinæ Jesu Christi, uti liquet ex *vers.* 20. nec loquitur Petrus de abnegatione qua Christus abnegatur, sed Deus Pater: non enim dicitur ὁ κύριος, quo nomine Christus communiter designari solet, sed δεσπότης. Resp. 1. Notitiam Christi semper includere etiam mortis Christi notitiam; sic Paulus 1 *Cor.* II. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Conjungenda itaque doctrina cum cruce. Doctrina sola, quatenus à morte Christi distinguitur, non liberat a peccatis; sed quatenus morti Christi conjuncta est. 2. Qui per doctrinæ Christi cognitionem liberati sunt à vitiis gentilium, & inquinamenta mundi verè effugerunt, etiam morte Christi redemti sunt; quia non obtingit ejusmodi liberatio nisi per mortem Christi, 1 *Pet.* I. 18, 19. *Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento, redemti estis de vana vestra conversatione à patribus tradita; sed pretioso sanguine Christi tanquam agni immaculati.* 3. Vox ἀγοράζειν æque accipitur de redemtione per mortem Christi, quam λυτροῦν, 1 *Cor.* VI. 20. VII. 23. *Apoc.* V. 9. 4. Licet fateamur, vocem κύριος ordinariè denotare Christum; tamen nihil vetat aut vocem δεσπότης Christo etiam applicare, perinde uti secundum illos *Jud. vers.* 4. vel dicere, Deum illos dici emisse, quatenus eos Filii sui pro ipsis mortui sanguine emit: perinde uti *Ecclesiam proprio sanguine*, id est Filii sui, *sibi acquisivisse* dicitur, *Act.* XX. 28. 5. Si Deum Patrem abnegant, multò magis & Christum Patris legatum abnegant; quia illius abnegatione etiam Christus abnegatur. Si enim Pater eos à vitiis gentilium emit per cognitionem Christi, etiam, ut vidimus, Christus pro ipsis mortuus est. Patrem itaque & illius emtionem abnegando, etiam Christum, mortisque ipsius pretium pro ipsis persolutum, abnegant. Excipiunt porrò; Dicuntur à Domino empti, non quia revera emti sunt, sed quia ex judicio charitatis emti censentur. Resp. Judicium charitatis locum habere potest circa eos, qui nihil sciuntur admisisse eo statu in quo censentur indignum. Hic autem de iis sermo est, quos Apostolus certò scit Dei esse hostes, & perditionem celerem sibi superducunt: erga quos judicium charitatis locum habere nequit.

XII. Quintum argumentum desumitur à variis absurdis, quibus sententia contraria urgetur. Quorum primum ita evincimus. *5. Absurdis variis, 1. Omnes tenentur credere Christum pro se esse mortuum.* Omnes quibus Christus annuntiatur, tenentur credere Christum pro se esse mortuum; quia omnibus præcipitur ut in Christum credant: credere autem non possunt in Christum, nisi statuendo illum suum esse Servatorem, ac proinde pro se esse mortuum. Exinde autem sequitur, Christum pro omnibus esse mortuum; aliàs omnes illi, pro quibus Christus non est mortuus, obligati essent credere rei falsæ; atque ita falsum posset esse fidei divinæ objectum. Quod quam maximè est absurdum.

XIII. Respondent quidam, inter alios *Maccovius in locis communibus*, *Cap.* 71. & Piscator in *Resp. ad Vorstii Duplic. pag* 74. absurdum non esse homines obstringi ut credant rei falsæ. *Non potest autem homo obstringi, ut credat rei falsæ.* Verùm doctrina hæc adeo est absurda & ab omni ratione aliena, ut vix sani hominis mentem subire posse videatur. Pugnat enim cum Dei sanctitate, veracitate ac sinceritate, ut homines, proposita pœna mortis æternæ, constringat ad fidem adhibendum rei falsæ. 2. Si falsum fidei divinæ possit esse objectum, omnis de veri-

tate

tate Religionis Christianæ certitudo tollitur.

Qui credit in Christum credere debet, Christum pro se mortuum.

XIV. Alii ergo, id tanquam absurdum abhorrentes, excipiunt. Primò ad argumenti nostri antecedens: non requiri necessariò ut quis credat in Christum, ut credat Christum pro se mortuum; sufficere hic præceptum divinum: Sicuti necessarium non est illi, qui medicinam sumit ad corporis medelam, ut prius intelligat, eam sibi fuisse destinatam ex intentione ejus, à quo composita fuit & præparata. *Resp.* Similitudo est admodum dissimilis; 1. Non enim illi, qui medicinam sumturus est, præcipitur aliquid credendum, sed faciendum. 2. Medicinam assumere nequit, nisi & sibi porrigatur: exinde itaque certus est, medicinam illam sicut pro aliis, ita & pro se esse paratam. 3. Ut medicinam illam petere velit, necessum est ut statuat, medicum, qui solus eam in potestate sua habet, ipsum nominatim non exclusisse ex eorum numero, quibus eam impartiri velit; aliàs se frustra eam petere novit. At illi statuunt Deum, penes quem solum dispensatio est beneficiorum per mortem Christi acquisitorum, à beneficiis illis exclusisse omnes reprobos; non ergo credere possunt, sibi in Christo medicinam paratum, nec eam petere. Sicuti ictus à serpente, ex eo quod serpens æneus omnibus generale remedium erat datus sanationis, colligere potuit, & sibi in adspectu illius serpentis remedium esse paratum; si quis vero statueret, se specialiter à beneficio isto exclusum, nullo modo adduci posset, ut serpentem intueretur.

Etiam antequam est conversus.

XV. Alii excipiunt: Omnes quidem teneri assentiri generalibus enuntiationibus, Quicunque credit salvabitur, & pro eo Christus est mortuus; quæ passim in Euangelio exstant; non autem, Christum pro se esse mortuum, quamdiu in peccatis perseverant, sed solummodò quando ab iis sunt conversi. *Resp.* 1. Ipsos duo inter se confundere maximè disjuncta; scilicet præceptum credendi in Christum, cum plenariæ remissionis promissione ipsi addita: præceptum non est conditionatum, crede si resipiscas; cùm, etiam juxta ipsos, resipiscentia ex fide procedat; sed promissum. 2. Aliud est, credere Christum pro se esse mortuum, peccatorumque remissionem impetrasse; aliud, credere, se jam remissionis per Christum impetratæ plenariam applicationem obtinuisse. Prius est officium fidei nobis præscriptum, omnisque virtutis in nobis radix & mater: alterum est beneficium divinum fidem nostram consequens, & specialis applicatio beneficii omnibus in genere impetrati, facta illi, qui jam officium suum præstat. 3. Antea jam debet esse verum, Christum pro homine esse mortuum, antequam Christum pro se mortuum esse credere possit: fides enim Dei decretum non mutat; sive enim homo credat, sive non credat, jam ante definitum est, juxta ipsos, pro quibus Christus mortuus sit, idque à fidei conditione non pendet. Quin & hæc ipsa fidei essentia est, statuere se per mortem & justitiam Christi esse liberatum à condemnatione. Quæro igitur, quam fidem & resipiscentiam in homine exigant, quæ hanc præcedat, & ex qua homo dignoscere debet, Christum pro se esse mortuum, ut ita illud firma fide apprehendere possit?

Non tantum bonum, sed & verum est fidei objectum.

XVI. Secundò excipiunt ad consequentiam: Verum non esse propriè fidei objectum, sed bonum. *Resp.* 1. Fidei diversos esse actus, non tantum fiduciam, sed & assensum; & hunc quidem si non tempore, ordine saltem naturæ præcedere fiduciam: sicut verò fiduciæ objectum est bonum, ita etiam assensus objectum est verum. Duo itaque hæc sejungi non debent, imo sicut fiduciam præcedit assensus, ita etiam verum concipi & esse debet, quod apprehenditur ut bonum. 2. Bonum, quod fidei objectum volunt, illis tantum bonum est, quibus ab æterno est destinatum; reliquis non est bonum: ergo illi solum, quibus id destinatum est, tenebuntur id credere, reliqui non. Ergo si non credant in Christum, eo ipso non peccabunt. Qui enim non præstat id, ad quod obligatus non est, eo ipso non peccat. Atqui hoc absurdissimum est, hominem, cui præcipitur ut in Christum credat, non peccare, quod fidem respuat, & incredulus maneat: contra expressa Domini verba: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, Joan.* xv. 22.

Absurdum secundum.

XVII. Alterum absurdum est: Si Christus pro omnibus non sit mortuus, ergo nemo quando ipsi Christus annuntiatur certus esse potest, se teneri in Christum credere: quod quàm maximè absurdum. Ratio consequentiæ est: quia fundamentum fidei est redemtio per Christum facta: & quoniam nemini in specie revelatum est, Christum pro se singulariter esse mortuum; nemo nisi Christum pro omnibus mortuum credat, certò statuere potest Christum pro se esse mortuum, ac proinde incertus erit, utrum in Christum sibi annuntiatum credere teneatur. Excipiunt. Unumquemque ex fide sua argumentum habere utrum Christus pro se sit mortuus. *Resp.* 1. Rursus hic confunduntur quæ distincta sunt, officium nempe fidei, cum beneficio Dei officium hominis sequente. 2. Esto, vera fides argumentum sit quo homo persuadetur Christum pro se esse mortuum: sed nos quærimus de certitudine hominis qui ad fidem adducendus est; ille enim, cum fide nondum præditus sit, ex fide sua persuasionem habere nequit Christum pro se mortuum: ac proinde nec persuasus esse se teneri in Christum credere, nisi statuat, aut eum pro omnibus esse mortuum; aut, licet ipsi specialiter revelatum non sit, Christum tamen pro se esse mortuum.

XVIII.

Tertium. XVIII. Tertium absurdum. Si Christus pro omnibus non sit mortuus, nemo ob incredulitatem condemnabitur: Atqui consequens illud est absurdum, & Scripturæ Sacræ directè adversum, quæ semper incredulitatem condemnationis causam statuit; *Joan.* III. 18, 19, 36. *Marc.* XVI, 16. 2 *Thess.* I. 8, 9. & alibi. Consequentia autem probatur: Quia Christo non pro omnibus mortuo, nec electi nec reprobi ob incredulitatem condemnari possunt. Non electi: quia illi nec increduli esse, nec perire possunt. Non reprobi: quia incredulitas & rejectio Christi locum habere nequit in iis, pro quibus Christus non est mortuus, quibusque destinatus non est in Servatorem. Excipiunt: Ignorant se esse reprobos. Resp. Esto: illorum ignorantia rei naturam non mutat. Addunt: Condemnabuntur, quia non crediderunt salutem esse in Christo. Resp. Possunt, juxta sententiam illam, credere salutem esse in Christo, nec in alio quàm in Christo, & tamen statuere sibi eam non esse destinatam, & sic perire: Atque hæc condemnationis causa statuitur, non quod noluerint credere Christum esse regem, sed quòd noluerint eum supra se regnare: *Luc.* XIX. 27. *coll. cum vers.* 14. Ergo dici non possunt condemnari ob incredulitatem. Multò minus dici possunt spernere beneficium ipsis non destinatum.

Quartum. XIX. Quartum absurdum. Si Christus pro omnibus non sit mortuus, Deus & Christus præcipere non possunt, ut omnibus fidem externè profitentibus baptismus administretur. Etenim baptismus obsignatio est Fœderis gratiosi per Christum erecti, quod à parte Dei continet promissum remissionis peccatorum, & oblationem gratiæ ad præcepta Dei observandum necessariæ; à parte verò hominis baptizandi obligationem ad officium præstandum. Si autem pro nullis nisi electis Christus mortuus est, eosque solos Dei fœderatos constituit, obsignatio hæc, quæ per baptismum fit, erit incerta ac fallax, & respectu maximæ hominum partis falsa. Atque ita in baptismo, qui administratur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, invocatur Deus in testem testimonii fallacis & respectu plurimorum falsi. Quod dictu horrendum est. Excipiunt: In baptismo obsignari homines sub conditione, si electi sint. Resp. Sed hæc conditio obsignationem baptismi reddit incertam, omnisque consolationis certitudinem, quam homo per baptismum habet, destruit; cùm nemini speciatim revelatum sit, se exiguo electorum numero includi. Ajunt: Hypocritæ non baptizantur, nisi sub conditione veræ fidei & resipiscentiæ; quid ni itaque omnes baptizari possunt, sub conditione si electi sint? Resp. Quia baptismus ab utraque parte novum fœdus obsignat: & gratiæ quidem oblationem absolutè applicat: promissionis autem plenariæ remissionis ac vitæ æternæ applicatio alligata est impletioni conditionis ab homine præstandæ; homo autem, qui conditionem non præstat, ipse in causa est promissi divini applicationem non sequi. At verò quod Christus pro reprobis non sit mortuus, purè ab arbitrio divino dependet: ac proinde Deus in causa est, quod baptismus, institutus ut fœdus divinum obsignet, reprobo obsignatio non fit: vellet itaque Deus obsignationis symbolum administrari iis, quos fœdere suo nec comprehensos, nec tanquam fœderatos obsignatos voluit. Quod horrendum est.

CAPUT IV.

Responsio ad argumenta, quibus Christum non pro omnibus esse mortuum contenditur.

I. HActenus fuere argumenta nostra. Restat ut expendamus adversariorum argumenta, quibus suam sententiam propugnare, nostram autem impugnare solent. Illa distribuimus in duas classes. Prima classis continet argumenta, quibus Christum pro solis absolute electis mortuum contendunt: Altera, argumenta, quibus Christum pro omnibus non esse mortuum evincere student. *Responsio ad argumenta, quod pro solis electis Christus sit mortuus.*

II. Primò ergo Christum pro solis absolutè electis mortuum esse evincere conantur ex ipsa phrasi, *moriendi pro aliquo*, quæ denotet, vice alterius mori, & ita quidem ut alter planè à morte sit immunis; ut liquet 2 *Sam.* XVIII. 33. *Rom.* v. 7. & IX. 3. Ergo sequitur, ut omnes, pro quibus Christus mortuus est, à morte sint immunes. At verò impii & finaliter impœnitentes à morte ac condemnatione non sunt immunes, sed condemnabuntur, *Joan.* III. 36 *Matth.* VII. 23. Ergo pro illis Christus mortuus non est. Resp. I. *Pro aliquo mori*, si verborum rigorem urgere velimus, non semper nec necessariò denotat loco alterius mori, ita ut illius pro quo morimur actualis à morte liberatio semper sequatur; sed causa, vel etiam bono, alterius mori, etiamsi actualis illius, pro quo morimur, liberatio à morte non sequatur. Sic *Joan.* x. II. dicitur *bonus pastor animam ponere pro ovibus suis*, cùm tamen contingere possit, postquam bonus pastor vitam morti objecit, aut etiam à lupo dilaniatus est, oves similiter dilaniari; & I *Joan.* III. 16. jubemur *animam ponere pro fratribus*, qui nihilominus in condemnationem venire possunt; ita ut magis intentionem morientis denotet, quàm eventum rei. Quin & denotat propter aliquem mori; ut cùm Paulus dicitur *pro nomine Christi* mori aut pati; *Act.* IX. 16. XXI. 13. Nec refert, quod Dominus non dicatur *Ad primum ex phrasi, mori pro aliquo.*

dicatur solummodò περὶ aut ὑπὲρ, sed & ἀντὶ ἡμῶν mortuus, quæ particula personæ mutationem significat. Nam non illubentes concedimus Christum ἀντὶ ἡμῶν, id est, loco nostro mortuum; non tamen ita loco nostro est mortuus, ut nihil ulterius à nobis requiratur ut salutem adipiscamur; quia requiritur fides nostra & resipiscentia; uti vidimus. Mors quippe Christi, uti antea docuimus, non fuit peccatorum nostrorum pœna propriè dicta, sed pœna vicaria, seu afflictio quæ pœnæ vicem sustinuit, pro arbitrio divino Christo imposita: hoc est, sacrificium pro peccatis nostris; cui itaque Deus pro absoluto suo jure conditionem addere potuit, & revera addidit, cujus præstationem ab homine requirit, antequam fructum mortis Christi plenè illi applicare velit. Mortuus itaque est Christus pro omnibus, seu loco omnium, non ut actu necessariò salutem consequantur; sed ut à parte Dei & Christi, per mortem ipsius tanquam victimæ pro peccatis occisæ, aditus ad salutem hominibus pateficret, novumque fœdus confirmaretur, omniumque, qui conditiones fœderis observant, peccata actu delerentur. Atque hac ratione etiam pro impiis ac impœnitentibus ad mortem usque mortuus est, quatenus virtute mortis ipsius illam à Deo obtinuerunt gratiam, cujus ope se à peccatis convertere, atque ita æternam salutem consequi potuissent. Quam quia amplecti recusarunt, meritò fructu mortis Christi destituuntur, & graviorem damnationem incurrunt.

Ad secundum, Ex locis, ubi dicitur mortuus pro ovibus suis, &c.

III. Secundum argumentum desumunt è locis, ubi Christus dicitur mortuus *pro ovibus suis*, *Joan.* v. 15. *ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*, *cap.* XI. 52. *pro Ecclesia sua*, *Actor.* XX. 29. *Eph.* v. 25. & *ut salvet populum suum*, *Matth.* I. 21. Atqui illi non sunt omnes homines, sed soli electi. Resp. 1. In omnibus illis locis deësse voculam exclusivam *tantum*. Sicut ergo male quis ex *Galat.* II. 20. colligeret, Christus pro Paulo est mortuus, ergo pro solo Paulo; ita etiam ex locis allegatis male colligitur, Christus pro ovibus suis &c. mortuus est; erga pro solis ovibus est mortuus. 2. *oves Christi*, *Filii Dei*, &c. non denotant absolutè electos; illi enim, ut vidimus, reconciliatione non egent, sed fideles. 3. Non mortuus est pro ovibus suis, consideratis ut talibus, id est, fidelibus ac jam conversis; sed ut peccatoribus adhuc ac impiis, *Joan.* III. 16. *Rom.* v. 6 1 *Joan.* IV. 10. 4. Omnibus illis in locis non agitur de impetratione remissionis peccatorum per mortem Christi, de qua nos disputamus; sed de actuali remissionis applicatione: priorem solummodò omnibus hominibus dicimus communem: posterior solis credentibus ac conversis est peculiaris.

Ad tertium, Pro multis.

IV. Tertium argumentum petitur è locis, ubi Christus dicitur *mortuus pro multis*, *Matth.* XX. 28. *Marc.* X. 45, *Matth.* XXVI. 28. *Hebr.* IX. 28. Resp. 1. Objectionem hanc perperam fieri ab illis, qui contendunt *Rom.* v. 15. & 19. ubi condemnatio per peccatum Adami dicitur venisse *in multos*, per *multos*, omnes esse intelligendos: quid ni itaque idem hic locum habeat, nisi velint peccato Adami majorem inesse vim ad condemnationem, quàm morti Christi ad justificationem ac salutem? 2. Cùm Scriptura alibi dicat Christum pro *omnibus*, alibi autem pro *multis* esse mortuum, ipsa res exigit, ut *multi* extendantur per *omnes*, non autem *omnes* restringantur per *multos*: quia omnes revera sunt multi, multi autem non necessariò omnes. Eâdem plane ratione Augustinus duo loca *Joan.* v. 28. & *Dan.* XII. 2. in quibus eadem phraseos diversitas occurrit, inter se conciliat. *Non autem diversum putetur, quod cum ibi positum sit*, omnes qui sunt in monumentis, *hic non ait Propheta*, omnes, *sed*, multi dormientium in terræ aggere: *ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos.* De Civit. Dei lib XX. cap XXIII. §. 2.

Ad quartum: Quod in condemnationem venire nequeant, pro quibus mortuus est Christus.

V. Quartum argumentum. Pro quibus mortuus est Christus, illi in condemnationem venire nequeunt, quia dicere possunt, *Quis est qui condemnat? Christus est qui pro nobis mortuus est. Rom.* VIII. 34. Resp. Locus ille agit de verè fidelibus, & pro nomine Christi gravissimas sustinentibus persecutiones, uti totius capitis series manifestè ostendit. Apostolus ergo, ut eos adversus omnes afflictiones consoletur, docet, nullam esse creaturam, quantumvis ipsis adversam & affligentem, quæ ipsos in condemnationem possit præcipitare, quia Christus pro ipsis mortuus est; & reconciliatio morte Christi impetrata ipsis jam applicata est, ita ut Pater salutem illis velit dare. Et quia nemo id potest impedire, meritò illi dicere possunt, *Quis est qui condemnat? Christus est qui pro nobis mortuus est.* Inde autem nullo modo sequitur, illos, quibus gratia per Christum est impetrata, cujus ope credere, atque ita credentes propiorem gratiæ divinæ ac remissionis peccatorum applicationem impetrare possunt, peccatis suis non posse efficere ut in condemnationem veniant, nec propiorem illam applicationem consequantur; licet ipsos officium suum facientes nemo condemnare possit. Ita quibus à principe ob unici filii intercessionem rebellionis antecedentis gratia facta est, sub conditione novæ obedientiæ: si principe suo obedientiam præstant, fructu illius intercessionis gaudent, & ob filii regii intercessionem de pœna securi sunt. Exinde autem nullo modo sequitur, nullos eorum, quibus similiter per filii regii intercessionem gratia est impetrata, si conditionem obedientiæ respuant, in pœnam incidere posse.

Ad quintum. Quod Christus eos summè dilexit.

VI. Quintum argumentum. Pro quibus Christus mortuus est, eos summè dilexit; quia is est summus amoris gradus, pro aliquo mori: *Joan.* XV. 13. Resp. Duæ sunt species amoris: unus est amor benevolentiæ, qui se extendit erga omnes, etiam immeritos, imo impios, & non nisi iram ac condemnationem meritos: alter est amicitiæ ac complacentiæ, erga pios ac officium suum facientes. Prior quidem nobilior est amoris species; nobilius enim est amare inimicum quàm amicum; sed posterior est intensior amoris gradus: intensius enim amamus amicum quàm inimicum. Tum in amore benevolentiæ summus est amoris gradus, mortem subire pro alio; neque videtur nobilior amoris actus posse excogitari, quàm si quis moriatur pro inimico. Christus itaque pro hominibus moriens, eos amat amore benevolentiæ, & supremum amoris actum erga illos exhibuit: fideles autem ac officium suum facientes, quibus mortis suæ fructus propius applicat, complectitur amore amicitiæ, qui intensior amoris gradus est, uti liquet *Joan.* XIV. 21, 23.

Ad sextum. Quod pro solis electis intercedit.

VII. Sextum argumentum. Pro quibus mortuus est Christus, pro iis & intercedit; juxta *Rom.* VIII. 34. *Quis est qui condemnat? Christus Jesus est, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* At non intercedit pro omnibus, sed pro solis electis; *Joan.* XVII. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Resp. 1. Nulla est consequentia: Dominus Jesus in illa precatione pro mundo non orat, ergo nunquam pro mundo orat: imo non diu post hanc precationem in cruce pendens oravit pro crucifixoribus suis; *Luc.* XXIII. 34. *Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciant.* Omnes autem illos electos fuisse, non opinor dicturos. Excipiunt: Intercessit non pro omnibus crucifigentibus, sed tantum pro iis, qui ex ignorantia peccabant: disertè enim addit, *nesciunt enim quid faciant:* & confirmatur *Act.* III. 17. Resp. Exceptio hæc est contraria textui: non enim Dominus ullam hic distinctionem facit, inter eos qui ex ignorantia, & eos qui non ex ignorantia, sed ex sola malitia, ipsum crucifigebant: sed omnibus indefinitè attribuit, quod nescirent quid facerent. Eodem modo loquitur Petrus *Act.* III. 17. qui non tantum dicit populum, sed & principes, Christum ignorantes crucifixisse. Non ut excludat malitiam: sed quia malitiæ huic aliqua ignorantia fuit mixta, licet valde culpabilis, & ex multis vitiis ortum suum ducens; & qua, si sepositis præjudiciis sincerè verbo divino auscultare voluissent, facile caritari fuissent; *Si enim sapientiam Dei novissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, 1 *Cor.* II. 8. Quia ergo Dominus, ut Sacerdos intercedens, veniam peccatoribus illis rogabat; omisso eo, quod in peccato ipsorum maximè erat culpandum, illud solum refert, quod excusationem aliquam peccato adferre posse videbatur; ignorantia enim si non crimen planè tollat, culpam tamen quadantenus minuere censetur. 2. Per eos, *quos Pater ipsi dedit*, intelligit Dominus non alios quàm Apostolos: quod non tantum tota precationis hujus series ostendit; sed & speciatim *vers.* 12. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Quo solos denotari Apostolos evincit *cap.* XVIII. 8, 9. Dominus nempe moriturus, & ab Apostolis discessurus, seriâ precatione ipsos Patri commendare voluit, ut eos Pater servet à malo, & sanctificet in veritate. Quod non sine gravissima ratione orat, ob instans scandalum mortis suæ ignominiosæ ac execrandæ; & quia Dominus eos elegerat Apostolos, quorum ministerio nomen suum toti mundo annuntiari voluit. Dices. Non orat tantum pro Apostolis, sed & *pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in ipsum: vers.* 20. Resp. Ita est: sed nec ex eo sequitur, Dominum aliàs pro aliis non oravisse; imo & hac sua precatione se mundum à beneficiis suis planè non velle exclusum, docent verba sequentia; *ut credat mundus quia tu me misisti;* uti *vers.* 23. *ut cognoscat mundus, quia tu me misisti.* Orat itaque etiam Dominus pro mundo, verùm fideles ardentius & propius Patri commendat.

Ad argumenta, quod pro omnibus non sit mortuus Christus.

VIII. Sequitur nunc altera classis argumentorum, quibus Christum pro omnibus non esse mortuum contendunt, & absurda quædam sententiæ nostræ objicere conantur, ut eam falsitatis convincant.

Primum: Quod omnibus non sit prædicatum Evangelium.

IX. Primum ergo esto argumentum: Si per mortem Christi gratia & remissio peccatorum omnibus est impetrata; necesse est ut verbum illud gratiæ & redemtionis omnibus & singulis omni & quovis tempore prædicetur, quo per fidem illius reconciliationis participes esse possent; aut aliàs Christus pro multis, quibus ea revelatio nunquam contigit, frustra est mortuus: quod absurdum. At omnibus & singulis omni & quovis tempore verbum illud reconciliationis prædicatum non est. Nam ante Christi adventum Deus gentes à cognitione Legis suæ exclusit, *Psal.* CXLVII. 19, 20. *Act.* X. v. 16. nec permisit Apostolis certo tempore Euangelium prædicare in Asia, *Act.* XVI. 6. Nunc autem Indi, aliæque gentes Euangelii cognitione adhuc destituuntur.

Responsio generalior.

X. Resp. 1. Cùm nos Christum pro omnibus hominibus mortuum dicimus, ita ut omnes beneficio mortis pro ipsis toleratæ salutem æternam consequi possint, potissimum ad illos respicimus, quibus verbum Euangelii prædicatum est: hoc enim evicto, Chri-

Christum pro omnibus, quibus Euangelii verbum annuntiatur, mortuum esse, absolutum reprobationis decretum ut corruat necesse est. 2. Verbum reconciliationis ex intentione ac mandato Dei Patris & Christi, & juxta reconciliationis naturam, omnibus ac singulis hominibus prædicari debet; juxta ea quæ legimus *Matth.* XXVIII. 18. 1 *Tim.* II. 4. 3. Nec ullum fuit seculum, quo homines illo planè destituti fuerunt. Jam statim à lapsu Adami, ipsis adversariis contendentibus, annuntiatum est, *Genes.* III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Et exinde hominibus promiscuè sine discrimine variis temporibus ac gradibus prædicatum est. Temporibus Veteris Testamenti sub figuris ac umbris Abrahamo ipsiusque posteris Israëlitis propositum fuit. Ante fœdus cum Abrahamo homines fœdere hoc gratiæ non fuisse penitus exclusos, exempla Abelis, Enochi, Noachi, aliorumque docent. Quin & inito jam cum Abrahamo fœdere reliquos homines non perinde ut fœdere illo externo, ita etiam fœdere gratioso per Christum ejusque mortem confirmando, prorsus exclusos fuisse, exemplis Melchisedeci, Jobi, Jethronis soceri Mosis, ut alia nunc non allegem, comprobatur. Loca ergo allegata non accipienda sunt, quasi omni planè gratiâ ac cognitione divinâ destituti fuerint; sed quod non habuerint expressam vivendi regulam, neque revelationes de Deo adeo expressas ac claras, atque Israëlitæ. Tempore autem Euangelii verbum hoc reconciliationis omnibus ubique, sine ullo discrimine aut exceptione personarum, juxta mandatum divinum prædicatum esse, docetur, *Act.* XVII. 30. *Tempora ignorantiæ prætervidens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* Rom. X. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* & *Coloss.* I. 23. dicitur Euangelium *prædicatum in universa creatura quæ sub cœlo est.*

Causa, cur apud quosdam intercideris prædicatio Euangelii.

XI. Quod si apud aliquos olim, & nunc, prædicatio Euangelii intercideri, causa non est absolutum reprobationis decretum, aut quòd Deus noluerit mortis Christi beneficium ad illos extendi: sed propria hominum culpa, verbum illud gratiæ aut negligentium, aut contemnentium, aut in injustitia detinentium. Quapropter & Deus illos justo judicio gratiâ suâ privavit, & etiamnum privat. Si enim justè in sensum reprobum tradidit, qui veritatem divinam, in injustitia detinuerunt, *Rom.* I. multò justius illos externa verbi prædicatione privat. Sic minatur Deus, se *famem verbi sui missurum*, *Amos.* VIII. 11. Dominus Pharisæis dicit: *Propterea auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus; Matth.* XXI. 43. & Ecclesiæ Ephesinæ Angelo *Apoc.* II. 5. *Memor esto unde excideris; & age pœnitentiam, & prima opera fac: si verò non, venio tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Sic & jussit Dominus suos exire è domo & civitate, verbum Euangelii non recipiente, & adversus eam pulverem pedum excutere, *Matth.* X. 14. uti & ab Apostolis factum legimus, *Act.* XIII. 51. Quin & Apostolus dicit, Deum iis *qui amorem veritatis reliquerunt immissurum efficaciam erroris, ut credant mendacio: 2 Thess.* II. 10. 11. Mirum itaque non est, si quidam, gratiâ divinâ verboque ejus abutentes, illo spolientur. Nec valet illatio: Christus pro omnibus est mortuus, ergo curare Deus debet, ut omnibus ubique & semper verbum gratiæ prædicetur. Possunt enim à parte hominis graves obstare rationes, cur Deus id, quod omnium saluti destinaverat, non omnibus ubique & semper annuntiari faciat. Sanè ex ipsorum adversariorum sententia argumenti hujus solutio peti potest. Urgent enim Christum pro quibusvis hominibus, omnibusque hominum nationibus esse mortuum. Si itaque, licet multis nationibus Christus non sit prædicatus, nihilominus pro omnibus nationibus mortuus sit: quid ni etiam pro omnibus ac singulis mortuus dici potest, licet omnibus ac singulis non annuntietur? Dices: Quando Christus pro omnibus populis mortuus dicitur, id non intelligendum universaliter, ita ut omnis qualiscunque populi congregatio intelligatur; sed communiter tantum. *Resp.* Novam hic fieri restrictionem: sicuti enim antea mortem Christi restrinxerunt ad genera singulorum; ita nunc denuò restringunt ad genera nationum. Quod si ita fiat, necesse est ut incerti ac dubii sint Christiani, utrum his vel illis nationibus, hoc vel illo tempore, Euangelium prædicare debeant: & populi, quibus prædicatur Christus, similiter incerti erunt, utrum mortis Christi beneficium ipsos spectet, ac proinde utrum Deus per Euangelii prædicationem ipsorum salutem intendat. Quæ omnia absurda sunt, eóque solum spectant, ut omnis in prædicantibus zelus, omnis in audientibus attentio & animi alacritas ad credendum exstinguatur.

XII. Ut autem pressius respondeamus: *Responsio generalior.* Dicimus, populos, qui adhuc destituuntur cognitione Christi, aut antea per verbum Euangelii ad fidem fuisse vocatos; sed propriâ suâ malitiâ ac infidelitate rursus gratiâ illâ divinâ esse privatos; aut nunquam ad eos Euangelium fuisse propagatum. Si priores respiciantur, facilis est responsio: quod Deus semel illis gratiam fecerit, voluerit que ut illam porro per doctrinam ac institutionem ad posteros propagarent: hic si negligentes sint, culpa non est in Deo, qui illorum ministerio virtualiter posteros vo-

caſſe judicandus eſt: ſed in ipſis hominibus officium ſuum negligentibus. Quod attinet illos, quibus Euangelium nunquam eſt revelatum, quales hodie ſunt, ex: gr: Indi; illorum alia paulum eſt ratio. Primo & ante omnia dicimus, certum eſſe, Deum nunc omne populorum diſcrimen aboleviſſe, ac velle ut omnibus nationibus, omnibuſque ac ſingulis inter omnes nationes hominibus, ſine ullo diſcrimine verbum Euangelii prædicetur: hoc docent loca *Eph.* II. 12, 13. *Gal.* III. 28. *Coloſſ.* III. 11. 2. Deus miniſterium verbi ſui inſtituit, & ad omnes populos miſit, ut ad fidem convertantur, ipſique converſi alios porrò inſtituerent: quod tantumdem eſt ac ſi omnes virtualiter vocaſſet. Quod ſi homines negligentes ſint, aut populi ad quos ſunt acceſſuri contumaces, & externa vi veritatis doctores expellat, veritatemque divinam repudient; culpa non eſt penes Deum, quaſi defectu gratiæ ac vocationis divinæ tales pereant; ſed penes homines. 3. Fieri poſſe, ut Deus nunquam ad quoſdam homines miniſtros verbi ſui expreſsè miſerit; graviſſimas autem obſtare à parte hominum rationes, quæ miſſionem illam divinam retardent. Certum enim eſt, nunquam Deum gratiæ ſuæ communicationem denegare, niſi propter hominum merita: *Matth.* XXI, 43. *Apoc.* II. 5. Dices. An ergo homines illi indigniores ſunt reliquis, quibus Euangelium eſt anuuntiatum? Reſp. Nec nos id poſſe dicere, cum Scriptura omnium ante vocationem divinam ſtatum corruptiſſimum deſcribat, *Rom.* I. II. III. *Eph.* II. 2, 3. *Tit.* III. 3. Et licet aliquando Deus in gratiæ ſuæ diſtributione ad bonam hominum diſpoſitionem reſpiciat, ut *Matth.* X. 12. *Act.* XVIII. 10. non tamen ſemper ad illam attendit, ſed aliquando prætteritis minus indignis magis indignis gratiam majorem largitur: quod irrefragabiliter docent loca *Matth.* XI. 21, 22. XII. 41, 42. Interim tamen certum eſt, nulli denegari gratiam, niſi ob ſua merita. Quia tamen hujuſce inæqualitatis ac diſcriminis ratio à nobis aſſignari non poteſt, eaque ex mero voluntatis divinæ arbitrio dependet, meritò hic ad arcanos ſapientiæ divinæ theſauros, nobiſque imperſcrutabiles, confugimus cum Apoſtolo *Rom.* XI. 33. *&c.*

Status eorum, quibus Euangelium revelatum non eſt.

XIII. Quæres. An ergo illi, quibus verbum Euangelii revelatum non eſt, ſalutis eſſe participes poſſunt; cum Scriptura dicat, *in nulla alio* quàm in Chriſto *eſſe ſalutem*, *Act.* IV. 12. eumque *qui Filium non habet*, *non habere vitam*, I *Joan.* V. 12. quin & abſque fide in Chriſtum nullam eſſe ſalutem, *Marc.* XVI. 16. *Joan.* III. 16. Reſp. I. Nemo illa cognoſcere tenetur, quæ Deus ipſi non revelavit, aut revelare noluit: *Joan.* XV. 22, 24. nec ob illius cognitionis carentiam quiſpiam damnabitur; *Rom.* II. 12. 2. Nemo interim ſalvabitur, niſi per redemtionem in ſanguine Chriſti; quæ ſicut profuit illis, qui ante Chriſtum vixerunt, licet eum aut non, aut ſaltem non niſi obſcurè admodum ac per umbras, ac typos, cognoverunt; ita nihil repugnat, ut & imputetur, non vi promiſſi alicujus divini, ſed per immenſam gratiam divinam, illis, qui, poſtquam mundo prædicatus eſt, eum abſque ſua culpa ignorant. 3. Loca citata de iis ſolis agunt, qui Chriſtum ſibi annuntiatum per incredulitatem rejiciunt: illis nulla eſt ſalus. 4. Deus quidem nuſquam ſalutem promiſit illis, qui ſine fide in Chriſtum convenienter Legi naturæ vivunt: nihil tamen repugnat, quin ex ſuperabundante gratia plura præſtet quàm promiſerit; ſemper tamen cum reſpectu ad Chriſtum: adeo ut quæcunque illis ſalus obtingat, ea ipſis detur propter Chriſtum. Dices: *Eph.* II. 12. dicitur, gentes ante prædicatum Euangelium *fuiſſe abſque Chriſto*: non ergo videntur, niſi in Chriſtum fideles, ullius beneficii per Chriſtum fieri poſſe participes. Reſp. *Sine Chriſto eſſe*, ſi velimus hîc Apoſtolum loqui de gentibus juxta naturæ legem viventibus, hîc non ſignificat, quod nullum Chriſti beneficium ipſis per gratiam divinam ſit applicatum, ſed quod nullæ ipſis de Chriſto promiſſiones factæ ſint: non enim gentibus, ſed Judæis credita ſunt eloquia Dei: *Rom.* III. 2. Sed verò: Loquitur Apoſtolus de gentibus non ſecundum, ſed contra naturæ legem viventibus, quæque per ambulationem ſecundum deſideria cordis ſui, *naturâ*, ſeu verè, *erant filii iræ*: tales ſunt *ſine Chriſto*, nullumque talibus beneficium per Chriſtum inpetratum applicatur.

Ad ſecundum. Quod fuiſſet mortuus pro Caino, &c. & jam antea in impœnitentia mortuis.

XIV. Secundum argumentum. Si Chriſtus pro omnibus hominibus ſit mortuus; ſequitur etiam mortuum eſſe, tam pro Caino, Sodomitis, Pharaone, Juda &c. quàm pro Abele, Lotho, Abrahamo, Davide, Petro, &c. item pro impœnitentibus, & jam antequam moreretur in impœnitentia ſua mortuis. Reſp. I. Nos, uti & in reſponſione ad præcedens argumentum diximus, præcipuè ac potiſſimum reſpicere illos, qui poſt mortuum Chriſtum vivunt, quibuſque Euangelium annuntiatum eſt. 2. Licet impii, in impœnitentiâ ſuâ ante Chriſti mortem mortui, nullum ex morte Chriſti fructum percipere potuerint; verè tamen Chriſtus pro illis mortuus dicitur; quoniam, ſi ante mortem ſuam ſeriò ſe ad Deum convertiſſent, ſicuti per gratiam divinam poterant, etiam peccatorum ſuorum remiſſionem inveniſſent in ſanguine Chriſti poſtea effundendo, non minus atque illi, qui peccatorum pœnitentiam egerunt, & jam ante mortem Chriſti in pietate obdormierunt, ac quorum ſalus jam rata erat. Non enim magis abſurdum eſt, dicere, eum pro impiis jam ante mortuis eſſe reconciliationem, eoſque potuiſſe

tuisse per sanguinem Christi postea fundendum remissionem obtinere, siquidem resipuissent; quàm pro fidelibus resipiscentibus, & in fide & pietate sua mortuis, ac jam in statu salutis collocatis, quique proinde nec reconciliatione nec remissione peccatorum amplius indigebant. 3. Quod Judam attinet: 1. Unicus ille tantum homo fuit, neque universitati omnium hominum solus opponi potest. Licet ergo concederemus, pro ipso Christum non esse mortuum, propter proditionis ac sceleris enormitatem, nihil id faceret, ad universalitatem beneficii, per mortem Christi impetrati, infringendum. Sed verò necesse non habemus illum excipere. Quin imo rectè dicimus, Jesum Christum etiam pro Juda esse mortuum, ipsumque fructus mortis Christi potuisse esse participem; & quidem duplici ratione: primò, quatenus per gratiam, ipsi ob mortem Christi paulò post tolerandam communicatam, potuit à gravissimo proditionis scelere abstinere, atque ita gratiâ divinâ salutem consequi: secundò, quatenus gravissimi sui sceleris, si resipuisset, veniam apud Deum consequi potuisset. Licet enim gravissimum esse fateamur, ac proinde rectè dici possit, Deum justè ipsum omni facultate resipiscendi spoliare potuisse; non tamen improbabile est, siquidem resipuisset seriò, ipsum remissionem in sanguine Jesu Christi, quem prodidit, per immensam Dei gratiam, consecuturum fuisse. Nunc verò cum desperavit, neque se ad resipiscentiam composuit, mors Christi nullam ipsi attulit utilitatem.

Ad tertium. Quod peccata bis puniantur.

XV. Tertium argumentum: Si illi perire possunt, & quidam pereunt eorum pro quibus Christus mortuus est: Ergo eorum peccata bis puniuntur: semel in Christo pro ipsis mortuo, & iterum in ipsis supplicium ignis æterni luentibus. Resp. Christum propriè pro hominibus non esse punitum, antea fusius, cùm de munere Christi. Sacerdotali ageremus, ostendimus. Non enim in corpore & anima sustinuit æternos ignis infernalis cruciatus; neque pœnam peccatorum propriè ita a peccatoribus in se transtulit, ut ipsorum peccata in ipso punita sint: sed fuit sacrificium pro ipsorum peccatis; & tulit mortem cruentam & maledictam, ut Pater Filii sui unigeniti cruciatibus ac ignominia, & eam secutâ efficacissimâ intercessione, placatus, peccatoribus plenariam omnium peccatorum veniam & à pœna liberationem obtulerit; dummodò in Filium suum credant, serióque à peccatis resipiscant. Qui itaque fidem & resipiscentiam detrectant, eorum peccata bis non puniuntur; sed ipsi propriâ culpâ Christi sacrificium, saluti ipsorum destinatum, sibi irritum reddunt; nec tantum seipsos fructu sacrificii istius privant; sed & nova hac contumaciâ gravioris pœnæ reos constituunt; uti docetur *Hebr.* x. 26, 27, 28, 29.

Ad quartum. Quod & pro infantibus sit mortuus.

XVI. Quartum argumentum. Si Christus mortuus est pro omnibus hominibus, ergo etiam pro infantibus in infantia sua morientibus. Atqui id non credunt Remonstrantes. Statuunt quippe infantes nasci non infectos peccato originis, nec reos condemnationis æternæ: nullo ergo, secundum ipsos, redemtore egent infantes in infantia morientes. Resp. Licet Remonstrantes non credant infantes peccato propriè dicto infectos nasci, ac propterea æternæ condemnationis seu pœnæ ignis infernalis reos esse; credunt tamen eos ab Adamo mortem trahere hæreditariam, ex qua nullus nisi per Christum patet exitus. Est itaque Jesus Christus, etiam secundum Remonstrantes, pro infantibus, in infantia sua morientibus, mortuus; non quia ipsos à peccatis propriè dictis, illis enim carent, liberavit; sed quia eos ex morte, quam ab Adamo trahunt hæreditariam, redemit, & in vitæ æternæ possessionem transtulit.

Ad quintum. Quod nulla possit ex morte Christi haberi consolatio.

XVII. Quintum argumentum. Si Christus pro omnibus hominibus est mortuus, etiam pro iis qui perire possunt & pereunt, tum ex morte Christi nulla haberi potest consolatio, nec ulla salutis certitudo, etiam iis qui credunt Christum pro se mortuum: possunt enim, licet pro se Christus mortuus sit, perire. At hoc absurdum est, & contrarium loco *Rom.* VIII. 34. ubi fideles ex morte Christi concludunt, se in condemnationem venire non posse; & 1 *Joan.* II. 2. Resp. 1. Negatur argumenti hujus consequentia. Licet enim illi, pro quibus Christus mortuus est, propriâ culpâ perire possint; veram tamen ac solidam ex morte Christi habent consolationem. Certi quippe sunt, veram sibi ac perfectam à Christo impetratam redemtionem, cujus fructum percipere possunt; neque se, nisi propriâ ac à se evitabili incredulitate, exinde excidere posse. Certi quidem non sunt, se in fide perseveraturos; sed certi sunt primò, se jam in fide esse, ac proinde verè sibi in Christo remissa esse peccata, & remissionem sibi verè esse applicatam: deinde certi sunt, si in eo statu, in quo sunt, perseverent, se verè salutis æternæ fore participes: ac tandem, se per gratiam Dei, quam seriò invocantibus nunquam denegaturus est, in statu suo ad finem usque vitæ perseverare posse: adeo ut omnia à parte Dei ipsis certa sint; solaque ipsorum incredulitas & facile evitabilis culpa salute ipsos privare possit. Atque hoc ad veram ac solidam certitudinem sufficit. Loca Scripturæ, quæ allegantur, solos fideles officiumque facientes respiciunt, (uti loca inspicienti manifestum est) & clarè pro nobis faciunt.

Et quod fructus

XVIII. Dices. At hac ratione omnis mortis Christi fructus potissimum depende-

 bit

mortis Christi dependeat à libero hominis arbitrio.

bit à libero hominis arbitrio. Resp. Fructum mortis Christi posse dupliciter considerari, vel quatenus est impetratio remissionis peccatorum, & oblationis gratiæ salutaris. Ille nequaquam dependet à libero hominis arbitrio: sed virtuti sacrificii Jesu Christi in solidum debetur; illud enim non antecedit, sed consequitur fides & conversio hominum. Vel est propior applicatio remissionis peccatorum fideli facta, & cum destinatione ad salutem immediatè conjuncta. Hanc à libero hominis arbitrio eatenus dependere Deus voluit, quatenus fidem & resipiscentiam, ut purgationis à peccato per sanguinem Christi conditionem, præscripsit. Non tamen exinde sequitur, salutem nostram à libero nostro arbitrio solummodò, vel potissimum dependere: Dei enim solius opus est, Christum nobis dare redemtorem, modum Christi beneficiorum participandi præscribere, vires, ut vocanti ac præscribenti Deo pareamus, suppeditare: hominis solummodo, viribus à Deo concessis rectè uti, neque vocationi divinæ obluctari.

Explicatio Esa. LIII. 10

XIX. Dices. At sic homo irritum reddet pactum Patris, cum Domino Jesu initum, quo ei promittitur, siquidem animam posuerit pro peccato, quod visurus sit semen; &c. *Esa.* LIII. 10. Resp. Illis verbis non absolutè promittitur, quid infallibiliter futurum sit; sed indicatur solummodo, quid è rei natura, & juxta indolem beneficiorum à Messia in homines collatorum extiturum sit, & existere debeat, siquidem ullo amoris grati ductu moveri possint; vel potius, quid secundum beneficiorum Messiæ, & hominum non planè efferatorum, neque omnem humanitatis sensum excutientium indolem, extiturum sit: tales enim tantis ac tam excellentibus beneficiis ut non ducantur, incredibile est. Est itaque prædictio, vel, si ita videtur, promissio, sed conditionata, tacitam fidei ac novæ obedientiæ conditionem inclusam habens; qualis passim in Scriptura exigitur, vel præsupponitur. Vel si id non sufficere quis judicet, addimus, esse prædictionem ac promissionem, scientiæ divinæ certitudine, quâ præscit multos in Messiam credituros, innixam. Instabis: Sic Dominus Jesus potuit esse Servator, ut nihilominus nulli sint qui serventur: atque ita sit rex sine populo: quod absurdum. Resp. Dominum Jesum revera esse Servatorem, etsi nullus hominum, ob propriam malitiam ac contumaciam, servetur; quia Deo obtulit, quicquid ad hominum è perditione redemtionem requirebatur; & non tantum potestate ad homines salvandum requisita à Deo Patre donatus est; sed & omnia præstat, quæ ad hominibus actu salutem conferendum requiruntur; licet hominum vitio salutem revera non conferat. Sic medicus revera est, qui salutaria ægrotis pharmaca præscribit; licet neminem, quia pharmaca ejus omnes respuunt, sanitati restituat. Nec propterea Christus rex esse desinet. Non enim ejus regnum à subditorum voluntate dependet: sed à Deo rex constitutus regnum obtinet, etiamsi à subditis rejiciatur. Et licet voluntarios nullos habeat subditos, quos felicitatis ac gloriæ suæ cœlestis participes faciat; in subditos tamen suos imperium exercet, eosque, refractarios licet ac rebelles, in ordinem cogere potest, quando vult, meritisque tandem pœnis afficiet: *Psal.* II. 9, 10. ex. 2. *Luc.* XIX. 27.

Retorsio argumenti, quod ex contraria sententia nulla haberi possit consolatio.

XX. Hisce ita ad argumenti hujus solutionem prolatis, addimus, commode illud in sententiam adversariam retorqueri posse. Si enim Christus pro omnibus hominibus mortuus non sit, sed pro solis electis; nulla ex morte Christi haberi potest consolatio: aut si quæ inde habetur, non est vera consolatio, sed securitas carnalis. Nemo enim ullam ex morte Christi habere potest consolationem, nisi se persuadeat electorum numero contineri. Atqui quoniam statuunt paucos, respectu ingentis reproborum numeri, esse electos; quilibet ambigere potest, utrum ex electorum numero sit, neque ulla cum certitudine sibi electionem divinam applicare potest. Si enim, cum Dominus Apostolis duodecim diceret, unus ex vobis me prodet, omnes contristati sint, dubii & ambigentes, utrum se Dominus designatum vellet: quantò justiorem omnes homines de electione sua dubitandi causam habent, qui credunt multò plures esse reprobos quàm electos? Dices. Unusquisque ex fide & resipiscentia sua dignoscere debet, utrum electus sit, nec ne. Resp. 1. Illud criterium adhiberi non posse ab illis, qui primum ad fidem adducendi sunt; non itaque illi spe consolationis, ex morte Christi percipiendæ, ad fidem allici possunt. 2. Non ergo de electione sua certi esse possunt, antequam credant ac resipiscant; incerti ergo sunt, donec Deus in ipsis fidem & resipiscentiam operetur: quæ si differatur ad finem usque vitæ, uti sæpius differri non inficiantur, totâ vitâ de electione suâ incerti sint necesse est. Si quis verò sibi electionis decretum applicare audet, non veram percipiet exinde consolationem, sed securitas in eo existet carnalis. Credens enim Christum ita morte sua plenissime pro se persolvisse, ut in condemnationem incidere nequeat, quæ obligatio ad sanctitatem superest? Potest quippe ejusmodi homo secum cogitare: Licet gravissimè peccaverit, & etiamnum ad omne malum propensus sit, justitiam Christi nihilominus sibi imputandam, non aliter, ac si ipse justitiam illam exercuisset, quam Christus loco suo præstitit, ut *Cateches. Heidelb. quæst.* LX. habet. Dices.

Picta-

Pietatem exercere debet, ut se erga beneficia divina gratum ostendat. Sed quæro; an non ingratitudo peccatum sit? & si Christus pro omnibus electorum peccatis satisfecerit, an non etiam pro ingratitudine? quæ itaque necessitas, gratum animum testandi, cum abnegatione sui ipsius, & cupiditatum carni gratarum? Dices. Non permittit Deus electos suos talibus cogitationibus indulgere. Resp. 1. Cur non? nonne enim est cogitatio vera? 2. Ergo omne illorum officium tandem in efficacem Dei operationem recidet: non est ergo, quod ipsi solliciti sint & vigilent; sed omnipotenti isti operationi divinæ securè indormire possunt.

CAPUT V.

Deum velle omnes homines salvos fieri.

Deum velle omnes homines salvos fieri, probatur. 1. Ex Esech. XVIII. 32.

I. SEcundum argumentum principale est. Deus vult omnes homines salvari, & ad veritatis agnitionem pervenire: Ergo neminem absoluto ac antecedente decreto à salute rejecit. Consequentia argumenti hujus evidens est: Ergo restat antecedens solummodò probandum. Id autem variis comprobamus Scripturæ testimoniis.

Occurritur exceptioni primæ.

II. Primum legimus *Esech. XVIII. 32. Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini & vivite.* Cui consonat *cap. XXXIII. 11. Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat: Convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël?* Excipiunt, in textu non esse *nolo mortem impii*, quasi Deus eam planè nolit; sed vocem Hebræam חפץ, quæ significat *delector*: volumus autem quædam, quibus non delectamur, ut ægrotus amarum poculum, ut sanitatem recuperet. Resp. 1. Nulla est justa ratio interpretationem quæ semper obtinuit rejiciendi; quia, licet significet propriè velle cum delectatione, tamen & propriè velle significat: omnes enim liberæ volitiones cum delectatione sunt. 2. Licet versio hæc concedatur, male tamen exinde infertur, Deum, quamvis non delectetur morte impii, eam tamen velle. Posset quippe eodem modo ex *Psal. v. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es*, ubi eadem vox חפץ legitur, concludi, Deum non quidem iniquitate delectari, sed eam tamen velle: quo nihil absurdius. 3. Si Deus ne quidem morte impii in impietate sua morientis delectatur, multò minus decrevit (quod sine delectatione fieri nequit, quia decretum Dei est ejus εὐδοκία) maximam humani generis partem ex mero beneplacito, sine ullo ad infidelitatem aut impietatem respectu, à salute æterna rejicere. Neque valet exceptio, Deum velle hanc rejectionem, non quatenus est perditio creaturæ, sed medium illustrandæ gloriæ suæ, uti ægrotus amarum poculum, ut sanitatis recuperandæ medium: quia ægrotus necessitate compulsus, nullo sibi occurrente alio medio, illud quod alias durum ac ingratum est amplectitur, majoris boni obtinendi spe: Deus vero pro puro beneplacito creaturæ miseriam eligit: neutiquam ergo dici potest, juxta hanc sententiam, ipsum illâ non delectari.

Et secunda.

III. Alii excipiunt, Deum non velle mortem impii resipiscentis. Resp. Verum hoc quidem esse; sed 1. non quadrat in hunc textum: quia dicit Deus non tantum, nolo mortem impii, sed & *cap. XVIII. 32. Nolo mortem morientis*; id est, impii in impietate sua morientis, & sic æternam mortem, ut impietatis suæ pœnam, in se accersentis. 2. Cum velint nullum resipiscere nisi electum, admodum inconveniens est, Deum introducere vehementissimè asserentem & tantum non jurantem, se eorum hominum, qui absoluto decreto jam abæterno à se electi sunt, quique proinde nullo modo perire possunt, quique necessario resipiscunt, mortem nolle. Quibus adde, nisi generalis hæc sit obtestatio, omnes respiciens peccatores, non bene cum illa cohærebit sequens adhortatio; *Convertimini*, &c. *quare moriemini domus Israel?* Nam causa manifesta est, eos mori & non converti, quos Deus rejecit, ac proinde ut converterentur & ex morte liberarentur noluit. Dices. Si Deus impii mortem non vult, eam impediret; est enim omnipotens. Resp. Non semper adhibet Deus omnipotentiam ad impediendum quod non vult: in impediendis iis, quæ à libera hominum inobedientia dependent, utitur mediis libertatem hominis non destruentibus, præceptis, adhortationibus, promissis, minis, Spiritus sui auxilio; quæ manifesta indicia sunt, Deum impii mortem nolle: si tamen hæc omnia respuat, ejus mortem tandem justè vult, voluntate nimirum consequente; vitam aut conversionem voluit voluntate antecedente.

2. Ex 1 Timoth. II. 4. Occurritur exceptioni primæ.

IV. Alter locus est *1 Tim. II. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ad hunc locum excipiunt. 1. Non loqui hic Apostolum de singulis generum, sed de generibus singulorum: perinde uti exceperunt ad loca, in quibus dicitur Christum pro omnibus esse mortuum. Sed quoniam de mortis Christi universalitate agentes hanc exceptionem sufficienter refutavimus, necesse non est, ut ibi dicta hic repetamus. Unum addimus: nec loci hujus circumstantias, etiamsi alibi hæc explicatio valeret, eam admittere: jubet enim Apostolus *vers. 1.* ut preces ad Deum fundamus pro omnibus, hac adhibita ratione, quòd Deus velit omnes salvos fieri: non jubet autem Deus orare pro generibus singulorum,

sed

ſed pro ſingulis generum; quia ſic incerti redderentur fideles pro quibus orare deberent, poſſentque tantum pro generibus hominum diverſis orare: ex gr: Deus vult ut oremus pro Magiſtratibus, &c. ſi illud tantum de genere Magiſtratus intelligendum eſt, exinde fidelis certus eſſe nequit, ſe obligatum orare pro Magiſtratu cujus imperio ſubeſt: non enim ſequitur; Deus aliquos ex Magiſtratibus vult ſalvos, ergo & illum cujus imperio ego ſubjectus ſum. Ergo ſequitur, quia Deus vult, ut pro ſingulis hominibus oremus, etiam Deum non tantum genera ſingulorum, ſed & ſingula generum velle ſalva. Dices. Si pro ſingulis orandum, ergò & pro mortuis; quod abſurdum. *Reſp.* Inepta admodum eſt objectio: nam. 1. Apoſtolus tantum agit de vivis. 2. In ipſos retorqueri poteſt: ſi enim pro omnibus generibus orandum eſt, etiam pro generibus mortuorum: quam conſequentiam ipſi diſſolventes, propriam diſſolvent. His addetertiam rationem: quòd juxta hanc exceptionem Deus rectius dici poſſet, velle omnes homines damnari: nam cùm ex omnibus hominum generibus multo plures damnatos velit, quàm ſalvos, denominatio rectius fiet à majore parte, quàm à minore: atqui hoc eſt abſurdum, & à phraſi Scripturæ Sacræ planè abhorrens.

Ex ſecundo. V. Alii dicunt, Deum voluntate præcepti velle ut omnes homines ſalventur, & ad agnitionem veritatis perveniant: non autem voluntate beneplaciti. Sed cùm illam diſtinctionem, utpote duas in Deo contrarias ſtatuentem voluntates, quarum unâ velit, quod alterâ nolit, ſufficienter refutaverimus, nihil eſt neceſſe illi refutandæ nunc inhærere. Reſtat ergo ut dicamus, Deum velle ut omnes ad veritatis cognitionem perveniant, quia omnibus dat media ſufficientia quibus eò pervenire, atque ita ſalutem conſequi poſſint. Dices. Non tamen omnibus curat prædicari Chriſtum, qui eſt unicum medium ad ſalutem perveniendi. *Reſp.* Imo verò Apoſtolos in omnem mundum miſit, cum mandato Chriſtum omnibus omninò hominibus annuntiandi: qui & fideliter munere ſuo functi ſunt, *Coloſſ.* 1. 28. Scripturam, voluntatem ſuam pleniſſimè continentem, ut ſufficiens ad ſalutem perveniendi medium, hominibus reliquit; & miniſterium inſtituit, ut continuò verbum Euangelii ad omnes homines propagetur: perinde atque Magiſtratus edictum promulgans, omnes ad illud audiendum campanæ ſonitu convocat, & ubique illud affigi curat, ut ab omnibus legatur; ſi qui ignorantes ſint, propriâ culpâ ignorantes ſunt:, voluntas interim Magiſtratus eſt, ut ab omnibus cognoſcatur. Sufficit autem nobis, ad abſolutum reprobationis decretum evertendum, oſtendiſſe, Deum omnium, quibus verbum annuntiatur, ſalutem velle; quo pacto autem & eorum, qui verbo carent, ſalutem velit antea diximus.

VI. Tertius locus eſt *Rom.* XI. 32. *Concluſit Deus omnes in incredulitate, ut omnium miſereatur.* In hoc loco nullas reſtrictiones, quas aliis textibus applicare volunt, locum habere poſſe, oppoſitionis ratio docet; omnes enim, quorum Deus miſeretur, opponuntur omnibus, quos in infidelitate concluſit. Sicut verò omnes, nemine excepto, in infidelitate concluſit, uti ipſi urgent; ita etiam, juxta rationem oppoſitionis, omnium, nemine excepto, miſeretur. *3. Ex Rom.* XI. 32.

VII. Quartus locus eſt 2 *Pet.* III. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem, ſed patiens eſt erga nos, nolens ullos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam venire.* Excipiunt, Petrum agere de ſolis electis: idque liquere ex pronomine *nos*, quo utitur. *Reſp.* 1. Pronomine *nos* denotare Apoſtolum omnes homines; moris enim eſt Apoſtolis uti primâ perſonâ plurali, ut ſeſe communi hominum ſorti includant: hoc ſenſu ſæpiſſimè pronomen *nos* accipitur: videantur inter alia 1 *Cor.* VIII. 8. 2 *Tim.* II. 12. *Hebr.* II. 3. XII. 25, 2. Si aliquam reſtrictionem admittamus, ea arctius reſtringi non poteſt, quàm ad eos ad quos Petrus ſcribit: ſcribit autem ad totam Eccleſiam, in qua mali bonis permixti vivunt. 3. Nec admiſsâ hac reſtrictione, quicquam proficient; nam non dicit Petrus, quod Deus nolit ullos ex nobis perire; quod ſi diceretur, ſpeciem quandam habere poſſet exceptio; ſed ſimpliciter, *nolens ullos perire.* 4. Si id tantum accipiendum ſit de electis, nulla locum habere poteſt Dei longanimitas, quam hic tantoperè deprædicat Petrus. Non enim Deus eam exercere poteſt erga electos; nec erga reprobos. Non erga electos, quia eorum reſipiſcentiam virtute, inſuperabili efficere ipſe vult; & ipſo potentiam hanc adhibente neceſſariò ſtatim convertuntur: non verò eſt longanimitas, differre actionem cujus virtute reſipiſcentia neceſſariò exiſtit; ſed differre pœnam, ut homo ſtatum in quo eſt emendet, & ſic pœnam, quæ ob peccata ipſum manebat, evadat: quod in abſolutè electos non quadrat. Nec propter electos, ne aliqui ex illis pereant, longanimitate opus eſt, quia nulla ex illis perire poſſunt. Dices. Imo electi aliquando in graves lapſus incidunt, ut David & Petrus, & cum quotidianis peccatis confiictantur. *Reſp.* 1. Docent illi, Deum nolle, ut in hoc ſeculo à lapſibus illis ſint immunes, ne ſc. inſoleſcant, ſed ad mortem uſque iis implicentur: non ergo eſt longanimitas, exſpectare ut à lapſibus libereris, à quibus ille qui exſpectat te liberari non vult. Imo potius ob electos tum dies judicii eſſet accelerandus, ut brevi à lapſibus illis liberentur, & in libertatem filiorum Dei introducan- *4. Ex 2 Pet.* III. 9.

troducantur. 2. Non dicit Petrus, Deum velle, ut majores in resipiscentia progressus faciant, sed ut ad pœnitentiam tendant, & sic salventur: & quoniam ideo Deus ultimi judicii diem differt, certum est, ob quos differt, eo esse in statu, in quo si opprimantur, perituri sunt: quod in absolutè electos non quadrat. Sed nec reproborum respectu Deus longanimitate uti dici potest: illorum enim condemnatio fixa est & irrevocabilis: nec pœnitentiam, quam Deus nunquam in illis efficere decrevit, cum longanimitate exspectare dici potest. Imo dicunt, longanimiter exspectat, quia reprobos non statim in exitium præcipitat. Sed verò, sola pœnæ dilatio non est longanimitas, nisi pro scopo habeat resipiscentiam illius, erga quem adhibetur: & per consequens liberationem plenariam à pœna: alias tantum pœnæ dilatio est: ut judicis erga facinorosum, quem certæ pœnæ adjudicatum ad tempus carceri inclusum servat, donec eum statuto die ad pœnam educat. Longanimitas autem Dei homines ad pœnitentiam invitat, *Rom.* 11.4. & hic adhiberi dicitur, ne ulli pereant.

CAPUT VI.

Doctrinam de absoluta Reprobatione pugnare cum Dei Sanctitate, Justitia, Sinceritate, Sapientia, & Amore.

I. Tertium argumentum principale est, quod doctrina de absoluta Reprobatione gloriæ Dei est adversa, utpote pugnans cum variis ipsius attributis, nim: Sanctitate, Justitia, Sinceritate, Sapientia, Amore seu Φιλανθρωπίᾳ.

Doctrina de absoluta reprobatione pugnat cum Dei Sanctitate. II. Ac primò quidem cum Dei Sanctitate: quia statuit Deum auctorem peccati. Idque evidens est, non tantum per sententiam Supralapsariorum, sed & Infralapsariorum. De Supralapsariis manifestum est. Statuunt quippe Deum, antequam hominem condere decrevisset, decrevisse ejus exitium, & ut illud justè ei infligere posset, decrevisse ut homo in peccatum laberetur, quod est medium reprobos inducendi in destinatum exitium. Ita *Sanchius de Nat: Dei, lib.* v. *cap* 2. *pag.* 744. *Non dubitamus confiteri, immutabili reprobatione necessitatem peccandi, & quidem sine resipiscentia ad mortem usque peccandi, eoque & æternas pœnas dandi, reprobis incumbere.* Sive itaque peccatum dicatur existere per decretum Dei effectivum, sive permissivum, perinde est: quia ex vi decreti de fine, etiam decretum de medio ad finem perveniendi existit, illiusque executio est necessaria. Posito itaque hoc decreto, in hominis potestate non est peccatum omittere; sed homo per Dei decretum determinatur ad peccandum: quod sufficit, ut Deus constituatur auctor peccati. Sed nec obscurum est de Infralapsariis. Quamvis enim non statuant Deum peccatum decrevisse ut medium perveniendi ad finem suum; docent nihilominus, Adamum ex decreto divino necessariò lapsum in peccatum, ex quo postea omnia peccata, totiusque generis humani corruptio necessariò secuta est: quod est cum Supralapsariis Deum peccati auctorem constituere. Distinguere hic inter actum, illiusque vitiositatem, ineptum est: cum peccatum non ut actus, sed ut actus vitiosus hominem idoneum Electionis ex misericordia, & Reprobationis ex justitia objectum faciat. Secundò: Utrique docent, Deum peccatum illud Adami omnibus ipsius posteris imputare, ex illaque imputatione sequi necessitatem peccandi: ergo Deus hac sua imputatione omnium quæ eam consequuntur peccatorum auctor est. Sed excipiunt; nostrum illud esse peccatum, nosque in Adamo peccantes illam in nos corruptionem derivasse. Resp. Nostrum peccatum esse non potuit, nisi per imputationem divinam: utpote qui, cùm peccaret Adamus, nondum eramus: non enim est dependentia naturalis, ut parentum actiones etiam filiorum sint: aliàs non minus Adami resipiscentia, quàm peccatum, posterorum esset, omnesque parentum tam malæ quàm bonæ actiones, etiam filiorum actiones essent; quod absurdum. Ergo est ab imputatione divina. Deus ergo imputatione suâ auctor est quod homines adeo corrupti nascantur, ut aliud non possint nisi peccare. At quid fœdius, quid Deo magis indignum, quam eum peccati, Sanctitati ejus summoperè adversi, quod severè prohibet, seque æternis inferorum cruciatibus puniturum minatur, constituere auctorem? Sanè id adeo horrendum est, ut vel unica hæc consideratio omnes gloriæ divinæ studiosos ab hac sententia deterrere debeat.

III. Secundo. Non minus repugnat Justitiæ divinæ. 1. Quia statuitur Deus homines reprobasse, consideratos ut innocentes, uti fit à Supralapsariis: aut quos ipse ex mero voluntatis beneplacito nihil tale commeritos redditurus erat nocentes; uti fit à Sublapsariis. At utrumque ab omni justitiæ ratione est alienum. Innocentem destinare ad æternum exitium, ultra limites est juris divini, quod ipsâ naturæ divinæ rectitudine circumscriptum est; uti antea fusius ostensum. Ita creatio non beneficium esset, sed summum maleficium: præstat quippe non esse, quàm in æternum summè miserum esse. Licet itaque creatio in se spectata summum sit beneficium, utpote esse conferens creaturæ; tamen considerata ut medium hominem deducendi ad æternum exitium, omnem boni rationem amittit, summumque est maleficium. Sicuti enim finis, respectu intendentis, bonus est, mediisque bonita- *Et cum Justitia Dei.*

 tem

tem conciliat; ita etiam respectu ejus cui intenditur, si sit malus, malitiam mediis conciliat: hoc est; si cui destinatus sit miser exitus, etiam omnia quæ ad exitum illum ducunt, licet in se spectata bona sint, rationem miseriæ habent, quatenus ut media considerantur ad maximam miseriam ducentia. Ita homo ab omni cultus divini, quo Deo tanquam creatori ac benefactori obstrictus est, obligatione esset solutus: nullo enim beneficio, quod verè rationem beneficii habet, à Deo affectus, sed creatus ut æternum miser sit, neque Deo obligatus esse potuit: cùm omnis obligatio nitatur beneficiis collatis, aut saltem conferendis. Nam quod quidam ajunt, reprobos etiam in mediis ignis infernalis doloribus obligatos esse Deo gratias agendi, nomenque Dei celebrandi, eò quod ipsos gloriæ suæ instrumenta esse voluerit, ab omni ratione alienum est. Nec minus à justitiæ ratione alienum est, homines reprobare, qui non sua voluntate, sed Dei determinatione facti sunt nocentes. Non enim propriè nocentes esse possunt, qui non habuerunt potestatem peccatum evitandi: propriè nocens is est, cujus in potestate cum fuerit peccatum evitare, illud liberâ ac evitabili culpâ maluit eligere. Injustitia est summa, punire ob peccatum, quod tuo impulsu ac occulta directione commissum est. Si autem punitio sit injusta, etiam destinatio ad pœnam est injusta; eadem enim injustitiæ ratio est in destinatione ad pœnam, quæ in ipsa punitione.

Deus in prædestinatione agit, ut Judex.

IV. Excipiunt: Deum in negotio Prædestinationis non agere ut judicem, sed ut absolutum Dominum. Resp. 1. Dominium Dei à justitia separari non debet, nec potest: dominium quippe ejus semper dirigitur justitia; & præsertim quando de æterna hominum condemnatione, pœnâ omnium acerbissimâ, agitur, qualitas judicis à qualitate domini separari non debet. 2. Ostendit Deus, se non ut absolutum dominum, sed ut judicem nobiscum agere velle: quia ut dominus justus, & judex totius universi, præscripsit leges, præmiis & pœnis sancitas, secundum quas se judicium velle exercere declaravit: adeo ut omnes illius actus, æternam hominum perditionem concernentes, sint judiciales; unde & ipsa illa pœna condemnatio vocatur. Dices. Ipsa condemnatio quidem actus Dei judicialis est, non autem reprobatio: quia arbitrii tantum est divini, quosnam reprobare velit pro absoluto suo beneplacito. Resp. Si condemnatio sit actus judicialis, etiam reprobationem actum esse judicialem necesse est: concipi enim nequit, punitionem ipsam esse actum judicialem, destinationem autem ad pœnam non. Dices. Reprobatio non est destinatio ad pœnam, sed nuda præteritio, seu non electio ad gloriam. Resp. 1. Illud dici non posse ab iis qui exprese contendunt, reprobationem esse destinationem ad exitium æternum, ut Calvinus, Beza, Withakerus, aliique. 2. Licet alii molliorbus utantur verbis, reverâ tamen cum prioribus conveniunt. Quid enim est illa præteritio? an est nuda omnis actionis divinæ negatio? an nihil de illis ita præteritis Deus determinavit? Sane non id audebunt affirmare. Cùm ergo electi destinati sint ad vitam æternam, dicant ad quid illi non electi, seu præteriti, destinati sint? Sanè ad alium finem dicere nequeunt, quam ad æternum exitium. Et sive ingenuam hanc confessionem declinent, sive id fateantur, illud tamen concedant necesse est, æternam reproborum damnationem non minus necessario præteritionem, quàm positivam ad exitium destinationem consequi: hos enim illius actus constituunt, efficacem peccati primi permissionem, illiusque peccati imputationem, non redemtionem, non vocationem, saltem non efficacem vocationem, non dationem fidei, peccati permissionem & derelictionem in eo, & peccatorum non remissionem. Quæ omnia causa inevitabilis damnationis sunt.

Occurritur exceptioni.

V. Dices. Duos in reprobatione actus esse distinguendos, quorum unus est de fine, alter de mediis ad finem ducentibus. Prior est destinatio hominis ad exercitium justitiæ divinæ; ita ut finis Dei propriè non sit perditio creaturæ, sed manifestatio justitiæ Dei, quæ in merita creaturæ perditione elucet. Alter est destinatio ejus ad damnationem. Prior est actus dominii; posterior actus judicialis. Resp. 1. Exceptio hæc frivola est & inepta. Deus enim, qui gloriæ suæ manifestationem intendit tanquam ultimum finem, etiam (juxta ipsos) creaturæ perditionem destinavit, ad finem illum obtinendum: illud autem medium fini isti connexum est, sine ulla intercedente actione hominis. Si itaque destinatio ad damnationem sit actio Dei judicialis, concipi nequit, quâ ratione non & destinatio ad exercitium justitiæ, quod in actuali creaturæ damnatione consistit, non sit actus judicialis. 2. Nec concipi potest, quomodo justitia Dei manifestari possit per actum non justitiæ, sed dominii. Fatemur, actum dominii etiam posse esse actum justitiæ divinæ, atque ita per eundem non tantum dominium, sed & justitiam Dei demonstrari: sed ut justitia divina manifestetur per actum, qui non est justitiæ, sed privativè dominii actus, impossibile est. 3. Si destinatio ad exercitium justitiæ non sit actus justitiæ sed dominii, nec etiam destinatio ad exitium, quæ necessarium est consequens destinationis ad exercitium justitiæ, actus justitiæ esse potest: quia Deus hominem ad damnationem destinat, in cujus perditione jam ante destinavit gloriam justitiæ suæ manifestare, & ex cujus decreti

decreti vi hominem in peccatum,& per consequens in exitium incidere,planè necessarium est:adeo ut non tantum creaturæ perditio,sed & omnes perditionis causæ,à primo decreto dependeant. Hominem autem damnare, cujus perditionem, causasque perditionis ipse Deus destinavit, non magis actus justitiæ est, quàm creaturam ad justitiæ suæ exercitium destinare. Justitia enim rationem habet præmii & pœnæ, ob virtutes vel scelera, propriâ ac liberâ voluntate commissa, infligendæ. Imo hac ratione hominum reproborum conditio miserior redditur, quòd cum absque culpæ respectu ad perditionem sint destinati, postea, ut justè sc. damnentur, ad peccatum destinentur, innocentiæque solatium ipsis eripiatur. Adeo ut ex omnibus hisce manifestum sit, absolutæ Reprobationis decretum cum Justitia divina nullatenus conciliari posse.

Alia ratione cum justitia Dei pugnare ostenditur.

VI. Secundò. Cum justitia divina pugnat; quia per illud decretum statuitur Deus à reprobis sub æternæ condemnationis comminatione exigere fidem & obedientiam, ad quam præstandam ipse eis vires abstulit, aut non dare decrevit. Atqui hoc ab omni justitiæ ratione alienum est. Nemo enim, ut natura docet, ad impossibile obligatur: multò minus ob illud non præstitum se æternæ pœnæ reum facere potest: maximæ enim ac gravissimæ pœnæ reatus requirit potentiam ac vires, quibus te à reatu immunem conservare possis. Necessitas à culpa, ac proinde à reatu absolvit. Dices: Deus nemini est deditor: licet homo viribus ad sibi obsequium præstandum careat, non ideo Deus jure suo obsequium exigendi excidit. Sic creditor jus suum non amittit,etsi debitor solvendo non sit. Resp. 1. Deum quidem nulli esse debitorem; sed tamen à justitiæ & æquitatis limitibus discedere non posse: non autem æquitas permittit ac justitia, ut homo puniatur, ob non præstitum officium, sibi ob virium defectum planè impossibile. 2. Multò minus permittit justitia, ut officium exigatur ab eo, quem ipse impotentem ad officium præstandum reddidisti. Ita si creditor debitorem facultate sibi solvendi spoliavit, justè amplius debitum ab ipso exigere nequit. Dices. In Adamo Deum omnibus vires ad Euangelio credendum dedisse: sed omnes homines eas in Adamo, cum peccaret, amisisse. Resp. 1. Deum Adamo, & in Adamo omnibus hominibus vires Euangelio credendi dedisse, nusquam Scriptura docet: nec etiam ipsorum Theologia patitur: quoniam in statu integritatis Adamus Euangelio credere non tenebatur: fides enim Euangelio præstita præsupponit nos esse peccatores, & gratia Dei à peccatis liberatos, & in statum salutis restitutos: quod sanè Adamus adhuc integer & nondum peccator credere non potuit. An itaque credibile est, Deum Adamo vires, quibus non indigebat, dedisse; posteris verò, qui illis maximè indigebant, denegasse? Id ab omni justitiæ & æquitatis ratione alienum foret. 2. Cum Adamus per determinationem divinam necessariò in peccatum lapsus sit, illudque peccatum, non naturali dependentia, sed sola imputatione divina in posteros sit derivatum, sanè nec Adamus, nec ullus posterorum,propria culpa vires illas amiserunt; sed Deus actione sua, Adamum quidem efficaci determinatione ad peccatum, posteros verò peccati illius imputatione, viribus illis spoliavit. Quo jure itaque exigere potest, ut præstent obsequium, quod per virium illarum ablationem ipse Deus impossibile ipsis reddidit? 3. Deus Adamo vires in Christum credendi restituisse creditur, cum promisit ipsi semen mulieris, caput serpentis contriturum. Cum autem ipse Adam propriè nocens (si in transgressione per Dei determinationem necessaria ulla sit Adami culpa) vires à Deo recuperaverit: quâ justitiæ specie illæ denegantur posteris, qui neutiquam peccato isti consenserunt, & aliquot post demum seculis nati sunt? Id esset sonti gratiam facere, insontes autem punire: quod postremum ab omni justitiæ ratione alienum est. Perinde ac si quis, patre noxio præterito, insontes liberos vellet punire: aut ab innoxiis posteris exigeret magnam pecuniæ vim, quam ipsorum pater possederat,& qua ob commissum crimen jam ante ipsorum nativitatem spoliatus fuerat.

Et cum Sinceritate Dei.

VII. Maximè verò repugnat Sinceritati divinæ totum hoc absolutæ Prædestinationis decretum. Posita quippe absolutâ ejusmodi Electione ac Reprobatione, omnis Dei actio, quâ circa homines versatur, postulando fidem ac obedientiam, postulatumque illud vitæ æternæ promisso, ac condemnationis æternæ comminatione sanciendo, histrionica redditur, & simulatoria: imo omnia quæ Deus circa homines decernit & operatur. Nonne enim merè histrionia est, Deum velle ac decernere ut homo miser fiat, ut postea in eo ex miseria liberando misericordiæ suæ, & in miseria relinquendo justitiæ gloriam ostendat? Homini gratiam dare ad legem præstandum, eandemque illi lege latâ eripere, aut non continuare, ut ita in peccatum incidat? Velle ut homo peccet, ut habeat cui peccatum remittere possit;

In præceptis divinis, respectu tam Electorum.

VIII. Sed potissimum illa spectatur in præceptis, promissis ac comminationibus divinis, tam respectu electorum, quàm reproborum. Electorum quidem: 1. Quia obedientiam ab illis exigit tanquam officium, quam ipsis planè præstitu impossibilem novit, & quam ipse potentiâ insuperabili in illis effecturus est. 2. Quia ipsis, nisi obediant, comminatur mortem æternam; in quam ipsos impossibile est incidere, quoniam

æterno ac irrevocabili decreto ipsis salutem destinavit. 3. Quia quod ipse in illis virtute insuperabili operatur, habet pro officio ab illis præstito, quo lætatur, ob quod eos laudat, præmio ac honore dignos judicat, & in fine seculorum vitâ æternâ, tanquam officii bene ac fideliter præstiti præmio, remuneraturus est. Hæc quippe omnia nil nisi histrionia sunt, quâ Deus videri vult hominibus adscribere, quod ipse in iis operatur, & quando proprium suum opus coronat, opus hominis coronare ac remunerari videri vult.

Quàm reproborum. IX. Reproborum verò respectu histrionia hæc & simulatio multò est manifestior: 1. Quia statuitur Deus obedientiam præscribere illis, quos obedire non vult, quibusque vires ad obediendum requisitas non dare absoluto decreto constituit. 2. Quod vitam æternam offerat & promittat iis, quos absoluto ac irrevocabili decreto à salute rejecit, quibusque vitam æternam dare non vult. 3. Quod ex hisce consequitur; quod salutem ac vitam æternam iis offerat sub conditione ipsis impossibili, quamque nunquam ipsis possibilem esse vult: quod revera est salutem negare, cum videri vis ipsam quam maximè offerre: promissio enim sub conditione impossibili æquipollet negationi. 4. Quod oret, obtestetur, irascatur, doleat, quando officium non præstant, quos officium præstare non vult, quosque corruptione originaria infectos nasci vult, per quam ad officium præstandum prorsus impotentes sunt. 5. Tandem quod illos ut contumaces ac rebelles igni æterno, tanquam rebellionis merito supplicio, adjudicet, quos, antequam rebelles erant, ex mero beneplacito jam exitio isti adscripserat, quosque ita condidit, ut nihil aliud nisi legibus divinis rebellare possent. Quæ omnia quomodo Deum à turpissima simulatione & hypocrisi vindicare queant, equidem non video.

Responsio ad exceptionem primam. X. Ut autem fœdam hanc labem à Deo amoliantur, varia excipiunt. Ac primò quidem, Deum per mandata non testari quid homines facere velit, sed tantum quid facere teneantur; quoniam mandatis divinis non continetur vera ejus voluntas, sed decretis. Resp. 1. Hanc exceptionem nostram accusationem confirmare. Quis enim, quando Deus quid adhibitis maximis promissis ac gravissimis comminationibus jubet, non colligat Deum id velle? aut quodnam majus aut evidentius producetur argumentum seriæ voluntatis? Cum itaque Deus contrarium ejus quod præcipit, & quidem adeo seriò, vult, nonne simulatorie cum hominibus agere dicendus est? 2. Si Deus non velit ut reprobi faciant quæ ipse præcipit, concipi nequit, quomodo dicantur non fecisse voluntatem Dei, qui præcepta ejus negligunt; sicut de iis dicitur *Luc.* XII. 47. Verum est, non faciunt quidem quod Deus præcipit; sed tamen juxta sententiam hanc, voluntatem Dei impleverunt. 3. Nec voluntas Dei erit regula officii reproborum; non decernens, quia illa est arcana & eos latet: non præcipiens; quia illa non est verè voluntas Dei, sed tantum καταχρηστικῶς juxta eos voluntas vocatur: & voluntas non est, nisi respectu electorum. Adde, quod ita in Deo duæ contrariæ statuantur voluntates, quarum una velit, quod altera nolit; &, quod maximè horrendum est, omnia, etiam gravissima scelera ac peccata, fiant secundum voluntatem Dei verè ac propriè sic dictam. Tandem ex præceptis liquere nequit, quid reprobi facere teneantur; non enim tenentur facere contrarium ejus quod Deus decrevit, alias oporteret eos Deo fortiores esse: nemo enim ad impossibile obligatur.

XI. Excipiunt secundò. Deum salutem offerre nullis nisi credituris. At reprobi credituri non sunt. *Ad secundam.* Resp. 1. Deum omnibus, quibus verbum prædicari curat, salutem & vitam æternam promittere, dummodò credant: *Marc.* XVI. 16. *Joan.* III. 16. & alibi plurimis in locis. Dices. At reprobi non sunt credituri, ergo iis salutem non offert. Resp. 1. Imo offert sub conditione fidei, & hac oblatione ipsos ad fidem invitat, ut ita per fidem salutem consequantur. 2. Si ipsis salutem non offert, nec eam possunt respuere; nemo enim beneficium sibi non oblatum respuere potest. At contra dicitur, quod qui non credunt, & voci divinæ non obtemperant, *consilium Dei erga se spernant*, *Luc.* VII. 30. *consilium Dei despiciant*, *Proverb.* I. 25. Deo ipsos congregare volente *congregari nolint*, *Matth.* XXIII. 37. quod Dominum, qui ad ipsos tanquam ad propria venerit, *non receperint*, *Joan.* I. 11. quod noluerint Dominum *super se regnare*, *Luc.* XIX. 27. quod *rejiciant verbum Dei*, *seque indignos judicent vita æterna*, *Act.* XIII. 46. Imo omnes qui pereunt Scriptura vocat non tantum *rebelles*, sed & *stultos*; *Proverb.* I. 22, 24, 25. *Jer.* IV. 22. VIII. 9. *Ose.* VII. 11. *Matth.* VII. 26. Stultus autem non est, qui bonum sibi non oblatum respuit. Dices: Stultus est, quia miseriam suam non sentit. Resp. Scriptura eos stultos vocat, quia in miseria manere malunt, quàm ex ea emergere; at posito hoc decreto ex miseria emergere nequeunt. Tandem, qui pereunt ideo perire dicuntur, quia non credunt; adeo ut incredulitas causa eorum damnationis sit *Joan.* III. 18. potuerunt ergo per fidem damnationem evitare.

XII. Excipiunt tertiò. Nullas offerri reprobis vitæ æternæ promissiones, sed quando Deus illis prædicat, Resipiscite & convertimini ut deleantur peccata vestra, aut, Qui crediderit salvabitur, non esse promissio- *Ad tertiam.*

missiones divinas de vita æterna; sed nudas tantum enuntiationes, quibus Deus significat remissionem peccatorum cum resipiscentia, & vitam æternam cum fide in Jesum Christum ex decreto suo esse connexam. Resp. Aut exceptionem hanc esse nugatoriam, aut Dei promissis injuriam. Nugatoriam: quia ejusmodi enuntiationes, quibus salus cum fide conjuncta esse enuntiatur, à summo legislatore, fidem ac obedientiam præscribente, prolatæ, revera sunt promissiones, & æquipollent isti, crede, & dabo tibi vitam æternam. 2. Si nolint æquipollere; injuria est hæc exceptio promissionibus divinis: facit enim Deum, vitæ æternæ promisso homines ad fidem invitantem, tantum nude asserentem, quæ connexio sit inter fidem & salutem; & quoniam fide ipsos donare non vult, etiam revera salutem iis, quibus eam verbo offert, denegantem: quod ab omni sinceritate alienum est. 3. Exinde, ut & ex præcedentibus objectionibus, sequetur, verbum Euangelii reprobis prædicari nullo ipsorum bono; imo non nisi ipsorum malo, ut salutem sibi non oblatam respuentes, gravioris peccati & pœnæ severioris se reos faciant: quod est verbum vitæ & salutis transmutare in verbum mortis & condemnationis. Excipiunt. Possunt reprobi ex prædicatione verbi eò usque provehi quoad externam vitæ reformationem, & naturalis suæ corruptionis inhibitionem, ut mitius puniantur. Resp. 1. Tota ergo verbi efficacia circa reprobos ulterius nihil efficere potest, quam ut eos faciat hypocritas, qui externis tantum factis pietatem testantur, animo autem sint impii & à Deo alieni: quæ ergo causa ut mitius puniantur? 2. Si id tantum circa reprobos efficere potest prædicatio verbi, ut mitius puniantur, ergo eos planè à pœna liberare nequit, & quidem à pœna tam horrenda, cujus gradus minimus totius creationis beneficium longè exsuperat. Quomodo ergo Deus à simulatione excusari potest, qui in verbo & plenariam à pœna liberationem, & vitæ æternæ præmium offert? Ne jam dicamus, injurium esse verbo divino, illi majorem non adscribere virtutem, quàm ut externos tantum actus moderetur, & minorem tantum pœnæ gradum in inferno procurare possit.

Ad quartam. XIII. Alii excipiunt, reprobos per se non esse objectum salutaris vocationis, sed tantum per accidens, quia mixti sunt electis. Resp. 1. Hoc est omnem divinæ vocationis certitudinem in dubium vocare. Cum enim, juxta ipsos, nemo nisi ex fide de electione sua certus esse possit, necesse est, ut quando primum verbum Euangelii prædicari audit, incertus sit, utrum Deus, qui illo nullos nisi electos vocat, se eo vocatum velit; & an non per accidens, quatenus aliis permixtus vivit, verbum ipsi prædicetur. 2. Si promissa Euangelii ad reprobos non pertinent, nec etiam mandata; quia inter illa, ipsis fatentibus, est necessarius & indissolubilis nexus: Ergo nec mandata respuere possunt, nec ea respuentes inobedientes sunt. Dices. An non licet Deo pœnitentiam exigere, tanquam rem sibi debitam? Resp. 1. Omninò, nisi ipse actione suâ eam homini impossibilem reddiderit; id enim, uti vidimus, à justitiæ ratione est alienum. 2 Licet justè Deus pœnitentiam exigere posset, Sinceritas tamen ipsius non permittit, pœnitentiam exigere ab eo, quem eam præstare non vult; neque sub conditione pœnitentiæ salutem offerre illi, cui eam nunquam dare ante decrevit.

XIV. Alii excipiunt: Quod ministri, verbum Euangelii prædicantes, reprobis quidem salutem offerant, Deus verò non; sed solis electis. Resp. 1 Quod ministri faciunt, nomine Dei faciunt; Dominus quippe Apostolos in totum mundum misit, cum mandato hominibus fidem præscribendi, & vitam æternam, si credant, promittendi. Sic præcipit Dominus *Marc.* XVI. 16. *Euntes in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit salvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur;* Unde & *Act.* XVII. 30. Paulus dicit, *Deum nunc omnibus hominibus ubique annuntiare ut pœnitentiam agant:* quod tantum de annuntiatione per Apostolos facta intelligi potest, qui nomine Dei legatione funguntur, ideoque ipsis homines orantibus, tantundem est atque si ipse Deus per illos oret, 2 *Cor.* V. 20. 2. Non tantum ministri, sed & ipse Dominus omnibus promiscuè salutem offert. *Apoc.* III. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum igne probatum*, &c. Dices. Intentio Dei non est, reprobos ad salutem invitare, sed tantum convincere ingratitudinis; perinde uti Dominus ait *Joan.* XVI. 8. quod spiritus *cum venerit, arguet mundum de peccato, & de justitia, & judicio.* Resp. 1 Nemo ingratitudinis convinci potest, cui beneficium non offertur. 2. Intentio Dei est, salutem offerre sub conditione fidei & resipiscentiæ; quam si homines respuant, tum porrò eos convincere ingratitudinis. Dices. Ergo Deus non semper eum in finem verbum prædicari curat, ut homines convertantur: sed etiam ut convincantur ingratitudinis. Resp. Nego: hi duo fines sejungi non debent: præcipuus ac primarius Dei vocantis finis est homines convertere, atque ita ad salutem perducere: si Deus illum finem non consequatur, tum secundariò intendit illos convincere ingratitudinis; ita ut hic magis sit eventus, actioni divinæ nullo modo respondens, quàm finis à Deo intentus. Sed verò, modum tandem faciamus frivolis ejusmodi exceptiunculis refellendis, quarum meritò Theologos Reformatos pudere debet; utpote qui magis magisque illis sese intricent, Deoque

Ad quintam.

indignam planè hypocrisin ac simulationem adscribant.

Et cum Sapientia Dei.

XV. Porrò nec cum Sapientia divina conciliari potest hoc decretum: quia introducit Deum expectantem quod nunquam fieri vult, neque fieri potest: conversionem scilicet reproborum; & sub æternæ vitæ promisso præscribentem quod ipse facere vult, & quod, nisi ipso faciente, fieri nequit; fidem nimirum ac obedientiam in electis. Quæ ab omni sapientiæ ratione aliena sunt.

Ac tandem cum Amore Dei.

XVI. Maximè autem omnium cum amore divino ac φιλανθρωπίᾳ conciliari nequit absolutum Reprobationis decretum: utpote quo Deo maximi & infensissimi odii erga genus humanum, aut saltem maximam generis humani partem, actus adscribuntur, tantaque immanitas ac tyrannis, ut immanissimorum ac crudelissimorum tyrannorum crudelitas cum ea nullo modo comparari mereatur: sive sententiam Supralapsariorum, sive Infralapsariorum consideremus. Quid enim crudelius de Deo fingi potest; quàm ipsum ex mero voluntatis beneplacito homines nondum consideratos ut condendos, multò minus ut peccatores, ad æternos ignis infernalis cruciatus destinasse? aut, ut alii mollioribus verbis turpitudinem hanc velare student, decrevisse ita deserere & sibi relinquere, ut ex ista desertione homo necessariò in peccatum labi, atque ita æternum perire debeat? Vel, Deum ex mero voluntatis beneplacito homines in Adamo, quem sua determinatione aut desertione necessariò in peccatum labi voluit, consideratos ut peccatores, præterire voluisse & in exitio relinquere, seu ad exitium æternum destinare, nullâ ipsorum propriâ ac evitabili culpâ intercedente, sed quia primum Adami peccatum ipsis imputare, & propterea in miseria deserere voluit? Sanè odium suum erga maximam generis humani partem manifestius, quam alterutro horum actuum, demonstrare non potuit. Luculentissimè deprædicat Scriptura φιλανθρωπίαν Dei, *Tit.* III.4. At hac ratione nil nisi odium erga maximam humani generis partem ostendisset. Quin ipse creationis actus, summum alioquin beneficium reproborum respectu, actus odii foret; quatenus hominem creat, ut post brevem miseræ hujus vitæ usuram æternum miser sit. Nam quod quidam negant cruciatum infernalem facere hominem summè miserum, nec miseriorem quàm si prorsus non existeret, ideo est à ratione & communi omnium hominum sensu alienum, ut non videatur in sanum hominem cadere posse; sed potius reclamante ratione profectum ab illis, quibus stat quocunque modo θέσιν διαφυλάττειν, & potius absurda quævis admittere, quàm errorem agnoscere aut emendare. Præstat sanè non esse, quàm æternum gravissimis cruciatibus sine ulla intermissione torqueri. Imo mitius egisset Deus cum diabolis, quàm cum hominibus; cum tamen hominibus succurrere dicatur, non Angelis, *Hebr.* II.16. Quoniam Angelos à se non rejecit, nisi ob proprium peccatum quod scientes ac volentes commiserunt: secundum hanc sententiam verò Deus homines à se reprobat, vel consideratos ut innocentes; vel ut non sua culpa nocentes, sed tantum imputatione criminis, aliquot ante ipsorum nativitatem seculis commissi ab ipsorum parente, cujus nec conscii fuerunt, nec esse potuerunt.

Quia & multi illi includantur infantes.

XVII. Maximè verò amori Dei erga genus humanum adversatur hoc decretum, si consideremus plurimos illi includi infantes, etiam in infantia morientes. Ita enim communiter Doctores Contraremonstrantes docent, omnes gentilium infantes, tanquam fœderi divino non inclusos, reproborum numero accensendos esse. Quod fidelium liberos attinet, quidam ambiguè loquuntur, maluntque verbis generalibus & ambiguis sententiæ suæ fœditatem velare, quàm eam ingenuè profiteri; dicunt nim: nos juxta revelatam Dei voluntatem & judicium charitatis debere credere, omnes fidelium liberos, utpote fœdere divino comprehensos, esse electos: non tamen omnes electos esse rotundè asserere audent. Alii apertius & magis candidè agentes, etiam inter fidelium liberos, & quidem sacro baptismo tinctos, & in infantia morientes, discrimen faciunt, docentque non omnes illos electos, sed & quosdam reprobatos esse, & vasa iræ coagmentata ad interitum. Sed verò, quid magis amori divino adversum, quàm tenellos infantes, nullius criminis reos, quorumque innocentia vel homines immanissimos ad commiserationem invitat, æternis ignis infernalis flammis torquere, & in miserabili ipsorum cruciatu justitiæ suæ gloriam quærere? Sed quoniam hoc argumentum, de peccato originali disserentes, latius diduximus, illud impræsentiarum ulterius non prosequemur.

CAPUT VII.

Responsio ad loca Scripturæ, quæ pro absoluta Prædestinatione potissimum urgeri solent.

Variæ classes argumentorum.

I. Restat nunc, ut præcipua, quæ pro absoluta Prædestinatione proferri solent argumenta, paucis expendamus. Primò proferuntur aliquot Scripturæ Sacræ loca, quibus hanc Prædestinationem doceri contendunt. Ea autem, ut confusio vitetur, in duas classes distribui possunt. Primò enim varia proferuntur, quibus absolutam Electionem adstruere contendunt: eaque

que rursus in varias classes distribui possunt. Prima ejusmodi continet loca, in quibus *electionis*, *electorum paucorum*, *ordinatorum ad vitam æternam*, mentio fit: ut *Matth.* xx. 16. & xxii. 14. *Eph.* i. 4. *Act.* xiii. 48. Secunda, illa loca, in quibus Electionis causa statuitur *beneplacitum Dei*, *propositum Dei*, *consilium voluntatis divinæ*, *gratia & misericordia Dei*: *Matth.* xi. 25, 26. *Luc.* xii. 32. 2 *Tim.* i. 9. *Rom.* ix. 11. Tertia, illa loca, in quibus Electioni seu τῇ προγνώσει Dei, tanquam actui primo, omnes alios antecedenti, reliqui actus divini gratiosi tanquam media subordinari videntur; quin & personæ quædam certæ per ea ipsa media paulatim ad vitam & gloriam perduci: fide & resipiscentia donari, adeoque in iis omnia effici dicuntur, quæ ad salutem obtinendam facere possunt: ut *Rom.* viii. 28, 29, 30. *Joan.* vi. 39. *Matth.* xiii. 11. Secundò quædam adducuntur loca, ad Reprobationis absolutæ decretum adstruendum: ut *Judæ vers.* 4. *Joan.* xii. 39. 1 *Pet.* ii. 7, 8. *Proverb.* xvi. 4.

Prima Classis. II. Quod primam classem attinet; imbelle admodum est argumentum, ex nuda *Electionis*, aut *Electorum* voce, colligere absolutam ejusmodi ac æternam, sine ullo ad fidem respectu, electionem ad salutem. Probandum enim antea foret, vocem Electionis alio significatu in Scriptura non legi. Atqui in sequentibus, cum de fidelium actuali Electione, tanquam Novi Testamenti promisso, dicturi sumus, varias Electionis significationes proferemus: ex quibus liquebit eam nusquam illo, quem illi urgent, sensu in Scriptura reperiri. Nunc id de locis, quæ nobis objicere solent, ostendisse sufficiet.

Sensus loci Matth. xx. 16. III. Primæ classis ergo primus locus est *Matth.* xx. 16. *Sic erunt ultimi illi primi, & primi ultimi: multi enim sunt vocati, pauci electi.* Quæ postrema verba etiam leguntur *cap.* xxii. 14. Sed in neutro capite quicquam ex his verbis pro absoluta Electione deduci potest. *Cap.* siquidem xx. uti ex præcedente parabola liquet, per *electos* intelliguntur, qui undecimâ demum horâ vocati, & postquam unam tantum horam laboraverunt, æqualem cum iis, qui toto diē laboraverunt, & diēi æstum sustinuerunt, mercedem acceperunt. Non ergo hi *electi* opponuntur aliis à mercedis acceptione exclusis: quod necesse foret, si de decreto Prædestinationis hic ageretur; sed illis, qui, mercede cum ipsis æquales cum sint, majorem tamen laborem & diēi æstum sustinuerunt; nec electio officii præstationem præcedere dicitur, sed laborem, quem ab hora vocationis suæ ad diēi usque finem sedulò præstiterunt, consequi. Vocantur itaque *electi*, quasi eximii, ob prærogativam illam, quâ Dominus ipsos, cum essent ultimi, voluit facere pares cum primis.

IV. Nec etiam in verbis illis, prout *cap.* xxii. 14. leguntur, quicquam est quod pro absoluto Prædestinationis decreto facit. Subjunguntur quippe tanquam conclusio parabolæ de variis ad nuptias invitatis, qui omnes postquam proterve regis invitationem contemserunt, rex quosvis invitari jubet, & ad se adduci: inter quos cum conspectus esset aliquis veste nuptiali non indutus, rex iratus ipsum comprehendi, & manibus pedibusque ligatis in tenebras exteriores ejici jubet: cui parabolæ tum hæc verba à Domino subjunguntur: *Multi enim sunt vocati, pauci electi.* Hic intelligendam non esse absolutam ejusmodi Electionem, qua *electi* hi opponantur *vocatis*, qui verbo tantum externo vocantur vocatione inefficace, & interim irrevocabiliter à Deo sunt reprobati, ex ipsa parabola illiusque scopo liquet, quæ tota illuc tendit, ut divinam bonitatem & beneficentiam erga populum Judaicum, ipsorumque voluntariam rebellionem & contumaciam erga Deum, tanquam rejectionis veram ac propriè dictam causam, repræsentet. Illa autem nulla est, posito absoluto Electionis ac Reprobationis decreto. Quia ejusmodi reproborum vocatio verè vocatio non est: non enim ad salutem verè vocantur, quos Deus absolutè à salute, & ab omnis salutaris gratiæ communione rejecit. 2. Talis vocatio beneficium divinum non est, nec actus gratiæ, sed potius odii; utpote quæ sufficiens non est, per quam ad salutem perducantur; sed solummodò ob illius neglectum præparentur ad gravius exitium: ac proinde nec ulla ejusmodi vocatorum ingratitudo erga Deum esse potest. Itaque ex vi parabolæ antegressæ dicendum, per *vocatos* intelligi, qui vocanti Deo parere detractarunt; aut licet obedientiam externè aliquatenus profiterentur; atque ita in cœtu fidelium censeri vellent, verâ tamen fide ac animi probitate destituti erant: per *electos* autem, qui vocanti Deo paruerunt, ac propterea è reliquorum numero exemti & electi sunt, ut convivii nuptialis, hoc est, vitæ æternæ participes sint.

V. Tertius locus est *Eph.* i. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante jacta mundi fundamenta, ut simus sancti & inculpati coram ipso in dilectione.* Quo loco ajunt, electionem non tantum dici factam ante jacta mundi fundamenta, sed & fidem & obedientiam Electionis esse fructum; non ergo conditio quæ Electionem præcedat esse possunt. Resp. Hunc locum esse unicum, qui *electionis ante jacta mundi fundamenta* factæ meminit: aliàs omnibus in locis, in quibus *electionis* aut *electorum* mentio fit, intelligitur actio divina, quâ Deus in tempore homines segregat; quod fusius ostensuri sumus in sequentibus, quando de actuali fidelium Electione, ut Novi Testamenti promisso, dicturi sumus. Exinde

de itaque liquet, Electionem hoc loco non denotare sequestrationem quandam divinam, quâ Deus ante jacta mundi fundamenta apud se homines quosdam secrevit ab aliis, quibus æternam vitam daturus est: sed decretum electionis in tempore perficiendæ: eadem phrasi, qua *gratia nobis ante tempora secularia data* dicitur, 2 *Tim.* I. 9. quæ ut nobis daretur Deus ante tempora secularia decrevit: & qua *Christus habuisse* dicitur *gloriam* illam, qua à Patre glorificari petebat, *antequam hic mundus esset*, *Joan.* XVII. 5. & qua nos dicimur jam *cum Christo vivificati*, *suscitati*, *constituti in cœlestibus*, *Eph.* II. 5, 6. 2. Electio hic non designat Electionem propriè ad gloriam, sed Electionem, seu potius, decretum Electionis ad gratiam; per illam enim electi sumus ante jacta mundi fundamenta, ut sancti & fideles simus: id est, Deus ante jacta mundi fundamenta decrevit nos in Christo eligere, id est, vocare ad fidem & sanctitatem, atque ita ad omnium beneficiorum spiritualium ac cœlestium communionem.

Adstructio nostra explicationis. VI. Et hoc modo locum hunc exponendum esse, varia evincunt. 1. Quia hæc *electio* facta dicitur *in Christo*. At electio illa absoluta in Christo facta dici nequit, quia præcedit, ex mente eorum contra quos disputamus, decretum de Christo mittendo: non enim, juxta ipsos, Deus homines eligit, quia ipsos considerat ut per Christum liberatos; sed ideo illis Christum Mediatorem decernit, quia ipsos elegit. Dices. *In Christo*, significat per Christum. Resp. Nec in hac explicatione quicquam est præsidii. Aut enim electio facta est per Christum ut Mediatorem, aut ut Deum. Si per Christum ut Mediatorem, necesse est, ut decretum de Mediatore præcedat electionem, aliàs ut electio per Christum facta dicatur impossibile est. Si per Christum, ut Deum; electio hæc in Christo non magis facta dici potest, quàm in Spiritu Sancto: imo pari jure Christus & Spiritus Sanctus dici possent nos elegisse in Patre: quæ sanè absurda sunt, & à Scripturæ phrasi aliena. Dices. Facta est electio in Christo, tanquam fundamento omnis boni ex electione in ipsos derivandi. Resp. Hac responsione confirmatur, Christum considerari solummodò ut decreti Electionis executorem, & bonorum Electionem consequentium procuratorem: Electio itaque ipsa sine respectu ad Christum facta est; Electionis verò executio Christum includit; non autem ipsa Electio cum ejus executione confundi potest. 2. Si hic agatur de Electione ad gloriam, sequetur gloriam esse medium ad gratiam Si enim nos Deus elegit ad gloriam, eo fine ut essemus sancti, sequitur quod sanctitas, quæ gratiæ nomine denotari solet, finis sit respectu gloriæ: quod quàm maximè est absurdum. Ergo necesse est accipi de Electione, seu potius decreto electionis ad gratiam; illa enim facta est in Christo, & ex illa omnia hæc beneficia spiritualia & cœlestia, ab Apostolo toto illo capite commemorata, profluunt; fides nempe & sanctitas, & per eam adoptio in filios, quæque porrò sequuntur.

VII. Sed excipiunt: Electionem ad gratiam, qualem nos statuimus, non certò inferre vitam spiritualem; Electionem autem hoc loco statui ejusdem latitudinis cum benedictione Dei, *vers.* 3. *benedixit nobis*, *sicut elegit nos*: debet itaque complecti benedictionem fidei ac vitæ spiritualis, ex gratia Dei communicatæ. Resp. Nulla est in hac argumentatione consequentia: non enim sequitur; Apostolus Deo gratias agit pro electione, & pro omnibus beneficiis, quæ electionem sunt consecuta in illis qui se divinæ electioni morigeros præbuerunt; Ergo illa beneficia ejusdem sunt cum electione divina latitudinis; sed rectè quidem, nullis hæc beneficia contingere nisi electis, quia ex electione omnia fluunt. Aliud autem est, beneficia hæc ex electione fluere; aliud ita necessariò cum electione esse connexa, ut quemcunque Deus ad gratiam elegit, hoc est vocat, necessariò etiam omnium illorum beneficiorum sit particeps. Varia quippe hic enarrantur in sequentibus beneficia, quæ Apostolus expressè ab electione distinguit, quæque ipsis demum postquam crediderunt, obtigisse ait: qualis est obsignatio per Spiritum Sanctum, aliaque, de quibus vide *vers.* 13, 14. & sequentes. *Occurritur objectioni.*

VIII. Quartus locus exstat *Actor.* XIII. 48. *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Hic rursus quidam non tantum ad vitam æternam orninati dicuntur, sed & illa ordinatio præcedere fidem. Resp. 1. Non dicuntur præordinati, multo minus à Deo præordinati; sed simpliciter *ordinati*, *τεταγμένοι*, *ad vitam æternam*. Per *ordinatos* autem *ad vitam æternam* non esse intelligendos absolutè ad vitam æternam electos, liquet; quia exinde sequeretur. 1. Reliquos, qui non credebant, à Deo ab æterno reprobatos esse; sive ὅσοι explices per *quotquot*, vel per *qui*: dicendo enim, credebant qui à Deo ordinati erant ad vitam æternam, manifestè omnes qui non credebant ab illa ordinatione divina excludit. 2. Non tantum Paulum, sed & Euangelistam Lucam id scivisse: & 3. Eos in omnibus constare voluisse, atque idcirco scriptis mandasse. Quæ omnia variis absurditatibus scatent; neque ullus istius scriptionis fructus esse potuisset. Sed præterea, non patitur tota textus connexio, ut hic absolutè ad vitam æternam electi per illos *ordinatos* intelligantur. Nam Apostolus Paulus à Judæis ad gentes se convertit, quia illi sermonem Dei rejiciebant, seque vita æterna indignos judicabant; & additur, *Actor. XIII. 48.*

ex

ex gentibus credidisse, quotquot vel qui ordinati erant ad vitam æternam. Si enim per *ordinatos* absolutè ad vitam æternam electos intelligamus, non fuisset illa ratio à Judæis ad gentes transeundi, quòd Judæi sermonem Dei respuebant; nam Judæi ideo rejiciebant sermonem, quia ad vitam æternam electi non erant: Atqui quicunque ex gentibus electi non erant, etiam sermonem Euangelii rejecerunt: quæ ergo causa à Judæis ad gentes se convertendi? Et cur non incredulitas eorum, qui inter gentes ad vitam æternam non fuere electi, ratio fuit à gentibus redeundi ad Judæos, quoniam quicunque inter Judæos ad vitam æternam electi erant, credebant non minus quàm electi inter gentes? Quæres: Quinam ergo sunt τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον? Resp. Quoniam verbum hoc τεταγμένοι absolutè ponitur, nec additur, à quo sint ordinati, nihil vetat id in significatione activa reciproca accipere, ut τεταγμένοι sint ordinati, seu dispositi, nim: à seipsis, seu qui se ipsos disposuerunt: phrasi loquendi Novi Testamenti scriptoribus usitatissima. Et habet ea significatio potissimum locum in compositis verbi τάσσω, ut nimirum in constructione passiva habeant significationem activam reciprocam; præcipuè verbum ὑποτάσσω: *Rom.* x. 3. XIII. 1, 5. 1 *Cor.* XIV. 34. *Eph.* v. 21, 22, 24. *Coloss.* III. 18. *Tit.* II. 5, 9. III. 1. *Heb.* XII. 9. 1 *Petr.* II. 13, 18. III. 1. v. 5. Quin vel ipsi interpretes Novæ versionis Belgicæ, auctoritate ac jussu synodi Dordraecenæ adornatæ, eadem significatione *Rom.* VIII. 7. 1 *Cor.* XVI. 16. *Jacob.* IV. 7. ὑποτάσσεσθαι vertunt, *se subjicere*. Et hoc sensu filius perditionis describitur 2 *Thess.* II. 4. ὁ ὑπεραιρόμενος, *qui seipsum effert supra omnem, qui Deus appellatur*. Imo hoc ipso Capite *Act.* XIII. 46. paucis ante hunc versum verbis Apostolus Judæis dicit, στρεφόμεθα, *convertimur*, id est, convertimus nos ad gentes: quemadmodum & eadem versio Belgica habet; **Siet Wy keeren ons tot de Heydenen.** Eodem sensu apud Matthæum & Lucam vox passiva στραφεὶς, sæpius significat, *se convertens*: *Matth.* VII. 6. XVI. 23. *Luc.* VII. 9, 44. & pluribus aliis in locis: & ἐπιστραφεὶς, *Joan.* XXI. 20. Sic de Domino Jesu dicitur, ἐκρύβη, pro *occultavit se*: *Joan.* VIII. 59. XII. 36. Eandem significationem activam reciprocam conjugationis passivæ etiam aliis in verbis passim observare licet; quòd quoniam maximi ad genuinam hujus loci significationem adstruendam momenti est, operæ pretium duximus in Commentariis nostris in Acta Apostolorum ad hoc Caput XIII. 48. prolixius ostendere, & plurimis tam ex ipsis sacris literis, quàm ex profanis scriptoribus allatis exemplis illustrare: quæ hic repetere superfluum foret, & à Lectore curioso videri possunt.

Hac autem significatione adstructa, totum, quod ex illo loco pro Prædestinatione absoluta deprom i solet, argumentum sponte diffluit.

IX. Unicum huic interpretationi objicitur, quòd, illâ admissâ, etiam ante fidem præviæ quædam in homine dispositiones sint admittendæ. Sed verò istud adeo clarum est, ut Scriptura illud variis in locis apertissimè doceat: *Joan.* III. 21. *Qui dat operam veritati, is venit ad lucem, ut manifesta fiant facta, quòd in Deo facta sint.* *Cap.* VII. 17. *Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei, is cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit.* *Cap.* VIII. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit; idcirco vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Non enim (ut obiter hoc moneam) *ex Deo esse* hic denotat à Deo ab æterno electum, & illius electionis vi etiam in tempore regenitum esse: 1 Quia *ex Deo esse* hic opponitur *ex patre diabolo esse*; quod tum ex vi oppositionis denotare deberet, à diabolo electum esse, quod absurdum. 2. *Ex Deo non esse* deberet tum significare, à Deo reprobatum esse à salute absoluto ac irrevocabili decreto, ac proinde vi illius reprobationis non esse à Deo regenitum, seu non accepisse vires ad regenerationem sufficientes: Atqui *ex Deo non esse* ponitur tanquam peccatum & culpa, quod Christus in Judæis reprehendit: nemo autem jure reprehendi potest, quod à Deo electus non sit, aut vires ad regenerationem sufficientes non acceperit; non enim illud in potestate hominis est. 3. *Ex Deo esse* dicitur hic præcedere auditionem verborum Dei, ex quorum auditu fides oritur, *Rom.* x. 15. Aliud ergo quid denotat, quàm regenitum esse, nim: dispositionem quandam habere bonam ac Deo gratam, quæ accedente verbo Euangelii & spiritus divini gratiâ fidem concipere potest, & ordinariè solet. Similiter ab altera parte Scriptura docet eos non credere, nec verbum Dei recipere, qui probitatis studiosi non sunt, sed animum à pietate habent alienum, & aut carnales, aut animales sunt: *Rom.* VIII. 7. *Sapientia carnis* (seu quod caro sapit, desiderat & concupiscit, illud enim est φρόνημα τῆς σαρκὸς) *inimicitia est adversus Deum: legi enim Dei non est subjecta, nec potest.* 1 *Cor.* II. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest percipere, quia spiritualiter dijudicantur.* Vide & *Joan.* III. 20. v. 44. x. 26. Tales dicuntur *homines corrupti mente, reprobi circa fidem*: 2 *Tim.* III. 8. taliumque dicitur non esse fides, 2 *Thess* III. 2.

Dari prævias dispositiones ante fidem.

X. Dices. Attamen *Tit.* III. 3. omnes dicimur ante conversionem impii fuisse, & variis cupiditatibus servientes: quomodo ergo in nobis est præcedanea dispositio ad fidem? Resp. Aliud est peccatorem esse, aliud animi improbitate laborare. Maxima

Occurritur objectioni ex Tit. III. 3.

quippe peccatorum est disparitas. Qui omnem rectæ rationis usum excusserunt, aut se uni vel pluribus peccatis ita mancipârunt, ut iis nullo modo, quacunque demum oblata occasione, velint valedicere, ii inepti prorsus sunt ad fidem: unde liquet, aliquam ad fidem dispositionem reliquam esse in iis, qui se non planè manciparunt peccato, omnemque rectæ rationis usum non excusserunt; quatenus animum non ita prorsus à pietate aversum habent, quin accedente verbi divini luce, pietatis veræ amor in iis accendi possit: quanquam hæc dispositio in omnibus non est æqualis, sed in his major, quàm in aliis: unde nec omnes æquè prompti ad fidem amplectendam, nec iidem quovis tempore perinde apti. Sed de hac diversitate, variaque hominum ad fidem dispositione, fusius dicturi sumus in capite de Vocatione hominum ad salutem. Sufficit nunc ostendisse, licet omnes ante fidem peccatores fuerimus, & cupiditatibus nostris mancipati, quod tamen dispositio quædam remanserit ad fidem amplectendam. Quo uno objectioni huic abunde responsum est.

Secunda classis. XI. Sequuntur nunc secundæ classis loca, in quibus *beneplaciti divini*, *consilii voluntatis divinæ*, similiumque mentio fit. Sed invalidum admodum est, ex solis vocibus argumentum pro absoluta quorundam electione deducere, nisi simul ex illis locis probetur, ex consilio voluntatis suæ Deum quosdam nominatim ad salutem æternam, sine ullo ad fidem aut opera ipsorum respectu, elegisse. Quod ex nullo eorum probari potest: siquidem de æterna ejusmodi electione ne ullum in illis occurrit vestigium. Nos antea, sententiam nostram de Prædestinatione tradentes, ostendimus quot modis beneplacitum divinum in illa sese conspiciendum præbeat, etiamsi prædestinatio non statuatur absoluta sine ullo ad fidem aut infidelitatem respectu. Sed loca singula paucis expendamus.

Sensus loci Matth. XI. 25, 26. XII. Primus est *Matth.* XI. 25, 26. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea revelaveris infantibus: Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Resp. In hoc loco nihil est, quod ejusmodi electionem absolutam vel leviter innuat; multò minus, ut solidum exinde pro ea desumi argumentum possit. Loci sensus duplex esse potest. Primus, quod Dominus Jesus, respiciens ad legationem Apostolorum, præcedente capite descriptam, Deo gratias agat, quòd doctrinam salutis non commiserit hominibus *sapientibus* & doctrinâ mundanâ claris, quorum ministerio homines ad salutem vocet & ad fidem perducat; sed *infantibus*, id est, hominibus rudibus & infantium instar doctrinâ & eruditione destitutis: in eo quippe summa Dei gloria elucet, quod rudes ejusmodi homines tam sublimi scientiâ donet, & ad munus adeo arduum aptos reddat: inde enim liquet, omnem hujus verbi efficaciam Deo tribuendam; cùm, si sapientibus & eruditis verbum suum prædicandum credidisset, illi aliquam ei suâ doctrinâ ac auctoritate conciliasse videri possent efficaciam. Quod à consilio divino alienum fuit. Alter sensus est, ut *sapientes & intelligentes* denotent sapientiæ & intelligentiæ opinione inflatos ac tumidos; *infantes* verò homines humiles infantium instar, ac dociles. Et tum hic verborum horum sensus est: Quòd Dominus Jesus, respiciens ad incredulitatem incolarum Chorazin & Bethsaida, Patri suo gratias agat, quod doctrinam cœlestem ita comparatam voluit, ut sit accommodata non superbis ac tumidis, sed humilibus; quoniam non spectat bona neque sapientiam hujus mundi, sed iis abnegatis bona cœlestia, futura ac invisibilia sectari jubet, unde & mundanorum hominum opinione stulta videtur: inde autem est, quod doctrina hæc abscondita sit à sapientibus; quia illi fidem præbere nolunt: humilibus verò corde ea reveletur, id est, eorum animis ita arrideat, ut planè ei aurem præbeant. Adeo ut absconsio hic denotet eventum, qui ex doctrinæ genio & sapientiæ opinione tumentium indole resultat: revelatio autem revelationem cum effectu: perinde ut *Esa.* LIII. 1 *Quis credidit auditui nostro, & verbum Domini cui revelatum est?* Et eventus absconsionis tribuitur Deo, sicut aliàs fieri videmus, *Matth.* X. 34. 1 *Cor.* 1. 19. & præsertim, quia Deus voluit, doctrinam suam illius esse indolis, ut sapientiæ opinione turgentibus minus esset accommoda. Quocunque sensu sumatur, in utroque beneplacitum divinum actionis divinæ causa agnoscenda est; Deus siquidem ministris quibus vult utitur, ad gratiam suam hominibus annuntiandum: & pro beneplacito suo elegit doctrinam qualemcunque, modò sanctam ac puram, cujus ductu homines ad se alliciat: & in neutro sensu quicquam est pro absoluta electione præsidii. Quod si qui urgere velint, verba hæc de intentione abscondendi reprobis, & revelandi Euangelium adsolutè electis intelligenda esse, illi aliunde præsupponere necesse habent, ejusmodi absolutè electos & reprobos dari; non autem ex textu hoc id elicere possunt; cum nihil de ejusmodi Electione aut Reprobatione in toto hoc contextu occurrat: imo manifestè in hac revelatione & absconsione respiciatur ad qualitatem & dispositionem hominum; siquidem absconsio dicitur facta sapientibus, revelatio infantibus: quæ cum absoluta Electione & Reprobatione pugnant. Ac tandem, eo fine Deus revelat verbum suum, ut homines ab inani illa sapientiæ opinione liberentur; ut liquet ex 1 *Cor.* 1. 26, 27, 28, 29.

XIII.

Luc. XII. 32. XIII. Secundus locus est *Luc.* XII. 32. *Ne time tu pusille ille grex; nam placuit Patri vestro vobis dare regnum illud.* Resp. Nec in hoc loco quicquam reperire est, quod absolutæ Electionis decreto faveat. Dominus siquidem *per pusillum illum gregem* intelligit discipulos suos, exiguo numero ipsi tanquam grex pastori suo adhærentes: Deum vocat ipsorum Patrem; ergo eos considerat, ut per fidem sibi insitos; per fidem enim filii Dei sumus, *Joan.* I. 12. *Gal.* III. 26. & per consequens Deus noster Pater. Scopus Domini est, suos discipulos dehortari ab animi sollicitudine & cura rerum hujus vitæ; non tantum hac adhibitâ ratione, quòd Pater cœlestis curam ipsorum gerit; sed &, quòd hæc omnia, quærentibus primum regnum Dei & justitiam ejus, tanquam corollarium quoddam adjicienda sunt. Quibus hisce in verbis subjungit, *noli timere pusille grex*, vobis sc. necessaria vitæ defutura; *quoniam Patri vestro placuit vobis* multò majora, *regnum* sc. *illud* Dei *dare.* Quid hîc pro absoluta electione quorundam sine ullo ad fidem respectu? An quòd datio regni adscribitur beneplacito Patris? Sed & juxta nostram sententiam Patris beneplacito adscribitur: arbitrii enim est divini, quòd Filio suo credentibus sibique obtemperantibus velit dare regnum illud. An quod dicitur *vobis*? Sed ostendendum tum foret, *vobis* denotare personas absque ullo ad fidem respectu consideratas: quod sanè ex hisce verbis evinci nequit, sed potius consideratas ut fideles, uti jam ostendimus.

2 Tim. I. 9. XIV. Tertius locus est 2 *Tim.* I. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta; non ex operibus nostris, sed ex suo ipsius proposito & gratia, quæ data quidem est nobis in Christo ante tempora seculorum, sed patefacta nunc est per illustrem illum adventum Salvatoris nostri Jesu Christi*, &c. Resp. Nihil in hoc loco est, unde vel verisimiliter concludi possit, hic intelligendum propositum divinum de certis quibusdam personis absque ullo ad fidem respectu salvandis, aut ad salutem eligendis: sed manifestè agitur de proposito divino, quo ante tempora secularia constituit homines per Christum Jesum vocare ad fidem atque ita in statu salutis collocare. *Servare* itaque est collocare in statu, in quo salutis participes esse possunt: quia enim Deus ex sua parte confert, quicquid ad servandum hominem requiritur, eum *servare* dicitur. Sic 1 *Tim.* IV. 10. vocatur *Servator omnium hominum, maximè vero fidelium.* Et hanc vocationem dicit esse à Deo profectam, non *ex operibus nostris*, id est, operum nostrorum meritis provocato; quoniam omnes peccatores eramus, & iræ divinæ ac condemnationis rei; sed ex beneplacito & gratia divina. Licet autem Deus in gratiosa sua ad salutem vocatione nullum ad opera nostra respectum habuit, non tamen absque respectu ad fidem & regenerationem vocatis salutem daturus est: quod clarissimè docet locus *Tit.* III. 4, 5. huic parallelus: *Cum benignitas & amor erga homines apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit*, (habemus hîc gratuitam ad salutem vocationem) *per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti.* Quibus docet, salutem non obtingere nec alicui destinari absque regeneratione. Destinatio ergo ad gratiam sine respectu est ad hominis probitatem, non autem destinatio ad salutem. Et hanc manifestè designat Apostolus, expressam *sanctæ vocationis*, quâ Deus nos vocavit, mentionem faciens.

XV. Quartus locus est *Rom.* IX. 11. Sed quia ille adduci solet, non tantum ad absolutæ Electionis, sed & Reprobationis decretum adstruendum, in eoque maximum totius hujus causæ præsidium collocari solet, nos prius loca tertiæ classis expendemus: hunc verò ultimò excutiemus, ut ita cum examine reliquorum locorum, qui pro Reprobatione absoluta proferri solent, conjungatur. Rom. IX. 11.

XVI. Tertiæ ergo classis primus ac præcipuus locus est *Rom.* VIII. 28, 29, 30. *Novimus autem iis qui diligunt Deum omnia simul adjumento esse ad bonum, iis videlicet qui secundum propositum vocati sunt. Nam quos prænovit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit illos & glorificavit.* Hic dicunt esse auream salutis catenam, cujus membra ita inter se sunt connexa, ut qui unius particeps est, etiam reliquorum particeps sit; & cùm primus illius annulus sit πρόγνωσις seu præcognitio Dei, ejusve decretum, ex illo omnia alia salutaria beneficia, quin & ipsam salutem, necessario nexu dependere. Resp. Ut objectioni, quæ ex hoc loco desumitur, melius occurramus, ante omnia constare debet de Apostoli scopo. Hic ex totius capitis contextu alius non esse apparet, quàm fideles consolari contra gravissimas persecutiones, quas Euangelii causâ sustinebant; hac abhibita ratione, quod si cum Christo patiamur, etiam cum ipso gloriæ cœlestis simus futuri participes: quam rationem à *vers.* 17. huc usque fusè deducit. In hisce verbis & sequentibus, ad majorem fidelium in persecutionibus consolationem, docet, adversa non tantum non obesse ipsorum saluti, sed adjumento esse ad ipsorum salutem, & qua ratione, quibusque gradibus per illa ad salutem perveniant, ostendit. Hunc totius capitis esse scopum ex sola ejus inspectione & lectione clarissimè patet.

Tertia classis. Sensus loci Rom. VIII. 28. 29. 30.

Scopus loci.

Qui ſint, diligentes Deum &c.

XVII. Exinde conſtat, ſubjectum, de quo Apoſtolus hic loquitur, eſſe *diligentes Deum*, ipſiſque quà talibus reliqua quæ in textu hoc ſequuntur applicanda eſſe. *Diligentes* autem *Deum* ſunt qui mandata ejus obſervant, *Joan.* XIV. 21 1 *Joan.* v. 3. Et ut hoc epitheton propius fidelibus applicet, oſtendit ſe non de quibuſvis quacunque ratione Deum diligentibus, Judæis nempe, & gentibus ſecundum rectæ rationis dictamen viventibus, ſed fidelibus in Jeſum Chriſtum loqui, eos ita porrò deſcribit, *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt:* per *propoſitum* illud deſignans conſilium voluntatis divinæ, quo decrevit fideles in Jeſum Chriſtum, & ex fide Euangelio obtemperantes, ſervare: de quo propoſito etiam loquitur 2 *Tim.* 1. 9. uti vidimus. Qui ergo *vocati ſecundum* hoc *propoſitum Deum diligunt*, ſunt fideles Chriſtiani, ex Euangelii præſcripto vitam inſtituentes, & non juſtitiam ex operibus Legis quærentes.

Quomodo omnia iis cooperentur in bonum.

XVIII. Hiſce autem dicit *omnia*, ſcilicet non peccata (ut quidam contendunt) illa enim dilectioni divinæ adverſantur, iiſque indulgens neutiquam Deum diligere dici poteſt; ſed adverſa & perſecutiones *cooperari in bonum*; quia per illas non, ut mundus perversè credit, miſeri evadunt, ſed ad ſalutem præparantur, perque illas tanquam ſcalas ad ſalutem adſcendunt. Excipiunt, hîc generale iſtud propoſitum divinum intelligi non poſſe, quia propoſitum Dei reddit incertum ac dubium reſpectu hominum ſingularium, uſque dum ab hominum propoſito determinetur; quod eſt alienum à natura Dei, & contra ſcopum loci, ubi firmitatis ac ſtabilitatis vis ex vocatione in vocatos ex propoſito Dei derivatur. Reſp. 1. Propoſitum Dei de ſalute reſpectu ſingularium perſonarum ſuſpenſum eſſe, uſque dum homo credat, atque ita illi in ſpecie applicetur, à natura divina neutiquam eſt alienum, ſed legiſlationis ratio omninò exigit. 2. In loco hoc ex propoſito & vocatione divina derivatur quidem firmitas promiſſionis, ac ſpei quæ exinde de vita æterna concipi poteſt; quia quando homo officio ſuo non deëſt, Deus, qui omnipotens eſt & conſtans in promiſſis, quicquid promiſit revera præſtiturus eſt: ſed tamen applicatio hujus promiſſionis ſpeciatim facta manifeſtè attribuitur fidei ac pietati hominum; quoniam expreſsè dicuntur *diligentes Deum*: alii ergo non intelliguntur, quàm qui vocationi divinæ parendo, Deumque diligendo à Deo obtinuerunt, ut propoſitum de ſalute fidelibus danda ipſis in ſpecie applicuerit. Talibus vero adverſa ſalutem impedire nequeunt, imo ipſis cooperantur in bonum.

Explicantur verba: Quos præſcivit, eos & prædeſtinavit, &c.

XIX. Hanc autem aſſertionem Apoſtolus in ſequentibus probat, hac adhibitâ ratione: *Nam quos prænovit, & prædeſtinavit conformes imagini Filii ſui*, &c. Unde liquet, per eos *quos prænovit*, non alios eſſe intelligendos, quàm diligentes Deum ex vocatione ſecundum propoſitum. Hæc autem prænotio non nudam Dei ſcientiam denotat, ſed approbationem. *Noſcere* quippe Dei in Scriptura ſignificat approbationem divinam ob bonam quandam qualitatem in iis quod approbat: *Pſal.* 1. 6. *Deus novit viam juſtorum.* 2 *Tim.* II. 16. *Deus novit eos qui ſunt ſui.* Et *non noſſe*, non amare, non approbare ob malam quandam qualitatem ſeu diſpoſitionem: ut cum Dominus ultima die dicturus eſt, *nunquam novi vos, abite à me omnes qui operamini iniquitatem*: *Matth.* VII. 23. & fatuis virginibus, *Matth.* XXV. 12. *non novi vos.* Exinde ſequitur, *prænoſſe* denotare decretum Dei, quo apud ſe propoſuit, eos, qui ſecundum vocationem ſuam per Chriſtum ipſum diligunt, amare, approbare. Sicut enim nullos actu amat & approbat, niſi ſe diligentes; ita nec alios amare, nec approbare decrevit. Et hoc ſenſu ſi accipiamus eos quos Deus prænovit, omnia optime fluunt: Omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum, id eſt, omnia adverſa & afflictiones: Deus enim fideles illos, quos *præſcivit*, hoc eſt, amare decrevit, *etiam prædeſtinavit conformes imagini Filii ſui*: id eſt, ut per viam crucis pervenirent ad ſalutem, ad exemplum Chriſti Filii ſui. Non enim hæc conformitas conſiſtit in ſola gloria, qua fideles olim Chriſto ſimiles futuri ſunt: ſed & in via qua ad gloriam tendunt. Hæc autem imago ab ipſo Domino Jeſu exprimitur *Luc.* XXIV. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et Apoſtolus hoc ipſo capite fideles illi conformes fieri vult ut ſalutem adipiſcantur, *verſ.* 17. *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Quos prædeſtinavit, hos & vocavit.

XX. Addit Apoſtolus: *Quos verò prædeſtinavit, hos & vocavit.* Ubi orationis ſeries oſtendit, de eadem Prædeſtinatione, de qua agere incepit, eum ſermonem ſuum continuare, vid: de prædeſtinatione fidelium ad ſalutem per crucem & afflictiones, ad exemplum Chriſti. Unde conſtat etiam vocationem, convenienter iſti prædeſtinationi, accipiendam eſſe, non de prima hominum vocatione ad fidem, ſed de vocatione fidelium ad crucem, qua Deus fideles ſuo quoſque tempore ad crucem vocat, quamque ipſos propterea alacri animo ſubire oportet, neque per illam à fidei conſtanti profeſſione deturbari. Hoc ſenſu voce *vocandi* utitur Petrus, 1 *Epiſt.* II. 21. *In hoc enim vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.*

Quos vocavit in

XXI. Sequitur; *Quos verò vocavit, hos & ju-*

& justificavit: seu justificat, vel justificabit; per enallagen temporis, per quam res certò certius futura enuntiatur ut præsens, vel ut præterita; uti in membro sequente, *quos verò justificavit, hos & glorificavit*: quod de glorificatione futurâ accipiendum esse manifestum est: quia tamen certò est futura, & cum justificatione indivulso nexu cohæret, enuntiatur in tempore præterito. Per *justificationem* autem intelligit remissionem peccatorum, & præmii imputationem: Deus ipsis peccata remissurus est, & tanquam justis æternæ vitæ præmium destinabit. Illos autem ita justificatos glorificabit, præmioque ipsis destinato tandem coronabit. Ita videmus, omnia optimè & consentaneè scopo Apostoli fluere.

Refutatur perversa hujus loci explicatio. XXII. Sed si per prænotionem & Prædestinationem Dei intelligamus æternam illam absolutam ac immutabilem certorum hominum ad salutem electionem; & per Vocationem, efficacem ad fidem vocationem, quâ vocati necessariò ad fidem perducantur; nulla in hisce verbis consolationis erit ratio adversus afflictiones. Non enim sequitur, diligentibus Deum omnia adversa cedere in bonum; quia Deus certas quasdam personas ex absoluto beneplacito, sine ullo ad fidem ipsorum respectu, ad salutem irrevocabiliter elegit, & in tempore ita vocat, ut fidem in ipsis virtute insuperabili operetur; quia hæc nullum cum afflictionibus communionem habent. Nec sequitur, quia quos Deus justificavit eos etiam glorificavit, omnes justificatos necessariò ad finem usque vitæ in fide & dilectione Dei perseveraturos, neque à fide sua deficere posse; hoc enim de iis dicitur, quatenus Deum diligunt. Si verò contingat ipsos afflictionibus succumbere, quemadmodum ipsi Deum abnegant, ita & ipse illos abnegaturus est, 2 *Tim.* II. 2. juxta verba Domini *Matth.* X. 32, 33.

Sensus loci Joan. VI. 37. XXIII. Secundus locus est *Joan.* VI. 37. *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet; & eum qui venit ad me nequaquam ejecerim foras.* Hic dicitur datio Patris esse actus fidem antecedens. Resp. Nos id ultrò ac libentes fateri: sed quæritur, quid illa datio Patris sit? Non esse æternam absolutam ad salutem electionem, vel aliquid ex illa electione fluens, inde constat; quia sic Dominus, cujus oratio exclusiva est, non tantum elevasset, sed & planè sustulisset culpam Judæorum, quod in ipsum non crederent: quia nim: ipsi *dati*, hoc est, ad salutem electi non essent à Patre, neque gratiâ illâ convertente, quæ ex electione fluit, donati. Eam enim habere in nullius hominis est potestate. Dices. Nolle credere, aut velle non credere, est peccatum, sive potentia credendi adsit, sive absit. Resp. Quid si & potentia volendi absit, an nihilominus nolle credere peccatum erit pœna dignum? Illud sanè ab omni ratione alienum est. Restat ergo, ut aliud quid per *dationem* hanc Patris intelligatur: nimirum datio cum effectu, perinde ut *vocatio* aliquoties vocationem cum effectu denotat, 1 *Cor.* 1. 24. & *vers.* 2. *Apoc.* XVII. 14. perinde uti *cordis apertio*, *Actor.* XVI. 14. & hoc ipsum *dandi* verbum *Act.* XI. 18. 2 *Tim.* II. 25. Quinam verò illi sint, qui à Patre dantur Christo cum effectu, alibi Scriptura docet. Non qui ab æterno ad salutem absoluto & immutabili decreto electi sunt: talem enim electionem Scriptura nusquam docet: sed qui à Patre generalioris gratiæ ope præparati sunt, ad fidem in Christum, quando ipsis prædicatur, amplectendum; qui itaque illius generalioris gratiæ ope animum habent cœlestis doctrinæ capacem; qui alibi dicuntur veritatem facere, ex Deo esse, dispositi ad vitam æternam, uti fusius vidimus in examine loci *Act.* XIII. 48. Quamvis enim Pater Christum miserit, ut omnibus hominibus doctrinam salutis patefaciat, omnibusque vires ad illi fidem adhibendum sufficientes largiatur; hosce tamen ita dispositos speciatim Christo tradere dicitur, quia tales per verbum revera convertuntur, & ad Christum veniunt, seu in ipsum credunt. Dices. Sic actio Dei per dispositionem hominum explicatur. Resp. Negatur: sed dispositio illa hominum ab actione divina præcedente orta dicitur, actioque divina in talibus suum habere complementum. Dices. Atqui *a Deo doceri* est beneficium specialis gratiæ Fœderis Novi, *vers.* 45. *Hebr.* VIII. 10. Resp. *Doctum esse à Deo*, ita ut plenaria voluntatis ejus cognitione sis instructus, nihilque tibi desit ad consequendum vitam æternam, beneficium est gratiæ in Fœdere Novo revelatæ. Verùm illa non est datio illa Patris quæ fidem præcedit: sed est ipsa institutio Christi, quâ sibi à Patre datos doctrina cœlesti perducit ad fidem. Dices. Omnes, qui inter Ethnicos unquam scintillas rectæ rationis sibi concessas fovere aliquo modo studuerunt, Christo donati finguntur, idque visibili nota declarari, quamvis nihil audiverint de Christo. Resp. Nequaquam: 1. Non enim omnes, qui aliquo modo tantum rectæ rationis scintillas fovere studuerunt, sed qui in eo operam suam posuerunt, ut rectam rationem, aliaque gratiæ divinæ media, excolerent, & sic sublimiori disciplinæ præparati sunt, intelligimus. 2. Nec dicuntur Christo dari, etiam cum nihil de Christo audiunt; sed quando Christus ipsis prædicatur: quia tum Christo dantur cum effectu, illique verbo audito statim credunt.

XXIV. Tertius locus est *Matth.* XIII. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* Resp. Antequam ex hoc loco quicquam pro absoluta electione concludi possit, probandum est dationem *Et Matth. XIII. 11.*

tionem hanc ex absoluta ejusmodi quorundam electione profieisci. Atqui contrarium liquet: quia dicendum foret, Christum discipulis suis omnibus hac sententiâ indicasse, quòd essent electi, ac propterea Deus illis media ad fidem dederit: atqui inter hos etiam fuit Judas. 2. Reliquos fuisse reprobatos: quod neutiquam verisimile, cum postea mille ni aliquot ex Judæis crediderint; nisi quis affirmare ausit, neminem ex hisce ingenti illi fidelium numero inclusum fuisse. Sensus itaque loci hujus est: Vobis discipulis meis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis verò malignis verborum meorum auditoribus non est datum. Hoc est: non vestri, sed illorum causâ loquor per parabola & ænigmata; sed quæ obscurè illis propono, Deus vult ut clarè vobis patefaciam. *Datum* itaque ipsis dicitur *nosse mysteria*; non quia jam tum omnia mysteria clarè cognoscebant; multa enim adhuc ignorarunt, seu non intellexerunt, etiamsi clarè ipsis proposita essent: quale inter alia est, mors Christi violenta, ejusque resurrectio tertia die: vide *Luc.* XVIII. 34. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur*: sed quia Dominus ipsis, tanquam amicis suis, mysteria regni cœlorum, præsertim sensum parabolæ, prout petebant, esset explicaturus: aliis non dicitur datum; quia non clarè nec apertè, sed per parabolas ipsis loquebatur, ob summam cordis ipsorum malitiam, uti in sequentibus dicit.

CAPUT VIII.

De sensu cap. IX. *ad Romanos.*

Genuinus capitis hujus scopus. I. Tandem proferri solent aliquot sententiæ ex *cap.* IX. *ad Rom.* præsertim *vers.* 11, 12, 13. *Nondum enim natis* (pueris) *cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, major serviet minori: sicut scriptum est, Jacobum dilexi, Esavum odio habui.* Similiter *vers.* 18, 21 aliique. Resp. Ut horum verborum sensum rectè percipiamus, ante omnia scopus Apostoli, quem in toto hoc capite sibi propositum habet, inquirendus est. Præcedentibus capitibus Apostolus fusè erga Judæos ac gentes probavit, hominem non justificari ex operibus Legis, sed ex fide in Jesum Christum. Eam autem fidem à Deo omnibus sine discrimine gratiosè esse patefactam, tam gentilibus quàm Judæis; eò quod omnes, non tantum gentiles legis naturalis, sed & Judæi legis Mosaicæ transgressione, rei facti sint condemnationis ac iræ divinæ; ex quâ per legem liberari non poterant; sed non nisi per novam ac singularem Dei gratiam in Jesu Christo exhibitam. Exinde autem sequebatur, quod Judæi tanquam ingens absurdum Apostolo objiciebant, Judæos, qui ex Lege justitiam quærebant, & fidem in Christum respuebant, non haberi amplius pro fœderatis Dei, neque salvari: gentes autem, quæ per fidem in Jesum Christum Deo adhærebant, fœderi divino inseri, & ad salutem destinari. Apostolus hoc capite consectarium illud admittit, in eoque nullam esse absurditatem ostendit. Hic scopus Apostoli, quem sibi propositum habuit, si rectè attendatur, omnia in hoc capite facillimè fluent, & apparebit, quomodo omnia aptissimè huic scopo accommodentur.

II. Sed Contraremostrantes ulterius progredientes, volunt Apostolum hîc altius adscendere, ad causas fidei & infidelitatis inquirendum, & docere, quibus Deus ex absoluti sui decreti vi fidem dare velit: nempe paucis Judæis & plurimis è gentibus, quos ipse juxta beneplacitum suum ab æterno ad salutem elegerat, maximâ Judæorum parte rejectâ; quos & propterea ad fidem non converti, sed in infidelitate sua indurari necesse erat. *Aliorum circa eum error.*

III. Sed verò illi vehementer falluntur, & à scopo Apostoli longissimè aberrant: quod liquet ex initio & epilogo hujus capitis. In initio capitis Paulus gravi protestatione adhibita, non tantum maximum animi sui dolorem testatur, sed & votum concipit, se velle anathema fieri pro salute fratrum suorum secundum carnem: atqui hoc non est conveniens Apostolo, ut doleat, & anathema fieri velit ut irritum reddatur Dei decretum planè irrevocabile, & in quo decernendo Deus gloriam suam ostendisse creditur. Dices. Apostolum ex vehementi erga gentem suam amore extra se raptum, & velut in ecstasi, dolorem hunc testatum esse, & votum hoc concepisse. Sed contrarium liquet, à Paulo sedata ac composita mente votum hoc esse conceptum. Seriam enim admodum adhibet protestationem, & in materia gravissima, in qua minimè conveniens est ipsum ex quadam animi perturbatione loqui. Deinde *cap.* X. 1. dicit *εὐδοκίαν suam esse & obsecrationem ad Deum, pro illis* Judæis *in salutem.* Dices. Dominus Jesus etiam flevit super urbem Jerusalem, quam tamen sciebat à Deo exitio esse destinatam, *Luc.* XIX. 41. Resp. Flevit Dominus gentis Judaicæ pervicaciam, quia cùm possent maturâ resipiscentiâ exitium evitare, nolebant tamen. Hic autem fingitur Apostolus dolere ob decretum divinum, sine respectu ad hominum fidem aut opera conceptum, & nullâ fide aut pœnitentiâ rescindendum. Dices. Si hæc argumentatio valeat, nec secundum nostrum sensum Paulum rectè dolere potuisse. Nam si voluit quædam à Deo fieri, quæ non fecit, popu- *Is refellitur, ex initio hujus capitis.*

populum illum in suum eligendo, quem non elegit, aut viam salutis præscribendo quam non præscripsit: eadem recurrent incommoda, quæ nos absolutis prædestinatoribus objecimus. Si voluit aliquid à Judæis fieri quod non fecerunt: quorsum igitur deprecatio ejus apud Deum, qui fecerat quantum in se fuit, ut ipsi facerent bonum illud quod facere debuerunt? Resp. Objectio hæc admodum est futilis & insulsa. Nam quod primum illius membrum attinet, absit ut nos Apostolo tribuamus dolorem, quia voluerit quædam à Deo fieri, quæ non fecit: aut quod optaverit aliam salutis viam Deum præscripsisse, quam præscripsit: adeo hæc sunt aliena à mente nostra, ut totius capitis explicatio, & scopus Apostoli quem indicamus, manifestè contrarium clamet. Alterum membrum manifestâ laborat inconsequentiâ. Nam licet Deus à sua parte fecerit quod satis est, ut facerent bonum illud quod facere debuerunt: quia tamen illi viam salutis à Deo præscriptam ingredi nolebant, & propterea reprobati, seu a privilegiis fœderis divini rejecti sunt, merito illorum incredulitatem dolet Apostolus, optatque ut Deus non ex rigore, prout meruerant, ipsos planè gratiâ suâ privet; sed potius leniter eos tolerando varias occurrere faciat occasiones, quibus ad pœnitentiam excitari, ad fidem converti, atque ita rursus per fidem fœderi divino, unde per infidelitatem excisi erant, inseri possent. Atque hunc suum scopum manifestè indicat Apostolus *cap.* XI. 14. dicens, se gentilium exemplo conari gentem suam ad æmulationem provocare, *ut salvos faciat aliquos ex illis:* & *vers.* 23. addit: *Si illi non permanserint in incredulitate*, rursus *inserentur.* Quæ omnia manifestè evertunt absolutum illud Electionis & Reprobationis decretum: non enim juxta illud semel inserti excindi, aut excisi denuò inseri possunt: & Apostolus Judæis excisis spem novæ insertionis faciens revera iis illusisset. Quod absit.

Epilogus. IV. In epilogo capitis, disputationem hanc concludens, ait Apostolus *vers.* 30, 31, 32. *Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est. Israël autem sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit: Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus; offenderunt enim ad lapidem offensionis:* &c. Quæ cùm illationis formâ ex præcedentibus deducantur, scopum Apostolicæ disputationis nobis repræsentant alium non esse, quàm, Deum rejectis Judæis justitiam per legem sectantibus, gentes in Jesum Christum credentes in illorum locum adscivisse. Et ad hunc scopum si attendamus, optimè omnia in toto hoc capite fluent, neque ulla in eo erit difficultas.

Sensus vers. 6, 7, 8, 9. V. Apostolus siquidem occurrit objectioni, doctrinæ suæ tanquam grave quoddam absurdum oppositæ: Si Deus, Judæis ex Lege justitiam quærentibus rejectis, gentes in Christum fideles in eorum locum adsciscit: ergo verbum Dei excidit, quo, fœdere cum Abrahamo erecto, promisit se Abrahami posterorumque ejus Deum fore. Apostolus, hanc objectionem diluens, ait, Deum promisso hoc suo se non alligasse carnali ex Abrahamo generationi, quasi omnes qui secundum carnem ex Abrahamo geniti sint, promisso hoc contineantur; sed ipsum sibi jus ac potestatem reservasse, quocunque tempore declarandi, quos pro benedicto illo Abrahami semine, cui promissiones suas destinaverat, habere velit; adeoque posse Deum, absque promissi sui violatione, Judæis incredulis rejectis, gentes fideles habere pro semine Abrahami, cui benedicere velit. Et ne illud absurdum credant, ostendit Deum jam ab initio in ipsa Abrahami familia distinctionem & declarationem ejusmodi fecisse. Licet enim Ismaël esset major natu, ac proinde, si carnalem generationem spectemus, primogenituræ jure potior esset ad terræ Canaan possessionem, divinarumque benedictionum hæreditatem, tamen Deus illum in semine illo promisso agnosci noluit; sed fœdere suo solum Isaacum ipsiusque posteros comprehendi voluit: atque ita ostendit, non omnes Abrahami posteros benedictionum & promissionum divinarum esse hæredes, sed illos solummodò, quos ex speciali promisso se pro Abrahami posteris habere declaravit. Et ne quis excipiat aliam Ismaëlis esse rationem, quem, utpote ex ancilla genitum, Isaaco filio ex legitima uxore genito, non præferri, aut æquali cum illo privilegio non gaudere, mirum non erat; addit Apostolus in verbis nostris alterum exemplum in familia Isaaci.

VI. Isaac siquidem ex uxore Rebecca geminos eodem partu suscepit filios; Esavum majorem, Jacobum minorem natu. *Sensus vers. 10, 11, 12, 13.* Si ulla carnalis generationis prærogativa apud Deum valeret, Esau certè Jacobo prælatus fuisset, cui cujusque semini possessio promissæ terræ Canaan daretur; sed contrarium longè accidit; Deus quippe, Esavo cum sua posteritate à possessione terræ Canaan rejecto, eam Jacobo ejusque semini destinavit. Hoc est quod hic dicitur: *Ut propositum Dei quod est secundum electionem maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est* (supple Rebeccæ) *major serviet minori.* Potuisset enim quispiam cogitare, mirum non esse Esavum, hominem profanum, præteritum; meruit enim impietate sua, ut Deus illius, licet primogeniti, nullam haberet rationem: Apostolus, ut hanc objectionem præoccupet, ostendatque id ex mero beneplacito divino profluxisse, dicit, istam Dei declarationem jam esse factam antequam Esau & Jacobus nati

nati essent; & quicquam boni vel mali fecissent.

Quid sit, propositum Dei, non ex operibus, sed ex vocante.

VII. *Propositum* itaque hoc Dei *secundum electionem, non ex operibus, sed ex vocante*, non est æternum Dei decretum, quo aliquos homines sine ullo ad fidem aut opera respectu elegit ad vitam æternam: alios verò sine ullo ad infidelitatem aut contumaciam respectu præteriit aut reprobavit à vita æterna: sed est propositum cum electione, quod Deus fecit cum electione aut discrimine aliquo, quo apud se liberam semper voluit servare electionem, quos & quales singulis temporibus pro semine Abrahami, ad quos benedictio pertineat, reputare velit. Quod sicut olim in Ismaële & Isaaco, deinde in Esavo & Jacobo ostendit: ita nunc idem denuò demonstrat: nempe quod non secundum carnem ex Abrahamo oriundos, sed spirituales ipsius posteros, qui in vestigiis fidei Abrahami ambulant, habeat pro semine illo ad quod benedictio pertinet. Ita ut verba, *non ex operibus, sed ex vocante*, non indicent, Deum in assignatione salutis, aut in electione ad salutem, & reprobatione à salute, seu ad exitium, non respicere ad ulla bona vel mala hominum opera; sed nullis hominum bonis operibus provocari, ut eos vocare, seu in semine censere velit; sed pro arbitrio id determinare: nempe sicut olim ex Isaaco & Jacobo secundum carnem genitos habuit pro semine, cui terram Canaan possidendam dare voluit: ita & nunc credentes in Jesum Christum, licet ex Abrahamo non genitos, imo cujuscunque nationis, habere velit pro semine, cui æternam hæreditatem, terrà Canaan adumbratam, destinavit, rejectis Judæis incredulis & justitiam ex Lege quærentibus. Ita olim Deus, populum Israëlis in promissam terram Canaan introducturus, declarat se nullis ipsorum meritis provocatum, sed ex mera liberalitate eam ipsis donare: *Deut.* IX. 6. *Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus.* Perinde uti & Abrahamum ex idololatria solâ suâ benignitate impulsus vocavit, *Jos.* XXIV. 2, 3. Eodem modo & nunc homines per fidem in Jesum Christum ad salutem vocat, nullis eorum præcedaneis operibus provocatus, 2 *Tim.* I. 9. *Tit.* III. 4. Exinde tamen non sequitur, quod Deus in ipsa salutis æternæ datione non sit respecturus ad opera, quæ ex fide post suam vocationem homines præstiterunt: quod infinitis fermè Scripturæ Sacræ locis probari potest, quibus fides & sanctimonia exigitur ut conditio ad salutem.

Sensus verborum, major serviet minori.

VIII. Hunc sensum evincunt exempla Esavi & Jacobi, & oraculum quod de ipsis enuntiatur, *major serviet minori*, quod Apostolus citat ex *Genes.* XXV. 23. Non enim illo oraculo declaratur æterna Jacobi ad vitam æternam electio, & Esavi a vita æterna reprobatio; ipsique ut exempla æternæ electionis & reprobationis proponuntur: 1. Quia hoc oraculum non tam respicit personas Esavi & Jacobi, quam totam ipsorum posteritatem, seu ipsos tanquam suæ posteritatis capita: expressè enim dicitur Rebeccæ, *Genes.* XXV. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori*: & in posteritate ipsorum impletum est. Si itaque æterna salus hic respiciatur, dicendum omnes Jacobi posteros ad salutem fuisse electos (quod directè contra Apostoli scopum est; agit enim de justa Judæorum ob incredulitatem reprobatione) & omnes Esavi posteros reprobatos ac damnatos: quod non minus falsum est: inter illos enim creditur fuisse Jobus, Deo ob fidem & pietatem gratissimus, ejusque amici: nec credibile est, nullum ex Idumæis in Jesum Christum credidisse, & per fidem salvatum. 2. Ex imperio aut servitute unius vel alterius nulla ad propositum Dei de salute vel damnatione illatio fieri potest: illa enim hujus solummodò vitæ sunt, nec in futura vita locum habent. Nec dici potest, quod Esavus & Jacobus hic proponantur tanquam typi æternæ electionis & reprobationis. Præterquam enim quod hac ratione supponitur quod in quæstione est, quodque aliunde probandum est antequam supponi possit; etiam est contra scopum Apostoli. Non enim Apostolus causam inquirit, cur Deus in uno fidem operetur, in altero non; de eo enim non erat ipsi cum Judæis controversia; sed demonstrat, Deum absque promissi sui violatione posse, rejectis Judæis incredulis, assumere gentes fideles. Hoc enim propriè faciebat ad refutationem Judæorum, qui se solos, utpote ex Abrahamo secundum carnem oriundos, semen Abrahæ & hæredes benedictionis divinæ credebant, exclusis gentibus.

Et, Jacob dilexi, Esau odio habui.

IX. Idem comprobant verba sequentia: *Sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau odio habui.* Quæ verba ita non sunt connectenda cum superioribus, quasi enuntiata sint ante nativitatem Jacobi & Esavi; aliquot enim seculis post eorum mortem sunt prolata temporibus Prophetæ *Malachiæ cap.* I. 2. sed quod Deus verbis illis, *major serviet minori*, idem voluerit significare, quod postea per Malachiam, *Jacob dilexi, Esau odio habui.* Non enim hic odium absolutum designatur, quo Deus Esavum à se ad æternum exitium rejecit: sic enim & omnes Esavi posteros, qui hic cum Esavo intelliguntur, ad æternum exitium rejecisset: quod absurdum, ut mox vidimus: sed odium comparatum, quo Deus *Esavum odisse* dicitur, quia eum minore dilectione quam Jacobum prosecutus

tus est: eodem sensu, quo *odium* alibi usurpatur, *Genes.* xxix. 30, 31. *Deut.* xxi. 15. & nominatim *Luc.* xiv. 26. *Joan.* xii. 25. uti ex eorum cum *Matth.* x. 37. collatione evidentissimè liquet. In loco enim Malachiæ nihil est quod ad reprobationem Esavi ad æternum exitium referri potest; sed solummodò terrenarum benedictionum & miseriarum mentio est. Sive itaque hæc verba idem continere dicamus cum præcedentibus, & referamus ad terrenas benedictiones, possessionem nim. terræ Canaan, & Jacobi, seu posterorum ejus, dominatum supra Esavi posteros; sive quid abiis diversum, restitutionem nempe Judæorum ex captivitate in terram suam, Idumæorum verò perpetuam desolationem, uti apud Malachiam expressè legere est, res eodem redit. Constat quippe posteros Esavi & Jacobi propriè designari, & terrenas solummodò benedictiones & pœnas respici, à quibus ad æternam electionem & reprobationem nulla legitima consequentia deduci potest.

Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

X. Hisce ita fusè ad clariorem capitis hujus intelligentiam explicatis, facile nunc est reliqua, quæ ex hoc capite producuntur, explicare, & quàm nihil faciant ad absolutæ Prædestinationis doctrinam confirmandum, ostendere. Nos totius capitis explicationem non trademus; factum id est à pluribus: sed unam atque alteram solummodò periodum, quam semper in ore habent Prædestinationis absolutæ patroni, expendemus. Objiciunt ergo *vers.* 16. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Verùm ex antedictis manifestum est, non hîc respici electionem ad vitam æternam; quasi nihil ad vitam æternam conferat, sive nos rectè velimus, & officio nobis præscripto debitè fungamur, aut in bonorum operum via sedulò & alacriter curramus; sive non: neque intelligi voluntatem, quâ homo vult & facit quod Deus ab ipso exigit. Id enim manifestis Scripturis directè contrarium est, quæ expressè requirunt ut homo velit: *Apoc.* xxii. 17. *Qui vult accipiat aquam vitæ gratis*; & qui venire nolunt reprehenduntur, *Matth.* xxiii. 37. *Joan.* v. 40. & ut currat, & quidem bene ac debitè currat: 1 *Cor.* ix. 24. *Hebr.* xii. 1. Sed respicitur electio ad gratiam, & intelligitur voluntas hominis, quæ vocationem & postulatum divinum antecedit. Quasi dicat: Hominis non esse, viam ac medium eligere, quo favorem ac beneficia Dei consequatur; sed solius Dei, qui sicut pro arbitrio bona sua hominibus largitur, ita etiam viam bona illa consequendi ex mero suo beneplacito præscribit; absque qua Dei declaratione omnis hominis labor, quo ipse sibi legem præscribere vult, irritus est & frustraneus. Et hac ratione validissimè confutat Judæos, ostenditque frustra ipsos ex Lege justitiam velle quærere, postquam Deus clarè declaravit se fidem in Jesum Christum, ut conditionem justificationis & salutis obtinendæ, exigere.

Miseretur cujus vult & quem vult indurat.

XI. Hinc jam porrò explicatio *vers.* 18. & *seqq.* sponte fluit; *Miseretur ergo cujus vult, & quem vult indurat.* Quæ cùm ex præcedentibus tanquam conclusio deducantur, manifestum est eorum sensum etiam ex superioribus petendum. Quoniam autem in præcedentibus egit de libera Dei dispensatione in distribuendis bonis suis quibus vult, & sub conditione à se pro arbitrio præscripta; & in proximè præcedente versu, exemplo Pharaonis ostenderat, Deum præfractos peccatores justè punire pro arbitrio suo; manifestum est, horum verborum alium sensum esse non posse, quàm, *Deum misereri*, id est, beneficia gratiæ suæ offerre, quibus vult, & sub conditionibus quas vult, ita ut nulli genti, nulli carnali generationi sit alligatus, neque respiciat ad media quibus ipsi præter voluntatem Dei favorem ejus obtinere contendunt. *Et indurare quem vult*; id est, posse pro arbitrio juste punire peccatores gratiam ejus præfractè respuentes, etiamsi magnum pro lege divina, quam Deus nunc declaravit justitiæ ac salutis viam non esse, zelum ostendant: & permittere, ut ipsi, longanimitate & patientiâ suâ abutentes, tandem indurentur, occasiones, quas Deus ipsis occurrere facit, quæque in sese spectatæ cordibus illorum emolliendis inserviunt, pro malitia sua convertendo in prætextum indurationis, majorisque in peccando obstinationis. Ita enim homines Deus indurat, non autem duritiem in illis efficiendo; uti ex exemplo Pharaonis, præcedente versu allegato, antea comprobavimus. Indurat ergo, quia occurrere facit media, quibus ipsi pro malitia sua abutuntur, Deusque patienter eos tolerat, ut animi sui malitiam, si velint, exserere possint. Verba nempe actionem significantia in Hebræa lingua aliquoties usurpantur ad nudam tantum permissionem designandum. Sic *Exod.* 1. 17. obstetrices Ægyptiacæ dicuntur *vivificasse* filios Hebræorum, quatenus vivere ipsos permittebant, neque ex mandato regis interficiebant. Idque eo etiam confirmatur, quia non tantum Deo, sed & homini induratio adscribitur: ut ipsi Pharaoni, *Exod.* viii. 15, 32. ix. 34, 35. xiii. 15. Quicquid sit, certum est, Deum homines non indurare à nativitate, sed ob præfractam contumaciam, & peccata libera voluntate commissa. Non ergo ex beneplacito, aut propter Adami peccatum ipsis imputatum, homines deserit & indurat, ut nil nisi male agere & peccare possint. Quod cum antea fusè à nobis demonstratum sit, non est cur illi nunc diutius immoremur.

Quid adhuc conqueritur? &c.

XII. Adversus hanc doctrinam introducit Apostolus incredulum Judæum ita obji-

cientem: *Quid adhuc conqueritur? voluntati enim ejus quis resistet? vers.* 19. Ut ita occasionem habeat jus Dei in creaturas suas declarandi. Cujus objectionis hic est sensus: Si Deus nos velit indurare, ut postea nos induratos gravius puniat, & in nostra punitione, perinde ut olim in Pharaonis, gloriam suam ostendat; nullam de nobis conquerendi causam habet: non enim fortiores Deo sumus, ut voluntati ejus resistere possimus, aut impedire quod circa nos exequi decrevit: si nos indurare decrevit, fieri aliter nequit, quin duri & contumaces evadamus. Apostolus hanc objectionem, tanquam insulsam, cum indignatione rejicit: *vers.* 20. *Imo verò, ô homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo? Num dicet figmentum fictori, quid me sic fecisti?* Hac responsione ostendens, Judæos nullam habere causam indignandi, quòd doceat, Deum, rejectis Judæis incredulis, justitiam ex Lege quærentibus, elegisse gentes in Jesum Christum credentes, & justitiam fidei sectantes: ipsarumque objectionem non minus esse insulsam & à ratione alienam, quàm si creatura expostularet cum creatore, cur se præstantiorem non condidisset. Omnes enim homines Dei sunt creaturæ: Judæis non magis est alligatus, quàm aliis hominibus, cujuscunque nationis; omnibusque quaslibet pro arbitrio præscribere potest salutis obtinendæ conditiones. Quod si aliqui obedientiam detrectant, nullam habent conquerendi causam, quod Deus eos deserere, & duritiei cordis sui permittere minetur, ut postea graviores de ipsis pœnas sumat.

An non habet potestatem figulus in lutum, &c.

XIII. Hanc suam responsionem aptâ similitudine porrò illustrat: *vers.* 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad honorem, aliud verò ad contumeliam?* Ostendit nempe hac similitudine, Deum non minus jus habere declarandi, quales velit pro fœderatis suis, quibus salutem largiturus est, agnoscere; sive Judæos, fidem in Jesum Christum, à Deo ut salutis viam præscriptam, respuentes, rejicere, & gentes in Jesum Christum juxta mandatum divinum credentes, in fœdus suum adsciscere ac æternâ vitâ donare; quàm figulus habet in lutum, ex eadem massa faciendi vas in honorem, id est, ad usus honestos, & in contumeliam, seu ad usus turpes. Omnium enim hominum ex æquo Dominus est, nullique magis quàm alteri obstrictus. Potest itaque pro absoluto suo jure viam beneficia sua consequendi præscribere, prout sibi visum est. Hoc tamen inter actionem figuli, & Dei, est discriminis, quòd figulus ipse faciat vasa in honorem & contumeliam: Deus autem, postquam hominibus conditionem præscribit, cujus observatione fiant vasa in honorem, & rejectione, vasa in contumeliam, gratiamque obtulit cujus ope conditionem à Deo præscriptam præstare valeant, arbitrii hominum esse voluerit, ut vasa fiant vel ad honorem, vel ad contumeliam: ut ita gratiæ divinæ salutem adscribant, sibi verò suæque contumaciæ exitium imputent. Ita 2 *Tim.* II. 20, 21. *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

Qui sint vasa iræ coagmentata ad interitum.

XIV. Pergit *vers.* 22, 23. *Quid si verò Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum: Et ut notas faceret divitias gratiæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam?* Sive hæc verba sumamus ut continentia applicationem similitudinis figuli; sive novas ad objectionis propositæ refutationem rationes, res eodem redit. Manifestum quippe est, Judæos incredulos & refractarios intelligi per *vasa iræ ad interitum coagmentata*, quæ *Deus multa lenitate pertulit*; eosque vocari *vasa iræ*, ob peccata incredulitatis & inobedientiæ, præfractamque in illis contumaciam; nullum enim ira Dei habet objectum, nisi peccatorem, *Joan.* III. 36. *Rom.* II. 8. *Coloss.* III. 6. Dicunturque ad interitum *coagmentata*, non a Deo, sicut mox dicit de vasis misericordiæ, quòd Deus ea præparavit ad gloriam: quæ phraseos mutatio indubitabile argumentum est, aliam hujus quàm illius coagmentationis esse rationem: *vasa* nempe *iræ* dicuntur simpliciter *coagmentata ad interitum*, nimirum intransitivè à seipsis; qui enim incredulus est, seipsum præparat ad interitum incredulis à Deo denuntiatum: Simili phrasi qua *Act.* XIII. 48. ostendimus quosdam dici *ordinatos* seu *dispositos ad vitam æternam*: vel est participium positum pro verbali: quo sensu & vox κατηρτισμένος usurpatur *Luc.* VI. 40. Deuique illos dicitur *pertulisse multa lenitate*, quæ cùm ita per se comparata sit, ut peccatores ad pœnitentiam adducat, *Rom.* II. 4, 5. illi contra patientiâ divinâ abutentes, se magis magisque induraverunt. Ut ita ostendat Apostolus, se homines cum massa argillæ, ex qua figulus vasa ad honorem & ad contumeliam facit, comparando, eos considerare ut voluntariè peccantes; & in peccato perseverantes: erga tales enim Deus patientiâ usus rectè dicitur. Quod *vasa misericordiæ* attinet, illi sunt, qui vocationi divinæ obtemperantes, ut ex *vers. seq.* liquet, per Dei gratiam salutem consequentur: quos Deus ipse rectè dicitur *præparasse ad gloriam*, quia ipse illis viam salutem consequendi aperuit, gratiamque viam illam ingre-

Et vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit ad gloriam.

ingrediendi & calcandi largitus est, eosque ita *creavit*, seu regeneravit, *in Christo Jesu ad bona opera*, eaque *præparavit ut in illis ambulent*, *Eph.* II. 10. Ex quibus omnibus tandem adversus insulsam illam Judæi increduli objectionem validissimè concluditur, Judæos nullam de Deo conquerendi causam habere, quasi fœderi suo cum Abrahamo renunciet, eò quod ipsos Euangelium respuentes, & diutinâ Dei patientiâ in rebellione sua induratos, puniat, & à beneficiorum suorum communione excludat; zelatores licet Legis, ceremoniarumque ipsius exactos observatores: gentes verò Euangelium fide recipientes in ipsorum locum substituat, gloriæque suæ consortes faciat. Quod & in sequentibus allatis ex Osea & Jesaia testimoniis confirmat.

Non possunt hæc applicari absolute electis & reprobis.

XV. Illa autem objectio colore non caruisset, si Apostolus docuisset, Deum plerosque homines ad exitium æternum, nullo habito ad fidem aut opera eorum respectu, reprobasse, sive consideratos ut nondum conditos, sive ut in Adamo lapsos, & peccato originali infectos; ex qua reprobatione porrò omnimoda induratio esset secuta, qua Deus illos ita indurat, ut non possint quin peccent & Euangelium rejiciant. Adversus enim ejusmodi doctrinam rectè objecisset Judæus: Si Deus nos ita reprobavit & indurat, ut non possimus quin Euangelium rejiciamus, atque ita tandem in æternum pereamus, non est quod de nobis conqueratur; nos enim fortiores Deo non sumus, nec voluntati ejus possumus resistere, aut irritum reddere quod decrevit. Neque Apostolus objectionem hanc figuli exemplo diluisset. Quamvis enim creatura causam nullam de Deo conquerendi habeat, quòd se perfectiorem non condiderit, ut formica, musca, &c. quòd sese non equum aut bovem, equus quòd se hominem non creaverit; non tamen justæ querelæ causa ipsi deëst, quòd Deus ipsum condidisset ad æternos & intensissimos cruciatus: quamvis enim creatura jus non habet creatori legem præscribendi; creator tamen, creaturam creans voluptatis ac doloris capacem, sibi ipsi legem figit, eam naturæ ac dotibus ipsius convenienter tractandi, neque, nisi id peccato suo mereatur, afficiendi miseria quæ creationis beneficium excedit: ita enim creatio non beneficium, sed summum maleficium esset, præstaretque ejusmodi creaturæ non esse, quàm perpetuò in summa miseria esse. Et si peccandi inevitabilis necessitas per desertionem & indurationem divinam ipsi incumbat, non est quòd illi Deus succenseat, quod in duritie sua contumaciter perseveret; utpote ex qua emergere ipsi æque impossibile sit, ac mortuo è sepulchro exire. Nec defuisset conquerendi causa, si dicamus Deum homines ut in Adamo lapsos consideratos reprobasse. Quæ enim justior conquerendi causa, quàm quòd reprobatus sis ad æternum exitium, & ut justè ad illud condemneris, induratus sis ut non possis quin gratiam divinam respuas & pecces, & in peccando ad finem usque sine ulla resipiscentia perseveres, propter parentis tui peccatum, multis ante tuam nativitatem seculis commissi, cujusque nec conscius nec particeps fuisti, ipsique parenti, vero ac propriè dicto peccatori, remissi? Sed & si attendamus ad exemplum figuli *Jerem.* XVIII. à Deo prophetæ suo propositi, unde & Apostolus hanc similitudinem mutuatus videtur; manifestum est, vas à figulo confringi, non ob vitium aliquod argillæ, ex qua formabatur; sed ob ipsius vasis vitium: illique comparari populum Judaicum peccatorem, & jam diu erga Deum rebellem, & ob rebellionem excidio destinatum. Tandem nec adversus tales Deus patientiâ usus dici potest, aut eos multa cum lenitate tolerasse. Quæ enim tolerantia locum habere potest circa eos, qui jam ante æternoexitio destinati sunt, & ex illa destinatione necessariò peccant, & in peccando perseverant? Adeo ut ex omnibus hisce liqueat, in toto hoc capite nihil pro absoluto Reprobationis decreto reperiri; sed omnia aptissimè scopo quem nos indicavimus respondere.

CAPUT IX.

Responsio ad loca Scripturæ quæ pro absoluta Reprobatione speciatim proferri solent.

Sensus loci Judæ vers. 4.

I. Restat nunc ut & loca quædam breviter expendamus, quæ pro absoluta Reprobatione speciatim solent proferri. Horum præcipuus ac primus est *Judæ vers.* 4. *Nam subrepserunt quidam homines, jam olim* (vel ante) *descripti ad hoc judicium, impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam*, &c. Resp. Si urgere velint, per *descriptionem* illam *olim factam*, intelligendam esse æternam Dei prædestinationem, quâ maximam generis humani partem, sine ullo ad infidelitatem aut impietatem respectu, reprobavit ad æternos ignis infernalis cruciatus, & quam reprobationem desertio Dei comitatur, eamque inevitabilis peccandi & sine pœnitentia ad finem usque in peccato perseverandi necessitas excipit; dicendum homines hos ad horrenda illa, quæ Judas hic describit, scelera à Deo esse prædestinatos. Quod horrendum est, & absque blasphemia dici nequit. Deum enim decreto hoc suo antecedente unicum peccati auctorem statuunt, sceleratosque illos, utpote a Deo ad scelera sua destinatos, à culpa absolvunt, ac proinde à reatu pœnam condemnationis justè subeundi.

 Quod

Quod ſanctitati divinæ ſummè eſt injurium, & totius epiſtolæ ſcopo, in qua Judas horum hominum juſtum exitium deſcribit, adverſum. Alius ergo horum verborum ut ſit ſenſus, neceſſe eſt. Is autem ex epiſtolæ ſcopo eruendus eſt. Apoſtolus fideles adhortatus, ut pro fide ſemel ſanctis tradita depugnent, fidelium animos contra ſcandalum, quod ex falſorum doctorum & impoſtorum ſeductionibus facile concipere poterant, in verbis hiſce præmunit, dicens, (verbis hiſce per parentheſin reliquo contextui inſertis) Deum jam olim iſtiuſmodi hominum adventum & ſcelera, quin & pœnam & exitium, præſignificaſſe; adeo ut credere non debeant, Deum Eccleſiæ ſuæ, in quam illi irrepſerunt, curam abjeciſſe, ſed ipſam adverſus hoſce impoſtores jam antea voluiſſe præmonitam. Ideoque dicuntur *πάλαι προγεγραμμένοι*, quod non denotat ab æterno præordinati; *πάλαι* enim ſeu *olim* non denotat æternitatem, ſed tempus jam diu elapſum: quo ſenſu legitur *Matth.* XI. 21. *Luc.* X. 13. *Hebr.* I. 1. *προγεγράφθαι* non denotat præordinationem divinam: ſed deſcriptionem ſeu delineationem ante factam, qua ſeductorum horum fraudes & impoſturæ, & ſupplicia prædicta & quaſi depicta ſunt. Quo ſenſu vox *προγράφειν* accipitur *Rom.* XV. 4. & *Eph.* III. 3. neque tantum ſimplicem denotat ſcriptionem ante factam, ſed & delineationem; ut *Gal.* III. 1. *οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη*, *quibus Jeſus Chriſtus jam ante ob oculos eſt depictus* ac delineatus. Adeo ut per *κρίμα* non denotetur eorum peccatum & inobedientia, ſed ſupplicium quod per ſcelera ſua in ſe acceſſunt: eodem ſenſu, quo *κρίμα* ſeu *judicium* accipitur pro ſupplicio, *Marc.* XII. 40. *Rom.* II. 3. ut conveniat cum 2 *Pet.* II. 3. ubi Petrus verbis hiſce parallelis, de his aut ſimilibus impoſtoribus loquens, ait, *Quorum judicium*, id eſt ſupplicium, *dudum non otiatur, & exitium eorum non dormitat.* Sed quomodo aut ubi hæc ſunt ante delineata? Reſp. In judiciis illis, quæ Deus olim in homines impios, horum ſimiles, exercuit, quæ Judas mox in Epiſtola ſua recenſet, tanquam horum hominum typos, quibus horum exitium adumbrare voluit: tum & in Prophetia Enochi, quam recenſet *verſ.* 14, 15. Senſus ergo eſt, in ſupplicio aliorum improborum & Enochi prophetia horum impoſtorum ſupplicium à Deo jam olim eſſe delineatum & Eccleſiæ ſignificatum, ut ita ſibi ab eorum fraude & impoſtura cavere poſſint.

II. Secundus locus eſt *Joan.* XII. 39, 40.
Joan. XII. 39, 40. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis, & intelligant corde, & ſeſe convertant, & ſanem eos.* Reſp. 1. Nulla hîc actio divina exprimitur, nec uſpiam dicitur Deus ipſorum oculos excæcaſſe & corda obduraſſe, ſed eſt locutio impersonalis, quæ æquipollet paſſivæ, & tantundem valet atque excæcati ſunt oculi eorum, ſeu excæcavit quiſquis excæcavit: locutione Hebræis familiari, qui impersonalibus activis utuntur loco paſſivorum: quorum idiotiſmum Novi Teſtamenti Scriptores plerumque imitantur: Vide inter alia *Matth.* VII. 16. *Luc.* XII. 20, 48. *Joan.* XV. 6. 1 *Joan.* V. 16. *Apoc.* XVI. 15. & alibi. 2. *Non poterant credere* non denotat omnimodam credendi impotentiam, nedum ex decreto aliquo divino antecedente, ſeu deſertione divina ex decreto ejuſmodi, neceſſariò profluentem: nulla enim, uti vidimus, hic memoratur actio Dei: & *non poſſe* non ſemper arguit impotentiam, ſed diſpoſitionem quandam in homine, quæ actum perinde atque impotentia impedit ac tollit, licet alias per potentiam ab homine quidem præſtari poſſit. Nempe, aliquando firmum ac immutabile animi propoſitum in contrarium. Sic *Marc.* VI. 5, 6. Dominus dicitur in Nazareth non potuiſſe niſi pauca quædam miracula facere, propter ipſorum incredulitatem. Non quòd ipſorum incredulitas Domini potentiam infregiſſet: abſit: ſed quoniam Domini propoſitum obſtabat, quo decreverat nulla miracula facere, niſi in gratiam illorum, qui ipſum miracula faciendi potentiâ inſtructum credebant: unde & nonnunquam miraculum editurus, rogavit, credisne me id facere poſſe? Aliquando quod contra decorum & rationem eſt, ac proinde ab homine qui ſe ratione regi permittit fieri nequit. Sic *Matth.* IX. 15. *Numquid filii nuptiarum lugere poſſunt, quamdiu cum ipſis eſt ſponſus? Act.* IV. 20. *Non poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui.* 2 *Cor.* XIII. 8. *Non poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Aliquando ſummam averſionem à re quapiam; indeque ortam maximam difficultatem: idque præſertim locum habet, quando res quædam deſcribitur qualitate aliquâ veſtita, cujus contrarium illi ineſſe non poſſe dicitur: non quòd à qualitate iſta ad illius contrarium tranſitus non poſſit fieri; ſed ad deſignandum inter duas iſtas qualitates maximam eſſe repugnantiam, quæ non permittit, ut ſimul in eodem ſubjecto ſubſiſtant; & ab una ad aliam difficillimum eſſe tranſitum, propter maximam quæ intercedit averſionem. Sic *ſapientia carnis* dicitur *ſe non poſſe ſubjicere legi Dei*, *Rom.* VIII. 7. & 1 *Joan.* III. 9. *qui ex Deo natus eſt non poſſe peccare.* Ita in communi ſermone dicimus de manſueto, quòd non poſſit iraſci, de iracundo, quòd non poſſit placidè agere. Senſus ergo eſt, licet Dominus Jeſus plurima inter Judæos miracula patraverit, ipſos tamen maximè à fide in ipſum averſos

ſos fuiſſe, ob ſummam ipſorum improbitatem, quâ oculi eorum excœcati, & corda eorum obdurata erant, quâ impediebantur ne ſe ad Dominum converterent, ut ipſe ſanaret eos.

1 Pet. II. 8.

III. Tertius locus eſt 1 *Pet.* II. 8. *Qui offendunt ad ſermonem* (Euangelii nempe) *immorigeri, ad quod etiam poſiti fuerunt.* Reſp. Non dicuntur hîc aliqui à Deo prædeſtinati ad inobedientiam: abſit. Quod ut liqueat, enuntiationis hujus ſubjectum & prædicatum diſtinctè conſideranda ſunt. Subjectum ſunt *ἀπειθοῦντες*, ſeu *increduli* ſive *immorigeri*: Prædicatum, *qui offendunt ad ſermonem, ad quod etiam poſiti fuerunt.* Non ergo dicuntur aliqui poſiti ad inobedientiam; ſed inobedientes dicuntur poſiti ut offendant ad ſermonem Euangelii. Quid autem eſt, *offendere ad ſermonem* Euangelii? Non ſignificat, rejicere ſermonem Euangelii: hoc enim voce *immorigeri*, quæ enuntiationis ſubjectum eſt, comprehenditur; aliud ergo ut deſignet neceſſe eſt, niſi velimus prædicatum coincidere cum ſubjecto, atque ita enuntiationem faciamus identicam. Denotat itaque, in ſe provocare pœnas, quas ſermo contemtoribus comminatur. Et *ad id poſiti* dicuntur, ſc. ut, cùm credere nolint, incurrant pœnas inobedientibus conſtitutas: quæ cùm à Deo omnibus inobedientibus conſtitutæ ſint, rectè etiam Petrus immorigeros illos ad eas ſubeundas poſitos dicit. Phraſis eſt deſumta ab illis qui incircumſpectè ambulant, & in lapidem impingentes ſibi ipſis caſus & doloris cauſa ſunt. Hunc ſenſum comprobant antecedentia, ubi Chriſtus *lapis angularis* dicitur, *honor*, ſeu honori, *iis qui credunt*; quatenus in ſe credentibus cauſa eſt ut honorem & gloriam æternam adipiſcantur: *immorigeris* verò eſt *lapis offenſionis & petra ſcandali*, quatenus in ipſum offendentes, exitium in ſe accerſunt, juxta id quod ipſe Dominus ait *Matth.* XXI. 44. *qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.*

Proverb. XVI. 4.

IV. Quartus ac ultimus locus eſt. *Prov.* XVI. 4. *Omnia fecit Deus propter ſemetipſum, etiam impium ad diem mali.* Reſp. Locum hunc aliàs, de Providentia Dei circa malum diſſerentes, excuſſimus, oſtendimuſque nihil ex illo poſſe concludi, ad probandum actionem quandam divinam, quâ peccatum ſeu malum in impiis Deus operetur, aut quod ad peccatum homines creaverit: ſed phraſin Hebræam, למענהו commodiſſimè verti, *ſecundum reſponſiones ejus:* ut ſenſus ſit, Deum omnia ita diſponere, ut aptiſſimè ſibi reſpondeant & inter ſe quadrent; *etiam impium ad diem mali*, id eſt pœnæ, quid enim magis quadrat in impium, quàm dies pœnæ? Ita videmus nullum ex Scriptura Sacra proferri locum, qui decretum hoc abſolutæ Prædeſtinationis, non dico neceſſariò involvat, ſed nec ex quo ullâ cum ſpecie veriſimilitudinis deduci poſſit.

Salutem Deus decernit per modum præmii, non finis abſolute intenti.

V. Supereſt ut rationem expendamus, quâ ſententiam ſuam adſtruere conantur: ea hæc eſt. Prædeſtinatio Dei eſt decretum de fine, & de mediis ad finem illum obtinendum neceſſariis: Finis eſt demonſtratio gloriæ Dei, in ſervandis ex miſericordia electis, & perdendis ex juſtitia reprobis. Ex vi finis hujus etiam omnia media, ad finem hunc obtinendum neceſſariò requiſita, decreto divino definita ſunt. Reſp. Finis dupliciter poteſt conſiderari; vel per modum finis abſolute intenti; vel per modum præmii aut pœnæ conferendæ illi, qui conditionem ad præmium conſequendum præſcriptam aut præſtitit, aut præſtare noluit. Si finis conſideretur per modum finis abſolutè intenti, fatemur ex vi decreti de fine, etiam media ad finem illum ducentia determinata eſſe debere. Si verò conſideretur per modum præmii vel pœnæ à legiſlatore præſtanti conditionem conferendi, vel non præſtanti infligendæ, requiritur ut conditio per decretum legiſlatoris non præcisè determinetur, & juxta decretum poſtea in homine efficiatur, ſed ab homine ipſo præſtetur. Atqui ut dijudicemus quâ ratione Deus ſalutem in decreto Prædeſtinationis conſideraverit, executio decreti inſpicienda eſt; quia ex illa de decreto ipſo judicium fieri oportet. In executione autem decreti Deus ſalutem tanquam præmium promittit, exitium tanquam pœnam comminatur, & conditionem ab homine ſtipulatur, cujus præſtatione pæmium conſequatur, & neglectu pœnam incurrat. Non ergo fieri poteſt, ut ſalutem & exitium decreverit per modum finis abſolutè intenti. Executio enim ſub conditione, non poteſt reſpondere decreto abſoluto: & conditionale decretum evertit abſolutum. Dices. Subordinata non pugnant: conditio ſubordinatur decreto abſoluto. Reſp. Repugnantia ſubordinari non poſſunt: exactio autem conditionis evertit abſolutum decretum. Nam ubi conditio exigitur, decreti executio à conditionis præſtatione ſuſpenditur; quod contra decreti abſoluti naturam eſt. Dices. Requiruntur tamen media, quibus finis iſte obtineatur, docentque omnes Deum ea adhibere. Reſp. Aliud eſt medium, aliud conditio. Medium præſtat is, qui finem abſolutè cupit: conditionem verò ille exigit, qui præmium præſtitâ conditione dare vult. Conditio itaque medium eſſe poteſt, ſed diverſo reſpectu; nimirum reſpectu promittentis eſt conditio; reſpectu illius, qui re promiſſâ frui cupit, eſt medium. Ita centum Philiſtæorum præputia conditio erant reſpectu Saulis filiam ſuam Davidi in matrimonium collocandi: Davidi autem, quia aliâ ratione filiâ Saulis potiri non poterat, medium erant

rant

rant desideratam uxorem adipiscendi. Eodem modo fides in Jesum Christum conditio est respectu Dei, vitam æternam, tanquam fidei præmium, hominibus dandi: respectu hominum verò medium est consequendi salutem, quam sibi omnium suarum actionum finem proponunt. Dices. Etiam fides medium est respectu Dei, per quam electos ad salutem ipsis destinatam infallibiliter perducit. Resp. Si fides medium sit respectu Dei, non potest esse conditio; non enim tum Deus quid ab homine exigit faciendum, sed ipse in homine id operatur, atque ita officium hominis mutatur in actionem divinam, & conditio tollitur.

Prædestinatio conditionalis non pugnat cum Dei sapientia.

VI. Sed dicunt, Prædestinationem conditionatam non posse conciliari cum Dei sapientia, nec potentia, nec constantia sive immutabilitate. Non cum Dei sapientia: quia Deus præscit quid homo facturus aut non facturus, ac proinde utrum salutem adepturus, an damnationem subiturus sit. At quis sapiens seriò decernat sub conditione aliquid facere, quod ex defectu conditionis se nunquam facturum præscit? imo cujus contrarium facere secum statuit, quia conditionem nunquam implendam certò præscit? Resp. 1. Retorqueri potest hoc argumentum in ipsos; hoc modo: Quis sapiens seriò promittat sub conditione, quòd absoluto decreto nunquam dare jam ante constituit, quamque conditionem decrevit impleri non posse? 2. Non dicimus Deum decernere sub conditione aliquid facere, quod ex defectu conditionis se nunquam facturum præscit, &c. Sic enim præscientia divina, si non tempore, ordine saltem naturæ præcedere deberet decretum conditionatum: quod alienum est à sententia nostra. E contra decretum conditionatum præcedit præscientiam divinam de fide & salute, vel infidelitate ac damnatione cujuscunque hominis. Hoc enim naturæ ordo exigit, ut Deus non præsciat, utrum homo fidelis, & per consequens salvus sit futurus, nisi prius salutem homini sub conditione fidei dare, hominemque ad fidem vocare, gratiaque spiritus, quâ vocationi parere possit, donare decreverit: non ob defectum scientiæ; sed quia rei naturæ repugnat, ut quis in Christum credat, aut incredulus sit, cui in Christum credendi facultas data non est nec dabitur unquam. Præcedit itaque decretum conditionatum: illud excipit præscientia, & ex præscientia conditionis præstandæ vel non præstandæ decreti conditionalis applicatio. Dices. Si Deus sub conditione destinet salutem, quoniam in hominis arbitrio est conditionem illam præstare, vel negligere, potest Deus excidere fine suo. Resp. Negamus hanc sequelam; quia Deus finem non absolutè intendit, sed per modum præmii; itaque salutem promittens sub conditione, etiam damnationem sub conditione contraria comminatur. Quicquid itaque evenit, Deus consequitur finem suum. Si homo conditionem fidei præstet, Deus ex promisso ipsi largitur vitam æternam: si conditionem hanc negligat, & infidelis sit, Deus comminationi suæ convenienter eum damnat ad æternum exitium. Dices. At intentio Dei est, omnes homines ad salutem perducere. Resp. Ita certè, verùm non absolutè, sed sub conditione obedientiæ; aliàs si sint inobedientes, eos damnare. Primus ergo & primarius Dei finis est, homines ad salutem perducere: & huc tendunt omnia dona salutaria, quæ Deus hominibus plenâ manu largitur. Quod si ea respuant homines, alter & secundarius Dei finis est, ob donorum suorum contemtum homines justè damnare. Dices. Atqui illa conditio est medium contingens, quod tam probabile est nunquam eventurum; quàm aliquando eventurum. Quis sapiens ejusmodi mediorum electionem faciat perveniendi ad finem suum? Resp. 1. Negare nos, tam probabile esse medium illud nunquam eventurum, quàm aliquando eventurum: licet enim gratia divina, cujus ope obedientia præstatur, obediendi necessitatem non inducat, nullo tamen modo patitur verisimile esse, ut illius virtute, utpote ad fidem ac conversionem abundè sufficiente, nullus credat seque convertat. 2. Rursus confunditur medium cum conditione; fides medium non est respectu Dei, sed conditio. Fatemur itaque libentes, si finis absolutè intendatur per modum finis, sapientem mediorum contingentium electionem non facturum; ita enim fine suo quem absolutè intendit excidere posset; quod in Deum non cadit. Si verò finis intendatur per modum præmii, conditionem obedientiæ præstantibus conferendi, omninò talium mediorum, seu potius conditionis electio requiritur in sapiente legislatore: præmium enim locum habere nequit, ubi à legislatore ipso, ex vi finis absolutè intenti, conditio tanquam medium infallibiliter efficitur.

Nec potentia.

VII. Secundò, ajunt repugnare potentiæ divinæ: quia posito decreto conditionato, homo, quem Deus sub conditione vult salvare, potest ob conditionis defectum damnari; at sic homo erit potentior Deo. Resp. Colorem haberet objectio, si Deus finem absolutè vellet, & ex vi finis media ad finem consequendum necessaria absolutè efficere vellet, & nihilominus homo actioni isti divinæ resistere posset: sed quoniam Deus finem illum absolutè non vult, omni colore caret. Conditio enim promissioni opposita non arguit semper defectum potentiæ, sed quòd cupiamus experimentum obedientiæ alicujus, antequam eum bono promisso beare velimus.

VIII.

Ex immutabilitate & constantia. VII. Tandem dicunt non posse conciliari cum Dei immutabilitate & constantia: mutabilitatis enim signum est, hominem, cui salutem sub conditione destinaveris, postea non præstitâ conditione ad damnationem destinare. Resp. Hoc nequaquam mutabilitatis, sed summæ constantiæ indicium esse: quicquid enim evenerit, decretum Dei impletur. Immutabile quippe est Dei decretum, fideles salvandi, infideles damnandi, idque nunquam rescindi potest: applicatio autem decreti in particulari facta variare potest, pro mutatione hominis, qui dum in Christum fidelis est, salvandorum numero continetur; à fide verò deficiens, in damnandorum numerum transcribitur. Hæc autem mutatio non procedit à Deo, sed ab homine. Deus quippe constans est in proposito fideles salvandi, infideles verò damnandi; homo verò, salutis conditionem respuens, in causa est, quòd decretum de salute ipsi applicari nequeat. Imo nisi Deus ita procederet, inconstans foret, decretumque suum de fidelibus salvandis & infidelibus damnandis rescinderet.

CAPUT X.

Examen sententiæ eorum, qui agnoscunt quidem absolutam quorundam Electionem, nullam verò absolutam Reprobationem.

Sententia hujus declaratio. I. ITa examinatis & sufficienter refutatis duabus illis de absoluta Electione ac Reprobatione sententiis, restat nunc tertia consideranda sententia, quæ agnoscit quidem absolutam quorundam Electionem, nullam verò absolutam reprobationem. Deum nempe omnibus per Euangelium vocatis offerre gratiam ad conversionem & salutem sufficientem, imo & non vocatos per verbum Euangelii non omni ad Deum accedendi gratiâ destitutos; attamen & Deum quosdam speciatim elegisse, quos irresistibili gratiâ donatos, infallibiliter ad fidem ac salutem perducat. Hæc sententia facile toleratur, & minoribus quàm præcedentes difficultatibus premitur: non etiam injuria est Dei justitiæ, misericordiæ, & philanthropiæ. Nulla enim est injustitia hominem cumulare beneficiis, sed summa liberalitas.

Illius refutatio. Ratio prima. II. Attamen quò minus illi assensum præbeamus, hæc obstant. 1. Quòd Scriptura passim fidem proponit tanquam conditionem ad salutem: ergo & tanquam conditionem ut ad salutem eligamur, seu in numerum salvandorum transscribamur. Hi verò electi, quos Deus absolutè ad salutem elegit, electi dicuntur sine respectu ad fidem, & ut ad fidem, tanquam medium fini ad quem electi sunt subordinatum, perducantur.

Secunda. III. Secundò. Quod horum electorum respectu omnes Dei comminationes de excidio & damnatione, si homines increduli sint & immorigeri, aut à fide deficiant, sint irritæ; & omnes hortationes ne deficiant frustraneæ: quia comminari exitium si incredulus sit, quem incredulum esse fieri nequit, est plane absurdum ac inutile; & hortari ne deficiat, qui deficere non potest, frustraneum. Deum omnibus non æqualem largiri gratiam, negandum non est. Sic Apostolis, quos individuos habuit comites, quibus se post resurrectionem redivivum exhibuit, & in quos Spiritum Sanctum copiosè effudit; sic Apostolo Paulo, cui se è cœlis revelavit; sic Cornelio, ad quem Angelum misit, majorem quàm aliis largitus est gratiam; non tamen meo judicio talem, quin per contumaciam illius operationi resistere potuissent. Unde Apostolus Paulus dicit, se *non immorigerum fuisse cœlesti visioni*, *Act.* XXVI. 19. & *se non contulisse cum carne & sanguine*, *Gal.* I. 16. neque se, nisi invigilaret, à defectionis periculo immunem fuisse ipse indicat I *Cor.* IX. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar.* Et facile concederem, Deum quavis ætate ejusmodi habere eximios, quorum ministerio ad exstirpandos noxios errores, veritatisque causam dextrè magnoque animo propugnandum, utitur; quos licet planè impossibile non sit deficere, ob maximam tamen donorum gratiæ copiam admodum difficile, adeo ut nullus defectionis metus sit: ut ita liberæ obedientiæ ratio constare possit

IV. Tertiò. Non videtur hæc sententia aptè secum ipsa consistere. Nam si gratia illa communis sit sufficiens ad salutem, concipi non potest, quomodo per eam nullus servetur, sed necessaria sit gratia cui ab homine resisti nequit, ut convertatur & ad salutem perducatur: nec concipi potest, quomodo Deus hominum salutem velit, quibus gratiam ad salutem necessariam non largitur. Dicunt: Quod gratia illa sufficiens conversionem non producat, sit culpa eorum, qui eam oblatam respuunt Sed quæro, an eam amplecti possint? Ajunt posse amplecti, si modo vellent. Sed ulterius quæro, an possint velle? Hic hærent: ajunt corruptionem esse tantam ut non possint velle. Ergo, inquam, gratia illa non est sufficiens ad corruptionem illam tollendum; quomodo ergo est sufficiens ad salutem? Sufficiens enim non est vocabulum absolutum, sed respectivum, semperque includit respectum ad aliud cui efficiendo sufficiens est. Licet itaque gratia quammaximè sit efficax, si tamen non possit effectum reddere ad quod destinata est, non est sufficiens. Si non possit impedimentum tollere, quod effectui obstat, dici nequit eam sufficientem esse; sed tantum, nisi obstaret impedimentum, corruptio *Tertia.*

ruptio nim: hominis, eam sufficientem fore.

Quarta. V. Unde & quartò addi posset, rectius dici secundum hanc sententiam, Deum nolle omnes servare. Imo, ajunt, vult omnes servare, quia argumenta adhibet ad salvandum sufficientia. Sed, inquam, quomodo sufficientia, cùm homo iis per impotentiam uti non possit? Dicunt, duplicem esse impotentiam; alteram physicam, propter destitutionem facultatis naturalis intelligendi, objecti apprehensibilis, & luminis objectum illustrantis: hanc ajunt esse sine culpa, sine crimine, & pœnæ non obnoxiam: Alteram esse ethicam, quæ suppositis in subjecto intelligendi naturali facultate & potentiâ, objecto apprehensibili, lumine objecto illustrando revelando apto & convenienti, radicatur in creaturæ rationalis amore ferventissimo erga objectum à re proposita diversum, aut etiam contrarium, & aversione morum à conditionibus & circumstantiis objecti propositi. Resp. 1. Impotentiam, quam illi vocant ethicam, revera esse physicam: non enim volunt eam voluntaria assuetudine contrahi, sed naturâ hominibus inesse, per corruptionem originariam, quâ infecti nascuntur. 2. Sive impotentia illa sit physica, sive moralis, ac proinde crimine vacet, seu crimen habeat, id hic neutiquam in considerationem venit. Non enim inquirimus; utrum homo culpæ sit obnoxius ob contractam impotentiam, quæ impedit quò minus gratiam Dei amplectatur: sed, utrum gratia, quam Deus homini offert, sit sufficiens ad salutem? Dicimus nos, si gratia illam hominis impotentiam, sive illa physica sit sive moralis, non possit superare, illam etiam non esse sufficientem quæ hominem perducat ad salutem. Atque ita gratiam, quam vocant sufficientem, reipsa insufficientem faciunt.

Alia illius declaratio. VI. Alii itaque, incommodum hoc animadvertentes, haud gravatè confitentur, aliquos esse, licet exiguo numero, qui gratiæ illius communis ope in Christum credant: Deum tamen pro immensâ sua bonitate, sed liberâ & nemini debitâ, quò plures salventur, majus aliquod auxilium quibusdam peculiariter electis conferre, per quod irresistibiliter convertantur. Illam videtur proponere Joannes Overallus, in *Epist. Ecclesiast. Epist.* CCX. quam addit prædestinationi conditionatæ. Agnoscimus nos diversitatem graduum gratiæ divinæ: & si admittatur, aliquos per gratiam communem servari, jam fatendum, non necessariò ad conversionem requiri gratiam irresistibilem, sed tantum ad faciliorem conversionem. Hæc facile tolerantur. Nam duo hæc constant. 1 Neminem damnari, nisi ob propriam culpam. 2. Non tollitur libera fidei obedientia. Ita in præcipuis consensus est. Qui restat dissensus, minoris est momenti, quàm ut propterea acriter cum quopiam contendere velimus.

CAPUT XI.

De Vocatione hominum ad salutem, illiusque Necessitate.

I. **P**Rædestinationem divinam, quâ Deus modum ac rationem salutem consequendi ordinavit, excipit Vocatio ad salutem, quâ Deus homines vocat ad conditiones, sub quarum præstatione salutem æternam ipsis dare decrevit: ut ita Vocationem hanc distinguamus ab aliis vocationis generibus. Ita quodlibet vitæ institutum *vocatio* dicitur, 1 *Cor.* VII. 20. ita & electio ad munus aliquod, sive politicum sive Ecclesiasticum, nim: ad regnum, ad sacerdotium, ad Apostolatum, *vocatio* in Scriptura appellatur. Verùm nos, omissâ variâ *vocationis* acceptione, generalem illam, quâ omnes homines sine discrimine per Dominum Jesum ipsiusque Apostolos ad salutem vocantur, tradēmus. Eam autem definimus, quòd sit gratiosa Dei actio, quâ homines sui cognitione destitutos & peccatores, ideoque mortem æternam commeritos, per Euangelium Filii sui Jesu Christi ad fidem & resipiscentiam vocat, eo fine, ut si vocationi isti pareant salutis æternæ eos faciat participes. Unde constat terminum à quo vocationis hujus esse statum ignorantiæ, peccati, ac reatus condemnationis: terminum verò ad quem, fidem ac resipiscentiam, ac tandem salutem æternam. *Quid sit vocatio ad salutem.*

II. Objectum Vocationis hujus, sunt homines universim accepti: ut ita hac ratione vocatio hæc distinguatur à vocatione, quam Deus adhibuit in Veteri Fœdere. Tunc enim Deus discrimen fecit populorum, solos ex Abrahamo oriundos elegit sibi in populum peculiarem, iisque solis legem scriptam dedit, per quam ab aliis populis discriminarentur, præteritis omnibus aliis gentibus; quæ licet propterea omni gratia divina prorsus non fuere destitutæ, tamen ab omnibus populo Israëli speciatim concessis privilegiis fuere exclusæ. Hinc *Ps.* CXLVII. 19, 20. *Qui annuntiat verbum suum Jacob; justitias & judicia sua Israël: Non fecit sic omni nationi, judicia sua non manifestavit eis.* Et *Act.* XIV. 15. dicitur Deus *præcedentibus ætatibus gentes dimisisse ingredi vias suas.* Unde & *Rom.* III. 2. *Judæis* speciatim dicuntur *credita eloquia Dei.* Et ipsi passim in Deuteronomio vocantur populus Dei electus & peculiaris; *Cap.* VII. 6. XIV. 2. XXVI. 18, 19. Nunc verò discrimen illud populorum abolitum est, & gentes ad æqualem cum Judæis privilegiorum communionem adscitæ, & unà cum ipsis ad hæreditatis cœlestis possessionem vocatæ; uti fusè docet Apostolus *Eph.* II. & III. Hinc *Illius objectum.*

passim

passim dicitur, *in Christo neque esse Judæus, neque Græcus*, *Rom.* 11. 10, 11. *Coloss.* III. 11. Et ipse Dominus Jesus generalem hanc fore vocationem manifestè declarat, cùm in cœlum adscensurus Apostolos suos misit in totum terrarum orbem, ut Euangelium annuntiarent omni creaturæ; *Matth.* XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 15. *Luc.* XXIV. 47. Quod licet primò ita acceptum fuerit ab Apostolis, ut solummodò comprehenderentur omnes Israëlitæ aut Judæi, per totum terrarum orbem & inter omnes gentes dispersi; eventus tamen, & superaccedens uberior Dei revelatio, qualis imprimis Petro obtigit *Act.* x. docuit omnes gentes includi debere. Et munere sibi imposito Apostolos fideliter fuisse desunctos docent nos loca *Rom.* x. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* & *Coloss.* 1. 23. Euangelium dicitur *prædicatum in omni creatura quæ sub cælo est.* Et post eorum obitum magis magisque in terras remotiores propagatum est Euangelium sine ullo discrimine populorum; ita ut jam omnes in Christo in unum coaluerint populum.

Necessitas. III. Necessitas hujus vocationis abundè colligitur ex misero corruptoque hominum ante eam statu. Erant enim destituti notitiâ rerum ad salutem necessariam; eoque respectu vocantur *tenebræ*, *Eph.* v. 8. & *cæci*, *Act.* XXVI. 18. aberrabantque planè à vera Dei cognitione. Ethnici idola, id est, non falsos tantum Deos, sed & dæmonia colebant, deque iis tam turpia credebant, ut referre pudeat: unde *Eph.* 11. 12. dicuntur gentes illo tempore fuisse *sine Deo in hoc mundo*; & 1 *Cor.* x. 20. *quæ immolant dæmoniis immolare, & non Deo.* Judæi primarium Legis scopum interverterant, præcipuam pietatis partem in externis ceremoniis collocantes; uti fuse ipsis exprobrat Dominus *Matth.* xv. & XXIII. Voluntate porrò & affectibus ferebantur in malum assuetudine peccandi. Non quòd destituti essent intellectu, aut voluntate, aut facultate locomotivâ; sed quòd eorum voluntas assuetudine peccati ligata quasi fuerit, ut non potuerit ex seipsa, sine auxilio gratiæ divinæ, se è jugo peccati eximere, & in libertatem asserere; adeo ut, licet peccatum ut inhonestum declinandum judicaret, ejus tamen dulcedine, jam per longam consuetudinem altè phantasiæ ejus impressa, delinita, imparem se ad illud excutiendum deprehenderet: planè instar hominis captivi & compedibus constricti, qui quidem naturalibus ambulandi viribus præditus est, sed libero earum exercitio destituitur, donec alius superveniens vincula ipsi demat & compedes solvat. Qualis hominum status describitur *Rom.* VII. 14. & *seqq.* Et talis in genere est status omnium extra Christum. De Ethnicis clarum id est ex Scripturis. Ita priora eorum tempora vocantur *tempora ignorantiæ*, *Act.* XVII. 30. & status eorum corruptissimus & miserrimus describitur *Eph.* 11. 2, 3. *Tit.* III. 3. De Judæis non minus clarum est, ex *Epist. ad Rom. cap.* 1. 11. III.

Diversi corruptionis in hominibus gradus. IV. Licet autem omnes homines sint corrupti, & ex se inepti ad cogitandum quæ ad salutem æternam ducunt; non tamen omnium æqualis est corruptio, nec per consequens omnes æquè sunt inepti ad fidem vocationi Euangelicæ præbendam. In eo omnes conveniunt, quod peccatores fuerint; & *filii iræ naturâ*, *Eph.* 11. 3. Sed peccatorum diversi sunt gradus. Sunt quidam, *Maxime corrupti.* qui omnem rectæ rationis usum excusserunt, seque ita totos uni sive pluribus peccatis manciparunt, ut se nulla ratione ab eo avelli permittant, neque ullam prorsus disciplinam meliorem velint admittere, etiam quando ipsis offertur. Hi animi improbitate ac malitiâ laborant, taliumque non est fides, uti dicitur 2 *Thess.* III. 2. è contra omnem medicinam respuunt, traditique sunt cupiditatibus ac desideriis suis, *Rom.* 1. 26. habentque cor pœnitere nescium, *Cap.* 11. 5. & conscientiam cauterio inustam, *Eph.* IV. 18, 19.

Minus corrupti. V. Alii eo usque non sunt prolapsi: carnales quidem & terrena sapientes; sed tamen non omne rectæ rationis dictamen respuentes; in quibus proinde quædam docilitas superest; eaque in aliis pro peccatorum & peccandi assuetudine diversâ, vel major, vel minor. Quidam assueti quidem sunt secundum rectam rationem & conscientiæ dictamen vivere, & virtutem sectari; nondum tamen decreto animi tam firmo, ut propter illam omnia velint abnegare: non quia animi improbitate laborant, sed cognitione idonea destituuntur: aut enim non satis intelligunt, æquum esse ut ob bonæ conscientiæ studium patiantur; aut non satis apprehendunt vitæ æternæ certitudinem & præstantiam, quam malorum illorum toleratione, & bonorum aliàs sibi gratorum abnegatione, consecuturi sunt. Talis erat Nicodemus, qui noctu ad Dominum Jesum accedebat, *Joan.* III. 2. & Judæi quidam, qui non audebant palam de Domino loqui *propter metum Judæorum*, *Joan.* VII. 13. parentesque cœci illius, cui à Christo visus erat datus, qui Christum confiteri non audebant, præ metu *ne synagogâ ejicerentur*, *Joan.* IX. 22. Alii hisce sunt inferiores, assueti nimirum cupiditatibus carnis, etiamsi ratio dictat eas esse fugiendas; consuetudine tamen peccandi carnisque illecebris deliniti, permoveri nequeunt ut iis valedicant, virtutique operam dent, nisi certi sint, per earum abnegationem se bonum multò majus consecuturos: tum enim ratio, melioris boni spe suffulta, vires acquirit majores,

voluntatemque antea dubiam ac fluxam, in alteram partem impellit. Tales erant publicani & meretrices, *Matth.* XXI. 31. qui auditâ Joannis prædicatione pœnitentiam egerunt. Talis etiam erat homo ille, cujus statum Apostolus Paulus sub sua persona describit *Rom.* VII. qui Deo gratias agit, quòd per Jesum Christum ex corpore mortis spiritualis liberatus fuerit, unde se ipse eximere non poterat, ob inhabitantis sibi peccati dominatum.

Maximè dociles. VI. Tandem quidam hisce omnibus meliores, sed pauci admodum, Deo serviunt secundum notitiam quam habent; sed tamen, quia Euangelii cognitione destituti sunt, etiam quibusdam vitiis laborant, à quibus per Euangelium mundari debent, virtutibusque destituuntur quas non nisi per Euangelii gratiam acquirere possunt. Hi vocantur pii, & *Deum timentes*, *Act.* X. 34, 35. nempe pro ratione status in quo sunt, ut distinguantur ab iis qui jam per spiritum Jesu Christi regeniti Deum timent, ipsique placent ad vitam æternam: & *justi qui resipiscentiâ non indigent*, *Luc.* XV. 7. quia non tam egebant resipiscentiâ, id est, totius vitæ anteactæ mutatione, quàm illuminatione intellectus. Hi dicuntur *veritatem facere*, *Joan.* III. 21. *velle facere voluntatem Patris*, *Joan.* VII. 17. *ex Deo esse*, *cap.* VIII. 47. *oves Christi*, *cap.* X. 26, 27. *dispositi ad vitam æternam*, *Act.* XIII. 48. talesque ordinariè, quamprimum Euangelii verbum ipsis annuntiatur, credunt: quales fuere Nathanaël, *Joan.* I. 46. *&c.* Eunuchus reginæ Candaces, *Act.* VIII. Cornelius centurio, *cap.* X. 1. Lydia, *cap.* XVI. aliique. Hi, licet aliis minus sint corrupti, indigent tamen gratiosâ Dei vocatione ad resipiscentiam agendum omnium peccatorum, quibus hactenus indulserunt, fidemque in Jesum Christum concipiendum. Quod evidentissimè ex exemplo Cornelii liquet, cujus cùm Ecclesia Hierosolymitana fidem audivisset, gratias Deo egisse dicitur, quod etiam *gentibus resipiscentiam dedisset ad salutem*, *Act.* XI. 18. Non ergo omnes naturâ indociles sunt & improbi: non enim indocilitas oritur ex natura, hominique connata est; sed institutione, & potissimum pravâ assuetudine adsciscitur. Si enim à natura esset, æqualis esset in omnibus; naturalia enim omnibus sunt æqualia: at id falsum, uti jam ostendimus. Unde & Apostolus I *Cor.* VI. 11. postquam varias peccatorum species recensuit, dicit, *& tales quidam*, non omnes, *eratis*: ut ostendat, etiam ante regenerationem discrimen ratione peccatorum fuisse inter ipsos.

Ea docilitas est à gratia quadam communi. VII. Quæri hîc posset, unde hæc in hominibus docilitas? Resp. A gratia illa communi ac generali, quam Deus per opera Creationis ac Providentiæ omnibus hominibus communicat. Siquidem Deus non tantum hominibus rationem dedit, ut fax esset, quæ omnibus ipsorum actionibus præluceat; sed & per opera Creationis ac Providentiæ homines ad se vocat, ipsorumque rationem excitat, ut ea contemplando benignissimum, sapientissimum ac potentissimum creatorem, omniumque gubernatorem, agnoscant, & debitè revereantur, ut ita favorem ejus consequantur. *Psal.* XIX. 1. *&c.* *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, &c. *Act.* XIV. 16, 17. dicit Paulus, quòd *Deus in præteritis ætatibus permiserit gentes ingredi vias suas*, quia nim. illis perinde atque Israëlitis legem scriptam ad quam actiones suas componant non dederit: attamen quòd *se non reliquerit sine testimonio*, *benefaciendo de cœlo*, *dando pluvias & tempora fructifera*, *& implendo corda hominum cibo & lætitia*: ita eos beneficentia sua convictos reddens & obstrictos ad sui cultum. Et *cap.* XVII. 26. *Deus ex uno sanguine fecit omne genus hominum*, *ut habitarent per universam terram*, *& quærerent Deum*, *si forte attrectarent eum & invenirent.* Si itaque is fuit Dei scopus, potuerunt etiam ex consideratione operum divinorum ad Deum quærendum permoveri.

VIII. Sed præ aliis illustris est locus *Rom.* I. 18, 19. *& seqq.* *Ira Dei revelatur de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: Quia quod de Deo cognosci potest* (seu debet) *manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus à creatione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna videlicet ejus virtus & divinitas, ut inexcusabiles sint; quia cùm cognovissent Deum, eum non sicut Deum glorificaverunt, nec ei gratias egerunt*: &c. ad finem usque capitis. Redarguens enim Ethnicos impietatis, quòd veritatem Dei in injustitia detineant, dicit Deum ipsis revelasse τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ: sive id explicemus prout vulgò solet, *quod de Deo cognosci potest*; sive cum aliis, *quod de Deo cognosci debet*; manifestum est Apostolum non de gentibus per Euangelium vocatis, illique immorigeris; sed de gentibus nondum Euangelii cognitione illustratis, loqui: nullum enim rejectionis Euangelii, cùm tamen variorum ac enormium eos criminum, propter quæ in reprobam sint traditi mentem, reos agit, mentionem facit, quæ tamen reliquis cumulum adjecisset, & quàm maximè commemoranda fuisset. Dicit ergo de gentibus, quod ex consideratione eorum, quæ facta sunt à creatione mundi, conspexerint sempiternam Dei virtutem & divinitatem, quòd nempe Deus auctor, conditor & rector sit universi, nihilque eorum quæ conspiciuntur, sed quid multò præstantius, ideoque omnia, quæ ex creaturis de Deo cognosci poterant, seu quæ

Explicatio loci Rom. I. 18, 19. &c.

ad

ad Deum colendum cognoſci debebant, noviſſe. Hæc enim Dei cognitio ipſos abundè inſtruxit, Deum eſſe colendum, honorandum, amandum eique ut benefactori gratias agendas: non debere eum aſſimilari cuicumque creaturæ reive corporeæ: honeſta & rationi convenientia eſſe facienda: & niſi ea faciant, mortem, ut ſcelerum pœnam, eſſe exſpectandam. Et hæc ſufficiens fuit norma ad ipſos dirigendum, ut ſibi à peccatis iſtis caveant, & virtuti ac honeſtati operam dent. Dices. Revelatio hæc iſti fini non inſerviit, ut homines ad cultum Dei perduceret; ſed tantum ut eos convinceret officii ſui, ipſoſque reddat inexcuſabiles: dicitur enim, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Reſp. 1. Homines per revelationem divinam ſolummodò convicti de officio ſuo non redduntur inexcuſabiles; ſed per voluntariam inobedientiam, quâ officium de quo convicti ſunt præſtare renuunt. Non is ergo eſt propriè revelationis Dei ſcopus, homines reddere inexcuſabiles; ſed ad officium perducere; quod ſi negligant, tum reddere inexcuſabiles, eo quod officio, ad quod præſtandum ſufficientes largitus fuerat vires, functi non ſint. Ita ut hic ſit ſolummodò eventus, revelationi divinæ non reſpondens ſed ex hominum malitia procedens: perinde uti phraſis illa εἰς τὸ εἶναι, ſicut & particulæ ἵνα & ὥστε ſæpius non finem, ſed nudum tantum eventum denotant. 2. Quibus per revelationem divinam vires ad præſtandum officium non conferuntur, nec per eandem inexcuſabiles reddi poſſunt, quod officio defuerint; nulla enim juſtior eſt excuſatio, quàm impotentia. Sicut enim ignorantia excuſat, ita & quod præceptum eſt præſtandi impotentia. Aliàs revelatio hæc divina non beneficium eſſet, ſed homines neceſſitati gravius peccandi involveret, & ad graviorem pœnam obſtringeret: quod abſurdum, & Dei bonitati ac juſtitiæ injurium.

IX. Idem confirmatur ex *Rom.* 11. 14, 15.

Rom. 1.14,15. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturâ ea quæ legis ſunt faciunt, illi legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Varia hic de Ethnicis dicuntur; nempe quòd opus legis habeant inſcriptum cordibus ſuis, diſcrimen nim. inter honeſtum ac turpe; & propterea naturâ faciant quæ ſunt legis: quia vi luminis naturalis honeſta præſcribunt facienda, turpia vetant; atque ita ſibi ipſis lex ſunt, ſeu ſibi ipſis legem figunt; & factis, quæ legi conſentanea aut contraria faciunt, conſcientia ipſorum teſtimonium reddit; ipſoſque, ſi turpia faciant, accuſat; ſi verò honeſta, abſolvit. Quæ manifeſtò oſtendunt, gentes & naturali rationis lumine, & generali illa gratiâ, quæ ex operibus Dei percipitur, eatenus potuiſſe honeſtati operam dare, ut eorum conſcientia ipſos coram Deo, ut criminum graviorum non reos, abſolvat: ſed quia omnes lucem illam neglexerunt, meritò concludit Apoſtolus, omnes coram Deo condemnationi eſſe obnoxios.

X. Quæres: An ergo hæc gratia communis ſufficiens fuerit, ut ipſos perducat ad æternam ſalutem? Reſp. Ex ſe ſufficientem neutiquam fuiſſe. Ut enim homo peccator, & mortis reus ad ſalutem perducatur æternam, remiſſione peccatorum eſt opus; atqui hoc eſt gratiæ: gratia autem eſt indebitus favor, quam Deus pro arbitrio adhibet. Illam autem Deus nobis exhibet in Chriſto Jeſu, quem, uti vidimus, Servatorem conſtituit, & redemtorem dedit generi humano. Gratia illa communis homines quidem exſtimulare potuit, ad generalia illa religionis officia Deo exhibendum, atque ita pro ratione ſtatus ſui in quo ſunt Deo placendum; non verò ut per eam obtineant vitam æternam. Salutaria quippe illa opera, per quæ homo vitam æternam conſequitur, qualia nunc in Euangelio exiguntur, fides nimirum in Jeſum Chriſtum, & converſio quæ ex fide præſtari debet, produci nequeunt, niſi per gratiam Dei in Euangelio revelatam & oblatam: cum ne eorum quidem cognitio abſque Euangelio haberi poſſit: *Fides quippe ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei, Rom.* x. 17. & *Matth.* XVI. 17. Petro confeſſionem edenti de Domino, quòd ſit Chriſtus Filius ille Dei, reſpondet Dominus, *Caro & ſanguis hoc tibi non revelavit; ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* *Gratia illa non fuit per ſe ſufficiens ad ſalutem.*

XI. Quæres: Si ergo gratia illa communis non ſufficiat ut homines perducat ad æternam ſalutem, an ergo omnes, qui Euangelii cognitione ſunt deſtituti, tanquam carentes medio, quo ad vitam æternam pervenire poſſint, certò damnandis ſint annumerandi? Reſp. Illud neutiquam videri veriſimile. Certum & indubitatum credimus, neminem, quem Deus Euangelii cognitione dignatus non eſt, condemnandum, quia officia in Euangelio ad ſalutem adipiſcendum neceſſariò requiſita, qualis potiſſimum eſt fides in Jeſum Chriſtum, non præſtitit; ſed ſolummodò quia naturæ legem tranſgreſſus eſt: *Qui enim ſine lege peccant, ſine lege peribunt, Rom.* 11. 12. & *ſervus qui ignoraverit voluntatem Domini ſui & fecerit digna plagis, paucioribus cædetur. Luc.* XII. 48. Nemo enim ea cognoſcere tenetur, quæ ipſi Deus non revelavit, neque per illam ignorantiam pœnæ reus eſſe poteſt: dicente Domino *Joan.* XV. 22. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Quod ſi quidam gratiâ hac communi rectè utantur, & pro virium ſibi per illam conceſſarum modulo honeſtati natu- *Non tamen omnes cognitione Euangelii deſtituti certò damnandis annumerandi.*

naturali operam dent, illos etiam pro ratione ſtatus in quo degunt Deo gratos eſſe credimus, neque à ſalute prorſus excluſos; ſaltem igni infernali non adjudicandos. Alterutrum itaque ſtatuendum: Aut à Deo, licet cognitione Chriſti deſtitutos, donari ſalute; non tamen ſine reſpectu ad Chriſtum, ſed ſolummodò propter Chriſtum, qui ſe redemtionis pretium dedit pro omnibus hominibus: poteſt quippe Deus per extraordinariam gratiam fructus ſacrificii Chriſti etiam imputare illis, quibus nullâ ſuâ culpâ Chriſti cognitione carere contigit; ut ita tota ſalus noſtra in Chriſto fundetur: poteſt enim Deus homini beneficium ſibi ignotum ex ſuperabundanti gratia applicare: aliàs juxta ordinariam Dei gratiam, reſpectu eorum, quibus Chriſtus prædicatus eſt, verum eſt illud *Act.* IV. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus: nec enim aliud nomen datum eſt ſub cœlo hominibus. in quo oporteat nos ſalvos fieri*: & *Marc.* XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvabitur, qui verò non crediderit condemnabitur.* Contumacia quippe erga maximam hanc Dei gratiam omni excuſatione caret, veniâque indigna eſt. Aut, ſi nullos, niſi in Chriſtum credentes, ſalutem adepturos velimus, dicendum eos, qui lumine naturali rectè utuntur, atque ita ad fidem in Chriſtum, quando Euangelium ipſis prædicatur, concipiendum præparati, ſicque ad vitam æternam diſpoſiti ſunt, majore à Deo gratiæ luce donandos, & Euangelii cognitione illuſtrandos, ut ita per fidem in Jeſum Chriſtum ſalutem adipiſcantur; imo antequam Deus tales perire ſinat, extraordinario potius medio uſurum, quin vel Angelum de cœlo miſſurum, cujus miniſterio vel de ratione ſalutem conſequendi, vel de medio ad Euangelii cognitionem perveniendi inſtruantur; uti olim Cornelio contigiſſe legimus, *Act.* X. Quicquid itaque gratia illa communis præſtare poteſt, præparationem ad gratiæ Euangelicæ, quando offertur, receptionem non excedit: ipſam autem ſalutem conferre nequit. Si quos ergo naturali lumine rectè utentes in ſtatu ſuo abſque ulteriore Euangelii luce oppetere contingat, iis vel ſalutem ob Chriſtum, licet ipſis incognitum, ex ſuperabundanti gratia donari credibile eſt; vel ſi id nolimus, antequam divina bonitas eos ad inferni cruciatus damnare credatur, ſicut triplex hominum in hoc ævo eſt ſtatus, credentium, incredulorum, & ignorantium; ita etiam triplex poſt hanc vitam hominum ſtatus concedendus videtur; vitæ æternæ, qui eſt credentium: cruciatuum infernalium, qui eſt incredulorum; & præter hoſce, ſtatus ignorantium; quem licet expreſſe qualis futurus ſit definire nequeamus, tamen à duobus prioribus eſſe diſtinctum probabiliter ex *Rom.* II. 12. & *Luc.* XII. 47, 48. mox citatis, colligitur.

XII. Quæri hic ulterius poteſt: Cùm itaque per rectum gratiæ illius communis uſum homo ad gratiam Euangelicam, quando ipſi offertur, recipiendum præparatur, an ergo gratia Euangelica detur ſecundum hominum merita? Reſp. Nullo modo: gratiam enim dari, eamque diſtribui ſecundum merita, repugnantia ſunt; excludit enim gratia meritum, alias non eſſet gratia; *Rom.* XI. 6. *Non datur gratia Euangelica ſecundum hominum merita.* 2. Ipſe rectæ rationis uſus, per quem homines ad gratiam Euangelicam præparantur, fructus eſt gratiæ univerſalioris. 2. Etiamſi homo abſque illius gratiæ ope ratione rectè uteretur, debitum ſolummodò præſtaret officium, nullum autem aſſequeretur meritum majoris gratiæ obtinendæ. 4. Deus etiam illis, qui gratiâ illa communi rectè uſi non ſunt, Euangelii gratiam offert; ut ex corrupto hominum ante vocationem Euangelicam ſtatu liquet; inter quos pauci reperiuntur gratiâ communi prout oportet utentes; reliqui diverſimodè quidem, univerſaliter tamen omnes, gratiæ illi aurem non præbuerunt. 5. Summa hominum improbitas aliquando obex eſt cur Deus, ſaltem ad tempus, differat vocationem ſuam; aut gratiam jam oblatam, ſed contumaciter ſpretam, denuò auferat; uti liquet ex *Matth.* XXI. 43. *Apoc.* II. 4, 5. Sed tamen ſemper pro jure ſuo abſoluto gratiam diſpenſat, tantumque abeſt, ut bonis hominum meritis ſe alligatum velit, ut quandoque magis indignis gratiam offerat, præteritis minus indignis; *Matth.* XI. 21, 22, 23. XII. 41, 42.

XIII. Sanè arbitrii divini eſt, quòd gratiam ita inæqualiter & olim diſpenſaverit, & etiamnum diſpenſet. Quòd quoſdam per opera ſolum creationis & providentiæ, & per extraordinaria quædam judicia vocet: alios verò per verbum ſuum. Quod olim per Legem homines vocaverit, in qua perfectiſſimam ſuam voluntatem variis umbris ac figuris obvolutam obſcurius conſpiciendam dedit, nunc verò manifeſtatione bonæ, ſanctæ & beneplacentis ſuæ voluntatis per Filii ſui Jeſu Chriſti Euangelium vocet ad ſalutem. Quòd omnibus nunc nondum Euangelium annuntiari curet, ſed & quoſdam populos, quos dici nequit aliis eſſe deteriores, etiamnum Euangelii cognitione deſtitutos relinquat. Quod omnes, quos vocat, non æquali gratiæ menſurâ donet, ſed quoſdam longè excellentiore præ cæteris: ut Paulum, *Act.* IX. Cornelium, *Act.* X. Quòd non æque idoneos miniſtros ubique mittat, coram omnibus æqualia miracula fieri non voluerit, omnes non iiſdem Spiritus Sancti afflatibus & arcanis ſuggeſtionibus dignetur, omnibus æquales in veritatis cognitione & virtute proficiendi occaſiones, inter quas educatio & quotidianus convictus eminent, occurrere non faciat. *Sed diſpenſatur pro arbitrio divino.*

XIV. Nihil hic juſtitiæ & æquitati divinæ *Convenienter*

Justitia & equitas divina.

næ adversum aut repugnans à Deo in inæquali hac gratiæ dispensatione fit; sed pro summa sua sapientia justitiæ suæ convenienter omnia administrat. Omnibus facultates pro ratione status, in quo sunt, ipsum colendi sufficientes largitur. Olim mundum, infantis instar adhuc rudem & perfectioris disciplinæ incapacem, per opera providentiæ, & potissimum per legem suam ad perfectissimum sui cultum præparare voluit: sic *Gal.* IV. 3,4,5. dicuntur tum infantium instar sub Lege, tanquam sub pædagogo, fuisse. Et quos nunc Euangelii cognitione nondum illustravit, non omni medio, quo ulterius, ac tandem ad salutem perveniant, destitutos vult; nemini enim ita prorsus omnem gratiam denegat, quin si concessa rectè utatur, majorem possit à Deo consequi, cujus virtute salutis tandem fiat particeps: si autem majore eâ gratiâ Deus nunquam eum dignetur, fit id solo illius vitio, quoniam priore rectè non usus est: juxta id quod legitur *Matth.* XXV. 29. *Habenti*, hoc est, eo quod habet rectè utenti, *dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet*, hoc est, eo quod habet perinde ac si non haberet non utenti, *& quod videtur habere auferetur ab eo.* Attamen arcani hic sapientiæ divinæ thesauri agnoscendi sunt, cujus rationes nec investigare, nec reddere nostrum est: nulli injuriam facit, omnibus necessaria ad salutem, seu ad media per quæ salutem consequi possunt perveniendi, subministrans; uni licet majora & excellentiora, quam alteri concedat: quia omnia largitur de suo. Valeat hic illud Apostoli *Rom.* XI. 33,34,35,36. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Gratia est principium progressus, & complementum omnis boni salutaris.

XV. Concludimus itaque, quod gratia divina, per Euangelium nobis revelata, sit principium, progressus, & complementum omnis salutaris boni, sine cujus cooperatione nullum salutare bonum ne cogitare quidem, multò minus perficere, possimus. Principium quidem est omnis salutaris boni; *Eph.* II. 8, 9. *Gratiâ estis salvâti per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Tit.* II. 11, 12, 13. *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus in hoc seculo*: &c. Vide & *cap.* III. 4, 5. 2 *Tim.* I. 9. Progressus: *Phil.* I. 6. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Christi.* I *Corinth.* I. 4, 5, 6. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo. in omni verbo, & in omni scientia: sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*, &c. Et tandem complementum: *Phil.* I. 9, 10, 11. *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu: ut probetis potiora, ut sitis sincerè & sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum.* Et *cap.* IV. 13. *Omnia possum in eo qui me corroborat. Hebr.* XIII. 20, 21. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum.*

CAPUT XII.

De variis Vocationis divinæ divisionibus.

Vocatio est vel Externa.

I. Vocatio Dei variis modis à Theologis distingui solet. Ac primò quidem dividitur in Externam, & Internam. Externa fit per externum Dei verbum, vel ore prolatum, vel scripto traditum. Verbum illud olim fuit Lex Mosis, quæ non apertè quidem, attamen verbis generalibus, & sub typis ac umbris, promittebat vitam æternam: quare nec tantæ fuit efficaciæ ad homines movendum, quàm Euangelium; nec suâ virtute ad vitam æternam perducere homines poterat, sed obscuram tantum ejus spem facere, quam non nisi per redemtionem à Christo in plenitudine temporum peragendam consequi possent. Nunc verò verbum illud est verbum Euangelii, à Domino Jesu primum, deinde ab Apostolis annuntiatum; in quo salus clarè revelata est; quod propterea *Euangelium* seu verbum *salutis* vocatur *Eph.* I. 13. & salus, seu *tanta salus*, *Hebr.* II. 3. & Domini verba dicuntur *verba vitæ æternæ*, *Joan.* VI. 69. & Euangelium vocatur *potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom.* I. 16. & à Deo ordinatum est, ut sit medium per quod nos oporteat ad salutem tendere: nam *non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: Act.* IV. 12. Unde & Dominus *mortem* dicitur *destruxisse*, *vitam* autem & *immortalitatem in lucem produxisse per Euangelium*; 2 *Tim.* I. 10. Verbum autem illud vel immediatè ab ipso Deo, seu Angelis, est prolatum, sed rarò: ita olim Lex est pronuntiata ore Angeli ad Mosen: ita vox immediatè è cœlo Apostolos allocuta est, *Hic est Filius meus dilectus in quo complacui, ipsum audite, Matth.* XVII. 5. Vel à Dei ministris hominibus prædicatum: illi autem vel immediatè & extraordinariè à Deo fuerunt missi, ut Prophetæ, Apostoli, &c. vel mediatè ad munus suum ordinati,

nati, uti ministri ordinarii, quorum munus in Ecclesia perpetuum esse Dominus voluit. Illud autem inter utrosque discriminis est, quod priores, utpote à Deo immediatè missi, Spirituque divino afflati, extra errandi periculum positi, auctoritate divinâ verbum prædicent: posteriores autem omnem suam auctoritatem à verbo à prioribus annuntiato & scriptis consignato mutuentur; &, quia errori sunt obnoxii, neminem verbis suis adstringere possint, nisi quatenus eum de prædicationis suæ veritate ex Scripturis convincere possunt. Ut autem certam ac infallibilem credendi regulam homines haberent, verbum, à ministris extraordinariis prædicatum, scripto consignari, in eoque omnia ad salutem scitu, creditu, speratu ac factu necessaria plenè ac perspicuè comprehensa esse Deus voluit; adeo ut quivis, sanâ tantum mente præditus, non minus ex illius lectione, quam verbi prædicati auditione, ad salutem sufficienter instrui possit.

Vol. interna. II. Interna vocatio est, quæ fit per Spiritum Dei, qui, in corda hominum influens, ea movet, excitat & exstimulat, ut vocationi externæ per verbum factæ obtemperent: quale exemplum habemus in Lydia, cujus cor Deus aperuisse dicitur, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo, *Act.* XVI. 14. licet illic magis vocationis divinæ effectum significetur. Hæc autem interna vocatio non est virtus Spiritus seorsim operans à verbo, sed per verbum, & verbo semper inest: adeo ut revera una eademque sit vocatio, sed quæ secundum diversos respectus vocetur externa & interna. Quia enim spiritus nunquam operatur absque verbo, neque verbum unquam destitutum est spiritu, hinc qui verbo vocantur, etiam spiritu, quantum ad conversionem & fidem sufficit, donantur. Eadem ergo vocatio, quæ, quatenus per verbi prædicationem extrinsecus auribus nostris allabitur, vocatur externa, etiam est interna, quatenus vis spiritualis, quæ verbo inest, cordibus & animis nostris per verbum externum, auribus receptum, illabitur. Quod manifestè docet Petrus 2 *Epist.* I. 3,4. Quòd *divina potentia omnia nobis ad vitam & pietatem donavit, per cognitionem ejus qui nos vocavit ad gloriam & virtutem: per quam maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, postquam effugistis ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Quare & verbum, quod prædicatur & auribus nostris percipitur, vocatur semen regenerationis; 1 *Pet.* I. 23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivum & permanens in æternum.* Ut autem sciamus quodnam illud sit verbum, addit *vers.* 25. *Verbum Domini manet in æternum: hoc autem est verbum, quod evangelizatum est in vobis.* Et *Jacob.* I. 18. *Voluntate genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ipsius.* Vocatur & spiritus, 2 *Cor.* III. 6. *Litera occidit, spiritus autem vivificat*: quia spiritualem vim habet homines movendi. Unde & ea, quæ verbo continentur, vocantur ea *quæ sunt spiritus Dei.* 1 *Cor.* II. 14. Quin & verbum vocatur ipse Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* XII. 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi per Spiritum Sanctum*: quasi dicat; Nemo potest Jesum agnoscere Dominum, nisi per verbum ejus, cui spiritualis vis inest, sit edoctus.

III. Non ergo credendum, vocationem externam specie esse distinctam ab interna, & externam non sufficere ad salutem, neque Deum per eam testari, se velle ut convertantur & salvi fiant, quoscunque per eam alloquitur; sed oportere accedere vocationem internam, quæ corda moveat: cùm ex jam dictis constet, hæc non posse divelli: nunquam enim vocatio externa solitaria est, sed adjunctam sibi semper habet vocationem internam; imo una eademque est vocatio, diverso tantum respectu à nobis considerata. *Externa non est specie distincta ab interna* Quod quoniam ab aliis negatur, contendentibus, vocationem externam ex se insufficientem plane esse & inefficacem ad conversionem, & requiri ut accedat vocatio interna, seu operatio Spiritus Sancti, quæ insuperabili quâdam virtute ac potentiâ, & actione non morali, sed physica, hominem convertat, necesse est, ut id rationibus aliquot adstruamus. Si vocatio interna, seu operatio Spiritus Sancti, actio sit specie distincta à vocatione externa, quæ per verbum fit, tum sequitur, id, quod unà cum verbo operatur tanquam conversionis medium, collateraliter operari, juxta verbum per actionem distinctam ab actione verbi; vel alterum alteri subordinari. Atqui neutrum dici potest. Non prius: quia tum dicendum foret, verbum fungi suis partibus; & Spiritum Sanctum verbo conjunctum etiam juxta verbum suas functiones explere, ita ex duplicis istius efficaciæ concursu conversio resultet: atqui exinde sequitur, si alterutri horum mediorum resisti possit, totum conversionis effectum posse impediri. Partialis enim causa sine alterius causæ ope effectum producere non potest. Volunt autem, ut in sequentibus videbimus, actioni quidem verbi, non autem actioni spiritus ab homine resisti posse. Non posterius: quia tum dicendum foret, actionem spiritus insuperabilem incipere, ubi verbi efficacia desinit, & vi sua effectum producere: atqui exinde sequitur, si spiritus non operetur, nisi postquam verbum functiones suas explevit, etiam spiritus actionem impediri posse, siquidem actioni verbi resisti possit; aut si nihilominus spiritus actionem suam sit perfecturus, verbum conversionis medium non

non erit, ad summum præparatorium tantum erit ad conversionem, neutiquam verò eam absolvere poterit.

IV. Dices. Verbum & spiritus neque collateraliter concurrunt, neque subordinatè: sed spiritus efficit per verbum quicquid efficitur à verbo, quæ est subordinatio instrumenti ad causam principalem: & ad illam operationem verbi spiritus (pro suo beneplacito, quo spirat ubi vult) producit illud effectum, ad quod verbum præparatoriè quidem tendit, sed ex proportionis defectu non attingit: qui concursus est non propriè collateralis, sed potius complementalis, causæ nempe omnisufficientis cum insufficiente. Resp. Si actio spiritus actio sit specie distincta ab actione verbi, concipi non posse, qua ratione verbum spiritui tanquam instrumentum causæ principali inserviat. Tum enim verbum, ubicunque prædicatur, instrumentum spiritus ad regenerationem tendens foret; atqui hoc non concedunt, sed solis tantum electis pro instrumento servire volunt: quoniam circa reprobos, quos spiritus convertere non vult, instrumentum spiritus ad conversionem tendens esse nequit. Aut circa aliquos instrumentum spiritus hominum animis præparandis foret; apud alios non. At quæ ratio, quòd verbum, cujus operatio circa omnes eadem seu ejusdem est speciei, uni possit esse præparatio ad fidem, alteri non? 2. Manet eadem quam proposuimus difficultas. Si enim verbum præparatoriè tantum tendit ad conversionem, & spiritus actionem verbi complet, sequitur actionem spiritus impediri posse, impedita actione verbi. 3. Secundum ipsos, verbum ante actionem illam spiritus hominum animos præparare nequit: quia mens & voluntas hominis, spiritu non afflata, secundum ipsos nec sensum verbi intelligere, nec quæ verbo præcipiuntur facere velle potest. Ergo verbi actio præparatoria esse nequit, quam spiritus postea actione suâ compleat. Neque potest esse actio instrumentalis: quia actio verbi moralis est, actio spiritus est physica vel supernaturalis: illius autem operationis moralis actio, utpote alterius & diversæ planè naturæ, instrumentum esse non potest. Dices. Et nos etiam statuere, actionem spiritus cum actione verbi concurrere. Resp. Ita est: sed non dicimus duas esse actiones specie distinctas: sed unam eandemque actionem; quoniam verbum est spiritus, hoc est, spiritus verbo inest, verbumque propterea spiritualem nos convertendi vim habet. Et quæcunque hîc sit spiritus actio, ea alia non esse videtur, quam sensus, ex verbo percepti, validior in mente hominis impressio, quo & de officio suo, & magnitudine ac certitudine divinorum promissorum plenius persuasus, excitatur ad fidem & perpetuum sanctimoniæ studium.

V. Dices. Attamen Scriptura docet, non omnibus, quibus verbum prædicatur, potentiam ad credendum offerri: quoniam *non omnibus brachium Domini revelatum est*, *Esa.* LIII. 1. & multi sunt *qui verbum Dei audiunt*, & tamen *non intelligunt*, *Luc.* VIII. 10. Resp. Quis non videt, *Esa.* LIII. 1. non denotari nudam revelationem, sed eam quæ cum effectu est, qua fit ut quis revelationi factæ credat? præmittitur enim, *Quis credidit auditui nostro?* 2. Verba hæc gravem contra populum querelam continent: at quæ querela de populo justa, quòd Deus ipsi virtutem suam illuminantem & spiritus efficaciam largiri noluerit, quod extra populi potestatem erat? Aut si largitus sit, quomodo querela institui potest? cùm omnibus, quibus brachium suum Deus revelare vult, necessariò id, juxta hanc sententiam, reveletur. *Luc.* VIII. 10. dicuntur solummodò *multi* esse, *qui verbum Dei audiunt*, *non tamen intelligunt*, non autem dicuntur illud intelligere non potuisse; sed noluisse aut non studuisse intelligere, quia animum jam diuturno præjudicio & peccandi habitu contra Euangelium obfirmatum habebant, ideoque licet sensum verbi perciperent, non tamen illi assentiri volebant, sed quasi non intelligerent id repudiabant: eodem sensu quo *animalis homo* dicitur *non percipere ea quæ sunt spiritus Dei*, 1 *Cor.* II. 14.

VI. Secundò dividitur Vocatio in Sufficientem, & Efficacem. De hujus divisionis sensu non minor, quàm de præcedente est controversia. Contraremonstrantes siquidem & eam admittunt, longè autem alio sensu quàm nos. Volunt quippe illi vocationem Efficacem specie esse distinctam à vocatione Sufficiente; & Sufficientem vocationem conferri variis, quibus Deus Efficacem vocationem conferre non vult. Nos autem contendimus, unam eandemque speciem esse vocationem, quæ ratione respectus diversi distinguitur, nullamque vocationem à parte Dei esse inefficacem; sed, quando effectu caret, id procedere à vitio hominum. Quod ut distinctius appareat, utramque sententiam plenius proponemus.

VII. Gratia itaque seu vocatio Contraremonstrantibus Sufficiens vocatur, non quæ sufficiens est ad homines convertendum; atque ita ad salutem perducendum, sed, tantum ad convincendum ingratitudinis. Atqui si non sit sufficiens ad convertendum, nec sufficiens esse potest ad convincendum ingratitudinis: præterquam enim quòd nulla sit ingratitudo, non recipere beneficium sibi non oblatum; non datur justior excusatio, quàm carentia virium ad actum præstandum necessariò requisitarum. Dices. In se est sufficiens ad hominem convertendum, sed culpa in solo homine est quod non sit sufficiens,

ficiens: quia malitiâ suâ gratiæ obicem ponit. Resp. Vox sufficiens, uti jam aliquoties dictum, est vox respectiva; nihil itaque in se est sufficiens, sed semper cum respectu ad illum cui dicitur sufficiens: si itaque malitiam hominis tollere non potest, sufficiens non est ad hominem corruptum convertendum. Non enim quærimus, quid vocatio illa operari possit circa hominem non corruptum, sed quid possit circa corruptum. Dici ergo ad summum posset, nisi malitia hominis obstaret, vocatio illa foret sufficiens, nunc verò non est sufficiens. Sic homini captivo apertio carceris medium est sufficiens ad evadendum, si vinculis aut catenis constrictus non sit: iis autem constricto medium sufficiens non est. Dices. Deus non obligatur ex justitia homini majorem dare gratiam. Resp. 1. Gratia non vocatur sufficiens in ordine ad Deum, sed ad homines. Si illos in statu in quo sunt ad conversionem perducere non possit, revera insufficiens est. 2. Quia Deus vocationi suæ addit non tantum promissum præmii, sed & gravissimæ pœnæ comminationem, etiam ex justitia se obligavit ad conferendum gratiam, qua homines actu converti possunt. Nec Deus per justam peccatoris punitionem jus acquirere potest, illi mandandi, sub pœnæ gravioris comminatione, actum, per punitionem illam ipsi impossibilem. Ne hoc in judiciis humanis locum habet. Si judex alicui ob scelus commissum oculos effodi jusserit, non potest illi sub gravioris pœnæ comminatione præscribere, ut postea edictum aliquod legat. Impotentia enim, etiam per pœnam, licet justam, contracta, à reatu absolvit. Efficax autem vocatio ipsis est motio divina, seu actio Dei, quæ ex se determinet voluntatem ad consensum; ita ut voluntas non modò consentiat revera ac certò, sed non possit non consentire divinæ vocationi. Sed quoniam in sequentibus de modo operationis gratiæ divinæ in conversione prolixius sumus dicturi, nos hujus descriptionis examen eò usque differemus.

Vera illius explicatio. VIII. Nobis autem vocatio sufficiens est, quâ homini in statu in quo est conferuntur vires Deo vocanti, omnibusque mandatis divinis parendi: si autem ea inefficax sit, id fit per voluntariam & evitabilem hominis malitiam, qui viribus sibi à Deo concessis non utitur. Hinc tales dicuntur *habere oculos ad videndum, & non videre, aures ad audiendum, & tamen non audire, Ezech.* XII. 2. diciturque Deus nihil prætermisisse eorum, per quæ moveri debebant ad fructus bonorum operum producendos, quos tamen non produxerint, *Esa.* v. 1. *& seqq.* Efficax vero, quæ cooperante voluntate hominis effectum sortitur, ita tamen, ut potuisset per hominis malitiam effectu caruisse. Quod ut clarius pateat, sciendum vocationem triplici significatu in Scholis solere dici Efficacem. 1. Præcisè secundum naturam, quatenus actualis quædam motio est, voluntati à Deo immissa, quæ non tantum vim habet & efficacitatem formaliter excitandi in voluntate consensum, sed & effectivè concurrendi cum voluntate ad consensum, per modum causæ partialis: vocaturque efficax, eodem fermè sensu, quo nos medicamentum, cui vis ad medendum inest, efficax vocamus. Et sic accepta, eadem prorsus est cum Sufficiente. 2. Ex parte modi quo Deus eam confert, quatenus videlicet eam accommodat personis, temporibus, & circumstantiis, quibus positis futurum prævidet, ut ea effectum sortiatur, atque ita efficax fiat. Hæc congrua dici solet, funditurque in præscientia divina: de qua mox. 3. Ex parte effectus, quando voluntas illi cooperatur. Itaque sufficiens vocatio, quando per cooperationem liberi arbitrii sortitur suum effectum, vocatur Efficax. Illud autem rursus dupliciter accipi potest: 1. Ut gratia ex se nullam habeat efficaciam ad producendum in voluntate consensum, sed ea tota sit ex parte voluntatis humanæ. Hoc sensu gratia nobis efficax non vocatur. 2. Ut habeat ex se sufficientem vim ad producendum in voluntate consensum; sed quia illa partialis est, quòd non possit sortiri effectum sine cooperatione humanâ: Efficax ergo est, quia cooperante voluntate humanâ sortitur effectum. Eadem ergo gratia diverso respectu vocatur Sufficiens & Efficax: Sufficiens, quia vim habet producendi effectum: Efficax, quia jam effectum suum produxit. Veluti, si quis carcerem aperiat; compedes solvat, manum captivo porrigat, &c. sufficientem illi confert potestatem exeundi: si autem ille pareat & exeat, tum fit efficax.

IX. Tertiò. Vocatio dividi solet in Congruam, & Incongruam. Congrua vocatur, quam Deus accommodat personis, temporibus & circumstantiis, quibus positis futurum prævidet ut ea effectum sortiatur. Incongrua est, quam Deus adhibet personis, ejusmodi prævisis temporibus & circumstantiis, quibus homo non est crediturus, vocationemque Dei irritam est redditurus. Hæc distinctio nostro judicio admitti potest, si addamus, nullam vocationem ex intentione Dei esse incongruam, sed per accidens fieri, quod quidam homines vocentur modo, qui congruus non est ad ipsos convertendum, quia permixti sunt aliis, ad quos verbi divini sermo pertingit. Certum quidem est, vocationis divinæ modos esse valdè diversos, & non omnes æqualiter congruere hominum vocationi: ita si admoneamur à viro nobis charo, pietatis famâ conspicuo, nosque simus animo tranquillo & à perturbationibus vacuo, facilius move- *Est vel Congrua, vel Incongrua.*

movebimur; quàm si nos admoneat aliquis qui non bene audit, à quo sumus alieni, vel quando irâ aliove pravo affectu transversi rapimur. Deo verò tribuere, quòd ejusmodi circumstantias captet & quasi venetur, planè indignum est Deoque contumeliosum.

CAPUT XIII.

De modo operationis gratiæ divinæ, eumque non esse irresistibilem.

Operatio gratiæ in conversione hominis non est irresistibilis

I. QUoniam in explicatione divisionum Vocationis aliquoties mentio facta est modi, quo gratia divina in homine fidem ac conversionem operetur; & pro diversis de eo opinionibus, etiam divisiones Vocationis diversimode solent explicari; restat ut accuratius, quis sit operationis gratiæ divinæ in conversione hominis modus, inquiramus. Controvertitur quippe inter nos & Contraremonstrantes, utrum gratia, per quam Deus homines convertit, ita operetur, ut in potestate hominis non sit, gratiæ operationem irritam reddere, Deusque fidem in nobis operetur sine nobis? an verò homo operationi isti divinæ possit resistere per propriam contumaciam, & à parte hominis requiratur, ut, gratiâ divinâ operante, illi cooperetur libero voluntatis consensu: breviter, an operatio gratiæ in conversione hominis sit resistibilis, an verò irresistibilis? Verum quidem est, non solere Contraremonstrantes voce illâ irresistibilis uti in scriptis suis; sed aliis phrasibus, quæ ut plurimum ambiguitate quadam involutæ sunt, & pleræque à nobis sano sensu admitti possunt. Attamen quia vox propria est, & significantissima, & statum controversiæ breviter, unoque intuitu ob oculos ponit, omnique ambiguitate caret, malumus eam adhibere, quàm aliis utendo controversiæ statum minus perspicuè explicare. Vel si absque voce hac controversiæ status formandus sit, ita proponi potest. An, cùm Deus hominem converti & credere seriò vult, homo possit non credere, & non converti. Nos affirmativam tuemur, Contraremonstrantes negativam. Sententiam autem nostram hisce adstruimus argumentis.

Probatur 1. ex Scriptura. Esa. v. 1. & seqq.

II. Primum desumitur ex variis Scripturæ locis, in quibus non tantum dicitur Deus voluisse ut homines quidam converterentur, sed & ea adhibuisse media per quæ converti potuissent; ipsos autem rebellasse, & vocationi divinæ non paruisse. Horum primus occurrit *Esa.* v. 1. *usque ad* 8. & præsertim *vers.* 4 *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Verum quidem est, verbis hisce contineri parabolam, & ex omnibus parabolæ circumstantiis non licere argumenta ducere: unde dici solet, Theologiam parabolicam non esse argumentativam. Attamen quia illius ἀπόδοσις subjungitur, & populo Israël & Juda applicatur *vers.* 7. *Vinea Domini exercituum domus Israël est, & germen ejus delectabile vir Juda; & exspectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, & ecce clamor*; licet sinè ex ea argumentari, & rationem operationis gratiæ divinæ exinde deducere. Hic itaque Deus patheticè admodum ostendit, omnia se media adhibuisse ad convertendum Israëlitas requisita, adeo quidem ut ad actiones suas provocans, roget, *quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Et tamen illi conversi minimè sunt.

Occurritur exceptioni.

III. Excipiunt: Prophetam hîc nulla nisi externa tantum media exprimere, quæ Deus circa vineam hanc adhibuerit; ut quod eam in loco opimo plantaverit, turrim & torcular in ea exstruxerit, à lapidibus purgaverit; non autem dicat, quòd pluviâ suâ eam rigaverit, aut solem super ea oriri fecerit, quæ propriè fructus ex vinea eliciunt, & internæ gratiæ, quâ Deus homines convertit, analoga sunt. Resp. 1. Hæc non recenseri ad exclusionem solis & pluviæ; quin imo & solem & pluviam, ut omnibus vineis communem, præsupponunt; sed hisce designatur specialis cura ac cultura, quam Deus circa vineam hanc adhibuit, & quòd varia sustulerit impedimenta, quæ alias operationem solis impedire possent: ut quòd eam à lapidibus purgaverit, &c. adeo ut hæc omnia expostulationem Dei tantò justiorem reddant. 2. Voces illæ, *quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* complectuntur omnia quæ ad fructus eliciendos requiruntur: alias si gratia illa adhibita non fuisset, quâ solâ fructus produci possunt, responderi posset, non adhibuisti potentiam tuam insuperabilem, sine qua omnia media inutilia sunt: quæcunque enim hactenus adhibuisti inefficacia sunt. 3. Exspectatio uvarum Deo adscribi nequit, si non adhibuerit solem & pluviam, sine quibus vinea uvas producere nequit. Licet enim Deo propriè dicta exspectatio adscribi nequeat, aliquid tamen illi analogum Deo ut adscribatur dicendum est. At quidnam exspectationi analogum Deo adscribas, si non adhibuerit ea, sine quibus id, quod exspectare dicitur, existere nequit: perinde est, ac si Deus insipienti comparetur agricolæ, qui fructus exspectet è terra, cui semen non commisit. Rectè autem exspectasse dicitur, per figuram loquendi, quando media adhibet idonea & sufficientia ad effectum producendum, & per homines solummodo stat, quo minus effectus ille producatur: quoniam enim ille per se & naturâ suâ labori

divino respondere debebat, rectè cum Deus exspectasse dicitur. Dices: Sufficiebat quidem gratia Dei, ut si bona esset vinea, fructus ex ea boni elicerentur, non verò, ut è mala in bonam mutaretur. Resp. 1. Exceptio hæc textui manifeste repugnat; dicitur enim Deus eam plantasse electam, *vers.* 2. sic & *Jerem.* 11. 21. ergo secundum hanc exceptionem fructus ex ea elicere debuisset. 2. Dicitur fuisse sufficiens, ut ad conversionem adduceret Israëlitas, qui jam, cùm hæc proferebantur, ad impietatem desciverant: ut tales enim eos Deus considerat; & de illis dicit, *quid est quod ultra debui facere vineæ meæ?* Et si malitiam tollere non potuit, revera sufficiens non fuit. Sufficiens enim, ut vidimus, vox respectiva est; quæ semper respectum ad alium includit. Si itaque populi illius malitiam tollere non potuit, nec populo illi ad conversionem sufficiens fuit.

Item alteri exceptioni. IV. Alii autem excipiunt, verba hæc, *quid est quod ultra debui facere vineæ meæ?* non esse verba inquirentis, quid ulterius faciendum restaret, ut ex vinea boni elicerentur fructus; sed deliberantis, quid in posterum vineæ suæ facturus esset, quia fructus non protulit; nim. illam diruturus & puniturus: ut sequentia arguunt: *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem,* &c. Resp. Expositioni huic textus manifestè reclamat; non enim dicit Dominus, quid in posterum facturus sum vineæ meæ? sed in tempore præterito, quid est quod ultra debui facere vineæ meæ ut uvas proferret? ostendens nihil se reliquum fecisse, quod ad uvas producendum requiri posset. 3. Injusta esset illa deliberatio de vineæ excidio, cùm defectu gratiæ divinæ non posset, quin vinea proferret labruscas. Verum quidem est, Deus postea decernit pœnam; sed postquam ostendit omnia remedia, ultra quæ nihil amplius adhibendum restabat, frustra adhibita esse, vineamque remansisse infrugiferam.

Ezech. XII. 2. V. Secundus locus est *Ezech.* XII. 2. *Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt; quia domus exasperans est.* Cum *audire* & *videre* hîc non significent externum auditum & visum, sed præceptorum divinorum cognitionem & observationem; evidens est, per *oculos ad videndum, & aures ad audiendum*, intelligi facultatem præcepta divina cognoscendi, eisque obediendi: similitudine desumtâ à visu & auditu, qui instrumenta sunt, quibus homo instructus cognitionem acquirit, & ad quid faciendum persuaderi potest. Nihilominus, cùm facultate illâ præditi essent, dicuntur *non videre*, & *non audire*. Excipiunt, per *oculos* & *aures* hoc in loco non intelligi gratiam regenerantem: sed quod de veritate doctrinæ prophetarum in corde suo convicti sint. Resp. 1. Solent ipsi aliàs per *oculos* & *aures* gratiam regenerantem intelligere; ut cum *Deut.* XXIX. 4. dicitur; *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.* Et *Apoc.* 11. & 11. passim, *Qui aures habet ad audiendum audiat.* 2. Per *oculos* & *aures* hoc loco non intelligi gratiam irresistibiliter convertentem, ultro concedimus; negamus enim Deus eam in regeneratione seu conversione hominis adhibere; & contradictorium esset, Deum gratiam ejusmodi adhibere, & hominem nihilominus non converti. Sed dicimus, gratiam intelligi ad conversionem producendum sufficientem, cuique ipsi cooperari poterant; & quæ, si illi cooperati fuissent, conversionem produxisset: adeoque malitiam ipsorum, quâ gratiæ huic divinæ rebellabant, unicam fuisse causam quod conversi non sint: hoc ipse Deus ostendit, additâ ratione hac, *quia domus exasperans sunt.* Et quia malitiâ suâ gratiæ hujus operationem irritam reddiderunt, meritò concludimus, ad convertendum homines Deum non adhibere gratiam irresistibiliter convertentem. 3. Rebellionis justè accusari populus non potest; nec proinde pœnæ reus peragi, uti Deus *vers.* 11. comminatur, licet de veritate doctrinæ Prophetarum sit persuasus, nisi simul illi facultas sit collata doctrinæ isti morem gerendi: duo enim obedientiam mandatorum divinorum impediunt, intellectus cœcitas, & malitia voluntatis: sublatio cœcitatis intellectus, seu ignorantiæ, sufficiens ad obedientiam producendum remedium non est, nisi simul potentia conferatur ad voluntatis malitiam tollendum idonea. Quòd verò credunt *Deut.* XXIX. 4. dici Israëlitis gratiam regenerationis non esse datam, absurdum admodum est: quo enim jure Moses ipsis exprobare potuisset, quòd Deus illis gratiam regenerantem non dederit; cùm hoc ipsorum non esset ex se gratiam illam habere, sed Dei ipsis illam dare? Sed loquitur de datione cum effectu; quòd licet Deus ipsis dederit gratiam illam, quâ converti poterant, nondum tamen per gratiam suam consecutus fuerit, ut conversi sint: quod itaque illi recipere noluerunt, dicitur Deus illis non dedisse, quia datio divina effectum suum consecuta non erat. In Apocalypsi verò Dominus distinctionem non facit inter eos qui aures habebant, aliosque qui auribus erant destituti: quasi quosdam potentiâ credendi instruxerit, alios vero ad credendum impotentes reliquerit: sed est exclamatio adhortatoria, quâ ipsorum segnitiem ac tarditatem excitare cupit, ut omnes animum ad sibi obtemperandum promptum ac paratum adse-

adferant; quo si destituti adhuc forent, omnia adhiberent, etiam preces ad Deum fundendo, quo illo potiantur.

Matt. xi. 21, 22, 23. VI. Tertius locus est *Matth.* XI. 21, 22, 23. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent: Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*, &c. Hic dicitur incolis Chorazin & Bethsaida illa gratia communicata, per quam Tyrii & Sidonii, si illis oblata fuisset, conversi fuissent: ergo gratia per quam converti poterant; & tamen illi per eam conversi non sunt. Ad hunc locum varia solent excipere: ac primò quidem, Dominum hic non dicere, quid in Tyro & Sidone reverâ, sed quid verisimiliter futurum fuisset. Sed verò hæc exceptio seipsam convellit: sine gratiâ enim regenerante ajunt fieri non posse ut homo se convertat: quod itaque secundum ipsos fieri nullo modo potest, illud verisimiliter futurum non est. Alii excipiunt, locutionem esse hyperbolicam, quæ non innuat quid à Tyriis factum fuisset, sed horum hominum malitiam & improbitatem tantum exaggeret, exemplo sumto à gravissimis peccatoribus; perinde ac si aliquis dicat, ipsi parietes loquerentur. Resp. Est oratio seria ac pathetica, directa ad homines maximè contumaces, in qua res non adeo dissimiles, sed similis planè naturæ, homines nimirum cum hominibus, horumque malitia cum aliorum, comparatur. Tum & sequentia hyperbolicam locutionem respuunt; *veruntamen dico vobis, Tyriis & Sydoniis tolerabilius erit in die judicii, quàm vobis*: hæc enim mitior pæna, Tyriis & Sidoniis infligenda, arguit quæ de eorum conversione futura, si signa hæc in iis facta fuissent, dicta sunt, hyperbolen neutiquam continere. Alii denique excipiunt; non loqui Dominum de resipiscentia vera ac salutari, quà animus immutatur; sed de pœnitentia tantum externa, quæ in sacco & cinere, signis tantum externis, ostendebatur. Resp. 1. Resipiscentia, quam homines testabantur sacco & cinere, maxima erat; & signa hæc adhibebantur, ad resipiscentiam maximè seriam testandum; ut *Jerem.* VI. 26. *Dan.* IX. 3. *Jonæ* III. 5. adeo ut hæc dicta non sint ad Tyriorum resipiscentiam elevandum, quasi externa tantum futura fuisset, sed eam magis exaggerandum. 2. Usurpatur hic vox μετανοεῖν, quam resipiscentiam internam denotare docent; non verò μεταμέλεσθαι, quâ sæpius pœnitentia tantum externa, seu externi pœnitentiæ actus solummodò denotantur. 3. Intelligitur illa resipiscentia, quam Dominus desiderabat a civitatibus Juda: illa vero externa non erat, sed interna. 4. Ratione illius resipiscentiæ, quam præstituri fuissent Tyrii, eorum conditio dicitur tolerabilior futura in diē judicii; at externa tantum resipiscentiæ signa, corde manente impœnitente, pœnam mitigare nequeunt: ergo nec illa in Tyriis conditio ac dispositio, quæ externam tantum pœnitentiam, positis illis signis, produxisset.

VII. Quartus locus est *Matth.* XXIII. 37, 38. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Hic Dominus serium suum affectum deprædicat ad convertendum Judæos, quodque non semel aut bis media ad illos convertendum idonea adhibuerit, sed sæpius; *quoties volui?* neque id leviter aut perfunctoriè tantum, sed maximo cum affectu, quali nimirum gallina pullos suos sub alas congregat: ipsos autem noluisse congregari, seu ad Dominum converti. Matth. XXIII. 37, 38.

VIII. Hujus adeo manifesti loci vim ut eludant, varia comminiscuntur. Alii nempe dicunt, per *Jerusalem* non intelligendos esse omnes habitatores Jerusalem, sed principes & primores populi: *filios* autem significare plebem; atqui ex plebe Dominus plures congregavit, licet primores omni vi obstiterint, quo minus aliqui ex plebe ad Christum congregarentur; ideoque non dicat, & noluerunt, sed, *noluisti*. Resp. Novam hanc significationem vocis *Jerusalem* excogitatam esse, tanquam extremam anchoram, ut argumenti nostri vis eludatur. Verùm planè præter communem Scripturæ loquendi usum: *Jerusalem* enim semper in Scriptura significat omnes incolas Jerusalem sine discrimine, tam principes ac primores, quàm plebem: vide inter alia *Jer.* II. 2. IV. 5, 14. VI. 8. XIII. 9. *Lament.* I. 8. neque ullus in contrarium locus proferri potest, ubi Jerusalem solos designet primores, oppositè ad plebem. Et *filii Jerusalem* non plebem solummodò, sed omnes in universum Hierosolymitanos significant, quemadmodum filii civitatis cives significant. Sic *filii Jerusalem*, *filia Sion*, & similes, tanquam æquipollentes, notant totum populum, etiam primoribus inclusis: ut evidentissimè liquet ex 2 *Reg.* XIX. 21. & *Esa.* XXXVII. 22. *Sprevit te & subsannavit te, virgo filia Sion, post tergum tuum caput movit filia Jerusalem*, &c. Loquitur enim Propheta de subsannatione, quâ non tantum plebs, sed & primores, imò & rex ipse subsannarunt tumida verba Rabsakes. Vide & 2 *Chronic.* XXVIII. 10. *Lament. Jerem.* II. 10, 13, 15. IV. 2. Eodem sensu quo Babylonii vocantur *filii Babylonis*, *Ezech.* XXIII. 15, 17, 23. Neque unquam alio sensu acceptum reperietur, nisi forsan primores & filii simul exprimantur, & in Jerusalem esse seu habitare dicantur, uti *Nehem.* XIII. 16, 17. & forte 2 *Chronic.* V. 2. Et licet aliàs eo sensu Jerusalem ejusque filii

Occurritur exceptioni, Jerusalem idem est cum filiis suis.

filii acciperentur, loci hujus circumstantiæ non permittunt, ut hic ita accipiantur. 1. Quia verba hæc continent rationem, cur toti populo, non primoribus tantum, gravissimum esset destinatum excidium; ut ex versu antecedente, cui hæc verba immediatè subjiciuntur: liquet: *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Et *vers. seq. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* & *Luc.* XIX. 44. *Ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt,* &c. 2. Quia de Jerusalem dicitur, *lapidas eos qui ad te missi sunt*: missi autem sunt prophetæ non ad solos primores, sed & ad plebem. 3. Ergo nec Dominus aliquos voluisset congregare ex primoribus; quod falsum; illos enim perinde ac plebem compellavit; nec inobedientiæ rei agi potuissent, si illos Christus convertere non intendisset: at contrarium dicit Dominus *Joan.* XV. 22. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem nihil habent quod prætextant peccato suo.* 4. Si ex eventu de voluntate judicandum sit, paucos tantum Dominus congregare voluisse dici potest; cœtus quippe fidelium Domino jam in cœlum recepto exiguus admodum fuit, *Act.* 1. 15. at quomodo hoc cum generali hac adeoque pathetica oratione congruit? imo postea Apostolis Euangelium prædicantibus, major Judæorum pars Dominum rejecit. Concludimus ergo, tam *Jerusalem*, quàm illius *filios*, significare omnes cives Hierosolymitanos, seu potius omnes in genere Judæos, sub Jerusalem, tanquam sua metropoli ac capite, comprehensos. Unum autem hic objicitur; quòd ita Jerusalem idem erit cum filiis suis: quod absurdum. Resp. Absurdum est parentes idem esse cum filiis suis, quando sermo est de parentibus & filiis propriè dictis; non verò quando agitur de tota communitate, quæ figurato sermone vocatur mater eorum ex quibus constat. Diversa ergo sunt Jerusalem & filii ejus, & idem, pro diverso considerandi modo: diversa, si cives pars seorsim considerantur, quia singuli cives pars sunt civitatis; idem verò, si considerentur omnes in unum corpus collecti; ita enim civitatem constituunt. Idque in omnibus collectivis locum habet, in Ecclesia, exercitu, aliisque. Non itaque re & materialiter distincta sunt, sed formaliter, ut loquuntur, & ratione considerandi.

Occurritur exceptioni secundæ. IX. Secundò excipiunt; quòd Christus hæc solummodò loquatur secundum naturam suam humanam, tanquam Propheta à Deo missus, ut omnes homines ad salutem vocaret: non verò secundum naturam divinam, secundum quam ipsos nunquam gratiæ efficacis participes facere decrevit. Resp. 1. Hanc exceptionem non convenire cum priore; in primâ enim dicebatur Dominus Jesus congregare voluisse plebem, primores autem id noluisse; adeo ut alii sint quos congregare voluerit, alii qui noluerint: in hac vero dicitur, Dominum id de iisdem dicere, qui noluerunt, sed loqui tantum secundum naturam suam humanam. 2. Planè indecorum est, Domino Jesu duplicem ejusmodi voluntatem tribuere, quâ aliud velit secundum divinam, aliud secundum humanam naturam: perinde ac si à seipso esset divisus, sibique ipsi contrarius: tum & sinceritati ejus repugnat, ut secundum humanam naturam expostulet & conqueratur de inobedientia, quam secundum naturam divinam voluit ut existeret; ita enim fucata ac simulata querela Domino attribuitur; quod horrendum est.

X. Excipiunt alii 3. Per congregationem intelligi tantum externam operationem, quâ Christus tanquam Propheta ostendit, quid illi deberent facere; non verò operationem internam quà homines convertuntur. Resp. Antea ostendimus, duas hasce operationes non esse divellendas, nec sibi invicem opponendas; sed Deum, concessâ gratiâ seu vocatione externâ, illi semper adjungere internam. Concedimus ergo, externam illam congregationem per doctrinam & miracula intelligi; sed seriam & sufficientem, & cum interno salvandi ac regenerandi affectu conjunctam; quia dicit non tantum Dominus se eos voluisse congregare, sed & sæpius, & eo cum affectu, quo gallina pullos sub alas congregat. *Tertia.* Dices. Agitur tantum de voluntate per vices post intervalla quædam renovatâ, toties sc. quoties ad eos prophetas misit: quod de interno & naturali Dei affectu non solet aut potest affirmari. Resp. Licet affectus Dei internus sit tantum unus & continuus, multiplex tamen illius est effectus, & subinde per intervalla renovatur: itaque quatenus Deus affectus sui interni testimonia subinde Judæis exhibuit, dicitur aliquoties illos congregare voluisse: velle enim congregare non affectum aut voluntatem tantum congregandi, sed & conatum & studium comprehendit, quod sese opere externo prodit.

Quarta. XI. Alii tandem excipiunt, quòd Dominus hic non agat de voluntate decernente, sed præcipiente; seu non de voluntate beneplaciti, sed signi. Sed cùm aliàs distinctionem hanc abunde confutaverimus, non est necesse illius refutationi nunc immorari. Illud solummodò dicimus, admodum Deo esse indignum, duplicem ejusmodi voluntatem illi adscribere; utpote sinceritati ejus adversâ fronte repugnans. Dices. Si ergo Christus voluit ut converterentur, & quidem seriò, cur itaque conversi non sunt? Resp. Quia non voluit ut converterentur per omnipotentiam suam, sed per operationem ejusmodi, quæ cum legislatione ipsius consistere potest, quæque liberæ hominum obedientiæ conveniens est.

XII.

Luc.VII. 30. XII. Quintus locus est *Luc.* VII. 30. *Pharisæi autem & Legis-periti consilium Dei spreverunt erga semetipsos, non baptizati ab eo.* Sive *erga semetipsos* connectamus cum *consilio Dei*, quod præstare judicamus, ut sensus sit, spreverunt consilium Dei erga semet ipsos, trajectione exiguâ, qualis occurrit *Cap.* IV. 5. *Act.* XIII. 27. *Apoc.* XIII. 8. sive cum *spreverunt*, consilium Dei spreverunt erga semetipsos, id est, magno suo malo, uti quidam interpretantur, sed sine exemplo: res eodem redibit. Constat namque consilium Dei, quod Deus in Pharisæorum salutem decreverat, ab ipsis esse spretum, & irritum factum: si autem id erga semetipsos spreverunt, etiam ipsos ut respexerit necesse est. Ac proinde sequitur, gratiæ, quâ Deus homines converti vult, resisti posse. Quærunt hîc, quodnam Dei consilium aut decretum intelligamus: an affectum velleitatis? at ille Deo est naturalis, consilium autem liberum: an decretum conditionale? at illi nemo resistere potest, nisi forsan post præstitam conditionem: quia nullam operationem ponit, neque volitionem ullam, supra prædictum affectum, nisi positâ conditione. At quid est sophisticari, & nodum in scirpo quærere, si hoc non sit? Utrumque consilium Dei spreverunt, conditionale quidem, quo Deus ipsos, si resipiscerent, Joannis baptismum susciperent, decrevit porro ad Christum atque ita ad salutem perducere; affectum verò benevolentiæ, quia Joannem, cujus missio illius affectus fuit effectum, rejecerunt. Licet itaque nemo impedire possit, quò minus Deus decretum conditionale intra se formet: conditione tamen non præstitâ potest in culpa esse, quo minus decretum illud executioni mandetur. Et licet affectus ille benevolentiæ Deo sit naturalis, liberum tamen Deo est illius benevolentiæ egressus pro arbitrio suo hominibus exhibere. Est ergo consilium divinum, non propriè affectus ille Dei naturalis, sed decretum ex affectu illo fluens, quo decrevit Joannem ad Pharisæos mittere resipiscentiæ præconem, ut eum recipiant, & resipiscentiam agant, & per eam ad recipiendum Christum, paulò post secuturum, præpararentur. Et hoc consilium Dei dicuntur sprevisse. Quæres. An ergo consilium Dei sperni potest? *Resp.* Alia sunt consilia Dei, quæ ipse absolutè exequi decrevit; ea nemo spernere nec irrita reddere potest, sed semper sortiuntur eventum: juxta *Esa.* XLVI. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Alia sunt, quorum executionem Deus efficere non vult, nisi præstita quadam conditione ab hominibus, cui decreti executionem alligatam voluit: quale est decretum de homine salvando, si in Christum credat, & resipiscentiam agat. Ejusmodi consilia Dei per conditionis requisitæ neglectum irrita reddi & sperni possunt.

XIII. Sextus locus est *Joan.* v. 34. *Hæc dico, ut vos salvi fiatis*; quibus adde *vers.* 40. *Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.* Joan. v. 34. 40. Excipiunt; hîc tantum exprimi intentionem Christi, ut hominis concionantis; non autem intentionem Dei. *Resp.* Deo & Christo summè injurium est, adscribere Christo concionanti intentionem divinæ intentioni contrariam; cùm in mundum venerit, ut divinæ intentionis præco sit, Deique voluntatem nobis revelet. Hæc omnem de Christi prædicatione certitudinem evertunt, fideique nostræ firmitatem tollunt. 2. Ajunt: Sensus verborum non est alius, quàm, Christum Joannis testimonium allegasse, non tam ad suum honorem, quàm ad eorum salutem, accommodatè in se, & efficaciter, si inter illos essent oves aliquæ vocem ipsius auditura. *Resp.* Hac explicatione vis manifesta fit verbis Domini; non enim dicit, se hæc tantum dixisse in salutem electorum, quos per *oves* intelligunt, si qui inter eos sint; sed in salutem eorum, qui ad ipsum venire nolebant, ut vitam haberent; uti verba Domini manifestè ostendunt: quia intentio ejus seria fuit ipsos ad salutem perducere, & media isti intentioni convenienter ad salutem sufficientia ipsis doctrina sua suppeditabat: ipsi verò ea respuerunt.

XIV. Septimus locus est *Act.* VII. 51. *Vos semper resistitis Spiritui illi Sancto, sicut patres vestri, ita & vos.* Act.VII. 51. Excipiunt, hinc non sequi, operationi Spiritus Sancti, per quam homines convertere vult, resisti posse: sed solummodò, irregenitos posse resistere Spiritui Sancto, imo non posse non resistere. Sed verò quoniam per irregenitos intelligunt reprobos, responsio hæc seipsam evertit; statuunt quippe Spiritum Sanctum nunquam intendere fidem & resipiscentiam in reprobis efficere; non itaque illi resistere possunt: nam circa quos Spiritus Sanctus non occupatur actione quâ regenerationem intendit, nec illi Spiritus actioni resistere possunt, eò quod irregeniti manent. Dices: Restiterunt intentioni Dei virtuali & interpretativæ, fidem efficiendi, in omnium mediorum exhibitione, quæ suâ naturâ faciunt ad fidem ingenerandum. *Resp.* Media illa, quæ intentionem illam interpretativam in se continere dicuntur, non sunt media secundum ipsos, nisi externa, prædicatio nempe verbi, miracula, similiaque: atqui illa ipsis majorem ad regenerationem producendam efficientiam non habent, sine interna & insuperabili Spiritus Sancti operatione, quàm vox hominis ad mortuum directa ad eum ex morte suscitandum. Quâ itaque ratione naturâ suâ faciunt ad fidem ingenerandum? Et licet natura-

turâ suâ eò tendant, quia tamen nullam ad fidem & resipiscentiam efficiendum efficaciam habent, sequitur quòd nec Deus, illa solummodò media adhibens, circa illos actione aliqua salutari occupatur, ac proinde quod nec illi actioni divinæ resistere dici possunt. 2. Non dicuntur verbo resistere, sed Spiritui Sancto. Atqui secundum ipsos actio Spiritus Sancti distincta est à verbo: ergo aut actioni illi Spiritus Sancti restiterunt; aut fatendum nobiscum, Spiritus Sancti homines regenerare intendentis actionem semper cùm verbo conjunctam esse, ac proinde ipsos cum verbo resisterent, etiam Spiritui Sancto restitisse. Dices. Restiterunt, quantum in ipsis fuit, Spiritui Sancto intendenti fidem in aliis efficere; trucidando scilicet eos qui missi & acti fuerunt à Spiritu Sancto ut veritatem hominibus prædicarent. Resp. 1. Ergo secundum ipsos non restiterunt ulli actioni Spiritus Sancti, per quam fidem in ipsis producere intendebat: unde & consequitur, quod Deus non voluerit, ut in Christum crederent; ac proinde ipsos incredulitate suâ nihil contra voluntatem divinam commisisse: quod horrendum. 2. Eo ipso quod dicantur, quantum in ipsis est, restitisse Spiritui Sancto fidem in aliis producere intendenti, satis manifestè conceditur, ipsos reverâ Spiritui Sancto non restitisse. Et reverâ secundum ipsos nec hac ratione verè Spiritui Sancto resistere dici possunt; aliàs fatendum foret, quòd ipsi Apostolos aliosque Euangelii ministros occidendo, Spiritus Sancti operationem impediant, adeo ut non convertantur, quos ipse convertere intendit: quod quoniam absurdum credunt, nec hac ratione Spiritui Sancto resistere dici possunt. 3. Nec occidendo Apostolos Spiritui Sancto resistere dicuntur, quatenus quantum in se est actionem Spiritus alios convertere intendentis impediunt; sed quatenus animos obfirmabant, ne Euangelio, de cujus veritate per sapientiam Stephani convicti erant, fidem adhiberent: contumaciæ autem hujus fructus erat persecutio Apostolorum, quatenus ipsi fidem respuentes, etiam aliis eam prædicari non patiebantur. Atque ita gravissimè Spiritui Sancto ejusque erga se operationi resistebant.

Esa. LXV. 2, 3. XV. Octavus & ultimus locus est *Esa.* LXV. 2, 3. *Expandi manus meas totâ die ad populum perversum, qui gradiuntur per viam non bonam post cogitationes suas: ad populum, inquam, qui irasci faciunt me in faciem meam semper.* Hic intentio Dei populum illum convertendi clarè describitur, quia dicitur *ad populum manus suas extendisse*, hoc est, instar illius qui brachia expandit, sese ad illos salvandum paratum ostendisse. 2. Quòd id fecerit *totâ die*. Ab alterâ autem parte dicitur populus ille fuisse rebellis, &, ut *vers.* 12. dicitur, *quæ Deus noluit elegisse*. Huic adjunge loca alia, ubi dicuntur à Deo vocati, & tamen non obtemperasse, aut vocationi divinæ morem gessisse: ut *cap.* LXVI. 4. *Quæ timebant adducam eis: quia vocavi, & non erat qui responderet, locutus sum, & non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt. Prov.* 1. 24, 25, 26. *Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam & non fuit qui adspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; Ego quoque in interitu vestro ridebo*, &c. Quibus adde *Matth.* XXII. 14. *Multi vocati, pauci electi:* ubi ad convivium nuptiale invitati, licet illud respuentes, aut non induti veste nuptiali accedentes, dicuntur *vocati*: sed ob rebellionem suam electorum numero exclusi. Atque ita quidem primum nostrum argumentum abundè adstruximus.

XVI. Secundum argumentum: Deus ipse mandat hominibus ut sese convertant, & credant, & quidem additâ promissione præmii, & comminatione pœnæ: *Ezech.* XVIII. 31. *Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum; & quare moriemini domus Israel? Act.* III. 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Vide & *Rom.* XII. 2. *Eph.* V. 14. Fides autem præscribitur omnibus illis locis, ubi exigitur ut conditio necessaria ad salutem; inter alia *Joan.* III. 16. XX. 31. *Marc.* XVI. 16. aliisque; & præsertim, ubi expressè mandatum vocatur, 1 *Joan.* III. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios*, &c. Atqui si Deus ipse fidem & resipiscentiam virtute insuperabili in nobis operatur, nobis sub promisso præmii & comminatione pœnæ eam præscribere non posset, quin justitiæ & sapientiæ suæ repugnantia faciat. Non convenit cum sapientia Dei. Nec enim sapientia permittit, ut homini præscribatur quid faciendum sub promisso præmii & comminatione pœnæ, quod ipse Deus in homine virtute omnipotente efficere vult, & ad quod præstandum homo nihil confert nec conferre potest, sed merè passivè sese habet. Quis sapiens alteri præscribat faciendum, quod ipse facturus est, & ad quod efficiendum alterum nihil conferre vult? Sed nec cum justitia conciliari potest: quia ob non præstitam obedientiam graviore pœna Deus homines punire vult. Atqui justitia non permittit, ut Deus hominem puniat ob non præstitum actum, qui à solo Deo effici potest, quemque hominem defectu gratiæ divinæ præstare impossibile est. *2. Idem probatur, quia Deus mandat hominibus ut se convertant.*

XVII. Putant tamen præceptum divinum cum omnipotente & insuperabili ejus actione optimè consistere posse, quia Deus omnipotente actione homines ex morte suscitat, ita ut homo nihil omninò ad eam conferat; & tamen Lazarum excitaturus præ- *Præceptum Dei cum actione omnipotente consistere nequit.*

præcipit illi, *Lazare exi foras*, *Joan.* XI. 43. Resp. Hic nullum esse præceptum divinum, cui Lazarus spe præmii obtinendi, aut metu pœnam subeundi, obtemperare tenebatur; sed omnipotens Domini verbum quo omnia effecta reddit; perinde uti in creatione, *fiat lux*, &c. Quod imperativo quidem modo effertur, non quasi sit præceptum propriè dictum; sed ad designandum omnia ad Dei nutum præsto adesse, & effici, perinde atque reges omnia solo nutu ac præcepto per ministros suos peragunt. At quid illud commune habet cum præcepto resipiscentiæ, quam Deus ab homine exigit tanquam officium, ad quod præstandum spe præmii & metu pœnæ eum allicit: & cui si non pareat, gravis se peccati, ac propterea gravissimi supplicii, reum facit? Quid enim, si Dominus vim illam omnipotentem non adhibuisset, anne Lazarus excitari potuisset? & si defectu illius operationis divinæ non fuisset excitatus, an peccati, ac proinde pœnæ reus fuisset, propterea quòd in vitam non rediisset? Quæ ergo similitudo inter hanc operationem Domini, & præceptum fidei ac resipiscentiæ? Illud pro certo statuendum, neminem pœnæ obligari ubi facultas aliter agendi non adest. Ubi mera necessitas dominatur, nulla est obedientia, nec remuneratio propriè dicta locum habet, nec pœna justè infligi potest.

Obsidentur ad exemplum Christi. XVIII. Objiciunt tamen in contrarium exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui Deo Patri obedivisse, & quidem perfectè, dicitur, & tamen peccare non potuerit: tum & sanctorum Angelorum, qui peccare non possunt, quorum tamen obedientia in precatione dominica ponitur pro exemplari nostræ obedientiæ: tandem & malorum Angelorum qui omni bonum agendi facultate sint privati, & tamen Deo immorigeri, & supplicio digni. Resp. Quod ad Dominum nostrum Jesum Christum, probari nequit ipsum in diebus carnis suæ, respectu naturæ suæ humanæ, à potentia præcepto divino, de redimendo humano genere per mortem suam, non obediendi fuisse immunem: quod si quis peccandi potentiam vocare velit, nos de voce non multum contendemus. (Quamvis peccatum propriè sit per quod quis pœnæ divinæ reus fit, quod in Christo locum habere non potuit.) Quoniam enim nulla facta est naturarum confusio, quæ causa, quod impeccabilitas, naturæ divinæ attributum, magis communicata sit humanæ naturæ, quàm reliqua attributa? aut, quam humanæ naturæ attributa communicata sunt divinæ? Imo si Dominus impeccabilis prorsus fuisset ratione naturæ suæ humanæ, nobis per omnia similis, solo peccato excepto, dici non posset; uti legimus *Hebr.* II. 17. IV. 15. sed summa inter ipsum & nos dissimilitudo esset: nec illius obedientia, uti passim fit, nobis in exemplum proponi posset: ne jam alia nunc allegemus.

XIX. Quod Angelos bonos attinet; aut volumus illos adhuc legi alicui esse subjectos, aut jam obedientiæ suæ præmium adeptos, & in bono confirmatos. Si prius; negamus prorsus impossibile esse ut in peccatum incidant; non enim alterius sunt naturæ ab Angelis lapsis, quos tamen principium suum dereliquisse constat, *Judæ vers.* 6. Si posterius, quod nos probabilius credimus; tum status eorum nihil cum nostro simile habet, sed est status qualis hominum beatorum erit in futuro seculo. Actiones autem consummatorum sunt spontaneæ motiones: quibus non possunt quin agant quod naturæ ac voluntati divinæ consentaneum est: sed obedientia propriè dicta in illis nulla est: imo magis accedunt ad actiones naturales, saltem cum iis majorem habent convenientiam, quàm cum vera ac propriè dicta obedientia. Malorum angelorum peccata impotentiæ bonum ullum præstandi adscribi non possunt. Quanquam enim Scriptura doceat, eos peccare, & continuò peccare, aliisque ad peccandum auctores esse; nusquam tamen omni à peccando abstinendi potentiâ privatos dicit. Nostro ergo judicio, hæc continua ipsorum in malo perseverantia, & in rebellione obfirmatio, ipsorum desperationi adscribenda est; quoniam sciunt se irrevocabili sententiâ Dei ad supplicium esse destinatos, neque ullum id evadendi superesse medium; ideoque sese in malo obdurant. Uti antea de angelorum natura differentes fusius ostendimus. *Et angelorum.*

XX. Tertium argumentum. Verbum Euangelii medium est ordinarium, à Deo nempe ordinatum, per quod homines ad fidem & conversionem adducere intendit. At illud eâ efficaciâ non operatur, quâ posità non possint homines non credere ac converti. Utrumque argumenti nostri membrum plenius adstruemus. Dicimus ergo primò, Verbum esse medium ordinarium per quod Deus homines convertat. Olim quidem Lex Mosis populo Israëlis ordinarium conversionis medium fuit; nunc autem ab apparitione Domini nostri Jesu Christi, Euangelium medium illud ordinarium est. Licet enim gentes, Euangelii luce destitutæ, non omni honestè vivendi regula careant, medio tamen quo immediatè ad salutem perducantur destitutæ sunt. Et licet Deus forte aliquando extra ordinem operetur, de quo disputare nolumus, ordinarium tamen conversionis medium est verbum Euangelii, vel ore prolatum, vel scripto traditum. Ita dicitur *Rom.* X. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei*: nempe ad demonstrandum, fidem non absque verbo Dei produci. Verbum *3. Verbum Euangelii ordinarium est conversionis medium.*

bum autem ea efficacitate pollere, ut fidem seu regenerationem producat, evincitur ex 1 *Pet.* 1. 23. ubi dicimur *regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivum & permanens in æternum.* Cui consonat *Jacob.* 1. 18. *Voluntate enim genuit nos, verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ipsius.* Et *vers.* 21. dicitur verbum *posse salvare animas nostras.* Unde & illis, quorum ministerio Deus utitur, regeneratio seu conversio adscribi solet; quoniam verbum Euangelii hominibus annuntiando, conversionem in ipsis operantur. Sic *Act.* xxvi. 18. Paulus dicitur missus ad gentes, *ut aperiat oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quæ est in Jesum Christum.* Et ipse de se dicit 1 *Corinth.* iv. 15. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui. Gal.* iv. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et *ad Philem. vers.* 10. vocat Onesimum *filium suum, quem genuit in vinculis.*

Illud autem non operatur virtute irresistibili. XXI. Hoc autem verbum eâ efficaciâ non operari, quâ positâ non possint non converti homines, sed in hominis arbitrio relinquere fidem adhibere, aut illam respuere, liquet, si omnes verbi operationes, quibus circa hominem occupatur, in quovis instanti distinctè consideremus; ubique enim homini suam relinqui libertatem obediendi vel rejiciendi, comperiemus. Primò enim quando verbum homini offertur, non constringitur ad illud audiendum; potest sese à verbi præconibus avertere, potest aures obturare, potest sese aliò conferre: ita ut ipsa verbi auditio, quando prædicatur, sit voluntaria. Secundò. Ubi homo verbum audivit, non potest quidem quin intelligat illius sensum, præsertim clarè ac perspicuè expositum, hominisque intellectui accommodatum; actiones enim intellectus necessariæ sunt, & pro objecti intelligendi applicatione in nobis existunt. At verò in potestate hominis est verbum illud quod audivit, cujusque sensum intelligit, meditari; rationum quibus ejus veritas ac divinitas adstruitur pondus attentius inquirere, verbi naturam exactius examinare; vel mox rursus verbi oblivisci, illiusque amplius meminisse vel illud considerare nolle. Sic monemur *Hebr.* 11. 1. *Propterea abundantius oportet nos attendere ad ea quæ audivimus, ne forte perfluamus.* Tertiò. Postquam homo verbum audivit & diligenter meditatus est, potest per gratiam Dei illud recipere, vel per liberam contumaciam istud rejicere. Quod ex variis liquet.

Ratio prima. XXII. Primò quidem, Scriptura expressè homini recipiendi verbum vel rejiciendi libertatem adscribit: *Deut.* xxx. 19. *Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum:* &c. Dicunt, Scopum Mosis non esse, ostendere, quid homines ex seipsis facere possint; sed tantum, quàm sint infirmi; ut impotentiam suam agnoscentes, ad opem Dei confugiant. *Resp.* Sed nec nos dicimus, homines ex seipsis aptos esse ad se convertendum; sed totam illam aptitudinem gratiæ divinæ adscribimus: interim gratiam divinam precibus à Deo flagitare, etiam arbitrii humani est; potest enim in hoc officio negligens, gratiam non impetrare, quam alias ardentibus à Deo precibus obtinuisset. Porrò, nisi per gratiam divinam omnibus verbum audientibus collata esset facultas verbum amplectendi, neminique tamen potestas adempta illud rejiciendi, electio ejusmodi homini offerri nequit: tam enim qui non potest velle, quàm qui non potest non velle, nullam boni aut mali sibi propositi electionem facere potest. Similia vide & *Jos.* xxiv. 15. ubi Josua populo dicit: *Si malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum Diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea Domino serviemus. Et vers.* 22. *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei.* Hæc Scripturæ phrasiologia est, quâ si nos uteremur à calumnia immunes non essemus. Eodem modo Elias populo dixit: 1 *Reg.* xviii. 21. *Usque quo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si Baal est Deus, sequimini illum.* Unde & Dominus monet *Luc.* viii. 18. *Videte quomodo audiatis.* Et *Jacob.* 1. 21. *Propter quod abjicientes omnem immunditiem & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Apoc.* xxii. 17. invitat Spiritus, *Qui sitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*

XXIII. Secundò. Suadet ut homines illud recipiant, sesèque emendent: *Apoc.* iii. 18. *Suadeo tibi ut à me emas aurum igne probatum,* &c At suasio nullam adfert necessitatem, sed electionem illius cui quid suadetur arbitrio permittit. Monet & hortatur ne illud rejiciant; *Hebr.* iii. 7. *Hodie si vocem ejus audiveritis, ne indurate corda vestra.* Atqui monitio illa frustanea esset, tam si homo non possit quin induret cor, quàm si cor neutiquam indurare posset. Hìc confugere ad distinctionem vocationis externæ & internæ, est vim facere textui. Nam. 1. quoniam vocationem externam per se inefficacem esse volunt ad conversionem producen- *Secunda.*

ducendum, frustra hortaretur eos Deus ne contra vocem suam corda indurent, contra quam non possunt quin indurent, nisi gratiâ suâ internâ ipse indurationem illam tollat. 2. Interna nunquam separata est ab externa vocatione, neque externa unquam est solitaria, sed utraque, uti vidimus, semper conjuncta est: qui itaque externæ vocationi resistere potest, etiam potest internæ; quique externam rejicit, nec illum Deus internâ dignatur. Sic *Esa.* LXVI. 2. *Ad quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Tertia. XXIV. Tertiò. Orat, optat, vovet Deus, ut verbum recipiant, eique obediant: *Deut.* v. 29. *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore ut bene sit illis, & filiis eorum in sempiternum! Psal.* LXXXI. 14. *Si populus meus audisset me; Israëlsi in viis meis ambulasset!* &c. *Luc.* XIX. 42. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tuam!* &c. 2 *Cor.* v. 20. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Quæ arguunt, homines verbum rejicientes illud recipere posse: aliàs simulatoria quàmmaximè esset actio Dei voventis & orantis, ad eos directa, quos ad parendum impotentes esse, nec ab impotentia illa liberare voluit: perinde ac si quis alium, catenis validissimè constrictum, oret ut ad se veniat, magnumque verbis testetur affectum, quasi eum ad se venire desideret, cùm tamen vincula demere ipsi nolit.

Quarta. XXV. Quartò. Qui verbum rejiciunt, gravissimè reprehenduntur tanquam ipsi perditionis suæ fabri: *Joan.* v. 40. *Vos non vultis ad me venire ut vitam habeatis. Actor.* VII. 51. *Duri cervice & incircumcisi corde, vos semper resistitis Spiritui illi Sancto, sicut patres vestri, ita & vos.* Vide & *cap.* XIII. 46. XXVIII. 25, 26. &c. Deus cum ipsis expostulat: *Esa.* I. 2, 3. LXV. 2, 3. *Matth.* XI. 16. & alibi. Ab altera parte laudantur, qui verbum recipiunt. *Act.* II. 41. *Qui itaque libenter sermonem ejus receperunt, baptizati sunt. Cap.* XIII. 48. *Audientes autem gentes, gavisæ sunt & glorificarunt verbum Domini; & crediderunt quotquot dispositi erant ad vitam æternam. Cap.* XVII. 11. Judæi Berœenses dicuntur *generosiores illis qui sunt Thessalonicæ, utpote qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent.* 1 *Thess.* II. 13. & alibi.

Quinta. XXVI. Tandem puniuntur qui verbum rejecerunt: *Proverb.* I. 24, 25, 26. aut qui verbi notitiam habentes, illud non observant: *Matth.* VII. 21, 22, 23. unde & *Joan.* III. 19. *Hæc est condemnatio*, seu causa quòd homines condemnentur, *quia lux venit in mundum, & dilexerant homines tenebras magis quàm lucem, erant enim eorum opera mala.* 2 *Thess.* II. 10. *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio.* Et *cap.* I. 8. dicitur Dominus in flammâ ignis vindictam sumturus de iis, *qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.* Qui verò verbum debitè receperunt, ac observarunt, vitâ æternâ donisque Spiritus, tanquam obedientiæ suæ præmio, à Deo afficiuntur: *Joan.* XIV. 21. *Qui habet mandata mea, eaque servat, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eam, & manifestabo me illi.*

XXVII. Itaque si omnes actus & operationes, quibus verbum circa homines operatur, consideremus, liquet hominem in quovis instanti libertate tam rejiciendi verbum quàm recipiendi præditum. Et nisi ea semper adesset libertas, nulla esset virtus obedientiæ: quæ enim obedientia, ubi ad actionem certam homo determinatus est? nullum vitium inobedientiæ: quæ enim inobedientia, quando homo facit, quod evitare non potest? Proinde nec honor & laus, nec vituperium, multò minus remuneratio & supplicium justa esse possunt. Qui enim non potest nolle indignus est præmio: qui non potest velle, indignus supplicio. *Conclusio hujus argumenti.*

XXVIII. Quartum argumentum. Si ad conversionem hominis requiritur divina & insuperabilis potentia, tum nullus converti potest, nisi qui actu convertitur, & quicunque convertitur converti nequit antequam convertatur. Si enim ad conversionem requiritur omnipotens ejusmodi & insuperabilis actio divina, fieri nequit, ut homo ante eam actionem Dei convertatur, ipse enim impotens est ad potentiam ejusmodi exserendum: & Deo actionem istam adhibente, necesse est ut homo statim convertatur: ejusmodi enim actio insuperabilis ut statim effectum sortiatur necesse est. Itaque sequitur, non alios converti posse quàm qui convertuntur; nec citius aut tardius quàm convertuntur. Excipiunt: In omnibus, etiam qui non convertuntur, esse potentiam passivam convertendi; illique respondere potentiam Dei activam, quâ illos, perinde uti alios, convertere potest: hujus verò potentiæ non negatio, sed affirmatio sequitur ex efficacitate illa gratiæ, quâ alii convertuntur. Resp. Quid est extra oleas vagari, si hoc non est? Non enim quæritur, an in homine, circa quem Deus non operatur potentiâ insuperabili, sit potentia passiva, quam Deus omnipotentiâ sua possit producere in actum conversionis; quis enim de eo ambigat? Sed, quoniam absque illa efficaci Dei operatione conversio existere nequeat, & Deus illam operationem *4. Nullus posset converti, nisi qui convertitur; nec ante, quam convertatur.*

non adhibeat, an in homine ulla sit potentia intrinseca, seu activa, per quam ad conversionem tendere possit? Sanè nimis quàm manifestum est, eam in homine non esse. Dices. Talis potentiæ negatio non sequitur ex efficacitate gratiæ actu convertentis. Potest enim fieri, ut quidam habeant gratiam, quâ potentes reddantur ad hoc aut illud agendum, & tamen non illi, sed alii habeant efficaciam illam gratiæ, quæ actum ipsum certò producit. Resp. Gratia illa aut sufficit ad actum ipsum producendum, adeo ut fieri possit hominem per gratiam istam actum illum producere; aut non sufficit, seu fieri nequi, ut homo per gratiam illam actum istum producat. Si fieri possit ut actum istum producat, ergo homo actum regenerationis producere potest, licet non habeat efficaciam gratiæ, quæ actum ipsum certò producit: quod ipsi absurdum credunt; exinde enim sequitur, ad regenerationem non necessariò requiri efficaciam illam gratiæ quæ actum certò producit. Si fieri nequeat ut actum istum producat, quomodo ergo homines per gratiam illam potentes dicuntur ad hoc agendum? Sane actum non posse producere, & tamen potentem esse redditum ad producendum, sunt contradictoria. Dices. Possunt aliquid facere quod tendit ad conversionem. Resp. 1. Secundum ipsorum sententiam id dici nequit; omnes enim ad conversionem prævias dispositiones, ut Pelagianas, rejiciunt, hominemque ante conversionem ut penitus mortuum considerant, qui ad sui conversionem nihil omnino conferre possit, non magis quàm mortuus ad sui excitationem. 2. Aliud est posse converti, aliud, quid facere ad conversionem tendens: nos conclusimus, nullos posse converti, nisi qui actu convertuntur: utrum aliquid ad conversionem tendens præstare possint, extra argumenti nostri limites est. Si concedant actu converti non posse, jam argumenti nostri consequentia adstructa est.

Quod utrumque est absurdum. XXIX. At verò quàm maximè falsum ac absurdum est utrumque. Primum quidem, alios non posse converti, quàm qui actu convertuntur: inde enim sequetur, Deum reliquos, qui non convertuntur, frustra hortari ad fidem, iisque salutem, quam nunquam dare decrevit, frustra offerre. Atqui hoc quàmmaximè sinceritati divinæ repugnat. Tum & Euangelium ex prima Dei intentione non esset reprobis odor vitæ in vitam, sed odor mortis in mortem & condemnationem: quia intentio Dei in reprobis vocandis esse non potest ut salventur: quos enim absoluto decreto à salute rejecit, eos cum salvandi intentione vocare nequit. 2. Quos efficacitate illâ non vocat quæ conversionis actum certò seu necessariò producit, eos nec cum salvandi intentione vocat: quia, secundum illos, qui finem vult, vult etiam media ad finem ducentia. Sed hæc aliàs prolixiùs à nobis, de reprobatione disserentibus, ventilata sunt: actum non agemus. Alterum, neminem posse converti antequam convertatur, non minus absurdum est. Hoc enim admisso, lata fenestra aperitur ad securitatem carnalem, omneque studium ad resipiscentiam tendendi exstinguitur. Si enim homo converti nequit antequam convertatur, & quando convertitur ex efficacitate convertitur, ut non possit conversionem suam impedire, omnis de conversione sollicitudo inutilis est & frustranea. Sive enim omnem sollicitudinem adhibeat, attamen antequam Deus virtute insuperabili circa ipsum operatur, converti neutiquam poterit: sive securus peccato indulgeat, nihilominus Deo in ipso efficace sua gratia operante, mox convertetur. Cùm ergo omnem suam operam homo frustra insumi certus sit, securus malet insuperabilem illam Dei operationem exspectare, quàm se frustraneo ac irrito conatu fatigare. Præsertim cum quidam dicere non horreant, omnem hominis conatum quo ad resipiscentiam tendit, antequam Deus efficaciter in ipso conversionem operetur, esse peccatum. Sanè hac persuasione quicunque imbutus est, malet otiosè exspectare operationem Dei, quàm prævio conatu se novo peccato obstringere. Atque ita videmus securitati carnali latam aperiri fenestram.

CAPUT XIV.

Refutatio argumentorum pro irresistibili gratiæ operatione

I. Ita rationibus aliquot adstructâ sententiâ nostrâ, & aliorum impugnatâ, expendamus nunc rationes, quibus sententiam suam adstruere, nostram verò impugnare solent. Argumenta hæc ad tres præcipuè classes reduci possunt. *Tres classes argumentorum.*

II. Prima classis continet illas Scripturæ phrases, quibus status hominum ante conversionem describitur, quæ omnes omnimodam, ajunt, hominum impotentiam ad conversionem designant, quæque non nisi per efficacem illam & insuperabilem Dei operationem tolli queat: ut quòd homines illo tempore dicantur *mortui in peccatis*, *Eph.* II. 1. *cæci*, *Luc.* IV. 18. *tenebræ*, *Matth.* VI. 23. *Joan.* I. 5. *arbor mala*, *Matth.* VII. 18. XII. 33. *servi peccati*, *Rom.* VI. 17. *caro*, *quæ non possit se subjicere legi Dei*, *Rom.* VIII. 7. *animales*, 1 *Corinth.* II. 14. *nihil posse ex seipsis*, *velut ex seipsis*, 2 *Cor.* III. 5. *Prima, à descriptione status ante conversionem.*

III. Respondeo primò in genere, plerasque has esse locutiones figuratas; eæ autem ultra scopum illius qui iis utitur extendi *Responsio generalis.*

non debent: nam in similitudine si quis omnes circumstantias rei assimilatæ applicare velit, admodum extra Scripturæ scopum vagabitur, & in varia incidet absurda. Ad rectam ergo figuratarum locutionum intelligentiam ante omnia scopus auctoris, locutione ejusmodi utentis, inquirendus est, & quâ ratione alibi, quando propriis verbis absque figura & tropo de eadem re loquitur, mentem suam explicet; neque ulterius figura loquendi trahenda, quàm scopus ejus & dictio propria permittit. Quod si in hisce phrasibus observetur, argumentum exinde desumtum statim collabetur: fundatur enim in generalitate phrasium, sed non in debita applicatione ad materiam subjectam; uti mox ex singulis liquebit. Atqui si tantum ad vim locutionis figuratæ respiciamus, possem similiter argumentari, in homine aliquas ad conversionem vires esse reliquas; quia Scriptura statum hominum ante conversionem aliquando iis phrasibus describit, quæ omnimodam istam impotentiam non designant, quæque etiam sine virtute insuperabili tolli potest; ut quod *dormiant*, *Eph.* v. 14. Et ne hic excipiant cum Annotatoribus Novæ Versionis, per *somnum* describi peccata regenitorum, qui aliquando in peccatis dormiant, contradistinctè ab irregenitis qui planè in illis mortui sint; manifestè etiam tribuitur hominibus ante conversionem, quod *dormiant*, *Rom.* XIII. 11. 1 *Thess.* v. 6. Similiter, quòd sint *errantes*, *Tit.* III. 3. *Esa.* LIII. 6. 1 *Pet.* II. 25. Sciendum itaque omne simile etiam esse dissimile: & quoniam Scriptura sibi ipsi contraria esse nequit, ita hæ phrases sunt explicandæ, ut nihil contineant alibi clarè & sine figura dictis adversum. Nos distinctè singulas phrases considerabimus.

Speciales: quòd homines dicantur mortui. IV. Prima ergo phrasis est, quòd homines dicantur *mortui in peccatis*, *Eph.* II. 1. Unde concludunt, sicut in mortuo nulla reliqua est potentia in vitam redeundi, sed oportet ut per omnipotentiam divinam excitetur; ita etiam in hominibus ante conversionem nullam esse reliquam potentiam sese convertendi, sed oportere ut per insuperabilem Dei potentiam in vitam spiritualem excitentur. Fatemur libentes, nullam in homine superesse potentiam, quâ ex sese & viribus suis naturalibus ad conversionem salutarem, aut vitam spiritualem, pervenire possit; nullatenus tamen exinde sequitur, requiri operationem Dei insuperabilem & irresistibilem, ut in vitam surgat spiritualem. Nam 1. vidimus antea, Deum ipsis hominibus præscribere ut ipsi excitentur, *Eph.* v. 14. quod præceptum cum ejusmodi irresistibili operatione consistere nequit. Neque exemplum Christi Lazaro mandantis ut foras exiret, quicquam ad rem facere ostendimus; quia illud non est præceptum propriè dictum promissione præmii & comminatione pœnæ sancitum; sed omnipotens Dei verbum, quo significabat non quid à Lazaro fieri, sed quid ipse facere vellet. 2. Nec ex voce *mortui* omnimoda inter mortem naturalem & spiritualem similitudo, quæ ex omni parte respondeat, colligi potest; aliàs dicendum, regenitos peccare non posse, quia dicuntur *peccato mortui*, *Rom.* VI. 11. Quod tamen verum non est, nec illi concedent. 3. Mors spiritualis etiam illis tribuitur, quibus gratia Euangelica obtigit; sic *Apoc.* III. 1. Angelo Ecclesiæ Sardensis dicitur, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* Atqui quibus gratia Euangelii obtingit, etiam potentia confertur ex morte spirituali resurgendi. Similitudo itaque inter mortem naturalem & spiritualem in eô posita est; quòd sicut mortui nulla opera vitalia exserunt; ita nec spiritualiter mortui ulla opera spiritualia edant; nullo habito respectu, utrum ea edere possint, nec ne: hoc enim, uti ex præcedentibus rationibus liquet, extra similitudinis scopum est. Sufficit, ut aliquis mortuo assimiletur, ipsum mortui instar nullas edere operationes, neque similitudo illa evertitur, etiamsi eas edere possit. Hoc sensu vidua deliciis indulgens *vivens mortua* dicitur, 1 *Tim.* v. 6. Deinde peccatores & irregeniti *mortui* vocantur, id est, morte digni, seu mortis rei, quia peccatis sui mortem commeruerunt: eodem sensu quo Abimelecho dicitur, *Ecce mortuus es, propter mulierem quam tulisti*, *Genes.* XX. 3. Hic sensus inde evincitur, quia remissio peccatorum opponitur morti in peccatis, *Coloss.* II. 13. *Et vos cum essetis mortui in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo;* quâ autem ratione? *condonans vobis omnia delicta.* Adeo ut *mortuum esse in peccato*, idem sit atque *filium iræ* esse; quæ phrasis usurpatur *Eph.* II. 3.

V. Altera phrasis est: quòd dicuntur *cæci*, *Luc.* IV. 18. Sed nec ex illa concludi posse potentiam insuperabilem requiri ad cœcitatem tollendum, liquet, quia & homini præscribitur ut illuminetur: *Esa.* LX. 1. *Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum*, &c. Convertenda itaque est in propriam. Per *cæcitatem* autem, sensu figurato, intelligitur ignorantia rerum divinarum ac spiritualium. Ad ignorantiam autem tollendum non requiritur potentia irresistibilis, sed debita instructio, & clara rerum divinarum patefactio. Non autem totalem intelligendi impotentiam, etiam cùm res divinæ clarè proponuntur, designari, liquet; quia Dominus optat, de Pharisæis loquens, *Utinam cæci essetis! non haberetis peccatum*, *Joan.* IX. 41. quâ phrasi nudam tantum ignorantiam intelligit, non autem totalem intelligendi impotentiam: *Cæci.*

quomodo enim diceret, *non haberetis peccatum?* cùm statuant statum illum quàm maximè esse vitiosum & peccato infectum. Sic Angelus Ecclesiæ Laodicenæ *Apoc.* III. 17. dicitur *cæcus*, non quia intelligere non poterat Euangelium, sed quia cœci seu ignorantis instar non rectè juxta Euangelii præscriptum ambulabat, & in officio suo negligentior erat. Dices. Attamen *Deut.* XXIX. 4. dicitur, *non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.* Sed antea ostendimus, non dici illic, quod Deus ipsis facultatem videndi non dederit: contrarium enim liquet ex *vers.* 6. ubi dicitur, quòd omnia illa miracula in deserto facta sint, *ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester*: & quia verba hæc severam continent increpationem: atqui increpatio in eos institui non poterat, eò quod Deus actionem suam insuperabilem circa eos non adhibuisset: Ergo *datio* hic intelligenda est, quæ conjunctum sibi habet effectum, quòd Deus omnibus suis miraculis nondum consecutus esset, ut ipsi Deum prout oportet cognoscerent & colerent, sed sæpius illi protervè rebellarent.

Tenebræ. VI. Nec major vis est in voce *tenebrarum*, *Matth.* VI. 23. Si enim ex rigore vocis argumentari velint, quòd tenebræ lucis non sint capaces: dicam ego; Ergo nec per divinam omnipotentiam homo posset converti; quia tenebræ, utpote privatio mera, luminis non sunt capaces, seu idoneum ad lucem recipiendum subjectum, ne per divinam quidem omnipotentiam, fieri possunt: quod absurdum. 2. Concludam à contrario: Si homines irregeniti, quia vocantur *tenebræ*, rectè concludantur non posse ullum spirituale opus facere: vicissim dicendum, quòd homines regeniti non possint peccare, quia *lux* vocantur: *Eph.* v. 8. *Eratis quondam tenebræ; nunc vero lux in Domino.* Denotat ergo, quòd homines destituti sint cognitione salutari Euangelii, &, vitiosâ affectione ex habitu pravo contractâ corrupti, quæ, quamvis viribus hominis naturalibus expelli nequeat, non tamen arguit contrariæ affectionis hominem esse incapacem, nisi Deus virtute insuperabili eam in homine operetur: quod liquet ex *Luc.* XI. 35. ubi Dominus monet, ut attendamus, *ne lumen quod in nobis est tenebræ sint:* sed homines vitiosâ hac affectione impediri, ut veritati Euangelicæ non magis auscultent, quàm si illius prorsus ignari essent. Unde dicitur *tenebras lucem non comprehendisse*, *Joan.* I. 5. non quia lucem comprehendere non poterant; sed quia pravis suis cupiditatibus transversi agebantur, ne lucem sibi oblatam comprehenderent, cùm possent.

Arbor mala. VII. Similitudo ab *arbore mala* desumta, *Matth.* VII. 18. XII. 33. non magis evincit homines irregenitos nihil boni posse facere; quàm desumta ab arbore bona evincit homines regenitos non posse malum facere; tam enim Dominus dicit de arbore bona, quòd non possit malos ferre fructus, quàm de arbore mala, quòd bonos fructus ferre non possit. Imo si per omnia rigidè applicanda sit, concludetur homines naturali necessitate tam bonos quàm malos esse, perinde uti arbor naturali necessitate vel bona vel mala est. Quod esset omnium rerum fatalem necessitatem introducere. Sed similitudinem hanc adeo rigidè per omnia non esse urgendam, liquet ex *Matth.* III. 10. ubi Pharisæis, qui progenies viperarum vocantur, & arboribus comparantur, mandatur ut *fructus pœnitentiâ dignos proferant*; additâ comminatione, quòd *securis jam radici admota sit; quodque omnis arbor quæ non fert fructus sit exstirpanda & in ignem mittenda:* quod præceptum gravi hac comminatione sancitum, cum absoluta obediendi impotentia, ut vidimus, consistere nequit. Dominus Jesus itaque hac similitudine aliud nihil docere voluit, quàm, fieri non posse, quin sicut fructus respondent arbori, ita etiam facta externa respondeant animo: ex animo malo non posse procedere opera bona, neque ex animo bono opera mala: si quis ergo bona sit producturus opera, oportere ut prius animum ab improbitate purget. Priore quidem loco ex operibus detegi vult falsorum prophetarum imposturas & hypocrisin; licet veniant tecti indumentis ovium, quòd tamen ex fructibus seu operibus sint dignoscendi, quòd non sint oves, sed lupi rapaces: quoniam facta externa animi latentis sint indicia; & ubicunque mala se produnt opera, ea, ex animo bono proficisci nequeant. In posteriore loco de Pharisæis dicit, non mirum esse quòd illi malè ac perversè de se loquantur, quoniam animo sint corrupto & à Dei timore alieno; ex abundantia enim cordis os loquitur. Nihil verò dicit, utrum fieri possit, ut ipsi à malitia illa desistant, & in arbores bonas convertantur: hoc enim extra parabolæ scopum est. Imo ex rationibus allegatis contrarium liquet, mutationem seu conversionem fieri posse.

VIII. Nec omnimoda illa impotentia denotatur descriptione illâ, quâ homines ante conversionem vocantur *servi peccati*, *Rom.* VI. 20. non magis quàm descriptio regenitorum, *eod. cap. vers.* 18. quòd sint *servi justitiæ*, arguit, eos non posse peccare: par enim utrobique est ratio. Dices: Sicut servi, qui in dominorum sunt potestate, seipsos à servitute liberare nequeunt; ita etiam servos peccati ex seipsis peccati dominium excutere non posse. Resp. 1. Idem ipsis objici posse de statu regenitorum; qui *Servi peccati.*

servi

servi justitiæ vocantur; cui objectioni quando responderint, etiam pro nobis respondebunt. 2. Nec nos dicimus, hominem ex seipso peccati dominium posse excutere, sed requiri gratiam divinam, quæ ipsum præveniat, & vires ad peccatum debellandum largiatur: quæstio solummodo est de modo, quo gratia divina ad peccatum debellandum in homine operetur. Sanè ille modus ex similitudine servitutis & liberationis è servitute non concluditur. 3. Magna est inter corporalem & spiritualem servitutem discrepantia. Illam enim ordinariè inviti sustinent homines: hanc non nisi voluntariè; nemo enim peccati servus esse potest, nisi voluntate suâ. Unde secundò consequitur, quòd ad peccati dominium excutiendum non requiratur aliud, nisi seria ac constans voluntas peccato non amplius serviendi; ad liberationem autem è corporali servitute sola servi voluntas non sufficit, sed requitur ultronea domini manumissio. Sed quid si concedamus similitudinem per omnia esse inter utramque servitutis speciem; addo, sicut aliquando servi invitis dominis aufugiunt, quin & dominos interficiunt; ita etiam peccati servum domini sui jugum excutere, ipsumque perimere posse. Addo; sicut servus à domino suo dimissus se in servitutem illi denuò addicere, neque libertatis bono frui velle potest: ita etiam peccati servus, cui a Deo facultas conceditur è servitute illa exeundi, ultrò ac voluntariè sese peccato rursus mancipare, seu in servitute illâ perseverare potest. Dices. Cùm servitus peccati sit in mente & voluntate, indeque reliqui animæ motus dependeant, eam necessario esse voluntariam. *Resp.* Mera contradictio est, peccati servitutem esse necessariam, & voluntariam. Quod enim voluntarium est, ita exitit, ut potuisset, aut etiamnum possit, non existere; quod necessarium est, non potest non existere. Itaque voluntarium non est, quod aliquâ ratione ad voluntatem refertur, seu voluntati tanquam subjecto inhæret; sed quod à voluntate tanquam causâ suâ proficiscitur. Quod hac ratione voluntarium est, necessarium esse nequit. Atqui hac ratione servitus peccati voluntaria est: nemo enim peccati servus est, nisi qui voluntate liberâ peccato operam dat, ipsumque sibi dominum adsciscit. *Peccati* ergò *servus* cùm homo dicitur, aliud nihil denotatur, quàm hominem ordinariè ea facere, ad quæ cupiditates carnales eum impellunt: hoc enim propriè est peccato servire. Illud autem peccati dominium non est à naturâ, sed à voluntariâ hominis electione, quâ ipse sese ad peccandum, dulcedine illius inescatus, applicat, & crebrâ peccati iteratione ac tandem diutinâ consuetudine ita constringitur, ut maximâ cum delectatione peccato indulgeat, summamque molestiam in ejus abnegatione sentiat: unde fit, ut ordinariè, quâvis oblatâ occasione, præceps in peccatum ruat. Consuetudo autem, licet actum contrarium difficilem reddat, non tamen omnimodam illum præstandi impotentiam inducit: potestque etiam sine operatione irresistibili tolli. Et hanc esse peccati servitutem, Scripturam attentè consideranti palam fiet. Nusquam enim ea hominibus naturalis dicitur; sed semper adscribitur adultis, qui voluntaria electione eam sibi adsciverunt: uti hoc capite. Nec credendum omnia, quæ passim gentilibus ante conversionem adscribuntur, etiam applicanda fidelium liberis, qui ab ipsa infantia fœdere divino comprehensi doctrinâ Jesu Christi imbuuntur. Licet enim ab omni peccato immunes non sint, non tamen omnes peccati servitute detineri dici potest; præsertim cùm hoc eodem *cap.* VI *ad Rom. vers.* 14. dicatur, *peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub Lege, sed sub gratia.*

IX. Nec plus roboris est in voce *carnis*, quæ legitur *Rom.* VIII. 7. de qua dicitur, quòd *non possit se subjicere legi Dei*; & quòd Scriptura omnes homines alibi *carnem* vocet. Nam non eodem sensu omnes homines *caro* vocantur, quo *caro Rom.* VIII. accipitur, cum de ea dicitur, quòd *non possit se subjicere legi Dei.* Vocantur quippe homines *caro* respectu substantiæ ex qua corpus ipsorum constat, & respectu fragilitatis suæ & infirmitatis, nullo habito respectu ad peccatum. Hoc sensu legimus *Esa.* XL. 7. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* Eodem sensu *caro* accipitur *Esa.* XXXI. 3. *Jerem.* XVII. 5. Cùm verò *Rom.* VIII. 7. *caro* dicitur *se non posse legi divinæ subjicere*, longè aliud quid sonat: propriè enim dicitur φρόνημα τῆς σαρκὸς, seu id quod caro sapit, se non posse legi Dei subjicere. Atqui φρόνημα illud non sunt cogitationes hominum quamdiu per Euangelium nondum sunt regeniti, etiam eorum qui rationis naturalis ductum sequuntur: inter eos enim quidam reperti sunt, qui honestati naturali operam dederunt, quique lucis Euangelii ope, si ipsis revelata fuisset, proculdubio Deo ex animo secundum voluntatem ipsius paruissent: sed denotat cupiditates, studia ac desideria hominum carnalium, qui voluptates carnis summum bonum credunt, neque meliore bono permutare sustinent. Tales, quamdiu hac opinione fascinati sunt, subjicere se nequeunt legi divinæ, quæ cupiditatum carnalium abnegationem præscribit spe bonorum spiritualium ac futurorum. Hoc autem à carne præstari nequit, quæ sperare nescit, sed præsentibus frui gaudet, omnemque voluptatem sensuum perceptione metitur: spiritualia verò bona non Caro.

non percipit nec novit. Eodem ſenſu 1 *Corinth.* 11. 14. *animalis homo* dicitur *non percipere quæ ſunt ſpiritus Dei*, neque ea *percipere poſſe*. Animalis enim homo, ψυχικὸς, non eſt homo in puris naturalibus conſtitutus, ſed animali vitæ deditus, hoc eſt, voluptates carnis, nobis cum animalibus communes, ſectans; quales non omnes ſunt homines ante converſionem; ſed illi tantum, qui ſibi ventrem Deum conſtituunt, & voluptatibus carnis toti immerſi ſunt. Præterea *non poſſe percipere*, non denotat omnimodam impotentiam intelligendi ſenſum verbi divini, etiam clarè & perſpicuè revelati, dicitur enim illi eſſe *ſtultitia*, uti & *cap.* 1. 23. id eſt, doctrinam Euangelii æſtimare ſtultam, quoniam præſentibus abnegatis, quæ unicè amat, futura & ſpiritualia; quibus non afficitur, promittit: ſed maximam animi averſionem, qua impeditur, ne rectè ſpiritualia à carnalibus diſcernat, ipſorumque præſtantiam præ carnalibus comprehendat, atque ita verbo Euangelii ut divino aſſentiatur, ex ejuſque præſcripto vitam inſtituat. *Non poſſe* enim, uti aliàs oſtendimus, non ſemper omnimodam impotentiam deſignat; ſed ſæpius ſummam à re quapiam averſionem, ſummamque difficultatem eam præſtandi, ex contraria conſuetudine ortam: uti evidentiſſimè comprobatur ex *Jerem.* XIII. 23. *Si poteſt æthiops mutare pellem, & pardus maculas; & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum*: ſeu aſſueti ſitis malo: quo ſenſu vox Hebræa לִמֻּד legitur *Jerem.* II. 24. XXXI. 18. *Hoſ.* X. 11. Conſuetudo autem potentiam non exſtinguit, ſed actum ipſi contrarium difficilem reddit, efficitque ut homo ægrè potentiam ſuam exſerere velit.

Non poſſe aliquid ex nobis velut ex nobis.

X. Tandem nec omnimoda illa impotentia comprobatur ex 2 *Corinth.* III. 5. quòd *non poſſimus aliquid ex nobis, velut ex nobis.* Non enim reſpicit ibi Apoſtolus ad opera bona, quæ ab hominibus præſtari nequeant; ſed ad munus Apoſtolatus, quo Corinthios ad fidem in Chriſtum perduxerat; uti ex præcedentibus verſibus liquet. Licet enim fateamur, hominem ex ſeipſo nullum ſpirituale bonum poſſe facere, ſed ad id requiri gratiam divinam; non tamen hoc in loco de eo ſermo eſt, ſed de miniſterio apoſtolico. Et rectè dicit Apoſtolus, ſe nihil, tanto ſcilicet miniſterio dignum ex ſeipſis cogitare poſſe: dependent quippe illa ex ſpeciali revelatione divina; & ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam requirunt. Et licet revelatione divinâ factâ, multa cogitent ad munus ſuum pertinentia, non tamen ea ex ſe habent, ſed revelationi divinæ ſunt adſcribenda; ideo addit, *velut ex nobis*: innuens multa quidem ſe cogitare poſſe, ſed ea non deberi propriæ induſtriæ, verùm gratiæ ac revelationi divinæ. Tandem, dicuntur *nihil poſſe ex ſeipſis*; ſed non dicitur, requiri, ut quid faciant, gratiam Dei inſuperabilem cujus operationi reſiſtere nequeant. Dices. Si idonei non ſunt ad actus cogitandi, multò minus idonei ſunt ad actus credendi & aſſentiendi. Reſp. Non dicuntur cogitare non poſſe; ſed primi ea excogitare, quia addit, *ex nobis velut ex nobis*: aliud autem eſt, primum quid excogitare, aliud rei clarè revelatæ fidem adhibere. Sed nec nos negamus, ad aſſentiendum requiri gratiam divinam, ſolummodò de modo quo gratia fidem operatur diſputamus, qui hoc loco non explicatur.

Secunda claſſis, à deſcriptione actionis Dei hominem convertentis.

XI. Secunda claſſis continet illa Scripturæ loca, quibus actio Dei hominem convertentis deſcribitur: quibus actionem deſignari credunt planè inſuperabilem, & ad quam homo nihil omninò conferat, ſed merè paſſivè ſeſe habeat. Ut quod *creët* & *faciat* in homine *cor novum*, *Ezech.* XXXVI. 26 quod hominem *regeneret*, 1 *Pet.* 1. 3. *excitet ex mortuis*, *Eph.* II. 6. *vivificet*, ibid. *illuminet*, *Joan.* 1. 9. *det reſipiſcentiam & fidem*, *Act.* XI. 18. *det & inſcribat leges in cordibus*, *Jerem* XXXI. 31. *& ſeqq. cor aperiat*, *Actor.* XVI. 14. *circumcidat*, *Deut.* XXX. 6. *trahat*, *Joan.* VI. 44. *operetur velle & perficere ſecundum beneplacitum ſuum*, *Philipp.* II. 13.

Reſponſio generalis.

XII. Reſpondemus primò in genere, idem quod ad præcedens argumentum: pleraſque has locutiones eſſe figuratas, ideoque ſolidum ex iis argumentum deduci non poſſe: figuratæ quippe locutiones non rigidè ſecundum omnes ſuas circumſtantias applicari debent, nec ulterius extendi, quàm ſcopus auctoris, illis utentis, permittit: aliàs in varias abſurditates incidemus. Primò enim ſi ſingulas haſce phraſes ſecundum omnes ſuas proprietates rigidè applicare velimus, quoniam una eademque Dei actio diverſis loquendi formulis exprimitur, plurima exinde ſecutura ſunt abſurda. Creatio enim nullum ſupponit ſubjectum, converſio & regeneratio ſupponunt mutationis ſubjectum; renovatio autem ſubjectum cum qualitatibus; tractio eſt violenta, datio moralis actio. Repugnantia ergo Deo ex rigore phraſium attribuerentur. Tum & hæ actiones illis attribuuntur, quorum miniſterio Deus in converſione hominum utitur; quod *aperiant oculos eorum qui in tenebris ſunt*, *Actor.* XXVI. 18. eos *gignant in Chriſto Jeſu*, 1 *Cor.* IV. 15. imo *ſalvent*, 1 *Tim.* IV. 16. Illis autem inſuperabilis ejuſmodi potentia hominès convertendi data non eſt. Tandem & hæ actiones hominibus ipſis præſcribuntur, ut *faciant ſibi cor novum & ſpiritum novum*, *Ezech.* XVIII. 31. ut *renoventur ſpiritu mentis*, *Rom* XII. 2. *Jurgant ex mortuis*, *Eph.* V. 14. Non itaque figuratæ hæ locutiones urgendæ ſunt; homo ad ſui creationem aut genera-

generationem nihil conferre potest, sed se habet purè passivè; ergo eodem modo sese habet in regeneratione spirituali: & sicut creationem aut generationem suam impedire nequit; ita nec operationem Dei se regenerantis impedire potest. Sed omnes convenienter scopo scriptorum iis utentium explicandæ sunt. Omnes itaque denotant actionem Dei nos ad justitiam reducentis, & singulæ analogiam quandam cum actione Dei habent, cujus respectu ad actionem Dei designandum adhibentur: extra illam autem analogiam extendendæ non sunt. Ea autem in duobus hisce consistit: 1. Quòd à Deo primum proficiscatur: unde & Deo passim adscribitur. Solenne quippe est in operibus magnis, ea adscribere causæ principali, nulla minus principalium mentione facta, perinde ac si vix ulla earum habeatur ratio. 2. Quòd sit actio vim habens producendi effectum novum, qui antea in homine non erat: & quia variis actionibus novus effectus produci potest, creatione, generatione, innovatione, &c. idcirco variis illis phrasibus, utpote analogis, designatur. Itaque ad auctorem actionis, ipsiusque effectum respicitur; ad modum autem operationis non attenditur, sed ille ex aliis locis peti debet. Id autem ex singularum consideratione apertius liquebit.

Specialis. Quod Deus dicatur auferre cor lapideum, & dare cor carneum, &c.

XIII. Primò ergo occurrit locus *Ezech.* XXXVI. 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamque ut in præceptis meis ambuletis*, &c. Ex quo loco duplex formant argumentum: unum ex statu hominis ante conversionem, quo *cor lapideum* habere dicitur: alterum ex actione Deo attributa, quâ conversionem operatur; quod *auferat cor lapideum*. & *det cor carneum*, &c. Ad primum ut respondeamus, dicimus *cor* similitudine quâdam vocari *lapideum*, quia, sicut lapis quicquid illi impingitur repellit, ita & cor hominis verbum divinum, quo ad pœnitentiam vocatur, repellat, neque in se admittat: hoc quippe ad similitudinem sufficit: nullo habito respectu utrum admittere possit. Ita dicimus de homine immisericorde, ipsum habere cor lapideum, & citius lapidem ad misericordiam flectendum; quàm ipsum: quâ tamen locutione neutiquam indicatur, ipsum potentiâ destitutum, quâ misericordiâ affici possit. Tum *lapideum cor* non dicitur hominibus à natura inesse, quemadmodum illi volunt impotentiam illam homini esse naturalem: sed ipsi homines sibi dicuntur propria inobedientia cor durum ac lapideum, adamantis instar, fecisse, *Sachar.* VII. 12. *Jerem.* V. 3. & alibi. Quæ durities cum libera voluntate hominum contracta est, liquet etiam, quòd ad eam tollendam insuperabilis Dei actio non requiratur. Exinde jam evidens est, nec per *dationem cordis carnei* irresistibilem Dei actionem designari: cordis quippe lapidei ablationem datio cordis carnei comitatur: seu revera una eademque Dei actio est, diversimodè tantum pro ratione termini à quo & ad quem denominata. Sed & idem omnes textus circumstantiæ evincunt. Est enim hæc promissio toti populo facta: & non nisi post multos dies implenda: quod evincit locus *Jerem.* XXXI. 31. huic parallelus; *Ecce dies veniunt, & pangam cum domo Israël & cum domo Juda fœdus novum*: Et: *Istud est fœdus, quod feriam cum domo Israël post dies istos* &c. Totum nempe populum concernere hanc promissionem manifestum est; quia vocatur *fœdus*, & quidem *novum*, ad oppositionem veteris, quod cum toto populo initum erat: ergo & novum cum toto populo ineundum censeri debet: quia perinde atque vetus cum domo Israël & Juda pactum dicitur. Novum autem vocatur, vel respectu liberationis è captivitate Babylonica; quæ quasi renovatio fœderis divini fuit, & quæ sensu literali hic prædicta dici potest: vel respectu liberationis per Messiam peragendæ, priore liberatione è captivitate Babylonica adumbratæ, quemadmodum *Hebr.* VIII. 8, 9. *&c.* promissionem hanc divus Scriptor secundum sensum mysticum fœderi huic novo applicat. Utrumque autem fœdus, & quidem potissimum postremum, cum toto populo initum est: quotquot enim illi sese non subjecerunt, *duri cervice* dicuntur, & *consilium Dei adversus se sprevisse, se indignos judicare vitâ æternâ*, & *sanguinem fœderis, quo redemti erant, pollutum ducere*: *Luc.* VII. 30. *Act.* VII. 51. XIII. 46. *Hebr.* X 29. Non esse implendam nisi post multos dies, constat, quia secundum sensum literalem spectat liberationem è Babylone; secundum mysticum verò ac perfectum, redemtionem per Jesum Christum; quæ utraque post multos dies implenda erant. Nulla ergo hîc continetur promissio specialis illius ac determinantis gratiæ, quam urgent: quia illi volunt eam paucis tantum, absolutò sc. electis, esse specialem, deinde Deum eam semper ab initio mundi, circa electos suos, ad eos regenerandum adhibuisse. At quid absurdius, Deum promittere, se futuris demum temporibus adhibiturum gratiam, quam electis suis semper & quovis tempore, etiam tum cum promissionem hanc faceret, largitus est? Aut si velint Deum futuris temporibus eam juxta hanc promissionem adhibiturum, dicendum illis erit, nullos illo tempore in populo Israëlis fuisse electos, omnesque, qui temporibus mediis inter promissionem hanc & illius per Messiam impletionem

tionem morituri essent, reprobos fuisse, Deumque id illis per hanc promissionem voluisse revelare, ut ita scientes se reprobos esse, gratiâque illâ qua converti possent destitutos, omnem de vita in melius mutanda conatum abjicerent. Quæ omnia quàmmaximè sunt absurda. Dices. Attamen Deus dicit, *dabo vobis cor carneum*. Resp. Deus sibi effectus quosdam tribuit, quando ea facit, quæ à parte ipsius requiruntur, & ad effectus illos producendum singularem vim habent: licet illi ob insperatam hominum malitiam non consequantur. Sic *Ezech.* XXIV. 13. *Immunditia tua execrabilis, quia mundavi te, & mundata non es à sordibus tuis.* Vide & *Ose.* VII. I. & XI. 1, 2, 3, 4, 5. Eodem sensu quo Dominus Jesus dicitur *illuminare omnem hominem venientem in mundum*; *Joan.* I. 9. & Deus, *salvator omnium hominum*; I *Tim.* IV. 10. & *in Christo mundum sibi reconciliare*, 2 *Corinth.* V. 19. Quem sensum, præter rationes supra allegatas, nos docet *Ezech.* XI. 21. ubi eidem quæ hic legitur promissioni, immediatè hæc subjunguntur: *Quorum cor ambulat ad cor contaminationum eorum, viam eorum dabo in caput eorum.* Quæ comminatio frustranea foret, si illic gratia ejusmodi, quæ virtute irresistibili contumaciam esset impeditura, promitteretur. Itaque prophetia hæc agit de magnitudine divinorum beneficiorum, quibus homines temporibus Messiæ Deus esset affecturus, & clarâ legis suæ propositione, quæ tanta erat futura, ut Deus legem suam quasi cordibus ipsorum esset inscripturus, eosque, nisi summé insanabiles sint, per ea ad pœnitentiam reducturus: beneficia enim homines maximè alliciunt, & ad benefactorem redamandum obligant.

Regenerare, excitare ex mortuis, illuminare.

XIV. Argumentum ex vocibus *regenerandi*, *excitandi ex mortuis*, *vivificandi*, sufficienter in generali responsione est refutatum. Addimus nunc; quòd regeneratio adscribatur verbo Dei, cui irresistibilis illa vis non inest: *verbo* enim *veritatis nos genuit*, *Jacob.* I. 18. & I. *Pet.* I. 3. resurrectioni Jesu Christi ex mortuis: quatenus Deus per resurrectionem Christi integram Jesu Christi doctrinam ut divinam confirmavit, ac speciatim nos de nostra resurrectione ad vitam æternam, si vestigiis Jesu Christi ducis nostri insistamus, certos reddit: ac proinde fides de resurrectione Jesu Christi nos ad pietatem potenter exstimulat, ac regenerat, ut ita beatæ resurrectionis participes simus. Unde & fidei de resurrectione Christi, ut validissimo ad pietatem in nobis excitandum medio, salus nostra adscribitur, *Rom.* X. 9. *Si ore tuo confessus fueris Dominum Jesum, & corde credideris quòd Deus ipsum excitaverit ex mortuis, salvus eris.* Atqui omnis hæc operatio non physica, sed moralis actio est, cui resisti ab homine potest, quæque, ut effectum habeat, requirit animum minimè refractarium. Ita & excitatio ex mortuis per verbum seu vocem Filii Dei fieri dicitur, *Joan.* V. 25. Tota itaque similitudo in eo consistit; quòd homo per actionem illam gratiæ divinæ totus immutetur, novamque vivendi rationem inchoet; itaque si comparetur ratio ejus vivendi cum priore vitæ instituto novus omnino homo videatur, renovatus secundum intellectum, affectus, voluntatem, & opera. Et illius mutationis ratione vocatur *nova creatura*, 2 *Cor* V. 17. *Gal.* VI. 15. & dicitur *exuere veterem hominem, & induere novum hominem*, *Eph.* IV. 22, 23, 24. Regeneratio quippe nos facit Dei filios, id est, Deo similes, &, ut diximus, perficitur verbo Euangelii; hoc modo: Voluntaria transgressione nos sumus peccatores, Deique imagine exstinctâ diaboli imaginem adsumsimus: Deus illam reformat, & instar patris nos regenerat, ut simus novi homines; ipsique similes: verbo utitur tanquam semine: illud si ab homine non rejiciatur, homo spiritualiter concipitur & generatur. Quando verbo illo delectatur, infantis instar est qui lacte materno nutritur. Quando se componit ad vitam juxta verbi illius præscriptum instituendum, patris imaginem sensim exprimit: at postquam actu ipso ostendit se verbo illo regi, tum totum patrem refert, seque genuinum illius filium ostendit. Eadem similitudo in aliis figuratis locutionibus obtinet. Ad novum itaque effectum respicitur: modus quo ille peragatur, phrasibus illis non continetur, sed ex aliis locis petendus est.

Illuminare, fidem dare, legem cordibus inscribere.

XV. *Illuminatio* fit similiter per verbum Dei, quod est *lampas pedibus nostris, & lumen semitæ nostræ*, *Psal.* CXIX. 105. quatenus homini revelatum ignorantiæ tenebras dispellit, hominemque sufficienter ad fidem concipiendum instruit. Huc autem non requiritur irresistibilis operatio, sed fidelis institutio, claraque sensuum verbo Dei contentorum propositio. Ex eo quòd Deus *resipiscentiam & fidem dare* dicitur, nullatenus irresistibilis actio inferri potest: neque datio semper ac necessario effectum sibi conjunctum habet: dat nempe Deus quippiam, quando omnia confert, quæ à parte suâ requiruntur, ut homo quod Deus ipsi offert consequatur: quando itaque Deus potentiam credendi & resipiscendi confert, rectè fidem & resipiscentiam dare dicitur: quando homo viribus à Deo concessis rectè utitur, datio est cum effectu. Verum effectus ille cum datione divinâ necessariò nexu non cohæret: potest siquidem quis oblatam credendi occasionem respuere, & erga gratiam divinam esse contumax. *Inscriptio legum Dei in cordibus* fit clarâ verbi divini propositione, & benefi-

ciorum

ciorum divinorum magnitudine, quibus Deus homines adeo potenter ad se allicit, ut se illius cultui totos libenter ac alacriter tradant: uti antea fusius ostensum, cum locum *Ezech.* XXXVI. 26. explicaremus.

Cor aperire. XVI. *Apertio cordis* Deo tribuitur *Act.* XVI. 14. ubi conversio Lydiæ fœminæ piæ Deumque timentis describitur. Licet nos concederemus hic majorem gratiæ gradum describi, aliis hominibus non concessum, non tamen exinde omnipotens & irresistibilis actio Dei concluderetur; potest quippe gratia ordinariâ major aliquando adhiberi, quæ tamen obediendi & rebellandi libertatem non exstinguat. Sed necesse non est eo confugere. Solummodò effectus prædicationis Apostolicæ in pia illa fœmina narratur: illiusque speciatim mentio fit, ut ratio, quæ Apostolum moverit apud ipsam divertendi, constaret. Antea explicatum est, non omnium æqualem esse dispositionem ad fidem; quosdam prorsus ad fidem ineptos; in aliis majorem vel minorem ad fidem esse dispositionem; optimos omnium esse, qui secundum lucem sibi à Deo datam pro ratione status sui Deum coluerunt: hosque ordinariè, quando lux Euangelii ipsis affulget, credere. Non itaque aliâ operatione circa eos Deus utitur, quàm circa alios; idem enim est verbum, iisdem rationibus ac miraculis confirmatam, quod omnibus æqualiter prædicatur; sed obicem in omnibus æqualem non reperit. Præfractorum animos verbo suo pulsat quidem; sed illi pulsanti Domino non aperiunt. Corda hominum animi probitate ac docilitate præditorum pulsans, ea pulsando statim aperit: quoniam illi, honestatis ac virtutis studiosi, doctrinâ perfectissimæ pietatis suavissimè afficiuntur, & promissorum magnitudine validissimè flectuntur. Adeo ut operationis divinæ effectus describatur hac phrasi: operationis autem modus non exprimitur. Et ex ejusmodi hominum numero Lydiam fuisse docet Lucas, quando eam describit quod esset σεϐομένη Θεόν; indeque illa credendi promptitudo profluxit.

Circumcidere. XVII. Actus *circumcidendi*, qui Deo tribuitur *Deut.* XXX. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere*; non magis quàm præcedentes insuperabilem Dei actionem indicat. Non enim quia circumcisio carnalis, quatenus homini administratur, mera passio est, sequitur circumcisionem spiritualem etiam meram esse passionem: siquidem ad eam concurrunt non tantum Deus, ut hoc loco; & Jesus Christus, *Coloss.* II. 11. ubi dicimur *in Christo circumcisi circumcisione non manufactâ in exspolitatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi*; qui nempe eam præcipit & prædicat: sed & homo ipse, cui præcipitur ut se circumcidat: *Deut.* X. 16. *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius*: & quidem gravi additâ comminatione, *Jerem.* IV. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda & habitatores Jerusalem; ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea*, &c. Sed nec ipsa carnalis Circumcisio mera passio est. Ut enim ea olim Judæo esset signum ac sigillum fœderis divini, requirebatur, ut libera obedientia juxta præceptum divinum susciperetur: invito aut ignaro Circumcisio adhiberi non debuit, & non voluntarie circumcisus fœderi divino per Circumcisionem inseri non potuit. Sicut ergo olim, ut circumcisio rite fieret, requirebatur ut homo se circumcidendum offerret, & Circumcisionem libere admitteret: Ita etiam in spirituali Circumcisione requiritur, ut homo actionem Dei ipsum circumcidentis liberâ obedientiâ recipiat, neque illi cor refractarium opponat; atque ita Deo ipsum circumcidente etiam ipse, hac actione divinâ excitatus, cor suum circumcidat. Quod neutiquam fieri posset, si Circumcisio mera passio foret. Verum quidem est, infantes nihil ad suam Circumcisionem conferre, sed se mere passive habere: sed actus parentum infantes suos circumcidentium obedientiæ liberæ actus est: atque hic proprie in hac similitudine est respiciendus. Non enim infantibus præcipitur Circumcisio, sed parentibus, ut infantes suos circumcidant; quemadmodum & solis adultis spiritualis Circumcisio præputii cordis præcipitur. Ita ut etiam in ipsa carnali Circumcisione, ut præcepto divino conformis sit, actio circumcidendi cum actione circumcidentis concurrere debeat.

XVIII. Per actum *trahendi*, *Joan.* VI. 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater qui misit me traxerit eum*; intelligi actionem Dei insuperabilem, circumstantiæ textus non permittunt. Dominus enim illo capite Judæos acriter reprehendit, quod ad ipsum non venirent, seu in ipsum non crederent. Si ergo diceret, neminem in se posse credere, nisi Pater omnipotenti ac insuperabili actione ipsum trahat, causam ipsorum incredulitatis in actionis ejusmodi divinæ denegationem conjecisset, ipsisque luculentam occasionem ipsius increpationem contemnendi præbuisset, ipsique objiciendi, frustra se reprehendi, quod Deus actionem quâ converti possint ipsis denegaret; quamprimum efficacem istam operationem Deus adhibeat, se etiam credituros. Quo quid absurdius dici potest? Deinde, licet tractio sit violenta plerumque actio, potest tamen esse & actio amica, & maximâ sui parte moralis, cui proinde facile resisti potest: ut si quis, Trahere.

homini persuadere cupiens ut aliquò egrediatur, manu apprehensa eum leniter trahat, potest tractioni illi resistere, manum retrahere, & monitori aurem præbere nolle. Imo potest tractio esse moralis & suavis actio: quando quis eloquentia homines post se trahit, aut beneficiis ad se trahit. Sic *vinculis charitatis* dicit Deus *se traxisse Israëlem*, *Ose.* XI. 4. Sane concedimus neminem ad Christum venire posse, nisi Pater traxerit illum, omnisque boni spiritualis ac salutaris initium esse gratiam Dei; sed quæritur de illius operandi modo, an ille sit irresistibilis; quod ex voce *tractionis* non posse concludi jam evicimus. Dices: quid ergo est tractio hæc divina? Resp. Idem est quod datio, *vers.* 37. *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet*: est nimirum tractio cum effectu, seu actio Dei, quâ homines ita flectit ac præparat, ut ad Christum quando Euangelium ipsis prædicatur, veniant. Illi autem sunt inter Judæos, qui Legem Mosis debitè reverebantur, illique obtemperare studentes animum habebant doctrinæ Jesu Christi recipiendæ aptè dispositum, qui *cap.* VIII. 37. dicuntur *ex Deo esse*. Tales quippe fidem in Christum, quando ipsis annuntiabatur, recipiebant. Voluit ergo Dominus culpam incredulitatis Judæorum tacitè in ipsorum malitiam conjicere; quòd sese à Deo trahi non sinerent institutione quæ in Lege exstat, per quam ad ipsum recipiendum præparari potuissent: simulque doctrinæ suæ divinitatem asserere: si enim ut quis illi crederet requirebatur tractio Dei, necesse erat eam Deo originem suam debere. Nec doctio divina, *vers.* 45. *Et erunt omnes docti à Deo*, aliud quàm moralis actio est: fit enim doctio clarâ voluntatis divinæ revelatione; respiciturque ad prophetiam, *Esa.* LIV. 13. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino*, quæ de beneficiis divinis, claraque voluntatis divinæ revelatione temporibus Messiæ, loquitur, quæ, uti vidimus circa *Ezech.* XXXVI. 26. magnam homines movendi vim habent, non tamen ea efficacitate, cui resisti nequit, agunt. Dices: Intelligitur hîc immediata, ut ita loquar, doctio seu institutio Dei, per potentem spiritus divini operationem effecta, cui homo resistere nequeat. Resp. Hoc esse illud ipsum quod in quæstione versatur; neque gratis assumi debet, sed aliunde probari: imo ipse textus hanc expositionem non patitur; non enim omnes hac immediata Dei doctione convertuntur; sed plurimi à Deo licet docti rebelles sunt, & plurimi omnibus ætatibus doctrinæ Euangelii rebellarunt. Dices. Intelligenda hæc sunt de solis absolutè electis. Resp. Et hic iterum præsupponi quod in quæstione est, nec ex hoc aliisque illi parallelis locis concluditur: imo quoniam fœdus Dei, in quo omnes à Deo docti erunt, cum toto populo pangendum dicitur, solos electos intelligi non posse evidentissimum est.

XIX. Sed fortasse plus roboris est in verbis *Philipp.* II. 13. ubi *Deus* in Philippensibus dicitur *operari* non tantum *velle* sed *& perficere*, idque *juxta beneplacitum suum*. At verò locum illum attentè consideranti liquebit, nihil in eo pro determinante illa gratia, quâ homines necessariò convertantur, contineri. Primò enim non loquitur de operationis divinæ efficacia, qua Deus in mente aut voluntate nostra fidem aut regenerationem operatur; sed de efficacia seu operatione illa qua Deus operatur in illis qui jam credunt; quæ opponitur operationi illi, qua diabolus, tanquam hujus seculi Deus, operatur in filiis contumaciæ, *Eph.* II. 2. 2. Non dicitur Deus efficaciâ insuperabili velle & perficere operari; sed solummodò operari: atqui nos hoc ultrò concedimus, disputamus solummodò de modo operationis divinæ. Varii sunt aliquid operandi modi, qui tamen ita non agunt, quin eorum operationem posset non consequi effectus. Ita qui suadet, donis ac pollicitationibus hominem movet, in illo operatur velle & perficere, non tamen, quin alter ejus hortationes & pollicitationes spernere possit. Ita & diabolus ἐνεργεῖν, eâdem voce quæ hic usurpatur, dicitur, in filiis contumaciæ. 3. Ipse textus non patitur, ut modus operandi irresistibilis intelligatur. Verba enim hæc ab Apostolo adhibentur ut ratio, quâ præcedentem suam monitionem, *operamini salutem vestram cum timore ac tremore*, confirmat. Atqui si hîc intelligeret operationem Dei irresistibilem, totam suam monitionem evertisset. Quæ enim vis esset monitionis hujus? Operamini salutem vestram cum timore ac tremore: quia Deus eâ efficaciâ, cui resistere non potestis, operatur in vobis ut non tantum velitis, sed & necessariò salutem vestram reverà operemini. Deinde, falsum dixisset Apostolus: quoniam enim hortatio ejus directa est ad omnes Philippenses, necesse est etiam rationem, quâ hortationem suam confirmat, ad omnes directam esse. Atqui verum non est, Deum in omnibus Philippensibus velle & perficere eâ efficaciâ operatum esse, quam non potuit non consequi effectus; quod ex *cap.* III. 18. manifestum est. Aut si velint verba hæc de solis electis esse intelligenda, etiam dicendum est, monitionem præcedentem solùs tantum electos spectare, quatenus ratione subjunctâ nititur, & ad reliquos Philippenses, non absolutè electos, non pertinere. Quo quid absurdius? Dices. Apostolus tamen dicit Deum velle & perficere in iis operari, *secundum beneplacitum suum*. Resp. Illis verbis non excluditur libera hominis cooperatio, neque indicatur, Deum solum

ſolum operari, hominem ſe tantum habere merè paſſivè; ſed excluduntur merita præcedentia; & indicatur nos bonis noſtris operibus operationem iſtam divinam non eſſe meritos, ſed eſſe opus ſolius gratiæ divinæ, quam ex libera ſua voluntate nobis communicat. εὐδοκία enim libertatem voluntatis divinæ notat, quâ Deus pro arbitrio ſuo, nullâ aliâ re tanquam cauſâ impulſivâ motus, quid facit. Sic dicitur *Eph.* . 1. 5. nos *prædeſtinaſſe in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Senſus ergo eſt; Operamini ſalutem veſtram in timore & tremore, non tantum quando ego præſens ſum, ſed & multò magis cùm à vobis abſum: tum enim quaſi immediate coram ipſo Deo ambulatis, coram quo cum timore ac tremore vos ſalutem operari decet: quia ipſe eſt, qui ſecundum ſuum beneplacitum gratiam ſuam communicat, atque ita in vobis efficit, quatenus omnia à parte ſua confert quæ requiruntur, ut velitis & perficiatis: ne, ſi hic officio veſtro deſitis, ipſe gratiam ſuam denuò à vobis auferat.

Explicatio Eph. 1. 19. XX. Tandem ajunt dici *Eph.* 1. 19. quòd Deus *excellentem illam magnitudinem potentiæ ſuæ exerat in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipſius.* Reſp. Nec ex hoc loco quicquam pro efficace & irreſiſtibili illa operatione Dei in converſione hominis concludi poſſe. 1. Non enim loquitur Apoſtolus de magnitudine potentiæ, quam Deus exſerat erga incredulos, ut eos ad fidem adducat; ſed de operatione, quam Deus exſerit, ſeu exſerturus eſt, circa fideles; dicitur enim expreſſè, *in nobis qui credimus.* 2. Agitur de illa potentia Dei, quâ uſurus eſt circa fideles, quando eos ex mortuis eſt ſuſcitaturus; quam quidem nunc, dum in hoc ſeculo vivimus, perfectè comprehendere non poſſumus; aliquatenus tamen cognoſcenda proponitur ex potentia quam Deus demonſtravit circa Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quem ex mortuis ſuſcitavit, & ad dextram majeſtatis ſuæ exaltavit ſupra omnem principatum & poteſtatem, dominumque Eccleſiæ conſtituit. Et quia Apoſtolus in potentiæ illius magnitudine deprædicanda ſibi vix ſatisfacere poteſt, idcirco utitur tot ſynonymis vocabulis, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. Quod ſi hæc de potentia, quâ Deus fidem & converſionem in nobis operatur intelligamus, dicendum, quòd excellens illa potentia, quâ Deus Chriſtum ex mortuis excitavit, & ſupra omnia exaltavit, eadem ſit potentia, quâ fidem in hominibus operetur: & Apoſtolum, quando optat ut excellentem illam magnitudinem potentiæ divinæ comprehendant, optare, ut cognoſcant, quantâ potentiâ & vi fides in ipſis producta eſſet. Quod neutiquam Apoſtoli ſcopo conſentaneum eſt.

Tertia claſſis. 1. Quòd gratia non eſſet principium omnis boni. XXI. Tertia claſſis continet rationes aliquot, quibus ſententiam noſtram impugnant. Prima eſt: Si gratia, quâ convertimur, eâ efficaciâ non operetur, ut fieri non poſſit quin effectum ſortiatur, ſed requiratur cooperatio liberi arbitrii; tum gratia non eſt principium omnis boni, ſed hominis liberum arbitrium. Reſp. Nulla argumenti hujus eſt conſequentia: quia à negatione modi in re procedit ad totius rei negationem: non enim ſequitur, gratia hoc modo non eſt principium omnis boni: ergo nullo modo. Dices. Si duobus æqualis gratia conferatur, quæ cauſa quòd unus credat, alter non? Reſp. Quòd hic gratiam recipiat, ille rejiciat: recipit autem hic, per rectum liberi arbitrii gratiâ divinâ excitati uſum; ille eam rejicit per pravum liberi arbitrii abuſum, novamque contra gratiam divinam contumaciam. Dices. Ergo homo eſt primaria fidei cauſa. Reſp. Negamus ſequelam iſtam: ſed gratia Dei primaria eſt fidei cauſa, ſine qua non poſſet homo rectè libero arbitrio uti. Perinde eſt, ac ſi duobus captivis carceri incluſis, & vinculis ac compedibus arctè conſtrictis quidam ſuperveniat, qui carcerem aperiat, vincula demat, & egrediendi facultatem largiatur, quin & manu apprehenſâ eos ſuaviter trahat & hortetur ut exeant: unus autem occaſione hâc commodâ utatur, libertatemque oblatam apprehendat, & à carcere egrediatur: alter verò beneficium iſtud liberationis contemnat, & in carcere manere velit: Nemo dicet illum libertatis ſuæ eſſe cauſam, non verò eum qui carcerem aperuit, eò quod aperto carcere, perinde uti alter, non egredi, & in captivitate remanere potuerit. Dices. Ergo liberum arbitrium cooperatur cum gratia. Reſp. Fatemur: aliàs nulla obedientia aut inobedientia hominis locum habet. Dices. An cooperatio liberi arbitrii non eſt bonum ſalutare? Reſp. Omninò. Dices. Ergo gratia non eſt primaria cauſa ſalutis. Reſp. Non eſt ſolitaria: ſed tamen primaria; ipſa enim liberi arbitrii cooperatio eſt à gratia tanquam primaria cauſa: niſi enim à præveniente gratia liberum arbitrium excitatum eſſet, gratiæ cooperari non poſſet. Dices: Qui poteſtatem habet credendi, non ſalvatur; ſed qui actu credit: cum itaque prius tantum ſit à Deo, poſterius à nobis, ſequitur nos noſtri ſalvatores eſſe. Reſp. 1. Quoniam ſine poteſtate credendi actu credere non poſſumus, ſequitur eum qui credendi poteſtatem largitus eſt, etiam actus fidei primariam eſſe cauſam. Unde & in Scriptura uni gratiæ plerumque fides & converſio noſtra adſcribi ſolet: quia, uti vidimus, ſolenne eſt opera magna & eximia adſcribi cauſæ principali, minus principalium nulla ſæpe mentione facta. Quod & hic uſu venit, ut homo, ſemper bene-

ficii divini memor, agnosceret se nullas ex seipso ad tantum bonum consequendum vires habere. Non tantum enim quod possimus velle, sed & quod actu velimus, gratiæ debetur, quæ nos prævenit, excitat & impellit ad volendum & agendum; ita tamen ut possimus non velle. 2. Certo sensu concedi potest, hominem sui ipsius servatorem esse, Scripturâ ipsâ ab ejusmodi loquendi ratione non abhorrente. Sic *Phil.* II. 12. *Operamini salutem vestram cum timore ac tremore.* 1 *Tim.* IV. 16. *Hoc faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Quatenus nimirum, postquam Deus facultatem salutem consequendi concessit, hominis est istâ facultate rectè uti, atque ita ad opus salutis suæ conferre rectum virium sibi à Deo concessarum usum, quo salutem consequitur, quâ ipsum excidere necesse est, si gratiæ divinæ contumaciter obluctetur. Sed quicquid ad salutem suam conferat homo, constat gratiæ divinæ primas deberi partes. Sanè & homines, alios virtute verbi divini convertentes, eos salvare dicuntur, *Jacob.* V. 19, 20. *Rom.* XI. 14. 1 *Cor.* IX. 22. *Judæ. vers.* 23. quia ministerio verbi quod prædicant eos convertunt. Dices illorum operationem esse tantum externam, quæ sine efficaci Dei operatione ad conversionem planè inefficax foret: sic ipse Apostolus dicit 1 *Cor.* III. 6, 7. *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Resp. Non dicitur omnem Apostolorum laborem esse irritum ac nullius efficaciæ, nisi Deus virtute insuperabili conversionem in hominibus operetur: nihil minus: sed omnem prædicationis Apostolicæ efficaciam à Deo dependere. Comparantur quippe Apostoli agricolis, qui arbores plantant, ac rigant; quorum labor irritus plane foret, nisi Deus terræ, cui arbor committitur, & pluviæ quâ rigatur, vim nutriendi indidisset. Ita etiam omnis Apostolorum prædicatio vana foret, nisi Deus verbo, quod ipsis credidit, vim spiritualem, quâ homines converti possent, indidisset. Ad Deum itaque si conferantur, *nihil* sunt, id est, nihil magni aut eximii. Ita vocula τὶ accipitur *Gal.* VI. 3. *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Aliàs ad homines si conferantur, multum præstant; dicuntur enim, ut vidimus, homines salvare; & hîc *vers.* 9. *cooperarii Dei.* Ita ut ex omnibus hisce liqueat, Deum, quia potentiam salutem adipiscendi confert, primariam salutis esse causam: & quando Deus omnia ista contulit, posse hominem propriâ contumaciâ divinam operationem irritam reddere, non converti, ac per consequens salutem non adipisci.

XXII. Altera ratio est: Si Deus in conversione hominis non utatur efficace ista operatione, quæ hominem determinat, sed in potestate hominis sit gratiam oblatam vel amplecti, vel respuere; tum homo seipsum discernit, & materiam gloriandi habet: contra id quod Apostolus dicit, 1 *Cor.* IV. 7. *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Resp. Hominem ex seipso nullam habere vim sese ab alio discernendi; omnes enim æquè salute sunt destituti: sed oblatâ gratiâ divinâ, si unus illam respuat, alter eam fide amplectatur, quid manifestius quàm hominem fidelem promptâ obedientiâ se ab infideli discernere? Vide manifestam hanc discretionem *Act.* XIII. 46, 47, 48. ubi Judæi dicuntur *verbum rejecisse, seque indignos judicasse vitâ æternâ*; gentes autem *gavisæ*, & ex iis *credidisse quotquot dispositi erant ad vitam æternam.* Unde & tales a Deo laudari, præmioque affici, alios vituperari & puniri antea vidimus. Inde tamen non sequitur, quòd homo gloriandi materiam sit habiturus erga Deum. Nam quæ gloriationis causa esse potest, quòd Deo, gratiam salutarem offerenti, morigerum se præbuit, gratiamque accepit? non major, quàm si mendicus contra regem gloriari vellet, propriâ se industriâ & virtute divitias consecutum, eò quòd divitias sibi à rege oblatas non respuerit, cùm posset, sed avidè acceperit. Dices. Gloriari posset adversus alium qui incredulus est. Resp. Si hoc faciat animo se efferendi, peccabit; quia quicquid in se boni habet, non sibi, sed gratiæ divinæ debet. Si verò glorietur, ut alium ad æmulationem impellat, non legimus uspiam ejusmodi gloriationem prohibitam. Sic *Gal.* VI. 4. *Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.* Et exemplum habemus in Apostolo Paulo 2 *Cor.* XI. qui varios suos labores & certamina ac persecutiones, quas pro nomine Christi sustinuit, recenset: ita tamen, ut, modestiæ Christianæ semper memor, omnia hæc adscribat gratiæ divinæ, non propriæ industriæ aut viribus: 1 *Cor.* XV. 10. *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum*, & *cap.* III. 6, 7. Dices: Attamen Apostolus gloriationem illam, quæ contra alios fit, prohibet, 2 *Cor.* IV. 7. Resp. Non instituitur illic comparatio inter fideles & infideles, sed inter fideles solos, diversis gratiæ donis à Deo ornatos: agiturque de extraordinariis illis donis, quæ olim in Ecclesia vigebant, & quorum ratione Corinthii sese unus præ alio efferebant. Docet Apostolus inanem esse illam gloriationem, quia dona illa in totum à gratuita Dei distributione dependebant, qui

2. Quod homo ipsum discerneret, contra 1 Cor. IV, 7.

qui unicuique distribuit prout vult: lam itaque hîc gloriandi materiam esse. Vel etiam, respicit inanem illam gloriationem, quâ unus se à digniore Apostolo ad fidem conversum gloriabatur, quàm alter: hæc enim omnia, ratione ipsorum, externa erant, & à gratuita Dei dispensatione dependebant.

3. Quod tum Deus nullam gratiam singularem conferat iis qui convertuntur, præ aliis.

XXIII. Tertia ratio est: Si ad conversionem hominis non requiratur gratia ejusmodi determinans, ergo Deus nullam gratiam singularem confert iis qui convertuntur, præ illis qui non convertuntur. Resp. Si sensus sit, Deum in ordinaria hominum vocatione omnibus eam gratiam facere, ut converti possint, adeo ut licet Deus quosdam habeat eximios, quos extraordinariè majoribus gratiæ donis locupletet, omnibus tamen ad conversionem sufficientem largiatur, & licet gratiæ disparitas, non tamen defectus sit, concedimus Deum ordinariè homines vocantem, uni non largiri gratiam singularem, quam alteri denegat. Dices. At sic Petro major gratia non erit facta quàm Judæ, neque Paulo quàm Pilato. Resp. 1. Nulla est sequela. Licet enim Deus in ordinaria vocatione omnibus æqualem & ad vocationi parendum sufficientem largiatur gratiam; potest tamen aliquando extraordinariè aliquos excipere, quos majore donet, præsertim Apostolos. 2. Si major gratia significet gratiam specie distinctam, fatemur uni non majorem datam gratiam quàm alteri: si verò gradu distinctam, tum negamus sequelam hanc, Deus Petro & Paulo non dedit gratiam irresistibiliter operantem, ergo non dedit majorem quàm Judæ & Pilato. 3. Quid si concederetur, Deum in initio vocationis Apostolis non majorem dedisse gratiam, quàm Pilato, Judæ, aliisque incredulis, quid in eo foret absurdi? Nihil enim derogatur honori divino, qui omnibus sufficientem ad salutem largitus est gratiam; & incredulorum culpa tantò manifestior est minusque excusationis habet. Dices. Ergo qui credit, non habet majorem causam Deo gratias agendi, quàm qui non credit. Resp. Absurdum non est, eum qui non credit æqualem habere rationem Deo gratias agendi, cum eo qui credit, si respicia mus ad primam gratiæ oblationem; aliàs certum est, Deum in credentibus gratiæ suæ dona subinde novorum accessione cumulare. Sufficit quippe ut uterque, tam qui non credit, quàm qui credit, sufficientem Deo gratias agendi rationem habeat: aliàs nempe incredulus justè non posset argui ingratitudinis, si major illa gratia, ipsi denegata, statuatur determinans & irresistibilis, & ad conversionem necessariò requisita. Dices: Cur ergo Apostolus Paulus gratiam Dei singularem tam sæpe erga se deprædicat, imprimis *Gal.* 1. 15, 16. Resp. Prædicat Apostolus extraordinariam sibi gratiam factam, uti antea ostendimus Deum quosdam habere eximios; vel gratiam quidem aliis communem, Pauli tamen respectu extraordinariam, quia Ecclesiæ persecutor fuerat; uti ipse fatetur 1 *Tim.* 1. 13, 14. quare & ibidem dicit, *superabundasse gratiam Domini Jesu erga se*; & quidem, uti *vers.* 16. dicitur, aliis credituris in exemplum. Quod verò dicit, se *à Deo segregatum fuisse ab utero matris suæ*, nihil aliud significare videtur, quàm se nullis suis meritis, sed solâ Dei gratiâ ad munus Apostolatus destinatum fuisse; seque nihil ad id contulisse magis, quàm infantem recens ex utero matris in lucem prodeuntem: ita ut subaudienda sit particula ὡς, *sicut*; quasi legeretur, segregavit me sicut ab utero matris. Quales ellipses alibi Sacris Scriptoribus usitatæ sunt. Vide 2. *Pet.* III. 4. *Ps.* XI. 2.

4. Quod causæ secundæ ita dependeant à causa prima, ut determinentur ad agendum.

XXIV. Tandem urgent, hanc esse providentiæ divinæ rationem, ut causæ secundæ ita in fieri, esse, & operari à Deo dependeant, ut ipsæ sese ad actus ullos determinare nequeant, sed requiri ut à Deo, tanquam causâ primâ, actus illi cum omnibus suis circumstantiis ab æterno fiant præfiniti, & in tempore à Deo prædeterminentur non tantum ad ipsum actum, sed & ad modum actus. Verùm cum antea, de Providentia divina disserentes, prolixè sententiam illam confutaverimus, operæ pretium non est illi denuò refellendæ operosè incumbere. Paucis tantum dicimus: Si sententia illa admittatur, introduci fatalem ac inevitabilem omnium rerum & eventuum, tam negativorum quàm positivorum, actionumque tam malarum quàm bonarum, necessitatem. 2. Deum Opt. Max. statui unicam omnium, quæ toto orbe committuntur, peccatorum ac scelerum causam: quod est summoperè blasphemum, omnemque religionis necessitatem, præmiique & pœnæ justam retributionem tollit.

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

LIBER QUINTUS,

DE PRÆCEPTIS NOVI FOEDERIS.

CAPUT I.

De Præceptis Dei in Genere.

Cultus Dei. I. HActenus consideravimus decreta Dei de ratione, quâ salutem hominibus per Filium suum Jesum Christum dare decrevit, ex quibus officii nostri utilitas & necessitas constat. Restat nunc, ut fœdus ipsum, quod Deus convenienter decreto suo per Filium suum cum humano genere erexit, accuratius inspiciamus. Fœdus hoc duabus constat partibus: 1. Stipulatione officii ab homine. 2. Promisso salutis officium præstantibus, & pœnæ atque exitii æterni comminatione, cultum Dei respuentibus, factâ. In officio hominis, seu cultu quem Deo debet, duo consideranda sunt: 1. illius norma. 2. cultus ipse. Norma cultus nostri duplex est, alia externa, alia interna. Externa sunt præcepta Dei; interna, conscientia. Illa sunt norma primaria; hæc secundaria. Illa sunt norma generalis & remota: hæc est norma unicuique specialis & proxima. Illa semper recta est: hæc solummodò quando ad priorem, tanquam normam suam, est directa.

Ejus norma primaria, Præcepta Dei. II. Præcepta Dei sunt voluntatis divinæ declaratio, quâ significat, quid à nobis, ut bonorum fœdere contentorum participes simus, fieri velit.

Sunt vel juris naturalis. III. Eorum alia sunt juris naturalis, alia positivi. Jus Dei naturale est, quod in ipsâ naturâ divinâ fundamentum habet, & requirit, ut ea tantum creaturis rationalibus præcipiantur, quæ & naturæ divinæ, & rationi creaturis inditæ conveniunt, & prohibeantur quæ illi repugnant: adeo ut Deus sine sui abnegatione & rationis destructione contraria præcipere non possit.

Lex Dei est, vel naturalis, strictè accepta. IV. Lex Dei, juri huic naturali innixa, vel est naturalis strictè accepta, vel revelata. Naturalis strictè accepta est, quam Deus menti hominis in primâ creatione indidit, & etiamnum in nobis conservat; estque recta ratio, quæ dictat quid honestum, quid turpe, quid faciendum, quid fugiendum sit; & quidem tanta cum obligatione, ut secus facientes morte dignos pronuntiet: ut videre est *Rom.* 1. 32. Præcepta legis naturæ ut plurimum sunt generalia; ut honestè vivendum, unicuique suum tribuendum, alteri faciendum quod nobis ab altero fieri volumus: & similia. Particulares autem casus, propter innumeram circumstantiarum varietatem, non ita exactè tradit, sed prudentis viri judicio præceptorum generalium ad casus particulares applicationem permittit: unde varia de illis judicia, pro diversa hominum consuetudine, & inæquali sagacitate ac perspicacia res singulares dijudicandi. Distinguendum itaque inter principia legis naturæ, & inter præcepta, quæ principiis illis operationis superstruuntur. Priora nudum jus naturæ continent, & per simplicem intelligentiam absque ulla ratiocinatione cognoscuntur: posteriora per ratiocinationem ex prioribus deducuntur: ideoque circa illa non tantum judiciorum diversitas, quatenus multa sunt quæ non quidem præcisè à jure naturali præscribuntur, non tamen illi repugnant, sed & error locum habere potest, quatenus homo in applicatione generalis præcepti ad particularem casum extra errandi periculum non est.

V. Lex revelata est, lex moralis, quam Deus ex naturæ lege derivatam hominibus quibusdam revelavit: quæ eadem quidem est cum lege naturali, attamen & in nonnullis lege naturali perfectior. Tale est præceptum religionis Christianæ, de diligendis inimicis, de cruce & morte toleranda pro justitia & nomine Jesu Christi. Lex naturæ siquidem ex seipsa ejusmodi officia non dictat, quin & aliquatenus naturæ legi contraria videntur: attamen quando à supremo legislatore præscribuntur, & quidem addito æternæ vitæ promisso, tantum abest ut lex naturalis ea improbet, ut è contra ut actus maximè laudabiles sibique consentaneos, praescribat. Licet autem lex hæc revelata eadem sit revera cum lege naturali, non tamen supervacanea est; imò necessarium fuit legem naturalem novâ revelatione con- *Vel revelata.*

confirmari: tum ut ipsa, quæ per diuturnam hominum malitiam valdè obscurata erat, denuò quasi in lucem protraheretur, hominesque luce suâ dirigeret; tum quia lex naturæ generalia ut plurimum præcepta habet, quæ particularibus casibus debent applicari: ne itaque in hac applicatione erretur, in lege revelata particularibus præceptis Deus cavere voluit: tum &, quia plures ex nimio sui amore datâ operâ notiones seu regulas naturæ generales ad suas actiones prout oportet non applicant, sed si actio grata non sit, tergiversandi prætextum quærunt. Ita præceptum illud generale, Quicquid vultis ut faciant vobis homines, idem facite illis; &, Quicquid non vultis ut vobis faciant homines, nec hoc facite illis, totum hominis officium, omnesque circa proximum actiones, complectitur: quia tamen malitia hominum officia requisita, qualia sunt liberalitas in pauperes, condonatio offensæ, similiaque, facile esset declinatura, quasi sibi non præscripta; idcirco legis naturalis præcepta generalia per specialia in lege revelata clarius sunt explicata, & ad casus particulares propius applicata. Adde, quod lex naturalis judicat quædam honestè fieri posse, & quando fiunt, rectè fieri: non tamen contrarium illorum ut inhonestum damnat, sed ut actum generosæ virtutis, ad quam tamen homo obligatus non sit, approbat. Sic vim vi repellere, inimicum odisse, lex naturæ rectum judicat; non tamen damnat, si quis vim patienter ferat, aut inimicum diligat: quin potius ut generosæ virtutis actum approbat, non autem ut necessariam dictat. Requiritur ergo clarior determinatio per legem revelatam, quæ actum illum ut necessarium præscribit, & glorioso præmio remunerandum promittit: quâ declaratione accedente, etiam ratio eum ut necessarium apprehendit.

Lex naturalis est immutabilis. VI. Legem hanc naturalem Deus, utpote in natura sua, quæ immutabilis est, & recta ratione fundatam, mutare nequit, nec homines ab illius observandi obligatione absolvere, multò minus contrariorum præceptorum præscriptione abrogare potest. Deus enim seipsum abnegare nequit: abnegaret autem seipsum, si quidquam legi naturæ, quæ ex sanctissima ipsius natura fluit, contrarium præciperet. Non tenetur quidem Deus creaturis legem dare aut ore prolatam, aut scripto comprehensam; sufficere potest ratio illis in creatione indita; ut in gentibus apparuit: sed tamen quando legem dat, nullam ferre potest honestati naturali & sanctitati suæ repugnantem. Unde non sine gravi errore quidam statuunt, Deum sicut aliis suis præceptis, ita speciatim decalogo contraria præcipere posse, eaque hoc casu futura honesta & necessaria: qualia sunt, idolorum & dæmonum cultus, sui odium, abnegatio, nominis sui blasphemia, aliaque. Fieri enim nequit, ut Deus rationem indat homini, & simul ea præcipiat, quæ ratio ut maximè turpia, in quibus nulla honestatis species locum habere potest, damnat: ita enim sibi ipse contrarius foret; præceptis suis ut honesta præciperet, quæ per rectam rationem à se inditam damnaret: quæ contradictoria sunt. Dices. Legitur tamen Deus Abrahamo præcepisse ut filium suum immolaret, & Israëlitis, ut bona Ægyptiorum auferrent: atqui tam homicidium quàm furtum lex naturæ ut inhonestum damnat. Resp. 1. Nulla proferri exempla, contra primam decalogi tabulam; quia illa nullo casu cum rectâ ratione conciliari possunt. 2. Nec exempla, quæ in sese intrinsecam turpitudinem habent, in ordine ad illum, qui actus ejusmodi committit; quale est adulterium, aliæque intemperantiæ species; sed maximè in ordine ad alium, cui per actum istum injuria infertur. Atqui recta ratio, licet ejusmodi actum simpliciter & in se consideratum ut inhonestum damnet, quia unicuique suum tribuere jubet: tamen accedente jussu ac mandato supremi Domini ac legislatoris, illum actum non amplius illicitum censet. Non enim repugnat regulæ illi, unicuique suum tribuendum, quia illud eo casu illorum esse desinit. Quoniam enim supremo Domino jus est in nos omniaque nostra supremum & αὐτοκρατορικὸν, ratio etiam docet, sicut Domino illi integrum est bona, quæ nobis concessit, repetere, quod ita possit etiam aliis mandare, ut iis illos spolient: ita quoniam habet jus vitæ & necis, perinde atque ipse Isaaco vitam eripere, ita etiam Abrahamo ut ipsum occideret præcipere potuit. Eodem modo, sicut Ægyptiorum bona Israëlitis tradere, ita etiam Israëlitis præcipere potuit, ut ea auferrent. Et ejusmodi casus extraordinarii locum habere possunt, salvâ interim manente generali lege de non committendo homicidio, nec furto. Illam autem legem Deus destruere nequit, neque promiscuam hominibus occidendi & furandi libertatem concedere, nisi ipse sanctitatem suam abneget, rationemque hominibus inditam exstinguat.

VII. Jus Dei positivum est, quod à mero ipsius arbitrio dependet, adeo ut secundum illud potuerit non tantum alia, sed & planè contraria hominibus præcepta dare quàm dedit: & in illis ea tantum pro bonis sunt habenda, quæ Deus præcipit, & quamdiu ea præcipit; ea pro illicitis & malis, quæ Deus vetat: licet recta ratio ea non dictet, imo nulla nobis appareat ratio, cur Deus id ita præceperit: sola Dei voluntas hic honestatis norma est. Hoc jus *Vel sunt iuris positivi.*

locum

locum habet in ceremoniis aliisque præceptis externis, & pro temporum ratione ex arbitrio divino admodum est diversum.

2. Sunt vel affirmativa, vel negativa.

VIII. Secundò: Præcepta Dei alia sunt Affirmativa, alia Negativa. Affirmativa sunt, quibus Deus aliquid faciendum præcipit: Negativa verò, quibus aliquid vetatur, seu vitandum vel omittendum præcipitur. Inter ea illud est discriminis, quod affirmativa obligant semper, quando eorum præstandorum occasio est, & semper requirunt animum ad ea exequenda paratum: si nulla præstandi occasio adsit, eo casu non obligant. Id solent Theologi exprimere hac phrasi, quod obligant semper, non autem pro semper: quale est præceptum de honorandis parentibus, cujus nulla obligatio esse potest, si parentes non habeamus: & liberalitatis erga pauperes, si vel nulli adsint pauperes, vel homo ipse sit inops. Potest tamen incidere casus, ut & pro semper obligati simus ad præstationem præcepti affirmativi: uti Daniel ad nominis divini invocationem temporibus regis Darii, qui id præcepto suo prohibuerat, *Dan.* VI. Sic & Christiani obligati sunt ad nominis divini confessionem tempore persecutionis. Negativa obligant omnes homines, omni loco & tempore, seu, ut Theologi loquuntur, obligant pro semper. Quod enim Deus prohibuit, nulli licet facere, & nunquam ac nusquam homo ab illa obligatione solvitur; nisi forte Deus ipse extra ordinem ob graves rationes exceptionem faciat: uti mox vidimus.

3. Vel generalia, Vel particularia.

IX. Tertiò. Præcepta sunt vel Generalia, vel Particularia. Generalia certos quosdam actus nec præscribunt, nec prohibent; sed sunt regulæ quædam generales, quibus præcepta specialia, certos quosdam actus præcipientia aut prohibentia, includuntur. Talia sunt duo illa præcepta generalia, de dilectione Dei & proximi, quibus omnia totius decalogi præcepta continentur, *Matt.* XXII. 37, 38. & tria illa, temperantiæ, justitiæ & pietatis, quibus Apostolus *Tit.* II. 12. totum Christiani hominis officium summatim comprehendit. Præceptorum generalium sensus erui debet, non propriè ex generalitate verborum quibus enuntiantur, sed ex præceptis particularibus, quorum summa sunt & compendium. Nihil enim præcepta generalia verborum generalitate complectuntur, quod non in præceptis specialibus expressum sit. Sic dilectio Dei continet omnia officia, quæ circa Deum nobis præscripta sunt: quando itaque Deum diligere jubemur ex toto corde, totâ animâ, & omnibus viribus nostris, præcipitur ut specialia illa circa Deum officia, alibi nobis præcepta, ex toto corde & omnibus viribus præstemus. Modus itaque, qui præcepto generali additur, omnibus particularibus præceptis applicari debet: & quicquid in præceptis specialibus non expressum est, nec generali præcepto comprehensum est.

Regula circa præceptorum explicationem observanda.

X. Illud autem circa præceptorum rectam explicationem observandum; quòd sub præceptis negativis etiam contraria affirmativa comprehendantur. Deus enim non tantum vult, ut à malo abstineamus, sed & ut bonum faciamus: & ex omnium præceptorum enumeratione apparet, affirmativa negativis includi. Id ostendit Dominus, omnia decalogi præcepta, quæ solo quinto excepto omnia sunt negativa, ad duo affirmativa, de dilectione Dei & proximi, referens, *Matth.* XXII. 37, 38 Deinde; Quando actus quidam externi vel præcipiuntur, vel prohibentur, illis sæpius includi interiores animi actus, unde externi tanquam fructus ab arbore profluunt, quique ordinariè externorum causa sunt: & actibus internis simul comprehendi externos exinde profluentes; arborem enim qui damnat, fructus ejus simul ut damnet necesse est. Tertiò: Sub actibus generalibus includuntur speciales, & omnes cognati & homogenei. Qui autem includuntur actus, clarè expressis insunt, vel manifestâ & facile cognoscibili ratione: vel modo obscuriore & occultiore. Qui manifestâ ratione insunt, statim absque indagine à quovis rationem adhibente cognoscuntur. Ita generi species includuntur, uti temperantiæ sobrietas & castitas: & una species alias sibi cognatas complectitur: sic prohibitio scortationis etiam comprehendit adulterium, &c. nisi forte causa justa sit, quæ exceptionem facere suadeat. 2. Effectus in causa sua, si sit necessaria & causa per se, & vicissim causa in effecto, jubetur aut vetatur: id est, interna actio in externa, & vice versâ; in prohibitione iræ comprehenditur homicidium; ad prohibitionem homicidii Dominus etiam refert prohibitionem iræ. 3. Relativorum uno præscripto vel vetito, alterum etiam præscribitur vel vetatur; quia relata se mutuo ponunt & tollunt: in officio liberorum erga parentes tacitè præceptum censeri debet parentum officium erga liberos. Quæ obscuriore modo insunt, cuivis non sunt obvia, & non nisi accuratâ indagatione & prudenti ratiocinatione ex præcepto eruuntur: ideoque non æqualem obligandi vim habent. Notitia enim, & quidem clara, requiritur ante obligationem actuum præceptorum; aliàs ignorantia prætexi potest. Ubi autem clara non est revelatio, sed per subtilem & omnibus non obviam ratiocinationem applicatio præcepti ad specialem quendam actum peti debet, ibi clara notitia locum habere nequit. Hinc licet actus interni in Novo Testamento à Domino expressè præscripti aut vetiti, à nobis necessariò observandi sint; æqualem tamen

tamen sub Veteri Testamento, ubi in externis obscurius inclusi fuerunt, obligandi vim non habuerunt. Tandem; si duo præcepta simul observari non possunt, præponderare debet quod majoris est momenti. Sic obedientia præceptis primæ decalogi tabulæ debita, derogat præceptis secundæ tabulæ, si simul observari nequeant. Sic ait Dominus *Luc.* XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem*, &c. *non potest meus esse discipulus*. Et præcepta quævis moralia, tam secundæ quàm primæ tabulæ, derogant ceremonialibus: *Hos.* VI. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium; & scientiam Dei plus quam holocausta.*

CAPUT II.

De Conscientia

Conscientia. I. Interna actionum nostrarum regula est Conscientia, estque proxima, cujus interventu lex divina nos ad obsequium flectit. Licet enim lex divina nos semper ad obsequium obliget, non tamen ad obsequium nos flectere potest, nisi quatenus conscientia ipsi conformis est, quæ inter legem Dei & actiones nostras media intercedit. Dicta est conscientia, uti & Græca vox συνείδησις, quasi cum alio scientia: non quòd hæc scientia nobis cum alio sit communis; sed quia homo respectu actionum suarum dupliciter considerari potest: vel quatenus aliquid facturus est aut fecit; vel quatenus de eo quod facturus est vel fecit judicium fert; & ita consideratur à seipso quasi distinctus, aliquid faciens, & de facto judicans. Est itaque conscientia, actus judicii practici, quo homo de actionibus suis sententiam fert, easque vel approbat vel damnat. Multiplex autem est conscientiæ opus, prout sese diversimodè ad actiones nostras extendit: nam occupatur circa actiones nostras, vel quatenus futuræ & instantes, vel quatenus præteritæ sunt: Judicium quippe fert de actionum nostrarum honestate & turpitudine: hinc quatenus futuræ sunt, legis instar præscribit quid faciendum, quid vitandum sit. Quatenus autem occupatur circa actiones præteritas, testimonium de illis perhibet, & secundum illud judicium de illis fert, easque vel approbat, si secundum dictamen conscientiæ sint factæ; vel improbat & damnat, si dictamini illi contrariæ fuerint. Prius dicitur testimonium conscientiæ nostræ, 2 *Cor.* I. 12. posterius remorsus conscientiæ.

Triplex illius officium. II. Triplex itaque conscientiæ est officium. Primò præscribit quid faciendum sit; illiusque respectu vocatur lux, dirigens nempe hominem: seu potius lex, quasi imperans & dictans, hoc est faciendum. Secundò, ope memoriæ testimonium reddit actionibus, quas homo vel convenienter vel contrarias legi isti fecit: & hoc respectu vocatur testis. Tertiò, sententiam vel absolutoriam vel damnatoriam pro actionum qualitate pronuntiat: & hoc respectu vocatur judex. Ex triplici hoc actu fit syllogismus practicus, cujus major est lex, minor testimonium, conclusio judicium; hoc modo: Quicunque in Jesum Christum credit, salvabitur: Ego in Jesum Christum credo: Ergo ego salvabor. Vel hoc modo: Qui secundum carnem ambulat morietur & non vivet: Ego secundum carnem ambulo: Ergo, &c. Et pro triplici hoc conscientiæ actu varia etiam illius est acceptio, & diversæ illius traduntur definitiones, quæ omnes veræ sunt, sed diverso respectu.

Est regula actionum subalterna. III. Ex hisce liquet, conscientiam non esse actionum nostrarum legem supremam, sed subalternam. Habet enim se legem superiorem, à qua tanquam norma sua dirigitur, divinam nempe; sive ea sit naturalis, cordibus hominum inscripta, sive revelata. Quo autem lex illa perfectior est, eò etiam conscientiæ judicium, quod secundum legem illam fertur, perfectius est; imperfectius autem, quo lex imperfectior est. Licet autem divina suprema actionum nostrarum regula sit, non tamen ad obsequium nos flectere, neque actionibus nostris applicari potest, nisi intercedente conscientiâ nostra, quæ de legis sensu persuasa, eam singulis suis actionibus applicet. Lex enim non cognita, ad obsequium flectere nequit; & eatenus tantum flectere potest, quatenus cognita est, ac per consequens, quatenus conscientia illius cognitione est imbuta. Obligat quidem lex semper, id est, vim ac jus habet homines obligandi, modò clarè sit revelata, licet per hominis negligentiam factum sit, ut legis clarè revelatæ notitiam non habeat; quæ absque voluntaria hominis culpa ignorari non potest. Attamen fieri nequit, ut homo ad legis obsequium flectatur, nisi quatenus legis cognitionem habet. Quia lex norma est publica & generalis, quæ per normam cujusque specialem ejus actionibus accommodari debet. Solet id egregiè illustrari exemplo mensuræ publicæ, quam magistratus constituit, qua tamen nemo sua mensurare potest; sed requiritur ut unusquisque privatam habeat mensuram ad publicam accommodatam, quâ domi suæ utatur; quæ si publicæ conformis sit, recta est; si difformis, prava. Interim nihil potest juxta publicam mensuram metiri, nisi adhibendo privatam suam mensuram; & quatenus ea publicæ conformis est, eatenus etiam rectè omnia metitur; quatenus ab ea recedit, etiam pravè metitur.

Obligatio Conscientiæ. IV. Norma autem externa, seu lex Dei, pro diversa Dei revelatione varia admodum fuit;

fuit; ante legem, cùm potissimum lex naturæ vigebat, paucaque tantum Dei monita ad homines exstabant; sub lege? & nunc sub Euangelio Jesu Christi, quod perfectissima vivendi regula est, utpote voluntatem Dei bonam, perfectam, & beneplacentem comprehendens: *Rom.* XII. 2. Hanc legem conscientia, quatenus eam apprehendit, omnibus actionibus applicat, & quicquid faciendum, præscribit, tanquam à Deo mandatum dictat. Inde colligimus, quicunque contra conscientiæ dictamen faciunt, eos se gravis peccati coram Deo reos constituere; quia conscientiæ dictamen legis ipsius divinæ, quatenus homini cognita est, dictamen est; quicquid enim mandat, tanquam lex divina præcipit; quoniam intima norma est, cujus interventu lex divina actiones nostras dirigit. Unde & plerumque homines vel boni vel mali censentur, quatenus conscientiæ suæ dictamini, hoc est, legi divinæ sibi cognitæ, vel obtemperant, vel obluctantur; & qui *bonam conscientiam repulerunt*, dicuntur *fidei naufragium fecisse*, I. *Tim.* I. 19. & summæ improbitatis signum habetur, conscientiam habere cauterio inustam, id est, judicio ac sensu destitutam, membrorum instar, quæ cauterio inusta omnem sentiendi facultatem amiserunt.

Divisionis conscientia. V. Ut autem rectius de conscientiæ obligatione judicari possit, sciendum conscientiam duobus potissimum modis dividi posse: primo ratione normæ suæ: secundò ratione actionum, de quibus judicium instituit. Ratione normæ suæ, conscientia vel est recta, vel erronea, vel dubia. Recta est, quando normæ suæ, seu legi divinæ & euangelicæ conformis est. Erronea, quando à lege divina recedit, seu à recto ac genuino legis divinæ sensu aberrat. Dubia est, quæ de legis divinæ sensu incerta est, ambigitque quid faciendum, quid fugiendum sit. Ratione actionum suarum, de quibus judicat, conscientia vel est bona, vel mala, vel scrupulosa. Bona est, quæ id, quod factum est ut legi divinæ consentaneum, approbat & defendit. Mala, quæ id, quod factum est ut legi divinæ difforme, improbat ac condemnat: quæ vocatur mala, non quia male judicat, sed quia homini est molesta, & gravioris mali prænuntia. Scrupulosa est conscientia anxia, quia incerta est, utrum id, quod factum est, cum lege divina conveniat nec ne, ac proinde utrum id approbare an condemnare debeat.

Quid requiratur, ut conscientia recta sit. VI. Ut conscientia recta sit, duo requiruntur. Primò, ut nullum sit vitium in lege, cui tanquam normæ suæ conformis esse debet. Si enim in lege vitium sit, nec conscientia illi commensurata vitio carebit. Talis est lex divina: constitutiones autem humanæ errori sunt obnoxiæ. Secundò, ut nullus in sensu legis percipiendo sit error, sed debita legis applicatio ad actum nostrum fiat: hoc est, illa judicentur vetita, quæ lex vetat: illa necessaria, quæ lex jubet; illa indifferentia, quæ lex in neutram partem determinavit: ac proinde conscientia normæ suæ per omnia sit conformis. Ut autem conscientia normæ suæ conformis dici, homoque in illius judicio acquiescere possit, non sufficit ut qualicunque ratione contingat, conscientiam cum verbo divino consentire; sed requiritur ut solida ratione consensus ejus cum lege divina nitatur. Si opinione merà ducatur, sc. aut assuetudine, aut multitudine assentientium, aut ratiocinatione quadam verisimili, quæ ad exactum examen revocata non est, in ejusmodi conscientiæ judicio, licet forte fortunà recto, homo acquiescere non debet, neque actus secundum ejusmodi judicium exercitus virtutis nomen meretur; quia non est actus rationalis, sed cœcus & brutus. Tales non eunt quà eundum est, sed quà itur; secuti duces suos in quævis præcipitia. Quod si forte rectam insistant viam, merus est casus, non autem prælectio rationalis solido in judicio fundata. Atqui casus virtutis nomine indignus est. Hinc commendatur continuò scientia & prudentia, I *Corinth.* XIV. 20. *Fratres, nolite pueri esse intellectu, sed malitia parvuli estote, intellectu verò perfecti.* & *Eph.* V. 15, 17. *Videte itaque fratres quomodo prudenter ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes*, &c. Et sollicitè admonemur, ut videamus quì audiamus, ne seducamur.

VII. Quod si conscientia genuinum legis sensum non cognoscat, est errans, legemque male applicat actionibus; atque ita necesse est, hominem transgressorem fieri legis. Error autem esse potest, vel in fide, vel in moribus. In fide; quando homo ex prava ratiocinatione, aut perversa interpretatione Scripturæ Sacræ, inducitur in opinionem erroneam de dogmate aliquo fidei. Error autem vix locum habet circa necessaria ad salutem, nisi lata ac vincibili culpà hominis: quia enim illa clarè ac perspicuè in Scriptura sunt expressa, adeo ut à quovis sanà mente prædito, statim atque audiuntur aut leguntur, intelligi possint; fieri nequit ut circa hæc error obtineat, nisi homo aut præjudicio, aut affectu, aut alio culpabili vitio abreptus, sibi ipsi impedimento sit. Quod alia attinet, quæ non ita clarè sunt expressa, sed ex clarioribus per consequentiam & ratiocinationem deduci debent, aut obscurius sunt expressa, circa illa error locum habere potest. In moribus error esse potest, quando aberratur à recta præceptorum divinorum intelligentia. Hic memorià retinendum, quod præcedente capite diximus, præcepta alia esse negativa, quæ obligant ad semper & pro *Conscientia errans.*

sem-

semper: alia affirmativa, quæ obligant præsente occasione ad officium præstandum. Ea autem vel occasionem sui ipsius in se habent: & hæc obligant pro & ad semper quando occasio præsens est; ut præcepta charitatis, justitiæ, &c. alia occasionem istam non habent, sed in libero hominis arbitrio sunt posita, ut hoc vel illo tempore in effectum producantur: ut omnia illa externa exercitia, quibus homo ad opera pietatis potest disponi. Circa hæc error potest esse conscientiæ, ut credat illicitum quod est licitum, aut necessarium; contra necessarium aut licitum, quod est illicitum; licitum tantum quod est necessarium; & necessarium, quod tantum est licitum, seu indifferens. Quanquam circa priorem casum, ut credatur illicitum quod est necessarium, & vice versâ, difficulter homo, qui debitam Scripturæ reverentiam exhibet, aberrabit; quoniam necessaria, uti diximus, clarè in Scriptura sunt expressa: circa posteriores facilior est lapsus. Erroris autem hujus causa est; vel inconsideratio eorum, quæ considerari debent; aut prava hominis dispositio, abducens eum à veritate & à recto judicio.

Status hominis cum conscientia errat. VIII. Quæri hic solet, quando conscientia errat, quid homini sit faciendum? Resp. Quoniam vidimus conscientiam intimam & proximam esse actionum nostrarum normam ac regulam, illius dictamen, licet conscientia non sit recta, nisi quatenus cum verbo Dei consentiat, & verbo non conformis prava sit regula; fieri tamen non potest, ut homo secundum verbum Dei vitam instituat, nisi in quantum conscientia regulam illam admittit: adeo ut conscientia vim in sese habeat divinæ voluntatis, & quicquid præscribit tanquam à Deo præceptum præscribat. Actus ergo censetur peccatum, non tantum secundum judicium, quod Deus in verbo suo de eo pronuntiat; sed & secundum judicium conscientiæ. Interim addimus, operam dandam, ut conscientia bene sit instructa, & cum norma sua, verbo divino, conveniat, neque ullâ nostrâ culpâ fiat, ut in errorem incidamus, qui vel fidei vel vitæ Christianæ fundamenta convellat aut labefactet. Alioquin, quicquid faciamus, peccatum evitari nequit. Si sequaris judicium conscientiæ, facis actum verbo Dei contrarium; si non sequaris, committis actum, quem verbo Dei repugnare credis. Utroque modo peccas, priore, faciendo quod verè illicitum est; posteriore, quod illicitum credis: priore malum facis; posteriore id quod facis, male facis. Dices. An illa peccandi necessitas consistere potest, cum æquitate legis Dei? Resp. Omnino: 1. Quia non fluit ex natura legis Dei, sed ex propria hominis culpa, qui debitam ad rectum Scripturæ sensum cognoscendum diligentiam non adhibuit, quam si adhibuisset, errare non potuisset, saltem in iis quæ ad salutem necessaria sunt. Unde non est absoluta necessitas, sed ex suppositione tantum; eaque non extrinseca, sed quæ ab ipso est homine, & ab eodem removeri potest: potest enim homo errorem conscientiæ exuere, atque ita peccandi necessitatem excutere. Secundò: Duo hæc opposita non sunt eodem modo & respectu peccata; hoc enim fieri non potest; sed diverso; unum, uti diximus, peccatum est, quia est malum & lege Dei vetitum; alterum, non quia in se malum est, sed quia fit male.

IX. Quæres: Quid ergo faciendum, quando conscientia errat; Resp. Quoniam intima est actionum nostrarum regula, sequenda est, quamdiu melius instructa non est. Loquimur hic de errore simplici, & in quo quis post adhibitam omnem diligentiam versatur: nam quod errorem spectat ex malitia ortum, circa eum limitationes quædam observandæ sunt: de quibus in sequentibus. Si in fide error sit, homo obligatus est dogma, quod errore inductus verum credit, amplecti pro vero & divino. *Obligatio Conscientiæ errantis in fide.* Dices. Omnis intellectus & conscientia se submittere debet verbo Dei. Resp. Concedimus: indeque rectè concluditur, hominem non debere habere erroneam conscientiam. Verùm hic non quæritur, utrum homo conscientiam suam verbo Dei subjicere teneatur; sed, qui homini faciendum sit, cujus conscientia jam errat, quique credit conscientiam suam verbo Dei esse conformem; illum dicimus teneri judicium hoc conscientiæ, licet erroneum, sequi, quamdiu errorem suum non agnoscit; ac proinde illud pro vero dogmate recipere, quod conscientia judicat, post adhibitam omnem possibilem diligentiam, Scripturâ Sacrâ contineri, licet in judicio illo erret. Credit enim illum, quem recipit, verborum divinorum esse sensum: si autem illum non tenetur recipere, statuendum foret, conscientiam non obligare ad credendum verbo divino, non quidem materialiter, sed formaliter. Verbum enim, licet jus obligandi habet, actu tamen obligare non potest, nisi quatenus intellectum, & conscientiæ judicio comprobatum. Ut autem conscientia in negotio fidei non erret, ad hæc attendendum. 1. In obscuris Scripturæ locis non admittendus sensus, qui repugnat locis clarioribus. 2. Nec qui palpabilem in se absurditatem continet, nec cum recta ratione conciliari potest. 3. Nec duo sensus contradictorii in Scriptura sunt quærendi. 4. Locutiones propriæ non sunt explicandæ per figuratas: sed figuratæ per proprias. 5. Nec laciniæ quædam ex

Scriptura sunt decerpendæ, sine ulla attentione ad præcedentia & sequentia. 6. Deponenda sunt omnia præjudicia & affectus; nec sententia in Scripturam inferenda, sed ex Scriptura petenda est. Quæ alias latius deduximus.

In moribus. X. Si error sit in moribus, dicimus similiter hominem, quamdiu in errore illo versatur, teneri conscientiæ suæ judicium sequi. Probi enim vel improbi censemur, quatenus virtutem nobis cognitam amamus vel odimus; vitium nobis cognitum odimus aut amamus. At conscientiæ dictamen sequentes, virtutem quatenus nobis cognitam amamus, vitium quatenus nobis cognitum odimus. Dices. Conscientia errans non est recta, sed prava regula: ergo potius sequenda verbi divini norma, quæ semper recta est. Resp. Verum id quidem est: sed quando conscientia errat, fieri id nequaquam potest. Aut enim homo scit, quis sit verus verbi divini sensus; at quomodo tum errare dici potest? aut ignorat: at quomodo tum eodem tempore verum verbi divini sensum sibi ignotum sequi potest? Quando itaque conscientia errat, non est docendus homo, ut contra conscientiam illam faciat; tum enim docendus foret, ut omnem Dei reverentiam seponeret; sed allaborandum ut error ille conscientiæ ipsius eximatur, & ipse de vero verbi sensu instruatur.

Quomodo per errantem conscientiam peccatur. XI. Illud autem statuendum, licet obligatus sit homo sequi judicium conscientiæ, etiam erroneæ, non tamen illum, qui erroneæ conscientiæ ductum sequitur, immunem esse à peccato. Quicquid enim Dei verbo repugnat, licet conscientia aliter judicet, est peccatum: quia est norma tantum secundaria quæ bona esse nequit, nisi normæ principali conveniat. Verum est, qui violat præceptum, de quo in conscientia convictus est, gravius peccat: dupliciter enim peccat: facit quippe malum, & male, seu repugnante conscientia; sed & ille peccat, qui transgreditur præceptum, sibi propriâ suâ culpâ non cognitum. Secura quidem esse potest conscientia errans, quatenus factum suum non damnat; bona tamen non est, quia à principali regula deflectit.

Explicatur Act. XXIII. 1. XII. Dices. Apostolus Paulus tamen dicit, *Act.* XXIII. 1. se in illum usque diem bona conscientia coram Deo ambulasse; & tamen persecutus erat Ecclesiam Dei. Resp. Non loquitur Apostolus de tempore, quod conversionem suam antecessit, sed quod illam secutum est: 1. Quia non necesse habebat Paulus coram synedrio Judæorum se purgare de actionibus quas ante conversionem suam fecerat; neque propter illas à Judæis accusabatur; quin potius eas approbabant & laudabant; sed accusabantur ejus actiones conversionem ejus secutæ. 2. Si respexisset etiam tempus conversionem suam præcedens, judicibus his justam dedisset causam respondendi, se etiam bona conscientia Paulum persequi; quia conscientia ipsorum non minus hoc ipsis dictet, quàm Paulo conscientia sua ante conversionem dictaverat, Christi Ecclesiam esse persequendam. 3. Paulus respiciens ad tempus, quod conversionem præcessit, multò aliter de se loquitur; tantum enim abest, ut dicat se tum bona conscientia ambulasse, ut se vocet *blasphemum*, *persecutorem*, *peccatorum primum*, id est, præcipuum, 1 *Timoth.* I. 13, 15. & *indignum qui vocetur Apostolus, quoniam persecutus est Ecclesiam Dei*, 1 *Corinth.* XV. 9.

XIII. Dices: Attamen idem Apostolus ait 2 *Tim.* I. 3. se *Deo servire à progenitoribus in conscientia pura*. Resp. 1. Illud ἀπὸ προγόνων non necessariò significat, prout à progenitoribus suis fuerat educatus, sed significare potest, secutus vestigia majorum meorum, sc. Deo verè fidelium; adeo ut loquatur non de Pharisaismo suo, sed de Christianismo. 2. Dato, quod Apostolus loquatur de cultu Dei ante suam conversionem, dicimus conscientiam ipsius vocari puram, quatenus in ipso erat amor honesti, ita ut non malitia, sed sola ignorantia peccaret. Pura ergo erat, non absolutè, sed secundum quid, quia non condemnabat conscientia ipsius factum. Licet ergo faceret malum, non tamen illud faciebat male. Dices. Solemus tamen in communi nostra conversatione, quando aliquid secundum conscientiæ judicium fecimus, idque ab aliis tanquam injustum aut iniquum traducitur, dicere, nos illud bona conscientia fecisse. Resp. Conscientia illo casu vocatur bona, non absolutè, sed secundum quid, quia de facto nostro benignè judicat. Licet itaque fieri possit, ut fecerimus illud, quod revera malum est, non tamen id fecimus malo modo, sed approbante conscientiâ. Conscientia hic quidem est secura, sed non propterea bona. In gravissimis peccatis homo potest esse securus, quando conscientia, errore decepta, factum ejus approbat; exemplum videmus in Judæis, qui Pilato, manus suas abluenti ut se purum à sanguine Christi ostenderet, respondebant, *sanguis ejus super nos & filios nostros*, *Matth.* XXVII. 25. & illis, de quibus Dominus dicit, quod Apostolos interficiendo *credituri sint se obsequium præstare Deo*, *Joan.* XVI. 2. Quare quod quidam dicunt, Sacras Literas rectitudinem & veritatem judicii de factis nostris non includere bonæ conscientiæ nomine, nisi per accidens; sed tantum approbationem veram pleramque factorum & cogitationum nostrarum, etiamsi tandem fieri queat, ut ea in re fallamur, concedendum non videtur. Fieri enim non potest, ut ea conscientia recta sit, quæ à regula sua aberrat; &, quod gravissimum est *2 Tim. I. 3.*

est absurdum, dicendum foret, aliquot perituros, qui bonâ conscientiâ Deo servierant; quales illi, de quibus *Joan.* XVI. 2. loquitur Dominus. Distinguamus itaque inter conscientiam absolutè bonam, & inter conscientiam certo respectu bonam, ideoque securam.

An gravius peccat, faciens secundum, quàm contra errantem conscientiam.

XIV. Ulterius quaeritur: Utrum gravius sit peccatum, secundum judicium conscientiae errantis aliquid committere praecepto Dei adversum, an verò contra dictamen conscientiae facere, quod praecepto divino conveniens est? Resp. In genere loquendo illud gravius peccatum est, quod repugnante conscientiâ fit. Ratio est; 1. Quia à dictamine conscientiae, quatenus illud sequimur, dici possumus honestum amare, & turpe odisse; non autem quatenus casu & ignorantes facimus, quod verbo divino consentaneum est. 2. Quia maximè apparet odium erga Deum, si quid faciamus contra conscientiae dictamen, id est, praeceptum Dei quatenus nobis est cognitum: illud autem non adeo manifestum est, quando conscientiae, licet errantis, dictamen sequimur: interpretative solummodò ibi locum habet, quatenus homo omnem quam debebat & poterat diligentiam non adhibuit, ut ab errore suo liberetur. Sed verò cum distinctione hic respondendum judico. Distinguendum inter causas ignorantiae. Alia est ignorantia invincibilis, quae in nobis est aut defectu revelationis, aut judicii, & quae post adhibitam, quae à viro honesto exigi potest, diligentiam in nobis est. Ea excusat à peccato. Sic Indis, quibus Christus non est revelatus, non imputabitur quod in illum non crediderint; nec mente captis aut fatuis, quod verbi divini sensum non intelligant. Alia est vincibilis, quae culpa nostra est contracta: eaque pro ratione causarum ex quibus ortum habet vel graviorem habet culpam, vel leviorem. Quaedam oritur ex mero praejudicio aut affectu in sententiam, in qua educati sumus, aut quam à magistris hausimus, absque ulla malitia. Talis fuit ignorantia in Paulo ante conversionem. Haec omni peccato non caruit, quoniam praejudicio aut affectibus praepeditus, eam, quam debebat & poterat, diligentiam in inquirenda doctrina Jesu Christi non adhibuerat: quia tamen nulla erat animi malitia, graviore culpa caruit. Secundò, potest ignorantia ortum habere ex malitia, gravibusque peccatis quae hominem coram Deo condemnationis aeternae reum constituunt, etiamsi fieri possit, hominem ignorare se talibus vitiis immersum, propter supinam quandam oscitantiam, qua se animumque suum debitè non explorat: interim, si accuratum sui examen instituat, facile vitia haec in animo suo latentia deprehendere possit. Ex hisce vitiis depravatum in homine oritur judicium, quo sibi certum quendam scopum praefigit, quem assequendum credit; & ex illo judicio quaevis prava opera, quae ad finis illius assecutionem tendunt: imo nihil tam horrendum, quod ejusmodi homo sibi non permittat, modo fini quem sibi proposuit inserviat. Exemplum habemus in Judaeis, qui odio & invidia accensi contra Dominum Jesum, ac perverso judicio seipsos decipientes, quod praestaret unum perire pro populo, quam totum populum deleri, omnia sibi contra Christum, quem tamen nullius criminis reum peragere poterant, licere credebant: & tamen de illis dicitur, quod ignorantes Christum crucifixerint: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent*, 1 *Corinth.* 11. 8. Unde & Dominus in cruce pendens orat, *Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciant*, *Luc.* XXIII. 34. Neque hoc de plebe tantum dicitur, sed & de primoribus: ita Petrus *Act.* III. 17. *Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Ita & quidam simili ratiocinatione haereticos, quos vocant, occidendos clamant, quia Ecclesiam turbant, & animas perdunt, interim crimen ambitionis, aut avaritiae, aut invidiae ipsos transversos agit, judiciumque corrumpit. Hic non est simplex error, sed malitia, vel ex malitia ortum habens, & cum malitia conjunctus; imo per eam verbum Dei inflectitur, tanquam licentiam peccandi concedens, imo ad quaevis scelera hominem impellens: cùm tamen actiones adeo enormes & manifestis Dei praeceptis adversae justam in homine excitare debeant suspicionem, qua inducatur ut se animumque suum accuratius ad examen revocet, utrum non occulta quaedam lateant vitia, quae actiones ejusmodi expressè vetitas ut licitas & honestas suadeant. Sed homo vehementi affectu abreptus sui ipsius deceptor est; quod facere vult, etiam verbo Dei convenire sibi persuasum cupit. Hinc omnia ad sensum suum inflectere studet: quique ita mendacium quaerunt, iis etiam Deus efficaciam erroris immittit, ut quod quaerunt inveniant. Si error ex leviore culpa oriatur, vid: ex mera quadam negligentia, licet culpa non vacet, minus tamen peccari credimus, si talis conscientiae dictamen sequamur, quàm si contra conscientiam peccemus. Ita videmus Deum aliquando peccata graviora condonasse, quia ex ignorantia profecta; uti Paulo. Quanquam & hic distingui potest inter ignorantiam facti, & juris. Facti; qualis fuit Abimelechi ad se accersentis Saram Abrahami uxorem, quam illius sororem credebat: haec si vitio nostro contracta non sit, à peccato planè excusat. Ignorantia juris, praesertim in iis, quae absolutè necessaria sunt ad salutem, vix locum habere

potest inter Christianos lege Euangelii illustratos, & debitam ad sensum Euangelii intelligendum diligentiam adhibentes. Si verò error ex graviore illa malitia ortum ducat, dicimus gravius multò peccatum esse, impiam ejusmodi conscientiam non instruere, & juxta ejus dictamen impia illa facta patrare, quàm contra illius dictamen à factis adeo enormibus abstinere. Sunt enim facta adeo horrenda, & non tantum legi divinæ revelatæ, sed & naturali, adeo directè repugnantia, ut sine manifestâ malitiâ nemo in tali ignorantia versari possit, & facta illa unicuique propter suam atrocitatem meritò suspecta esse debeant.

Quis status traditorum in reprobam mentem

XV. Tandem quæritur, quid de actionibus eorum statuendum sit, quos Deus in reprobam mentem tradidit, an illæ sint censendæ peccata, nec ne? Resp. Aut volumus in illis per pœnam divinam ob præcedentia peccata ita exstinctum esse omne rationis judicium, ut inter honestum & turpe discrimen non agnoscant; Aut quod adhuc quidem discrimen illud agnoscant, sed errore mentis quod honestum est turpe, & quod turpe est honestum putent & sequendum. Si prius volumus, uti varii Thelogi volunt, dicendum in ejusmodi hominibus, quatenus in reprobum sensum sunt traditi, nullam amplius superesse conscientiam, ideoque actiones ipsorum, licet præceptis divinis adversentur, non esse formaliter peccata, nec ipsorum condemnationem aggravare. Deus enim per punitionem suam peccati autor esse nequit: & injustum foret, punitionem divinam hominibus imponere necessitatem novis peccatis novum ac majorem reatum contrahendi: ita enim pœna novæ pœnæ causa foret: sed actiones eorum quà talium in eundem censum veniunt cum actionibus ferarum & brutorum, vel rapidorum & insanientium hominum. Quod si verò discrimen inter honestum & turpe inter illos superesse statuamus (quod nobis verisimilius est, qui credimus Deum in hac vita non ita gratiæ ostium claudere, quin semper aliquam per preces & pœnitentiam ad ipsum redeundi potentiam relinquat) sed judicium illorum eatenus solummodò esse pravum, quod honestum pro turpi habent; in illis conscientia adhuc est, sed prava & male informata; ideoque idem de illis statuendum, quod de his quorum conscientia errat, quorumque error malitiæ aut vitio admodum culpabili ortum suum debet.

Conscientia dubia.

XVI. Quando conscientia dubia est, actus est suspendendus, quia quicquid fit dubitante conscientia, peccatum est. Ita dicit Apostolus *Rom.* XIV. 23. *Quicquid ex fide non fit, peccatum est.* Intelligens per *fidem*, non generatim fidem in Jesum Christum, sed animi persuasionem, quâ quis de libertate Christiana persuasus, novit quod facit illicitum non esse, nec lege Dei vetitum. Nec abhorret à phrasiologia Scripturæ hoc sensu *fidem* accipere. Fidei quippe in genere acceptæ forma est assensus firmus & certa animi persuasio; ubi illa persuasio deëst, nec illic est fides. Et hoc sensu fides opponitur dubitationi, *Matth.* XXI. 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis*, &c. quod Marcus explicat *cap.* XI. 23. *& non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Rom.* IV. 20. de Abrahamo dicitur, *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide. Jacob.* I. 6. *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Ideo vocatur πληροφορία, *Rom.* IV. 21. *Hebr.* VI. 11. & definitur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, *Hebr.* XI. 1. Quando itaque fides dubitationi opponitur significat firmam animi persuasionem. Illa autem animi persuasio pro diversitate materiæ cui applicatur, etiam diversimodè accipienda est, & ad subjectam materiam restringenda. *Matth.* XXI. 21. significat firmam persuasionem de potentia Dei: & hanc Dominus Jesus etiam sæpissimè exegit ab illis qui sanationem miraculosam petebant. *Rom.* IV 2.. persuasionem de fidelitate Dei, quæ id quod promisit præstiturus erat. *Jacob.* I. 6. persuasionem de benignitate Dei.. Eodem modo & hoc loco significat persuasionem oppositam dubitationi, de qua agitur verbis immediatè præcedentibus *vers.* 22, 23. *Tu fidem habes? penes temet ipsum habe coram Deo: beatus qui non judicat semet ipsum in eo quod probat. Qui autem dubitat; si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide.* At qualis est illa dubitatio? non de totius Religionis Christianæ divinitate: sed qua quis dubitat, utrum licitum sit indifferenter quosvis cibos comedere: credere ergo, seu fidem habere, hic est, de libertate Christianâ plenè persuasum esse. Hic sensus porrò evincitur ex *vers.* 14. *Scio & confido in Domino Jesu, quia nihil commune est per seipsum; nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Et hæc persuasio vocatur *scientia*, 1 *Cor.* VIII. 7, 10, 11. 2. Is, qui habet fidem, hic opponitur fratri infirmo; atqui infirmus est, non qui fide planè destituitur, sed qui nondum in omnibus Christianæ Religionis partibus plenarie est instructus, ac proinde de quibusdam dubitat: ergo fidem habere significat tantum, de dogmate illo, de quo alius dubitat, plenè persuasum esse; & quoniam hîc libertas Christiana in controversiam vocabatur, de ea persuasum esse. Inepti ergo sunt, qui ex hoc loco concludunt, omnia hominum opera ante fidem in Jesum Christum esse peccata; cum de illis hic nullo modo agatur; sed *ex fide* aliquid *facere*, nihil aliud hic significet, quàm ex firmâ animi persuasione, quod actus noster voluntati divinæ consentiat, quid facere; ac proin-

proinde, *non ex fide*, sine certa animi persuasione. Quod vero ita sit, dicit Apostolus esse peccatum. Ratio est: quia qui dubitante conscientia quicquam facit, Deum prout oportet non reveretur, præsertim si actum illum possit omittere aut suspendere; quia dubitans, utrum quod facit Dei voluntati sit consentaneum, se in manifestum periculum conjicit, faciendi id quod Deus vetuit: quod ab eo, qui debitam Deo reverentiam exhibet, quàm maximè alienum esse debet: Et dubitante conscientiâ quid facere, proximus est gradus faciendi contra conscientiam.

Casus aliqui circa conscientiam dubitantem. XVII. Exinde jam per se manifestum est, actum, dubitante conscientiâ, esse omittendum, aut suspendendum, ne peccato nos polluamus. Ut autem distinctius hîc loquamur sciendum, dubitationem conscientiæ versari, vel circa alteram tantum quæstionis controversæ partem, vel circa utramque. Circa alteram tantum, dupliciter: 1. Dubitatur de facto, non an licitum sit illud omitere, sed facere: ex: gr: an liceat vesci cibis olim sub Lege vetitis? an usura sit licita? an liceat munus Magistratus obire? &c. 2. Dubitatur; non an liceat facere, sed omittere: ex: gr: an licitum sit abstinere ab usu cœnæ Dominicæ? &c. Hîc tutior semper pars est eligenda, idque faciendum de quo nulla nobis est dubitatio. Aliquando dubitatio circa utramque quæstionis controversæ partem versatur. Ita homini dubitatio incidere potest, an liceat fontes capitali supplicio afficere; & sive eos morte plectat, sive mitiore pœnâ, metuit officio suo deesse: si eos capitali supplicio afficiat, præcidit ipsis pœnitentiæ tempus; si non occidat, non pro officio publicam tranquillitatem tuetur. Sic potest homini dubitatio incidere, utrum divitias possidere liceat, an vero omnia sua pauperibus distribuere teneatur? Dubitandi rationes ab una parte sunt, quod videat eleëmosynas tantoperè commendari; divitias tanquam res periculosas, tanquam spinas semen verbi Dei suffocantes, culpari; & quod juveni illi *Matth.* XIX. 21. præcipiatur, ut omnia vendat & pauperibus distribuat. Ab altera verò parte: si omnia in pauperes eroget, quod sine ulla necessitate se in graves tentationes conjiciat, sibique facultatem eripiat diu & sæpe faciendi, quod benè ac rectè facit; credatque se sæpius liberalitatem exercendo, magis prodesse pauperibus, quàm si simul ac semel bona sua abjiciat. Quid hîc homini Christiano est faciendum? Resp. Aut rationes pro utraque parte æquales sunt ponderis, & æqualiter ex Scriptura sacra depromptæ, aut inæquales. Si inæqualis ponderis, res ipsa docet, in eam inclinandum partem, pro qua graviores militant rationes: aliquid tamen actus illius perfectioni deëst, quia cum aliquali scrupulo conscientiæ fit; & si nostrâ negligentiâ factum sit, quod scrupulus ille animo nostro non sit exemptus, omni vitio non caret actio nostra. Quod si rationes pro utraque parte ejusdem sunt ponderis, & ex Scriptura depromptæ, inquirendum quid magis cum carne, quid cum spiritu conveniat: & quod majorem cum spiritu convenientiam habet eligendum, ut Christianæ religioni, quæ carnis concupiscentiis contraria est, maximè conveniens. Sed si neutra carni faveat, & utraque rationibus è Scriptura depromptis fulciatur, omni vitio non caret actio nostra, in quamcunque partem inclinaverimus: & si differri potest, differenda est. Interim sicut olim Moses in dubiis os Domini consuluit; ita & nostrum est verbum Dei consulere, & in simplicitate cordis genuinum ejus sensum indagare; Deumque precibus ardentibus orare, ut per spiritum suum verum verbi sui sensum nobis dignetur aperire; quem in fide & veritate ipsum invocantibus nuuquam denegaturus est; *Jacob.* 1. 5. Nec dubitandum quin Deus verum verbi sui intellectum daturus sit, nec permissurus ut homo diu in errore saluti suæ noxio hæreat: *Secretum enim Domini timentibus ipsum, & testamentum ipsius ut manifestetur illis, Psal.* XXV. 14. & Dominus promittit, quod seipsum illi, qui præcepta sua observat, sit revelaturus, *Joan.* XIV. 21. dando scilicet intelligentiam, ut in cultu ipsius plenâ animi persuasione & inoffenso pede tutus ambulare possit.

CAPUT III.

De bonis Operibus.

I. Antequam ad specialem fœderis ipsius, seu officiorum particularium, quæ Deus in fœdere suo ab hominibus exigit, considerationem accedamus, necesse erit, ut quædam in genere de natura actionum moralium præmittamus. Actiones morales vocamus, quibus homo circa bonum vel malum morale occupatur. *Actiones morales.*

II. Earum requisitum est, ut sint liberæ seu voluntariæ, non invitæ, nec coactæ, vel etiam necessariæ, ita ut homo in unam partem ita sit determinatus, ut aliter agere non possit, quàm agit: in ejusmodi enim determinatione nulla est electio. Nec etiam procedant ex ignorantia: cùm autem ea duplex sit, invincibilis, ex defectu revelationis aut judicii orta, altera vincibilis, nostrâ culpa, negligentiâ nempe, vel alio culpabili vitio contracta, priorem tantum excludimus; illa enim actionis libertatem tollit; non autem posteriorem, quæ quoniam culpâ nostrâ facile evitabili contracta est, actionem in causa sua reddit voluntariam; & licet forte aliquando criminis gravitatem minuat, si e- *Debent esse liberæ.*

si ejus causa sit simplex, non lata culpa, non tamen planè tollit.

Actiones mixtæ.

III. Sed quoniam præter voluntarias & involuntarias etiam sunt actiones mixtæ, quæritur ad quodnam genus eæ referri debeant? Mixtas vocamus, quæ cum molestia aliqua fiunt, vel majoris mali effugiendi, vel majoris boni consequendi causâ; quasque homo mallet non facere, & quas in se nudè spectatas nemo sanæ mentis fecerit: veluti si quis in periculo naufragii vitæ servandæ causâ jactum faciat; aut tempore persecutionis, ne Christum abneget, durissimos subeat cruciatus & mortem maximè horrendam: aut in gravi affectuum commotione animo non satis præmeditato quid faciat. Nos statuimus eas ad voluntarias ac liberas esse referendas; quoniam de actionibus judicium fieri debet, secundum tempus quo perficiuntur, & si tunc voluntariæ sint, etiam voluntariis sunt annumerandæ. Atqui eo tempore quo fiunt actiones, quas mixtas vocant, sunt voluntariæ; nemo enim aliud agit, nisi quod præsentis temporis consideratis circumstantiis sibi eligendum judicat: sic licet homo merces suas mallet salvas, tamen in hasce conjectus angustias, ut vel mercium vel vitæ jactura sit facienda, jactum mercium vitæ amissioni præponit: Christianus ad mortem vocatus, eam ut malum abnegatione Christi levius eligit: itaque ex præsentibus circumstantiis si judicemus, omninò voluntariæ sunt. Adde quod & sequens conscientiæ judicium eas voluntariis annumerandas persuadeat: prout enim vel legi divinæ consentaneæ vel dissentaneæ fuerint, eas vel gaudium & conscientiæ serenitas, vel pœnitentia & remorsus conscientiæ sequitur: imò maximè laudabiles sunt, si bonæ conscientiæ servandæ studio, homo se gravissimis cruciatibus exponere non dubitet. Licet itaque hîc repugnantia animi quædam sit, quatenus homo actionem istam duram ac difficilem nudè & in se spectatam declinare vellet; tamen eam cum omnibus suis circumstantiis consideratam liberè eligit ac vult.

Actiones bonæ.

IV. Actiones morales dividuntur in bonas, malas, & indifferentes. Actiones bonæ sunt, quæ cum norma sua, lege divinâ, sive naturali, sive revelatâ, conveniunt. Hac definitione bona opera in genere describuntur, etiam ea quæ absque ulla divina revelatione rectæ rationi consentaneè instituuntur. Nos vero hîc propriè bona opera consideramus prout in Euangelio nobis sunt præscripta sub præmii promisso, & pœnæ æternæ comminatione: non significatione stricta, prout distinguuntur à fide, tanquam illius fructus; sed latâ, prout & fidem, tanquam obedientiæ Christianæ partem, in se comprehendunt.

Non re-

V. Ut autem naturam operum obedientiæ Christianæ distinctius explicemus, aliquid de natura operis boni in genere præmittendum est. Quæritur itaque, an ad boni operis essentiam requiratur, ut ex vera in Christum fide procedat? Ita communiter docent Contraremonstrantes, omnia irregenitorum opera, sive eorum qui verâ in Christum fide destituti sunt, esse peccata; & licet speciem quandam obedientiæ coram hominibus repræsentent, esse coram Deo tantum hypocrisin; imò licet sint recta, [illegible] rationi, imo patefactæ divinæ voluntati consona, esse tamen, quamdiu fide in Christum sunt destituti, coram Deo solummodò splendida peccata. Nos è contra dicimus, in bono opere simpliciter considerato conditionem hanc necessariam non esse; sed eam solummodò requiri in opere Euangelico, quod Deus gratiosè vitæ æternæ præmio se remuneraturum promisit: in reliquis sufficere ut normæ suæ, id est, rectæ rationi congruant; hoc est, ut ex animo virtutis amore inflammato procedant, destituto licet scientiâ Legis & Euangelii; dummodò homo alienus sit à proposito quicquam divinæ voluntatis regulæ, à Deo ipsi inditæ, adversum faciendi, aut à propriæ laudis studio. Sententia autem contraria dura est ac horrida, & tam Scripturæ, quàm rectæ rationi adversa.

quæritur necessaria ut sunt ex fide in Jesum Christum.

Probatur 1 exemplo Cornelii.

VI. Scripturæ adversa est. Primò enim exemplum habemus in Cornelio, de quo, fide adhuc in Jesum Christum destituto, dicitur, quod fuerit *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleëmosynas multas plebi, & orans Deum semper*, *Act.* x. 1, 2. quæ etiam dicuntur *in memoriam adscendisse in conspectu Dei*, *vers.* 4. Excipiunt: Cornelius tunc non amplius infidelis aut irregenitus fuit: habebat jam cognitionem Christi: norat quæ contigerant circa eum inde à baptismo Joannis; ita ut sciret eum unctum fuisse à Deo Spiritu Sancto & potentiâ; uti dicitur *vers.* 37. 38. *Resp.* Non dicitur Cornelius hæc omnia perfectè scivisse, nedum corde credidisse; atque ita regenitus fuisse: contrarium liquet ex tota historia: Angelus enim ad eum mittitur, qui jubet ut ad se accersat Petrum, ex quo verba salutis sit auditurus: *vers.* 6. uti Petrus id refert, *cap.* XI. 14. Quorsum hoc si jam esset fidelis? Idem evincunt verba Cornelii ad Petrum, *vers.* 33. & tota Petri oratio, quâ Cornelium & qui cum eo erant, ad fidem in Christum convertit. Imò ne proselytus quidem fœderis fuit; erat enim adhuc incircumcisus, ut liquet ex *vers.* 28. & ex eorum qui ex circumcisione erant indignatione, *cap.* XI. 3. unde & Petrus visione cœlesti à Deo admonitus est, ne quenquam, cujuscunque nationis, immundum haberet. Ad summum itaque proselytus justitiæ fuit. Quòd itaque Petrus Cornelio scientiam tribuat eorum quæ à Christo gesta sunt, non de exacta scientia, multò

minus

minus de fide in Jesum Christum est accipiendum, sed quòd rumor eorum, utpote qui totam pervaserat Judæam, etiam ad Cornelium pervenerit.

2 Ex Act. x. 34, 35. VII. Secundò. Ex verbis Petri *Actor.* x. 34, 35. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum & operatur justitiam, acceptus est illi.* Excipiunt, Apostolum illic loqui de fidelibus cujuscunque nationis & gentis sint, adeoque in Christum credentibus. Resp. Loquitur Petrus de talibus, qualis Cornelius erat cum ad ipsum mitteretur; respiciens enim ad Cornelii narrationem, qui cœlesti visu admonitus erat, ut Petrum accerseret, verba hæc profert: quem cum ostenderimus tum nondum in Christum fuisse fidelem, patet etiam Petrum de ejusmodi hîc loqui.

3. Ex variis Sacræ Scripturæ locis. VIII. Tertiò. Plura in Scriptura occurrunt testimonia, ubi hominibus antequam in Christum credunt tribuitur, quod *veritatem faciant*, *Joan.* III. 11. *velint facere voluntatem ejus qui Christum misit*, *Joan.* VII. 17. *ex Deo sint*, *Cap.* VIII. 47. Quæ antea ostendimus de hominibus nondum in Christum credentibus intelligenda esse. Quòd *dispositi sint ad vitam æternam*, *Actor.* XIII. 48. Et speciatim de Lydia dicitur, quòd *Deum coluerit*, *Act.* XVI. 14. Quod statum ejus ante fidem respicere textum inspicienti manifestum est.

4 Ex Rom. 11. 14, 15. IX. Quartò. Expressè dicitur *Rom.* II. 14, 15. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturâ ea quæ legis sunt faciant; ejusmodi legem non habentes sibi ipsis lex sunt: Qui ostendunt opus legis inscriptum cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Expiunt: Excusationem conscientiæ gentibus tributam, circa officia externa & quidem circa homines, solummodò versari. Resp. 1. Excusatio conscientiæ versari circa eadem, circa quæ accusatio versatur; opponuntur enim: accusatio autem non versabatur solummodò circa homines, sed & circa Deum, & quidem potissimum. 2. Utraque accusatio, & excusatio versatur circa omnia illa officia, quæ Apostolus *cap.* 1. docuit gentes ex naturæ lumine potuisse cognoscere: inter quæ & præcipuè continetur, Deum, utpote omnium opificem & gubernatorem, esse colendum, & quidem absque imagine, cum ipse sit invisibilis: honesta esse facienda: &c. Talia ergo facientes conscientia excusat, contraria committentes, accusat. Nam ejusmodi opera, etiam circa Deum, præscribens, quomodo potest excusare, nisi ea facientes? Et si ratio sufficiat, ut homines illi adversantes coram Deo reddat ἀναπολογήτες; potest etiam omnes, qui secundum ejus præscriptum vitam instituunt, excusare coram Deo.

Etiam ex ratione. X. Secundò: & rationi adversa est hæc sententia. Ut enim actus sit bonus, sufficit ut normæ suæ, legi divinæ, sive naturali, sive revelatæ, utraque enim vitæ nostræ norma est, congruat; licet scientia Legis aut Euangelii non adsit. Dices. Irregeniti actionibus suis non intendunt Deum colere. Resp. Natura boni operis præcisè non requirit, ut proprie illi fides in Christum inclusa sit, aut directa & expressa adsit intentio Deum facto suo honorandi; modo generalis adsit intentio Deum colendi, & natura actionis honestæ talis sit, ut per se ad honorem Dei referatur; & homo ipse alienus sit tum à proposito quicquam voluntati divinæ adversum faciendi; tum à propriæ laudis studio. Quicquid enim normæ suæ congruit, virtus est, à quocunque peragatur. Tales fuere multæ actiones Ethnicorum, ad quas Christiani meritò erubescant, Socratis, Phocionis, Aristidis, &c. imo & Stoicorum, qui docuerunt, virtutem sui solius causâ esse colendam; nec deserendam, etiamsi maximi propter eam sint sustinendi cruciatus, eò quòd animum intus voluptate rationali demulceret. Talis est actio Samaritani illius *Luc.* x. 33. *&c.* hominem in via vulneratum sedulò curantis & de necessariis prospicientis, quæ Pharisæis imitanda proponitur à Domino Jesu. Hæc itaque conditio solummodò requisita est in opere Euangelico, & in ejusmodi actibus, quos Deus vitæ æternæ præmio juxta promissum suum gratiosè remuneraturus est. Dices. Non est alia pietatis, nisi quam Deus vitâ æternâ remunerari decrevit. Resp. Non est alia pietas Euangelica. Sed inde non sequitur, non dari pietatem quandam generalem, etiam iis communem, qui cognitionis Euangelii sunt expertes, quâ Deo placere possunt, non quidem ad salutem, sed pro ratione status & conditionis suæ. Non quòd Deus eos in statu suo manentes salutis æternæ velit facere consortes; sed quòd pietatem ipsorum approbans ipsis occasiones occurrere faciat, & media subministret, quibus ad finem perducantur: quam si corde alacri ac lubenti amplectantur, tum etiam Deo per fidem ac pietatem ex fide profluentem summoperè placent ut vitam illis æternam gratiosè largiri velit. Quemadmodum illustre illius exemplum in Cornelio vidimus.

XI Sed in contrarium objicitur, quòd irregeniti sint *mortui in peccato*, *Rom.* VI. 2, 8, 11, 12, 13. & *vivant cupiditatibus suis*, *1 Petr.* IV. 2. Resp. 1. Agit Petrus de irregenitis, quomodo communiter vitam instituunt, non secundum, sed contra præscriptum rectæ rationis. Excipi autem ab hoc numero debent illi, qui probitati student; & speciatim, singularia quædam ipsorum opera, rationi consentanea 2. Antea ostendimus, *in peccato mortuum esse*, non significare omnimodam ullum opus bonum facien- *Solvitur objectio prima.*

 di im-

di impotentiam; sed solummodo, mortui instar, nullum opus bonum facere: utrum potentia faciendi adsit aut absit, figurâ hac loquendi non exprimi.

Secunda. XII. Secundo objicitur, quòd irregeniti destituantur Spiritu Sancto; atqui sine eo nullum bonum opus perfici potest. Resp. Sine Spiritu Sancto nullum salutare opus perfici potest: at communis gratiæ ope potest etiam præstari opus verè pium & regulæ legis naturalis conforme. Dices. Discernenda est in istis operibus ipsa operum substantia, à vitio personæ & modi, quo contaminantur: substantia talium operum est bona, quia homines, etiam naturales, in istis faciunt quæ sunt legis Dei, *Rom* 11. 14. omne autem opus quatenus convenit legi Dei est bonum: vitia tamen accedunt à persona operante & à modo operandi, quibus opera talia sic inquinantur, ut quamvis in suo genere & respectu aliorum sint bona, in respectu tamen, quem habere debent spiritualis obedientiæ, erga Deum non sint bona, *Esa.* 1. 13. LXVI. 3. Resp. 1. Non controvertimus, utrum opera illa spiritualis obedientiæ, ad salutem æternam requisitæ, rationem habeant; id enim ultrò fatemur operibus illis tribui non posse; sed licet hac perfectione sint destituta, an propterea bonitate morali coram Deo careant, & solummodò splendida sint peccata? Hoc si concedatur, nimirum opera illa, utpote regulæ suæ conformia, esse bona, jam lis composita est. 2. Omnibus illis operibus vitio personæ, & modi quo peraguntur, eam accedere inquinationem, ut coram Deo nil nisi splendida sint peccata, ipse status quæstionis est de quo controvertitur: dicimus nos, in quibusdam eum esse sincerum honestatis amorem, qui ipsorum opera non tantum coram hominibus, sed & coram Deo commendet ut pia, Deoque grata: uti jam fusius exemplis allatis ostendimus. Quod loca *Esa.* 1. 13. & LXVI. 3. attinet, non agitur in illis de operibus suâ naturâ honestis, quæque secundum legem Dei moralem fiunt; sed de operibus ceremonialibus factis ab hominibus peccatoribus, & legis divinæ moralis transgressoribus. Sanè cùm opera ceremonialia nullam in se sanctitatem habeant, & solummodò sanctitate operantis commendentur, ineptum admodùm est, à ceremoniis hominum sceleratorum Deo non gratis argumentum ducere, ad probandum, nec opera moralia secundum naturæ legem facta Deo placere, sed mera esse peccata, eò quod sine fide in Jesum Christum facta sunt.

Tertia. XIII. Tertiò objicitur, quòd Apostolus dicat *Heb.* XI. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Resp. 1. Non loquitur ibi Apostolus de fide in Jesum Christum; sed de ea, cujus descriptionem immediatè subjungit, quâ credimus Deum esse, & præmia largiri quærentibus se: hanc autem fidem lumine naturali quis habere potest, absque cognitione salutari Jesu Christi. 2. Aliud est opus aliquod Deo placere, aliud hominem ipsum propter illud opus placere Deo: fieri enim potest, ut bonum aliquod hominis opus Deo placeat, ipse tamen homo ob alia peccata Deo displiceat: exemplum habemus in Achabo, 1 *Reg.* XXI. 27, 28, 29. Ut ergo homo Deo placeat, plura concurrere debent; & huc etiam fidem requiri ultrò contendimus. 3. Non agitur de quovis modo placendi Deo, sed de eo quo Enoch Deo placuit, quem Deus ad se assumpsit ne videret mortem, *vers.* 5. Hinc quidam vocem εὐαρεστῆσαι explicant, non *placere*, sed *placuisse*, idque speciatim intelligunt de Enocho: ut sensus sit, *Sine fide impossibile est placuisse* (sc. Enochum) *Deo*: ut specialis ille Deo placendi modus designetur, quo Enoch in cœlum assumtus est. Hoc modo si Deo placere cupiamus, ut in cœlo in æternum cum ipso beati simus, ex fide in Jesum Christum opera nostra procedere debent. Locum *Rom.* XIV. 14. *Quicquid ex fide non est, peccatum est*, quem præcipuè urgere solent, præcedente capite prolixè expendimus, ut hîc verbum addere non sit opus.

XIV. Sed quærunt, si sine fide in Jesum Christum opera possint edi quæ Deo placent, quis itaque adventus Christi in mundum sit fructus? Resp Imperite admodum id quæri, & ex dictis facile solvi posse, nim: ut per fidem in Christum beatæ æternitatis simus participes, ad quam sine fide in illum accessus non datur; saltem non sine applicatione redemtionis per sanguinem ipsius acquisitæ, quæ per fidem in Christum obtinetur. An verò illam Deus etiam applicare iis velit, qui absque cognitione Christi secundum naturæ lumen vivunt, jam non inquirimus. Certum est, Deum ex superabundanti gratia, verbo suo non promissâ, id facere posse: & summâ ejus benignitas id Deum gratiosè facturum credere suadet. *Et instantia.*

XV. Ut autem nunc specialius de bonis operibus, quæ in Euangelio exiguntur, & ex fide propositoque Deum & Jesum Christum colendi proficiscuntur, dicamus, quæ in illis necessariò requirantur propius explicandum est. Primò itaque cum lex Euangelii unica vitæ morumque nostrorum norma est, sequitur in opere bono ante omnia requiri, ut in Euangelio sit præscriptum; sive expresse & in particulari; sive, licet non expresse, alii generali inclusum; aut ut evidenter ex iis quæ expresse exstant colligatur, & simul cum illis præceptum censeri debeat. Solet enim lex Dei ut plurimum præcepta & monita generalia proponere, sub quibus casus speciales comprehenduntur, quibus monita hæc generalia applicanda sunt. Supponit enim Scriptura homines, quibus *Requisitum primum in opere bono.*

præ-

præcipit, jam lumine naturali cognita habere officia virtutum, quas mandat. Si quid verò perfectius, quod natura non docet, exigat, illud speciatim exprimit: aliàs generali virtutis præcepto, cui alia particularia includat, sæpius contenta est. Sic duobus præceptis generalibus de dilectione Dei & proximi totam legem comprehendit, *Matth.* XXII. 37, 28. Sic 1 *Tim.* I. 5. *Finis præcepti est charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quæ itaque à nobis propriâ nostrâ voluntate suscipiuntur, sine ullo expresso aut implicito mandato divino, neque in rectæ rationis dictamine fundata sunt; vel quæ ab aliis hominibus pro arbitrio suo imperata, à nobis cum opinione cultus divini præstantur, bona opera non sunt, sed ἐθελοθρησκεία, *Coloss.* II. 23. de quibus Servator noster loquitur *Matth.* XV. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.* Sed de his aliàs latius.

Secundum. XVI. Secundò. Ut sit aliquid positivum, non nuda ab operando cessatio; aliàs qui dormit, aut otiatur, quia ab operando cessat, bonum opus agere dicendus foret. Potest tamen cessatio ab operando bonum esse opus, si conjunctum sibi habeat propositum aliquod bonum & positivum. Sic abstinentia à peccatis lege Euangelii vetitis bonum est opus, quia conjunctum sibi habet propositum nihil committendi præceptis divinis adversum. Vel etiam si consideretur ut medium facilius & promptius virtutis actiones exercendi. Ita jejunium & cælibatus bona sunt, si eligantur ut medium expeditius vitæ Christianæ officia explendi. Vel tandem, si abstineatur ab actione, quoniam illi periculum evidens in peccatum labendi adhæret, ut ita peccandi occasione devitatâ, ipsum etiam peccatum devitetur.

Tertium. XVII. Tertiò. Ad opus bonum non sufficit pium tantum propositum, sed requiritur ut sit efficax, & statim primâ oblatâ occasione actu ipso se prodat. Non enim quodlibet boni operis propositum in boni operis censum apud Deum venit: sed id demum, quod eò usque jam in actum productum est, ut sola illius perficiendi occasio desit, nihilque à parte nostra obstet, quò minus perficiatur; adeo ut si non perficiatur, id externis quibusdam impedimentis, quæ removere in nostra potestate non est, solummodò adscribendum sit. Quod manifestissimè in Abrahami exemplo apparet, qui quantum in se fuit filium suum Deo obtulit, Deusque id ita acceptavit, licet filium revera non obtulerit: tamen solo Abrahami proposito Deus non erat contentus; voluit ut etiam se promptum planè paratumque ad filii mactationem ostenderet, ut ultimus solummodò mactationis actus restaret: & sic Abrahami promptitudine plenissimè demonstratâ, Deus in ea acquiescens, impedimentum adhibuit, cui se opponere Abrahamo fas non erat. Propositum autem inefficax & nuda velleitas boni operis rationem neutiquam habere potest: tum quia non nostro studio, labori, aut exercitio adscribendum est; sed potius externis quibusdam ad virtutem adjumentis, educationi, institutioni, aliisque, quibus honesti amor adeo altè animo infixus est, ut exinde penitus deleri nequeat, sed subinde bonos quosdam motus, licet ob appetitus carnalis vehementiam inefficaces, submittit: tum etiam, quia nequaquam nos meliores facit, sed perinde vitiis immersos relinquit: hinc sæpe ejusmodi proposita & vota inefficacia reperiuntur in impiis, conscientiâ scelera ipsorum redarguente, sine ullâ impietatis emendatione; quia non est efficax in ipsis determinatio voluntatis, quâ virtuti, etiam cum molestia ac dolore carnis, studere seriò decreverunt.

XVIII. Quartò. Ut actio ab bonum finem suscipiatur; aliàs actio per se bona ac laudabilis per intentionem malam vitiatur, fitque peccatum. Sic *Matth.* VI. eleemosyna, precatio, & jejunium, aliàs in se laudabilia, peccata habentur quando fiunt cum intentione gloriam ab hominibus consequendi; ita *Phil.* I. 16. Euangelium dicitur à quibusdam prædicari, non sincerè, sed ut Pauli vinculis afflictionem addant. Non tamen bona intentio sufficit ad operis boni consummationem, sed oportet & media bona adhibere, quibus finis bonus obtineatur: vix ulla quippe actio adeo mala est, quin bono fine suscipi possit. Qui Apostolos erant occisuri, poterant id facere cum intentione Deo gratificandi, *Joan.* XVI. 2. Hinc rectè monet Apostolus, non esse facienda mala, ut eveniant bona, *Rom.* III. 8. *Quartum.*

XIX. Quintò tandem, ut adsit scientia, quâ homo totam actionem omnesque ejus circumstantias bene perspectas habeat, & plenissimè de ejus honestate & convenientiâ cum verbo seu lege Dei persuasus sit. Sicuti enim quod ab ignorante fit virtutis nomen neutiquam meretur; ita & quod dubitante, multò magis quod reclamante, conscientiâ fit, peccatum est; juxta *Rom.* XIV. 23. *Quicquid ex fide non fit, peccatum est.* *Quintum.*

CAPUT IV.

De Peccato variisque ejus speciebus.

I. Actiones malæ sunt, quæ regulæ suæ, hoc est, legi divinæ, sive naturali, sive revelatæ, non conveniunt. Communiter vocantur peccata; & peccatum vulgò definiri solet, quod sit transgressio legis. *Peccatum.*

II. Requisita in peccato sunt, (præter id quod in omni actione morali requiri diximus, *Requisitum in eo primum.*

mus, ut sit voluntarium, quod vel maximè in peccato, utpote per quod homo pœnæ reus constituitur, locum habet) ut sit aliquid positivum, non nuda tantum privatio. Id locum propriè habet in peccatis commissionis. Fieri verò potest, ut peccata omissionis mera sint negatio, ex negligentia sc. orta: aliàs certum est & omissiones huc referri posse, quatenus procedunt ex proposito bonum non faciendi, quando occasio adest: qualis est negatio eleëmosynæ pauperi facta. Non ergo dicendum, peccatum nudam esse privationem: quia ad illud concurrit positiva quædam malitia cordis, sive directa, sive interpretativa. Hinc inepta est illorum subtilitas, qui licet Deo adscribant, quod ordinem ejusmodi rerum procuret, in quo & peccatum suas habet partes, putant tamen se evadere posse, Deum peccati auctorem à se non constitui, eò quod Deus auctor tantum sit entium seu rerum positivarum; peccatum autem mera tantum privatio sit. Unusquisque, animum suum debitè explorans, facile deprehendet, positivam quandam cordis malitiam ad peccatum concurrere. Dices. Peccatum, quatenus actio physica est, est quidem quid positivum, & eatenus est à Deo; sed quatenus est deflectio à lege, est privatio. Resp. Actionem malam propter relationem quam habet ad legem, non magis esse nihil positivum, quàm actionem bonam, cui propter relationem ad legem contingit legi conformem esse: ad utramque simile animi propositum concurrit, sed contrarium: & non malitia propriè vetatur, sed actus malus, à quo cum malitia non nisi sola cogitatione separari possit, frivolum est, peccatum, quod actio positiva est, propter difformitatem, quam habet à lege, nudam vocare privationem.

Secundum. III. Secundò. Non necessariò requiritur propositum faciendi malum quà malum & à Deo vetitum (id in paucissimis cognitione Dei imbutis, eumque operum humanorum justum retributorem credentibus, & forte solummodò in reprobam mentem traditis, locum habet) sed tantummodo id quod malum est. In peccatis enim Deus non semper actiones æstimat ex corde, sed ex natura ipsius actionis, quæ cum naturâ suâ in aliquem finem tendit, à Deo censetur, perinde ac si in finem illum suscepta fuisset; adeoque ex actionibus malis Deus cor æstimat. Ita qui vivit eo modo, quo victurus esset si expressum ejusmodi in ipso propositum foret, a Deo censetur tale habere propositum; quia essentia actionis ad eundum finem naturâ sui dirigitur: itaque interpretativè illud in eo propositum esse censetur. Sic avarus vocatur idololatra, *Eph.* v. 5. quia eandem in divitias collocat fiduciam, quam si eas Deum crederet collocaturus esset. Qui coram imaginibus à se fabricatis se incurvant, dicuntur illis dicere, *libera me, quia Deus meus es tu*, *Esa.* XLIV. 17. quia actus ille incurvationis suâ naturâ ad ejusmodi cultum dirigitur, & si hoc verè & ex animo statuæ dicerent, aliter se coram ea incurvare non possunt. Sic eodem modo voluptatibus dediti, dicuntur ventrem Deum facere, *Phil.* III. 19. & ex destinata malitia peccantes, elatâ manu contra Deum peccare.

IV. Tertiò. Non necesse est, ut actio ob malum finem suscipiatur. Auget quidem malus finis gravitatem peccati; sufficit tamen ut actio mala sit, si regulæ suæ non congruat, etiamsi ob bonum finem fiat: non enim, ut vidimus, facienda sunt mala, ut eveniant bona. Et hic diversa planè ratio est virtutis, à vitio. Ut actio sit bona, requiritur ut omnia requisita adsint & concurrant; ad constituendum autem peccatum, unica circumstantia mala sufficit; quia virtus perfecta est; unica autem circumstantia mala perfectionem ejus tollit. *Tertium.*

V. Ut autem peccati naturam melius perspectam habeamus, diversas illius divisiones attexemus. Solent namque peccata diversimodè distribui in varias species, ratione objecti, subjecti, causæ, modi, effectorum, aliarumque circumstantiarum. *Divisiones peccati.*

VI. Prima divisio est ratione objecti, seu legis contra quam peccatur. Quia præcepta legis alia sunt affirmativa, officium aliquod præscribentia, eaque hominem semper obligant, quando eorum præstandorum occasio est; alia autem negativa, actus quosdam, ut illicitos, prohibentia, eaque semper & pro semper obligant: inde orta est distinctio peccati, in peccata omissionis & commissionis. Omissionis peccata sunt, quando actus lege mandatus non præstatur, cum illius præstandi occasio adest. Huc referri possunt verba Joannis Baptistæ *Matth.* III. 10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exscindetur & in ignem mittetur*: & exemplum servi illius nequam, qui acceptum talentum à domino non dilapidavit, sed defodit in terra, & neglexit dare nummulariis, ut dominus id cum usura reciperet, *Matth.* XXV. & *Luc.* XII. 47. *Servus qui scivit voluntatem domini sui, & non praeparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, pluribus plagis vapulabit*, & *Jacob.* IV. 17. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.* Quanquam & duo posteriora commodè de peccatis commissionis accipi possunt; adeo ut quicunque legem transgreditur, etiam mala committendo, non facere voluntatem domini, aut bonum, dicatur. Commissionis peccata sunt, quando actus lege prohibitus, ut perjurium, adulterium, committitur. Peccatum omissionis propriè est negatio actus debiti; tamen communiter fit per actum aliquem, qui se vel directè, vel indirectè habet ad omissionem. Directè; cum quis ex- *Sunt vel omissionis, vel commissionis.*

expressè vult, omittere id quod præstandum est. Indirectè, quando aliquid facere vult, quo non quidem præcepti omissionem intendit, attamen quo præcepti executio impeditur. Sic peccata commissionis sæpius causa sunt ommissionis; ut qui nimium pecuniæ impendit luxui, omittit liberalitatem erga pauperes. Hoc autem solummodo locum habet in omissione actus exterioris: actus verò interioris omissio fieri potest sine ullo actu alio qui ejus causa sit: potest enim fieri, ut homo non agat, aut non velit agere ad quod obligatus est, & quod agere poterat. Ad voluntarium enim non necessariò requiritur actus voluntatis; sufficit illius negatio, modò in potestate voluntatis sit facere vel non facere. Peccatum verò commissionis semper fit per actum positivum, sive ille interior sit; ut conatus agendi; sive exterior, qualiscunque tantum ille sit. Et sub hoc comprehenduntur omnes transgressiones legis prohibentis.

2 Vel carnis, vel spiritus. VII. Secundò distinguuntur peccata ratione subjecti. Aliud est peccatum carnis, aliud spiritus; vocantur 2 *Cor.* VII. I. *inquinamenta carnis & spiritus*. Hæc non distinguuntur totis subjectis, ita ut peccatum carnis solâ carne, peccatum autem spiritus, solo spiritu peragatur: caro enim & spiritus hic sibi præstant operas mutuas, & sine spiritu nullum carne peccatum peragi potest, quoniam ex corde omnia mala & peccata oriuntur, *Matth.* xv. 19. sed denominatio fit à parte prædominante. Peccata itaque spiritus sunt, quæ potissimum spiritu & corde hominis peraguntur, & ad quorum consummationem externa corporis membra non concurrunt; attamen ex carnali oriuntur voluptate, & actionum carnalium causa sunt: qualia sunt, ambitio, superbia, odium, invidia; quæ propterea etiam inter opera carnis censentur, *Gal* v. 19. Peccata carnis sunt, quæ membris corporeis etiam peraguntur, & sine illis non consummantur; qualia sunt homicidium, furtum; & præsertim quorum objectum est voluptas quædam carnalis, potissimum pertinens ad sensum gustus vel tactus; ut ebrietas, impudicitia, &c. Convenit hæc distinctio cum illa vulgata, quâ peccata alia dicuntur cordis, alia oris, alia operis. Peccata cordis sunt cogitationes malæ, seu concupiscentia rei illicitæ: potest quippe homo solâ cogitatione peccare, nihil licet membris externis peragat. Hinc *Matth.* xv. 10. *cogitationes malæ* primò recensentur inter ea quæ ex corde procedunt, & hominem coram Deo pollutum reddunt: & *Proverb.* VI. 18. inter ea, quæ Deus odit, recensetur *cor machinans cogitationes malas*. Et ex hoc impuro fonte omnia peccata externa fluunt. Peccata oris, sunt verba mala, quæ regulæ verbi divini adversa proferuntur; qualia sunt, blasphemiæ, perjuria, mendacia, convitia, contentiones, & sermones obscœni, de quibus *Eph.* IV. 29. adde & scurriles, *Eph.* v. 3, 4. quoniam sale conditi esse debent sermones Christianorum, *Coloss.* IV 6. Huc etiam referenda sunt *verba otiosa*, *Matth.* XII. 36. de quibus aliàs Peccata operis sunt facta, externâ aliquâ actione in sensus incurrente peracta: ut idololatria coram imagine, homicidium, &c.

Quæ concupiscentia sit peccatum. VIII. Quæritur, an omnis concupiscentia, quæ fertur in rem illicitam, sit peccatum? Resp. Concupiscentiam esse triplicem. Primò enim sunt motus quidam primo-primi, desideria nimirum naturalia erga rem naturæ nostræ consentaneam; quæ aliud non sunt, quàm generalis complacentia rei, quæ nobis grata est, ac proinde amore nostro digna videtur; & abhorrentia ab eo quod ingratum est: ita ut hic sistatur, neque ulterius tendat. Secundò, est delectatio, quæ vulgò vocatur morosa, quando mens cogitationi de re aliqua illicita & inhonesta cum mora inhæret. Tertiò, deliberatum propositum quavis datâ occasione peragendi quod carni gratum est. Postrema cogitatio quin mala sit, nemo dubitat, in deliberatis enim propositis peccandi voluntas facti crimen habet: peccatum enim in animo magis consistit, quàm in externa illius executione: animus enim propriè peccat; membra corporis tanquam instrumenta animæ inserviunt ad id, quod proposuit, exequendum. Ita & ab hominibus decreta & machinationes contra quietem publicam, licet nondum executioni mandata, puniuntur perinde ac si perfecta fuissent. Delectatio morosa quin peccatum sit, dubitandum non videtur. Licet enim nondum homo pervenerit ad verum ac deliberatum animi decretum; tamen cogitatio de voluptate carnali in animo fovetur, homoque eâ delectatur; imò omnia cogitationibus suis peragit, quæ, si peccatum hoc facturus sit, opere ipso peracturus esset; indeque voluptatem carnalem percipit, similem illi, quam ex ipso opere percepturus esset. Hæc autem voluptas est illicita, quia cor hominis polluit, & voluptati carnali affixum tenet. Hanc creditur Dominus Jesus vetare *Matth.* v. 28. cum ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Non quòd concupiscentia illa etiam in decimo decalogi præcepto vetita non sit. Non enim credibile est, Deum deliberatum solummodò propositum proximum uxore, domo, aliisve spoliandi, prohibuisse; verum & delectationem hanc morosam, cui si indulgeat homo, facile ad propositum deliberatum pertrahitur. Sed Dominus Jesus delectationem hanc definit esse adulterium in animo commissum, ac proinde eâdem cum adulterio pœnâ à Deo puniendam: cùm antea in lege simpli-

 citer

citer, sine ullâ pœnæ denuntiatione vetita esset. Si tamen penitius dicimi præcepti natura inspiciatur, cum secundâ decalogi tabulâ contineatur, manifestum est, talem propriè concupiscentiam vetari, quâ proximo, cujus uxor concupiscitur, aliqua fit injuria. Ut id alibi ostendimus.

Motus primo-primi non sunt peccata.

IX. Sed quæritur de primis illis cogitationibus, seu motibus primo-primis, uti vocant, an & illi peccatis annumerandi sint? Resp. Per motus illos primo primos intelliguntur primi affectuum impetus & commotiones, ex proposito objecto grato vel ingrato, absque ullo non tantum deliberato proposito, sed & delectatione morosa. Hos credimus peccata non esse, sed tantum naturales commotiones, ex objecti grati vel ingrati repræsentatione in nobis excitatas. 1. Non enim sunt in nostra voluntate, sed nobis invitis & nolentibus sæpe obveniunt; imo nonnunquam, quò acrius iis obsistimus, eò vehementius illis infestamur. 2. Imo tantum abest ut vitia sint, ut sint materia exercendæ virtutis, quæ in eo consistit, ut amore ac reverentia præcepti divini omittamus quod carni gratum, & faciamus quod carni ingratum est: sine motibus autem hisce primo-primis, nec quid carni gratum, nec quid ingratum sit, cognoscimus. 3. Fuere etiam hi motus in primis nostris parentibus, etiam ante primum peccatum: sic *Gen.* III. 6. dicitur, *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuque delectabile.* Quibus verbis indicatur, fructum hunc pulchritudine sua concupiscentiam hominum excitasse ut illius esum desiderarent: in quo tamen peccatum ipsorum nusquam collocatur, sed in ipso esu, qui etiam expressè vetitus erat. Si verò & primum hoc desiderium peccatum esse velimus, dabitur primò prius peccatum: quod absurdum. Imo sine hac delectatione nunquam ad peccatum sollicitati fuissent: proposita enim mortis pœnâ si fructum istum ederent, si nullo ejus edendi desiderio stimulati fuissent, quomodo fieri potuisset, ut eum ederint? Tandem & in ipso Servatore nostro naturalis illa fuit abhorrentia à morte, ignominia, ac dolore, quâ instante morte adeo contristatus fuit, ut animam suam ad mortem usque tristem esse ingemuerit, Patremque oraverit, *si fieri possit, ut calix iste à se transeat, Matth.* XXVI. 39. quem tamen ne minima peccati labecula infectum constat; quia motus illos primos repressit, seseque plenè Patris voluntati subjecit, addendo, *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Et hinc est quod Jacobus *cap.* 1. 14. dicat, *concupiscentiam concipere peccatum*: quia, quando invalescit fovendo, voluntatem in consensum trahit. Si verò ipsa illa concupiscentia peccatum foret, non dicenda esset peccatum concipere, sed esse. Non itaque probare possumus hyperbolicam illam Bezæ exaggerationem in notis majoribus in 1 *Joan.* v. 16. *Minima minimi peccati cogitatio millies meretur mortem æternam*; quia non tantum motus concupiscentiæ naturales & primo-primi gravissimis peccatis æquiparantur, sed & omne ratione gravitatis inter peccata discrimen tollitur; quod falsissimum esse in sequentibus ostendemus. Motus illos primo-primos non esse peccata credidisse Augustinum testis est Calvinus, Instit. lib. III. cap. III. §. 10. *Inter illum* (sc. Augustinum) *& nos hoc discriminis videri potest interesse, quod ipse quidem, quum fideles concedat, quamdiu in corpore mortali habitant, sic illigatos teneri concupiscentiis, ut non possint non concupiscere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tunc demum fieri peccatum docet, ubi vel opus vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit, hoc est, quando primæ appetitioni cedit voluntas: nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quo aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur.*

Quo sensu sint in nostra potestate, & vitiosi.

X. Licet autem hi primo-primi motus concupiscentiæ non sint in nostra potestate, non sunt tamen planè extra nostram potestatem: potest quippe homo cauto ac diligenti studio concupiscentiæ, & sensibus externis, per quos ab objectis excitatos concupiscentia accenditur, frænum injicere, vel eam aliò deflectendo, vel crebrâ cohibitione ita in ordinem cogendo, ut non facile concitetur: perinde uti in obsessorum potestate non est, impedire ne ab obsidentibus oppugnentur: possunt tamen cautis munitionibus, omnium accessuum præclusione, & præsertim forti ac crebro oppugnationum hostilium repulsu, ita hostem frangere, ut vel non ulterius eos oppuget, vel quando oppugnat, facile rejiciatur. Hinc est, quod non omnes homines æquè facile ab objectis concitentur; imo idem homo uno tempore citius & vehementius, altero tardius & levius commoveatur; quando sc. sacris meditationibus intentus est, aut jejunio ac vigiliis carnis impetum fregit. Habent itaque vitii nonnihil, si sint crebriores, à minore objecti vi creentur, aut procedant ex habitu peccati, cui homo etiamnum indulget, cujus concupiscentia quacunque oblatâ occasione statim excitatur; tum enim non sunt desideria merè naturalia, sed vitiosa, & ex vitiosa causâ orta, ac proinde non plenè involuntaria, sed voluntaria in causa sua.

Etiam desideria sub conditione.

XI. Ad pravas cogitationes etiam referenda sunt, non tantum desideria absoluta rei illicitæ; sed & sub conditione, si res illa mandato divino non esset prohibita; si nimirum res planè & intrinsecè sit mala; ut, adulterium

terium vellem committere, nisi à Deo esset prohibitum: in talibus enim desideriis non tantum magna apparet propensio ad peccandum; sed & absque morosa delectatione in homine locum habere nequeunt.

Vel ex ignorantia. XII. Tertiò distinguuntur peccata ratione causæ. Aliud est peccatum ex ignorantiâ; aliud ex passione seu infirmitate: aliud ex malitiâ. Peccatum ex ignorantia est, quod solam ignorantiam habet causam, quodque nisi ignorantia esset, ab homine non committeretur. Tale fuit peccatum Apostoli Pauli, Ecclesiam Jesu Christi persequentis, 1 *Tim.* I. 13. tale etiam certo respectu fuit peccatum Judæorum, Jesum Christum crucifigentium, *Luc.* XXIII. 34 *Act.* III. 17. 1 *Corinth:* II. 8. Ignorantiam autem diximus esse vel vincibilem, vel invincibilem: invincibilis, utpote nullâ omninò hominis culpâ contracta, à peccato excusat; quia actum hominis reddit involuntarium: nisi forte postea, ignorantiâ jam sublatâ, actus approbatio sequatur: tum enim consequens approbatio peccatum etiam sublatâ ignorantiâ futurum fuisse docet. Vincibilis vel est affectata, quando homo de præceptis divinis instrui non vult, ut ita securius & minore cum conscientiæ remorsu peccato indulgeat: eaque est malitia, & rationem peccati neutiquam diminuit: vel ex negligentiâ orta, quando homo eam quam debebat & poterat diligentiam ad mandatorum divinorum inquisitionem non adhibuit. Hæc rationem voluntarii nonnihil diminuit: negligentia enim propriè voluntas non est, sed potius cessatio ab omni voluntate. Non tamen crimen planè excusat; quia est voluntaria officii debiti omissio; imò plurimorum quæ in mundo fiunt peccatorum causa; eoque periculosior, quod vix ab homine animadvertatur, ipsique quasi stuporem inducat, unde sponte vix evigilabit.

Vel ex infirmitate. XIV. Peccatum ex passione sive infirmitate est, quod oritur ex subitâ concitatione appetitus sensitivi, qui ante ullam rationis deliberationem vehementiâ suâ voluntatem rapit quasi in consensum: talia sunt, repentinus metus, ira, voluptas, dolor, &c. Id vocat Apostolus *Gal.* VI. 1. *præoccupari delicto aliquo.* Talis fuit subita illa Davidis iracundia, 1 *Sam.* XXV. 13, 21, 22. & Pauli, *Act.* XXIII. 2, 3. & repentinus ille Petri metus, quo impulsus fuit ad abnegandum Dominum, *Matth.* XXVI. 70. Dicuntur esse ex infirmitate, quia non tam voluntate, quàm naturæ nostræ imbecillitate, quæ affectuum vehementiâ abripitur, ad peccandum impellimus: comparatione desumtâ ab ægrotis & jam convalescere incipientibus, quorum vires cum sint debiles, facile præter exspectationem labuntur. Ita & infirmitas naturæ nostræ adscribitur, quoniam nondum per diutinam imperio rationis auscultandi assuetudinem id robur collegit, ut adversus repentinas ejusmodi concitationes præmunita sit. Huc autem referri non debent peccata, orta ex vehementi quidem animi perturbatione, sed diu & voluntariè in nobis hærente, aut ex longâ consuetudine in nobis radicata: illa enim sunt voluntaria, & peccatum in causa sua voluntarium reddunt. Si tamen quis pœnitentiâ ductus peccati consuetudinem omni studio excutere laboret, ea autem altas adeo radices egerit, ut statim plenè excuti non possit, sed nonnunquam vehementiâ suâ hominem retrahat, ipse interim passioni illi debellandæ operam det; non dubitamus, quin peccatum ex ea ortum ad peccata infirmitatis referri debeat.

Vel ex malitia. XV. Peccatum ex malitia est, quod destinato animi proposito, seu deliberato consilio, cum præcedente scientia & advertentia, sive plena libertate, committitur. Libertas autem non tantum plena est, quando excludit omnem rationis repugnantiam: id enim in paucissimis, qui Deum omnium inspectorem ac vindicem credunt, & forte non nisi in reprobam mentem traditis, locum habet: sed &, quando voluntas ipsa peccati illecebris inescata in actum sua sponte consentit; etiam si ratio aut ante actum diu obluctata fuerit, aut etiam in actu ipso aliquatenus obluctetur. Tum enim spiritus succumbit carni, & voluntas, lumen rationis seponens ac contemnens, in peccatum ultrò consentit: sola inefficax velleitas in contrarium remanet, quæ voluntati in contrariam partem se determinanti necessariò succumbere debet. Tale fuit peccatum Davidis; 2 *Sam.* XI. 15. & Judæ proditoris, *Matth.* XXVI. 14, 15. Voluntas autem directè ac plenè consentire in peccatum judicanda est, Primò: quando consensum præcedit perfecta intellectus advertentia: illa autem adesse censetur, 1. cùm is, qui peccat, passione subitâ & vehementi non abripitur, neque tempore destituitur ad perfectè deliberandum. 2. Cum non tantum in se advertit sensibilem delectationem, sed & ejus turpitudinem: Secundò. Quando hanc intellectus advertentiam sequitur voluntatis approbatio; eaque vel positivè & directè, consentiendo nimirum in actum turpem; vel negative, non excutiendo turpem delectationem, sed sinendo ut moram trahat, atque ita voluntatem pelliciat in assensum: peccati enim dulcedine intellectui obversante, omnes cogitationes quibus à peccato abstrahatur ita avertuntur, ut peccati dulcedo prævaleat, voluntasque consensum præbeat. Discrimen itaque inter peccatum ex infirmitate & malitia non petendum est ex lucta inter rationem & carnem; cùm & in maximè voluntariis peccatis illa lucta fit, & in maximè improbis nonnunquam recurrat;

rat; sed ex mora, quam delectatio carnalis in mente nostra trahit: lucta autem inter rationem & carnem non nisi in summè improbis exstinguitur; qui verò deliberandi spatium habens in lucta illa carnem rationi prævalere permittit, voluntariè & ex malitia peccare dicendus est: caro quippe mentis imperium sequi debet: nec potest mens, nisi sua voluntate, carnis blanditiis succumbere.

4. Vel contra conscientiam, vel non.

XVI. Quartò, ratione modi. Aliud est peccatum contra conscientiam; aliud non contra conscientiam. Peccatum contra conscientiam est, cùm conscientiæ dictamen, quæ actum aliquem sive ut illicitum omittendum, sive ut honestum & necessarium faciendum præscribit, vel ante peccatum, vel in ipso peccandi actu, non attenditur; sed illius dictamen deditâ operâ abjicitur. Fit id duobus modis: vel quando homo omni reverentiâ divinâ abjectâ, nullam conscientiæ rationem habere, sed cupiditatibus suis, nullo habito respectu utrum honestæ an turpes sint, indulgere vult: estque hominum in reprobum sensum traditorum. Vel quando conscientiæ quidem rationem adhuc habere vult, sed peccandi dulcedine inescatus contra conscientiæ dictamen in illud consentit, & post rationis obstaculum, sive breve, sive diuturnum, victus manus dat; sive pœnitentia sequatur, sive non: illud enim peccati rationem non spectat. Peccatum non contra conscientiam est, quod ex ignorantiâ juris, non invincibili nec affectatâ, oritur. Hic enim conscientia factum suum non condemnat: actus tamen peccatum est, quia legi divinæ, supremæ actionum nostrarum, ipsisque adeo conscientiæ, regulæ, adversatur: licet enim conscientia ad operandum obliget, etiam obligatus est homo conscientiam suam rectè ex divinâ lege instruere: hic si officio suo desit homo, actus legi divinæ adversus, licet à conscientia approbatus & imperatus, peccatum est; sed levior eo, qui contra conscientiæ dictamen committitur.

5. Vel regnans, vel non regnans.

XVII. Quintò. Peccatum aliud est regnans, aliud non regnans. Regnans est, quod jam inveterata consuetudine vires acquisivit, ut captivum teneat hominem, cumque quavis oblata occasione ad peccandum impellat; quoniam diuturna consuetudo tantam peccato conciliavit dulcedinem, ut homo illi repellendæ impar sit, peccatoque tanquam domino morem gerat, neque jugum ejus excutere queat. Hinc monet Apostolus, ne sinamus *peccatum dominari in mortali nostro corpore*; *Rom.* VI. 12. Non regnans est, quod aliquando ex inadvertentia aut subita at vehementi aliqua passione committitur, & cui homo non indulget; sed statim resistit, & a quo per seriam pœnitentiam sese mox expedit. Sic dicimur *omnes labi*, *Jacob.* III. 2. & *peccatum habere*. 1 *Joan.* I. 8. Non autem omnes peccati servitute, etiam jam per Christum in novam vitam regeniti, detineri, aut peccati servi esse: sed potius, *liberati à peccato*, & *servi justitiæ*, *Rom.* VI. 18. & *mandata Dei observare*, ac *mundum vincere*, 1 *Joan.* V. 4, 5. Proinde peccata, in quæ fideles nonnunquam labuntur, non sunt regnantia, neque diu in ipsis hærent, sed appetitus concupiscibilis vehementiâ concitantur, & per fidem, quæ mundi victoria est, mox expelluntur, neque moram trahere permittuntur.

6. Vel per se, vel per accidens.

XVIII. Sextò. Peccata alia sunt per se, alia per accidens. Peccata per se sunt, quorum tota essentia mala est, seu, in quibus non circumstantia quædam actionis, sed tota actio vetita est; ut, homicidium, furtum, blasphemia, &c. Per accidens autem, sive natura sua & in sese spectata bona quidem sunt, sed quibus vitium aliquod advenit, quod actionem, aliàs per se bonam, corrumpit; seu in quibus non ipsa actio, sed circumstantia quædam actionis vetita est: ut, eleëmosynam dare, orare, jejunare, ut ab hominibus videaris. Horum peccatorum hoc est discrimen, in prioribus qui actus auctor est, etiam vitiositatis quæ actui inest, & reipsa ab actu separari nequit, auctor ut sit necesse est: in posterioribus verò qui actus auctor est, non necessariò vitiositatis, quæ extrinsecus & per accidens accedit, & ab actu abesse debet & potest, auctor est.

7. Vel ad mortem vel non ad mortem.

XIX. Septimò, ratione effecti. Aliud est peccatum ad mortem, aliud non ad mortem, uti expressè docet Joannes 1 *Epist.* V. 16 cum quâ coincidere vulgò creditur celebris illa peccati in mortale & veniale distinctio. Nos utramque expendemus, & quatenus inter se conveniant & discrepent inquiremus. Primò quidem dicemus de distinctione peccati in mortale ac veniale, de cujus sensu & veritate acres hodie inter Christianos agitantur controversiæ.

Refutata sententia Pontificiorum de peccato mortali & veniali.

XX. Primò namque Pontificii peccata venialia vocant, quæ suâ naturâ veniam merentur, neque æternâ pœnâ per se digna sunt: eaque distinguunt à venialibus ex eventu, quorum veniam consequimur per pœnitentiam consequentem; & ex causa, quæ aliquo modo veniâ digna sunt, eò quod ex passione vel ignorantiâ commissa sunt. Sed verò, erronea est sententia ista. Licet enim magnam peccatorum agnoscamus inæqualitatem, nullum tamen adeo exile fingi aut concipi potest, quin Deus, si secundum justitiæ rigorem nobiscum agere velit, possit illud æternâ morte, seu separatione à beatâ sua visione, punire. Omne enim peccatum, etiam levissimum, deflectit ab obedientia Deo debita; Deusque nemini, nisi ex promisso,

missō, ac proinde non nisi conditionem promissō annexam perfectè præstanti, vitæ æternæ debitor est. Speciosissimam pro sententia sua objectionem desumunt ex *Matth.* v. 21, 22. ubi dicunt Christum triplex iracundiæ genus distinguere, primum illius qui fratri temerè irascitur; secundum, qui fratri suo dicit raka; tertium, qui fratri suo dicit fatue; & tertium solummodò pronuntiare quod mereatur mortem æternam; duo priora pœnas tantum temporales, prius quidem judicii, posterius concilii. Sed facilis est solutio. Dominus Jesus enim hisce verbis non intendit discrimen pœnarum ostendere unicuique peccato debitarum: quia omnes hæ pœnæ pertinebant ad duo priora collegia, in quibus pœnarum diversitas non habebat locum, sed tantum cognitio diversorum criminum. 2. Qui fratri suo dicit, *stulte*, dicitur reus esse gehennæ. Ergo secundum hanc explicationem dicendum foret, priores illius non esse reos: quod absurdum: quia hac ratione pœna homicidæ minor foret pœnâ illius, qui fratri suo dicit, *stulte*: quia homicida reus erat judicii: atqui hæc est pœna ejus qui fratri temerè iratus fuit. Quid ergo? Dominus verbis hisce tantum pœnæ certitudinem omnium horum indicat, quæ nullâ ratione evitari poterit; perinde uti per supremum tribunal condemnatus nullum evadendi pœnam medium reperire potest. Dices. An ergo omnia peccata in Dei æstimatione sunt æqualia? Resp. Nequaquam: uti in sequentibus fusius ostendemus. Non enim sequitur, Deus justè ob minimum peccatum hominem exclusione è regno cœlorum punire potest, ergo omnibus peccatis æquales destinavit pœnas, aut omnia peccata æquales merentur pœnas: imò durum videtur pronuntiare, omnia, etiam levissima peccata, etiam per incogitantiam commissa, æternam sensus pœnam, ignisque infernalis supplicia mereri; sed exinde ullo modo infertur, quod veniam merentur, ne hominem æternæ vitæ præmio excludere possint.

Et Contrarremonstrantium. XXI. Secundo, nec admittenda est hæc distinctio, sensu illorum accepta, qui dicunt, omnia electorum peccata esse venialia, eo quòd Deus omnia, nullo excepto, ex gratia illis condonet: omnia autem reproborum mortalia; quia nullum committunt, quin Deus illius pœnam ex severitate reposcat. Præterquam enim quod rationem peccati mortalis & venialis ex eventu, non distinguant à peccato veniali ex natura sua aut constitutione divina, atque ita omne discrimen peccatorum ratione gravitatis & levitatis confundant, cujus respectu hæc distinctio adhibetur; etiam gravibus laborat absurditatibus. 1. Sic enim distinguerentur peccata non meritis suis, sed personis tantum à quibus committuntur; idemque peccatum ab electo commissum esset veniale, quod si a reprobo committatur mortale foret: atque ita Deus non personas æstimaret secundum peccata, sed peccata secundum personas: quod ab omni justitiæ ratione alienum est. 2. Expresse dicitur 1 *Joan.* v. 16. fieri posse, ut quis videat fratrem peccantem ad mortem; quod sanè peccatum mortale est; etiamsi id esse ad mortem forte ignoret: Ergo fieri potest, ut in id incidat. 3. Periculosa admodum est hæc assertio: quia per illam janua aperitur omnibus flagitiis ac sceleribus; quoniam impune perpetrari possunt ab iis, quos oporteret ab illis maximè esse aversos, sc. electis. Cum enim ex certa persuasione se credant electos, magna ad peccandum janua panditur, si absque ullo pœnæ metu liberè ac securè cupiditatibus suis se indulgere posse credant. Magna enim ad peccandum illecebra est impunitatis spes.

XXII. Nobis itaque distinctio hæc Sacræ Scripturæ convenienter alio longè sensu accipitur. *Vera illius explicatio.* Mortale nim: vocamus, quod Deus secundum leges Novi Fœderis puniturus est morte ac æternâ condemnatione; si nim: pœnitentiâ non eluatur. Aliàs nulla credimus esse peccata, quin per veram ac minimè fucatam pœnitentiam eorum remissio obtineri possit, unicâ solummodo in Spiritum Sanctum blasphemiâ excepta, de qua mox pluribus. Sed nos hic eventum non inquirimus, sed peccati meritum juxta æstimationem Dei, Novi Fœderis tabulis expressam. Mortalia itaque hoc sensu sunt omnia, de quibus Servator pronuntiat, quod qui ejusmodi patrant, regnum Dei possessuri non sint: ut 1 *Corinth.* vi. 9, 10. *Gal.* v. 18, 19. *&c.* *Eph.* v. 5. 6. de quibus Apostolus dicit *Rom.* viii. 13. *Si secundum carnem ambulaveritis, moriemini.* Veniale itaque est, quod secundum conditiones Novi Fœderis non præcisè morte æternâ punietur; sed cujus remissionem Deus concedere vult, licet homo ab aliquo eorum se plenè non exsolverit, aut speciatim distinctam illius pœnitentiam non egerit; modò ipse sibi sciens ac volens impedimentum non objiciat ab eo sese exsolvendi. Talia sunt leviores illi lapsus, in quos fideles nonnunquam per infirmitatem aut incogitantiam incidunt, de quibus Jacobus *cap.* iii. 2 *In multis labimur omnes.* Quæ alibi vocantur infirmitates, quarum Christus Pontifex noster, utpote per omnia tentatus, compati possit, *Hebr.* iv. 15, 16.

XXIII. Alio sensu Joannes peccatum aliud vocat ad mortem, aliud non ad mortem; nempe non à merito juxta constitutionem divinam; cùm & peccatum non ad mortem esse possit, cui condemnatio æterna, nisi pœnitentia sequatur, constituta sit: sed ab eventu: ita ut peccatum ad mortem *Quid sit peccatum ad mortem & non ad mortem, 1 Joan. v. 16.*

 sit,

sit, quod divinâ sententiâ peremptoriâ morte æternâ certò punietur; seu quod Deus decrevit non remittere, sed æternâ condemnatione punire; & impœnitentiam finalem semper habet comitem; sive sit habitus, sive unicus peccandi actus, sed qui ad malitiæ ἀκμὴν pervenit; ut cum quis veritatem agnitam deditâ operâ impugnat, non infirmitate quadam, aut subito metu abreptus; sed deliberato consilio, & ob hujus vitæ commoda. Peccatum itaque non ad mortem est, quod Deus nondum peremtoriè morte, seu condemnatione æternâ, punire decrevit, sed cujus remissionem homo per seriam resipiscentiam, si, uti potest, illa sequatur, obtinere potest: quæ tamen si non sequatur, etiam futurum tandem est peccatum ad mortem. Peccatum itaque non ad mortem est, quod, licet naturâ suâ mortem quidem adferre comparatum est, tamen per benignitatem divinam, ob resipiscentiam sequentem, mortem non adferet: eodem sensu, quo *Joan.* XI. 4. Dominus de morbo Lazari dicit, *infirmitas hæc non est ad mortem.* Dices. Juxta hanc explicationem nulli homini constare poterit de fratre suo, utrum peccatum ad mortem commiserit, nec ne. *Resp.* Ita est: Dei hoc solius est determinare, quousque patientiæ ac longanimitatis suæ thesauros conferre velit. Dices. Contrarium tamen videtur Joannes innuere, cum vetat, ne oremus pro eo qui ad mortem peccat. *Resp.* Nullo modo: non enim Joannes vetat ejusmodi orationem; sed docet tantum, preces nostras pro fratre ad mortem peccante à Deo non exaudiendas. Dixerat quippe *vers.* 14. præcedente, nos hanc apud Deum habere fiduciam, ut exaudiamur si secundum voluntatem ejus precemur. Jam porrò ostendit, preces nostras exaudiendas, si precemur pro fratre ad mortem non peccante. Si verò Deum oremus, ut erigat fratrem nostrum, & contingat nos non exaudiri: inde concludere non debemus, Deum non stare promissis, sed nos secundum voluntatem Dei non precari: fieri quippe posse ut frater, cujus valetudinem oramus à Deo, peccaverit ad mortem. Et hoc innuunt verba ultima, *pro eo non dico ut oretis*, nim: cum certa exauditionis fiducia; aut, non dico ut id quod petitis à Deo obtenturi sitis.

8. Vel contra Spiritum Sanctum vel non contra Spiritum Sanctum.

XXIV. Octavò tandem peccatum distinguitur, quod aliud sit contra Spiritum Sanctum, aliud non contra Spiritum Sanctum. Distinctio hæc celebris admodum est, & desumitur ex verbis Jesu Christi, *Matth.* XII. 31, 32. *Marc.* III. 28, 29. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur: Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ubi tamen notandum, peccatum hoc non simpliciter vocari peccatum, sed speciatim blasphemiam in Spiritum Sanctum, ac proinde restringi ad certum quoddam peccati genus. Aliàs certum est, varia esse peccati genera, quæ committuntur contra Spiritum Sanctum, quæ tamen in eundem cum blasphemia, de qua agitur *Matth.* XII. censum venire, neque perinde ut illa irremissibilia dici nequeunt. Omnia siquidem peccata, quæ ex malitia & destinato animo committuntur contra religionem Christianam, quæ ministerio spiritus administratur, & miraculosis Spiritus Sancti operationibus confirmata est, etiam in Spiritum Sanctum jure committi dicuntur: sive sit rejectio fidei, clarè annuntiatæ, miraculisque sufficienter comprobatæ; quâ ratione Judæi à Stephano dicuntur *semper resistere Spiritui Sancto, perinde uti patres ipsorum, Actor.* VII. 51. sive voluntaria mandatorum divinorum post receptam fidem transgressio; quales *Spiritum Sanctum contristare* dicuntur, *Eph.* IV. 30. sive tandem totalis à Christiana religione defectio, & ad priorem impuritatis statum relapsus. Hi enim dicuntur *Spiritum gratiæ contumeliâ afficere, Heb.* X. 29. & postquam *participes* sunt facti *Spiritus Sancti*, rursus *prolabi, Hebr.* VI. 4, 5, 6. Quæ tamen postrema peccati species præcedentibus gravior est, & certo sensu irremissibilis dicitur.

Vocatur speciatim blasphemia.

XXV. Ad naturam itaque peccati illius, de quo Servator noster *Matth.* XII. loquitur, investigandum, attendendum ad nomen quo peccatum illud denominatur. Speciatim, uti diximus, vocatur *blasphemia*, & quidem in Spiritum Sanctum. Non ergo quidlibet contra Spiritum Sanctum, sed certum quoddam peccati genus tantum designatur; quia expressè vocatur *blasphemia.* 2. Idem liquet ex occasione enuntiati Servatoris nostri. Ejecerat dæmonium ex homine: & cum turba viso hoc miraculo Deum glorificaret, dicendo, *nunquid hic est filius Davidis*? Pharisæi invidiâ accensi miraculum illud calumniabantur, dicentes, *hic non ejicit dæmonia nisi in Beëlsebub principe dæmoniorum.* Dominus, hujus calumniæ absurditate rationibus aliquot ostensâ, porrò docet, quantum illud sit peccatum, & quàm directè Spiritum Sanctum lædat: illiusque remissionem, nec in hoc, nec in futuro seculo obtineri posse. Blasphemia autem non hic significat necessariò dictum vel convitium, quod studio, deditâ operâ, scienter & prudenter ex malo animo in Spiritum Sanctum, qui pro persona vel virtute divina agnoscitur, conjicitur, eo fine ut Spiritus Sanctus contumeliâ afficiatur. Quamvis enim & ejusmodi convitium includere possit,

sit, & aliquis eo usque malitiæ prolabi, ut ob vitæ hujus commoda & emolumenta Spiritum Sanctum deditâ operâ convitiis insectetur: tamen summam illam malitiam non necessario includit, sed latius omnino extendi videtur; nim: ad omnem blasphemiam quâ Spiritus Sanctus directè læditur, seu quæ Spiritum Sanctum directè impetit, licet contingere possit, ut aliqualem sibi conjunctam habeat ignorantiam, sed quæ causam habet malum animum, aut peccata quædam enormia in animo latentia, qualia sunt, ambitio, invidia, amor mundi, vindictæ studium; &c. Adeo ut is, qui ita blasphemat, nullum vel verisimile proferre possit argumentum, quo blasphemiam suam defendat, sed animum prodat malignum & à veritate divina alienum.

Quale id peccatum sit. XXVI. Itaque, salvo aliorum judicio, blasphemia hæc in Spiritum Sanctum nobis designare videtur ejusmodi peccatum, quo opera miraculosa, à Servatore nostro virtute Spiritus Sancti patrata, adscribuntur diabolo; cum tamen illi, qui ea ita blasphemabant, aut persuasi essent, non posse talia nisi virtute divinâ fieri; aut saltem nulla experientiâ aut argumento verisimili id evincere possent. Rectè hæc blasphemia vocatur in Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus directè læditur, & spiritus infernalis vocatur. Oppositè ad blasphemiam in Filium hominis, quâ persona Filii propriè læditur; quando consideratus ut Filius hominis, seu homo vilis & abjectus, absque ullo regio splendore, rejicitur, tanquam falsò se Messiam jactitans; aut quando ipse blasphematur tanquam commessator & potor. A qua tamen blasphemia separanda ea est, quâ doctrina ipsius cœlestis, miraculis confirmata, aut ipse jam in cœlis exaltatus & fide apprehensus, blasphematur proprii compendii causâ; tum enim non blasphematur ut Filius hominis, sed ut Dominus qui Spiritum Sanctum in Apostolos effudit. Quæ si non eadem sit cum blasphemia hac, de qua Dominus, illi saltem admodum affinis est. Unde liquet, peccatum hoc vix nunc locum habere posse. Licet enim Dominus Jesus, cujus doctrina ut divina agnoscitur, nunc proprii compendii causâ blasphemari possit; tamen dubitari potest, utrum hæc eadem sit blasphemia cum illa, qua miracula, quæ videntur, quæque fulgore suo oculos præstringunt, spiritui impuro adscribuntur; cùm miracula lecta & audita non perinde animum convincant, atque coram oculis conspecta.

Quomodo dicatur non remittendum. XXVII. Hinc jam liquet, cur blasphemia hæc remitti non dicatur, tam in hoc quàm in futuro seculo: quia in ea summus malitiæ apex sese prodit. Non quòd Deus peccatum illud remittere non possit; sed quòd illius remissio non sit obtinenda; sive Deus illud non remittere decreverit; sive quòd secundum Novi Fœderis leges illius remissio non possit obtineri; sed solummodo per extraordinariam Dei gratiam fœdere suo non expressam: quæ quoniam à liberrimo Dei beneplacito dependet, nullaque promissione nititur, rectè obtineri non posse dicitur, sc. secundum fœderis formulam. Et sic distinguitur à blasphemia in Filium hominis, cujus remissio per seriam resipiscentiam impetrari potest; hujus vero non. Adde, quòd & ipsa resipiscentia, quæ remissionis necessarium prærequisitum est, ejusmodi blasphematori impossibilis sit per communem Dei gratiam fœdere comprehensam. Qui enim excellentissima Spiritus Sancti opera, ad comprobandum doctrinæ Jesu Christi divinitatem facta, diabolo adscribit, gratiam Dei qua converti debet sibi ipsi inutilem reddidit, omnemque illius vim enervavit. Nulla itaque in fœdere Dei major superest gratia, nisi Deus extraordinariâ quâdam gratiâ, fœdere non comprehensâ, eum dignari velit, atque ita ad resipiscentiam perducere, ut remissionem consequatur.

Peccata non sunt æqualia. XXVIII. Ex hisce, hactenus de variis peccatorum divisionibus pertractatis, constat, magnam esse peccatorum inæqualitatem, unumque peccatum altero gravius vel levius esse. Discrimen hoc manifestè agnoscit Servator noster, *Matth.* VII. 3. quædam peccata festucæ, alia autem trabi assimilans. & *Joan.* XIX. 11. dicit Pilato, *qui me tradidit tibi, majus habet peccatum.* Idemque evincit pœnæ inæqualitas, peccatis pro meritorum ratione infligendæ: *Luc.* XII. 47, 48. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Tandemque ea ex variis peccati circumstantiis comprobatur: maxima enim inter peccata inæqualitas est, tum ratione causæ unde procedunt; tum ratione objecti in quod tendunt; tum ratione actus ipsius. Ratione causæ: Levius est peccatum quod committitur ex ignorantia, incogitantia, subito impetu; gravius quod ex contemtu Dei, animo malo ac destinatâ malitiâ committitur. Ratione objecti: Gravius est quod committitur contra Deum, quàm hominem: contra parentem, quàm alienum; contra magistratum, quàm privatum. Quanquam in hisce etiam diversitas quædam malitiæ in animo est. Quia enim majorem Deo quam hominibus, parentibus & magistratibus, quàm alienis & privatis, reverentiam homo debet, eam etiam sine majore animi malitia excutere nequit. Ratione actus ipsius: Varii enim in eadem specie peccati dantur gradus, quorum unus altero eminentior est: gravius est adulterium

rium scortatione, incestus adulterio, &c. homicidium irâ injustâ, parricidium simplici homicidio: atque ita in aliis. Quare ineptum est argumentum, quia omnia peccata aberrationes sunt à regula, ideo omnia esse æqualia. Quoniam, uti ostendimus, aberratio ex infirmitate aut ignorantiâ non conferenda est cum aberratione destinata & malitiosa: nec qui paulum tantum à regula deflectit, eodem loco habendus cum eo, qui longè recedit. Uterque quidem à regula deflectit, ideoque neuter peccati expers est; sed quia alter altero longius recedit, ideo unius peccatum alterius peccato gravius est.

Nulli tamen licet indulgere. XXIX. Quod tamen eò non dicimus, quasi cuiquam libertatem concedamus, peccata aliqua, utpote minoris momenti, intrepidè & securè committendi. Licet enim peccata quædam in judicio divino leviora censeantur, à nobis tamen levia haberi non debent: nihil enim a Deo nobis vetitum leve aut parvum esse debet. Solius interdicti divini reverentia repagulum est quo à peccato cohibeamur. 2. Peccatum, alias leve, deliberato animo commissum grave redditur; non tam enim delicta æstimantur ex facto externo, quàm ex animo operantis. Quæ verò intentio magis directa esse potest, quàm peccare velle, fiduciâ remissionem obtinendi? Infirmitas aut subita abreptio peccati gravitatem minuit: deliberata intentio peccatum, in se levius, immane quantum exaggerat. 3. Quod nobis parvum videtur, à Deo quandoque severè vindicatur; quod nobis severis quibusdam judiciis Deus testatum voluit. Homo ob collecta Sabbatho ligna aliquot Dei jussu lapidatus est, *Num.* xv. 32. Saul, quia Deo sacrificavit, non exspectato Samuele, qui ad tempus constitutum non advenerat, cum tota posteritate regno privatur, 1 *Sam.* XIII 10. *& seqq.* Ipse Moses, quod virgâ sua rupem ad aquam eliciendam indignabundus bis percusserat, punitur, ne populum in terram promissam introducat, *Num.* xx. 11, 12. Usa manu arcam, quæ ruinam minabatur, tangens è vestigio morte è Deo punitur, 2 *Sam.* VI. 6, 7.

Cautela. XXX. Quare exitiosa est, & cum gravissimo animarum periculo conjuncta Pontificiorum de peccatis venialibus doctrina, qui limitationibus suis fermè omnia peccata venialia faciunt, ut in Casuistarum voluminibus videre est, eorumque veniam exiguâ impositâ mulctâ obtineri docent. Ita enim homines impunitatis spe, imò certâ promissione, ad peccandum tantum non sollicitant; &, quod pessimum est, viam ad seriam resipiscentiam præcludunt: per exiguam enim mulctam veniâ obtentâ, non est quod de resipiscentia, ut medio ad remissionem consequendam necessario, cogitent, sed in satisfactione à se peracta securi esse possunt.

CAPUT V.

De Obedientia præceptorum Jesu Christi, in genere

Obedientia nostra vocatur Fides & resipiscentia. I. HActenus naturam actionum moralium, tam bonarum quàm malarum, in genere consideravimus; restat ut ad specialem virtutum Christianarum, seu actionum à Jesu Christo nobis mandatarum, considerationem accedamus. Officium nostrum nobis à Domino Jesu præscriptum variis nominibus in Scriptura Sacra exprimi solet. Nonnunquam enim vocatur θεοσέβεια, aliquando εὐσέβεια, θρησκεία, ὁσιότης seu ἁγιωσύνη, justitia, observatio mandatorum Dei; quibus omnibus reverentia Deo debita, morumque nostrorum puritas, designatur. Solemne autem est in Novo Testamento omnia nostra officia nomine *Fidei*, ac *Resipiscentiæ*, exprimere; quæ voces aliquando solitariæ occurrunt, adeo ut earum alterutra totum hominis Christiani officium contineat: Fides quidem, *Joan*, III. 16. VI. 40. *Actor.* VIII. 37, 38. XVI. 30, 31. in quibus omnibus fidei salus adscribitur: & *Rom.* I. 16. vocatur Euangelium, *potentia od salutem omni credenti.* Vide & *cap.* III. 22. & passim alibi. Resipiscentia seu conversio, *Act.* III. 19. *Convertimini ut deleantur pecata vestra;* & *Luc.* XXIV. 47. dicit Servator, in suo nomine *prædicandam resipiscentiam, & remissionem peccatorum.* Aliquando utraque conjunguntur: *Marc.* I. 15. *Resipiscite, & credite Euangelio. Act.* II. 38. *Resipiscite, & unusquisque vestrum baptizator in nomine Jesu.* Ut doceatur, non nudam & sterilem fidem requiri, sed vivam, & bonis operibus fœtam, seu per charitatem efficacem.

Tres fidei acceptiones. II. Observandum itaque *Fidei* vocem varias admittere significationes. Nos aliis, in caput de Fide Christiana in specie, rejectis, tres tantum quæ huc spectant annotabimus. 1. Denotat assensum firmum, qui in mente est, divinis promissis adhibitum. Hoc sensu accipitur 1 *Cor.* XIII. 13. ubi expressè à spe & charitate distinguitur: & *Hebr.* XI. 1. ubi definitur, *substantia rerum sperandarum, & argumentum rerum quæ non videntur:* & *Jacob.* II. 19. 2. Assensum conjunctum cum rerum promissarum desiderio, & in se includit spem: sic *Galat.* V. 6. *In Christo nihil valet, nisi fides per charitatem efficax:* & 1 *Joan.* III. 23. *Hoc est illius* (Dei) *mandatum, ut credamus in nomen Filii ejus, & diligamus invicem.* 3. Etiam includit obedientiam divinorum mandatorum, sine qua promissa desiderata nemo consequi potest. Hoc sensu passim accipitur in Euangeliis, Epistola ad Romanos, alibique, ubi fidei soli justificatio & vita æterna adscribitur. Quod exinde evidentissimè liquet, quia aliquando fidei, uti statim vidimus, conjun-

jungitur resipiscentia; & præter fidem etiam charitas & divinorum præceptorum obedientia ad salutem requiritur: uti præter loca statim allegata liquet ex *Galat.* VI. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* & I *Cor.* VII. 19. *Circumcisio nihil est, præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei.* Ergo ubi solius fidei mentio fit, evidens est, charitatem divinorumque præceptorum obedientiam illi includi.

III. Operæ pretium est, inquirere, cùm variis nominibus obedientia nostra describatur, cur in Novo Testamento vocibus *Resipiscentiæ* & *Fidei* ea potissimum denotari soleat.

Cur resipiscentia appellatur. IV. Resipiscentiæ quidem voce obedientia nostra exprimitur, ut respectus habeatur ad statum nostrum priorem. Obedientia respicit solummodò tempus futurum, nullo status prioris habito respectu. Resipiscentiæ verò postulatum obedientiam exigit, quam inobedientia & transgressio præcessit, denotatque eum, cui resipiscentia præscribitur, antea fuisse peccatorem. Idque innuunt variæ voces ac phrases quibus exprimi solet, quæque cum resipiscentia eandem aut similem habent significationem: quales sunt, *conversio*, *Actor.* XIV. 15. XXVI. 18. 2 *Cor.* III. 16. *renovatio*, *Rom.* XII. 2. *Eph.* IV. 23. *Tit.* III. 5. *nova creatura*, 2 *Corinth.* V. 17. *Galat.* VI. 15. *regeneratio*, *Joan.* III. 6. *Tit.* III. 5. *exutio veteris, & indutio novi hominis*, *Eph.* IV. 22. *excitatio è somno & surrectio è mortuis*, *Eph.* V. 14. Quæ omnes idem significant, eandemque rem diversimodè, pro respectu diverso quo ad illam referuntur, repræsentant. Omnes verò in eo conveniunt, quod includant terminum à quo, & terminum ad quem, qui phrasi propriâ exprimuntur, *recedendi à malo, & faciendi bonum*, I *Pet.* III. II. Hunc autem ad præcedentem nostrum statum respectum officii nostri stipulatione inclusum voluit Deus sub Novo Fœdere, 1. Ut gratia Dei sub Novo Fœdere nobis continuò ob oculos poneretur, quod indigni vocemur ad participationem divinorum bonorum. Qui enim legem transgressus est, indignus est, qui vocetur ad novam gratiam; totaque illa vocatio indebitus ac immeritus est favor. 2. Ut pateat obedientiam nostram suâ virtute non mereri vitæ æternæ præmium, sed nobis illud contingere solummodò per gratiam divinam. Meritum enim perfectam & nunquam interruptam requirit obedientiam. 3. Ut innuatur, Christianum nunquam ad plenam pervenire perfectionem in hac vita, neque alicubi licere sistere, sed semper ulterius esse pergendum. Quia enim obedientia ejus tantum recessus est à vitiis, nunquam eam acquirit perfectionem, quin ulterius adhuc à vitiis recedere possit, majoremque perfectionem adipisci: nec peccati vis, cui antea assuetus fuit, ita penitus exstingui potest, quin, si debitam ac continuam non adhibeat curam ac vigilantiam, denuò accendi, ipseque in id relabi possit. Tandem, ut stipulationis divinæ æquitas appareat: quia enim Deus nos à miseria liberaturus à peccato ad justitiam vocat, quid æquius, quàm ut nos ex gratia liberati, caussam miseriæ nostræ, peccata & iniquitatem, deseramus?

V. Fidei autem voce cur obedientia Christiana denotetur, ratio est multiplex. Prima quidem: quia fides est causa ac radix bonorum operum, totiusque adeo obedientiæ nostræ. *Cur voce Fidei, ratio prima.* Est ergo hîc metonymia antecedentis pro consequente, vel potius causæ pro effecto. Simili locutione cum ea, quæ exstat *Rom.* X. 11. *Omnis qui credit in eum non confundetur:* coll. cum *vers.* 13, 14. *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit: Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* Et sic passim fidei, tanquam causæ & fonti, pietas nostra adscribitur: I *Joan.* III. 3. *Quicunque hanc spem habet in ipsum, purificat seipsum, quemadmodum ipse purus est. cap.* V. 4. *Fides est victoria quæ vincit mundum. Act.* XV. 9. *Fide purificantur corda.* & *Hebr.* XI. passim tot egregia heroum opera uni fidei adscribuntur. Eâdem ratione & cognitionis seu scientiæ nomine tota pietas Christiana venit: *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Vide & I *Joan.* II. 3, IV. 6, 7, 8. V. 20. Imo illi cognitioni disertè justificatio adscribitur, *Esa.* LIII. II. *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.*

VI. Secunda: Ut conditionis, quam *Secunda.* Deus nunc ad salutem exigit, exprimatur facilitas: eaque duplex. Prima: quia facile est credere id, ad quod fides hæc respicit, & ex quo pietas nostra, tanquam causa sua, procedit; scilicet hominem quando mortuus est ex morte resurrecturum, & in cœlos assumendum, ut illic æternum cum Deo beatus sit. Licet enim ardua illa sit fides, in sese spectata, & rationi humanæ adversari videatur; tamen exemplo Jesu Christi Servatoris nostri, quem Deus ex morte violenta resuscitatum, in cœlos ad dextram suam, tanquam præcursorem nostrum & salutis ducem, constituit, adeo evidenter est confirmata, ut, si quis id in dubium vocare velit, tantumdem faciat, ac si Christum mortuum, vel ex morte in vitam resuscitatum esse, negare velit, quod egregiè & fusè deducit Apostolus, *Rom.* X. 5, 6, 7, 8, 9, 10. Secunda: quia vox hæc indicat, Deum non parem ab omnibus exigere obedientiam; sed tantam, quantam fides, hoc est, certa divinorum promissorum exspectatio in ipso producere potest. Ea autem

tem cum in uno firmior & excellentior sit quàm in alio, neque in omnibus æqualis ad pietatem sit dispositio; hinc est quod fides ratione hujus diversitatis etiam inæquales in sanctitate progressus in diversis efficiat: omnes tamen, quicunque pro fidei suæ modulo sincerè sanctitati operam dant, justificationis ac salutis erunt participes. Opera autem Deus postulans, æqualem ab omnibus exigit obedientiam, id est, in nullo deficientem, & per totam vitam sine ullâ interruptione continuatam.

Tertia. VII. Tertia: Ut indicetur, obedientiam, quam præstamus, suâ virtute non mereri justificationem: Quia fides includit gratiam; id est; supponit revelationem & vocationem à parte Dei ex mera gratia prius homini concessam quàm homo obedientiam Deo præstet; ac proinde hominem eam Deo non suâ sponte præstare, sed à Deo gratiâ suâ præventum: illique conjungit gratiosam remissionem: secundum illud *Rom.* IV. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*; præscribitur enim peccatori. 2. Quia opera ex fide profecta, non tam sunt opera nostra, quàm Dei; quia ea promissorum suorum magnitudine, & Spiritus Sancti per illa operantis virtute, in nobis efficit. Illud docet Petrus 2 *Epist.* I. 4. per Christum *maxima & pretiosa nobis promissa donata; ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ, postquam effugimus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.* Et 1 *Epist.* I. 3. Deus *nos regeneravit in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*: per quam promissa divina de nostra resurrectione nobis validissimè confirmata sunt. Huc refer loca, in quibus verbum Euangelii vocatur *semen regenerationis*, *Jacob.* I. 18. 1 *Pet.* I. 23. quod de promissis vel imprimis intelligendum est: ipsumque Euangelium, *ministerium spiritus* 2 *Cor.* III. 8. Opera autem propriè dicta sunt, quæ labore humano, propriis viribus peraguntur: qualia Deus exigebat in Lege. Nulla enim in Lege exstat promissio Spiritus Sancti; & promissa Legis secundum literam accepta, erant tantum hujus vitæ, nullâ clarâ vitæ æternæ promissione addita. Non quod velimus, Deum illis promissis aliud nihil quàm vitæ hujus bona intendisse: imo credimus illis tanquam typo vitæ æternæ promissum inclusum: nec etiam, quosdam meliorem vitam non exspectasse; contrarium enim manifestè vel solum *cap.* XI. *ad Hebr.* evincit: vel tandem, planè eos destitutos fuisse auxilio Spiritus Sancti; sed quod illud vi fœderis strictè sumti non fuerit inclusum: ideoque rectè dici, Deum in Lege opera exegisse, id est, quæ verè opera sunt, labore & industriâ humanâ præstita, quibusque merces operi adæquata proponitur: talia enim opera propriè merentur, *Rom.* IV. 4. 3. Quia fides, quatenus ad promissionem gratuitam refertur, retributionem exspectat ex sola gratia Dei promittentis: indicat ergo, obedientiam quam nos Deo præstamus, non impetrare justitiam aut salutem sua vi aut merito, sed vi pacti seu promissionis gratuitæ, quæ fide apprehenditur: juxta *Galat.* III. 18. *Si ex Lege hæreditas, jam non ex promissione.*

VIII. Quarta: Quia fides semper respicit in Deum, tanquam primum salutis nostræ fontem, fidei itaque appellatione obedientiam nostram venire vult, quia eâ pietate, quæ in ipsum, ut salutis fontem, respicit, præcipuè delectatur. Sicut enim salutis auctor est, ita & pro auctore agnosci cupit. *Quarta.*

CAPUT VI.

De Scientia

I. Virtutes speciales, quibus vitæ Christianæ officium constat, in duo summa genera distribui possunt: aliæ quippe sunt virtutes mentis seu intellectus: aliæ voluntatis, seu morum. Priores oculi instar animæ Christianæ inserviunt, quo aliæ dirigantur: præcedat enim oportet mentis illustratio directionem voluntatis. Virtutes mentis duæ sunt: Scientia, & Prudentia. Solet ab aliis etiam adjungi Fides: verùm nos in capite de Fide, eam non solius mentis, sed & maximè esse voluntatis actum ostendemus. Quod autem Scientiam & Prudentiam attinet, aliquando harum appellationes confunduntur in Scriptura Sacra. Ita σοφία, quâ propriè Scientia denotatur, 1 *Cor.* I. 30. II. 6, 7. *Eph.* I. 8, 17. *Coloss.* I. 9, 28. significat Prudentiam, *Rom.* XVI. 19. *Eph.* V. 15. *Coloss.* IV. 5. Rursus φρόνησις, quæ ordinariè Prudentiam sonat, denotat Scientiam, *Eph.* I. 8. Cùm tamen ex sequentibus patebit, duas esse distinctas virtutes, & distinctis constare officiis. *Virtutes intellectus.*

II. *Scientia est virtus intellectualis, quâ res ad salutem spectantes cognitas habemus.* Objectum itaque Scientiæ sunt *res ad salutem spectantes.* Scriptura objectum hoc diversis phrasibus exprimere solet, sed quæ per Synecdochen partis pro toto acceptæ omnes idem enuntiant. Aliquando Deum Scientiæ objectum ponit, exigens cognitionem Dei, *Eph.* I. 17. 1 *Joan.* II. 13. aliquando Christum, *Eph.* IV. 20. 2 *Petr.* I. 8. II. 20. III. 18. 1 *Joan.* II. 3, 4. cui quandoque quid additur, ad munus ipsius, quo fides nostra nititur, spectans: ut *Philip.* III, 10. *Ut cognoscant illum, & virtutem resurrectionis ejus*, &c. Aliquando Deum & Christum conjungit: *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, & 2 *Corinth.* IV. 6. Aliquando voluntatem Dei, *Coloss.* I. 9. *ut impleami-* *Scientia. Illius objectum.*

ni agnitione voluntatis ejus. Omnes hæ phrases, & similes, idem prorsus significant. Per *voluntatem* enim *Dei* intelligitur in Novo Testamento ea, quam Christus nomine Patris sui nobis revelavit. Quoniam autem hæc absque cognitione Dei Patris, & Jesu Christi, rectè cognosci non potest; ideo voluntatis divinæ cognitio, Dei & Christi cognitionem includit. Et quia nemo hodie Deum nosse potest, nisi per Christum ejusque doctrinam divinissimam, in qua Pater omne suum beneplacitum nobis revelavit; hinc & qui Christum novit, etiam Deum novit: sic *Joan.* XIV. 7. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.* & *vers.* 9. Unde & *omnis plenitudo divinitatis*, hoc est, divinæ voluntatis, *in ipso*, hoc est, in ipsius Euangelio, *habitare* dicitur, non in figuris & umbris, ut olim, sed *corporaliter*, *Coloss.* II. 9. Quod ut Scriptura ostendat, utriusque cognitionem conjungit, *Joan.* XVII. 3. simul ut innuat, non quamvis Dei cognitionem esse salutarem, sed eam tantum, quæ à Jesu Christo annuntiata est. Potest etiam cognitio Dei & Christi, si utraque strictius sumatur, distingui; ut cognitio Dei respiciat naturam, attributa, & opera divina; Christi verò notitia, ejus personam & munera; de quibus in præcedentibus actum est.

Proprie, res ad salutem æternam spectantes. III. Nos, ut omnia simul complectamur, objectum scientiæ constituimus, *res ad salutem æternam spectantes.* Eæ autem sunt, vel absolutè ad salutem necessariæ, vel utiles. Absolutè necessarias voco, sine quarum cognitione nec officium à nobis requisitum præstari, nec salus æterna obtineri potest. Illæ autem sunt, vel mysteria fidei credenda, quatenus cultus nostri fundamentum sunt; vel præcepta à nobis observanda; vel promissa spe certâ à nobis exspectanda. Tribus quippe hisce totius cultus nostri ratio comprehenditur. Utiles sunt; quarum cognitio non quidem præcisè requiritur ad salutem; sed quarum tamen cognitio multum confert ad corroborationem in fide necessariarum, & majorem in pietate profectum; & quibus neglectis, aut per errorem male perceptis, fides in necessariis labefactari, aut pietatis studium arduum magis ac difficile reddi potest. Qualia ex: gr. multa sunt, quæ in Epist. ab Hebr. ad pleniorem munerum Christi, præcipuè Sacerdotalis, typorumque Veteris Testamenti in eo complementi intelligentiam, pertractantur. Quanquam & hæc, pro arctiore aut minus arcto cum necessariis nexu, majoris vel minoris utilitatis rationem habeant. Absolutè autem necessaria præcipuum scientiæ nostræ objectum esse Apostoli manifestè satis indicant, quoniam de scientia hac loquentes, & præsertim majorem in ea profectum fidelibus optantes, certas quasdam doctrinæ Christianæ partes explicare nonnunquam solent, quarum penitiorem cognitionem optant: quia illis promissæ salutis certitudo maximè nititur, & pietatis salutaris fundamentum: ut *Eph.* I. 16, 17. & *seqq.* & III. 18, 19.

IV. Scientiæ hujus attributa duo commemorat Scriptura. Primum, quòd sit *spiritualis.* *Coloss.* I. 6. *in omni sapientia & intellectu spirituali.* Quia nempe à spiritu divino ortum ducit, utest I *Cor.* II. 6, 7. & quia circa spiritualia versatur, hominemque carnalibus desideriis exstinctis verè spiritualem reddit. Alterum, quod sit cœlestis, sive *desuper*, *Jacob.* III. 17. hoc est, è cœlo, à Deo patre luminum, à quo omne bonum donum descendere dicitur, *Jacob* I. 17. & circa cœlestia occupatur, ac proinde ad cœlestem vitæ rationem, seu ambulationem in cœlis, instruit; & opponitur sapientiæ terrenæ, animali, ac diabolicæ. *Ejus attributa.*

V. Distinguitur Scientia, quod alia sit rudior & imperfectior, alia exactior & perfectior. Rudior scientia est, quando quis rudimenta tantum religionis Christianæ, absolutè ad salutem necessaria, cognita habet; vel, ea quæ cognoscit, minus distinctè & accuratè novit, neque de earum soliditate sufficienter persuasus est. Hæc cognitio *lacti* comparatur, *Hebr.* V. 13. I *Cor.* III. 2. & vocatur *sermo initii Christi*, *Hebr*, VI. 1. & eâ imbuti, vocantur pueri & infantes in Christo; locis dictis. Perfectior; seu exactior est, cùm plura, quæ ad majorem necessariorum explanationem, certioremque illorum fidem inserviunt, cognoscimus, eaque penitius & accuratius comprehendimus, ac de soliditate, quâ nituntur, persuasi sumus. Hanc intelligit Christus, quando se jam cognoscentibus sibique obedientibus scientiam pollicetur, id est, exactiorem & magis distinctam & solidam rerum ad salutem spectantium cognitionem; *Joan.* VIII. 32. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.* Et. *cap.* XIV. 11. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et Apostoli, fidelibus scientiam & illuminatos oculos cordis comprecantes, *Eph.* I. 17, 18. *Coloss.* I. 9, 10. *Scientia alia est perfectior alia imperfectior.*

VI. Secundò. Scientia alia est theoretica, quæ solam scientiam sibi scopum habet, neque ad morum emendationem directa est: estque scientia omnium eorum, quæ solummodò ad mentis perfectionem spectant, sine ullâ ad mores relatione: vel etiam, eorum, quæ mores dirigunt, ut præceptorum divinorum ac promissorum, sine ullâ tamen ad morum emendationem applicatione: unde & inefficax vocari solet. De hac accipiendum, quod legimus I *Cor.* XIII. 2. *Etiamsi habuero omnem scientiam, & noverim omnia mysteria, charitatem autem non habuero, nihil* *Alia theoretica, alia practica.*

sum.

sum. Rom. I. 18. *& seqq. Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*, &c. *Luc.* XII. 47. *Jacob.* IV. 17. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Alia est practica & efficax, quæ adeo altas in hominum animis radices egit, ut mandatorum divinorum obedientiam producat. De hac accipiendum illud Christi, *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum:* non enim nuda Dei & Christi cognitio ad salutem sufficiens est; sed Dei Christique cogniti debitus cultus. Adde I *Joan.* II. 3, 4. *In hoc scimus quod cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non observat, mendax est, & in hoc veritas non est. Cap.* III. 6. *Omnis qui peccat, non vidit eum nec cognovit eum Cap.* IV. 7, 8. *Omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est.*

Quæ sit inefficax. VII. Scientia inefficax, est confusa, generalis & superficiaria cognitio, animum ad obsequium non flectens; vel si sit exactior & plenior, nuda tantum est veritatis cognitio, apprehensæ solummodò ut veritatis cujus cognitio intellectui grata est; non autem tanquam veritatis necessariæ, cui assentiri homo debet. Hinc videmus in quibusdam multum esse scientiæ, parum conscientiæ, qui plura, eaque exactè noverunt, sed interim verâ pietate carent: quia promissis divinis solidam non adhibent fidem, vel amore mundi hujus fascinati, promissorum divinorum certitudinem, magnitudinem & excellentiam debitè ad animum non revocant; ideoque languidè ea amant, nec eorum amore res mundi, unicè sibi dilectas, despicere & abnegare cupiunt. Hæc si solitaria est, neque ex sese alteram illam, quam efficacem vocamus, producat scientiæ Dei seu Christi nomine indigna est; quia effectum ad quod destinata est, non producit, ac proinde mutila ac manca est, nec debitam habet perfectionem. Quod autem eâ destitutum est, perinde ac si planè non sit censetur. Unde Scriptura tales pronuntiat Deum non nosse: I *Sam.* II. 12. *Filii Eli filii erant Belial, nec agnoscebant Jebovam. Jerem.* II. 8. *Sacerdotes non dixerunt, ubinam est Jebova? & tenentes legem non noverunt me; & pastores prævaricati sunt in me.* Et cap. IX. 3, 6. *Ose.* V. 4. *Non permittent opera eorum ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis est in mediis eorum, & Jebovam non cognoverunt.* Imo vocat stultos, quin & bobus & asinis assimilat: *Esa.* I. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem non cognovit, populus meus non intellexit. Jerem.* IV. 22. *Stultus est populus meus, me non agnoverunt, filii insipientes sunt, & non intelligentes: sapientes sunt ad male faciendum, bene facere autem non noverunt.* Et de hisce dicit, quod *profiteantur se Deum nosse, factis autem negent*, *Tit.* I. 17. Vide & *Joan.* VIII. 55. XVII. 25. 2 *Thess.* I. 8. Licet autem hæc cognitio ad salutem sufficiens non sit, neque ad sincerum pietatis amorem ingenerandum; sufficiens tamen est ad homines, in quibus reperitur, coram Deo inexcusabiles reddendum: quia in ipsorum opinione sufficiens est; unde & nonnunquam de solida ac genuina cognitionis Dei ac Christi scientia gloriari solent: deinde, quia solo ipsorum vitio scientia hæc inefficax est: possent quippe, modò animum docilem, & à pietate Christiana non alienum adferant, ita cognitione illâ affici, ut plenè promissis divinis adstipulentur, eorumque magnitudine ad obedientiam incitentur.

VIII. Scientia efficax distincta est & solida, quâ non tantum veritatem salutarem, præsertim præcepta & promissa divina, ejusque fundamenta quibus tota ejus certitudo innititur, distinctè cognita habemus, sed & ut veritatem necessariam amplectimur; vel, licet cognitio nostra adeo distincta non sit, de certitudine veritatis divinæ, pronissorumque divinorum magnitudine, nullatenus dubitamus. Talem notitiam comitatur obedientia: quia est notitia rei, quæ credita animoque persuasa, non potest, quin moveat voluntatem ad amorem & obsequium, summum vid: bonum ab una, & summum malum ab altera parte. Bonum enim summum non potest quin homo amet: malum summum non potest quin abhorreat: solidè ergo persuasus, se bonum summum adipisci posse, neque adepturum nisi conditiones præscriptas præstet, illius amore incitatus conditiones illas lubens ac alacri animo præstabit. Et quia hæc scientia perfecta est, finemque suum assecuta, ideo ea sola cognitionis Dei nomine venit. *Jerem.* XXII. 15, 16. *Pater tuus an non comedit, & bibit, & fecit judicium & justitiam, & tunc bonum fuit ei? Judicavit judicium pauperis & egeni, & tunc bonum fuit ei. Nonne hoc est nosse me, dixit Jebova? Job.* XXVIII. 28. *En timor Domini est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Psal.* CXI. 10. & *Proverb.* I. 7. *Principium sapientiæ timor Domini. Ose.* VI. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium, & cognitionem Dei præ holocaustis.* Et alibi. Unde &, si quando contingat aliquem scientiâ istâ præditum videri, neque illi convenienter vitam instituit, necesse est, ut in ipsa scientia defectus sit, quod vel non ita exactè noverit, vel non solidum rebus cognitis assensum præbeat; licet contingere possit, ut homo sibi ipsi falsâ persuasione imponens, & se satis perfectè scire, & solidè credere, opinetur. *Quæ efficax.*

Signa scientiæ inefficacis. IX. Explorare autem potest homo animum

mum suum, utrum solida præceptorum promissorumque divinorum cognitione imbutus sit, vitam suam examinando, & ex factis judicium ferendo de amore quo singula prosequatur. Siquidem perfunctoriè scientes, infantibus, plenè autem ac perfectè, viris ac adultis conferuntur, 1 *Corinth.* III. 1, 2. *Hebr.* V. 11, 12; 13, 14. Amor ergo rerum minus dignarum neglectis dignioribus, aversio à rebus utilibus sed ingratis, pueritiam in scientia arguit, & vivendi rationem per omnia pueris similem. Ex: gr: Pueri horrent castigationem parentum, tanquam rem malam, licet sibi maximè utilem. Signum itaque est infantiæ in cognitione Christi, crucem & adversa horrere, tanquam nobis revera noxia: cùm nobis sint utilia, ne ad mundum ejusque cupiditates deflectamus; 1 *Cor.* XI. 32. & ut languentes affectus erigamus, *Hebr.* XII. 12. *Apoc.* III. 19. Hinc David *Psal.* CXIX. 71. *Bonum mibi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* 2. Pueri amant vilia, pomum præ adamante; adulti verò ea negligunt. Ita infantiæ in scientia Christi indicium est, divitias & voluptates mundi sectari præ cœlestibus: perfectioris verò scientiæ, ea flocci facere, & Dei causâ abjicere: Mosis instar *Hebr.* XI. 24, 25, 26. & Pauli, *Phil.* III. 7. 3. Pueri ejulant si ipsis crepundia ac deliciæ suæ, res vilis momenti, eripiantur; si pater aut mater moriatur vix ullum sentiunt animo dolorem. Ita signum est infantiæ in Christo, tristari vehementer ob bona mundi amissa; sed favore divino amisso non commoveri. Tandem, terrentur pueri phantasmate, quod eos lædere non potest; quæ verò lædendi vim habent intrepidè tractant, ut cultrum, venenum, &c. Sic & infantiæ in Christi cognitione argumentum est, terreri cruce tanquam μορμολυκείῳ quodam, quæ tamen saluti eorum noxam inferre non potest, imò ad illam utilis est; peccata autem, certissimum & lethale animæ venenum, intrepidè committere. Hæc quippe omnia arguunt, cognitionem Jesu Christi aut nullas, aut saltem exiguas in animo nostro radices egisse: quo in statu homini minimè acquiescere ac securum esse licet: unde & tales vocantur *carnales*, 1 *Cor.* III. 1, 3. & *Cap.* XIV. 20. monemur, *ne pueri efficiamur intelligentiâ, sed malitiâ parvuli simus, intelligentiâ autem perfecti.* & 2. *Pet.* III. 18. *Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.*

Media acquirendi scientiam efficacem. X. Ita debitè explorato animo nostro, si ipsum verâ ac solidâ Christi scientiâ non ut oportet imbutum deprehendamus, media adhibenda sunt, quibus ea acquiri possit. Ea autem varia sunt. Primum ac primarium est, lectio crebra ac assidua verbi divini, quod omnia ad salutem necessaria ac utilia plenè ac perfectè continet, cujusque lectione homo ad quævis officia Christiana plenissimè instrui potest: uti docetur 2 *Tim.* III. 15, 16, 17. & *in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt*, *Coloss.* II. 3. Unde *cap.* III. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientiâ.* Quod sine creba lectione fieri nequit. Secundum, pia colloquia, quibus cum hominibus peritioribus cognitionisque divinæ studiosis genuinus verbi divini sensus inquiritur. Inde *Hebr.* X. 24. *Consideremus invicem provocationem charitatis & bonorum operum.* Nam, *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui*, *Proverb.* XXVII. 17. Tertium, ardentes ad Deum preces, quibus verbi divini, nobis non satis perspecti, intelligentiam acquirimus: *Jacob.* I. 5 *Si quis vestrum sapientiâ indigeat, postulet à Deo, qui dat omnibus abundanter; & dabitur ei.* Quartum, pietatis studium, animique pia docilitas: *Psal.* XXV. 14 *Secreta Domini timentibus eum; & testamentum ipsius ut manifestetur illis.* *Joan.* VII. 17. inquit Dominus, *Si quis voluerit voluntatem ejus* (Dei) *facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Doctrina enim Jesu Christi, est doctrina pietatis ac sanctimoniæ; ideoque in animos hominum pietatis studiosorum facile influit; quoniam doctrinâ ejusmodi delectantur, eamque ut plenè cognitam habeant, omnes ingenii vires intendunt, *Prov.* VIII. 9. inquit Sapientia, *Recti sunt sermones mei intelligentibus, & æqui invenientibus scientiam.* *Cap.* XIV. 6. *Quærit derisor sapientiam, & non invenit; doctrina prudentium facilis.* Impiis autem ad illius cognitionem aditus est præclusus; est quippe ipsorum cupiditatibus adversa, ideoque ejus sanctitatem & certitudinem æquâ judicii lance ponderare nesciunt: *Proverb.* XXIV. 7. *Excelsa stulto sapientia, in portâ non aperiet os suum.* Hinc. *Sapient.* I. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Imprimis verò cupiditatibus carnalibus servientes ad illam acquirendum inepti sunt; unde gentes in impudicitia ambulantes, dicuntur *tenebris habere obscuratum intellectum*; *Eph.* IV. 17, 18. è contra videmus reginæ Candaces eunuchum animo pio ac docili Scripturas legentem, Philippi à Deo ad ipsum missi instructione, genuinum illius sensum intellexisse, & ad fidem in Christum conversum, *Actor.* VIII. Quintum est humilitas, ne propria sapientiæ opinione turgeamus, sed illâ abnegatâ totos nos Deo informandos tradamus, & ex ipsius verbo scientiam nobis necessariam hauriamus. Sic ait Dominus, *Matth.* XI. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Magis enim humilibus, quàm fastuosis doctrina Christi est accommodata, docente id

fusè Apostolo, 1 *Cor.* 1.23. *& seqq.* Tandem, scientiæ nobis à Deo concessæ rectus usus, ad gloriam divinam, nostrique in pietate profectum: nam *habenti*, id est, eo quod habet rectè utenti, *dabitur, & abundabit*; *non habenti autem*, hoc est, eo quod habet non utenti, sed perinde ac si careret negligenti, *& quod videtur habere auferetur ab eo*, *Matth.* XXV. 29.

Rationes ad eam incitantes. XI. Rationes autem & argumenta, quibus ad sapientiæ studium excitari debet homo, variæ sunt. Prima quidem petitur ab ipsius Scientiæ præstantia, quia est oculus animæ spiritualis, cujus directione sese sustentat, ne cespiret aut labatur; eo destituta in tenebris ambulat, & facile, cœci instar, impingit. *Joan.* XII.35. *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris nescit quò vadat.* Tales dicuntur, *cœci*, & *manu tentare*, 2 *Pet.* 1. 9. & in devia quæque abripiuntur, ita ut vel non faciant bonum, vel saltem non bene, sed fortuitò. Unde reprehenduntur Judæi, quod *zelum* quidem *habeant, sed non secundum scientiam*, *Rom.* X. 2. Tantum enim quisque pietati studere potest, quantum illius habet cognitionem. Secunda: Quia ad scientiam sumus vocati; Christiani quippe sunt filii lucis, imò lux in Domino; cum ignorantes sint tenebræ, *Eph.* V. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.* Nemo autem lucem expertus tenebras amabit. Tertia: Scientia hæc requisitum est necessarium in fœderatis Dei, qui ex eo cognoscuntur, quod omnes Deum norint, à minore usque ad maximum, *Hebr.* VIII. 11. Quarta: Honestam ac spiritualem animo adfert voluptatem; est enim bonum animæ convenientissimum, & ad illius perfectionem faciens: *Prov.* XXIV. 13, 14. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo: Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inveneris habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit.* Quinta: Qui scientiam negligunt, bestiis comparantur: *Psal.* XXXII.9. *Nesitis similes mulo & equo quibus non est intellectus.* Imò bestiis deteriores pronuntiantur *Esa.* 1. 3. *Jerem.* VIII. 7. Tandem, illius contemtus ac neglectus causa est condemnationis, *Joan.* III. 19. *Hoc est judicium, quod lux venerit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem, erant enim opera ipsorum mala.* Ejusque privatio summa est miseria, diabolumque habet auctorem, qui *infidelium mentes excæcat*, 2 *Corinth.* IV. 4. & in quam homines ob veritatis contemtum Deus justissimo judicio incidere permittit, *immittens illis efficaciam erroris, ut credant mendacio*, 2 *Thess.* II. 11. *Sicut enim non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, *Rom.* 1. 28. Qui status omnium est miserrimus, omniumque beneficiorum spiritualium fontem obstruit, hominemque planè à Deo ad vanas concupiscentias abducit.

XII. Opposita Scientiæ peccant vel in excessu, vel in defectu. In excessu peccat Curiositas, quando homo, neglectis utilibus clarèque à Deo revelatis, inutilia, & abscondita, quæque Deus nobis occulta esse voluit, inquirit. *Opposita eum in excessu, curiositas.* Hanc damnat Apostolus, jubens, ut *non sapiamus plus quàm oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem*, *Rom.* XII. 3. Curiositas autem hæc multiplex est. 1. Quando scire cupimus, quæ Deus nobis non revelavit: qualia multa ab hominibus inquiruntur, quorum nulla in Scripturis, unde hauriri solummodò eorum cognitio potest, reperiuntur, quæque Deus sibi soli reservavit. *Deut.* XXIX. 29. *Abscondita Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba Legis hujus.* Nam *gloria Dei est celare verbum*, *Prover.* XXV. 2. Tale erat Discipulorum Jesu Christi quæsitum, *Act.* 1. 6, 7. *Domine, an in tempore hoc restitues regnum Israel?* Quibus Dominus respondit: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Talis est eorum disquisitio, qui tempus ultimi judicii inquirere, & tantum non definire audent; cùm hoc sit arcanum soli Deo notum, nullique homini, ne angelis quidem, imo nec Filio in terris adhuc degenti, revelatum, *Marc.* XIII. 32. 2. Quando inquirimus ea, quæ ad nos nihil pertinent, sed alios concernunt: qualis fuit curiositas Petri, cui cùm Dominus prædixisset, quâ morte Dominum esset glorificaturus, quærit de Joanne, *Domine hic autem quid?* Dominus, hanc curiositatem increpans, respondit; *Si volo eum manere, donec veniam, quid ad te? tu sequere me Joan.* XXI. 18. &c. & Judæi illius, qui audita Domini doctrina, quærit, *an pauci sint qui salvantur?* Qua curiositate rejecta, Dominus ipsum ad salutis studium hortatur, *Contendite intrare per angustam portam*, &c. *Luc.* XIII.23,24. 3. Quando, necessariis neglectis, totam aut saltem præcipuam operam ponimus in inquisitione inutilium, quæ & inquisitu molesta sunt, & rixas pariunt, & nullius ad pietatem sunt usus. Quales sunt quæstiones de *genealogiis*, *vocum novitates*, *oppositiones falsò nominatæ scientiæ*, *stultæ quæstiones*, *contentiones*, *& pugnæ legis*, quas Apostolus passim damnat, quod sint *inutiles & vanæ*, & *lites generent*, *non autem ædificationem Dei quæ est in fide*: 1 *Tim.* 1. 4. VI. 20. 2 *Tim.* II. 23. *Tit.* III. 9. Talia multa sunt, quæ hodie à Scholasticis de natura ac decretis divinis, præter Dei verbum, subtiliter disputantur, aliæque quæstiones inutiles & vanæ, de quibus Erasmus in Annot. ad 1. *Timoth.* 1.6.4 Quando

do non acquiescimus in Dei voluntate, sed & ejus rationem ac causas volumus investigare, audacter definientes judiciorum divinorum, quæ nonnunquam in hoc sæculo exercentur, causas & fines; eaque vel impietatis hominum, ac pœnæ divinæ, in his, vel probitatis ac constantiæ explorationis in aliis, prout diversimodè erga hunc & illum affecti sumus, judicia esse determinare audemus. Quid hoc est, nisi se Dei consiliarium gerere? contra *Rom.* XI. 35. *Quis consiliarius ejus fuit?* & de fratris nostri actionibus earumque sinceritate aut hypocrisi, quæ utpote in corde latens, occulta nobis est, tanquam re manifestâ, judicium pronunciare: contra illud *Jacobi*, *cap.* IV. 12. *Unus est legislator & judex, qui potest perdere & liberare: tu autem quis es, qui judicas proximum?* Et in curiositate hoc quidem pessimum est, quod homines reddat præsumtuosos, & opinione scientiæ suæ inflatos; juxtà illud 1 *Cor.* VIII. 1. *Scientia inflat.*

In defectu, ignorantia. XIII. Oppositum in defectu, est Ignorantia, rerum nim: quæ ad salutem requiruntur, sive sint prorsus necessariæ, sive utiles solummodò. Hæc distinguitur in ignorantiam simplicem, sive puræ negationis, & in ignorantiam pravæ dispositionis. Ignorantia simplex est, cùm aliquis simpliciter ignorat veritatem salutarem; fitque id vel revelationis, vel intellectus defectu: posterior locum habet in infantibus, & fatuis: prior in Ethnicis, quibus nunquam Christi prædicatio obtigit. Quanquam vix ac ne vix fieri potest, ut in adultis, quique intelligendi vi pollent, totius religionis ignorantia reperiatur; utpote quæ & naturâ ac ratione magistrâ aliquatenus cognosci potest: sed solummodò partium quarundam, ad quarum cognitionem aut accuratior investigatio, aut Dei revelatio necessaria est. Ignorantia pravæ dispositionis est, quæ errorem loco veritatis amplectitur: estque vel in infidelibus, qui idola verum credunt Deum, verbumque sibi annuntiatum rejiciunt: vel in graviter errantibus, qui Scripturæ sensum magni ad salutem momenti non percipiunt; vel in apostatis, qui fide rejectâ ad priorem infidelitatem deflectunt. Estque hæc ignorantia priore deterior; ac difficilius evelli potest. Secundò, ignorantia vel est affectata, vel non affectata. Affectata in homine est ipsius culpâ, & quidem notabili; vel quòd deditâ operâ velit ignorans esse, vel quòd media ad scientiam acquirendum obvia studio negligat, non aliter ac si ignorans esse velit, ut securius & minore cum conscientiæ remorsu cupiditatibus suis frænum laxare possit: quales sunt, qui *Job.* XXI. 14. *Deo dicunt; recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Non affectata est, quæ quidem non absque omni culpa hominis est, sed à qua tamen culpa notabilis abest; ut quod non animo malo, sed ex mera negligentia, non adhibuerit omnem, quæ à viro salutis suæ studioso adhiberi potest, diligentiam, ut ab ignorantia sua liberetur. Non caret quidem culpâ, quoniam negligentia vitium est fœdum, eoque periculosius, quò minus ab homine percipitur; non tamen ullatenus cum ignorantia affectata in comparationem venire meretur, quæ cum insigni malitia conjuncta est; ideoque condemnationis causa à Domino pronuntiatur, *Joan.* III. 19. & ab Apostolo, 2 *Thess.* I. 8. & propter illam Deus gentes tradidit in reprobam mentem, *Rom.* I. 28. præsertim si affectetur ab hominibus, majorem sibi scientiæ gradum adscribentibus, ut totam religionem derideant, & concupiscentiis suis indulgeant; de quibus Petrus 2 *Epist.* III. 3, 4, 5.

CAPUT VII.

De Prudentia.

I. PRudentia est altera virtus mentis, quæ & Sapientiæ & Scientiæ nomine nonnunquam in Sacris Literis appellatur; sed & proprio nomine à Scientia distinguitur, vocaturque φρόνησις, à φρὴν mens, quia singularem mentis attentionem requirit, ut quid faciendum quid omittendum sit provideat. Licet autem vox abstracta φρόνησις raró occurrat in Sacris, ejus tamen concretum aliquoties legitur, φρόνιμος, *Matth.* VII. 24. X. 16. XXIV. 45. XXV. 2. *Luc.* XII. 42. uti & adverbium φρονίμως, *Luc.* XVI. 8. Differt à Scientia, quòd ea propriè ac immediatè circa cognoscibilia versatur: Prudentia vero circa facienda, docetque cognita ad vitæ usum dirigere. *Prudentia.*

II. Est itaque *Prudentia virtus intellectualis, quâ homo proposito sibi fine honesto, media ad illum ducentia tum sibi tum aliis rectè investigare, & observatis temporum, locorum ac personarum circumstantiis, ad finem optimum consequendum dextrè accommodare potest.* Primum ergo Prudentiæ requisitum est, honestum sibi finem præscribere; ille quippe si sit inhonestus, nec media ad illum ducentia, utut specie honesta, probari possunt. Finis autem vel est universalis, seu totius vitæ, vel particularis. Finis universalis seu totius vitæ, est gloria Dei, & nostra proximique salus æterna, qui duo quidem sunt distincti fines, sed arctè adeo cohærentes, ut separari nequeant: salus quippe nostra refertur ad Dei gloriam; & gloriam Dei promoventes nostram proximique salutem intendimus. Sic 1 *Corinth.* X. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ad salutem autem in omni actione esse spectandum docet Apostolus 1 *Tim.* VI. 12. *Ejus definitio.* *Requisitum primum.*

VI. 12. *Apprehende vitam æternam, ad quam vocatus es. Hebr.* XII. 1, 2. *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; adspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, &c. Particulares vitæ nostræ fines sunt varii, & huic ultimo ac universali subordinati, eique sive per se sive per accidens subservientes: qui rectè à nobis constitui non possunt, nisi primò & ante omnia universalis finis debitè constitutus sit: quoniam enim particulares fines ulteriori subordinantur, nisi ultimus nobis definitus sit, nec particulares rectè definiri possunt; saltem solidæ vitæ beatitudini non inserviunt. Non autem necesse est, ut semper directè ad ultimum & generalem illum finem dirigantur. Sufficit finem illum ultimum semel à nobis definitum esse. Qui enim firmiter proposuit, omnibus actionibus gloriam Dei, suamque & proximi salutem promovere, nihil isti fini adversum committit, omnesque ejus actiones, licet actu semper de eo non cogitet, ad eum dirigentur.

Secundum.) III. Alterum est, ut media huic fini assequendo idonea eligantur. In iis autem requiritur. 1. Ut sint honesta: nam ex mediis de finis natura judicium fieri solet, & si media sint inhonesta nec agentis scopus honestus judicatur. Qui enim æqualia facit illi, cui inhonestus finis est propositus, eundem habere creditur. Et quia nulla communio est justitiæ cum injustitia, nunquam istis mediis, in speciem licet valdè accommodata appereant, finis honestus obtinebitur. 2. Ut fini consequendo sint accommodata: idque proprium est prudentiæ munus. Viri boni est, media honesta eligere: prudentis verò, non alia, nisi quæ ad finem obtinendum sunt accommodatissima. Et quoniam circumstantiæ temporum, loci ac personarum, magnam rebus agendis varietatem inducunt, prudentiæ est, circumstantiarum circumspectâ ratione habitâ, eligere, quod pro unaquâque circumstantiâ convenientissimum est. Siquidem una eademque actio pro circumstantiarum varietate modò laudanda, modò vituperanda est; ejusdemque virtutis actiones diversimodè exercendæ singulisque circumstantiis attemperandæ sunt. De quibus in sequentibus latius.

Tertium. IV. Tertium est; ut mediis ita electis homo accuratè utatur, sollicitè prospiciens, ne quid factu utile omittat, neve noxium committat. *Eph.* v. 15. *Videte itaque fratres quomodo cautè, ἀκριβῶς, ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes.* Præcipuè ut ad finem optimum, semel maturo ac deliberato judicio electum, omnia sua dirigat, & cætera omnia deserat, ut illum unum consequatur. Unde regnum cœlorum à Servatore comparatur thesauro, quem homo in agro inventum abscondit, omnibusque venditis, agrum illum emit: & margaritæ pretiosæ, quam mercator visam, omnibus suis divenditis mercatur, *Matth.* XIII. 44, 45, 46.

V. Distinguitur Prudentia, in religiosam & civilem: distinctione desumta ab utriusque objecto, non autem à naturæ utriusque diversitate; cum utraque in homine Christiano, sed unaquæque juxta pretium suum, esse debeat, alteraque alteri manum porrigere; semper tamen debito ad statum hominis Christiani, munusque unicuique concreditum, habito respectu. Religiosa est, quæ media accommodata ad salutis æternæ consecutionem docet eligere, & quomodo se homo in negotio religionis gerere debeat. Eaque est vel cujuscunque hominis Christiani, vel illi peculiaris, cui munus aliquod sive Ecclesiasticum, sive politicum, demandatum est, quo ad religionis tutelam & propagationem obligatus est. Nos de priore nunc solummodò dicemus; posteriore in tractatum de particularibus vocationibus rejecta. *Prudentia religiosa.*

VI. Officia prudentiæ religiosæ varia sunt. Primum est, omnia debitè ponderare, & uniuscujusque rei pretium investigare: eoque investigato, præstantissima summo amore prosequi; reliqua vel minore vel majore amore, prout vel magis vel minus arctam cum præstantissimis connexionem habent. Cum itaque salus æterna, sive futuræ vitæ bona, incomparabiliter bonis hujus vitæ præstantiora sint, *quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt*, 2 *Corinth.* IV. 18. hinc prudentiæ officium est, sibi vitam æternam unicè & ante omnia propositam habere, etiam, si aliter obtineri nequit, abnegatis omnibus hujus mundi bonis & toleratis omnibus vitæ hujus adversis: nam *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur nobis, Rom.* VIII. 18. Similiter, quia fides in Jesum Christum, mandatorumque divinorum observatio, est bonum arctissimè cum vita æterna conjunctum, omnibus mundi bonis præponderare debet. Ab altera parte, malum omnium gravissimum maximè horrere, aliaque mala vel magis vel minus, quantò vel magis vel minus ad summum malum referuntur. Ita condemnationem æternam horrere decet, præ omnibus mundi hujus malis. Hinc Servator *Matth.* x. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennâ.* Et quia infidelitas & impietas ad eam certissimè ducunt, potius omnia mundi hujus mala utpote temporalia tantum & subitò prætereuntia, subire, quàm impietati consentire. *Ejus officium primum.*

VII.

Secundum. VII. Secundum, ut homo Christianus pericula saluti suæ imminentia diligenter circumspiciat, & quantum fieri potest declinet, ne forte illis obrutus salutis jacturam faciat. Huc faciunt omnia præcepta, quibus vigilare jubemur, nobisque cavere; non aliter ac si in specula constituti quoquoversum circumspiciamus omnes hostium insidias, ne ullum saluti nostræ periculum creetur. Et quia hostes nostri spirituales varii sunt, accuratè ab ipsorum insidiis, fraudibus ac imposturis est cavendum. Infensissimus salutis nostræ hostis, & omnium spiritualium hostium princeps, est diabolus; ab illius ergo insultibus primò & ante omnia cavendum est; sive sese *transformet in Angelum lucis*, ut est 2 *Corinth.* XI. 14. nosque bonorum mundi hujus blandà ostentatione illaqueare studeat, prout ipsum Dominum Jesum hac illecebrâ tentare non erubuit, *Matth.* IV. 9. sive sese satanam ostendat nostrumque adversarium, & mundum contra nos armet, ut afflictionibus pressi salutis studium deseramus. Hinc 1 *Pet.* V. 8. *Sobrii estote & vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Illi jungendi sunt seductores & impostores, Satanæ ministri, præcipuè fallendi artibus instructi, quibus animos incautorum abducunt à fide: qui tamen, si propius ipsorum actiones inspiciantur, à viro prudente cognosci possunt. Huc spectat monela Servatoris nostri, *Matth.* VII. 15. *Cavete à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces: ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Et Apostoli *Rom.* XVI. 17, 18. *Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt; & declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri; & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Tandem & ipsa caro nostra, seu concupiscentiæ carnales & hujus mundi, quarum dulcedine homo delinitus & excœcatus, dum in eâ defixus hæret, peccati turpitudinem non videt; nisi postquam voluptate satiatus ad se rediit. Unde voluptates carnales, quibus ad peccandum inducimur, vocantur *concupiscentiæ deceptionis*, *Eph.* IV. 22. & à concupiscentia dicitur homo *inescari*, *Jacob.* I. 14. quin & peccato seductio tribuitur, *Hebr.* III. 13. & divitiis, *Matth.* XIII. 22. Unde Dominus monet *Luc.* XXI. 34. *Attendite vobis ipsis, ne graventur corda vestra crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & subitò obruat vos dies illa.*

Tertium. VIII. Tertium. Si pericula illa vitare non possimus, ut nos tempestivè contra ea armemus, & spirituali armaturâ induti hostium nostrorum insultus retundamus. Ita jubemur *Eph.* VI. 11. *& seqq. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli:* &c. Et quoniam indefesso studio salutem nostram oppugnat diabolus, ideo omni tempore, quasi ipsius insultum jamjam exspectantes, arma spiritualia contra ipsum comparanda sunt, præsertim tentationis horâ instante, ne, adversus tela ejus imparati, in spirituali certamine succumbamus, & salutis jacturam faciamus. Ita pacis tempore contra crucem nos armare oportet, ne forte cruce inopinatò nos invadente succumbamus.

IX. Quartum. Salutis proximi, perinde uti propriæ, cura est habenda. Quia verò in hoc officio res nobis est cum aliis hominibus, ideoque nobis facile incommoda quædam occurrere possunt, ob dissimilitudinem ingeniorum quibuscum nobis res est, inde aliud oritur prudentiæ officium; Ut cum aliquid suscipimus aut aggredimur ad nostram proximive salutem spectans, & simul commodum nostrum aut incommodum vitam hanc præsentem concernens agitur, ut nullam officii nostri partem omittamus, neve proximi salutem negligamus, & interim incommodum illud, quantum salvo officio nostro fieri potest, vitemus. Quod præcipuè tum locum habet, quandò ob veritatis Christianæ professionem vel propagationem periculum est subeundum, & vel fortuna, vel fama, vel ipsa vita in discrimen adducenda. Vel quando veritas proximo ingrata est dicenda, ejusque vitia redarguenda: quo officio facile aliorum indignationem incurrimus: ita Joannes Baptista ob liberam suam reprehensionem à rege Herode in carcerem fuit conjectus, *Matth.* XIV. 3, 4. Hîc ergo valere debet Servatoris monitum: *Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ, cavete ab hominibus: Matth.* X. 16. Quod si prudentiâ nostrâ incommoda hæc vitare non possimus, nisi parte officii nostri neglectâ, locum habere debet illud 1 *Joan.* III. 16. *In hoc cognovimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* In utroque hoc officio magnus personarum delectus est habendus, & sollicitè circumspiciendum cui nos credere, quem vitare debeamus, ac proinde experimentis minimè fallacibus ipsorum animum habere exploratum, antequam totos nos illis credamus; ne forte nos temerè ac imprudenter in periculum, quod honestè vitare potuissemus, conjiciamus; atque ita, quos fratres & amicos credimus, proditores & inimicos experiamur. Sic exemplo suo nos docuit Servator *Joan.* II. 24. qui non credebat semet ipsum Judæis, eò quod ipse nosset omnes. *Quartum, circa proximum. In eo officium primum.*

X. Alterum est, ut accuratam utilitatis proximi habeamus rationem, actionesque *Secundum.*

nostras circa ipsum eo modo instituamus, quo probabile est plurimum fructus inde ad proximum redundaturum. Status autem proximi varius esse potest. Vel enim veritatis salutaris, vel saltem magni ad salutem momenti nescius est. Vel licet veritatis cognitione sit imbutus, eâ indignè ambulat, peccatorumque quorundam, quæ hominem è regno cœlorum excludunt, consuetudine tenetur.

Quomodo instruendi ignorantes. XI. Veritatis salutaris ignorantes verbi divini luce & solidis rationibus instruendi & confirmandi sunt. Cùm autem horum alii simpliciter veritatem ignorent, alii etiam eam odio prosequantur, delectus hîc inter illos habendus est, ut præcipuè priores eligamus, quibus veritatem persuadeamus; utpote apud quos probabile est operam nostram non fore frustraneam. Unde Dominus commendat Apostolis, si quando civitatem aliquam aut pagum intrent, inquirant, quis illic dignus sit, id est, animum docilem, & veritatis addiscendæ cupidum, saltem ab eâ non alienum, habeat, & apud eum divertant, *Matth.* x. 11.

Quid observandum circa osores veritatis. XII. Osores autem veritatis; qui non tantum ad eam recipiendam inepti sunt, sed & ejus doctrinâ irritantur, eamque odio habent, ejusque professores persequuntur; fugiendi sunt: juxta præceptum Domini, *Matth.* VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus, & margaritas projicere coram porcis, ne forte conculcent eas pedibus, & conversi dilacerent vos.* Sed verò, nec facile quispiam pro desperato est habendus. Quamvis enim quidam sint peccatores, & vitiorum consuetudine constricti, non tamen animo sunt prorsus perverso & improbo, sed & disciplinæ patientes sunt; imò nonnunquam alacriori animo veritatem recipiunt, quàm illi, quorum facta videntur honestatem sapere, animus interim occultis vitiis repletus, veritatis patiens non est. Sic *Matth.* XXI. 31, 32. meretrices & publicani crediderunt Joanni Baptistæ, Pharisæi autem eum respuerunt. Nec statim peccator prorsus negligendus aut fugiendus, sed quæcumque media ad ipsum emendandum tentanda sunt, & occasio quævis ac opportunitas captanda, si forte veritatem admittat, antequam omnis de illius emendatione & salute spes abjiciatur. Sic monet Apostolus *Coloss.* IV. 5. *Cum sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes*; id est, commodam occasionem & opportunitatem captantes. Tum attendendum, quid, & quo pacto dicas. Non enim tantum vera & necessaria dicenda sunt, sed & accommodata captui & ingenio eorum, quibuscum nobis res est. Incipiendum ergo ab illis, non, quæ in sese spectatata maximam habent necessitatis rationem; sed quæ facilius in animum alterius influent, & quibus admissis facilior ad majora magisque necessaria dabitur progressus. Homines itaque feritnis moribus primo ad honestatem naturalem sunt informandi; antequam ad sanctiorem Jesu Christi doctrinam admittantur. Quòd si hîc frustra simus, nec doctrinam sanctiorem illis persuadebimus. Ante omnia autem doctrinam sanctam aliis persuadere cupientes, fidem ipsis facere debemus, nos de ejus veritate esse plenissimè persuasos, neque ullam causam dare de fide nostrâ ejusque sinceritate dubitandi. Huc requiritur, ut vita nostra doctrinæ, quam prædicamus, respondeat, neque, dum alios ad sanctitatem hortamur, ipsi in peccatis volutemur; ita enim vitâ destruimus, quod doctrinâ ædificamus. Sic monet Petrus 1 *Epist.* II. 12. *Conversationem vestram inter gentes habete bonam; ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Et Paulus præscribit servis, *in omnibus fidem bonam ostendere; ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus, Tit.* II. 10. Hinc ipse *nemini dabat ullam offensionem, ne vituperetur ministerium ipsius.* 2 *Cor.* VI. 3. Quin imò, *omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos*, 1 *Cor.* IX. 22.

Quid circa peccatores. XIII. Peccatores, vitamque doctrinæ quam profitentur convenienter non instituentes, gravi & seriâ admonitione ad officium sunt reducendi, & exitio eripiendi: ita hortatur *Jacob.* V. 19, 20. *Fratres, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum; scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & multitudinem operiet peccatorum.* Licet hic aliquando illud Apostoli valere debeat, *insta opportunè, importunè*, 2 *Tim.* IV. 2. tamen ut plurimum temporis opportunitas est captanda, & reprehensio, in se ingrata, lenitate est temperanda, ne ex quadam animi malevolentia procedere credatur, sed solummodò ex desiderio salutis proximi promovendæ. Unde & solitudo captari debet, ne coram aliis quæ ruborem incutere possunt audire cogatur. Quandoque etiam dexteritas quædam adhibenda, quâ ipse peccatum condemnare persuadeatur, antequam se illius reum argui deprehendat: quali Nathan apud Davidem usus est 2 *Sam.* XII.

Prudentia civilis. XIV. Prudentia civilis est, quæ ea ritè disponit, quæ præsentis vitæ conservationem & commoda, quatenus vitæ spirituali & saluti æternæ non adversantur, spectant. Estque vel cujusque seorsim considerati in actionibus privatis ac negotiis: vel œconomica, eorum qui in eadem familia tanquam illius membra degunt; quales sunt, maritus, uxor, liberi, famuli & ancillæ: vel politica, eorum vid: qui reipublicæ regendæ præsunt; ut, Magistratus, sive sint supremi, sive subalterni, eorumque Consiliarii.

XV.

Media acquirendi prudentiam. XV. Media, quibus prudentia Christiana acquiri debet, varia sunt. Fatendum naturæ bonitatem multum ad prudentiam conferre, neque omnibus æqualem ad illius acquisitionem à natura dispositionem inesse, sed eam pro temperamenti dispositione admodum esse inæqualem. Attamen nulla tanta est naturæ bonitas, quæ absque Dei ope, ac honesta exercitatione hîc sufficiat: sicut & ab altera parte vix ulla natura adeo est infœlix, quin adhibitis mediis requisitis, & auxilio divino accedente, ad prudentiam excitari possit. Primum ergo prudentiæ obtinendæ medium sunt preces ad Deum ardentes & assiduæ: *Si quis vestrum sapientia indiget, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*, & *non exprobrat*, *& dabitur ei : postulet autem in fide , nihil hæsitans* , &c. *Jacob.* 1. 5, 6. Secundum, verbi divini attenta lectio , quod *sapientiam præstat parvulis*, *Psal.* XIX. 8. & hominem *sapientem reddere potest ad salutem*, & *ad omne bonum opus perfectè instructum*, 2 *Tim.* III. 15, 17. Unde David *Psal.* CXIX. 98, 99. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi ; quia testimonia tua meditatio mea est.* Præsertim cum applicatione ad nos ipsos; unde feriæ hæ monitiones, *qui aures habet ad audiendum, audiat*; quæ passim occurrunt. Hoc enim propriè prudentis est, omnia in usum suum vertere, & ex omnibus utilitatem capere. At fine verbi divini applicatione ad nos ipsos, cognitione quidem imbuitur intellectus humanus, nihil verò in illis, quæ vitæ directionem concernunt, proficit: instar Regis Davidis, qui, quamdiu Nathanis parabolam sibi non applicabat, ad evigilandum è peccato non fuit incitatus; sed postquam eam in ipsum quadrare Nathan indicaverat, statim peccati pœnitentiam egit. Præpeditur in officio hoc homo nimio sui amore , quo tranquillitatem propriam amat. Lectâ Scripturâ Sacrâ absque accurata ad se suasque actiones applicatione , homo cupiditatibus suis indulgere potest, & tamen sibi in statu suo plaudere: sed singulis præceptis divinis sibi applicatis , actionibusque suis ad ea , tanquam normam , expensis, statim defectum animadvertit, seque in statu suo securum minimè esse posse videt. Hinc tranquillitatis turbatio; quæ quoniam ingrata homini est , in simplici Scripturæ lectione acquiescit. Hinc egregiè Jacobus *auditorem* tantum *verbi*, *non autem factorem*, comparat homini, *nativitatis suæ vultum in speculo consideranti* ; *qui abiens* , *statim oblitus est qualis fuerit* : *Cap.* 1. 23, 24. Tertium, propriâ sapientiâ abnegatâ , illam unam quærere, quæ à Deo est. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat* (in oculis nimirum hominum mundanorum sapientiâ divinâ carentium) *ut sit sapiens*, 1 *Corinth.* III. 18, Quia *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes*, *Cap.* 1. 27. Quartum, lectio historiarum , variorumque consiliorum humanorum eventuum, præcipue verò historiæ sacræ, & judiciorum divinorum in impios exercitorum observatio, quo eorum exemplo cautiores, vitemus illum in quem illi impegerunt lapidem. Cujusmodi monitiones crebræ occurrunt, *Luc* XIII. 1, 2, 3, 4, 5. XVII. 32. 1 *Corinth.* X. 6, 7, 8, 9, 10, 11. *Hebr.* III. 7, 8. *& seqq.*

XVI. Et profectò ad virtutem hanc nobis comparandam incitare nos debet, non tantum illius præstantia, quæ aliquatenus providentiam Dei imitatur, eligens media ad finem optimum consequendum accommodata; sed & maxima illius utilitas; utpote quæ noxia vitare, & alieno ex malo sapere docet, quin & fructus ad salutem uberrimos confert: quos Rex Salomon prolixe describit, *Proverb.* II. 10, 11, 12. *& seqq. Si intraverit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit; consilium custodiet te, & prudentia servabit te, ut eruaris à via mala, & ab homine qui perverse loquitur; &c.* Et *cap.* III. 13, 14. *& seqq. Beatus homo qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentiâ: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus ejus*; &c. *Rationes ad eam incitantes.*

XVII. Vitia Prudentiæ opppposita duo sunt; quorum unum dici potest in excessu: alterum in defectu peccare: quanquam si utriusque naturam penitius inspiciamus, utrumque in defectu peccare dicendum sit, unde & utrumque imprudentiæ nomine comprehendi potest. Et consistit utrumque in eo, vel quod rectum actionibus nostris scopum non præfixerimus; vel, eo licet constituto, rectis mediis ad eum non contendamus, nec illi assequendo noxia vitemus , actionesque nostras circumstantiis rerum prout oportet non accommodemus. *Opposita prudentiæ.*

XVIII. In excessu itaque peccat astutia, quando homo finem malum sibi proponit, mediisque ad illum consequendum idoneis contendit. Hæc vocatur sapientia, seu prudentia carnalis, spectatque vitæ hujus commoda & utilitates, etiam, si aliter obtineri non possunt, repudiato bono summo seu vitâ æternâ mediisque quæ ad illam ducunt. Sive homo sibi scopum proponat divitias: unde tales dicuntur *sibi thesaurizare thesauros in terra*, *Matth.* VI. 19. sive voluptates, quales dicuntur *ventrem* sibi facere *Deum*, *Phil.* III. 19. sive aliud quoddam vitæ hujus bonum; unde *ibidem* dicuntur *terrena sapere*; & *mundum diligere*, *eaque quæ in mundo sunt*, 1 *Joan* II. 15. *In excessu, astutia, seu prudentia carnalis.*

XIX. Sapientia hæc reverâ stultitia est: quia, neglecto ultimo ac optimo fine, finem *Revera est stultitia.*

nem sibi proponit qui ad interitum ducit. Non quòd tales finem illum appetant, tanquam ad interitum ducentem; nemo enim interitum summamque miseriam sibi actionum suarum scopum præfigere potest: sed tanquam sibi gratum; cum tamen nihil solidi habere sint persuasi, ac proinde ad alium ulteriorem naturâ suâ referri facile cognoscere possint: saltem in eo plenè acquiescere animum non posse perspectum habeant. Amant tamen illum, & ad eum acquirendum actiones suas instituunt; vel quia alium finem, eumque optimum, non norunt, aut non satis æstimant. Atque hîc se prodit eorum stultitia, quòd bono, in quo plenè acquiescere possunt, neglecto, ea quærant, quæ bonum solidum nequaquam continent: *Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna*, 2 *Corinth*. IV. 18. Hinc divitiis studentes, dicuntur *sibi thesaurizare thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur*; neglectis thesauris in cœlis, nec ærugini, nec tineæ, nec furto obnoxiis: *Matth*. VI. 19, 20. & voluptuosorum, *finis interitus*, *Phil*. III. 19. quin & totus *mundus perire cum concupiscentiis suis*, 1 *Joan*. II. 17. Ac proinde & studia ipsorum planè abducunt ipsos ad interitum: quod de divitiarum studio egregiè ostendit Apostolus 1 *Tim*. VI. 9. 10. Quia autem harum rerum amor cum cœli ac vitæ æternæ amore consistere nequit, hinc & studia ipsorum legi divinæ directè adversantur, fierique nequit, ut illi viam scopo desideriisque suis adversam insistant. Hinc *sapientia carnis inimica* dicitur *Deo*: *legi enim Dei non est subjecta, nec potest*: *Rom*. VIII. 7. & 1 *Corinth*. II. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; *stultitia enim est illi*: *& non potest percipere, quia spiritualiter dijudicantur*. *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum*. *Cap*. III. 19. Vel quòd finem optimum quidem æstimant, sed non satis constantiæ habeant, ad perseverandum in iis, quæ ad illius consecutionem necessaria sunt; vel quia bono sibi in hâc terrâ grato carendum, vel malum ingratum subeundum vident. Hinc Dominus *Luc*. XIV. 28. *& seqq*. tales comparat viro insipienti, qui turrim ædificaturus, non prius expendit, an sumtus ad eam necessarios ferre possit; & belligeraturo, qui non expendit, an viribus sit instructus idoneis ad hosti resistendum.

Tamen in ea est & astutia. XX. Astutia tamen est in horum actionibus; quia media ad finem quem sibi proponunt consequendum excogitare & aptè dirigere norunt; quin & fraudes & dolos nectere docti sunt, quibus homines pios & sinceritati studentes circumveniant: & hi tantò sunt nocentiores, quantò scientiores. Talis fuit Cajaphas, *Joan*. XI. 39. Achitophel, 2 *Sam*. XVI. 21. Hinc David, ut minus noxia sint ejus consilia, orat Deum, ut efficiat ea tanquam stulta rejici, *Cap*. XV. 31. Et in negotio religionis simulandi & dissimulandi artes callent, veritatem dissimulant, falsitati patrocinium commodant, prout commodis suis terrenis conducere vident: in omnes se formas, Proteorum instar, vertere docti. Pessimi autem omnium sunt, qui factis externis pietatis quendam zelum simulant, ut sese in animos simplicium ac superstitiosorum insinuantes, eorum muneribus ac donis locupletentur. Tales dicuntur *pietatem existimare esse quæstum*, 1 *Tim*. VI. 5. &, *penetrare domos, & captivas ducere mulierculas oneratas peccatis*, 2 *Tim*. III. 6. Scribarum & Pharisæorum instar, qui *comedebant domos viduarum, orationes longas orantes*, *Matth*. XXIII. 14.

XXI. Extremum alterum, in defectu peccans, est Stultitia, quæ nec finem debitum sibi proponit, nec mediis ad finem propositum idoneis uti, nec noxia sibi vitare novit. *In defectu stultitia. Cujus varia species.* Estque hæc stultitiæ species multiplex. Prima, quando homo media ad finem optimum ducentia non rectè novit. Tales sunt superstitiosi, qui, neglectis genuinis religionis officiis, fide vitæque sanctimoniâ, externarum ceremoniarum, quandoque à Deo non præscriptarum, sed pro hominum beneplacito excogitatarum, observatione se favorem Dei promerituros sperant: cum tamen Scriptura omnem externum cultum sine interna animi puritate inutilem pronuntiet, & ut vanum passim damnet: *Esa*. XXIX. 13. *Matth*. XV. 9. & alibi. Secunda est, quando homo officium suum quidem novit, sed non præstat, ac proinde bono optimo excidit. Talis à Domino comparatur viro stulto, qui domum suum fundavit in arenâ, quæque ventis ac tempestatibus in eam irruentibus subvertitur, *Matth*. VII. 26, 27. Tertia est, quòd rerum terrenarum fragilitate non consideratâ incertis fidat, perinde ac certis & solidis. Unde diviti in divitiis suam fiduciam collocanti, dicitur: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te*: *qua autem parasti, cujus erunt? Luc*. XII. 20. Quarta est, quòd incommoda ac damna sua evitare nesciat, sed præceps in ea ruat. Stultitia quippe est, futura non prospicere, nec affici nisi præsentibus. Sapiens autem ex præsentibus futura prospicit, damna sua evitare, quæque aliàs noxia forent, in usum suum vertere, quin & commodum & utilitatem ex iis capere novit: Stulti verò, cæcorum instar, præcipites in infortunia ruunt, neque judicia in alios exercita sibi applicare norunt: Jumentorum instar, quæ quotidie varia à lateribus suis ad lanienam abduci conspicientia, nullo modo terrentur, neque necem suam prospiciunt, etiam quando jam ad lanienam ducuntur. Ita & hi tempora, eorumque occasiones dijudicare nequeunt, neque

que eorum signa observare, quæ Deus ordinariè judiciis suis præmittere solet, & ab hominibus observari vult, ad animos ipsorum præparandos; sive sint gratiæ judicia, ut eam debitè recipiant; sive iræ & vindictæ, quam, quia longanimis est, non subitò exercet; sed signis quibusdam, iræ suæ prænuntiis, ad pœnitentiam flectere vult homines; ut vel pœna planè inhibeatur, vel levior infligatur. Populi stultitiam hæc non observantis passim reprehendit Scriptura. Signa quidem gratiæ divinæ negligentes Pharisæos arguit Dominus *Matth.* XVI. 2, 3, 4. *Facto vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim cælum: Et mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire?* Quasi dicat: vos signa serenitatis & tempestatis studiosè observatis, & ex illis tanquam indubitatis de tempestate futura pronuntiatis, cum tamen sint incerta ac fallacia: signa autem à me facta & numero & magnitudine sua præstitutum gratiæ tempus jam advenisse evincentia, non animadvertitis. Signa autem iræ ac judicii instantis non animadvertentes, reprehendit *Esa.* LVII. 1. *Justus perit, & non est qui recogitet in corde suo; & viri misericordiæ colliguntur; quia non est qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus est justus. Jerem.* VIII. 7. *Milvus in cælo cognovit tempus suum; turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis, sapientes nos sumus?* & quæ porro sequuntur *vers.* 8, 9.

CAPUT VIII.

De Fide in Jesum Christum; ac primò de actu ejus antecedente, Scientiâ.

Distributio virtutum Christianarum. I. Sequuntur virtutes voluntatis, seu morum, quæ totam vitæ sanctitatem omnesque illius partes complectuntur. Eæ vel omnes homines spectant in universum, vel quosdam tantum in specie, secundum ordinum & statuum in hac vitæ civilis societate, in qua tanquam unius corporis membra singuli partes suas implere debent, diversitatem. Quæ omnes omninò homines spectant, vel versantur circa res necessarias, in quibus propriè & per se consistit Sanctitas; vel circa indifferentes, quæ impropriè & per accidens ad eam pertinent. Virtutum, quæ circa res necessarias versantur, aliæ sunt generales, aliæ speciales. Generales sunt, quæ universum hominis Christiani officium summatim comprehendunt; suntque duæ, Fides in Jesum Christum, & Resipiscentia: de quibus nunc dicemus.

Varii assensus mentis. II. Antequam de Fide dicamus, nonnihil de assensu mentis nostræ, variisque illius affectionibus & speciebus, præfandum est. Assensus mentis est judicium, quo intellectus judicat propositionem aliquam esse veram, Estque alter perfectior altero. Est enim assensus evidens, cognitio rei per causam, vocaturque Scientia. Est assensus inevidens, qui uititur ratione levi, & quæ potest esse falsa, estque Opinio. Medius inter hosce est Fides, qui nititur solido fundamento, auctoritate scilicet Dei revelantis; & rem apprehendit qualis reverà est, omnemque de rei veritate dubitationem excludit, licet rem per causam demonstrare non possit. Tandem etiam est dubitatio, cum mens in medio fluctuat, & neutri parti assensum præbet.

Varia Fidei acceptiones. III. *Fidei* vox multis modis in Scriptura accipitur. 1. Per metonymiam significat doctrinam Euangelii cui fides à nobis adhibetur: *Galat.* I. 23. III. 23, 25. *Actor.* VI. 7. 2. Latè accipitur pro assensu quolibet animi firmo, sive is adhibeatur revelationi divinæ, sive per ratiocinationem, in qua homo acquiescit, excitetur; sive utrique simul innitatur. Hoc sensu dicere possumus accipi *Hebr.* XI. 6. *Accedentem ad Deum credere oportet Deum esse.* &c. ita ut etiam comprehendat ea quæ oculis cernuntur: quo sensu Dominus Thomæ dicit; *Quia vidisti Thoma, ideo credidisti: Joan.* XX. 29. 3. Strictius, pro assensu adhibito iis, quæ à Deo revelata oculis non cernuntur; & nititur auctoritate testantis; eaque describitur *Heb.* XI. 1. *Fides est substantia rerum sperandarum, & argumentum eorum quæ non videntur.* Estque vel simpliciter assensus rerum quæ non videntur, ut Deum esse, mundum à Deo esse conditum, Deumque providentiâ suâ mundum gubernare, &c. estque hæc fides etiam in diabolis: *Jacob.* II. 19. *Tu credis quoniam unus est Deus. Bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.* Vel præterea etiam promissis divinis, sive rebus sperandis, in observationis mandatorum divinorum retributionem, adhibitus.

Pro modo revelationis perfectior vel imperfectior est. IV. Hæcque fides pro variis revelationis divinæ gradibus vel perfectior vel imperfectior est, & semper revelationi divinæ accommodata. Non enim Deus maximam suam gratiam, in Jesu Christo Filio suo nobis exhibitam, quovis tempore æquè clarè manifestavit. In initio siquidem se creatorem cœli & terræ, & se quærentium remuneratorem, ostendit, *Hebr.* XI. 6. Mox Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi, ipsorumque ac posteritatis gratiosum benefactorem. Postea, Deum Israëlis, qui ipsos è duro servitutis Ægyptiacæ jugo liberavit, & quibuscum fœdus amplum per Mosem erexit. In singulis autem hisce revelationibus Deus gratiæ suæ, per Jesum Christum exhibendæ, indicia & promissa quædam exstare voluit, quæ-

dam obscurius, & typorum umbris obvelata: mox clarius, ita tamen, ut Redemtorem quidem expresse tandem promiserit, redemtionis autem modum non plenè expresserit. Unde sequitur, fidem, utpote divinæ revelationi semper accommodatam, non semper æquè expressam fuisse, & primò quidem obscurius, postea expressius, attamen durante Legis Mosaicæ œconomiâ semper cum velamine & umbrâ, Christum ejusque redemtionem respexisse. At postquam plenitudo temporis venit, Christusque se in carne manifestavit, & redemtionis suæ indolem nobis plenè revelavit, fides nostra expressa est, Christumque ac modum salutem consequendi perfectè & sine umbra respicit. Et hoc sensu passim accipitur fides in Novo Testamento pro præcipua quadam obedientiæ Euangelicæ parte, ex qua reliquæ virtutes procedunt. Ut cum fides requiritur ut salutem consequamur. *Rom.* x. 9. & alibi: speciatim etiam *Tit.* III. 8. *Fidelis est sermo, & de his volo te confirmari; ut qui crediderunt curent bonis operibus præesse.* & 1 *Joan.* III. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi; & diligamus alter alterum, sicut dedit mandatum nobis.* Et hæc est hodie maximè vulgaris Fidei acceptio.

Fidei in Christum definitio. V. Fides hæc ita describi potest. Fides in Jesum Christum non tantum est cognitio & assensus, quo credimus Jesum esse Christum, unicumque a Deo Salvatorem constitutum omnium qui ex Euangelii præscripto vitam instituunt; sed etiam fiducia, qua in ipsum ut Prophetam Sacerdotem & Regem nobis à Deo datum recumbimus, plenè persuasi nos, si doctrinæ ejus obtemperaverimus, remissionem peccatorum vitamque æternam per ipsum consecuturos: ex se producens serium & efficax propositum, obedientiam qualem à nobis exegit ipsi præstandi.

Varii illius actus. VI. Ex qua descriptione liquet, fidem non esse simplicem habitum aut actum, sed varios in se actus comprehendere, & ex iis quasi partibus suis esse conflatum. Alius enim est antecedens fidei actus; Scientia. Alius formalis, Assensus, cui intimè cohæret Fiducia. Alius denique est consequens, non tam Fidei partem constituens, quàm immediatum ejus effectum, eamque vivam reddens, Obedientia.

Antecedens actus est Scientia. VII. Actus Fidei antecedens est Scientia, illiusque fundamentum, cui ipsa Fides innititur, & quo sublato ipsam etiam corruere necesse est: rei enim incognitæ nemo assensum præbere potest: juxta *Rom.* x. 14. *Quomodo credent ei, de quo non audiverunt?* Unde & per Synecdochen tota fides Scientiæ nomine in Scriptura nonnunquam venit. Sic. *Tit.* I. 2. vocatur fides, *Agnitio veritatis quæ secundum pietatem est.* & *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Scientiæ hujus objectum sunt omnia ad salutem necessaria; qualia sunt Deus, attributa operaque divina, & Jesus Christus, ipsius persona ac munera, tum & præcepta, promissa, ac comminationes divinæ. Non quasi omnia, quæ de hisce in controversiam veniunt, aut in Scholis inquiruntur, necessariis annumeremus; sed ea solummodò, sine quibus fides in Deum, & Jesum Christum ut Salvatorem, observatio mandatorum, & promissorum fides, consistere nequit: quorum compendium admodum dilucidum nobis exhibet commune Christianorum Symbolum, vulgo dictum Apostolorum. Nec etiam quasi Christianum ad ulteriorem cognitionem, quam simpliciter necessariorum contendere nolimus: imò laudabilem eorum operam ducimus, qui quotidie in religionis cognitione proficere student, utiliumque cognitionem necessariis conjungunt, fundamentorumque quibus innituntur solidam notitiam quærunt; quin & omnis veritatis, ad salutis promotionem ullum respectum habentis, notitiam pretiosam habent; ut non tantum cum judicio mysteriis credendis fidem adhibere possint, sed & *semper parati esse ad respondendum omni petenti rationem ejus quæ in ipsis est spei*; uti Petrus jubet 1 *Epist.* III. 15. Sed, tum, ne ex verè fidelium numero excludamus, qui, necessariorum cognitionem adepti, illis ex animo assensum præbent, iisque convenienter vitam instituunt, licet forte quædam non præcisè necessaria aut adhuc ignorent, aut non rectè intelligant. Quanvis fieri vix posse videtur, ut aliquis, necessariorum cognitione probè imbutus, omnia ad salutem utilia planè ignoret, aut in omnibus erret, sed in quibusdam tantum. Tum, ut necessariorum distinctam cognitionem ad fidem salvificam planè necessariam ostendamus.

VIII. Hoc expressè requirimus; ut excludamus fidem implicitam seu carbonariam Pontificiorum, quâ creditur implicitè id quod Ecclesia Romana credit, etiamsi quid illud sit ignoretur. *Fides implicita.* Fides quippe implicita est quasi fides obvelata, quâ aliquid creditur non in se, sed in aliquo tanquam in generali, quo admisso etiam omnia generali illo comprehensa implitè creduntur, etiamsi distinctè non cognoscantur. Illi opponitur fides explicita, quâ aliquid creditur secundum se, distinctè, & in particulari. Ut autem distinctè de Pontificiorum fide implicita sententiam nostram dicamus, præmittimus, fidem dupliciter posse vocari implicitam. Vel ut respiciat Sacram Scripturam, omniaque illâ contenta. Ita in generali illo, quod explicitè credendum est, Scripturam esse divinam, ac proinde omnibus ac singulis illâ contentis fidem esse adhibendam; etiam implicitè omnes

omnes historiæ omniaque dogmata illic contenta creduntur: adeo ut ad historiæ aut dogmatis cujuscunque veritatem persuadendum sufficiat ostendere ea Scripturâ contineri. Nondum tamen hæc fides est salutaris, nisi & omnia particularia ad salutem prorsus necessaria distinctè & explicitè credantur. Sed quoniam hac fide stabilitâ, etiam multorum utilium cognitione ornatâ, multa adhuc, quorum distinctam cognitionem nondum acquisivimus, restant, & unusquisque fidelium in cognitione verbi divini quotidie proficere debet, etiam rectè ea in generali fide, quâ Scripturam credimus esse verbum Dei, implicitè credi dicuntur.

Accepta sensu Pontificio refutatur. IX. Vel ut respiciat Ecclesiam Romanam, conjunctaque sit cum dogmatum Religionis, etiam ad salutem creditu necessariorum, ignorantiâ: adeo ut fides implicita, sensu Pontificio accepta, sit fides, quâ Laici ignota & nondum intellecta fidei dogmata credunt implicitè in hoc generali, quod vera sint omnia quæ Romana Ecclesia credit & pro veris amplectitur. At hoc sensu tolerari neutiquam potest. Primò. Hæc enim non est fides divina, sed humana, ruinoso nitens fundamento, auctoritate hominum errori obnoxiorum, ac proinde fallax, in qua nemo salutis studiosus acquiescere potest. Dices. Attamen Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes pro illius doctrina animas suas oppignorant. Resp. 1. In pignore ejusmodi acquiescere tutò non possumus: fieri enim potest, ut pignus ipsum adeo sit gravatum, ut ne quidem propriis debitis exsolvendis sufficiat; ut enim: sit peccatorum coram Deo, ac proinde condemnationis reus, 2. Deus pignus pro alio accipere recusat, sed unicuique secundum propria opera retribuere vult, *Gal.* VI. 5. 2 *Cor.* V. 10. 3. Nec certum documentum est, doctrinam esse veram, quia illius doctor animam suam pro ea oppignorat, sed tantum, ipsum minimè de doctrinæ suæ veritate dubitare. Neque in eo Romana Ecclesia ullo privilegio præ reliquis Ecclesiis gaudet: unusquisque enim Christianus doctor animam & vitam pro doctrinæ suæ professione ponere tenetur. Secundò. Jubemur in Scriptura ipsi nobis scientiam comparare: 1 *Cor.* XIV. 20. *Ne estote pueri intelligentiâ, sed malitiâ pueri, intelligentiâ verò perfecti estote. Eph.* V 15. *Ne estote insipientes, sed scientes quæ sit voluntas Domini.* Imò & *omnia probare, quod bonum est retinere.* 1. *Thess.* V. 21. eò usque quidem, ut possimus *nobis cavere à falsis prophetis, qui ad nos accedunt induti vestimentis ovium, intus autem lupi sunt rapaces,* eos *agnoscendo ex fructibus ipsorum, Matth.* VII. 15. & *non credamus unicuique spiritui, sed spiritus probemus utrum ex Deo sint:* 1 *Joan.* IV. 1. Nec ulla dabitur excusatio, si in hoc officio negligentes simus. Unde & scientiæ augmentum Apostoli aliquoties fidelibus precantur, uti nuper vidimus de Scientia differentes.

Occurritur objectioni. X. At objiciunt Pontificii, quòd oporteat intellectum captivare, 2 *Corinth.* X. 5. quod fieri nequit ubi scientia requiritur. Resp. Imò quia intellectus in captivitatem est redigendus, ideo scientia requiritur illorum, in quæ eum captivare oportet: aliàs captivatio illa foret non rationalis, sed cœca & bruta. Ita in captivitatem redigitur intellectus humanus, quando revelationi divinæ acquiescens unicam in eâ sapientiæ rationem scrutatur, sapientiâ propriâ, quam deprehendit veram ad summum bonum viam non docere, abnegatâ. Atque hac ratione Apostolus in captivitatem redigebat omnem intellectum in obsequium Christi; doctrinæ suæ efficaciâ & miraculorum virtute homines ad fidem Christianam trahens, ut propriâ quâ antea turgebant sapientiâ, velut stultitiâ, abnegatâ, Christo sese in disciplinam darent, & ex ipsius Euangelio veram Sapientiam, ad animarum suarum salutem, haurirent; neque aliam bene vivendi aut beatitudinem consequendi rationem crederent, quàm verbo ipsius expressam, carni licet duram ac ingratam.

CAPUT IX.

De formali Fidei actu, Assensu, illique junctâ Fiduciâ.

Actus formalis est Assensus. I. Actus Fidei formalis est Assensus, qui scientiæ intimè conjunctus esse debet: sine eo enim scientia nullius ad salutem est pretii; utpote quæ non tantum in multis reperiatur impiis, *Luc.* XII. 47. *Tit.* I. 16. sed & in ipsis dæmonibus, *Luc.* IV. 33, 34. *Actor.* XVI. 17. Assensus autem quilibet non sufficit, nempe levi de causa in nobis productus, sine ulla solida ratione: ille enim, uti vidimus, magis est opinio, quàm fides, magis cœca quàm rationalis obedientia; magis brutus animi impetus, quàm solidum judicium; qui sicuti levi ex causa oritur, ita etiam levi de causa interit; perinde uti de temporariis illis dicitur *Matth.* XIII. 21. quòd verbum quidem cum gaudio recipiant, sed non habeant radicem; & ingruente persecutione statim deficiant: qui propterea comparantur pueris, qui omni vento doctrinæ circumferuntur. *Eph.* IV. 14. Nec etiam efficax est ad producendum vitam verè Christianam: quia animum non satis de veritate & certitudine bonorum futurorum convincit, ideoque nec eorum amor in nobis excitari potest, nec terrenorum amor exstingui. Sed requiritur assensus solidus & firmus, nitens judicio rationali voluntatis, in nobis producto seriâ & accuratâ meditatione illarum rerum, quæ nos de certitudine rerum credendarum plenè persuasos reddunt.

Unde *Hebr.* XI. I. *rerum sperandarum* vocatur *hypostasis*; quasi rebus futuris & sperandis subsistentiam largiatur, quia de earum existentia tam certos reddit, non aliter ac si oculis jam præsentes cernantur. Hoc Scriptura exprimit phrasi *credendi ex corde*, *Rom.* X. 9. imò *ex toto corde*, *Act.* VIII. 37. *radicatum & confirmatum esse in fide*, *Coloss.* II. 7. & similibus.

Objectum illius in genere est verum.

II. Objectum Fidei in genere debet esse verum: ad falsum enim credendum nemo obligari potest, Deusque, qui verax ac sanctus, imò ipsa veritas est, nemini imperare potest ut assensum præbeat mendacio; quia Deus seipsum abnegare nequit, 2 *Tim.* II. 13. 2. Ea solum credenda sunt, quæ Deus in verbo suo testatur esse vera; quia fides est assensus nitens testimonio Dei; non autem testatur, neque testari potest Deus, falsa esse vera. 3. Lex divina non jubet nos errare; quia omnis error rectitudini divinæ repugnat: at falsum credere est errare. 4. Tandem sequeretur, si objectum fidei possit esse falsum, fidem divinam aliquando posse esse errorem, qui est assensus rei falsæ adhibitus. Quod quammaximè absurdum est.

Non potest Deus hominem obligare ut credat mendacio.

III. Hoc observandum contra quosdam Theologos, qui, ut dogma suum tueantur, reprobos teneri credere Christum pro se esse mortuum, etsi pro ipsis mortuus non sit, apertè docere non verentur, posse Deum hominem obligare, & nonnunquam obligare ad credendum id quod falsum est. Quin & colorem huic tam fœdæ & tantum non blasphemæ opinioni incrustandæ adhibere non verentur. Adam, inquiunt, tenebatur credere in statu integritatis vitam æternam sibi obventuram: At hoc falsum erat. *Resp.* Non tenebatur Adam id credere absolutè, sed tantum sub conditione, si in statu innocentiæ & integritatis perseveraret: aliàs fidem adhibere non potuisset comminationi divinæ, quòd, quâcunque die de interdicto arboris fructu comedisset, mortem moriturus esset. Porro dicunt: Abraham tenebatur credere, Deum velle ut filium suum immolaret: at hoc falsum erat. *Resp.* 1. Præceptum hoc expressè vocatur tentatio; proinde longè alterius fuit naturæ, quàm reliqua præcepta divina: nisi dicere velint, Deum, quando reprobis præscribit ut in Christum credant, id tantum eos tentandi causâ facere. 2. Propriè Abrahamo non est præscriptum, ut crederet Deum velle, ut reverâ occideret filium, sed solummodò ut filium immolaret. Tenebatur ergo credere, Deum sibi præcepisse ut filium immolaret; seque obligatum ad mandato isti divino parendum; quod & credidit, seque ad obsequium Dei paratum ostendit. An verò Deus vellet, ut propositum suum exequeretur, filiumque suum reipsâ occideret, an verò Deus hoc tantum præcepisset ipsum tentandi gratiâ, illius non erat inquirere.

In specie, Jesum esse Christum.

IV. Objectum fidei Christianæ in specie est omne verum ad salutem æternam creditu necessarium. Quia autem illud unicâ veritate nititur, Jesum esse Christum, ideo illud communiter fidei Christianæ objectum in Scriptura dicitur, quasi præter id nihil à nobis credendum exigatur. Illud autem variis loquendi formulis in Scriptura exprimi solet: aliquando, *Jesum esse Christum*, seu *Filium Dei*, quòd eodem redit: *Matth.* XVI. 16. *Joan.* XX. 31. *Actor.* VIII. 37. 1 *Joan.* V. 1. aliquando, *Deum Jesum suscitasse ex mortuis*, *Rom.* X. 9. aliquando, *credere in Dominum Jesum*, *Actor.* XVI. 31. *credere in Filium*, seu *Filium Dei*, *Joan.* III. 16. & 36. Quæ omnes aliæque similes coincidunt, & unam eandemque rem significant, sc. Jesum, qui vocatus fuit Nazarenus, in terra Judæa Euangelium prædicavit, miraculis claruit, cruci affixus est, & tertiâ die ex mortuis suscitatus in cœlum ascendit, esse Christum, seu promissum illum per Prophetas Salvatorem, & ut talem recipiendum.

Occurritur errori.

V. Ad refutationem eorum, qui hîc distinctos fidei actus comminiscuntur, & uni quidem illum præscribi, cui alter non præscribatur: nim: omnibus præscribi, ut credant Jesum esse Christum; & postquam illud crediderunt, tum juberi fiduciam in illo collocari: huncque posteriorem actum propriè esse salutarem, verèque fidelibus peculiarem: ut tueantur dogma suum, Christum pro omnibus non esse mortuum, licet omnes jubeantur in Christum credere, hac adhibitâ distinctione; quòd omnibus quidem præcipiatur, ut credant Jesum esse Christum; illis autem solis, qui hoc jam verè crediderunt, ut credant Christum pro se mortuum. Nos è contra dicimus, omnia illa simul comprehendi voce Fidei, neque alicui unum fidei actum præscribi, quin eâdem operâ omnes illi præscribantur, imò primum hunc, quem illi distinguunt, actum omnes alios qui excogitari possunt includere; imò primo huic actui tribui effectum maximè salutarem, nim: victoriam mundi, 1 *Joan.* V. 5. & nativitatem ex Deo, *vers.* 1. imò vitam æternam, *Joan.* XX. 31. *Rom.* X. 9. Deinde, illi confundunt fidei illam πληροφορίαν, seu potius spem, quæ justificationem sequitur, quæque est particularis applicatio gratiæ divinæ, cum fide quæ à nondum justificatis exigitur tanquam conditio ut justificationis participes evadant; ut in sequentibus plenius ostendemus.

Duo hic consideranda.

VI. Quid autem huc necessariò requiratur, ut credamus *Jesum esse Christum*, operæ pretium est penitiùs paulo inquirere. Enun-

nunciatum hoc, *Jesum esse Christum*, quod fidei salutaris objectum est, duo continet, subjectum, quod est *Jesus*, & prædicatum, quod est *Christus*. Jesus propriè denotat personam; Christus, munus. Quæ personam concernunt, ejusque naturas, illarumque unionem, non videntur hoc enuntiato præcisè contineri; sed solummodò quæ munus concernunt. Enuntiationis enim veritas seu necessitas consistit in nexu prædicati cum subjecto.

Prædicatum; esse Christum. Quid id significet.

VII. Prædicatum hic est, *Christus* sive *Filius Dei*. Illud autem, secundum stylum sacris Novi Testamenti scriptoribus familiarem, significat promissum illum Judæis Messiam, per quem salus obtineri debet; qui non tantum viam salutis monstravit, sed & morte suâ maledictâ nos à maledictione liberavit, factus pro nobis sacrificium propitiatorium, spiritu suo nos contra omnes insultus & tentationes Satanæ corroborat, & tandem virtute sua omnipotente ex mortuis suscitaturus, & in vitam ac gloriam æternam introducturus est. Et hæc dignitas aliquando voce *Christi*, aliquando, *Filii Dei*, quæ in hoc negotio, & ordinariè in Scriptura Sacra æquipollentes sunt, exprimitur. Denominationi huic occasionem dedisse videntur verba Davidis *Psalm*. II. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. & Dei 2 *Sam*. VII. 15. *Ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium*. Quæ sensu sublimiore & mystico Messiæ sive Christo applicantur, *Actor*. XIII. 33. & *Hebr*. I. 5. & à Judæis illius temporis etiam de Messia intellecta fuisse loci illi Apostolici comprobant. Inde factum, ut denominatio illa *Christi*, & *Filii Dei*, inter Judæos pro eadem habita fuerit. Quod variis locis comprobari potest. Quando Philippus Nathanaëli dixit, *Invenimus quem scripsit Moses in Lege, & Prophetæ*, &c. postea Nathanaël viso Domino Jesu inquit, *tu es Filius Dei, tu es Rex Israël*, *Joan*. I. 46, 50. Petrus omnium Apostolorum nomine respondens quæstioni Domini, interrogantis quem se dicerent esse, ait, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, *Matth*. XVI. 16 quæ verba Marcus recensens, solummodò habet, *Tu es Christus*: *cap*. VIII. 29. & Lucas, *Tu es Christus Dei*, *cap*. IX. 20. Eodem sensu *Matth*. XIV. 33. discipuli dicunt Domino Jesu, noctu ad ipsos super mari ambulanti, postquam in navem adscendisset, *Verè Filius Dei es tu*: & *Actos*. VIII. 37. eunuchus reginæ Candaces, *Credo Jesum Christum esse, Filium illum Dei*. Et quod omnem dubitationem tollit, Pontifex Dominum Jesum coram tribunali suo stantem adjurat per Deum vivum, ut dicat, *si sit Christus Filius Dei*, *Matth*. XXVI. 63. quod clarius apud Lucam exprimitur *cap*. XXII. nam postquam *vers*. 66. seniores & principes Sacerdotum interrogaverant, *Si tu es Christus, dic nobis*; eandem quæstionem repetentes *vers*. 70. quærunt, *Tu ergo es Filius Dei?* Quid quod ipse Dominus Jesus hanc significationem confirmet *Joan*. X. 34, 35, 36. *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Hæc observatio maximi ad verum hujus enuntiati, Jesus est Christus, sensum intelligendum momenti est. Inde enim clarissimè apparet, nomen *Christi* aut *Filii Dei*, in objecto fidei nostræ, non esse denominationem naturæ alicujus personæ, sed muneris; quoniam Christi sive uncti per unctionem suam ad singulare aliquod munus destinabantur & consecrabantur. *Credere* ergo, *Jesum esse Christum*, seu *Filium Dei*, aliud nihil denotat, quàm, Jesum esse Salvatorem illum eximium & diu promissum, cui homines salvandi munus à Patre impositum est, quique ut muneri illi inaugurretur à Patre suo Spiritu Sancto unctus est.

Subjectum est Jesus.

VIII. Quod subjectum hujus enutiati attinet, ejus plena ac perfecta cognitio ad illius veritatem ac necessitatem absolutè necessaria non videtur. Verum est, necesse esse cognosci personam, cui munus Salvatoris à Deo impositum est, qui nomine *Jesus* describitur: Nomen autem illud certum designat hominem, à Deo Patre unctum, & muneri Salvatoris inauguratum. An verò persona hæc ex duabus constet naturis, unâ divinâ ac æternâ, alterâ humanâ, in unam personam unitis, ad hujus enuntiati veritatem non spectat; sed ex aliis Scripturæ locis inquiri debet.

Filiatio æterna non est necessarium fidei Christianæ objectum.

IX. Credimus nos, alibi doceri, personam hanc esse Filium Dei respectu naturæ divinæ ac filiationis æternæ: an verò filiatio hæc objectum fidei Christianæ sit, ex hoc enuntiato concludi non potest, utpote quòd, ut jam aliquoties diximus, tantum prædicatum subjecto inesse docet. Quæ subjecti naturam concernunt extra hoc enuntiatum sunt, & ex aliis Scripturæ locis eorum credendorum necessitas peti debet. Quamdiu itaque nobis ea Scripturæ loca non occurrunt, quibus naturæ divinæ cum humana unio perinde fidei salutaris objectum necessarium statuitur, atque officium Christi de Jesu credendum est, nos, licet veritatem illam amplectamur, eam tamen ut creditu ad salutem necessariam definire non audemus.

Ratio prima.

X. Accedit, quòd doctrina hæc multis obscuritatibus ac subtilitatibus adeo est involuta, ut doctissimi & solertissimi cujusque ingenium fatigent, & postquam diu satis se fatigarunt, inscitiam tandem suam fateri

teri cogantur. Non autem credibile est, Deum salutem nostram alligatam voluisse dogmati adeo obscuro ac perplexo, quod ne millesimus quidem distinctè percipiat, imo forte nullus. Ita enim Deus à nobis ut salutem æternam consequamur, non exegisset probitatis nostræ, sed acuminis ingenii & solertiæ documentum. Dices. Sufficit doctrinam hanc nosse quoad substantiam sensus aut sententiæ quâ continetur; nonautem necesse est eam cognoscere secundum difficultates, quæ circa illam solent aut possunt moveri: nim: Christum esse verum æternumque Deum, & verum hominem in una persona: quamvis de subtilioribus circa ista disquisitionibus parum aut nihil intelligatur. Resp. Piè id quidem dici: concedimusque id locum quidem habere in iis dogmatibus, quæ quoad substantiam clara atque evidentia sunt, quorumque fides necessaria ad salutem exigitur, sed de quorum circumstantiis disceptatio instituitur, quas necesse non est determinari. Ita doctrina de mortuorum resurrectione clara est atque perspicua, & ad salutem necessaria creditu; sed disputatur de ratione corporum nostrorum, quæ in resurrectione habituri sumus, utrum eadem numero sint futura cum iis quæ nunc habemus, an verò alia: hæc quæstio est intricatior, nec ad salutem necessaria, licet versetur circa articulum quam maximè necessarium, imò totius vitæ Christianæ fundamentum. Alia verò est ratio eorum dogmatum, quæ non in circumstantiis quibusdam, sed in seipsis suâque substantiâ hanc obscuritatem involvunt: quale est dogma de SS. Trinitate, quòd tres distinctæ personæ, una generans, altera genita, tertia spirata, sint unica numero essentia; de persona Domini nostri Jesu Christi, duarumque naturarum completarum, divinæ ac humanæ, in unam personem unione, aliæque plures: quod statim primo fuo conceptu varias involvit difficultates, quæ à dogmate ipso separi nullatenus possunt. In quæstionibus prioris generis difficultates illæ ab ipsis dogmatibus separari possunt: sed in posterioribus minimè. Aut igitur eæ simul necessariò sunt credendæ; aut dogmata illa ad salutem necessariò credenda urgeri non debent.

Secunda. XI. Secundò. Sine speciali cognitione duarum in Christo naturarum modique illarum unionis, credi potest Jesum esse Christum: quoniam, uti jam fusius ostendimus, hæc enuntiatio non propriè continet personæ exactam descriptionem, sed muneris: requirit enim, ut credamus prædicatum hujus enuntiationis, quod est *esse Christum*, competere subjecto *Jesu*: atqui, uti diximus, Christum esse denotat munus, non personam: nim: Servatorem illum populo Israëlis promissum. Cùm ergo constet, cui personæ tanquam Christo fides adhibenda sit, sufficit; licet omnia, quæ personam ejus concernunt, exactè cognita non habeamus. Sicut sufficit cognoscere, personæ alicui à rege legati munus demandatum, ut ei tanquam regis legato honor & obedientia exhibeatur; licet omnia, quæ legati personam, ortum, genus concernunt, cognita non habeamus; quia sola regis ad legati munus demandatio ipsi auctoritatem conciliat. Dices. Non potest Jesus Christus pro Servatore agnosci, nisi Deus esse credatur: causa enim salutis nostræ alia esse non potest nisi Deus. Resp. Prima ac principalis salutis nostræ causa esse non potest nisi Deus: isque est Deus Pater. Verum Filius Jesus Christus in salutis nostræ negotio consideratur ut Mediator, nos adducens ad salutem illam, quam nobis Pater ex mera gratia destinavit, & per Christum Filium suum largiturus est. Ergo ut Dei Patris instrumentum ad implendum ac perficiendum quicquid ad salutem nostram procurandum requiritur. Ad hoc autem non necessariò requiritur ut sit Deus: quia omnes muneris ipsius functiones, tam Prophetici, quàm Sacerdotalis ac Regii, obivit ut homo; dicente ipso Apostolo 1 *Tim.* 11. 5, *Unus est Mediator Dei & hominum homo Jesus Christus.*

XII. Alii quidam Christiani, nim: ex rigidioribus quibusdam Anabaptistis, requirunt ad fidei salutaris essentiam, ut credamus æternum Patris verbum carnem esse factum; id est, ipsam verbi essentiam divinam mutatam & transsubstantiatam esse in carnem. Sed & hi graviter errant. Nusquam enim, ut ante ostendimus, Scriptura Sacra illum incarnationis Dominicæ modum docet; & licet concederemus, quod tamen concedendum non est, quædam alicubi Sacrâ Scripturâ contineri, quæ huic opinioni occasionem forte præbere possint; non tamen sequitur, in eâ fidei salutaris essentiam collocari: nusquam enim Scriptura illum incarnationis Jesu Christi modum ad salutem creditu necessarium determinavit 2. Illa fides necessaria non est, ut Jesus Dominus noster agnoscatur esse Christus, nec ut ei fides & obedientia debita exhibeatur; imò nullum prorsus ad pietatem divinorumque præceptorum obedientiam respectum habet; cum fides salvifica eam ex se producat; quia est victoria mundi, 1 *Joan.* v. 3. Imo noxia esse potest pietati; quia tendit ad eversionem articuli de resurrectione mortuorum: cum enim resurrectio Christi ex mortuis fundamentum sit nostræ resurrectionis, & secundum illos caro Christi alterius planè sit naturæ quàm nostra, quæ spes resurrectionis ex resurrectione Christi haberi potest? Illâque spe collapsâ etiam tota nostra pietas collabatur necesse est. *Nec quod æternum Patris Verbum sit carne factum.*

XIII. Objicere solent, Scripturam dicere, quod *quicunque confitetur Jesum in carne venisse* *Occurritur objectioni.*

misse sit ex Deo, & *qui non confitetur Jesum in carne venisse, non sit ex Deo, sed spiritus antichristi*, 1 *Joan.* IV. 2, 3. Resp. 1. Ad summum tantum illis docetur, credendum esse Christum in carne venisse, seu verum fuisse hominem; de modo incarnationis ipsius nihil enuntiat. 2. Nec hoc dicitur; sed, *qui confitetur Christum qui in carne venit*; in Græco enim est participium ἐληλυθότα. *Confiteri* autem *Christum qui in carne venit*, est, Christum qui in carne venit agnoscere pro Domino ac Servatore: ita ut illud, *qui in carne venit*, sit descriptio Christi quem oportet confiteri; quo distinguitur ab aliis, quibus dignitas Christi falsò attribuitur. Sensus hic manifestè evincitur; quia fides, quâ creditur Christum in carne venisse, non est signum aliquem ex Deo esse: hoc enim & infideles credere possunt, & Judæi infideles credebant: sed professio illius Christi qui in carne venit.

Sed munera Christi. XIV. Cum itaque objectum fidei Christianæ propriè respiciat munera Christi, eorum fides ac professio etiam necessaria est: per illa enim est Christus, & sine eorum cognitione cultus Deo Christoque debitus exhiberi nequit. Munera cum dicimus, non solum illius Sacerdotale munus intelligimus; sed integrum Salvatoris munus, quod & Propheticum & Regium in se complectitur; singulaque fides distinctè concernit.

Propheticum. XV. Respectu Prophetici muneris, fides credit, Jesum Dominum nostrum fuisse verum doctorem à Deo missum, à quo uno, sive ex cujus unius Euangelio, plena divinæ voluntatis notitia petenda est, cujusque doctrina tanquam divina est recipienda, certa cum animi persuasione, si præceptis ejus obediamus, nos salutem ab ipso promissam consecuturos. Ita *Joan.* III. 2. inquit Nicodemus: *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* & *cap.* VI. 29. *Hoc est opus Dei* (id est, Deo gratum, eodem sensu quo alibi peccatores *opera diaboli facere* dicuntur) *ut credatis in eum quem misit ille. Actor.* II. 22. vocatur *vir à Deo approbatus virtutibus & prodigiis & signis*: & *cap.* III. 22, 23. applicatur ipsi prophetia Mosis *Deuter.* XVIII. 15. *& seqq.* de Propheta excitando è medio Israëlis. Et Deus, cùm Christus esset transfiguratus in monte, voce cœlitus delapsa ipsum in munere suo confirmavit, omnibusque ipsius obsequium præscripsit, *Matth.* XXII. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

Sacerdotale. XVI. Respectu Sacerdotalis; quod per sanguinem suum proprium, hic pro nobis in remissionem peccatorum effusum, ingressus sit in cœleste Sanctuarium, ut sese continuò offerat, & interpellet pro nobis: cujus oblatio ac intercessio tantæ sit efficaciæ, ut omnium nostrorum peccatorum plenam expiationem procuret; cujusque unius sacrificio plenè confidendum sit & acquiescendum: adeo ut ullos extra ipsum Mediatores quærere illicitum sit. Ita jubemur *Hebr.* IV. 14, 15, 16. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem; qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ; ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et *cap.* X 21, 22. *Habentes Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, plenitudine fidei*, &c.

XVII. Respectu Regii; quod ex mortuis suscitatus, & in cœlum assumtus potestatem habeat in omnia, tam in cœlo quàm in terra, ut ipse ait *Matth.* XXVIII. 18. nosque verbo suo (cujus ministerium adversus omnes diaboli machinationes tyrannorumque violentiam potentissimè tuetur) ac spiritu in hoc mundo regat; testante Petro *Actor.* V. 31. quod *Deus ipsum principem & Salvatorem exaltavit dextrâ suâ, ad dandam pœnitentiam Israëli & remissionem peccatorum.* Et 2 *Epist.* I. 3. quod *divina virtus omnia nobis donavit ad vitam & pietatem* necessaria, *per cognitionem ejus qui nos vocavit ad gloriam & virtutem.* Nos protegat ac defendat contra omnes tentationes & adversitates: tandemque suâ virtute, si in fide & mandatorum ejus obedientiâ constantes perseveraverimus, à morte adserturus, & in æternam vitam introducturus sit. *Joan.* VI 40. inquit ipse: *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me; ut omnis qui videt Filium & credit in eum habeat vitam æternam; & ego suscitabo ipsum novissimo die.* Et *Apoc.* III. 21. *Qui vicerit, dabo ipsi sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* *Regium.*

XVIII. Breviter: Quod Jesus Christus unicus noster sit Servator, à quo salutem, sub conditione ab ipso præscripta, exspectare possumus ac debemus. Ita *Hebr.* V. 9. vocatur *causa salutis omnibus obedientibus sibi.* Et *Actor.* IV. 12. dicitur *nullum aliud nomen sub cælo datum, per quod nos oporteat salvos fieri.* Et *cap.* XIII. 38, 39. *quod ab omnibus, quibus non potuimus in Lege Mosis justificari, in hoc omnis qui credit justificatur.* Hinc & 1 *Timoth.* II. 5. dicitur *unus Mediator Dei & hominum.* *Seu, quod sit Servator.*

XIX. Præter hæc multa alia de muneribus Jesu Christi, aliisque quæ huc referri possunt, inquiri solent. Non tamen omnia ad fidei salutaris essentiam necessariò requiruntur; sed illa solummodò, sine quibus cultus Deo & Christo debitus consistere nequit. Hæc si quis sincero corde admittat, vera ac salvifica fide præditus est; *Vera fides potest esse conjuncta cum erroris levioris momenti.*

licet

licet quædam, etiam gravioris momenti, ignoret, aut in iis erret: si nim: error versetur circa veritatem purè speculativam; aut talem, cujus cognitio, licet ad pietatem valde utilis sit, absolute tamen necessaria non est. Etsi enim hic gravius sit periculum, homoque per ejusmodi errorem facilè à pietate abduci possit; si quis tamen omni adhibitâ diligentiâ errorem suum non deprehendat, neque erroris sui genium seu consequens animadvertat, sed eum incitamentum esse credat ad pietatem, eoque non obstante Deum ex animo colat, non credimus illum verâ salvificâque fide destitutum. Non negamus huic fidei aliquid deësse, neque eam omnibus numeris esse absolutam: sicuti homini ægroto aliquid ad jucundam felicemque vitam deëst; nihil tamen quod ad illius essentiam necessariò requiritur desideratur.

Nulla tamen veritas parvi facienda. XX. Hinc autem perperam quis colligat, credere nos, aliquam veritatem parvi faciendam, aut posse quempiam impunè esse negligentem in investigatione veritatis: è contra gravis culpæ reum credimus, qui veritati indagandæ ad fidei suæ majorem confirmationem pro viribus non incumbit. Sic hortatur Apostolus *Hebr.* VI. 1, 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur: non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei in Deum*, &c. Sed solummodò, nos neminem propter errorem, qui impietatem necessariò non producit, verâ fide destitutum, ac proinde à spe salutis æternæ exclusum, pronuntiare audere; cùm religio nobis sit quemquam damnare, quem in Scriptura damnationi adjudicari non invenimus. Aliàs, si quemvis errorem fidem salutarem evertere statuamus, omnes fermè Patres, imo omnes Ecclesias, fide salutari destitutas fuisse ut dicamus, necesse est; cùm nemo hactenus inventus sit ab omni errore immunis. Quod notari volumus contra eos: 1. Qui omnem veritatem necessariam faciunt, omnem errorem exitialem. 2. Qui ob discessum à dogmate diu in Ecclesia recepto, etsi ad salutem non præcisè necessario, schisma faciunt. 3. Et præcipuè quidem, qui suo judicio errantes persequuntur & occidunt.

Quid assensus hic contineat. XXI. Hisce ita prolixè de fidei salvificæ objecto expositis, liquet duo generatim eo contineri; primò quasdam veritates, quas Deus nobis affirmat, quibusque assensum à nobis adhiberi vult. Secundò: officia quædam, quæ Deus nobis mandat & præcipit sub promisso præmii & comminatione pœnæ. Hine duo oriuntur fidei actus. Prior est assensus, qui adhibetur Deo affirmanti ea quæ nos credibilia esse statuimus. Posterior est assensus, qui adhibetur Deo mandanti, ut ea quæ credibilia esse cognoscimus, etiam certissima esse statuamus; ac proinde ea non tantum ut credibilia consideremus, sed ut certis plenam fidem adhibeamus.

XXII. Ex hac observatione facilis est solutio quæstionis, quæ hic moveri solet: Utrum fides actus sit intellectus an voluntatis? Nos dicimus nec esse merum intellectus, nec merum voluntatis actum, sed mixtum, partim intellectus, partim voluntatis. Prior actus est intellectus: quia credibile apprehendere ut credibile, eique ut credibili assentiri, est operatio intellectus. *Est actus partim intellectus.* Ratio est: quia in potestate hominis non est, facere ut intellectui ipsius aliquid appareat verum sive non credibile, vel non verum sive non credibile. Ne quidem opinari potest homo, cùm vult, multò minus credere; sed pro rationum ab ipso apprehensarum pondere de rei credibilitate judicat. 2. Id comprobat experientia: nemo enim rogatus, cur Christianam Religionem amplectatur præ alia, assignabit actum voluntatis præcisè, sed judicium; quòd examinatis omnium religionum quibus nituntur fundamentis, hanc præ aliis amplectendam comperiat. Denique, si fides merus esset voluntatis actus, nullo modo intellectus, sequeretur, si duo contrarium credergnt, quod neuter altero rationabilius esset crediturus; quia non intercederet intellectus judicium; sed utrobique solum voluntatis imperium causa foret assensus.

XXIII. Posterior autem est voluntatis actus; quatenus voluntas mota mandato divino intellectum determinat ad assensum firmiter eliciendum; & rationibus, quæ rem credibilem persuadent, acquiescit, ita ut non cupiat majorem evidentiam, cui nihil omninò opponi possit; sed rationes, quæ viro prudenti & minimè præfracto sufficere debent, fortiter applicet ad assensum eliciendum, & rejiciat ea, quæ assensui isti infringendo aut cohibendo servire possunt. *Partim voluntatis.* Hic actus propriè elicit fidem; estque ille actus voluntatis: Quod hisce rationibus comprobamus. 1. Quia fides hæc expresse nobis præcipitur; *Joan.* VI. 29. 1 *Joan.* III. 23. atqui actiones meræ intellectus sub præceptum propriè non cadunt: quia pro rationum pondere vel minore vel majore necessariò eliciuntur. 2. Credenti Deus promittit præmium, incredulo comminatur pœnam: *Joan.* III. 16. & 36. 3. Quia actus fidei exprimitur per *credere ex corde*, *Rom.* X. 9. *ex toto corde*, *Actor*, VIII. 37. per *venire velle*; & non credere, per *venire nolle*, *Joan.* V. 40. *Math.* XXIII. 37. 4. Qui credunt laudantur, qui non credunt reprehenduntur, *Act.* XVII. 11. XIII. 46. Ac 5. tandem qui crediderunt monentur ne à fide deficiant; *Hebr.* III. 12. IV. 1. 1 *Tim.* I. 19. Quæ omnia locum habere nequeunt, nisi fides actus voluntatis

tatis sit. Idem porrò evincitur ex opposita incredulitate; quæ similiter non est merus actus intellectus, sed & voluntatis. 1. Incredulus enim sæpe est, qui optimè novit veritatem euangelicam. 2. Si non sit actus voluntatis, sed merus actus intellectus, ergo dicendum, quod qui non crediderunt Mosi & Prophetis, non intellexerint ea quæ ab ipsis dicta sunt: atqui contrarium dicitur de hominibus incredulis, quod *veritatem in injustitia detineant*, &c. *Rom.* 1. 18, 19. 3. Sequetur neminem incredulum esse posse, eò quod non vult credere; sed quia veritatem Euangelii non satis intelligit, ac proinde non credere possit. 4. Nec aliquem incredulum esse posse contra conscientiam; quia judicium intellectus reverâ non est distinctum à dictamine conscientiæ. Ac tandem 5. non magis incredulum dicendum eum, qui non credit Euangelio revelato, quàm qui sine revelatione Euangelii non credit: quia tam illius quàm hujus intellectus de Euangelii veritate sufficienter persuasus non est; & quæ illi contigit notitia æquè insufficiens est, juxta hanc opinionem, ac si nulla ipsi contigisset. Quæ omnia cum absurda sint, sequitur incredulitatem non merum intellectus, sed & voluntatis, ejusque potissimum, actum esse.

Fiducia. XXIV. Assensui arctissimè unitur Fiducia, immediatè ex eo fluens; adeo ut assensus noster rectè assensus fiducialis appelletur. Estque hæc fiducia non propriè spes roborata, quæ, ut statim videbimus, consequens potius fidei est: sed confidentia, quâ salutem, cujus promissioni assensum præbemus, nobis juxta promissum divinum obventuram certo certius confidimus. Eamque fiduciam fidei actum esse liquet, quia nihil aliud est, nisi roboratus assensus in hominem fidelem reflexus: qui enim promissis divinis indubitatò assentitur, etiam necesse est ut Deo confidat, sibi juxta promissa divina salutem obventuram.

Objectum illius non est specialis misericordia. XXV. Sed de Fiduciæ hujus objecto quæritur. Contraremonstrantes siquidem fiduciæ objectum statuunt specialem misericordiam, qua Deus nominatim certas quasdam personas irrevocabiliter elegit ad salutem, absque ullo fidei respectu, illisque Christum misit Salvatorem, qui pro ipsorum peccatis satisfecit; ideoque & justitiam Christi, pro electis præstitam, fidei objectum faciunt. Atqui sententia illa quammaximè est absurda. 1. Talis enim specialis misericordia in Deo nulla est: promissio siquidem fœderi divino annexa est universalis, & quidem sub conditione fidei & sanctimoniæ: *Joan.* III. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum, ut, quicunque in eum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 1 *Joan.* 1. 7. *Si in luce ambulaverimus, quemadmodum ipse in luce est, communionem habemus ad invicem, & sanguis Filii ejus Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.* 2. Nec talis specialis misericordia hominibus promitti potest: quia jam, secundum illam sententiam, ante promissionem ex vi decreti divini electorum propria est, utpote ab æterno illis destinata. 3. Non est misericordia, quæ electis contingit propter Christum, qualia tamen omnia sunt beneficia, quæ fiduciæ seu fidei Christianæ objectum sunt; sed propter illam electis contingit Christus: habent itaque jam ex vi decreti divini, quod per fiduciam istam consequi dicuntur. 4. Talis fides noxia est pietati, quia illius necessitatem ut divina promissa consequamur tollit. Sienim Deus jam ante ullum ad fidem aut pietatem respectum electis vitam æternam destinavit; quæ necessitas credendi & obediendi ut beatitudinem, sibi irrevocabiliter absque fide aut obedientiæ intuitu destinatam, consequantur? Dices. Requiritur fides & obedientia, ut Deo gratitudinem suam pro tanta misericordiâ testentur. *Resp.* Remanet ergo sola obediendi æquitas, quæ generosos animos aliquando ad officium debitum excitat; interim officii præstandi necessitas perit, quâ plures moveri certum est, præsertim si officia requisita carni sint ingrata ac dura, ac præcipuè gravi ingruente tentatione. 2. Quid si gratitudinis officium omittatur, an ulla salutis jactura fieri potest? Si enim irrevocabiliter sine consideratione fidei aut obedientiæ ad salutem sint destinati, & ex decreti illius vi Christus ipsis sit missus, qui pro omnibus ipsorum peccatis satisfecit, an non & pro ingratitudinis crimine satisfecit? quæ ergo necessitas gratitudinem testandi? Non ergo fiducia specialis misericordiæ est actus fidem justificantem constituens & justificationem præcedens; sed est effectum ex illâ immediatè fluens, quâ misericordia divina universaliter omnibus, sub fidei & resipiscentiæ conditione, oblata, credenti, utpote conditionem requisitam præstanti, in specie applicatur. Qualem applicationem Apostolus facit 2 *Tim.* IV. 7, 8.

XXVI. Objectum itaque fiduciæ est misericordia divina universalis, omnibus hominibus, si in Christum credant & ex illius præscripto vitam instituant, oblata; adeo ut fiducia hæc sit actus hominis, quò firmiter statuit Deum sibi remissurum peccata & vitam æternam largiturum, si in Filium ejus Jesum Christum credat, eique obediat. Eaque immediatè ex assensu oritur. Quia enim fidelis assensum præbet doctrinæ Jesu Christi, quâ omnibus in se credentibus sibique obedientibus vitam æternam pollicetur, inde reflexione ad seipsum factâ confidit & sibi vitam æternam à Christo dandam, si credat & obediat. *Sed misericordia universalis, inclusam habens conditionem.*

XXVII. Et hujus fiduciæ, totiusque adeo obedientiæ Christianæ, consequens *Eam sequitur fi-*

est

ducia speciali misericordia. est fiducia specialis misericordiæ; quâ nempe salus æterna, antea sub conditione apprehensa, nunc post conditionis præstationem in specie applicatur; quæ proinde sine prævià fide justificante in nobis esse non potest. Dices. Etiam in fiducia speciali misericordiæ fit applicatio. *Resp.* Illa applicatio fieri non potest; nec, si fieri posset, necessaria est. Fieri non potest: quia jam ante fidem suam electi sunt, & ex misericordiâ jam ipsis irrevocabiliter salus decreta: quomodo itaque applicatio illa fiet? an applicabitur, per fidem, quod jam ante fidem electorum est? Sed posito applicari posse, quæ applicationis necessitas? Non enim est necessaria tanquam causa efficiens, aut tanquam conditio: quia tum specialis misericordia non est objectum fiduciæ, sed illius effectum: quod neutiquam concedunt. Nec dicere possunt, objectum & effectum simul esse. Si enim sit objectum, fiduciam præcedat oportet: si sit effectum, fiduciam sequitur, & ante eam non existit: Ergo simul existeret & non existeret; quod est absurdum.

CAPUT X.

De consequente Fidei actu, Obedientia.

Actus consequens est Obedientia. I. Actus Fidei consequens, seu potius immediatum fidei effectum, est Obedientia: illaque fluit ex præcedente: qui enim certò credit, Deum credenti & ex fide obedienti daturum vitam æternam, etiam Deo obediet, ut vitam illam consequatur. Et quia in obedientia illa sese fidei virtus & efficacia prodit, etiam illa fidei vita dicitur, & sine ea fides ad salutem esse inefficax: *Jacob.* II. 14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Imo sine eâ fides in homine nulla censetur: I *Joan.* II. 4. *Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est & in hoc veritas non est.*

Fidei natura. II. Hoc ut manifestius liqueat, fidei natura penitius paulò consideranda est. Divus Scriptor *Hebr.* XI. I. fidem nobis definit, quod sit ὑπόστασις *rerum sperandarum*, & ἔλεγχος *rerum quæ non videntur*; quia certitudine ac soliditate suâ rebus futuris nondumque existentibus quasi subsistentiam quandam largitur, easque præsentes sistit non aliter ac si oculis cernerentur, & fideli præsentes offerrentur. Statuit quippe fides, bona futura aliquando fore præsentia; & per hanc repræsentationem illis eandem confert efficaciam, ac si reverâ præsentia essent. Atqui futura illa bona sunt vita æterna, cum visione Dei & omnium bonorum aggregatione conjuncta: cui opposita est mors æterna, cum omni cruciatu ac miseria.

Qua virtute producat obedientiam. III. Si ergo fides ipsis adhuc futuris candem conferat efficaciam, ut præsentibus, necesse est, ut eorum bonorum firmâ fide imbutus Christo obediat: hoc est: Qui firmâ fide credit, se bona hæc adepturum, si Christo juxta Euangelii præscriptum obediat; & nisi obediat, mortem æternam ac maledictionem subiturum, idque tam certò sibi repræsentet, non aliter ac si bona ac mala illa coram præsens cerneret, ille promptè Christo obediet. Ratio est: quia nulla est proportio inter voluptates hujus mundi quibus ad peccatum allicimur, & futuræ vitæ bona: nec inter dolorem quem in appetitus nostri refrænatione sentimus, & cruciatus æternos. Omnia quippe in mundo sunt fluxa & evanida, & pereunt inter fruendum; unde & *mundus interire* dicitur *cum omnibus suis concupiscentiis*, I *Joan.* II. 17. & *hujus mundi figura*, σχῆμα, *præterire*; I *Cor.* VII. 31. Vita autem æterna est solida, perpetua, ac perfecta felicitas. Quid illi comparabitur in mundo? ejus bona? At illa, ut diximus, sunt caduca, multisque mixta malis, & miseriis. An ejus mala? At illa neutiquam comparari possunt cum futura gloria quæ nobis revelabitur, *Rom.* VIII. 18. neque ullam cum æternis cruciatibus proportionem habent. Imò licet omnia mundi hujus bona vel mala in unum congesta forent, tandem tamen per mortem finientur. Atqui ut homo mentis suæ compos bonum caducum sciens volens eligat præ æterno, & non tantum æterno se spoliet, sed & in æternos cruciatus summamque miseriam se conjiciat, moraliter impossibile est. Verum est, hominem præsentibus validè affici: sed fides futura bona nobis ut præsentia sistit; ergo &, quia præstantiora & æterna sunt, etiam præ præsentibus caducis esse amanda docet. Et hac suâ virtute omnia quæ intercedunt obstacula fortiter superat; etiam in ipsis afflictionibus gaudere facit, *Rom.* V. 2, 3, 4. divinorumque promissorum impletionem cum patientia ac longanimitate exspectat; *Jacob.* V. 7, 8. ad exemplum Abrahami, qui *longanimiter exspectans adeptus est repromissionem*, *Hebr.* VI. 15.

An vera fides absque obedientia esse possit. IV. Quæres. An ergo ex obedientia certum de fide alicujus judicium fieri possit, adeo ut si quis vitam Euangelio conformem non instituat, verâ fide destitutus pronuntiari debeat? *Resp.* Fidem considerari posse, vel quatenus est habitus vel quatenus est actus, seu actu ipso sese exserit. Priore modo fides considerata in genere suo perfecta esse potest, & nihilominus obedientiæ opera non producere. Quia non obstante fidei habitu contingere potest, ut homo præsentium bonorum dulcedine captus, in iis defixus hæreat: atque ita animum in cœlestia bona non intendens, nec in se

in se virtutem illam concupiscentiæ suæ resistendi experiatur, quam ipse fidei actus in ipso producere potest ac solet. Atque ita aliquamdiu fidei habitus perseverare potest, nulla producens opera. Posteriore autem modo fides considerata, prout actu ipso bona futura apprehendit, si sit firma, ac solida, operum bonorum sterilis esse nequit: & ex operum bonorum neglectu, aut malorum assuetudine, signum minimè fallax absentiæ fidei desumi potest. Quæratur enim homo, an bona æterna tam certò sibi proponat, ac si ea oculis coram videat? Si affirmet: qui fieri potest, ut illis neglectis hæc terrena amet? Si neget; fide, saltem solidâ, est destitutus. Quæratur, an toto corde feratur in illa bona? Si neget: quomoda illa credit? Nemo enim sponte bona illa contemnere, nedum æternum miser esse, velle potest. Aut ergo fides sese actu ipso non prodit; aut adeo languida est, ut non majorem, quàm si planè absit, peccato resistendi virtutem in se habeat. Fides verò actu ipso sese exserens ea est, quæ corda nostra purificat, quæque *victoria mundi est*, uti dicitur 1 *Joan.* v. 3, 5. per amorem siquidem bonorum præstantissimorum, rerum viliorum amorem exstinguit.

CAPUT XI.

De Fidei causis & effectis.

Causa prima fidei est Deus. I. Causa efficiens fidei prima est Deus, a quo, tanquam à Patre luminum, omne bonum donum desuper descendit, *Jacob.* I. 17. Dona autem Dei varia sunt. Alia à Deo absolute hominibus dantur, nulla intercedente operatione hominis. Ejusmodi sunt Creatio, Conservatio, Redemtio, Missio Christi in mundum, Vocatio ad participationem Euangelii: &c. Alia dantur quidem à Deo, sed homini non contingunt, nisi labore ejus ac industria intercedente. Sic Deus dat frumentum, sed intercedat oportet labor hominis, quo semen terræ mandet, &c. Alia præcipiuntur à Deo, & ad ea præstanda sufficientes à Deo vires donantur; sed requiritur libera hominis obedientia, quâ Deo præcipienti, virium à Deo concessarum auxilio, morem gerit, atque ita donum sibi à Deo oblatum consequitur. Et ex eorum genere est Fides & Resipiscentia.

Fides non est habitus infusus. II. Non itaque fides ejusmodi Dei donum est, quod in nobis sine nobis efficitur, neque habitus à Deo nobis infusus; sed obedientiæ nostræ actus, à voluntate nostra, per gratiam divinam prævenientem & concomitantem excitatâ, elicitus. Quod ut clarius ostendatur, distinctius paulò quæstio hæc explicanda est. Distinguunt Contraremonstrantes inter ipsam voluntatis renovationem, & inter actus voluntatis renovatæ. In ipsa renovatione nullam volunt intercedere actionem voluntatis, sed eam esse habitum a Deo infusum, hominemque illius respectu se habere merè passivè: Actiones autem fidei ab habitu promanare volunt, & in iis etiam intercedere actionem voluntatis. Nos autem dicimus, nec fidem, nec renovationem mentis in primo instanti esse habitus, sed actus, nec à Deo nobis sine nobis infundi, sed à nobis, ope divinâ adjutis, liberè produci. Quod his argumentis probamus.

Probatur rationibus. III. Primò. Fides nobis à Deo præcipitur, & quidem additâ promissione vitæ æternæ, & comminatione supplicii æterni: *Joan.* III. 36. *Rom.* x. 9. *Eph.* IV. 22, 23. 24. Atqui habitus à Deo infusi præscribi homini nequeunt; quia sub ejus actum cadere non possunt. 2. Fides est ex auditu verbi divini, *Rom.* x. 14. atqui habitus à Deo infusus, non est ex auditu, sed ex omnipotente Dei operatione: verum actus fidei, quem homo verbo divino obediens elicit. 3. Si fides sit habitus à Deo infusus, ergo prius sumus fideles, quàm actu credimus; quia ejusmodi habitus actum præcedit. Atqui hoc absurdum. Dices. Homo actu primo est fidelis (ordine naturæ non temporis) antequam actu secundo credat. Resp. Cùm actus primus hic non denotet potentiam credendi, sed ipsum fidei habitum, à quo homo fidelis denominatur, hoc est, fidem actu habens, absurdè dicitur hominem actu primo fidelem esse, antequam actu secundo credat, id est, actu fidem habere, antequam actu credat. 4. Tota fides secundum Scripturam rationem obedientiæ habet, utpote præcepta: habitus infusus non: est enim productus à principio extrinseco. 5. Ad habitum infusum voluntas se habet purè passivè: atqui hoc repugnat naturæ voluntatis & obedientiæ.

Occurritur exceptioni. IV. Dices. Non intelligitur talis operatio divina, quâ homo regeneratus ita agitur, ut etiam actus à Deo non agat; sed talis præveniens & operans gratia, quâ voluntas jam renovata non tantum agitur & movetur à Deo, sed à Deo acta agit & ipsa. Resp. 1. Non hic agimus de actibus voluntatis renovatæ, sed de ipsa voluntatis renovatione: ea cùm in nobis peragatur sine nobis, & ad eam voluntas se habeat mere passivè, non nisi absurdè voluntatis nostræ actio appellari potest: quia voluntas nostra actionis divinæ subjectum est; & volitio non est elicita à voluntate nostra, sed est mera passio actionis à Deo in nobis productæ, & volitionis voce tantum enunciatæ. 2. Imò nec actus fidei à tali habitu profluens rectè obedientia vocatur. Quoniam volunt voluntatem virtute habitus infusi physicè determinari ad actum. At non quælibet actio voluntatis, à quâ

à quâ voluntas aliquo modo volens vel agens denominatur, sufficit ad constituendum actionem ex officio nobis præscripto præstitam, sed illa solummodò, cujus libera electio in nostra est potestate, & ad quam voluntas ipsa se determinat: præcipitur enim sub promissione præmii & comminatione pœnæ. Talis autem actio esse non potest, quæ in nobis efficitur sine nobis; aut ab habitu infuso, voluntatem physicè determinante, procedit. Et hinc patet ineptam esse similitudinem, desumtam ab excitatione ex mortuis, in quâ homo se merè passivè habet; & operibus vitalibus, quæ excitatus edit: ex exemplo Lazari *Joan.* XI. 43. Non enim illic est præceptum propriè dictum, nedum promissis & minis sancitum, (foret enim hoc ridiculum) uti à Deo in fidei & regenerationis negotio adhibetur, *Eph.* v. 14. *Rom.* VIII. 12, 13. sed omnipotens Dei verbum, quo quicquid vult efficit.

Idem porro probatur. V. Sextò. Fides tum est opus solius Dei in solidum, & homo ad primam ejus productionem nihil omninò confert: & sic aliquo sensu dici posset Deus in nobis credere. Dices. Fides subjectivè non est in Deo, sed effectivè ei tribuitur. Resp. Quis adeo vecors, ut statuat fidem subjectivè esse in Deo? sufficit effectivè Deo tribui; & hominem esse tantum subjectum fidei merè passivum. Tandem 7. Causa, quod quidam non credunt, non erit in homine, sed in Deo, eo quod habitum fidei non infundat: perinde uti quod homo mortuus nullos edat operationes vitales, quas tamen ab ipso exigit Deus, non est in ipso mortuo, sed in Deo, qui ipsum ex morte, quod solus potest, non excitat.

Sed in primo suo instanti est actus. VI. Dicimus itaque fidem in primo suo instanti esse actum, & quidem voluntatis nostræ; non facultate suâ naturali solâ operantis, sed per gratiam divinam prævenientem & concomitantem excitatæ, & ad credendum idoneæ redditæ: & per actus plures continuatos perfectum fidei habitum in nobis produci. Contra hanc nostram sententiam objicitur. Si fides sit actus; ergo totum illud, per quod renatus à non renato differt, ad actus, adeoque ad evanidum quid & instabile, est referendum; actiones enim nostræ non sunt permanentes, sed citò transeunt & evanescunt. 2. Sequetur renatos, cùm dormiunt & actu non credunt, Deo displicere, & in statu gratiæ non esse: quia *sine fide impossibile est placere Deo, Hebr.* XI. 6. 3. Nec possent homines in gratiâ persistere vel unâ nocte, dum nihil agunt. Resp. Omnibus istis objectiunculis unicâ responsione facile occurri potest. Nimirum omnes actus aliquid conferre ad habitum; imò primum quemque actum habitum inchoare; præsertim si primus actus non sit simplex ac unicus actus, sed ex multis actibus, ad ejus productionem concurrentibus, velut compositus; tales enim actus habitum inchoant, & ad aliqualem producunt perfectionem, ita ut brevi per actus succedentes perfectionem suam consequatur. Ex eorum autem genere est fides, ad cujus productionem unicus actus non sufficit, sed varii concurrunt: scientia nim: voluntatis divinæ: judicium, post accuratum rationum quibus fides inniti debet examen; ac tandem voluntatis incliuatio ad assensum præbendum rationibus, quæ persuadendi vim habere judicantur. Ejusmodi actus fieri non potest, quin habitum egregiè inchoët, atque ita primus fidei actus, si non perfectum, inchoatum saltem habitum post se relinquit: qui per actus subsequentes continuò perficitur. Atque ita liquet, discrimen inter fidelem & infidelem non in solis actibus, sed & in habitu esse positum: & fideles etiam dum dormiunt, licet actu non credant, fidei habitu esse præditos, & in gratiâ Dei permanere. Dices. Ergo fides in primo instanti saltem est habitus inchoatus. Resp. Nequaquam: sed in primo instanti est actus habitum inchoans. Et quicquid ejus sit, constat actum fidei ordine naturæ præcedere habitum, & ex actibus habitum produci. Dices. Si fides sit actus, & quidem voluntatis nostræ, an ergo fides est in omnium potestate? Resp. In naturali hominis potestate fides non est, utpote cujus prima causa Deus est, sine cujus auxilio homo ad eam planè ineptus est. Sed postquam Deus hominibus vires ad credendum largitus est, in omnium, quibus gratia hæc à Deo facta est, potestate est; adeo ut si quis non credat, propriæ suæ voluntati adscribere debeat, quod cùm credere potuerit, noluerit.

VII. Instrumentum, quo Deus fidem in nobis operatur, est verbum Dei, sive ore traditum, sive scriptum & ab homine lectum; quod Deus semper Spiritu suo comitatum esse vult, seu, cui virtus spiritualis inest. *Fides* enim *est ex auditu, auditus autem per verbum Dei*: *Rom.* x. 14. Unde & verbum *semen regenerationis* vocatur, *Jacob.* I. 18. I *Pet.* I. 23. Verbum hoc non tantum fidem exigit: sed & in se varias continet rationes ac signa, quibus homo de illius divinitate certus esse possit. Signa hæc & argumenta sunt non tantum doctrinæ sanctitas, & promissorum excellentia, sed & omnis generis miracula; quibus doctrina confirmata est, aliaque plura, quæ fusius ad Scripturæ Sacræ divinam auctoritatem adstruendum à nobis deducta sunt. Quæ licet ab hominibus præfractis, & nullis nisi Mathematicis demonstrationibus acquiescere volentibus, assensum non extorqueant; tamen hominibus animi docilitate ac probitate præditis, aut à probitate *Instrumentum est verbum Dei.*

non

non alienis, convincendis, abundè sufficiunt.

Qualia argumenta requirantur ad eam elicendam.

VIII. Et profectò, consideratâ propius fidei naturâ, quod sit liber obedientiæ actus, ad illam eliciendam, à parte Dei argumenta requiruntur, non Mathematicè demonstrantia aut evidentia; sed homines cordatos ac dociles convincentia, quibus verisimiliter nihil opponi potest. Fides quippe fundamentum debet habere solidum cui innitatur; alias mirum non esset, etiamsi nemo crederet. Non enim salus nostra instabili niti potest arenâ. In Religione Christiana occurrunt quidem aliqua, quæ primâ specie carni ac sapientiæ carnali absurda videntur: qualia inter alia sunt, Jesum Nazarenum à Judæis crucifixum esse Christum in quo fides collocanda sit; crucem & afflictiones viam esse ad salutem consequendum, &c. Verum id resurrectione Domini nostri Jesu Christi ex mortuis, & adscensione in cœlum tam evidenter est comprobatum, ut nulla dubitandi causa supersit. Verumtamen evidentia argumenta, quæ omnem prævaricandi prætextum tollant, fidei natura respuit: aliàs non esset liberæ obedientiæ actus, nec laude aut præmio dignus. Non enim laudandus, qui assentitur rei cui contradicere nequaquam potest: ut si quis ipso meridie credat esse diem. Ita Thomæ fides laudabilis non fuit, qui nisi videret ac palparet credere noluit; sed eorum commendatur, qui visuri non essent, & tamen crediturі; *Joan.* xx. 29. Hinc est quod Deus opera sua, quæ à nobis credi vult, ita plerumque misceat, ut eorum præstantiæ ac divinitati conjuncta sit vilitas quædam, quâ eorum gloria quasi umbra quadam obscurari videtur: adeo ut si ab unâ parte inspiciantur, planè divina appareant: si verò ab alterâ parte, humana tantum, nihilque minus quàm divina credantur. Ut ita fidei locus esset, hominibusque probis ac docili ingenio præditis luculenta daretur occasio, ea tanquam divina amplectendi: præfractis verò non omnis prætextus, ea tanquam humana rejiciendi. Atque hac ratione verbo Dei vis sufficiens in hominibus fidem producendi inest; adeo ut, si infideles maneant, non id verbi impotentiæ, sed suæ malitiæ imputare debeant.

A parte hominis requiritur docilitas.

IX. Hinc jam manifestum est, Deum verbi sui instrumento non ita in nobis fidem operari, quin à parte hominis requiratur pia docilitas, ut operatio verbi effectum sortiatur. Hanc passim requirit Servator noster apud Joannem: *cap.* III. 20, 21. *Omnis qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt. Cap.* VII. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus* (Patris) *facere, cognoscet de doctrinâ meâ utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Cap.* VIII. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: idcirco vos non auditis, quia ex Deo non estis. Cap.* x. 26, 27. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Huc requiritur ut animus liber sit ab omnibus impedimentis, quibus ad fidem concipiendam ineptus redditur. Illa autem potissimum sunt tria; affectus, præjudicium, & malitia. Affectus mentem obnubilant, ut veritatis non magis sit capax, quàm aqua turbida imaginem hominis in eam inspicientis accipere potest. Præjudicium mentem fascinat, facitque ut omnia ad judicium temere absque ratione solidâ conceptum exigat, omnesque rationes præjudicio eximendo idoneas temerè respuat; adeo ut vix homines indociliores reperias, quàm præjudicio occupatos. In animum inducere nolunt, rem aliter se habere posse, quàm ipsi eam sibi soliti sunt repræsentare. Malitia omnes bonos animi motus exstinguit: ea autem nobis est, qua homo planè deditus est cupiditatibus suis carnalibus, iisque totus immersus. Hæc maximum fidei Christianæ obstaculum est. Doctrina quippe Jesu Christi, cui fides assensum præbet, carnalibus cupiditatibus è diametro repugnat; præscribens omnium cupiditatum mundanarum abnegationem, & justitiam exigens abundantiorem justitia Pharisæorum & Scribarum, additis futuræ vitæ ac spiritualium bonorum promissis. Præcepta carni ingrata, promissa carni ignota sunt, quæ sperare nescit; sed frui, videre, palpare, sentire, cupit, & nullis nisi præsentibus afficitur. Hinc ingrata illa religio, cujus præcepta cupiditatibus carnis adversantur, cujusque promissa carnem afficere non possunt: duo enim amores contrarii in eodem homine subsistere non possunt, sed alter expellit alterum; quique dominium obtinet alterius consortium non patitur. Quantò major sanctitas homini carnali præscribitur, tantò magis doctrinam illam, ut sibi adversam, aversatur. Hinc omnia opera carnis, seu cupiditates hujus mundi, repugnare dicuntur Euangelio Christi; tam omnes in genere, quàm singulæ in specie. Omnes quidem in genere, 1 *Cor.* II. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim illi sunt: neque potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur.* & *Jacob.* IV. 4. Cupiditates vero mundi tres enumerantur, 1 *Joan.* II. 15, 16. *cupiditas carnis, cupiditas oculorum, fastus vitæ.* Singulæ fidei adversari dicuntur. Cupiditas carnis, *Rom.* VII. 7. *Sapientia carnis est inimicitia adversus Deum; non enim se subjicit legi Dei, sed nec potest.* Cupiditas oculorum, seu amor

divitiarum, *Matth.* VI. 24. *Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut uni adhærebit & alterum contemnet: Non potestis Deo servire & Mammonæ.* & *Luc.* VIII. 14. *sollicitudines, divitiæ & voluptates vitæ* comparantur *spinis*, quæ bonum *verbi semen suffocant.* Fastus vitæ seu ambitio, *Joan.* V. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Hinc rectè 2 *Thess.* III. 2. *non omnium* dicitur *fides*; nimirum non eorum, qui bonitate divinâ ad suam abutuntur perniciem, uti est *Rom.* II. 4, 5. & qui sunt *corrupti mente, inepti ad fidem* 2 *Tim.* III. 8. Soli autem probitatis studiosi credere dicuntur, qui apti & *dispositi sunt ad vitam æternam*, *Act.* XIII. 48. Qualis fuit Paulus, *Philip.* III. Eunuchus, *Actor.* VIII. Cornelius centurio, *cap.* X. Lydia, *cap.* XVI. aliique. Dices. Omnes tamen ante fidem dicimur fuisse filii iræ. Resp. Docilitas animique probitas cum peccandi habitu, adeoque iræ divinæ reatu, consistere potest: aliud namque est, docilem habere animum; aliud, didicisse quid sit pietas. Multi dociles sunt, sed monitoribus carent, & versantur inter impios.

Quo sensu fidei justificatio adscribatur. X. Hactenus sunt Fidei causæ: jam considerandæ ejus effecta. Bona opera fidei effecta esse, jam ante fusius demonstratum est. Sed & præterea justificatio fidei adscribitur in Scriptura, & præsertim in *Epist. ad Romanos & Galatas* passim. Attamen hæc non eodem modo fidei effectum est, atque bona opera. Non enim fides justificationem, utpote quæ internus ac judicialis Dei actus est, tanquam causa efficiens producit; nec etiam causa meritoria est justificationis; fides enim meritum excludit. Quâ autem ratione fides justificationem producens, consideranda sit, controvertitur. Quidam docent fidem in negotio justificationis metonymicè sumi pro correlato seu objecto suo quod respicit, quod est justitia Christi; adeo ut fide justificari, sit justitiâ Christi justificari, quatenus illa per fidem apprehenditur & fideli applicatur. Fidem autem illam nolunt esse obedientiæ nostræ actum, sed instrumentum justitiam Christi apprehendens, & opponi fidei quatenus actus est. Verum multis laborat absurditatibus, quin & secum consistere non videtur sententia hæc. 1. Fidem quippe metonymicè accipi pro objecto suo in Scriptura insolens; neque ullum istius significationis exemplum producetur, quæ enim proferri solent controversa sunt, & illorum explicatio à nullis, nisi sententiam illam amplectentibus, admittitur. Non autem ad figuratam ejusmodi significationem recurrendum est, nisi significatio propria manifestam in se absurditatem contineat: quod hic locum non habet. 2. Capi non potest, quomodo fides sit instrumentum justitiam Christi apprehendens, & tamen non actus noster. Si enim fides concipiatur quatenus justitiam Christi apprehendens, necesse est ut concipiatur quatenus est opus seu actus noster: quia nobis præcepta est: instrumentum autem qua tale præcipi non potest: sed solummodò instrumentalis actio: atqui actio nobis præscripta nostra actio sit necesse est. Aliàs capi non potest, quid fides sit. 3. Nec justitia Christi propriè nobis imputatur: sed propter justitiam Christi nobis à Deo gratiosè justitia imputatur: neque fides solam Christi justitiam respicit: sed integrum Christum, non tantum seipsum pro nobis ut victimam offerentem; sed & mandata nobis præscribentem, & sanctimoniæ studium exigentem. Fides itaque alio sensu hic concipi nequit, nisi conditio à Deo nobis præscripta ut justificationem consequamur; non vi aut merito suo: fides enim, uti vidimus, meritum excludit: sed ex gratiosa Dei promissione, qua fidem nobis in justitiam propter Christum imputare vult. Imò tantum abest, ut fides in negotio justificationis non sit obedientiæ nostræ opus, ut etiam opera, quæ producit, includat, totamque obedientiam Euangelicam: cum enim operibus in negotio justificationis opponitur, sola opera Legis intelliguntur; suis enim quæ producit operibus opponi nequit. Verùm hæc paucis attigisse hic sufficiat: in sequentibus, ubi de Justificatione nostri coram Deo dicemus, plenius hæc excutientur.

CAPUT XII.

De variis Fidei divisionibus.

I. SEquitur nunc, ut varias Fidei distinctiones consideremus. Solet communiter Fides dividi, in historicam seu dogmaticam, miraculorum, temporariam, & justificantem. *Vulgaris divisio fidei.* Fides historica seu dogmatica, dicitur esse habitus, quo quis credit vera esse omnia à Deo revelata; neque narrationes tantum pro objecto habet, sed & promissiones; saltem ita, ut credatur earum veritas in se & potentiâ promittentis. Ab hac fidem temporariam non specie sed gradibus differre volunt. Duos quippe fidei hujus gradus ponunt. Vel enim in eo consistit, ut de veritate rei persuasus sit credens, sine ullo interiore affectu vel in revelantem, vel in rem revelatam: estque primus gradus. Vel conjungitur hæc theoria cum aliquo sensu & gustu, & cum gaudio ejusque externis signis: qui secundus gradus est, & vocatur fides πρόσκαιρος. Secundus primum supponit, non vice versâ. Fides miraculorum est, quâ firmiter statuimus ex Dei potentia, quod vel prædixit Deus, vel fieri voluit, sive à nobis, sive in bo-

in bonum nostrum ab aliis. Hæc se non extendit ad universum Dei verbum, ut præcedens; sed ad singularem quandam revelationem. Justificans est firmus assensus ex certa revelationis divinæ notitia à Spiritu Sancto per verbum Euangelii animis nostris ingeneratus.

Quo sensu admitti possit. II. Distinctionem hanc fatemur commodo sensu accipi posse, si singulæ ejus partes, non specie, sed gradibus differre dicantur. Fides enim historica, & temporaria quam vocant, gradu tantum à fide justificante differt, adeo ut fides historica, si sit firma & solido judicio roborata, etiam sit futura justificans; uti mox pluribus ostendemus.

Fides temporaria est ignota Scripturæ. III. Fides temporaria ignota est Scripturæ: illa enim non fidei temporariæ, sed hominum temporariorum, seu qui se tempori accommodant, mentionem facit, *Matth.* XIII. 21. Quia autem homines se tempori accommodant, & ingruente persecutione deficiunt, non credendum in ipsis distinctam specie fidem esse, quæ suâ naturâ perseverans esse nequit; sed esse inferiorem fidei gradum, quem si excitare voluissent, etiam perseverans fuisset. Imo veram hanc esse fidem, exinde liquet, quia talibus, si à fide deficiant, gravius denuntiatur exitium, *Hebr.* VI. 4, 5, 6. quem locum de hac fide accipiunt. Quæ autem ratio gravioris pœnæ, ob desertam fidem non veram, non salutarem, & necessariò desituram? 2. Nec perseverantia est de essentia fidei, sed illius consequens: alioquin nemo verè fidelis dici posset ante mortem. Herba è terrâ petrosâ orta, & postea antequam fructus proferat exarescens, non minus vera herba est, quam quæ fructus profert: ita & fides, vera fides est, etiamsi ante fructuum salutarium productionem deficiat. Dices. Qui fidem temporariam habent comparantur terræ petrosæ, qui autem fide justificante donantur terræ bonæ. Resp. Non quia diversa specie est fides, sed ob eventum similem cum herbis in diversa terra seminatis. Temporarii quippe ingruente persecutione deficiunt, perinde uti herba in terra petrosa seminata oriente sole exarescit. Dices. Sed perseverare nequeunt, quia radicem non habent. Resp. 1. Non est de essentia fidei radicem habere, sed illius adjunctum. 2. Nec etiam illorum fides radice penitus caret: sicut nec herba in terra petrosa seminata omni radice prorsus destituta est; sed non satis est radicata: ideoque tentationi persecutionis succumbit. Dices. Attamen non ferunt fructus. Resp. Nusquam hoc dicitur; sed solummodò, quod non proferant fructus ad salutem; quia in iis non perseverant, sed deficiunt. Possunt tamen fructus esse veri ac boni, licet ob perseverantiæ defectum non sint salutares.

Fides miraculorum. IV. Quod fidem miraculorum attinet, fateor eam esse distinctam specie fidem, neque eam omnium temporum ac hominum esse. Est enim donum speciale miracula facere, quod omnibus non est concessum. Illa autem non est absque fide historica, sed est eminentior quidam illius gradus. Attamen & distincta fidei species esse videtur: quia non omnibus, quibus eminentior fidei gradus contingit, donum miracula faciendi à Deo concessum est. Fides hæc miraculorum duplex est: una activa vocari solet, qua aliquis Deo firmiter assentitur ac confidit, ad preces vel verba sua miraculum aliquod futurum. Hujus meminit Servator noster *Matth.* XXI. 21. *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum quod ficui contigit facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle, & jacta te in mare, fiet.* Et Apostolus 1 *Corinth.* XIII. 2. *Etiamsi omnem fidem habeam, adeo ut montes transferre possim.* Altera passiva, quâ quis credit se alicujus viri, quem à Deo missum credit, interventu miraculum quoddam obtenturum. Hanc Dominus Jesus sæpe ab iis qui miraculum petebant exegisse legitur; vide inter alia *Marc.* IX. 22. & eximiè illam ostendit Centurio, *Matth.* VIII. 8. *& seqq.* Posterior hæc fides specie distincta ab historica non videtur, sed eminentior quidam illius gradus, certo cuidam ac speciali objecto applicatus: Prior autem donum quoddam speciale continet. Et in eo à fide justificante differt, quod justificans absque pietate ac charitate esse non possit: non enim ante earum productionem justificat, ut videbimus: Fides verò miraculorum pietate in Deum, & charitate in proximum destituta esse potest. Non enim donum est solis piis ac verè credentibus concessum, quo ipsi de divino favore certi ac persuasi esse possint, perinde atque Spiritus adoptionis: sed & aliis, doctrinam salutarem annuntiantibus, in signum divinitatis doctrinæ quam prædicant, & argumentum infidelibus ut convincantur: Miracula enim in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, 1 *Cor.* XIV. 22. Licet itaque ordinariè non aliis quàm verè fidelibus & piis donum hoc datum sit, juxta promissum Domini *Marc.* XVI. 17. *Signa eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient,* &c. Attamen ad majorem Euangelii gloriam nonnunquam & eo donati sunt homines Euangelium annuntiantes, licet non exactè juxta illius præcepta vitam instituentes. Hoc satis indicat Apostolus, 1 *Cor.* XIII. 2. *Etiamsi omnem fidem habeam, adeo ut montes transferre possim, charitate autem sim destitutus, nihil sum.* Quæ enuntiatio videtur nihil ad rem facere, si fieri nequeat ut fides miraculorum absque charitate sit. Adde quod Dominus Jesus expressè dicat, *Matth*

Matth. VII. 22, 23. *Multi dicent mihi in die illo, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Talis fuit Judas, unus duodecim Apostolorum, qui, à Domino Jesu missi cum potestate miracula faciendi, ad ipsum reversi cum gaudio dicebant, *Domine etiam dæmonia nobis subjiciuntur in nomine tuo*; *Luc.* X. 17. Qui tamen ab initio fur erat & impius, *Joan.* VI. 71.

1. Fides est vel viva, vel mortua. V. Itaque sepositâ hac fide miraculorum, tanquam dono speciali, fidem, phrasi Scripturæ Sacræ usitatâ, distribuimus in Vivam, ac Mortuam: per Vivam intelligentes justificantem; per Mortuam: quæ historica vocari solet. Fides viva est, quæ producit bona opera, atque ita consequitur justificationem; Mortua vero, quæ operibus est destituta, ac proinde ad justificationem inefficax. Ita *Jacob.* II. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare illum?* Et *vers.* 17. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semet ipsa.* Quæritur quâ in re discrimen inter fidem vivam & mortuam positum sit? Contraremonstrantes discrimen hoc ab essentia cujusque petunt. Fidem vivam statuunt in genere fidei esse perfectam, eamque solam absque operibus justificare: licet enim ab operibus sejungi nequeat, ejusmodi tamen esse volunt naturæ, ut vim quandam in se habeat justificandi, quam nullâ ex parte debeat operibus quæ producit. Inde nata sententia hæc; Fides fœta bonis operibus justificat ante partum. Mortuam verò in genere fidei esse imperfectam, ac verâ fidei naturâ planè carere.

Differunt, non specie, sed gradu. VI. Nos autem utramque veram esse fidem statuimus, sed gradibus tantum differre, ac discrimen inter utramque ex utriusque effectis petendum esse: Itaque omnem fidem in se nudè spectatam esse mortuam, & vitam accipere ab operibus; esse tamen ante bonorum operum productionem veram ac bonam. Quod his rationibus ostendimus. 1. Inquit *Jacob.* II. 19. *Credis quia unus est Deus, Recte facis.* erat tamen fides illa sine operibus. 2. Ex parte Apostolus illi justificationem tribuit, *vers.* 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* 3. Abrahami fides vera fuit fides ante opera, & tamen sine operibus ipsum justificare non potuit, *vers.* 21. Dices. Loquitur Apostolus de tali fide quæ etiam in dæmonibus reperitur: in illis autem non est vera fides. Resp. Omnino, in dæmonibus etiam vera, id est, non fucata fides est, & assensus firmus: non autem illis prodest, quia non producit bona opera: quoniam se irrevocabili Dei decreto jam ad exitium destinatos norunt. Dices. Vera fides est vera virtus: nulla autem in diabolis est virtus. Resp. Eadem fides, quæ in hominibus est virtus, in diabolis non est virtus. Differentiæ ratio est: quia res credendæ tantâ evidentiâ à diabolis percipiuntur, ut iis credere planè necessarium sit. Hominibus verò licet valdè credibiles proponantur, & ejusmodi argumentis confirmatæ, quæ æquis judiciis sufficiunt: non tamen tantâ eum evidentiâ, ut credere omninò necessarium sit, sed ut homo præfractus non omni prætextu assensum denegandi destitutus sit. Et hæc libertas facit, ut fides, quæ in diabolis non est virtus, in homine sit virtus. Dices. Mortua fides non est vera fides: sicut mortuus homo non est verus homo. Resp. 1. Fides vocatur mortua, non respectu naturæ suæ, sed effectus: quod clarissimè liquet ex *Jacob.* II. 14. *coll. cum vers.* 17. tum & *vers.* 16. & 17. inter se collatis. 2. Fides mortua non comparatur homini mortuo; sed corpori sine anima. At corpus sine anima etiam verum corpus est; sed nullam vitæ actionem exercet: sic & fides sine operibus, licet vera sit fides, effectu caret, & nihil prodest ad vitam æternam. 3. Corpus si spiritu informetur vivum fit corpus: ita & fides per opera ipsi addita fit viva, & ad salutem prodest. Quod de falsâ fide nemo dixerit, utpote cui vera fidei natura deëst, quam ab operibus mutuari nequit. Dices. Spiritus est causa vitæ corporis, sed opera non sunt causa fidei. Resp. Ita est: nec etiam spiritus est causa corporis; sed perinde atque spiritus causa vitæ corporis est, etiam opera causa sunt vitæ fidei.

VII. Secundò: Fides dividitur secundum gradus. Alia est Firma, alia Infirma. Atque hæc distinctio, juxta tres aut quatuor actus in fide consideratos. Scientiam nimirum, Assensum, Fiduciam ac Obedientiam, etiam diversimodè considerari potest; adeo ut fides respectu uniuscujusque actus vel infirma, vel firma dici possit. *2. Vel infirma.*

VIII. Infirma fides respectu cognitionis est, quæ rudimenta tantum pietatis novit, & in primis doctrinæ Christianæ initiis adhuc hæret: qualis erat in Hebræis: qui propterea comparantur infantibus, lacte non solido cibo opus habentibus, *Hebr.* V. 12. & vocatur *inchoationis Christi sermo*, *cap.* VI. 1. Vel etiam, quæ alicujus dogmatis, magni in Religione Christiana momenti, solidam cognitionem nondum adepta est. Ita qui de libertate Christianâ à ceremoniarum legalium jugo non plenè erant instructi, *infirmi in fide* vocantur *Rom.* XIV. 2. XV. 1. 1 *Cor.* VIII. 9, 10. *Respectu cognitionis.*

IX. Respectu Assensus infirma fides est, quæ ægrè assentitur iis, quæ Deus nobis revelavit in Euangelio, sive promissa sint, sive *Assensus.*

minæ,

minæ, sive aliud quid à sensibus remotum. Talis erat fides Apostolorum, qui ægrè, & non nisi sensuum experientia convicti, resurrectionem Jesu Christi credebant: & imprimis Thomæ, qui ne quidem undecim Apostolorum testimonio credidit, sed oculis & manibus suis explorare voluit, *Joan.* xx. 25. talis erat fides Marthæ, *Joan.* xi. 21. *& seqq.* Et præsertim fides infirma est, quæ, licet promptè adhibeatur, temerè tamen absque solido judicio concepta est, atque ita fundamento solido caret, cui innitatur: unde nec fructus requisitos profert, nec stabilis est, sed facile concutitur, & quovis doctrinæ vento facile circumducitur, uti est *Eph.* iv. 14.

Fiducia. X. Respectu Fiduciæ infirma fides est, quæ non nisi ægrè admodum in Deum & Christum in adversis recumbit, facitque ut animus pavore correptus non plene in Deo ejusque providentia acquiescat. Talis erat fiducia discipulorum, *Matth.* viii. 24. *& seqq.* Petri, *cap.* xiv. 18. *& seqq.* patris dæmoniaci illius, *Marc.* ix. 22. *& seqq.*

Obedientia. XI. Respectu obedientiæ infirma fides est, quæ requisitos bonorum operum fructus non producit, sed in multis adhuc deficit, aut saltem non nisi ægrè eos profert. Talis est communiter vita Christianorum, qui dignè Euangelio non ambulant, licet illud nec planè negligere dici possunt. Talis etiam fuit fides eorum, qui juxta viam, in terra petrosâ, aut in spinis, sati dicuntur, *Matth.* xiii.

Vel firma, respectu cognitionis. XII. Ex hisce jam facile liquet, quæ sit fides Firma. Respectu Cognitionis fides firma est eorum, qui magnos in cognitione Euangelii fecerunt progressus, qui nempe necessariorum cognitioni addiderunt cognitionem utilium, deque eorum certitudine plenè persuasi, etiam rationem reddere norunt quæ in ipsis est spei, & contradicentes coarguere. Tales dicuntur *habere sensus exercitatos ad discretionem boni & mali*, *Hebr.* v. 14. & *instructi in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris & Christi Jesu*, *Coloss.* ii. 2. Hanc designat Apostolus, 1 *Corinth.* xiii. 2. *Etiamsi noverim omnia mysteria, & omnem scientiam.* Ad hanc hortatur, 1 *Cor.* xiv. 20. *Eph.* v. 15, 16. eamque fidelibus precatur *Eph.* i. 17, 18. *&c. Coloss.* i 9, 10.

Assensus. XIII. Respectu Assensus firma fides est, quæ non tantum promptè, sed & cum judicio adhibetur omnibus doctrinæ Christianæ mysteriis, etiam captum nostrum superantibus, quæ proinde naturali ratiocinatione nunquam indagata fuissent, sed ex sola Dei revelatione cognoscuntur: quale præsertim est, quod Deus mortuos in vitam æternam sit suscitaturus. Et ratione assensus fides, distinctione non admodum ab hac diversâ, distingui potest in totalem, quâ omnia credimus à Deo nobis revelata, ad religionem spectantia, præsertim necessaria ad salutem: & particularem, quâ unum quid a Deo revelatum, vel etiam aliqua tantum creduntur.

XIV. In Fiducia firma est fides, quæ Deo firmiter innititur, promissorum divinorum impletionem exspectans, omniaque obstacula ac difficultates superans, neque fiduciam abjiciens, etiamsi nulla media naturalia videat ad rem speratam obtinendum comparata. Talis fuit Abrahami fiducia, quâ ex se & Sara jam effœta credidit filium nasciturum, ex eoque genus suum multiplicandum instar arenarum maris & stellarum cœli: *Rom.* iv. 17. *& seqq.* Nec diutina promissorum divinorum dilatione fatigatur, sed eorum impletionem cum patientia exspectat: ad Abrahami exemplum, qui *longanimiter ferens adeptus est repromissionem*, *Hebr.* vi. 15. Quoniam persuasa est, *unum diem apud Deum esse instar mille annorum, & mille annos instar unius diei*, 2 *Petr.* iii. 8. Sic dicitur *Esa.* xxviii. 16. *Qui crediderit, non festinet.* Et ad hanc hortatur Apostolus fideles, *Hebr.* x. 36, 37. & nominatim *Jacob.* v. 7, 8. *Patientes estote fratres usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit.* Exempla egregiæ in Deum fiduciæ habemus in Centurione, *Matth.* viii. 5. *& seqq.* & Cananæâ, *Matth.* xv. 22. *Fiducia.*

XV. Respectu Operum fides firma est; quæ promptam & eximiam Deo profert obedientiam: qualis non tantum ea est, quæ cum molestia ac dolore suscipitur, sed & quæ cum bonorum à Deo promissorum exspectatione non videtur posse consistere, eorumque spem nobis intercipere. Talis fuit Abrahami obedientia, promptum se paratumque ostendentis ad immolationem filii unici, in quo semen ipsi erat promissum: *ratiocinatus Deum etiam posse ex mortuis suscitare*: *Hebr.* xi. 17, 18, 19. Talis est obedientia fidelium in toleratione crucis, spoliationis bonorum, flagellationis, quin & mortis durissimæ ac atrocissimæ, propter nomen Jesu Christi; præsertim conjuncta cum serenitate animi ac gaudio spirituali: uti legitur de Apostolis, *Act.* v. 41. & fidelibus Hebræis, *Hebr.* x. 34. aliisque fidelibus, *Hebr.* xi. 35. juxta *Rom.* v. 2, 3, 4, 5. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam illam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur*, &c. *Obedientia.*

XVI. Illud autem observandum, sicut hi fidei actus sibi invicem sunt subordinati, prioresque fundamentum sequentium, ita & infirmi- *Cautela.*

firmitatem & imperfectionem fidei respectu actus antecedentis, causare infirmitatem fidei respectu actus consequentis; non vice versâ. Hoc est, si quis infirmus sit in scientia, etiam erit in assensu, fiduciâ, & obedientiâ. Sed non perinde sequitur, in scientia infirmum esse, qui infirmus est in assensu, fiducia & obedientiâ: potest siquidem quis in hisce infirmus esse, & tamen in scientia maximos fecisse profectus: qualia exempla passim obvia sunt. Hoc autem de eo solum dogmate intelligendum est, in cujus cognitione quis infirmus est. Fieri aliàs potest, & sæpe fit, ut quis in multis rudis sit & infans, qui tamen Religionis fundamentis, quæ percepit, firmiter assentitur, & assensu isto ad obedientiam sinceram movetur: quia licet argumentis illis, quæ ex dogmatibus à se nondum perceptis petuntur, illius pietas non fulciatur: sufficientibus tamen & solidis, iisque plenâ fide receptis, fundata est, & inconcussâ manet. Sic videmus multos sæpe homines rudes pietate excellere, quia præceptis ac promissis divinis arctissimè adhærent.

Fides sensim incrementum capit.

XVII. Ex hisce liquet, fidem nostram sensim incrementum capere, animumque nostrum rationibus, quibus fides nititur, assentientem, fidem concipere: earum autem certitudinem crebrâ meditatione altius animis nostris infigi; ita ut fides initio quidem vera, quatenus fine dubitatione verbo Dei assentitur, in dies magis roboretur, & radices agat. Quare cùm hæc fidei natura sit, allaborandum ut in fide proficiamus, Deusque orandus, ut media quibus fides corroboratur, nobis largiri & in nobis augere dignetur: ad Apostolorum exemplum, precantium, *Domine auge nobis fidem*, *Luc.* XVII. 5.

Ratione obedientia fides est vel incipientium,

XVIII. Tandem fides ratione obedientiæ dividitur, quòd alia sit fides Incipientium, alia Proficientium, alia Adultorum seu perfectorum. Fides Incipientium est eorum, qui Euangelio quidem verè assentiuntur, & ex animo peccatis valedicere proposuerunt, quin & revera sanctitati operam dant; sed propter consuetudinem peccati inveteratam, & habitum altius radicatum, cum magno labore, molestia ac lucta carnis, subinde adhuc ebullientis & spiritui repugnantis, motus peccati domant; unde & contingit ipsos quandoque in peccata recidere; sed ex eis resurgentes statim pœnitentiâ ducuntur, & priora pietatis officia repetunt. Tales comparantur infantibus, I *Corinth.* III. 1, 2, 3. *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo: lac vobis potum dedi, non escam*, &c. Et *Hebr.* V. 12, 13. VI. 1, 2. Horum obedientia, licet fiat cum molestia, tamen pro ratione status in quo sunt perfecta est: perinde uti infantes, licet nondum adulti & viri, perfecti tamen sunt homines, & homo è morbo recens convalescens & viribus adhuc debilis, perfectè ambulat, licet cum molestia, nec tanta cum alacritate atque sanus.

Vel proficientium.

XIX. Fides Proficientium est eorum, qui beneficio fidei jam aliquamdiu vitæ castigatiori assueti, facilius & minori cum resistentia carnis, a peccato abstinent: interim aliquando adhuc luctam non levem intra se sentiunt, in qua superanda ipsis alacriter laborandum est. De hisce intelligendum, quod legimus *Galat.* V. 16, 17. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur; ut non quæcunque vultis illa faciatis.* Tales jubentur adolescere in Christo, *Eph.* IV. 15. Habitu nim: contrario prior habitus exstinguitur, sensimque vis ejus infringitur.

Vel adultorum.

XX. Fides Adultorum sive perfectorum est, qui jam diutinâ consuetudine in pietate confirmati, fidei suæ auxilio, non tantum non magnam, non minorem in sanctimoniæ exercitio luctam sentiunt; sed & cum voluptate, gaudio ac delectatione quadam virtuti operam dant, & à peccatis aversi sunt; imò similem in peccando molestiam sentiunt, cum illa quam incipientes in sanctitatis exercitio deprehenderunt. De hisce accipienda sunt illa Joannis I *Epist.* III. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare* (id est, à peccato valdè alienus est) *quoniam ex Deo natus est.* Et *cap.* V. 18. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed qui ex Deo natus est servat seipsum, & malus non tangit eum.* Hi vocantur *perfecti*, *Phil.* III. 15. Non quod omnimodam consecuti sint perfectionem, & ab omni labe peccati puri; fieri enim potest ut aliquando per errorem, infirmitatem, incogitantiam, aut subitam passionem labantur, præsertim gravi obortâ tentatione; sed quòd vitiosos habitus prorsus exuerint, neque ullius peccati consuetudine amplius teneantur: ac proinde si forte contingat ipsos in peccatum incidere (quod tamen quamdiu regeniti manent perrarò accidit) id tantum fit vel per errorem, vel incogitantiam, vel subitam possionem, uti dicitur *Gal.* VI. 1. vel etiam per quandam mentis obnubilationem. Peccata autem gravia, & deliberato animo facta, maximè verò in quibus homo aliquamdiu perseverat, perfectioni, ac tandem etiam regenerationi toti adversa sunt.

Hi omnes sunt in statu salutis.

XXI. Hi omnes verè sunt fideles & in statu salutis, quatenus in omnibus eadem est affectio: nim: firmum animi propositum faciendi omnia quæ noverunt aut nosse possunt à Deo esse præcepta: quod propositum omnes, licet inæqualiter pro discrimine virium, attamen similiter exequuntur, Deo

singuli

singuli obedientes ex toto corde & omnibus viribus. Ita quidem, ut si quis recens ad fidem conversus, neque adhuc ultra primum progressus gradum, moriatur, non minus felicitatis æternæ sit futurus particeps, quàm qui jam secundum aut tertium consecutus est gradum. Hoc solum est discrimen, quod si primum consecuto gradum vita continuetur, isque non omni studio contendat adscendere in secundum; & qui jam in secundo est, non adspiret ad tertium, non sit censendus tanquam fidelis officio suo defungi. Qui enim Deum diligit ex toto corde & omnibus viribus, semelque serium & efficax concepit propositum faciendi quæcunque Deo grata esse novit aut nosse potest, nunquam subsistet, sed continuò ulterius tendet: aut si subsistat, indicium est certum animi illud propositum efficax non esse. Imò licet jam ad tertium pervenerit gradum, securus esse nequit, sed continuò & pergere & vigilare debet, alioqui de gradu, quem jam nactus est, dejiciendus. Hinc jubentur fideles quotidie se mutuò adhortari, ne indurentur seductione peccati, *Hebr.* III. 13.

CAPUT III.

De Fidei Oppositis.

Fidei opposita. I. Restant Fidei opposita: quorum alia fidei in genere opponuntur; alia speciali isti actui, qui Fiducia vocatur. Fidei in genere opposita peccant vel in defectu, vel in excessu. In defectu duo opponuntur, alterum imperfectè, alterum perfectè.

In defectu dubitatio. II. Imperfectum fidei oppositum est Dubitatio, quæ est suspensio assensus, seu hæsitatio, de rebus divinis. Solet plerumque dubitatio oriri ex rationum, quæ se utrinque animo offerunt, æquilibrio: atque ita considerata, merus tantum intellectus defectus est. Sed quoniam ante ostendimus, fidem esse mixtum quid, partimque pertinere ad intellectum, quatenus est assensus, qui adhibetur Deo affirmanti ea quæ nos credibilia esse statuimus: partim voluntatis, quatenus est assensus, qui adhibetur Deo mandanti, ut ea quæ credibilia esse cognoscimus, etiam certissima esse statuamus: Sequitur etiam dubitationem, quæ hic à nobis ut vitium fidei oppositum consideratur, non esse merum intellectus defectum, qui ex rationum utrinque allatarum æquilibrio oritur, necessarióque in nobis existit, ac sine culpa est quamdiu æquilibrium illud non est sublatum, aut saltem nulla æquilibrium illud tollendi occasio adest: sed potissimum voluntatis vitium, quatenus homo assensum firmum elicere non vult, nisi rationibus apodicticis persuasus: quæ cùm non fidem, sed scientiam pariant; ad fidem autem producendum tantum adhibeantur credibiles, & ad hominem æquum & docilem convincendum idoneæ Hinc contingere potest ut homo, licet rationibus prematur rem credibilem suadentibus, tamen iis credere nolit, sed animum retineat suspensum, assensumque cohibeat.

III. Sanè in initio dubitatio hæc est laudabilis; neque enim convenit homini cordato statim specie credibilitatis capi; fidesque, uti vidimus, non est assensus præceps, & temerè levique causâ in nobis productus; sed judicio certo nixus. Verùm si omnibus ritè examinatis, homoque de rei propositæ credibilitate persuasus tamen assensum suspendere vult, quia demonstratione evidenti assensum sibi extorqueri non sentit, est quammaximè vituperanda, certaque fidei pernicies, imò si aliquandiu illi homo indulgeat, certissima ad incredulitatem via. *Quatenus sit vituperanda.*

IV. Hæc autem dubitatio vel est de tota religione Christiana ejusque veritate ac divinitate; qualis fuisse videtur regis Agrippæ, *Act.* XXVI. 28. qui Apostolo Paulo dicebat, *propemodum mihi persuades Christianum fieri*: & quam quidam innui putant *Jacob.* I. 6. Vel de singulari aliquo dogmate religionem Christianam concernente, quæ per se quidem salutem non evertit, si tamen cum factis quibusdam conjuncta sit, de quibus homo utrum sibi licita sint necne dubitat, gravis eum criminis reum facit: non propriè quia dubitat; sed quia, dum dubitat, nihilominus actionem suam non suspendit; uti ostendit Apostolus *Rom.* XIV. 22, 23. & I *Cor.* VIII. 10, 11. *Duplex est.*

V. Perfectum fidei oppositum est *Incredulitas, quando quis veritati divinæ, cujus assentiendi occasionem habet, assentiri non vult.* Dico, *cujus assentiendi occasionem habet*: ut excludam eos, quibus Christus nunquam est revelatus, quique proinde omni credendi occasione sunt destituti: in illis enim non propriè est incredulitas, sed nudus & simplex fidei defectus, nullâ ipsorum culpâ, ac proinde illius tanquam criminis rei agi non possunt: testante Domino Jesu de Judæis, *Joan.* XV, 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Dico, *Quod veritati assentiri non vult*: ut innuam, incredulitatem potissimum actum esse voluntatis, uti ante ostendimus, in eo consistentem, quòd homo rationibus, quæ veritatem ipsi credibilem reddunt, cedere non vult; vel quia evidentiores & demonstrativas requirit: vel quia veritas, cui fides adhibenda est, ipsi quàm maximè est ingrata; utpote ejusmodi præscribens obedientiam, quæ omnium carnis voluptatem, & aliquando vitæ ipsius abnegationem requirit; spemque solummodo facit bonorum spiritualium & futuro- *Et incredulitas.*

rum, quæ cum carne nullam habent communionem.

Ea est duplex. Infidelitas, & Defectio.

VI. Hæc autem incredulitas est duplex. Alia antecedit fidem, seu potius fidem penitus excludit: estque eorum, qui verbum Euangelii sibi prædicatum, ac proinde occasionem sibi ad credendum oblatum, præfractè rejiciunt: qualis erant Judæi *Actor.* XIII. 46. Alia fidem sequitur; estque eorum, qui postquam aliquandiu veritati divinæ seu Euangelio assensum præbuerunt, ei porrò assentiri nolunt. Et hæc deterior est priore: unde & eorum conditio priore deterior expressè pronuntiatur 2 *Pet.* II. 20, 21. soletque peculiari nomine vocari Defectio, seu apostasia. Hæc defectio, si consistat in abnegatione alicujus tantum Religionis Christianæ partis, aut dogmatis ad salutem creditu necessarii, quæ salutem quidem convellit, non tamen omnem religionem prorsus tollit aut evertit, solet communiter vocari Hæresis: quanquam hæresis, ut postea videbimus, magis caritati aut pacis studio, quam veritati adversatur: estque propriè eorum, qui ob dissensum in dogmate aliquo schisma faciunt sectamque peculiarem erigunt. Si autem consistat in abnegatione veritatis universæ salutaris, vel saltem ejus partis præcipuæ unde tota religionis vis dependet, vocatur peculiari nomine ἀποστασία. Et hæc propriè est hujus considerationis; & tribuitur temporariis illis *Matth.* XIII. 20, 21. qui verbum auditum cum gaudio accipiunt, non autem habent radicem, & facta persecutione propter verbum continuò scandalizantur. Tales dicuntur *naufragium fidei facere*, 1 *Tim.* I. 19. *à veritate excidere*, 2 *Tim* II. 18. *à fide deficere, & attendere spiritibus erroris*, 1 *Tim.* IV. 1. *aberrare à fide*, 1 *Tim.* VI. 10. In eorum numero fuit Demas, 2 *Tim.* IV. 10.

Ad eam refertur relapsus ad profanam vitam.

VII. Cùm autem ostendimus, fidei actum consequentem esse obedientiam, quæ indivulso nexu cum fide cohæret; sequitur, etiam vitæ piæ ac Christianæ derelictonem, & ad pristinæ vitæ inquinamenta relapsum, esse defectionem à fide, uti manifestè liquet ex 2 *Petr.* II. 20, 21.

Varii relabendi modi.

VIII. Potest itaque homo fidelis & regenitus à fide suâ deficere variis modis. Primus est falsa persuasio, non quidem in initio directè veritati contraria, sed tamen quæ ad veritatis eversionem tendit; imprimis si verisimilitudinis specie se commendet, & accedat inadvertentia, negligentia, & naturalis affectus erga id quod probabile apparet, aut erga eos qui id proponunt, ac defendunt. Unde porrò consequitur, veritatem ipsam labefactari, mendaciumque in ejus locum succedere. Hæc defectio fit per seductionem; tribuiturque illis, qui pseudoprophetarum & seductorum doctrinæ aurem præbent, 1 *Tim.* IV. 1. & 2 *Pet.* II. 1, 2. Secundus fit per sæculi hujus blanditias, seductionemque peccati: constatque suis gradibus. Primus est refrigeratio seu desertio caritatis, *Apoc.* II. 4. seu omissio operum pietatis; unde fit, ut pietas exercitio suo, quæ ejus quasi vita est, destituta, flaccescat, &, nisi novis subinde actibus excitetur, sensim exstinguatur. Illum enim immediatè comitatur secundus gradus, contrariorum nempe operum patratio, sive homo ad certum quoddam peccati genus, sive ad quævis peccata & pristinam vitæ profanitatem relabatur: Et quidem primò, actus quosdam, non quidem qui in se peccata sunt, sed magnam cum peccatis affinitatem habent, & occasiones ad peccandum sunt, crebrò patrando: hisce enim affectus demulcentur, & homo à virtutis tramite sensim abducitur, adeo ut, quando peccat, vix aliud se velle sentiat, quàm antea voluit, atque ita paulatim habitum mundana concupiscendi acquirit. Secundò, peccata ipsa committendo, primò quidem levicula, dein graviora: atque ita suavitate peccati semel perceptâ voluntas pronior redditur ad peccata iterandum, donec tandem peccati habitum contrahat. Tertius est tentatio aliqua gravis ac subita, & sæpe recurrens, quæ voluntatem inclinatam in id quod objicitur, impellit, ut actui consentiat, crebrò quasi impulsa, victa manus det. Quartus est persecutio propter professionem veritatis Euangelicæ, præsertim si sit gravior, & magno cum dolore conjuncta; cujus metu homo impellitur ad fidei abnegationem, & pristinam vitæ consuetudinem.

Et gradus.

IX. Sicuti autem fidei habitus unico momento non acquiritur, ita nec amittitur, sed sensim imminuitur, donec tandem tota exstinguatur. I. Per actus vitiosos habitus fidei & obedientiæ non statim exstinguitur, sed infringitur. II. Assensus directus veritati adhibitus aliquamdiu permanere potest, etiamsi homo in contrarium peccandi habitum degeneret: quia fides est ὑπόστασις rerum sperandarum; ac proinde nullam nos ad pietatem incitandi vim habet, nisi quatenus nos de rerum sperandarum existentiâ certos reddit: quod, quia sunt futuræ, præstare nequit, nisi continuò excitetur: aliàs præsentium voluptate hominis animus delinitus facile succumbit. Interim licet fides continuò non excitetur, non propterea statim plenè exstincta est: fidei siquidem habitus superest, licet semper sese actu ipso non ostendat. III. Assensu pereunte, manet tamen notitia quæ in intellectu est, quæque calcaris instar est, quo homo subinde aliquando incitari potest, ad novas vires resumendum, auxiliumque divinum implorandum. IV. Id si non faciat, & impietas jam ad summum adscenderit fastigium, omniaque remedia frustra sint adhibita, Deus etiam

iam tales planè deserit. Nimirum impietati suæ velum quærunt: hinc quæ allubescunt licita sibi persuadere conantur; & studio debitaque opera omnia veritati divinæ, cujus fræno se à peccato cohiberi ægrè ferunt, labefactandæ idonea conquirunt, ut ita securius & minore cum conscientiæ morsu peccent. Deus impietatem hanc punire volens, immittit iis efficaciam erroris, ut mendacio, quod quærunt, credant; traditque in potestatem satanæ & desideria cordis sui: atque ita tandem evenit eos in impietate & infidelitate sua mori. Planè instar hominis in aquam lapsi, qui non statim demergitur: sed primò aliquantisper aquæ innatat, donec sensim vestimenta ejus madorem imbibant; tum pondere aquæ depressus submergitur & miserè suffocatur.

Incredulitatis effectum, condemnatio. X. Incredulitatis effectum est condemnatio æterna. Ita passim in Novo Testamento videre est, incredulis damnationem æternam denuntiatam; omnemque vitæ æternæ spem præcisam. *Joan.* III. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui verò inobediens est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* & *Marc.* XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Vide præterea *Joan.* III. 18, 19 VIII. 24. & passim alibi. Apostasiæ verò effectum est gravior condemnatio: 2 *Petr.* II. 20, 21. *Si enim postquam effugerunt inquinamenta mundi per cognitionem Domini nostri & Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Vide & *Hebr.* X. 26, 27, 28, 29. Et difficilis ad pœnitentiam regressus: unde talibus dicitur *impossibile ut renoventur ad resipiscentiam*, *Hebr.* VI. 4, 5, 6. & comparantur *Matth.* XII. 43. 44, 45. homini, è quo postquam unum dæmonium egressum est, postea septem aliis pejoribus comitatum revertitur. Et difficultatis hujus ratio manifesta est: quia enim homo verbi divini virtute est regenitus, omnem illius vim jam expertus est: à fide itaque rursum deficiens, omnem illam vim erga se irritam reddidit: unde nec per illam denuò converti posse videtur. An verò omnis penitus conversionis, ac proinde veniæ obtinendæ spes præcisa sit, in sequentibus fusius inquiretur.

In excessu nimia credulitas. XI. Fidei in excessu opponitur nimia Credulitas, quâ homo absque prævio judicio, sine rationum allatarum examine, temerè cuivis doctrinæ assensum præbere propensus est, atque ita dogmata merè humana, & errores amplectitur ut veritatem divinam. De eâ legimus *Syrach.* XIX. 4. *Qui citò credit, levis est corde.* Causam habere solet imperitiam & imprudentiam. Quia enim rerum ignari sunt homines, facile credibilitatis specie decipiuntur, neque justum examen inter verum ac apparens instituere norunt. Inde & vitium hoc hominum simplicium & minus exercitatorum, qui ab aliorum ore pendere solent, esse videmus. Illam comitari solet inconstantia: Unde creduli dicuntur *parvulorum instar* esse *fluctuantes, & omni doctrina vento circumferri, per nequitiam hominum in astutia ad circumventionem erroris: Eph* IV. 14 Quia enim judicio non nititur fides ipsorum, sed auctoritate, quam aliis hominibus attribuunt, facile, si quis modo sibi auctoritatem apud eos conciliare queat, in quamcunque partem & quascunque opiniones flectentur. Licet etiam, quando doctoribus suis nimium tribuunt, contrarium evenire queat, & credulitas causa esse pertinaciæ; quia enim fidem suam semel alicui manciparunt, cujus auctoritate duci, & à cujus placitis nunquam discedere, semel constituerunt, omnes, quæ in contrarium adferuntur, rationes, sine ullo examine rejiciunt.

XII. Opposita Fidei, quatenus pro Fiducia accipitur, etiam sunt duplicia; alia quippe in defectu peccant, alia in excessu. Fiduciæ in defectu apponitur tum parva fiducia, tum diffidentia. *Fiduciæ oppositum in defectu, parva fiducia.* Parva fiducia est fiducia diminuta, quando quis eam in Deum & Christum non collocat fiduciam, quam pro ratione status sui in quo est, & argumentorum quibus ad fiduciam incitari debet, collocare oportet. Possunt aliàs rationes esse, quæ plenam illam fiduciam prohibeant: quæ itaque rationibus illis accommodata est, etiam ratione status sui plena est. Vitium hoc fiduciam non planè destruit, fidei tamen πληροφορίαν tollit. Exemplum habemus in discipulis Domini Jesu, *Matth.* VIII. 24. qui oborta tempestate non omnem in ipsum fiduciam abjiciunt, sed nimiâ cum trepidatione ipsum expergefacientes, clamant, *Domine salva nos, perimus.* Diffidentia est totalis fiduciæ abjectio, quando quis causam Deo fidendi habens, tamen Deo non fidit. *Et diffidentia.* Illius illustria exempla habemus in duce quodam Samariæ tempore Elisæi prophetæ, 2 *Reg.* VII. 1, 2. & in rege Achazo, *Esa.* VII. 1. *& seqq.* Injuria est Dei omnipotentiæ, bonitati, sapientiæ, ac veracitati; & gravissimum peccatum, quando expressis Dei promissis non confidit: utpote aut Dei veracitatem, aut omnipotentiam, quasi quod promisit præstare non possit, in dubium vocans.

XIII. Fieri tamen potest, ut in negotio salutis parva fiducia oriatur ex causâ piâ, animo nim: salutis studioso, sed quosdam adhuc in se defectus agnoscente, aut saltem de constantia sua non satis persuaso. *Parva fiducia aliquando oritur ex causa pia.* Potest siquidem homo minorem in se experiri certitudinem ex pio quodam affectu, quia fortasse

non satis adhuc exploratum habet animum suum, an Deo crediturus & firmiter adhæsurus fuisset, si extremis eum malis tentare voluisset: an præcepta Dei eâ fide, eo zelo, eâ curâ quâ par est observaverit, & quâ summa Dei majestas & vitæ æternæ præstantia ac magnitudo digna est: an solidè & ardenter satis divinæ voluntatis cognitionem scrutatus fuerit. Unde fieri potest, ut cum Apostolo dicat: *Nullus rei mihi conscius sum, in hoc tamen non sum justificatus*, 1 *Cor.* IV. 4. Quæ tamen incertitudo facile eximi potest, consideratione gratiosi fœderis divini, quod non sit rigida lex operum, sed fidei, in quâ Deus maximè respicit ad sinceritatem animi, & imperfectiones, si animi malitia absit, libens condonat; paratusque est gratiæ suæ donis rectè utentes majoribus donare, præsertim ardentibus precibus ipsum invocantes.

Aliquando ex errore intellectus.

XIV. Aliquando etiam contingere potest, incertitudinem hanc & parvam fiduciam oriri in quibusdam ex mero errore intellectus, quod fidei naturam non rectè percipiant, eamque ab effectis suis non bene distinguant. Quia enim fidelibus promittitur remissio peccatorum & pax conscientiæ; illi autem se quandoque anxietate quâdam animi gravari sentiunt, vel saltem gaudium illud, quod sibi persuadent fidelium esse proprium, in corde suo non percipiunt; hinc se fide destitutos credunt, ac proinde spem salutis sibi applicare non audent. Error autem hic & incertitudo tolli potest, commodâ inter fidem, illiusque consequentia seu effecta adhibitâ distinctione. Fides quippe est firmus animi assensus, quo credimus Jesum Nazarenum esse Christum, à Patre in mundum missum, verum & unicum mundi Salvatorem: Deum Patrem in hoc unico mundum sibi reconciliasse, non imputando illis peccata ipsorum: eundemque Jesum accepisse à Patre potestatem remittendi peccata quantumvis gravia, & dandi spiritum adoptionis omnibus credentibus in ipsum, & ex fide illa sincerè mandatis ipsius obedientibus; quam etiam potestatem adhibere paratus sit, imo quam se adhibiturum sanctè promiserit in salutem fidelium suorum. Prout ita fides describitur *Joan.* XVII. 3. *Matth.* XVI. 16, 17. *Act.* XVI. 30, 31. *Rom.* X. 9. 1 *Joan.* V. 1, *&* 5. Et hac fide, si ritè animum suum examinent, se non destitutos deprehendent.

Fides distinguenda à remissione peccatorum, & illius sensu.

XV. Quod remissionem peccatorum attinet, consequens illa est fidei: per fidem enim obtinemus remissionem peccatorum, *Act.* XIII. 38, 39. *Rom.* III. 22. omnibusque illis locis, quibus justificari dicimur per fidem. Sed ab hac remissione etiam sensus illius distinguendus est, & consolatio per Spiritum Sanctum: illa enim non tantum fidem, sed & remissionem, si non tempore, ordine saltem naturæ sequitur; *Rom.* V. 1. *Justificati per fidem, pacem habemus cum Deo per Dominum Jesum Christum.* Vide & *Ephes.* I. 13, 14. *Phil.* IV. 7. 1 *Joan.* I. 7. III. 14. Est enim specialis applicatio promissi fidelibus in genere facti.

Aliquando sensu remissionis fideles ad tempus sunt destituti.

XVI. Quanquam autem ordinariè fideles, quibus peccatorum remissionem concessit Deus, propiore promissorum divinorum in se applicatione factâ, etiam illius sensum in se percipiunt, & spirituali gaudio, ex certâ persuasione quod jam sint eo in statu, in quo si perseverent indubitatò salutem æternam sint consecuturi, intus perfundantur: fieri tamen aliquando potest, ut ad tempus solatium illud & internum gaudium in animo suo non percipiant; sive id fiat vitiosâ ratiocinatione mentis; sive sapienti quâdam directione divinâ, ut exploret ipsorum fidem ac constantiam, eamque aliis in exemplum proponat: vel ut hoc modo ipsis magnitudinem boni hujus spiritualis notam faciat; quæ nunquam rectius cognoscitur, quàm si sensum illius ad tempus Deus inhibeat, ut ita magno cum ardore precum ad ipsum confugiant: atque ita tandem, quando sensu illo rursus corda ipsorum afficit, tanto majori gaudio perfundantur. Deum id jure facere posse, nemo est qui in dubium vocare possit: non enim homini quicquam subtrahit ad salutem præcisè necessarium: gaudium enim illud spirituale fideli, tanquam officium necessarium, non est præscriptum; sed fides tantum & obedientia: gaudium autem hoc est donum Dei gratuitum, quo fidelium pietatem remuneratur, eosque in pietatis studio excitat amore & sensu quodam futuri præmii. Deum etiam id aliquando facere velle, non jam ostendemus exemplo hominum fidelium quidem, sed peccatorum tamen; verùm Salvatoris nostri Jesu Christi, ab omni labe peccati, vel levissimi, immunis. Semper ille in flagrantissimo fuit Dei Patris amore, illo præsertim tempore, cum se, Patri obediens, offerret hostiam beneplacentem, *Eph.* V. 1, 2. *Phil.* II. 5, 6, 7, 8. attamen instante passionis tempore summum animi angorem sensit, ut dixerit, *tristis est anima mea ad mortem usque. Matth.* XXVI. 37, 38. *& seqq.* & in cruce pendens præ animi anxietate exclamavit, *Deus mi*, *Deus mi*, *cur dereliquisti me*? *Matth.* XXVII. 46. Si autem Dominus Jesus ad breve tempus in corde suo internam illam consolationem & gaudium non senserit, ut per omnia tentaretur, *Hebr.* II. 17, 18. IV. 15. neque tamen favore divino destitutus fuit; nec etiam de nobis exinde deducere possumus argumentum, nos gratiâ Dei exclusos esse. Dices. Christus tamen nunquam credidit, se non habere fidem, aut salutis spem abjecit. Resp. Verum id est: Sed ex exemplo Christi patet, illud animi gaudium internum non semper comi-

comitari fidem ac amorem Dei, sed posse ad tempus hominem eo destitui, absque ullâ amoris divini imminutione. Quod exinde concludis, te non habere fidem, ac proinde salutis promissionem tibi applicare non audes, in eo erras: ex exemplo enim Domini Jesu evidentissimè liquet, illud minimè exinde sequi.

In excessu, nimia confidentia. XVII. In excessu Fiduciæ opponitur nimia Confidentia, quando quis fiduciam salutis æternæ obtinendæ concipit, sibique favorem Dei adscribit, cum tamen ob peccata sua Deum iratum timere, ejusque pœnam horrere debeat; saltem illam fiduciam concipere non possit, quam sibi temerè arrogat. Tales sunt, qui profanam & impiam vitam absque ullâ resipiscentiâ duxerunt, & in morbo, morte instante, omnia promissa, solis fidelibus facta, sibi maximâ cum fiducia applicant. Quamvis enim talibus, si serio se ad Deum convertant, quod tamen quàm sit difficile nemo ignorat, in extraordinaria Dei gratia aliquod refugium reliquum concedamus, quo excitari possunt & retineri ne in desperationem incidant; nulla tamen talibus facta leguntur vitæ æternæ promissa, quibus eâdem animi πληροφορίᾳ quâ fideles & verè regeniti sibi salutem applicare possint: sed solum verè resipiscentibus; resipiscentiam suam non solâ tristitiâ aut peccati detestatione, aut sterili vitæ emendandæ proposito, sed facto ipso totiusque vitæ renovatione testantibus: *Matth.* III. 8. VII. 21. *Rom.* XII. 2. *Eph.* IV. 22, 23, 24. Fiducia itaque quam concipere possunt, licet ipsos à desperatione præservare possit, inferior tamen est fiduciâ verè fidelium claris Dei promissis innixâ. Itaque promissa divina sibi applicantes, temerariam concipiunt fiduciam, eâque decepti & de statu suo securi, non eam quam oportet animi demissionem & peccati detestationem adhibent; atque ita à peccatorum reatu non absoluti, dum temerè sibi salutem adscribunt, certum sæpe inveniunt exitium: adeo ut meritò talibus applicetur, quod Apostolus ait I *Thess.* v. 3. *Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor parturienti, & non effugient.* Videant autem illi, qui docent hominem, licet conscientia ipsum accuset, quod adversus omnia Dei mandata graviter peccaverit, nec ullum eorum servaverit, & etiamnum ad omne malum propensus sit, sine ullo suo merito ex merâ Dei misericordiâ, justum censeri, omneque Christi justitiam & sanctitatem ipsi applicari, modò beneficium istud firmâ fide amplectatur: Videant, inquam, num hac suâ doctrinâ hominibus securè peccandi, & in peccato ad mortem usque perseverandi, & interim promissa vitæ æternæ temerè sibi applicandi, ansam præbeant. Si enim sola illa fides ad justificationem sufficere doceatur, proclive erit peccatoribus sibi in mediis peccatis ac sceleribus blandiri, hac solâ fiduciâ, quòd Christus pro se justitiam exercuerit, ac justitiæ divinæ satisfecerit. Qua latior ad impietatem & carnalem securitatem fenestra aperiri posse non videtur.

CAPUT XIV.

De Resipiscentia.

I. Altera virtus, universum hominis Christiani officium summatim comprehendens, est *Resipiscentia*. Cujus antequam naturam penitius inspiciamus, quo sensu ea hîc à nobis accipiatur præmittendum est. *Resipiscentia.*

II. *Resipiscentia* siquidem tribus potissimum modis in Sacra Scriptura accipi solet. Primò. Generaliter & latè, comprehendens universam & totam illam vitæ mutationem, quâ peccator à statu peccati ad justitiam convertitur, novamque vivendi rationem in fide & obedientiâ mandatorum Dei, pristinâ desertâ, instituit. Ita accipitur *Luc.* XXIV. 47. *Act.* III. 19. *Cap.* V. 31. *Cap.* XXVI. 20. Quibus in locis cum sola resipiscentia ad obtinendum remissionem peccatorum & salutem exigitur, manifestum est, totum eâ comprehendi hominis Christiani officium, adeo ut & fidem ipsam, si non comprehendat, saltem præsupponat. *Accipitur generaliter.*

III. Secundò. Strictè, pro speciali illâ mutatione, qua aliquis peccato agnito, post generalem conversionem à se commisso, ad se redit, & peccata sua corrigit. Hoc sensu accipitur. *Apoc.* II. 5. *Memento unde excideris, & resipisce, & priora opera facito.* Item *Cap.* III. 3. & 19. *Strictè.*

IV. Tertiò. Strictissimè, pro ea hominis peccatoris actione, qua per agnitionem peccatorum, & pœnæ per peccata promeritæ metum, ita mutatur, ut status sui pigeat, de peccatis doleat, liberationem desideret, ac vitæ in melius mutandæ propositum concipiat. Hoc sensu accipi videtur in primâ Joannis Baptistæ & Domini Jesu pænitentiæ prædicatione *Matth.* III. 2. & IV. 17. *Resipiscite, quoniam appropinquavit regnum cœlorum.* Cujus prædicationis sensus videtur: Quoniam regnum cœlorum, per Christum ejusque Euangelium erigendum, jam prope esset, idcirco Judæis à peccatis, in quibus hactenus sive ex ignorantiâ, sive negligentiâ, sive contemtu legis divinæ vixerant, esse desistendum, aliamque vivendi rationem inchoandam: ut ita præparati doctrinam Christi promptius reciperent, in ipsum crederent, vitamque juxta præcepta ab ipso præscribenda instituerent. Nos resipiscentiam primo significatu accipiemus, prout totum Christiani hominis officium complectitur; cui om- *Strictissimè.*

omnes actus, qui ad tertiam significationem referuntur, inclusi sunt.

Quibus phrasibus in Scriptura exprimatur. V. Officium hoc variis loquendi modis, iisque ut plurimum figuratis, in Scriptura exprimi solet. Nonnunquam vocatur *Conversio*, *Act.* XIV. 15. XXVI. 18. 2 *Cor.* III. 16. Aliquando, *Renovatio*, *Rom.* XII. 2. *Eph.* IV. 23. *Tit.* III. 4, 5. aliquando *Nova creatura*, 2 *Cor.* V. 17. *Gal.* VI. 15. Quandoque *Regeneratio*, *Joan.* III. 5. *Tit.* III. 5. Nonnunquam & aliis phrasibus, quæ omnes in unicam hanc propriam resolvuntur, *recedendi à malo, & faciendi bonum*, 1 *Pet.* III. 11. Diversæ autem hæ phrases adhibentur, non quod diversam rem significent, sed eandem diverso modo nobis repræsentent, prout ob circumstantias diversas, vel saltem diversum considerandi modum, etiam diversum singulorum ad se respectum habere potest. Omnes in eo conveniunt, quòd priorem vivendi rationem deserendam, novamque inchoandam doceant; istam autem mutationem diversimodè respiciunt; vel prout homo ab errore viæ se convertit, vel prout novam vivendi rationem aggreditur; & quia per illam mutationem alter esse videtur ab eo qui fuit, ut denuò natus consideratur. Tum & hoc inter eas discrimen est; quòd earum aliquæ officium hoc repræsentant prout à Deo primum originem suam habet, qui nos gratiâ suâ prævenit & excitat; ut liqueat, nos propriis viribus hoc neutiquam præstare posse: talis est imprimis vox *Regenerationis* & *Novæ creaturæ*: aliæ verò officium hoc, prout à nobis gratiâ Dei excitatis præstatur, magis repræsentant; ut *Conversio*, *Resipiscentia*.

Discrimen inter Resipiscentiam, & Pœnitentiam. VI. Usitatissimæ phrases sunt *Resipiscentia* & *Pœnitentia*; quibus voces Græcæ respondent, μετάνοια & μεταμέλεια: quæ voces ut plurimum sunt æquipollentes; licet plerique duplex hoc inter eas discrimen soleant observare. 1. Quod μεταμέλεια denotet dolorem animi, qui causa est Conversionis: μετάνοια verò Conversionem ipsam. 2. Quod μεταμέλεια etiam prædicetur de illis, qui verè non resipiscunt, ut *Matth.* XXVII. 3. de Judâ: μετάνοια verò solummodò de verè resipiscentibus. Sed non videntur solido fundamento niti: μεταμέλεια enim nonnunquam sinceram resipiscentiam designat: *Matth.* XXI. 29, 32. 2 *Corinth.* VII. 8. *Hebr.* VII. 21. Et μετάνοια seu μετανοεῖν, si non in Scripturâ Sacrâ, apud antiquos saltem Patres nonnunquam illis, qui verè non resipiscunt, applicatur; ut Judæ. Sic Chrysostomus Homil. LXXXVIII. tom. VII. pag. 513. Μετενόησεν ὁ μακάριος Πέτρος, καὶ ὁ ἄθλιος Ἰούδας. Et diviti epuloni. Idem in Psal. VI. Καὶ ὁ πλούσιος ἐξωμολογεῖτο, καὶ μετενόει, ἀλλ' οὐδὲν ὠφελεῖτο διὰ τὴν ἀκαιρίαν. Nec ipsa vocum etymologia aliud suadet: μεταμέλεσθαι enim est post curare: cura autem quæ factum sequitur illius emendationem procurat: μετανοεῖν verò est post intelligere, seu re melius quàm antea perceptâ, illam mutare. Non tamen repugnamus, quin distinctio quædam in utraque voce observetur. Latinis *Resipiscentiæ* vox semper in bonam partem accipitur. *Pœnitentia* mediæ est significationis; nonnunquam in bonam, nonnunquam in malam partem accipitur: omnibus enim quos rei cujuspiam pœnitet rectè attribuitur: atqui & rei bonæ aliquem pœnitere potest: ille autem neutiquam resipiscit, sed sapientiâ relictâ desipit, animumque non in melius, sed in pejus mutat.

Resipiscentia definitio. VII. Omissis itaque disquisitionibus de voce, rem ipsam considerabimus. *Resipiscentia est dolor animi, ortus ex agnitione peccatorum commissorum, habitusque ex continuâ peccandi consuetudine contracti, & ex sensu reatus ac metu pœnæ, desiderium liberationis, & serium conatum vitam in melius mutandi, omniumque Dei præceptorum obedientiam producens.*

Eam præcedit peccati habitus. VIII. Ex hac descriptione liquet, ut resipiscentia propriè dicta locum habeat, præcedere peccati habitum, & animum, si non penitus, aliqua saltem ratione à virtute aversum, & peccato mancipatum. Non itaque omnis de quocunque peccato dolor propriè Pœnitentia vocatur; veluti qui existit in homine Deum timente & pietatis studioso, propter lapsum unicum aut semel iteratum, & quidem ex ignorantia aut infirmitate: ille enim sanctitatis habitum, nisi continuetur, non labefactat: sed qui existit post aliqualem in peccato continuationem. Sic videmus homines, quibus resipiscentia injungitur, à statu prioris vitæ describi, quòd fuerint *servi peccati*, *Rom.* VI. 17. *inimici* (Dei) *sensu in operibus malis*, *Coloss.* I. 21 Atque ita intelligi potest dictum Domini, *justos non indigere pœnitentiâ*, *Luc.* XV. 7. Non quòd nullum omninò peccatum commiserint, de quo dolere quodve emendare oporteat: nemo enim hominum peccati expers vixit: sed quòd non indigeant totius vitæ mutatione, quæ per resipiscentiam propriè designatur.

Initium resipiscentiæ est agnitio miseriæ. IX. Ut autem resipiscentiæ naturam distinctius cognoscamus, doloris qui in anima est causa, dein dolor ipse, tandem ejus effecta, quibus omnibus resipiscentia absolvitur, explicanda sunt. Causa doloris, ac proinde pœnitentiæ initium, est agnitio miseriæ; illius enim ignorantia securitatem inducit, nec liberationis desiderium efficere potest.

Ea requirit, 1. notitiam legis divinæ. X. Ad hanc agnitionem tria requiruntur. Primò: Notitia Legis divinæ, omnis justi & honesti normæ, & præmium ac pœnam juxta Dei constitutionem promittentis ac comminantis. Ex ea enim justi ac recti,

recti, nec non injusti ac pravi, plena cognitio haberi potest. Per legem autem hîc intelligimus legem Dei revelatam, præcepta, promissa ac minas continentem. Licet enim naturæ lex quidem indicet, quid honestum & inhonestum sit, eosque qui inhonesta faciant morte esse dignos; *Rom.* I. 32. non tamen omnium omninò peccatorum Deo ingratorum plenam notitiam docet; saltem per hominum socordiam & malitiam valdè obscuratur: neque certum ac definitum præmium ac supplicium assignat, sed suppeditat tantum cogitationes accusantes & excusantes, *Rom.* II. 14, 15. ideoque notitiam ad resipiscentiam requisitam producere non potest. Lex verò revelata, & inprimis Euangelica seu lex fidei, omnium, etiam per naturæ legem non evidenter prohibitorum, peccatorum notitiam confert, suppliciumque horrendissimum ignis æterni, & præmium exoptatissimum vitæ æternæ, non sub typis ac umbris, seu verborum generalitate involvit, sed nudè, claris ac apertis verbis proponit.

2. Conscientiæ examen. XI. Secundò. Conscientiæ examen ope memoriæ præteritorum, quâ homo facta sua in memoriam revocans, & ad legis divinæ normam expendens, cognoscit quicquid lege divinâ vetitum commiserit, aut præceptum omiserit, & quem reatum propterea coram Deo contraxerit. Applicatione quippe legis ad seipsum factâ, comminationem legis in genere factam se speciatim concernere concludit. Absque hac notitia fieri nequit ut homo ullam de resipiscentia curam suscipiat: notitia quippe miseriæ primus ad liberationem est gradus. Quis enim conetur evadere miseriam, qui se miserum nescit? Unde videmus in Scriptura Prophetas ac Apostolos passim, homines ad resipiscentiam adhortantes, hinc initium sumere, & primò atque ante omnia de peccato ejusque reatu homines convincere. Ita Nathan Davidem, 2. *Sam.* XII. Apostoli Judæos, *Act.* II. 22. *& seqq.* peccatorum suorum convictos voluerunt, ut eorum pœnitentiam agerent. Ita alii passim: *Apoc.* II. 4, 5.

3. Experientiam infirmitatis. XII. Tertiò. Experientia infirmitatis, ortæ ex habitu peccati, & contrariorum actuum difficultate; quæ non parum augetur cupiditatis per rigidum legis interdictum ebullitione: nitimur enim omnes in vetitum. Et hoc videtur propriè innuere Apostolus, *Rom.* VII. 7. *Concupiscentiam nescivissem, nisi lex dixisset, non concupisces*: id est, non sensissem concupiscentiam adeo potenter in me regnantem, nisi legis interdicto de non concupiscendo irritata fuisset. Hæc concupiscentiæ vehementia hominem peccati servituti subjicit, ut se inde, nisi divinâ ac supernaturali ope adjutus, extricare nequeat.

XIII. Notitiam hanc excipit dolor, qui propriè actum Pœnitentiæ constituit, quem Pontificii Contritionem appellant; phrasi figuratâ; quia cor hominis, per peccatum quasi induratum, legemque divinam non admittens, per illum quasi conteritur & emollescit, ut legis divinæ operationem in sese recipiat. Hunc commendat David *Psal.* LI. 19. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et *Joel.* II. 13. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum. Esa.* LVII. 15. LXVI. 2. *Eam excipit dolor.*

XIV. Oritur autem hic dolor ex variis. Primò. Ex consideratione actus, seu potius actuum, ut indebitè & contra legem commissorum, vel omissorum, cum seria animi displicentia. Hic dolor gigni potest per solam legis revelationem & considerationem, imo & à solo rectæ rationis dictamine; quatenus præscribens quid honestum, quid turpe sit, hominem contraria facientem accusat: unde & actus commissi displicentiam, animique dolorem exoriri necesse est. *Hic oritur 1. ex consideratione peccati.*

XV. Secundò: Ex metu pœnæ propter peccatum commeritæ, & non nisi per vitæ emendationem evadendæ. Unde & Joannes Baptista metu illo, tanquam argumento fortissimo, homines ad pœnitentiam hortatur, *Matth.* III. 10. *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Et Dominus Jesus *Luc.* XIII. 3, 5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Attamen qui ex solo metu pœnæ oritur dolor, imperfectus est, nec amorem Dei sincerum producit, sed facile evanescit: sicut ex judiciorum aut comminationum divinarum consideratione subitò oritur, ita consideratione illâ evanescente etiam metus subsidit, homoque sponte ad ingenium redit. Illustre habemus illius documentum in Achabo, qui auditâ comminatione divinâ metu correptus se coram Deo humiliavit, vestimenta schidit, & jejunavit: sed quia subitaneus erat dolor, ex divinarum comminationum metu solummodò ortus, licet non simulatus, diuturnus non fuit, nec fructus resipiscentiâ dignos protulit; 1 *Reg.* XXI. 17. *& seqq.* Negari tamen non potest, quin metus hic veræ resipiscentiæ initium esse possit, imò ordinariè esse soleat: quoniam homo peccatis immersus, & amore Dei non imbutus, vix alio medio quàm pœnæ metu ad meliorem mentem & peccatorum detestationem adduci posse videtur. Sic Ninivitæ supplicii instantis metu pœnitentiam egerunt, *Jon.* III. & Judæi ab Apostolis moniti, *salvamini à generatione ista prava*, *Act.* II. 40, 41. *2. Ex metu pœnæ commeritæ.*

XVI. Attamen ut dolor iste perfectus sit, *3. Ex me-*

ditationi offensi numinis.

sit, & plenam resipiscentiam producat, accedere debet 3. Meditatio seria offensi optimi, supremi, ac justissimi numinis; quo offenso separationem inter ipsum & nos consequi, nullamque nobis salutem superesse necesse est. Quæ consideratio mœrorem secundum Deum producit, qui *pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, 2 *Cor.* VII. 10. Qui enim semel verè expertus est, quid sit secundum Deum dolere peccata, sedulò cavebit, ne novorum peccatorum commissione denuò dolendi materiam habeat. Atque hic dolor propriè est filialis, ex amore Dei, cujus privatio summum est malum, ortum habens, estque diuturnior: aut, si subitò evanescit, verus non fuit, vel prout oportet in animum non penetravit.

Est animi, sed ostendit se per signa externa.

XVII. Dolor hic propriè est animi; animus quippe peccata sua dolet: totaque resipiscentia propriè consistit in mente; est enim renovatio mentis; *Eph.* IV. 23. Nec necesse est, ut per externa signa in afflictione corporis declaretur, sed sufficit ut animo ac toto corde perficiatur. Sic exigitur *Deut.* IV. 29. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Vide & *Deut.* XXX. 1, 2. 1 *Reg.* VIII. 46, 47. *Jerem.* XXIX. 13. *Joel.* II. 12, 13. Fieri tamen vix potest, si serius sit ac gravis, quin se per externa quædam corporis signa prodat, non in conspectu hominum, sed Dei: qualia signa præcipuè sunt lachrymæ. Hoc videre est passim in Psalmis, nominatim *Psal.* VI. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* In Petro, qui postquam abnegasset Dominum, exiens flevit amarè, *Matth.* XXVI. 75. Et in peccatrice, quæ lachrymis suis Domini pedes lavit, & crinibus absterſit, *Luc.* VII. 31. Quibus accedit jejunium, quo caro maceratur, ut legi divinæ & rationis imperio minus rebellet: quod exigitur *Joel.* II. 12. & cujus illustre habemus exemplum in Ninivitis, *Joel.* III. 5. *& seqq.* Olim etiam in cilicio, sacco ac cinere solebat peragi. Quæ omnia piè adhiberi possunt, modò absit ostentatio & necessitatis opinio. Cavendum autem, ne credamus contritionem nostram, si non intensivè & extensivè, saltem appretiativè peccatis ipsis æquipollere; uti docet *Bellarm. lib.* II. *de pœnit. cap.* XI. Licet enim dolor noster summus esse debeat, nullo tamen modo pretium ejus cum peccati merito comparari potest; omnisque illius remissio est gratuita ac impromerita.

Effecta ejus sunt, Confessio.

XVIII. Doloris effecta sunt, Primo: Confessio; non quâ peccata sacerdoti in aurem narrantur, ut eorum absolutionem peccator obtineat; sed quâ peccator cum suspiriis, fletu ac lachrymis coram Deo peccata sua confitetur. Hinc 1 *Joan.* I. 2. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Sine quâ confessione frustra quis peccatorum remissionem à Deo speret. Primi nostri parentes, Adamus & Eva, peccatum non ingenuè confitentes, sed coram Deo occultare nitentes, paradiso expulsi sunt. Fideles è contra ea confessi misericordiam Dei obtinuerunt. Sic David *Psal.* XXXVIII. 6. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Psal.* LI. 4, 5, 6, 7, 8. *Jerem* III. 25. *Dormiemus in confusione nostrâ, & operiet nos ignominia nostra: quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos & patres nostri, ab adolescentia nostra, usque ad diem hanc; & non audivimus vocem Domini Dei nostri.* Sic Daniel *cap.* IX. 7, 8. Publicanus *Luc.* XVIII. 13. Hæc enim absque summo peccati odio ac detestatione esse non potest.

Propositum efficax vitam emendandi.

XIX. Secundò. Confessionem excipit serium ac efficax propositum vitam in melius commutandi: *Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, 2 *Cor.* VII. 10. Et in hoc proposito, si sit serium & efficax, propriè resipiscentia consistit: illud enim totum hominis animum immutat, & per id peccatum subigitur ac enervatur. Signum illius est, quòd homo primâ datâ occasione propositum suum reipsâ exsequatur, vitamque emendet. Licet enim efficax hoc propositum sit ipsa mentis renovatio, ac proinde, si forte ipsum, antequam occasionem habuerit in opere ipso demonstrandi, mori contingat, secundum fœdus gratiæ à Deo, cui plena voluntas facto æquipollet, ut verè pœnitens sit censendus: non tamen perinde æstimabitur, si occasione oblatâ propositum suum facto ipso efficax non demonstret: nam quod propositum efficax videbatur, nuda tantum velleitas fuisse deprehendetur, quæ ad salutem neutiquam sufficit. Hinc passim opera, tanquam veræ pœnitentiæ fructus, requiruntur. *Matth.* III. 8. *Facite fructus pœnitentiâ dignos.* Et *cap.* VII. 21. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.* Vide & *Jacob.* I. 22, 23, 24, 25. *Apoc.* XXII. 14. Cùm enim actiones dirigantur ab imperio mentis, fieri nequit, quin, ubi efficax est propositum, & determinatum mentis imperium, etiam actiones consequantur.

Inefficax propositum non sufficit.

XX. Nuda autem velleitas, aut iners & inefficax propositum, pœnitentiam absolvere non potest, 1. Quia illud non est adscribendum nostro labori aut studio; sed externis quibusdam ad virtutem adjumentis, educationi puta, institutioni, exemplis bonis, aliisque, quæ animis hominum quendam virtutis amorem ingenerant, qui non nisi in desperatè improbis exstinguitur.

2. Quia

2. Quia nequaquam nos meliores facit: irrita quippe ejusmodi vota concipi possunt; sed hominem nequaquam immutant, quia ipsum plenè non determinant ut virtutem sectetur, & quasvis illius causâ molestias devoret. Sic videmus homines peccatis assuetos sæpe deflere peccata sua, quin & votum concipere emendationis; sed quia se plenè non determinant, peccati dulcedine rursus inescantur, & ad pristinam vitæ consuetudinem relabuntur. Tales similes sunt homini concionem sacram audire quidem cupienti, sed somno quammaxime gravato: erigit quidem se quandoque; sed quoniam somnus prævalet, eumque homo non omni vi excutit, concionem quam aliàs audire vellet, non audit.

CAPUT. XV.

De subjecto Resipiscentiæ.

Subjectum resipiscentiæ est totus homo. I. EX hisce liquet, quodnam sit resipiscentiæ subjectum, idem nempe quod peccati. Quoniam enim per resipiscentiam peccati dominium destruitur, idem utriusque subjectum ut sit necesse est. Subjectum hoc est totus homo cum omnibus suis facultatibus. In homine duæ primariæ considerantur partes, anima & corpus. In anima sunt intellectus & voluntas, sub qua & comprehenduntur affectus: In corpore sunt membra externa, quibus actiones externæ peraguntur. Singula itaque hæc seorsim considerata, subjectum resipiscentiæ partiale dici possunt. Quia verò resipiscentia, nisi omnia hæc renovata sint, perfecta non est; ideo homo integer, ad omnes ejus facultates respectu habito, illius subjectum nobis statuitur. Intellectus quidem; quatenus antea salutari legis divinæ cognitione destitutus, & luce rationis per peccati consuetudinem exstinctâ, planè in devia errabat, &, uti dicitur, homo in tenebris ambulabat, & tenebris obscuratum habebat intellectum, *Eph.* IV. 18. Ita nunc divinæ voluntatis cognitione illustratus certam vitæ normam ac regulam habet, secundum quam judicium de actionibus suis instituere debet ac potest. Voluntas: quatenus intellectus judicium, jam verbi divini cognitione de actionum qualitate rectè informatum, sequitur, aliaque non appetit, quàm quæ intellectus appetenda dictat, & odio habet, quæ odio digna judicat. Hanc consequuntur affectus, qui voluntati auscultantes, hominem ad honesti studium incitant. Eos tandem comitantur actiones, legi divinæ conformes, & voluntatis proposito adeo sancto consentaneæ. Adeo ut sit totalis hominis immutatio, isque, qui antea peccato delectabatur, illud nunc oderit & delectetur justitia: ita ut quasi novus sit homo, & alter ab eo qui fuit, renovatus secundum intellectum, voluntatem, affectus, omniaque opera. Unde & respectu habito ad novam hanc vivendi rationem, vocatur *novus homo*, oppositè ad *veterem hominem*, sive veterem in peccato vivendi consuetudinem, *Eph.* IV. 22, 23, 24. & *nova creatura*, 2 *Corinth.* V. 17. *Gal.* VI. 15.

Non renanet in regenitis pars irregenita. II. Hinc jam facile colligere est, quid judicandum sit de sententia Contraremonstrantium, de imperfectione Regenerationis in hac vita. Nolunt quippe totum hominem omnesque ejus facultates regenerationis esse subjectum, sed in homine esse concupiscentiam innatam, quæ post abolitos habitus peccati acquisitos, remanet, & semper reluctatur spiritui in regenitis, hominemque ab amore Dei subinde retrahit ad peccata, adeo ut quotidie sæpius peccet: exstingui autem plenè in futuro seculo: adeo ut regeneratio nostra in hoc seculo tantum sit inchoata. Unde & distinguere solent inter carnem, seu partem irregenitam, & spiritum, seu partem regenitam: & carnem ejusque concupiscentiam semper in regenitis remanere; in uno quidem validiorem, in alio minus validam, pro diversis regenerationis gradibus. Nos quod attinet, lubentes fatemur, dari varios fidelium & regenitorum gradus: non enim peccatorum habitus statim plenè exstingui potest: quoniam peccandi consuetudo voluntati nostræ pravam ad peccatum inclinationem indit, quæ statim unicoque actu exstingui nequit; sed per ardens ac serium propositum, actusque sanctimoniæ sæpius iteratos, debilitatur ac frangitur; ac sensim per crebros actus accedente contrario habitu planè exstinguitur. Hinc in initio major est lucta quàm in progressu, & in aliis major, in aliis minor, pro ratione majoris vel minoris corruptionis, habitusque vel magis vel minus radicati. Esse autem & remanere in homine regenito naturalem corruptionem, & concupiscentiæ innatæ reliquias, quas Deus in hac vita tollere nolit, quibusque homo regenitus subinde ad peccandum impellatur, à ratione alienum est, & Scripturæ adversum.

Quod probatur rationibus. III. Primò. Scriptura enim Regenerationem nobis semper describit, tanquam integrum hominem renovantem, intellectum, voluntatem, affectus, actiones, neque ullam relinquentem partem irregenitam. In incipientibus fatemur concupiscentiæ motus non esse planè exstinctos; attamen per efficax propositum jam sunt debilitati & superati, & sensim ita domantur & debellantur, ut rationi, spiritu divino corroboratæ, rebellare amplius nequeant. Sic *Gal.* V. 24. *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum concupiscentiis suis.* Intellige vitiosas concupiscentias, ex peccati habitu procedentes; non naturales, ex facultate nobis insita,

insita, quâ quid gratum nobis ingratumve sit cognoscimus, ortas: hæc enim facultas, cum sit naturalis, nec vitiosa, exstingui non potest, nec debet, cum sit materia virtutis exercendæ: ea tamen ab homine regenito ita est in ordinem redacta, ut non facile exardescat: & si forte commoveatur, motus concupiscentiæ ita frænantur, ut statim rationis imperio subjiciantur. Secundò. Quoniam statuunt partem irregenitam non posse quin peccet, Deusque eam tollere nolit, sequetur Deum omnium quæ in regenitis remanent peccatorum causam esse: siquidem per actionis divinæ denegationem contingit, eos necessariò in peccatum ruere. Atqui antea ostendimus, in necessariis causam deficientem referri ad efficientem. Tertiò. Ponit duas contrarias completas voluntates in uno eodemque homine; in parte irregenita voluntatem completam peccandi; in regenita verò, voluntatem completam peccato non consentiendi: quod absurdum. Fieri quidem potest ut duæ in homine sint contrariæ voluntates, una incompleta, quâ homo quid vellet, nisi quid obstaret; altera completa, quâ contrarium plenè vult: sed ut duæ contrariæ completæ voluntates simul in uno eodemque homine sint, fieri nequit. Quartò. Statuit completam partis regenitæ voluntatem nonnunquam succumbere voluntati partis irregenitæ; quia pars regenita, secundum ipsos, nunquam peccato consentit, sed quando regenitus peccat, pars regenita ab irregenitâ invita in peccatum pertrahitur. Atqui naturæ regenerationis repugnat, ut pars regenita succumbat irregenitæ: in regenitis quippe spiritus dominatur carni; quod *Rom.* VI. passim, alibique variis locis docetur.

Sententia hæc noxia est pietati. IV. Tandem sententia hæc noxia est pietati. Statuit quippe peccata, & quidem gravia, & crebro iterata, cum regeneratione consistere; imò necessarium esse, ut homo regenitus subinde in peccata ruat, modò ratio aliquamdiu concupiscentiæ reluctetur. Atqui exinde facile quis concludat, necesse non esse ut peccatum sollicitè vitet, modò caveat, ne plena voluntate absque ullâ rationis reluctatione peccatum faciat; hoc est, ne pessimus sit; quoniam lucta illa non nisi in pessimis exstinguitur. Atqui quid est pietatis necessitatem tollere, atque illâ sublatâ pietatis amorem exstinguere, si hoc non est? Dices. Deus hanc in homine imperfectionem residuam esse vult, ne se efferat. Resp. Absurdum est, dicere, Deum peccato indigere, ut evitetur peccatum: hoc est, necesse esse ut fideles sæpius peccent, ut vitent peccatum elationis & superbiæ. Eadem enim gratia divina, quæ eos ab aliis peccatis cohibet, etiam eos retinere potest, ne sese efferant. Quia enim se non nisi gratiâ divinâ præventos bonum facere agnoscunt, omnis sese efferendi causa præcisa est, omnisque operis boni gloria Deo est tribuenda. 2. Hac exceptione confirmatur nostrum argumentum: quia quando homo mandata Dei non observat, finem suum consequitur Deus: potest itaque homo mandata Dei non observare, & tamen Deo gratus esse. Dices. Vult Deus, ut in homine sit desiderium mandata Dei servandi, si modo possit. Resp. Itaque si desiderium tantum Deo obediendi in homine sit, potest Deo gratus esse, licet revera mandatis ejus non obtemperet: quæ itaque obtemperandi necessitas? Imò quis obtemperandi serius conatus locum habere potest, ubi obedientia impossibilis statuitur, & ubi creditur, Deum velle, ut homo subinde peccet, & impotentiam suam à peccato desistendi agnoscat? Nemo enim ad impossibile adspirabit; & sola impossibilitatis consideratio omnem conatum penitus exstinguit.

Cap. VII. *ad Rom. agit de statu hominis irregeniti.* V. Sed pro sententia sua loca quædam Scripturæ, & rationes aliquot proferre solent. Imprimis quidem pugnant sententiis aliquot è *cap.* VII. *ad Rom.* desumtis, ubi Apostolus, quem tamen regenitum, Deoque quammaximè gratum fuisse constat, de se dicit, quod sit *carnalis, venditus sub peccato; faciat malum quod non vult*: quod *peccatum in se & carne sua habitet*, adeoque *captivus sit sub lege peccati*. Resp. Apostolus illo in capite non de se loquitur, neque statum hominis regeniti describit: sed sub sua persona nobis statum hominis irregeniti, populi nim: Judaici, & ante legem, & sub lege adhuc constituti, prout ut plurimum se habebat, proponit: ita & alias solet res odiosas, modestiæ causa, & ad vitandum invidiam, sub sua persona proponere; quod vocat μετασχηματίζειν, 1 *Cor.* IV. 6. Similia exempla vide *Rom.* III. 7. 1 *Cor.* VI. 12. X. 23, 29, 30. XIII. 1, 2, 3. *Gal.* II. 20. Idque evincitur, tum ex scopo capitis, tum ex descriptione hominis toto capite tradita. Scopus capitis est, uti ex initio illius liquet, ostendere inefficacitatem legis ad homines a peccati dominio liberandum; ideoque necesse fuisse, ut lex aboleretur, hominesque traderentur alteri, Jesu Christo nempe, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit; & objectiones, quæ ex illa doctrina deduci possent, Apostolus discutit; quod fieri non potest per descriptionem status sui sub Evangelio, sed sub lege, quatenus ante fidem pars erat populi carnalis adhuc gratiâ Evangelicâ destituti: præsertim cum in confesso sit, eum à *vers.* 7. ad *vers.* 14. agere de homine irregenito; quæ itaque ratio suadet, eum sermonem suum continuare de statu hominis regeniti? imo quæ non suadet, eum porrò descriptionem hominis irregeni-

irregeniti continuare? cum hoc aptè conveniat cum tota tractatione præcedente: descriptio verò hominis regeniti à scopo & toto contextu Apostoli aliena sit. Dices. Mutat Apostolus tempus; cum enim à *vers.* 7. in tempore præterito locutus sit, ut *vers.* 9. *sine lege vivebam olim*, &c. *vers.* 14. & *seqq.* loquitur in præsenti, *ego sum carnalis*, &c. ut ostendat, in præcedentibus se statum suum præteritum ante regenerationem, hic verò statum præsentem sub regeneratione describere. Resp. Mutatio illa temporis fit, quia *vers.* 9. statum populi judaici ante legem consideraverat: itaque cum de statu ejus sub Lege loquitur, necesse est ut tempus mutet, & in præsenti loquatur.

Adversatur descriptioni statui regenitorum. VI. Status hominis, prout toto hoc capite describitur, directè adversatur statui, quem regenitis passim adscribit Scriptura: quod liquet ex variis. 1. Dicitur *carnalis*, *vers.* 14. Regeniti autem *carnem crucifixerunt cum concupiscentiis suis*, *Gal.* v. 24. & *Rom.* VIII. 12, 13. *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta corporis mortificaveritis, vivetis.* 2. *Venditus sub peccato*: quod statum maximè corruptum, peccatoque in servitutem traditum, designat; quod de impio rege Achab pronuntiatur 1 *Reg.* XXI. 20. De regenitis autem dicitur *Rom.* VI. 17, 18. *Gratias Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Vide & *Joan.* VIII. 34, 35, 36. 3. Quod *bonum quod vult non faciat*, *sed malum quod non vult*: *vers.* 15. De regenitis autem dicitur: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini. Deus enim est qui in vobis operatur & velle & perficere pro beneplacito suo*; *Phil.* II. 12, 13. & *Rom.* VI. 4, 5, 6. quod *consepulti sint cum Christo in mortem per baptismum*; *ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & ipsi in novitate vitæ ambulent*, &c. 4. Quod *peccatum* in ipso *habitet*: *vers.* 17. De regenitis autem, *Rom.* VI. 11, 12. *quod sint peccato mortui, & vivant Deo in Christo Domino nostro. Cap.* VIII. 11. quod *spiritus ejus qui Christum suscitavit ex mortuis in* ipsis *habitet*. & *Gal.* II. 20. quod *non vivant ipsi, sed Christus in ipsis vivat*: & *quod nunc vivant in carne, in fide vivant Filii Dei, qui ipsos dilexit, & semetipsum pro illis tradidit.* 5. Quod peccatum *habitet in ejus carne*, *vers.* 18. Regeniti verò *carnem crucifixerunt*, &c. *Gal.* v. 24. 6. Quod *velit* tantum, *non* autem *perficiat bonum*, *vers.* 18. De regenitis autem dicitur *Eph.* II. 10. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Consentaneè iis, quæ leguntur *Phil.* II. 13. & *Gal.* v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem efficax.* & *Matth.* VII. 21. 7. *Captivus sub lege peccati*, *vers.* 23. Contra autem de regenitis dicitur *Cap. seq.* VIII. 2. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Vide & *Gal.* v. 18. & *seqq.* 8. Tandem desiderat *liberari ex corpore mortis hujus*, *vers.* 24. Ergo morte spirituali adhuc fuit detentus.

VII. Tum & eadem manifestè repugnant iis, quæ Paulus alibi de se dicit: non enim se describit, ut hominem carnalem, & peccati servum; sed ut Euangelio dignè ambulantem, & omnia per Dei gratiam efficere aptum: 1 *Cor.* XI. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Phil.* III. 17. *Imitatores mei estote, fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Et *cap.* IV. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Dices. Attamen de se dicit Apostolus, *etiamsi nihil minus sit iis, qui supra modum Apostoli sunt, se* tamen *nihil esse*: 2 *Cor.* XII. 11. & *Gal.* VI. 3. de omnibus in genere: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Resp. Neuter locus quicquam ad rem facit. Priore enim Paulus docet, quicquid in se esset, quo Deo placere possit, à Christo esse; ac proinde, licet in Christo nullis Apostolis inferior sit, se tamen nihil, id est, nullius apud Deum pretii esse, si extra Christum consideretur. Posteriore loquitur comparatè: *Si quis se existimat aliquid esse*, id est, pluris quàm reverà est; *cum nihil sit*, id est, multò vilior, quàm se esse credit, *seducit seipsum*. Similem loquendi formam in verbis 1 *Cor.* III. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, observavimus. Dices. Apostolum tamen imperfectionem suam agnoscere 1 *Cor.* IV. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Resp. Hic locus magis contra ipsos, quàm pro ipsis facit. Dicit enim, se nullius sibi culpæ conscium esse. Sanè magna ea est integritas, quæ homini, qui se carnalem ac sub peccato venditum agnoscit, adscribi non potest. Quod addit, sibi tamen non competere judicium de se peremtorium, sed Deo supremo judici: quia fieri possit, ut aliquâ in re officio suo defuerit, licet conscientia sua ipsi id non dictet; non magis arguit partem in Apostolo irregenitam, quàm salutis incertitudinem, quam Pontificii exinde deducere volunt. Attamen dices, Apostolus dicit in fine capitis, αὐτὸς ἐγὼ Resp. Non id vertendum est, *ipse ego*, sed *ille ego*; de quo nimirum toto hoc capite locutus sum; & quem sub mea persona descripsi: aliàs, si se designare voluisset, potius non dixisset, *ego*.

Et iis, quæ Paulus alibi de se dicit.

VIII. Pro sua tamen sententia varia ex capite hoc proferre solent. Ac primò quidem,

Responsio ad objecta.

Eliditur primam. dem, quod dicatur *bonum velle*: irregeniti verò bonum nolunt. Resp. Non intelligit voluntatem completam, sed incompletam; quæ voluntas vocatur, quia est voluntas, secundum quid & certo respectu; sed non plena nec determinata voluntas: adeo ut *volo*, hic idem sit quod vellem. Perinde atque *Matth.* XXVI. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: hoc est, non sicut ego aliàs vellem, sed sicut tu vis: reverà enim Dominus Jesus idem volebat quod Pater. Et *Joan.* XXI. 18. Petro dicitur; *Cum senueris extendes manus, & alius te cinget, & ducet quo non vis*; hoc est, non velles duci: phrasi simili cum eâ quæ exstat *Matth.* XII. 34. XVIII. 6. Duæ enim contrariæ completæ voluntates simul in eodem homine locum habere nequeunt; sed quidem una completa, altera incompleta. Imò talis mixta voluntas in omnibus actionibus difficilibus locum habet: ab una parte est velleitas, ab altera voluntas, quæ prædominatur. Voluntas ergo bonum faciendi, quæ homini huic tribuitur, incompleta voluntas est & nuda velleitas; quia bonum quod vult non facit. Atqui talis velleitas etiam in irregenitis est, quia enim peccatum repugnat legi divinæ & dictamini conscientiæ, illud vitare vellent, & bonum facere: sed quia diutina consuetudine peccati habitum contraxerunt, illud dulcedine suâ adeo potenter ipsos afficit, ut victi manus dent, & caro atque affectus prædominentur; atque ita peccatum faciant, quod aliàs, nisi ita gratum esset, facere nollent. Ita Medea de se apud Ovidium:

Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboque;
Deteriora sequor.

At completa bonum faciendi voluntas, renatorum propria est, ut vidimus ex *Eph.* II. 10. *Phil.* II. 12, 13. &c.

Secundam. IX. Secundò. *Consentit & condelectatur legi Dei*: *vers.* 16, & 22. Resp. 1. *Legi Dei consentire*, est legem Dei ut bonam ac rectam approbare. Atqui hoc irregenitis cum regenitis commune est: aliàs nullum esset irregenitorum peccatum contra conscientiam. 2. *Condelectari legi*, idem est quod consentire; per metonymiam consequentis pro antecedente: mentis enim propriè est approbare, non gaudere: simili phrasi cum *vers.* 25. *Mente servio legi Dei*; quatenus nempe eam ut bonam approbabat 3. Sed nec condelectatio cum lege Dei certum regenerationis signum est: Herodes enim cum voluptate audiebat Joannem, *Marc.* VI. 20. Et Judæi *ad horam exultare voluerunt in illius luce*, *Joan.* V. 35. Et πρόσκαιροι *verbum audiunt, & continuò cum gaudio recipiunt*, *Matth.* XIII. 20. qui tamen ipsi regeniti non sunt. Dices, Illorum non est firma ac stabilis condelectatio. Resp. Nec etiam hujus hominis, quia faciebat malum quod nolebat.

Tertiam X. Tertiò. Est in illo interior & exterior homo. Resp. Verum; sed non novus & vetus homo; qui simul in eodem subjecto esse nequeunt. Aliud siquidem est vetus & novus, aliud interior & exterior homo. Vetus & novus homo subjecti nomine denotant ejus qualitates; vocaturque vetus homo, quatenus veterem peccandi consuetudinem secutus est: novus autem, quatenus vetere relictâ novam in Jesu Christo vivendi rationem sectatur. Interior autem & exterior homo sunt ejus tanquam totius partes, & per synecdochen totum de parte enuntiatur. Ita ut interior homo nihil sit aliud quàm mens, aut animus: uti & illis in locis, ubi præterea vox hæc occurrit: 2 *Cor.* IV. 16. *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Eph.* III. 16. *Ut det nobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus interiorem hominem.* Cujus respectu corpus vocatur exterior, imò domus & tabernaculum in quo habitet: 2 *Cor.* V. 1. *Phil.* I. 21, 22, 23. 2 *Pet.* I. 13, 14. Dices. *Rom.* VI. 6. dicitur tamen in nobis vetus & novus esse homo. Resp. Nequaquam: sed vetus dicitur destructus accedente novo: simul enim consistere nequeunt.

XI. Quartò. Dolet de miseria sua, & ab ea liberari cupit, *vers* 24. Resp. Indicat Apostolus, quale votum tali statui conveniens sit: & prædicat misericordiam Dei per Christum, qui homines è miseria sua liberavit. Atqui votum hoc eum adhuc irregenitum arguit. Qui enim jam per regenerationem è morte peccati liberatus est, quomodo statui suo convenienter oret, ut ex morte ea liberetur? *Quartam.*

XII. Secundò objiciunt *Gal.* V. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis illa faciatis.* Resp. Non dicit Apostolus carnem actu semper concupiscendo obluctari spiritui in regenitis: contrarium enim *vers.* 24. ait; sed eam esse naturam carnis, ut quando concupiscit, contra spiritum concupiscat. Monet itaque Galatas, ne ambulent amplius in carnis concupiscentiis, in quibus ante conversionem ambulaverant: hac adhibitâ ratione; quia concupiscentiæ carnis spiritui adversantur. Verba postrema, *ut non quæcunque vultis illa faciatis*, finaliter sunt accipienda, tanquam scopum Dei, spiritu ipsos donantis, indicantia: In eum namque finem Deus spiritu, qui adversus carnem concupiscit, vos donavit, ut non quæcunque vultis, scilicet incompletâ voluntate, seu quæ aliàs velletis, illa faciatis. Et sive ad utrumque membrum referatur, de incompleta solum voluntate accipiendum est. 2. Licet illa lucta in initio regenerationis aliquamdiu duret, ob invetera- *Explicatur Gal.* V. 17.

tam peccandi consuetudinem, quæ subito tota exstingui nequit: tandem tamen in adultis desinit, qui perfecti vocantur; non quòd jam perfectionis metam attigerint, sed luctam superarint: Et *ex toto corde & totâ animâ Deum diligere* dicuntur: non tantum quia sincerè, corde non ficto obediunt, quod omnibus commune est; sed &, quia ipsorum obsequium est integrum, & per peccata intercurrentia non dividitur, neque per obluctantes cupiditates distrahitur; sed promptum est ac continuum.

Qualis concupiscentia remaneat in regenito.

XIII. Tertiò. Ita argumentantur. In homine post regenerationem reliqua est concupiscentia. Atqui illa est peccatum: *Rom.* VII. 7. *Concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset, non concupisces.* Resp. non est in homine regenito reliqua concupiscentia, quæ actu semper malum concupiscit: sed in carne nostra est facultas seu vis quædam naturalis, quâ homo percipit, quid sibi gratum, quid ingratum sit: hæc vis oblato objecto grato vel ingrato producit concupiscentiam erga illud, vel aversionem ab hoc. Atqui illa non est peccatum, neque reliquiæ peccati originis; cùm, uti antea vidimus, in primis nostris parentibus fuerit ante lapsum, *Genes.* III. 6. & in ipso Domino Jesu, *Matth.* XXVI. 39. Concupiscentia autem, quæ peccatum est, vel oritur ex habitu vitioso; ideoque nec in omnibus æqualis est; sed pro ratione habitus vel magis vel minus radicati in uno major in altero minor: & præscribitur ut eam exuamus, *Rom.* VI. 11, 12. XIII. 14. quorum neutrum de corruptione originaria dici potest: vel est concupiscentia jam formata, vel cum mora delectationi vitiosæ inhærens, quâ homo voluptatem carnalem in corde suo sentit ac fovet. Nulla autem harum in regenito remanet. Atqui, ajunt, non intelligimus hic appetitum sensitivum, sed fomitem illum peccati; qui in omnibus hominis facultatibus est. Resp. Sed quis est ille fomes peccati? an propensio quædam ad peccatum, orta ex temperamento aut dispositione corporis, quâ homo ad hæc aut alia objecta, quoniam ex illis delectationem percipit, est propensus? Atqui illa physica impuritas est, non moralis. Nec motus primi inde orti, si nullus accedat consensus, peccata sunt.

Explicatio Rom. VII. 7.

XIV. Dices. De illis tamen dicitur *Rom.* VII. 7. *Concupiscentiam non novissem*, sc. peccatum esse, *nisi lex dixisset non concupisces.* Resp. Intelligitur eadem concupiscentia, quæ præcepto decimo decalogi vetatur: non autem ibi vetantur motus concupiscentiæ primò primi, quibusque statim resistitur: sed concupiscentia, quâ quis bona alterius ipso non invito ad se traducit, procurans nempe, ut res aliàs grata ipsi displiceat, atque ita eam ultro cedat: veluti sub lege; si quis alterius uxorem concupiscens, & frigusculum aliquod inter maritum & uxorem animadvertens, illud foveat, contentionis semina jaciat, ut ita dissidio oborto maritus uxori repudium mittat, ipseque eâ potiatur: & ita in aliis quæ proximi sunt. Hæc ab omnibus peccata non habentur, ideoque necesse fuit ut accederet interdictum legis. Ne jam dicamus posse hæc verba alio sensu sumi: *Concupiscentiam non novissem*, id est, in me vehementes illos concupiscentiæ motus non sensissem; *nisi lex dixisset*, *Non concupisces*; atque ita legis rigido interdicto magis irritata fuisset.

De motibus primoprimis

XV. Interim haud illubentes fatemur, nos temperamento minus puro nasci, ac proinde inclinationem nostram in res carni gratas esse vehementiorem, quàm in primis nostris parentibus fuit: unde fit, ut facilius incitemur ad motus inordinatos. Quoniam enim nascimur ex parentibus peccato assuetis, atque istâ assuetudine ratione temperamenti non parum immutatis; fieri non potest, quin & temperamentum minus purum in nos propagent. Atqui illa physica est impuritas, non moralis: & tantum abest ut sit verè ac propriè dictum peccatum, ut motus primi inde orti, materia sint virtutis exercendæ. Dices. Si materia sunt virtutis exercendæ, aut ea sunt per se, aut per accidens. Si per accidens; non sequitur non esse peccata; quia etiam peccata materia virtutis per accidens esse possunt. Si per se; non sunt inordinati, adeoque à Deo ortum habent. Resp. Sunt per se materia virtuti exercendæ; quatenus requiritur subjectum quod illis motibus corripi potest, ut sit idoneum ad obedientiam præstandum. Hinc nec inordinatos esse dicimus; sed inordinati forent si iis indulgeremus. Non tamen sequitur, eos esse à Deo; sed sunt à facultate, à Deo nobis indita, quatenus objectis quibusdam commovetur. Hanc tamen facultatem hominum vitio minus puram dicimus, quàm à Deo creata hominique indita est. Dices. Concupiscentia vel est bonum quid, vel indifferens, vel malum: Non bona & indifferens, quia odio digna & exstinguenda. Ergo mala. Resp. Non est mala; sed si illi indulgeatur, ad malum esset inclinatura; ideoque exstinguenda, ne in malum degeneret. 2. Aliud est malum ethicum, aliud physicum: malum ethicum neutiquam est, sed physicum; non malum pœnæ, sed neutrum: quales multæ sunt miseriæ naturales, quæ nec peccata sunt, nec peccatorum pœnæ. Talis fuit cæcitas juvenis illius *Joan.* IX. 1, 2. Talis est hæc concupiscentia, quæ ex minus puro temperamento, quod à parentibus trahimus, ortum habet, nosque ad quædam objecta, quia carni nostræ grata, propensos facit. In genere itaque moralium indifferens est.

XVI.

Consectaria. Primum. XVI. Hâc sententiâ eversâ, simul corruunt quæ illi tanquam fundamento inædificantur: qualia sunt, Primò. Regenerationem in hac vita tantum inchoatam esse: consummari verò in futuro seculo. Cum Scriptura exigat, ut obedientiam præstemus in hac vita: *Tit.* II. 11, 12. *Gratia Dei Salvatoris nostri apparuit*, &c. *ut sobriè, justè, & piè vivamus in hoc seculo.* 1 *Pet* 1. 17. *In timore versamini tempore incolatus vestri.* Hæc vita nempe est stadium; in futura locum habebit merces & corona. Quare pii morientes dicuntur *quiescere ab operibus suis, & opera ipsorum sequi ipsos*, *Apoc* XIV. 13. Et *certasse bonum certamen, & cursum consummasse, nunc autem ipsis repositam esse coronam justitiæ*, 2 *Tim.* IV. 7, Vide & *Hebr.* XII. 1. & 1 *Cor.* IX. 24, 25.

Secundum. XVII. Secundò. Hominem regenitum, propter inhabitantem sibi carnem, quotidie sæpius & graviter peccare. Ostendimus namque peccati consuetudinem regenerationi repugnare: imò regenitum diuturnâ sanctimoniæ consuetudine adeo à peccato fieri aversum, ut dicatur *peccare non posse*, 1 *Joan.* III. 9. Dices. Attamen *Prov.* XXIV. 16. legitur, *Septies cadet justus, & resurget.* Resp. 1. Non dicitur justus septies de die cadere, quod probandum erat, sed tantum, *septies cadere.* 2. Non dicitur *septies*, hoc est, sæpius, cadere in peccatum; sed in calamitatem, aut infortunium; uti docent antecedentia: *Ne quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus*; & sequentia: *Impii autem corruent in malum.* Quæ sanè non aliud quàm casum in infortunium innuunt. 3. Nec hoc dicitur, necesse esse justum sæpius in calamitatem incidere; sed quando in eam incidit, aliam ejus esse rationem, quàm impii: justus enim è calamitate suâ etiamsi sæpius in illam incidat, Deo ipsum protegente, resurget; impii verò in malo corruent: ideoque frustra sunt, qui justo insidiantur.

Tertium. XVIII. Tertiò. Sanctissima nostra opera peccatis esse inquinata ab inhabitante carne seu concupiscentia, quæ opera, aliàs sancta, vitiat. Scriptura autem sanctorum opera ita describit, ut omnem ab iis impuritatem removeat: quando ea comparat *vestimentis non inquinatis*, *Apo.* III. 4. & *byssino splendenti & candido*, *cap.* XIX. 8. & additur: *byssinum enim sunt justificationes sanctorum.* Sanctos ipsos vocat *puros corde*, *Matth.* V. 8. & *puros*, simpliciter, *Tit.* I. 15. Dices. Nihilominus legitur *Esa.* LXIV. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Resp. Sive per *justitias* intelligamus opera ceremonialia, in quibus observandis superstitiosi admodum erant Judæi, sive opera moralia, decalogo præcepta, sive utraque, res eòdem redit. Non dicitur, omnes justitias esse peccato inquinatas, *sed quasi pannus menstruatæ*; id est, non majoris apud Deum pretii, quàm pannum menstruatæ. Innuere volunt, se peccatis ac sceleribus suis Deum adeo graviter offendisse, ut jam ab ipso rejecti & pœnæ destinati sint; & justitias suas (sive eas interpreteris observationes ceremoniarum, sive opera justa) non majoris apud Deum esse pretii, quo moveatur ad ipsis parcendum, quàm pannum menstruatæ. Non indicant ergo, etiam sanctissima opera peccatis esse inquinata; sed se ob scelera sua jam à Deo esse rejectos, ut ad ipsorum justitias amplius respicere nolit. Dices. Quodnam sanctius opus est, quàm precatio? quæ autem brevior precatio quàm illa Apostolorum, *Domine salva nos, perimus*: & in ea tamen peccarunt: *Matth.* VIII. 25, 29. Resp. Quia non precabantur ex fide. At quis dicet, ipsos non potuisse ex fide precari? aut post Domini adscensionem non ex fide precatos? Quodnam quæso ostendent peccatum in prædicatione Petri die Pentecostes, quâ tria millia convertit ad fidem, *Actor.* II. aliisque Apostolorum gestis, quæ illic narrantur.

XIX. Quartò. Omnia regenitorum peccata, etiam gravia, etiam deliberato animo facta, esse tantum infirmitates; quia nim: pars regenita nunquam consentit peccato; adeoque quando regenitus peccat, pars regenita ut infirmior superatur & invita in peccatum pertrahitur. Fatemur, remanere quidem in regenitis infirmitates: fieri autem nequit, ut pars regenita, quæ mens est, à carne, parte irregenita, invita superetur: voluntas enim ac mens superior in homine facultas est, quæ non nisi volens superatur & peccato consentit. Tum & sollicitè cavendum, ne inter infirmitates numerentur peccata deliberato animo perpetrata; quale fuit Davidis adulterium & homicidium. Ejusmodi enim peccata regenerationi repugnant, imò, nisi resipiscentia sequatur, eam penitus abolent. Hinc & Davidi expressè semper pietas adscribitur, cum exceptione illius facti: vide 1 *Reg.* XV. 5. Et non fuisse peccatum istud infirmitatem arguit gravis pœna Davidi inflicta, ipsaque Davidis confessio, 2 *Sam.* XII. 13, 14. *& seqq.* Ejusmodi autem exempla ostendunt, posse hominem regenitum, nisi vigilet, rursus concupiscentiis carnis inescari; ideoque & carni, quæ continuò, nisi frænetur & coërceatur, rebellare potest, omnes aditus sunt præcludendi, ne peccatum concipiat: & in bono continuo pergendum, ut carni omnis rebellandi facultas adimatur. *Quartum.*

CAPUT XVI.

De Resipiscentiæ Causis, Effectis & Oppositis.

Causa Resipiscentiæ primaria est Deus. I. Causa Resipiscentiæ primaria est Deus: illi enim regeneratio nostra passim adscribitur. *Ezech.* XI. 19, 20. & XXXVI. 26, 27. *Dabo eis cor unum & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent*, &c. 1 *Pet.* 1. 3. *Deus nos* dicitur *secundum suam misericordiam regenerasse in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Act.* V. 31. *Hunc principem & salvatorem Deus extulit dexterâ sua, ad dandum pœnitentiam Israëli.* Et *cap.* XI. 18. *Ergo & gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam.* Idque ex omnibus locis liquet, ubi Deus passim omnis boni totiusque adeo salutis nostræ auctor ac causa vocatur.

Instrumentum Verbum Dei. II. Instrumentum quo Deus utitur ad resipiscentiam in nobis efficiendum est verbum ipsius, Spiritus Sancti efficaciâ semper comitatum, ac virtute spirituali instructum: est enim verbum Euangelii ministerium spiritus, 2 *Corinth.* III. 8. Hinc *Joan.* III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.*

Varia in eo argumenta, quæ resipiscentiam suadent. III. Verbum autem Dei varia continet argumenta, quibus ad resipiscentiam movemur. 1. Iram Dei contra peccatores, & præcipuè contumaces & impœnitentes. *Matth.* XI. 20, 21. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida: nam si in Tyro & Sidone facta essent signa, quæ in vobis facta sunt, jam olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent: Amen dico vobis: tolerabilius erit Tyro ac Sidoni in die judicii, quàm vobis. Luc.* XIII. 3, 5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Rom.* II. 4, 5. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei te ad resipiscentiam adducit? sed secundum duritiem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram*, &c. Vide & *Matth.* XXIII. 37, 38. 2. Exempla judiciorum divinorum, quæ Deus severissimè erga peccatores impœnitentes exercuit: inter quæ eminent diluvium, quo prioris mundi incolæ, solo Noacho cum familia excepto, perierunt: excidium Sodomæ & Gomorrhæ per ignem cœlitus demissum: & eversio Judæorum, tam horrenda ac miserabilis, ut illi similis non fuerit ab initio mundi, nec futura sit, *Matth.* XXIV. 21. 3. Beneficia divina, quibus peccatores ad resipiscentiam invitantur: *An ignoras, quod benignitas Dei te ad resipiscentiam adducit? Rom.* II. 4. & præcipuè Novi Fœderis beneficia, quæ missione Christi Salvatoris ad salutem peccatorum omnia comprehenduntur. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum, ut peccatores salvos faciat*, 1 *Tim.* 1. 15. Et in his ea maximè, quibus salutis nostræ procuratio potissimum constat: qualia sunt mors Christi: *Tit.* II. 14. *Qui semetipsum tradidit pro nobis, ut liberaret nos ab omni iniquitate*, &c. 1 *Pet.* 1. 18, 19. *Scientes quòd non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*: Ejus resurrectio 1 *Pet.* 1. 3. & exaltatio ad dexteram Dei Patris: *Act.* V. 31. 4. Promissiones gratiæ ac remissionis resipiscentibus factas: *Esa.* 1. 16, 17, 18. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum* &c. *si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Ezech.* XVIII. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam: ipse animam suam vivificabit. Luc.* XXIV. 47. dicit Dominus *prædicandum in nomine suo resipiscentiam & remissionem peccatorum.* 5. Exempla gratiæ divinæ, peccatoribus resipiscentibus factæ, etiam in gravia peccata lapsis: Davidi, 2 *Sam.* XII. regi Manassæ, 2 *Paral.* XXXIII. 11, 12, 13. Ninivitis, *Jon.* III. 10. Petro, *Joan.* XXI. 15, 16, 17. Ex his concipitur spes de misericordia divina, peccatorumque venia obtinenda: quæ validissimum ad resipiscentiam incitamentum est, & sine qua nulla seria de resipiscentia deliberatio unquam suscipietur. Sic David *Psal.* CXXX. 4. *Apud te est remissio ut timearis.* Veniæ autem desperatio omnem de resipiscentia conatum penitus exstinguit: exempla habemus in Caino, *Genes.* IV. 13. Juda, *Matth.* XXVII. 3, 4, 5. & in diabolis, quos sola desperatione adeo in malo obdurari, antea ostendimus. Quis enim peccati, præsertim per diuturnam consuetudinem maximoperè grati, dulcedinem abnegabit, carnisque concupiscentias cum dolore crucifiget, absque ulla status melioris spe, ac certa cum persuasione miseriæ ac pœnæ ineluctabilis? Inde lex ad resipiscentiam efficiendum inefficax, quia promissio remissionis destituta: *Rom.* VIII. 3.

Non operatur Deus resipiscentiam virtute irresistibili. IV. Ex hisce liquet, Deum virtute insuperabili non operari in homine resipiscentiam: sed & hominem libera obedientia ad illius productionem concurrere. Nulli enim horum argumentorum vis irresistibilis inest; sed requirunt animum docilem minimèque refractarium; aliàs inefficacia futura. Dices. Resipiscentia, quatenus est habitus spiritualis nobis per spiritum Dei infusus, virtute insuperabili à Deo producitur: quatenus autem est actio ex habitu illo procedens, etiam à nobis est. Resp. Ostendimus

mus nos, cum de Fide ageremus, regenerationem, perinde atque fidem, in primo suo instanti non esse habitum, sed actionem, liberè à nobis, spiritu Dei excitatis, procedentem, quæ habitum inchoatum post se relinquit, & sensim crebrâ actuum sanctorum iteratione perficitur ac consummatur.

Resipiscentia consequens est remissio peccatorum. V. Effectum resipiscentiæ, seu potius illius consequens, est remissio peccatorum, & vita æterna: quæ duo ita connexa sunt, ut reipsa non separentur: cui enim Deus peccata remittit, illi, si in statu suo perseveret, & vitam æternam largiturus est. Eodem ergo officio, quo movetur ad dandum vitam æternam, etiam movetur ad concedendam peccatorum remissionem. Sic dicitur *Ezech.* XVIII 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur. Luc.* XXIV. 47. *Act.* III. 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Per pœnitentiam itaque homo in priorem statum, in quo fuerat ante peccatum, restituitur, & peccata à Deo censentur quasi non facta: ideo remissio peccatorum vocatur *deletio peccatorum, Psal.* LI. 3, 11. *Esa.* XLIII. 25. *Dan.* IX. 24. *projectio post tergum, Esa.* XXXVIII. 17 *iniquitatum non recordatio, Ezech.* XVIII. 22.

Non autem solummodo remissionis sensus. VI. Hoc observandum contra illos, qui docent, per resipiscentiam non acquiri remissionem peccatorum; illam enim obtineri fide, quæ non est actus noster; sed tantum remissionis sensum. Atqui sententia ista manifestè Scripturæ adversatur, & in se absurda est. Si enim per resipiscentiam, tanquam per signum remissionis jam obtentæ, illius tantum sensum acquirimus; sequitur ergo, nos jam remissionem obtinuisse, ac proinde in flagranti Dei gratiâ esse, antequam resipiscimus; hoc est dum adhuc impii sumus. Signum enim rem demonstrans esse, dari non potest, nisi res si non tempore, ordine saltem naturæ, ante signum illud existat: aliàs falsum signum esset, significans rem esse quæ non sit. Atqui quid magis Scripturæ adversum, quàm hominem, dum adhuc impius est, peccatorum remissionem à Deo obtinere, & in flagranti Dei gratia esse? *Esa.* LIX. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum,* &c. Vide & *Eph.* V. 5, 6. 1 *Joan.* I. 5, 6, 7. quo postremo loco dicitur nos nullam cum Deo communionem habere, nisi in luce ambulemus. Imò quid resipiscentiæ necessitatem magis destruit, quàm hæc opinio? Non enim juxta eam necessaria est ut remissio peccatorum obtineatur, sed tantum illius sensus: atqui ipsa remissio nos salutem procurat, non remissionis sensus. Posset ergo homo, adhuc peccato serviens, sicut remissionem, ita salutem obtinere. Contra *Matth.* V. 20. *Hebr.* XII. 14. & præsertim 1 *Cor.* VI. 9, 10.

Explicatio Rom. IV. 4. VII. Dices. Apostolus tamen inquit, quòd *Deus justificet impium, Rom.* IV. 4. Resp. Non impium in impietate suâ perseverantem, sed jam per seriam resipiscentiam ad pietatem conversum. Ita solet Scriptura res describere, non semper à statu præsenti, sed & præterito, in quo fuerunt. Exempla vide *Exod.* VII. 12. *Matth.* XI. 4, 5. XXI. 31. Et in hoc Euangelium Legi præstat, quòd Lex tantum minorum delictorum & transgressionum remissionem concedat: Euangelium autem etiam absolutionem ab impietate, seu gravioribus delictis, modo resipiscentia adsit, promittat: juxta *Act.* XIII. 38, 39.

Et Luc. VII 35. *& seqq.* VIII. Dices. Dominus tamen de muliere peccatrice dicit, *Luc.* VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Resp. Loquitur ibi Dominus de dilectione, quæ non tantum ipsam remissionem, sed & illius sensum sequitur: majoris enim vel minoris dilectionis causa petitur à remissione plurium vel pauciorum peccatorum: Atqui ea remissio majorem dilectionem non operatur, nisi quatenus ab animo, gravi illo peccatorum onere levato, percepta. Sicut ergo exinde colligi nolunt, nullam dari dilectionem, quæ remissionis sensum antecedit: ita & facile perspicere possunt, nec excludi dilectionem, quæ & ipsam remissionem antecedat: nisi aliis Scripturæ locis evidenter probare queant, remissionem omnem & qualemcunque dilectionem nostram antecedere.

Non tamen propriè resipiscentiæ est effectum. IX. Non tamen remissio effectum propriè est resipiscentiæ; non enim aut vi, aut merito ullo suo remissionem tanquam effectum producit; sed resipiscentia tantum est conditio à Deo requisita, ut remissio ex gratia obtineatur: quia Deus declaravit, se nemini, nisi resipiscenti, peccata remittere velle. Remissio enim peccatorum est gratuitum Dei opus, quo Deus à jure suo recedit, & pœnas, quas homines debebant, non exigit. Eam autem nemo mereri potest: cum & posteriora opera tantum sint officia debita, non autem remissionis officii neglecti impetrandæ merita. Si autem remissio sit ex gratia, jam non est ex merito; quia meritum gratiam excludit: *Rom.* XI. 6. *Eph.* II. 8, 9.

Opposita sunt, Resipiscentia hypocritica. X. Opposita Resipiscentiæ sunt, resipiscentia seu pœnitentia hypocritica, & Impœnitentia. Resipiscentia hypocritica est, cum quis simulat, se peccatorum admissorum dolore tangi, eaque emendare velle: non tamen ea dolet, nec emendat. Talis erat Pharao, *Exod.* VIII. IX. X. Simon Magus, *Act.* VIII. 24. Sed est & alia pœnitentiæ hypocriticæ species: quâ quis, vera pecca-

catorum emendatione omissâ, operibus quibusdam externis, à Deo non imperatis, neque peccatoris animum immutantibus, se pœnitentiam agere posse putat: quales plurimi sunt in Ecclesia Pontificia, qui operibus satisfactoriis, à sacerdote sibi impositis, pœnitentiâ plenâ se defungi putant. Non est quidem de crassiore illa hypocriseos specie, qua quis se alium, quàm reverâ est, sciens simulat: quia tamen alium se coram Deo revera exhibet, quàm se exhibere contendit, id est, non peccatorum emendatorem, hoc est, resipiscentem, sed in peccati luto adhuc hærentem; omnis ejus actio coram Deo mera hypocrisis est. Hoc sensu omnes, qui externa pietatis specie contenti sunt, licet credant se ea Deo gratos, hypocritæ vocantur; quoniam, ut est *Matth.* XV. 7, 8. *labiis Deum honorant, cor autem eorum longè à Deo est.* Et hoc sensu Dominus Pharisæos passim hypocritas vocat: non quia se impios noverant, & pietatem tantum simulabant; sed quia, verâ animi pietate neglectâ, eam in externis quibusdam quærebant, licet crederent, veram in eorum observatione sanctitatem positam. Vide *Matth.* XXIII. *Luc.* XI. & XVI. 15. *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra.*

Et impœnitentia. XI. Impœnitentia est, quando quis de peccatis admissis non dolet, eaque emendare non proponit. Estque vel temporaria: quando quis ad tempus securus absque judicii divini metu in peccatis suis perseverat; tandem tamen è peccatorum veterno quasi resurgens, toto corde se ad Deum convertit: quale exemplum habemus in Manasse Rege Judæ, 2 *Chro.* XXXIII. 9, 10, 11, 12, 13. Vel finalis, in qua homo ad finem usque vitæ perseverat: quæ, quoniam eam nulla vitæ emendatio sequitur, etiam cum pœna seu condemnatione æterna immediatè est conjuncta.

Illius causæ. XII. Causæ impœnitentiæ variæ esse possunt. Primò. Atheismus seu Epicurismus.
1. Atheismus. Qui enim Deum esse, aut rerum humanarum curam gerere non credit, quomodo de peccatis, tanquam numinis iram provocantibus, dolebit; aut iis valedicet, ut numinis gratiam, per peccata amissam, recuperet?

2. Persuasio de infinita Dei misericordia. XIII. Secundò. Persuasio de infinita Dei misericordia; quasi ea nunquam exhauriatur; aut quasi illius naturæ repugnet, peccata punire: cùm Deus non tantum misericors, sed & justus sit, imò acer peccatorum vindex: & justitiam exercens, peccataque severè puniens, nihil misericordiæ suæ adversum faciat. Hinc & horrenda judiciorum divinorum in peccatores exempla passim in Scriptura leguntur.

3. Abusus exemplorum. XIV. Tertiò. Abusus exemplorum, quorum quædam in Scriptura occurrunt, gravium peccatorum, ut Davidis, Petri, &c. qui tamen eorum veniam à Deo obtinuerunt; ex quibus quidam colligunt, se etiam facile peccatorum veniam obtenturos. *plurium Davidis, Petri, &c.* Sed cogitandum, Deum illis peccata non remisisse nisi resipiscentibus, eaque seriò dolentibus. Nec ergo suorum peccatorum veniam sperare possunt, nisi & eorum exemplo resipiscant. Addo; ipsos hac fiduciâ peccantes, seipsos ineptos facere ad resipiscentiam. Resipiscentiæ quippe initium est dolor de peccato conceptus, ob iratum Deum; adeo ut doloris causa sit, iræ divinæ consideratio. Qui autem hac fiduciâ peccant, quòd Deus facile ipsorum peccata sit remissurus, non credunt Deum peccatis suis iratum; ideoque nec serium de iis dolorem concipere, adeoque resipiscere possunt.

XV. Quartò. Ex his orta impunitatis spes, quæ facile plenam de comminationum divinarum executione fidem exstinguit, facitque ut homines se mendacio pascant, contra expressum Dei verbum. Hac nimirum ratione peccatum intravit in mundum, quod diabolus primis parentibus persuaserit, licet Deus mortem comminatus esset, eos non morituros: *Genes.* III. 4, 5. Quod peccatum sicuti primum est, ita & omnium aliorum exemplar esse videtur, causamque ejus indicare, impunitatis spem. Eodem enim modo & Deus hodie minatur, si in peccato perseveretis, aut si peccetis, moriemini: nos persuasione falsâ nos ipsos decipientes, licet peccemus, non morituros, securè peccatis indulgemus: & ut securè peccemus Deum facimus mendacem. *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios contumaciæ*, *Eph.* v. 6. *4. Impunitatis spes.*

XVI. Quintò. Desperatio veniæ, supplicium ut nullâ resipiscentiâ evitabile horrens. Generat quidem dolorem summumque animi angorem; sed quia peccator desperans remissionis spe est destitutus, resipiscentiæ conatum non producit; sed sub proprio onere succumbit, & à Deo, tanquam irato & irreconciliabili judice, supplicii metu, aufugere docet. Cujus triste in Judâ proditore habemus exemplum, *Matth.* XXVII. 3, 4, 5. quem pœnitebat quidem facti, conscientiâ ipsum accusante; non autem ut id emendaret, sed ipsum metu instantis pœnæ cruciante, ut ad desperationem adigeretur. *5. Desperatio veniæ.*

XVII. Sextò. Peccandi consuetudo inveterata, quæ jam in alteram quasi naturam transiit, peccatumque reddit tantum non insuperabile. *Si potest æthiops mutare pellem, & pardus maculas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum*, inquit Deus *Jerem.* XIII. 23. Magnam quippe peccato jucunditatem conciliat consuetudo, cui ægrè resisti potest: imò callum contrahit animus hominis, ut *6. Peccandi consuetudo inveterata.*

præcepta ac promissa divina nullam in eum efficaciam exserant; & vix ad resipiscentiam adduci possit, nisi aut cupiditatum suarum fastidio ducatur; aut in infamiam, aliasque graves miserias incidat, quibus quasi ad pœnitentiam constringatur. Quod si nullis hisce mediis flectatur, insanabilis est; quoniam qui se ita mancipavit peccato, ut ne miseriæ sensu se ab eo avelli patiatur; nec rationibus, nec promissis divinis, bonum spirituale ipsi ignotum, & fide solummodò apprehendendum, continentibus, ad resipiscentiam flectetur. Indeque colligere est, quàm periculosum ac noxium sit differre pœnitentiam: quia differendo peccati consuetudo magis magisque confirmatur; & quod nunc difficile nobis est, per dilationem multò fiet difficilius. Insipientia itaque summa est, sibi propriâ culpâ difficile, & tantum non impossibile reddere, quod tamen ut semel fiat, necessarium est. Hisce alia accedunt, inter quæ minimum non est, conversatio cum improbis, & luculenta cupiditates suas explendi occasio; quibus, aliàs forte in rectam viam redituri, detinentur, ne unquam de peccato deserendo seriò cogitent.

Effecta. XVIII. Effectus impœnitentiæ sunt omnis generis pœnæ, tam corporales, quæ nonnunquam infliguntur, & quorum longum catalogum legere est *Levit.* XXVI. *Deut.* XXVIII. & *Ezech.* XIV. 21. quàm spirituales: eæque vel in hac vita: ut excœcatio, induratio, traditio in reprobum sensum & efficaciam erroris; ut *Rom.* I. 26, 27, 28. *Eph.* IV. 18, 19. 2 *Thess.* II. 9, 10, 11. Vel in futura vita: ut condemnatio ac mors æterna, & conjectio in ignem æternum præparatum diabolo & angelis ipsius; *Joan.* III. 36. *Rom.* II. 4. 5.

CAPUT XVII.

De Pietate, ac primum de ejus Objecto.

Virtutes distribuuntur in tria genera. I. Virtutes, quæ Christiani hominis officium distinctè & per partes explicant, ratione triplicis objecti, circa quod versantur, etiam trifariam solent dividi. Aliæ nim: respiciunt Deum, & veniunt nomine Pietatis: aliæ proximum, & comprehenduntur nomine Justitiæ, seu potius Charitatis: aliæ nos ipsos, & exprimuntur nomine Temperantiæ, seu, non dilectionis mundi, & eorum quæ in mundo sunt. Hanc divisionem ipse Apostolus insinuat, *Tit.* II. 11, 12. dicens, *gratiam salutarem, quæ omnibus apparuit, nos erudire, ut abnegatâ impietate & cupiditatibus mundanis, sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo.* Temperantia enim non est modus tantum, aut medium obedientiam præstandi; sed insignis obedientiæ pars. Sunt enim quædam quæ sub Temperantiâ comprehenduntur virtutes, quæ distincta continent officia à Pietate in Deum, & Charitate in proximum. Non negamus, quin omnia ad Deum, tanquam ultimum finem, referantur: & si hoc sensu Temperantiam Pietate comprehendi urgeamus, etiam Charitatem in proximum eâ comprehensam fatendum erit: sed tamen quatenus quædam officia immediatè ad Deum, quædam ad proximum, alia ad directionem nostri ipsorum referuntur; etiam virtutes officia nostra dirigentes, in tria genera aptissimè distribuuntur.

II. Pietas, Græce εὐσέβεια, aliquando *Pietas.* universam denotat Religionem Christianam; quia illa est doctrina secundum pietatem; voce *Pietatis* latè acceptâ, pro integro officio quod Deus à nobis exigit. Sic 1 *Tim.* III. 16. *Mysterium pietatis magnum est.* Et *cap.* IV. 8. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Et *cap.* VI. 5. *Existimantes pietatem esse quæstum.* Quoniam in omnibus Deus tanquam ultimus finis est respiciendus, cui per officia proximo nobisque ipsis debita servimus & obsequium præstamus. Quò respicit Jacobus, *Cap.* I. 27. *Religio pura & immaculata coram Deo & Patre est hæc, visitare orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & impollutum seipsum conservare à mundo.* Aliquando speciatim illam cultus nostri partem, quæ propriè Deum respicit, & peculiari vocabulo quandoque vocatur θεοσέβεια: de quâ nunc dicemus.

III. *Pietas est virtus Deo cultum debitum ac convenientem exhibens.* Ad eam duo re- *Ejus definitio.* quiruntur: 1. Ut is honor seu cultus exhibeatur divino numini, qui ejus summæ majestati ac supremo imperio reliquisque attributis conveniens est. 2. Ut illi soli exhibeatur.

IV. Hæc duo ut præstentur, ante omnia *Requiritur, ut sciamus, quis sit Deus, qui colendus.* sciendum, quis ille Deus sit, cui cultus præstandus sit. Deus sese in verbo suo, tum & diversis operibus, Creatione, Providentiâ, aliisque miraculosis operibus, tam clarè revelavit, ut Sacræ Scripturæ divinitatem agnoscentibus obscurum esse nequeat, quis Deus sit, cui cultus à nobis debetur. Ut autem clarius sese manifestaret, semper à beneficio quodam eximio ac recenti describi ac denominari voluit, ad distinctionem eorum, quibus divinitas falsò adscribebatur. Ita olim, cum recens adhuc erat mundi creati memoria, non alio, quàm Creatoris cœli ac terræ nomine celebratus est: *Genes.* XIV. 19. & ita passim nominatur. Postea sicut illi beneficio novum accessit, fœdus nim: cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, eorumque posteris, etiam alia denominatio priori addita fuit, vocatusque Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, *Exod.* III. 6. Legem Israëlitis traditurus se denominavit à recenti libera-

berationis è servitute Ægypti beneficio; *Ego sum Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto è domo servitutis*, *Exod.* xx. 1. Nunc à nobis Christianis potissimum denominatur ab ingenti & omnium maximo redemtionis beneficio per Filium suum Jesum Christum, vocaturque *Pater Domini nostri Jesu Christi*. Is ergo Deus, qui cœlum ac terram creavit, fœdus cum Abrahamo posterisque erexit, Israëlitas ex Ægypto eduxit, & Pater est Domini nostri Jesu Christi, est objectum religiosi nostri cultus: isque solus, ac præter eum nullus. Et hoc exigit Deus primo decalogi præcepto; *Non habebis Deos alienos coram me*. Quod quidem præceptum est negativum, cui tamen aliud affirmativum inclusum intelligi debet, me solum habebis pro Deo; seu, mihi soli divinitatem adscribes, & ut Deum honorabis.

Quid requiratur, ut non habeamus Deum alienum. V. Cum autem anteà natura ac attributa divina à nobis explicata sint, quæritur hîc, si quis errore aliquo circa essentiam divinam laboret, an dicendus sit alium habere aut colere Deum? Sunt quidam adeo rigidi, qui ejusmodi homines criminis hujus reos audacter pronuntiant, quoniam Deus sibi repræsentando aliter quàm rêverâ est, reipsâ Deum sibi forment alium. Sed absit, ut nos eorum temeritati accedamus. A nobis enim in hoc seculo, dum per speculum in ænigmate videmus, essentia divina perfectè & adæquatè cognosci non potest: in omnibus itaque imperfecta Dei cognitio est, quæ facile errore aliquo vitiari potest. Sufficit essentiam divinam unico illi numini, quod se illustribus suis operibus adeo clarè manifestavit, adscribere; & de Deo omnia illa credere, quæ Scriptura de eo necessariò credenda præscribit, quæque ut debitus ipsi cultus exhibeatur, ignorari non possunt. Hæc si quis firmâ fide credat, licet forte errore aliquo circa illius essentiam, quæ abdita ac abstrusa est intellectui nostro finito, & de quâ multa disputantur, laboret, eum alium habere Deum definire non audemus; veriti ne maximam Christiani orbis partem, imo forte omnes omninò, nemine excepto, criminis hujus reos agamus.

An id exigat, ut tres credamus personas in essentiâ divinâ. VI. Sed ulterius quæritur: Quoniam Deus jam in Novo Fœdere essentiam suam Filio ac Spiritui Sancto communem revelavit: An non ergo Judæi, & quicumque præter ipsos sentiunt, essentiam divinam uni ac soli Deo, quem nos Patrem appellamus, singularem esse, alienum habere Deum credendi sint; Certum est magnos Theologos criminis hujus dicam Judæis scribere. Inter alia dura ac cruda sunt verba *Nic: Vedelii*, in libello *de Deo Synagogæ*, *pag.* 137. Falsum & „blasphemiæ propinquum est, si non omni„no blasphemum, Judæum docere; quis„nam creaverit cœlum, terram, &c. Nam „is qui creavit cœlum, terram, mare & om„nia, est Pater, Filius ejus Jesus Christus, „& Spiritus Sanctus. Hoc autem Judæus ne„gat; sed fingit Deum quendam qui non sit „Pater, Filius ejus Jesus Christus, & Spiri„tus Sanctus: atque isti figmento cordis sui „tribuit creationem. Dicere igitur eum „Deum fictitium, quem Judæi colunt, „creatorem esse rerum omnium, an non „est blasphemiis & impietati ipsorum exe„crandæ participare? Sed verò, quoniam alium nullum agnoscunt Deum, quàm qui cœlum ac terram creavit, majoresque ipsorum ex Ægypto eduxit, alienum Deum habere dici non possunt: non enim aberrant ab objecto cultus divini; eandem enim nobiscum essentiam divinam agnoscunt; sed eam tribus personis esse communem ignorant. Horrendum itaque nobis est, Deum, quem Judæi colunt, vocare fictitium. Quid enim est Judæos à religione Christiana, quasi in ea alius colatur Deus ab eo quem ipsi colunt, alienos reddere? Præsertim, cum nusquam hæc fides à Deo, tanquam ad salutem necessaria, exigatur.

VII. Rectè autem præcepti hujus violatores dicuntur, qui aut negant Deum esse, aut providentiam Dei, aut alium sibi fingunt Deum, præter eum qui Israëlitas ex Ægypto eduxit; sive verum Deum prorsus rejiciant, sive illi alios fictitios adjungant, atque ita cum veri Dei cultu falsorum Deorum cultus conjungatur. *Qui sint præcepti hujus violatores.*

VIII. Præcepti hujus scopus est, omnem falsorum Deorum cultum, qui passim inter Ethnicos obtinebat, vetare. Multos siquidem Ethnici sibi finxerant Deos, & à minoribus principiis sensim increscens, tandem idololatria ad summum est perducta fastigium. Prima illius origo hæc fuisse videtur. Quia à Deo omnia in nos bona redundant, hinc Deorum nomine coluerunt ea, quorum ministerio multa ac maxima percipiebant beneficia. Hac ratione primò cultus fuit Sol, & reliqua astra, quod ipsis virtus quædam divina affixa sit. Ac quidem dupliciter: 1. Quæ origo fuit idololatriæ; ut eorum interventu Deum coli putarent, non aliter ac si Deus in illis, & non sine illis operationem ullam exerceret, aut beneficium ullum hominibus communicaret. 2. Qui fuit idololatriæ progressus; ut ipsa illa astra Deos crederent, neque ad altiorem benefactorem respicerent, singulisque propriam divinitatem, vel majorem vel minorem, pro diversâ & inæquali operatione, adscriberent. Hæc videtur antiquissima fuisse idololatria, tum ex historia Abrahami, qui cultum hunc fugisse creditur; tum ex historiâ Jobi, qui de se dicit, *cap.* XXXI. 26, 27, 28. *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum est in abscondito cor meum: & osculatus sum manum meam ore meo. Quæ est iniquitas maxi-* *Prima idololatriæ origo, cultus astrorum.*

ma,

ma, & negatio contra Deum Altissimum. Tum ex severo Dei interdicto. *Deut.* IV. 19. *Ne forte elevatis oculis ad cœlum videas solem & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea,* &c. & *Cap.* XVII. 3. *Ut vadant & serviant Diis alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi.* Tum & ex nominibus & ritibus, quibus olim indigitari ac coli solebant, quibus non alias res, quàm astra adumbrari, eorum scrutatoribus notissimum est. Non esse autem astra hæc Deos, exinde liquet: quia sunt destituta intellectu ut exaudiant preces: & libertate huic magis quàm illi benefaciendi: sed entia merè naturalia, ministerio tantum hominis destinata, & operationibus suis necessitate quâdam naturali alligata.

Postea regum defunctorum cultus, &c. IX. Post astra, vel cum & in astris, culti sunt reges & reginæ, & post mortem Dii vocati, posterorum arte, ut & ipsi majori essent venerationi populis; & eruditorum adulatione, qui, ut ipsis gratificarentur, omnes ingenii nervos intenderunt, ad ipsis divinitatis opinionem apud plebem conciliandum. Ita plures olim inter Ethnicos reges post mortem in Deorum numerum relati; quin & dedicati in stellas: ut Κρόνος in stellam Saturni, qui & dictus מלך: Astarte in Venerem; apud Ægyptios Osiris in Solem, &c. Sic & postea apud Romanos per ἀποθέωσιν imperatores defuncti Dii crediti. Quia autem sidera sub animantium figura concipiuntur, ideo & talia animantia, quasi cognationem quandam cum sideribus habeant, vel eorum vim efficacius percipiant, etiam inter Deos relata ab Ægyptiis. Hæcque tertia fuit idololatriæ propago. Sic bos dictus Apis ob lunam, &c. Tandem, indies incrementum capiente cœcitate, etiam in Deos relata animantia, ex quibus magnam homines percipiebant utilitatem.

Cur hæc vocentur Dii alieni. X. Hæc omnia vocantur *Dii alieni*: non quod revera Dii sint; sed quod gentes iis, verùm falsò, divinitatem adscriberent, & Deorum nomine appellarent: ut 1 *Cor.* VIII. 5. *Etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terrâ,* &c. Perinde uti falsi prophetæ, qui non erant, sed se prophetas venditabant, prophetæ vocantur, *Jerem.* XXVIII. 1. Et quia horum cultui dæmones se quammaximè immiscebant, imagines eorum obsidebant, & præstigiis quibusdam homines dementabant; hinc & ipsi unà cum numinibus istis culti sunt. Sic dicuntur gentes, *quæ idolis immolant dæmoniis immolare*, 1 *Cor.* X. 20. Qui ergo hæc tanquam Deos colunt, Deos habent alienos: sive cultores ipsi primi eam divinitatem sint commenti; sive à parentibus per traditionem acceperint; sive ab aliis populis assumserint aut suâ sponte, vel rationibus inducti, vel violenter coacti.

XI. Habere autem alium Deum, tria in se comprehendit, 1. Præter unicum verum Deum aliquid mente concipere aut existimare divinum esse, & illi judicio mentis nostræ divinam excellentiam tribuere: hac enim ratione creditur esse Deus. 2. Illud affectu religioso colere: qualis est amor, timor, fiducia, spes, aliique. 3. Actu externo judicium vel affectum animi nostri exprimere & testatum reddere: sc. actu honoris, cultus, adorationis, invocationis, sacrificii, gratiarum actionis, juramenti, voti, templorum exstructionis, altarium erectionis, festorum dierum in illorum honorem institutionis; & si quæ sint similia. *Habere alium Deum tria comprehendit.* Non dubium est, quin qui omnibus hisce circa rem quandam occupatur eam pro Deo habeat: non tamen omnes hi actus simul ad crimen hoc necessariò requiruntur: unus eorum, & quidem postremus, sufficit. Non enim ille tantum, qui rem quampiam verè esse Deum judicat, aut interno amoris, &c. affectu prosequitur, judicio Dei Deum alienum habet: sed & qui postremum solummodò facit; hoc est, qui externos honoris actus, qui soli Deo à veris cultoribus præstari solent, quosque sibi soli Deus vindicavit, ut sunt invocatio, &c. præstat, etiamsi id fiat sine affectu interno, imò cum protestatione contraria. Actu quippe ipso hæc ut Deos venerans, eandemque ipsis venerationem, ac si verè Deos crederet, exhibens, etiam à Deo, tanquam verè Deos credens, censetur. Vide *Esa.* XLIV. 15, 16, 17. & *Jerem.* II. 27. *Dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, tu me genuisti.* Eodem sensu, quo avaritia *idololatria*; *Eph.* V. 5. & voluptuosi *ventrem facere Deum*, *Phil.* III. 19. dicuntur. Unus itaque actus, & quidem postremus, sufficit, ut Deus alius habeatur. Omnium autem fœdissimè crimen hoc committitur per tres illos actus simul; & maximè quidem circa res viles, intellectu & libertate destitutas.

Comminatio huic præcepto addita. XII. Et quia hac actione beneficia divina abnegantur, &, vero eorum auctore neglecto, aliis falsò adscribuntur; hinc Deus crimen hoc, utpote maximè in contumeliam suam tendens, severissimè vetuit, gloriamque suam alteri dari non permittit. Sic *Esa.* XLII. 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo*: id est, non permittam ut impunè gloria mea ab hominibus alteri, hoc est, fictis Diis, detur. Criminis autem hujus rei sunt, quicunque alii, præter solum verum Deum, divinum exhibent honorem; sive non credant alium præter fictitia illa numina esse Deum, atque ita verum Deum prorsus abnegent; ut Ethnici: sive cum cultu veri Dei falsorum Deorum cultus conjungatur: ut factum fuit à gentibus, in terrâ Israëlis à Rege Assyriæ relictis: 2 *Reg.* XVII. 33. Quamvis enim eorum status minus detestandus fuerit præce-

præcedente, Deo tamen neutiquam gratus esse potuit. Atque ita verba hæc *coram me*, in præcepto illo Dei, *Non habebis Deos alienos coram me*, commodè accipi possunt, ut omnia hæc crimina excludant, tanquam significantia, non tam supra me, aut me prorsus neglecto; sed, præter me, vel juxta me, aut una mecum: vel etiam, me inspectante; ac proinde in contumeliam meam.

CAPUT XVIII.

De cultu Jesu Christi Mediatoris.

Cultus Christi Mediatoris. I. LIcet ab objecto cultus divini omnes creaturas excluserimus, non tamen hoc ad Jesum Christum Dominum nostrum, ut Mediatorem inter Deum ac homines, & gloriâ ac honore coronatum, & ad dexteram Dei Patris exaltatum, extendendum est. Quanquam enim, quatenus homo, creatura etiam est; tamen ratione exaltationis suæ & muneris mediatorii adeo longè supra omnes creaturas superexaltatus est, ut honor religiosum ipsi ab omnibus, tanquam ipsorum Domino, maxima cum animi devotione ac reverentia sit tribuendus.

Cultus Christi duplex. II. Cultus, qui Jesu Christo competit, duplex concipi potest: vel quatenus est Dei Filius, seu Deus; vel quatenus est Mediator, in mundum missus, & post a in cœlum exaltatus & constitutus rex, acceptâ potestate in omnia. Prior cultus non est alius ab eo qui Deo Patri exhibetur. Posterior cultus non est absolutè summus, & qui Christo Mediatori à se competit; sed cultui Patris subordinatus, & à Patre gratiosè ipsi communicatus: & expressè in Scriptura Christo exhiberi præcipitur. Unde liquet, ipsum non terminari in Christo ipso, sed tendere ad gloriam Dei Patris; sive expressè, sive tacitè ad Patrem referatur: perinde uti honor legato exhibitus non in legato terminatur, sed ad gloriam regis, à quo missus est, tendit. Sic *Phil.* II. 11. *Ut omnis lingua confiteatur Dominum Jesum, ad gloriam Dei Patris.* Eodem modo fides in Christum non in ipso terminatur, sed in Patrem qui eum misit: dicente ipso Domino *Joan.* XII. 45. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Et illius rejectio reverâ Dei ipsius rejectio est: *Luc.* X. 16. *Qui spernit me, spernit eum qui misit me.*

Qualis sit cultus Mediatoris. III. Cultus Christo, quatenus Mediatori nostro, exhibendus actibus similibus constat, qui Deo ipsi exhibendi sunt; ac nominatim hi recensentur in Scriptura Sacra: adoratio, invocatio, fiduciæ in eum collocatio, & gratiarum actio: quos omnes pietatis actus esse in sequentibus ostendemus. Quamquam & omnes adorationem & invocationem possent revocari: sub invocatione enim fiduciæ collocatio comprehenditur; & ad eam commodè refertur gratiarum actio. Discrimen autem inter adorationem & invocationem, ut id hîc paucis indicemus, postea fusius declaraturi, in eo consistit: quod adoratio nudam solummodò designet majestatis Jesu Christi divinæ agnitionem & celebrationem, humilemque illius cultum: eaque ostenditur externa genuflexione, aliisque corporis gestibus quibus honorem religiosum testamur: perinde uti adoratio civilis, regibus præstita, externis corporis gestibus ostendi solet. Invocatio autem est auxilii imploratio; estque cultus major adoratione, imò adorationem in se includit, & præsupponit fiduciam.

IV. Cultum hunc Jesu Christo, quatenus Mediatori, exhibendum, clarissimè ipse docet *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant unum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Cognitio enim hîc denotat cognitionem practicam, quæ cultum sibi habet conjunctum, perinde ut *Jerem.* XXII. 15. *Job.* XXVIII. 28. *Proverb.* I. 7. & I *Joan.* II. 4. IV. 7. & 2 *Thess.* I. 8. & tantumdem valet, atque ut te colant, &c. Cultum autem intelligi Christi ut Mediatoris, evincunt verba quibus describitur, *quem misisti.* *Adstruitur ex Joan. XVII. 3.*

V. Speciatim verò omnes modò memoratos cultus religiosi actus Christo ut Mediatori attribuendos, distinctè ex variis Scripturæ locis ostendi potest. Ac primò quidem, Christum esse honorandum & adorandum, docetur *Joan.* V. 22, 23. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem.* Et ne quis dicat, hic respici cultum, qui Christo respectu naturæ suæ divinæ debetur; manifestè hic redarguitur, non tantum ex eo, quod Pater omne judicium Filio dedisse legitur; quod humanam naturam necessariò respicit: sed & quia expressè *vers.* 27. Pater dicitur Filio *potestatem dedisse etiam judicium faciendi, quia Filius hominis est.* Non tamen hic æqualitas, sed similitudo tantum honoris intelligitur; ut nempe omnes religiosi cultus actus Christo exhibeantur qui Patri: tum enim ut Pater honoratur, sed inferiore gradu. Adde *Phil.* II. 8, 9, 10, 11. *Humiliavit seipsum, factus obediens ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & exaltavit ipsum Deus, & dedit ei nomen supra omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum; & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus ad gloriam Dei Patris.* Hoc loco omnia comprobantur à nobis asserta. Primò. Dominum Jesum adorandum, quia in ejus nomine omne genu flecti debet, omnisque lingua confiteri eum esse Dominum *Christus Mediator est adorandus.*

num. Secundò: Adorandum quatenus Mediatorem; quia illius fundamentum est exaltatio Patris ipsi concessa ob toleratam mortem crucis: quæ sanè in eum non ut Deum, sed ut hominem quadrant, & directè munus Mediatorium respiciunt. Tertiò. Totam hanc adorationem adorationi Patris esse subordinatam, & in Patre terminari, ex verbis ultimis, *ad gloriam Dei Patris*. Quibus tandem addatur *Hebr.* I. 6. ex *Psal.* XCVII. 7. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Invocandus. VI. Secundò. Christum esse invocandum, fiduciamque in illum collocandam, non tantum docet locus *Joan.* V. 22, 23. mox allegatus, qui eum honorari jubet, quemadmodum honoramus Patrem; ac proinde cùm Patrem invocamus, ipsum etiam invocari debere; sed & expressum Domini promissum se invocantibus factum, *Joan.* XIV. 13, 14. *Quodcunque petieritis in nomine meo* (ubi quædam exemplaria legunt, *quodcunque petieritis me*, verum non multum refert sive vocula *me* absit vel adsit) *hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Quia se facturum promittit, etiam in se fiduciam collocandam seque invocandum docet. 2. Quia Pontifex noster est, ad cujus gratiam confugere oportet. *Hebr.* IV. 14, 15, 16. ubi postquam dixisset, nos habere Pontificem per omnia sicut nos tentatum, quique proinde infirmitatibus nostris compati possit, & qui cœlos penetravit; ita hortatur: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ; ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Sanè qui jubet cum fiducia confugere ad thronum gratiæ Christi, ut misericordiam & gratiam consequamur in auxilio opportuno; etiam fiduciam in Christum collocari, ipsumque cum fiducia invocare jubet. Quid enim est *thronum gratiæ* ejus *cum fiduciâ adire*, nisi ipsius auxilium ac gratiam prece supplice cum fiduciâ exauditionis implorare? 3. Idem demonstrant exempla Apostolorum, virorumque sanctorum ac eximiorum, qui in necessitate preces suas ac supplicationes ad Dominum Jesum direxerunt. Stephanus lapidandus flexis genibus Dominum invocavit, *Domine Jesu suscipe spiritum meum*, *Act.* VII. 59, 60. Paulus, cui immissus erat stimulus carnis, & angelus Satanæ qui ipsum colaphizet, *ter Dominum* (in Græco legitur τὸν κύριον, cum articulo, quo semper Dominus Jesus designantur) *rogavit ut discederet à se*, 2 *Corinth.* XII. 8, 9. Joannes *Apoc.* XXII. 20. Dominum orat, *Etiam veni Domine Jesu*. Et ab hac Dominum invocandi consuetudine fideles denominati sunt, οἱ ἐπικαλούμενοι τὸ ὄνομα Κυρίου, *Act.* IX. 14. 1 *Cor.* I. 2. vel ἐπικαλούμενοι τὸν Κύριον. 2 *Timoth.* II. 22. 4. Huc etiam commodè referuntur vota Apostolica in initio ac fine Epistolarum suarum, quibus fidelibus gratiam ac pacem precantur à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo: quæ reverà species invocationis sunt, quâ Deum Patrem & Dominum Jesum Christum precantur, ut gratiam ac pacem suam fidelibus communicent, dona sua augeant, & perpetuò conservent. Quale votum legimus 1 *Cor.* I. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.* Et ne quis hîc cavilletur, Apostolum fidelibus non precari pacem à Domino Jesu Christo, sed à Deo Patre nostro & Domini Jesu Christi; præterquam quòd violenta hæc sit verborum detorsio; addimus alia esse loca, in quibus hæc cavillatio neutiquam locum habere potest, propter structuram vocum diversam, quæ omnem ambiguitatem tollit: ut 2 *Cor.* XIII. 13 *Gal.* I. 3. 2 *Tim.* I. 2. *Tit.* I. 4. Et præsertim 1 *Thess.* III. 11, *Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos.* Et 2 *Thess.* III. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.*

VII. Tertiò. Domino Jesu ut Mediatori gratias agendas evidentissimè comprobatur ex *Apoc.* V. 8, 9. ubi quatuor animalia, & viginti quatuor seniores dicuntur cantasse canticum novum, dicentes: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua*, &c. Et *vers.* 12, 13. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Et mox. *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* Quin & ipsa sacræ cœnæ celebratio aliud nihil nisi solennis gratiarum actio & celebratio beneficiorum Domini Jesu Christi est. Est enim annunciatio mortis ipsius, beneficiorumque morte ejus nobis partorum. Atqui illa annunciatio adeo solenniter per ritum in eum finem specialiter institutum à tota Ecclesia, propterea in unum congregata, facta, quid nisi solennis gratiarum actio est, quâ nos ipsos Domino, qui pretioso suo sanguine nos sibi in peculium acquisivit, consecramus? Unde & à veteribus, à potissima sui parte, vocatus est Eucharistia. *Illi gratiæ sunt agendæ.*

VIII. Hisce omnibus adde: Quòd omnia illi conveniant attributa, requisita ad hunc cultum, ut non tantum à nobis religiosè adorari, sed & cum fiducia invocari possit. Primò quidem summa Potestas ac Dominium in omnia, tam in cœlo quàm in terrâ, adeo ut omnibus dominetur, nihilque sit ejus dominio non subjectum. Quod docetur *Matth.* XXVIII. 18. *Joan.* XVII. 2. *Hebr.* I. 3, 4 II. 7, 8. Unde & dicitur à Deo *dexterâ* *Omnia in Christo, ad cultum requisita, sunt attributa.*

terâ ejus exaltatus princeps & Salvator, ad dandum resipiſcentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum. Etiam Angelis ipſi ſubjectis, *Eph.* I. 20, 21, 22, 23. 1 *Pet.* III. 22. adeo ut nihil excipiatur, *præter eum qui ſubjecit ipſi omnia*; 1 *Corinth.* XV. 27. Secundò: Omniſcientia, quâ omnium neceſſitates noſſe, omniumque preces, ubicunque locorum ſint, exaudire, & quo animo fundantur, noſſe poteſt. In terris adhuc exiſtens jam hominum corda noverat: *Joan.* II. 25. *Non opus ei erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Et *cap.* XXI. 17. Petrus illi dicit: *Domine tu omnia noſti; tu ſcis quia amo te.* Jam in cœlis exaltatus, poſt traditum ſibi omne imperium, ſcientiâ inferior eſſe non potuit; quin ipſe de ſe dicit, quod *ſcrutetur renes & corda*, *Apoc.* II. 23. Et paſſim illo in capite, ut & *Cap.* I. & III. Eccleſiarum *opera noſſe*, & *in medio candelabrorum aureorum ambulare* dicitur. Tertiò: Potentia, quâ omnium neceſſitatibus, quales & quantæcunque ſint, ſuccurrere, ex omnibus malis eruere, & omnium bonorum affluentiâ accumulare poteſt: *Phil.* III. 21. dicitur *reformaturus corpus humilitatis noſtræ, ut ſit conforme corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem quâ etiam ſibi ſubjicere poteſt omnia.* Quartò: Propenſiſſimus erga nos affectus, quo potentiam & auctoritatem ſuam in bonum noſtrum adhibere vult, noſtriſque infirmitatibus gratioſè ſuccurrere novit: utpote pro nobis mortuus, & per omnia perinde atque nos tentatus, ut fieret miſericors & fidelis pontifex, & ipſe tentatus etiam poſſet iis qui tentantur auxiliari: uti docetur *Hebr.* II. 17, 18. IV. 15, 16. X. 22, 23.

A duobus hominum generibus hæc doctrina impugnatur. IX. Hæc doctrina à duobus hominum generibus impugnatur. Alii admittunt quidem Chriſtum Mediatorem invocandum; verùm non quà Mediatorem, ſed quà Deum: officium quippe Mediatorium non eſſe rationem propter quam Chriſtus invocandus eſt, ſed ſolummodò naturam ejus divinam. Atqui contrarium jam oſtendimus ex *Joan.* V. 22, 23. *coll. cum* 26, 27. & ex *Phil.* II. 8, 9. *&c.* in quibus duobus locis ratio adorationis ſtatuitur gloria ac poteſtas Chriſto data, *quatenus Filius hominis eſt*, & quia *Patri obediens fuit ad mortem uſque crucis*: qui duo textus nimis dilucidi ſunt, quàm ut diſtinctiunculâ Scholaſticâ enervari aut obſcurari queant. Alii autem Chriſtum planè invocandum negant, quidam etiam nec adorandum concedunt; quia ipſum ut regem actu in cœlis regnantem non agnoſcunt. Omnes argumentis quibuſdam utuntur communibus, quibus Chriſti, quatenus Mediatoris, cultum impugnant.

Reſpondetur ad objectionem X. Primò objiciunt præceptum, quod exſtat *Deut.* VI. 13. & à Domino Jeſu diabolo ipſum tentanti ut ſe adoraret objectum, *Matth.* IV. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Reſp. 1. Solus Deus eſt adorandus, quatenus ex ſeipſo ſolus dignus eſt qui adoretur; & quatenus nulli alteri, abſque expreſſo ejus mandato, adorationis honorem tribuere licet. Atqui exinde non ſequitur, Deum Filio ſuo, à ſe in mundum ut Mediatori miſſo, reſpectu muneris ſui hunc honorem non poſſe communicare: præſertim cùm ſit inferior honoris ſpecies, quæ ad gloriam Dei ipſius tendit. Videmus Deum attributa quædam ſua hominibus, ſed ſpecie ac gradu inferiore, communicare, quæ tamen ex ſe ſolus poſſidet. Ita ex ſe ſolus Deus eſt immortalis, 1 *Tim.* VI. 16. ſolus eſt renum ac cordium ſcrutator, *Jerem.* XVII. 9, 10. ſolus futura prædicere novit, *Eſa.* XLI. 22. Immortalitatem tamen communicavit Jeſu Chriſto homini, & angelis, nobiſque in futuro ſeculo eam communicaturus eſt: Scrutationem renum ac cordium Jeſu Chriſto homini, uti vidimus: Prædictionem futurorum non tantum Jeſu Chriſto homini, ſed & ſæpius Prophetis. Quid ni & Filio ſuo, tanquam legato ſuo, munere ſibi demandato fideliter functo, & ad ſummam in cœlo dignitatem evecto, omnibuſque, quibus invocatio innititur, attributis prædito, invocationis gloriam communicare poſſit, quemadmodum eum communicaſſe oſtendimus? Quod verò reſponſionem Domini diabolo factam attinet, nihil ex ea contra nos concludi poteſt. Dominus ſiquidem in gravi hac tentatione poſitus, & à diabolo ad fœdam ſub ipſo ſubjectionem ſollicitatus, Patri ſuo honorem dare voluit. 2. Agebatur de eo, quem ipſe Chriſtus adorare tenebatur: is autem alius eſſe non poterat præter Deum Patrem: nullum enim præter Deum Patrem Chriſtus Mediator ſe ſuperiorem agnoſcit. Sed exinde concludere, Deum non potuiſſe Jeſu Chriſto gratioſè hunc honorem communicare, infirmum admodum eſt. Rex etiam ſolus in regno ſuo adorari (cultu ſcil. civili) & coli debet: Pharao tamen honorem illum communicavit Joſepho, abſque ulla honoris ſui imminutione. At quia Joſephus, dignitate regi proximus, nullum in Ægypto præter Pharaonem regem civili adoratione honorare potuit; exinde neutiquam concludi poteſt, omnibus Ægyptiis illicitum fuiſſe Joſephum, quem rex expreſſo mandato honorari ac adorari juſſit, juxta Pharaonis mandatum adorare.

ex Deut. VI. 13. *& Matth.* IV. 10.

XI. Secundò objiciunt, Deum dicere *Eſa* XLII. 8. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Reſp. Dicit hoc Deus ad excluſionem idolorum gentilium: nam additur, *& laudem meam ſculptilibus.* Senſus itaque verborum eſt, *gloriam meam alteri non dabo*, id eſt, non per- *Ex Eſa.* XLII. 8.

 mittam

mittam ut gloria mea alteri detur ab Israëlitis, impunè scilicet. Hoc sensu vox *dandi* accipitur pro permissione, *Psal.* XVI. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Idola enim sunt alia à Deo, & honor in illa collatus in ignominiam Dei cedit. Christus autem non est alter à Deo, sed Filius & legatus Dei, atque ita unum cum Patre. Sic *Joan* X. 30. *Ego & Pater unum sumus. Cap.* XVII. 22. *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Unde & Dominus dicit *Joan.* XIV. 9. *Qui videt me, videt & Patrem.* Et 1 *Joan.* II. 23. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Et honor, ipsi exhibitus, in honorem Patris tendit. Neutiquam verò sequitur, Deus non permittet, ut gloria sua alteri impunè detur ab hominibus: Ergo ipse gloriam suam Filio suo ut Mediatori communicare non potest. Sanè non reges permittunt gloriam suam impunè alteri dari: Legatis tamen suis eam ipsi dant, quos si quis honoret, in ipsis regem honorat, & qui contemnit in ipsis etiam regem contemnit. Itaque tantum abest ut honor hic cum honore idolis exhibito conferri debeat, ut conferendus sit cum honore Josepho ab Ægyptiis ad mandatum Pharaonis delato: honor autem idolorum, cum honore, quem subditi rebelles regis sui hostibus in regis contumeliam deferunt.

Et Jerem. XVII. 5. XII. Tertiò: Proferunt *Jerem* XVII 5. *Maledictus qui confidit in homine.* Atqui Jesus Christus ut Mediator est homo. *Resp.* Quid hic textus commune habet, cum honore Jesu Christo ut Mediatori delato? Reprehenduntur hîc, qui viribus merè humanis confidunt: *Homo* itaque significat hominem fragilem: quod sequentia comprobant: *Et ponit carnem brachium suum*: id est, qui innititur viribus hominum, qui *caro*, id est, fragiles sunt. Hoc sensu vox *caro* accipitur *Esa.* XL. 6. *Omnis caro fœnum.* Et *cap.* XXXI. 3. *Ægyptus homo & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus.* Similiter & vox *homo* vulgarem notat hominem. Ita Samson inquit *Judic.* XVI. 7. *Si septem nerviceis funibus, necdum siccis & adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut homo. Psal.* LXXXII. 6, 7. *Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini.* Et non alios designari, sequentia clarius docent, *& cor ejus recedit à Deo.* Qui enim humanis viribus confidunt, fiduciam in Deum abjiciunt, & neglecto Deo homines respiciunt: talibusque Deus exitium denuntiat, *Esa.* XXXI. 1, 2, 3. Et vitium hoc reprehenditur in rege Asa, aliàs pio, quod *fiduciam habuerit in rege Syriæ, & non in Domino Deo suo; & in infirmitate sua non quæsivisset Dominum, sed magis in medicorum arte confisus fuisset*, 2 *Chron.* XVI. 7. & 12. Atqui Dominus noster Jesus Christus in cœlum exaltatus non est caro, sed spiritus vivificus, imperium habens in omnia, & omniscientiâ ac potentiâ donatus à Deo Patre suo. Qui itaque illi confidit, non confidit carni, neque cor ejus recedit à Deo; sed obsequitur Deo, adeoque non alii nisi ipsi Deo confidit: quemadmodum *qui in ipsum credit, non in ipsum credit, sed in eum qui misit ipsum*, *Joan.* XII. 44.

Et quod adorabilitas sit proprietas incommunicabilis Dei. XIII. Quartò objiciunt. Adorabilitas est proprietas incommunicabilis Dei. *Resp.* Adorabilitas independens, & quæ ex essentia fluit, est proprietas incommunicabilis Dei: adorabilitas autem, quæ ex gratiosa Dei donatione est, non requirit necessariò essentiam divinam. Dices. Ad adorabilitatem requiritur Omniscientia & Omnipotentia. *Resp.* Non essentialis & absoluta; sed ea quæ necessaria est ut omnes adorantium cogitationes & preces noscantur, & omnibus eorum necessitatibus succurri possit. Atqui utramque Jesu Christo, ut Mediatori, competere ostendimus. Dices. Qui Christum ut hominem glorificatum summo honore colunt, nil nisi idolum cerebri sui adorant. *Resp.* 1. Non colimus cum summo honore; sed Patris honori subordinato. 2. Qui Christum à Deo non exaltatum suâ opinione à Deo exaltatum fingeret, eique absque ullo præcepto divino cultum religiosum exhiberet, reverà cerebri sui idolum adoraret: nunc verò, cùm Deus Christum gloriâ ac honore coronaverit, nobisque ut talem adorandum dederit, absque summa injuria cerebri nostri idolum appellari non potest; sed rex à Deo nobis datus, ad quem confugere tenemur: & cultus mandato divino illi delatus non idololatria est, sed cultus Dei ad honorem Dei tendens. Dices. Mandatum illud divinum pro fundamento suo habere deberet, vel solam Dei voluntatem & imperium, vel aliquam præterea creaturæ istius excellentiam & dignitatem. Neutrum dici potest. Non prius: quia tum omnes creaturæ, etiam inanimes, etiam lutum ipsum divino honore affici possent, si modò Deus juberet, qui istud etiam jubere posset. Non posterius; quia ad cultum religiosum fundandum non quælibet, sed summa excellentia requiratur, & honor ille divina attributa præsupponat. *Resp.* Utrumque simul requiritur. Non enim fieri potest, ut Deus creaturam aliquam illo honore dignetur, nisi eam ad illud dignitatis fastigium evehat, & potestate, scientiâ ac potentiâ donet, ut invocantibus opitulari, ac proinde adorari possit. Non enim præceptum Dei absurdum aut irrationale esse potest. Tantâ autem potestate, scientiâ ac potentiâ Dominum Jesum à Deo Patre donatum esse, ante ostendimus.

XIV. Qui verò Christum planè adorandum aut invocandum negant, ii ratiunculis præterea quibusdam utuntur, quæ aliquatenus in argumentis jam refutatis compre-

hen-

henduntur, ac proinde in illorum refutatione jam soluta sunt: aut munus Christi Regium concernunt, quod Dominum jam actu administrare non agnoscunt. Sed cùm jam in præcedentibus Domino Jesu regnum suum ab eorum objectionibus vindicaverimus, etiam omnia argumenta, quæ exinde petuntur, per se corruunt.

CAPUT XIX.

De Cultu Angelorum, & Sanctorum mortuorum.

Sententia Pontificiorum de cultu Angelorum, & Sanctorum mortuorum.

I. Quæritur porrò, quid de Angelorum & Sanctorum mortuorum cultu, in Ecclesia Pontificia usitato, dicendum sit? Ut rectè de eo judicemus, sciendum qualem illis cultum exhibeant & exhiberi velint Pontificii. Distinguunt hìc inter cultum δουλείας & λατρείας, tanquam inter cultus speciem inferiorem & superiorem: cultu λατρείας, qui summus est, solum Deum docent adorandum: cultu verò δουλείας, qui inferior est cultus, attamen religiosus, Angelos & Sanctos mortuos. Quæ distinctio, licet in Scripturis fundata non sit, quæ cultum Dei modo voce δουλείας, ut 1 *Thess.* 1.9. modò voce λατρείας, ut *Hebr.* IX. 14. exprimit, & LXX. cultum Dei enuntient per δουλεύειν, 1 *Sam.* VII. 3. *Psal.* II. 11. servitium autem quod præstatur hominibus per vocem λατρεύειν, *Deut.* XXVIII. 48. admitti nihilominus potest, tanquam diversas species ac gradus cultus designans. Invocatio itaque ad Angelos & Sanctos mortuos directa non fit ad impetrandam à Sanctis remissionem peccatorum & salutem, aut alia quæcunque beneficia: sed ut preces invocantium, tanquam amici Dei, Deoque propiores ac conjunctiores, Deo offerant: quia nempe invocantes ipsi indigni sunt, qui rectà & immediatè ad Deum confugiant, Sanctorum intercessione indigent, qui preces ipsorum Deo commendent. Statuunt autem Pontificii, non quidem necessariam esse hanc invocationem, sed piè tamen & utiliter institui. Ita *Bellarminus de Beatit. Sanct. lib.* 1. *cap.* XIX. *Synodus Tridentina Sess.* XXV. Interim damnant eos, qui negant Angelos aut Sanctos invocandos esse: & totâ praxi suâ videntur invocationis illius necessitatem inducere; adeo magis familiare inter eos est ad sanctos quàm ad Deum confugere. Illud etiam animadvertendum, honorem, qui Angelis exhibetur, exilem admodum esse, præ honore, quem exhibent Sanctis mortuis. Nos utrumque cultum distinctè examinabimus; & deinde utrumque aliquot argumentis communibus impugnabimus.

Contra cultum

II. Quod itaque Angelorum cultum attinet: nullum ejus præceptum exstat in Scriptura, nec ullum indicium eum Deo placere; nulla promissio, nulla remuneratio ejus qui invocavit; nulla comminatio, nulla pœna in eum constituta, qui non invocavit: nullum etiam illius invocationis exemplum. Ac proinde concludi non potest, Deo gratum esse cultum: imo cultum esse vitiosum concludi debet; quia proficisci nequit ex certâ animi persuasione eum à Deo probari: Atqui quod sine istâ persuasione fit, peccatum est, *Rom.* XIX. 23. Dices. Præceptus quidem non est, sed nec vetitus est. Resp. In terminis quidem Angelorum cultus, quomodo in Ecclesia Romana viget, vetitus non est: attamen generali illo præcepto, *Dominum Deum tuum adorabis, illique soli servies*, *Matth.* IV. 10. omnis cultus, præterquam soli Deo exhibitus, vetitus est, nisi Deus speciali præcepto aliquem excipiat, cui cultum exhiberi præcipiat. Quod cum nusquam de Angelorum cultu legatur, etiam generali illo præcepto vetitus censeri debet: saltem certâ animi persuasione, quòd à Deo non improbetur, præstare non potest. Quod sufficit ad eum rejiciendum.

Angelorum argumentum primum.

Secundum.

III. Secundò. Angeli sæpe invocantibus se præsentes non sunt, ac proinde invocantium preces exaudire nequeunt. Verum est, mittuntur à Deo ut fideles protegant: *Psalm.* XXXIV. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et *Hebr.* I. 14. vocantur *ministratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Sed eos semper fidelibus præstò esse dici nequit: multò minus unicuique à nativitate sua peculiarem esse assignatum Angelum, cujus tutelæ traditus sit: cum Angeli plerumque in cœlis sint; saltem præsentes esse nesciantur: ac proinde cùm fide ad ipsos precatio institui non possit. Præterea precantium affectus, quatenus interni sunt, non cognoscunt; utpote non καρδιογνῶσται: ac proinde incerti, utrum pio an simulato affectu proferantur. Dices: Angelos in cœlo essentiam Dei intuentes, omnia etiam in illa intueri. Sed illud jam antea, cùm de Angelis ageremus, refutatum est. Essentia quippe Dei propriè non videtur, sed ejus majestas ac gloria. Et Angeli, in cœlo licet, multa ignorant: ut diem judicii, *Matth.* XXIV. 36. mysterium vocationis gentium, *Eph.* III. 9, 10. & alia statum fidelium concernentia, 1 *Pet.* I. 12. Dices. Attamen dicitur *Luc.* XV. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Resp. 1. Inde non sequitur ipsos absentes posse exaudire, aut corda nosse: potuit quippe Deus ipsis peccatoris resipiscentiam revelare. 2. Non dicitur gaudium Angelorum fore super peccatore resipiscente: sed *coram Angelis*: atqui illud est gaudium Dei, quod Angeli

geli vident. Et hunc sensum tota parabolæ ratio postulat: Deus enim comparatur pastori qui ovi, & mulieri quæ drachmâ repertâ vicinis gaudium suum testatur; Angeli autem vicinis, coram quibus gaudii testatio fit.

Tertium. IV. Tertiò. Angelorum cultus expresse vetatur *Coloss.* II. 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum*, &c. Et notandum hîc eundem prætextum damnari, quem Pontificii invocationi Angelorum prætendunt, nempe speciem humilitatis, quasi ipsi indigni sint, qui rectâ ad Deum se conferant. Quin & Angeli præsentes se adorari expresse vetuerunt, *Apoc.* XIX. 10. & XXII. 9. Dices: Joannes tamen Angelum adorare voluit: non itaque illicitum credidit. Resp. Erat turbatus splendore Angeli, nec satis mentis commpos: sed cum adorationem meditaretur, reprehensus fuit ab Angelo. Dices. Reprehensus fuit, quia angeli σύνδουλος, quoniam erat Apostolus, & indignum ut collegæ collegis eum exhibeant honorem. Resp. Non dicit se tantum Apostoli σύνδουλον, sed addit, καὶ τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου, *cap.* XXII. 9. Illi autem sunt in genere omnes Christiani: imò *Hebr.* I. 14. dicuntur Angeli *ministratorii spiritus, in ministerium hominum qui hæreditatem capient salutis missi.* Si itaque hæc ratio contra Angelorum adorationem valet, quod sint σύνδουλοι, à nullo Christianorum adorari debent.

Respondetur ab objectionem. V. Objiciunt; In Veteri Testamento sæpe leguntur Angeli adorati, *Genes.* XVIII. 2. ab Abrahamo. *Cap.* XIX. I. à Lotho: & *vers.* 19. & *seqq.* preces suas ad eos direxit Lothus. *Cap.* XXXII. 30. Jacob benedictionem ab Angelo petit. *Jos.* V. 14, 15 Angelus legitur adoratus à Josua. Et ita alibi. Resp. I. Non absentes, sed præsentes adorati sunt Angeli. 2. Comparuerunt tunc nomine Dei, tanquam ejus legati, quibus Deus nomen suum imposuerat, uti dicitur *Exod.* XXIII. 21. Personam itaque Dei repræsentantes, etiam honorem sibi convenientem receperunt. Nunc autem omnis potestas ad Jesum Christum Angelorum Dominum est translata: Angelique sub Euangelio tantum comparent ut conservi fidelium. 3. Quod singula exempla attinet. Abraham angelos tantum cultu civili adoravit, putabat enim esse homines; ad morem populorum orientalium, quibus mos iste adorandi usitatus erat. Sic legitur adorasse coram Hethæis, *Genes.* XXIII. 7. & Jacob septies adorasse coram Esavo, *Genes.* XXXIII. 3. Reliqui allocuti fuere Angelos præsentes, tanquam legatos Dei personam Dei gerentes. Et speciatim quod Jacobum attinet, qui sibi ab Angelo benedici petit, non petit, ut Angelus pro ipso Deum oret, sed ut, tanquam Dei legatus, ipsum donaret benedictione aliquâ.

VI. Quod Sanctos mortuos attinet. I. Notandum Pontificios multos Sanctos effinxisse, & colere, qui nunquam in rerum natura fuerunt: quales sunt Christophorus, Longinus, Georgius, Catharina Senensis, Ursula cum undecim mille virginibus, Rochus, aliique: tum & varii Sancti, quorum mentio in Legenda aurea, cujus auctorem Ludovicus Vives vocat, *hominem ferrei oris & plumbei cordis*: addit *Melchior Canus Loc. Theol. lib.* XI. *pag.* 658. *animi certè parum severi & prudentis.* 2 Multos, qui reverà Sancti non fuerunt, sed homines crudeles & sanguinarii; ut Dominicus, auctor inquisitionis: de quo propterea in legenda ejus narratur, quod mater gravida se canem ore ardentem titionem gestantem parere somniaverit: vel stolidi & insipientes; ut Franciscus avibus ac bestiis concionans; quoniam sc. Dominum præcepit, *prædicate Euangelium omni creaturæ*, *Marc.* XVI. 15. Vel si reverà Sancti extiterunt, tot mendaciis ipsorum historia est referta, ut difficile sit veritatem eruere; imo indigna de iis conficta, & *sancti tales exhibiti, quales ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent;* uti *Melchior Canus dicto libro pag.* 651. rectè observat. Sed verò, posito Sanctos illos verè exstitisse, historiam vitæ ipsorum fideliter scripto traditam: neutiquam tamen ad eos invocationem nostram posse dirigi contendimus; quod hisce rationibus comprobamus. *Multi inter Pontificios sancti ficti.*

VII. Primò. Non constat, Sanctos statim post excessum ex hac vita frui plenâ beatitudine & visione Dei. Esse pro ratione status sui beatos, & spe futuræ vitæ & bonâ conscientiâ gaudere, nullo modo dubitandum videtur: sed qualis ac quanta illa beatitudo sit, quis exponet? Saltem ipsos non frui plenè gloriosâ Dei visione, inde constat, quia ultimus hostis nondum est destructus, mors scilicet: illa enim ultimo demum die destruenda dicitur, I *Cor.* XV. 26. Atqui sine ejus destructione plenus triumphus esse nequit. 2. Et licet plenè triumpharent, non possent tamen invocantium absentium preces magis exaudire, quam Angeli: non enim magis quàm illi sunt omniscii. Imo animæ à corpore separatæ organis iis sunt destitutæ, quæ ad percipiendum invocationem requiruntur 3. Dicuntur non curare ea quæ sub sole geruntur, *Eccles.* IX. 5. *Sanctorum cultus impugnatur.*

VIII. Hisce nunc subjungimus argumenta, quibus utrumque cultum, tam Angelorum, quàm Sanctorum mortuorum, simul impugnamus. *Contra utrorumque cultum.*

IX. Primò. Eorum invocatio injuria est Deo; quoniam sine Dei præcepto aut expresso consensu Angelis & Sanctis attribuitur. 2. Bonitatis divinæ honorem non parum obscurat, quasi Angeli & Sancti promptiores sint ad nobis succurrendum, quàm ipse *Argumentum primum.*

Deus

Deus. Dices. Imploramus quidem opem viventium, ut illi precibus suis pro nobis apud Deum intercedant. Resp. 1. Non imploramus absentes, nec cum cultu religioso. 2. Officium hoc est mutuum, quod alios pro aliis præstare voluit Deus, *Jacob.* v. 16. non ut eorum meritis fidamus; sed ut illi preces suas nostris conjungentes majorem Deum flectendi virtutem habeant. Alia autem est ratio invocationis Angelorum, quâ ipsorum opem imploramus, tanquam si ipsi sint promptiores ad nostrum auxilium. Dices. Non ut promptiores, sed quia nos indigni sumus qui rectâ Deum accedamus, causam nostram Dei amicis commendamus. Resp. Deus vult ut directè ad se accedamus, nunquam autem nos ad Sanctos ablegavit. Dices. Potest Deus orari per Sanctos, ut nobis propter Sanctorum merita velit dona sua largiri. Resp. Potest quidem in precibus nostris mentio fieri Sanctorum, quibuscum Deus fœdus erexit, in cujus partem pii veniunt: ut nempe fœderis ac promissionum suarum meminisse velit. Ita olim Israëlitæ Deum precati sunt, ut memor fœderis cum Abrahamo, &c. erecti ipsis parcere velit: quoniam enim Deus respectu promissionis suæ parentibus factæ posteris gratiam facit, uti liquet 1 *Reg.* xv. 4. etiam promissionis illius in precibus mentio fieri potest. Sed ut per eorum merita à Deo exaudiri petamus, Deo planè injurium est. Et sive per merita sua Sancti intercedere dicantur, sive nobiscum orare tanquam sanctiores aut Deo conjunctiores, perinde est.

Secundum. X. Secundò. Christo Jesu Domino nostro injuria est. Nam invocatione hac considerantur ut Mediatores inter Deum & nos. Atqui hoc Jesu Christo unico inter Deum & homines Mediatori injurium est: sive Sancti considerentur ut Christo collaterales, sive ut subordinati. Si ut collaterales, injuria est manifesta: quia soli Christo dignitas remissionem impetrandi pro nobis, sive per oblationem, sive per intercessionem, à Patre concessa est. Et sane si respiciamus ad cultum Mariæ, quem ὑπερδουλείαν vocant, non tantum illa Christo coordinari, sed & supra Christum collocari videtur, quando invocationes ad eam instituuntur, tanquam cœli reginam, ipsaque oratur, ut jure matris Filio imperare velit. De quibus vide *Chemnit. Exam: Con. il. Trident. part. 3. pag. 130. & seqq.* Qui cultus ὑπερδουλείας adeo eximius est & sublimis, ut à cultu λατρείας à doctissimis vix discerni queat; saltem ab imperita plebe utrumque confundi admodum proclive est: atque ita plebs, etiam ipsorum Doctorum judicio, in manifestissimum idololatriæ committendæ periculum conjicitur: quod vel unum cultui huic abrogando sufficere debebat. Si ut Christo subordinati, non minus manifesta injuria est: considerantur enim tum ut mediatores magis erga nos propensi, quàm ipse Jesus Christus. At quid magis detrahit propensissimæ illius erga nos misericordiæ, qui ipse pro nobis mortuus est, & per omnia sicut nos tentatus, ut misericors esset Pontifex, iisque qui tentantur posset succurrere, *Hebr.* 11. 17, 18.

XI. Tertiò. Nec ad honorem Sanctorum tendit hæc invocatio, & quidem triplici respectu. 1. Quòd amici Dei credantur magis misericordes, quàm Deus ipse. 2. Quòd preces Deo offerant, quas quo animo sint fusæ ignorant. 3. Quod oblatas ab ipsis impiorum ac hypocritarum preces rejici à Deo ipsis contumeliosum sit. *Tertium.*

XII. Quartò. Tandem & noxia est pietati. 1. Quia vult introducta videri sub specie humilitatis: & interim veram humilitatem, quam majestas Dei requirit, pessumdedit: rarius enim Deum, sed sæpius Sanctos invocantes, ad eam animi demissionem, quam majestas Dei exigit, se non componunt. 2. Sub prætextu commiserationis facilioris obtinendæ, quidlibet, etiam injusta & inhonesta, petendi audaciam introduxit: de quo vide egregiè Erasmum, in *Peregrinatione religionis ergo.* 3. Sub conceptu meritorum, quæ Sanctis attribuuntur, quæque invocantibus applicari posse creduntur, vitæ dissolutioris consuetudinem confirmat. *Quartum.*

XIII. Si autem inspiciamus Ecclesiæ Romanæ praxin, modus in cultu hoc adeo apertè exceditur, ut & moderatiores inter ipsos varios illius abusus notarint. Et licet Doctores in scriptis suis eos non approbare velle videantur, quia tamen eos in plebe non reprehendunt, sed tolerant, imò commendant, reverâ approbare colligendi sint, sed propter fœditatem, ne idololatriæ arguantur, non audere defendere. Accedunt & aliæ species cultus, minimè ferendæ, quòd vota concipiantur in nomine Sanctorum; tum & peregrinationes instituantur ad loca ubi passi sunt, aut ubi speciatim coluntur, tanquam sanctiora: ac tandem, quòd dies festi in eorum memoriam instituuntur, ipsorumque imagines in templis proponuntur, coram quibus reverentiæ signa exhibentur. Hæc enim omnia opinionem quandam si non divinitatis, saltem consortii in imperio cœlesti cum Deo & Jesu Christo, procreare apta sunt. Quod in Dei ignominiam tendere res ipsa loquitur. *Praxis Ecclesiæ Romanæ.*

XIV. Verus itaque honor, qui Sanctis mortuis debetur, hic est: ut eorum laudes prædicemus, eorum memoriam, tanquam fortium pro nomine Christi athletarum, celebremus, Deoque gratias agamus, qui ad ea sustinenda homines per se fragiles spiritu suo idoneos reddidit. Ut eorum facta in exemplum proponamus, eaque imitemur. Sic Sanctis summam tribuimus gloriam, Deoque nihil derogamus. *Verus Sanctis mortuis debitus honor.*

CAPUT XX.

De Amore Dei.

Actus pietatis sunt vel interni, vel externi.

I. HActenus de objecto pietatis: sequuntur illius partes. Pietas alia est interna, alia externa. Quæ non est divisio in species, sed in partes: utraque enim ad pietatis integritatem requiritur. Nam & pietas animi actibus externis sese ostendere debet; & actus externi nisi ex animo pietate imbuto procedant, mera tantum sunt simulatio & hypocrisis. Actiones itaque pietatem constituentes, secundum hanc distributionem, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ sunt Amor, Honor, Fiducia, Spes, & Timor. De singulis quædam dicemus.

Amor Dei duplex.

II. Amor, qui in Deum fertur, vel Deum considerat ut summum bonum & boni summi largitorem, vel ut legislatorem. Amor in Deum ut summum bonum, est desiderium unionis cum Deo, bonisque divinis fruendi. Amor in Deum ut legislatorem est observatio mandatorum divinorum: juxta illud Domini, ***qui præcepta mea habet, eaque observat, is est qui diligit me, Joan.*** XIV. 21. Legislatorem enim quâ legislatorem amare, est mandatis ejus obtemperare. Priore modo Deus necessariò amatur. Omnes enim summum bonum necessariò amant, & nemo bonum, ut bonum consideratum, odisse aut aversari potest. Consideratus autem ut legislator non necessariò amatur; quia consideratur ut multa præscribens carni ingrata, sed & ab altera parte majora promittens bona. Hic itaque homo, inter fruitionem præsentium, & spem futurorum medius constitutus, liberè vel futura, vel præsentia præferre potest, atque ita Deum ejusque mandata vel amare, vel odisse. Habetque hic posterior amor pro fundamento priorem. Quia enim Deum amamus u summum bonum summique boni largitorem, eique ut tali uniri cupimus, etiam illi ut legislatori obtemperamus, ut ita ipso tanquam bono summo fruamur.

Amoris Dei varia significationes.

III. Amor autem Dei, hoc posteriore sensu acceptus, significat vel totam sanctitatem in universum, omniaque officia nobis à Deo præscripta. Sic dicitur 1 *Joan.* V. 3. ***Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus observemus.*** Et *cap.* II. 5. ***Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est.*** Sicut amor Christi significat obedientiam mandatorum Christi, *Joan.* XIV. 21. XV. 13, 14. Et hoc sensu sancti & fideles, quibus salus adscribitur, vocantur ***diligentes Deum***, *Rom.* VIII. 28. 1 *Corinth.* II. 9. Vel strictius, omnia illa officia quæ Deum spectant: ut in iis locis, quibus lex universa dicitur comprehendi amore Dei & proximi: ut *Matth.* XXII. 37, 38, 39, 40. Et hoc sensu amor Dei idem erit cum pietate. Sed neutro sensu hîc amorem Dei accipimus, quia eum consideramus ut partem, seu actionem specialem, & quidem internam, pietatis.

Quo sensu hic accipiatur.

IV. Itaque strictiore eum significatu accipimus, ut designet affectum, quo desideramus, ut ea fiant tum à nobis, tum ab aliis quæ Deo grata sunt, ut intimam cum Deo conjunctionem consequamur. Hæc enim amoris natura est, ut rei amatæ intimè uniatur, & propterea illi quam maximè similis esse studeat; ea sectetur quæ illi grata, & studiosè caveat quæ illi ingrata esse, conjunctionemque cum ea turbare, novit.

Causæ, quibus ad eum excitamur.

V. Causæ, quibus ad amorem hunc excitamur, omnes recidunt in considerationem Dei ut summi boni, summique boni largitoris. Vel enim petuntur à præstantia Dei, qui Optimus est & Maximus, ac proinde supra omnia expetendus. Vel à beneficiis divinis, omnem nostrum captum superantibus, Creatione videl. Providentiâ, ac potissimum Redemtione; in quibus amorem suum erga nos luculentissimè demonstravit, nobis benefaciens, nobisque peccata remittens. Qui amor exinde commendatur, quod immeritos, imo contrarium meritos, dilexit, ut dicitur *Rom.* V. 8. ac proinde, quod sit gratuitus ac impromeritus, qui summus amoris gradus est. Quibus adde beneficia innumera singulis nostrum speciatim collata pro multiplici beneficentia divina. Quæ omnia vincula & compedes sunt, quibus ad amorem Dei constringamur. Vel bona cœlestia ac futura, quæ Deus juxta promissum suum in cœlo nobis reposita habet, & in fine seculorum nobis donaturus est. Hæc enim omnia faciunt, ut præ desiderio bonis illis fruendi, toti feramur in obsequium divinum, nihilque nobis mandatis divinis suavius sit.

Amoris Dei signum primum.

VI. Sed tamen quia facile contingit, hominem præ nimio sui amore falsâ specie delusum, se probè amore Dei imbutum credere, cum eo sit destitutus, vel saltem non prout oportet imbutus; signa quædam proponemus, ex quibus unusquisque animum suum rectè explorans, dignoscere poterit, an verus Dei amor in corde suo regnet. Primum ergo signum est, non diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia dilectio mundi amori divino contraria est. Mundus enim carnalia & præsentia offert: Deus jubet, ut, carnalibus ac præsentibus hisce abnegatis, spiritualia ac futura quæramus: amor itaque amori contrarius est, alterque alterum exstinguit, nec simul in eodem homine subsistere possunt: aut enim terrena præferenda sunt cœlestibus, aut cœlestia terrenis. Sic expressè passim docetur, amorem Dei cum amore mundi & concupiscentiarum carnalium simul consistere non posse: 1 *Joan.* II. 15, 19.

15, 16. *Rom.* VIII. 7. *Jacob.* IV. 4. & nominatim *Matth.* VI. 24. *Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut uni adhærebit; & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Qui itaque, ut mundo bonisque mundanis fruatur, unum, licet è minimis Dei mandatis, transgredi proponit, in hoc amor Dei non est.

Secundum. VII. Alterum est delectatio, quando facimus, aut ab aliis fieri videmus. quæ Deo grata sunt: & tristitia, quando Deo ingrata aut à nobis facta sunt, aut ab aliis fiunt. Vero enim amatori grave est, aliquid rei amatæ ingratum fieri. Tali amore Dei imbutus fuit David, qui de se ait *Psal.* CXIX. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.* Et vers 139. *Tabescere me fecit zelus meus; quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et Lothus 2 *Pet.* II. 8. cujus *anima justa de die in diem cruciabatur iniquis* Sodomitarum *operibus*.

Tertium. VIII. Tertium. Dolor, si non continuò progressus faciamus in pietate. Vero enim amatori grave est non proficere, etiamsi non retrocedat: imò non proficere ipsi retrocedere est. Amor enim cum re amata propiorem semper communionem desiderat.

Quartum. IX. Quartum. Ardens cum Deo colloquendi studium, quod sese exserit crebrâ precatione, & assiduâ verbi divini lectione; tum & cœtuum piorum, ubi de verbo divino disseritur, frequentatione; & tandem, crebris de Deo verboque ejus sermonibus. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ita David passim de se testatur *Psal.* CXIX. quod verbo Dei afficeretur, non aliter ac si mel ore gustaret; idque continuò meditaretur: & alibi piorum cœtibus interesse desiderat, nihilque sibi gravius contingere conqueritur, quàm à templo & piorum cœtibus exclusum esse. Sic enim cum Deo colloquium instituimus: precantes quippe alloquimur Deum: verbum autem Dei legentes, Deum nobis audimus loquentem.

Quintum. X. Quintum. Ardens erga gloriam Dei zelus, qui se prodit, quando majori cum indignatione nomen Dei blasphemari audimus, quàm convitia in nos conjici. Talis zelus fuit in Paulo, qui, urbem Athenas idololatriæ quammaximè deditam conspiciens, spiritu turbabatur, *Act.* XVII. 16.

Sextum. XI. Sextum. Dilectio proximi, opere sese prodens: ea enim si absit, nec amor Dei adesse potest: dicente Joanne 1 *Epist.* IV. 20, 21. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo; ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Modus amandi Deum. XII. Modus amandi Deum est, ut Deum diligamus sine modo. Quò intensior, eò excellentior & Deo gratior est. Exprimit eum Dominus *Matth.* XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Amandus ergo Deus est supra omnia; ita quidem, ut nullus erga creaturam aliquam, qualiscunque ea sit & quantumvis nobis grata, affectus nos alliciat, ut quicquam, quo Deum offendi novimus, committamus; sed parati simus nos ipsos totos illi devovere, & in ejus gratiam omnia, etiam charissima pignora, deserere, quin & vitam ipsam pro ipsius gloria profundere. *Matth.* X. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Vide & *Luc.* XIV. 26. Tum, omne nostrum studium eò conferamus, ut ipsi placeamus; aliaque omnia ita diligamus, ut comparatione factâ ea quasi non amemus; uti docetur 1 *Corinth.* VII. 29, 30, 31.

Oppositum ejus; est odium Dei. Variè accipitur. XIII. Amori Dei opponitur Odium in Deum: non in Deum tanquam summum bonum: ita enim Deum consideratum nemo odisse potest: nemo enim sciens ac volens bonum odisse, aut malum quà malum amare potest: Sed in Deum ut legislatorem consideratum; ac proinde multa hominis concupiscentiæ ingrata præcipientem, cui renuntiare non vult ut Deo placeat. Legislatori enim non obedire, eum odisse est. Hoc sensu mandatorum divinorum transgressores *Dei osores*, *Exod.* XX. 5. *Deut.* V. 9. & *inimici*, *Rom.* V. 10. *Coloss.* I. 21. vocantur. Non quod odio directo ferantur in Deum: hoc enim in hominem, in quo ulla divini numinis agnitio est, non cadit; sed interpretativè Deum odisse dicuntur: quoniam enim, si Deum verè odissent, aliter vitam non instituerent, ideo Deus, quasi ex factis judicium de corde pronuntians, eos sui osores affirmat. Strictius autem designat odium religionis ac reverentiæ divini numinis. Et quidem vel religionis in universum: quale est vel atheorum, vel hominum in reprobam mentem traditorum; ut *Rom.* I. 30. ubi de iis dicitur, quod sint θεοστυγεῖς. 2 *Tim.* III. 4. *Qui dixerunt Deo: recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens ut serviamus ei? & qui nobis prodest si oraverimus illum? Job.* XXI. 14, 15. Qui etiam describuntur *Malach.* III. 14, 15. Vel religionis veræ, hoc est Christianæ: quale est omnium eorum, qui eam persequuntur. Sic ait Dominus, *Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum, Joan.* XV. 23, 24.

Quid hic significet. XIV. Hic autem odium Dei nobis propriè est abhorrentia à Deo, iisque quæ Deo grata

grata sunt: quale etiam est odium hominum erga homines. Hæc autem abhorrentia duplex est. Vel quâ quis directè & consultò à Deo, iisque quæ Deo grata novit, abhorret: quale odium in paucissimis, & fortasse in nullis hominibus reperitur: estque diabolorum proprium. Vel quâ affectu suo fertur in res Deo planè contrarias; & quia duo amores contrarii simul consistere non possunt, etiam, si non consilio & intentione, ipso tamen facto Deum odisse dicitur. Tale Dei odium in omnibus est, qui mundum diligunt, juxta 1 *Joan.* 11. 15, 16. Tales cupiunt & optant Deum non esse qualis est, id est, peccati osorem & vindicem, vellentque quæ sibi placent à Deo non esse vetita.

Quibus gradibus ad illud adscendatur. XV. Gradus, quibus ad odium illud adscenditur, sunt hi. 1. Homines seipsos inordinatè diligentes volunt quodcunque sibi placet, etsi legi divinæ contrarium. 2. Legem oderunt, quia huic desiderio adversatur, eamque ut voluptatis suæ remoram remotam cupiunt. 3. Deum ipsum aversantur, quia legis auctor est. 4. Tandem Deum ut peccati vindicem horrent, ejusque ut irati judicis præsentiam fugiunt.

CAPUT XXI.

De Honore Dei.

Honor Dei. Ejus significatio latior I. Honor Dei, perinde uti Amor, diverso significatu accipitur in Scripturâ. Aliquando enim integram notat religionem, omniaque officia nobis præscripta. Hoc sensu dicit Dominus *Joan.* VIII. 49. *Ego honorifico Patrem.* & *Malach.* 1. 6. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum: Si ergo Pater sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Et hoc sensu acceptus honor Dei distinguitur in internum & externum.

Quid hic significet. II. Hoc autem loco Honor Dei nobis significat internum animi affectum, quo Deo in corde nostro debitam virtutibus operibusque divinis laudem tribuimus: qui sese duobus indiciis externis exserere solet. 1. Laudibus & præconiis nominis divini: ita 1 *Tim.* 1. 17. *Regi seculorum, immortali, invisibili, Deo soli sapienti sit honor & gloria in secula seculorum. Apoc.* IV. 2, 11. dicunt quatuor animalia, & viginti quatuor seniores; *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Similia vide *Esa.* VI. 3. & in Psalmis passim, quorum multi nil sunt nisi hymni, laudem divinam celebrantes. 2. Omnium actionum nostrarum directione ad honorem & gloriam Dei; ita enim ex illis ad Deum honor redundat. Sic dicitur *Matth.* v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* 1. *Pet.* 11. 12. *Conversationem vestram inter gentes habete bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

III. Causæ Honoris divini eædem fermè sunt quæ Amoris, excellentia nim: essentiæ divinæ, ejusque beneficia: alio tamen paulum modo à nobis considerata. *Illius causæ.* In Amore siquidem hæc considerantur, tanquam ad bonum nostrum relata: in Honore, tanquam summam Deo majestatem conciliantia, quæ à nobis humillimâ reverentiâ coli debet. Excellentia quippe & majestas fundamentum honoris sunt. Ea autem quammaximè cognoscitur ex operibus divinis. Deus quidem in se semper gloriam habet: hoc est, essentia divina illius est excellentiæ, ut Deus dignus sit, cui summa ab omnibus creaturis gloria tribuatur. Attamen essentia divina, augustissima licet, Deum nobis gloriosum non exhiberet, nisi eam demonstraret operibus quibusdam excellentibus & eximiis, in quibus divina attributa sese conspicienda præbent. Hinc Deus se gloriosum ostendisse dicitur, quando opera quædam eximia fecit: ex illis enim naturæ ipsius excellentia cognoscitur, & propter ea gloria ipsi tribuitur; adeo ut in hymnis & præconiis divinis attributa quidem Dei, Sapientia, Bonitas, Justitia, Potentia, celebrentur; sed & semper commemorentur opera divina, sive beneficia sint, sive improborum puniones, in quibus Deus attributa hæc manifestavit. Sic in Psalmis passim Deo gloria tribuitur ob beneficium Creationis & Conservationis: nominatim *Psal.* VIII. CIV. CXLVII. Ob beneficium liberationis populi ex Ægypto, *Exod.* XIV. Ob beneficium reductionis populi è captivitate Babylonica, & restitutionem templi, *Nehem.* III. Præsertim in Novo Fœdere ob missionem Filii sui Jesu Christi in mundum, & gratiosum opus redemtionis per Filium peractum. Ita Angeli Deo propterea hymnum canunt, *Luc.* 11. 13. ipsa virgo Maria gravida nomen Dei celebrat, *Luc.* 1. 47. & *seqq.* Et Apostoli passim in initiis & conclusionibus Epistolarum suarum; *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Et similes. Similiter & in improborum punitione Deus se gloriosum ostendit, quatenus se & longanimem, diu eos tolerando & resipiscentiam eorum exspectando, & tandem justum ac severum impietatis vindicem ostendit. Ita Pharaoni dicitur: *Propterea in hoc ipsum stare te feci, ut ostendam in te virtutem meam; & ut annuntietur nomen meum*

meum in universa terrâ. Rom. IX. 17. Et Moses, gloriam Dei celebrans, non tantum commemorat ejus Benignitatem & Misericordiam, sed & Justitiam & Severitatem: *Qui reddit iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem: Exod.* XXXIV. 7.

Opposita. 1. Omissio, & Hypocrisis.

IV. Opposita honoris Dei varia sunt. Primum est omissio eorum quæ ad honorem Dei faciunt; & plerumque oritur ex nimio studio erga res hujus mundi, quæ hominem à Deo avocant: iis enim homo totus occupatus, negligit ea quibus Deus honoratur: & ex illo neglectu oritur contemtus & vilipendium. Illi affinis est hypocrisis, quando homo factis externis honoris speciem præbet, animo interim à Deo & vera sanctitate alienus. Tales sunt, qui diligentes & accurati sunt in externis ceremoniis, animum autem à vitiis non purgant. Tales erant Judæi, quibus minatur Dominus *Esa.* XXIX. 13. & Pharisæi, quos Dominus passim reprehendit.

2. Blasphemia. Ejus prima species.

V. Alterum est Blasphemia. Est autem blasphemia convitium, sive probrum, quod conjicitur in Deum: & quidem tale, ut is, qui id in Deum conjicit, cognoscat esse convitium. Idque fieri potest duobus modis: vel probrum conjiciendo in Deum: vel hominibus quod Dei solius est adscribendo. Primo modo blasphemia committitur, cum aliquid de Deo dicitur, cum ipsius naturâ seu attributis pugnans: Idque dupliciter. 1. Deo aliquid adscribendo, quod ipsius naturæ ac attributis planè contrarium est: ut si quis dicat Deum esse crudelem, injustum, peccati auctorem, &c. 2. Deo aliquid detrahendo quod ipsi competit, & quo negato, ipsius natura aut divinæ proprietates salvæ esse non possunt: ut, negando Deum esse æternum, sapientem, potentem, &c. vel etiam negando aliquid esse opus Dei, quod reverâ opus illius est, & quo negato, ipsi ut Deo honor haberi nequit: ut si quis negaret Deum mundum creasse, aut nunc regere.

Ad eam requiritur blasphemandi intentio, aut scientia.

VI. Ad blasphemiam autem propriè dictam requiritur intentio blasphemandi, vel saltem scientia, illud quod profertur esse blasphemum. Intentio requiritur in iis, qui sponte, à nemine coacti blasphemant. Liquet id ex exemplis eorum, qui blasphemasse in Scripturis narrantur: qualis fuit filius ille mulieris Israëlitidis, sed genitus à viro Ægyptio, qui nomen Dei blasphemavit, & illi maledixit, *Levit.* XXIV. 10, 11. & Rabsakes, qui Deum blasphemavit, tanquam impotentem ad liberandum Judæos ex manu regis Assyriæ, 2 *Reg.* XVIII; *Esa.* XXXVI. XXXVII. & Judæi, qui Dominum Jesum in cruce pendentem blasphemarunt, *Matth.* XXVII. 39. Scientia quod id, quod profertur, sit blasphemum, etsi non intentio requiritur in illis, qui metu pœnæ ab aliis adiguntur ad blasphemandum. Sic Paulus de se dicit, quod sanctos per omnes synagogas frequenter puniens *compulerit blasphemare*, *Act.* XXVI. 11.

Sine alterutro horum non est blasphemia propriè dicta.

VII. Itaque quod non fit cum blasphemandi intentione, aut saltem scientiâ quod blasphemia committatur, pro blasphemia propriè dicta habendum non est; nec talis, licet reverâ blasphemiam loquatur, propriè blasphemus dicendus est; quia blasphemandi animus abest. Fieri siquidem potest, ut aliquis per errorem blasphemet, qui tamen se blasphemare nescit: idque duobus modis.

Potest esse error vel in personâ.

VIII. Primò. Ut error sit in persona: ita Paulus de se dicit 1 *Tim.* I. 13. quod fuerit *blasphemus*, sed quod *ignorans fecerit in incredulitate*. Procul dubio Paulus illo tempore Dominum Jesum vocavit impostorem, seductorem, &c. quod non ignorabat esse convitium; sed falsò putabat convenire Jesu Christo, cui minimè conveniebat. Ut autem hic à crimine blasphemiæ propriè dictæ immunis quis censeri possit, requiritur ut ignorantia non habeat causam vitium aliquod fœdum ac enorme, cujus etsi homo fortasse conscius non est, tamen facile esse potest, & debet. Ita Judæi Christum blasphemantes ignorant quidem Dominum Jesum esse verum à Prophetis prædictum Messiam, sed quia hæc ipsorum ignorantia causam habet animi malitiam, verè blasphemi sunt.

Vel in re.

IX, Secundò. Ut error sit in re ipsa: hoc est, quippiam enuntietur de Deo, quod in sese spectatum est blasphemum, quod tamen homo in Dei contumeliam tendere ignorat, sed ad Dei honorem pertinere credit: nempe, si ex doctrinæ ipsius genio sequatur blasphemia, & legitimâ consequentiâ ex ea deducatur: ipse autem id ignoret, sed ad Dei gloriam doctrinam suam facere existimet: qualia dogmata à Doctoribus quibusdam Christianis propugnantur. Ejusmodi inter alia sunt hæc: Adamum necessariò peccasse ex vi antecedentis decreti divini: Reprobationem esse factam absque ullo intuitu peccati, & illam necessariò consequi subtractionem aut denegationem gratiæ, deinde excœcationem, indurationem, & finalem impœnitentiam. Quicquid fit, tam malum quàm bonum, vi decreti divini necessariò fieri. Deum multò maximæ parti hominum non dare gratiam ad fidem & conversionem sufficientem ac necessariam, quam tamen sub comminatione mortis æternæ ab ipsis exigit. Quòd Deus multos per verbum externum vocet ad fidem, quos tamen non vult ut credant, & se convertant. Hæc enim omnia, aliaque his affinia, incurrunt in Dei justitiam, æquitatem, misericordiam, sinceritatem,

ceritatem, sanctitatem, ipsumque peccati auctorem constituunt. Quia tamen illi hoc ignorant, imò doctrina sua Dei gloriam promoveri contendunt, atque à blasphemiis hisce adeo alieni sunt, ut, si nobiscum consequentias hasce ex doctrinâ suâ legitimè deduci conspicerent, protinus doctrinæ suæ renuntiaturi sint, immeritò blasphemi vocantur. Ita qui divina attributa negat, blasphemus est: sed, qui omnia, quæ de attributis divinis subtiliter disquiruntur, quæque magis curiosæ speculationis sunt, quàm ad gloriam Dei magnoperè facientia, non admittit, non propterea ipsum attributum divinum negare, atque adeo Deum blasphemare, dicendus. Potest enim attributum divinum agnoscere, licet modum, quem alii circa illud determinant, non agnoscat.

Species secunda X. Altera blasphemiæ species est, quando honor soli Deo debitus adscribitur creaturis: illud enim tendit ad Dei ignominiam. Ita Judæi Dominum Jesum blasphemiæ reum pronuntiabant, quod se Filium Dei diceret, atque ita Deo æquaret: *Matth.* XXVI. 65. *Joan.* X. 33.

Tertia. XI. Sed est præterea alia blasphemiæ species, quâ aliquis non quidem ipse nomen Dei blasphemat, sed causa est, quod id ab aliis blasphemetur. Ejusmodi sunt peccata eorum, qui sanctiorem profitentur religionem, & vel majorem divinæ voluntatis revelationem reverâ sunt adepti, qualis fuit David, de quo dicitur, quod adulterio suo *inimicos Domini blasphemare fecit*, 2 *Sam.* XII. 14. Vel saltem majores in scientia divinæ voluntatis progressus se fecisse præ se ferunt. Sic exprobratur Judæis, *Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes*; *Rom.* II. 24. Hinc fœminas Christianas hortatur Apostolus ad sanctitatem, hac additâ ratione, *ut non blasphemetur verbum Dei*, *Tit.* II. 5. Et ipse sibi sollicitè cavet, ne *ulli det ullam offensionem*, *ne vituperetur ministerium* ipsius, 2 *Cor.* VI. 3.

3. Irreverentia erga verbum Dei. XII. Tertium est, Irreverentia erga sacrosanctum Dei verbum, quâ homo de eo, non aliter ac vulgari verbo, loquitur, & nonnunquam sententias ex illo depromptas rebus vilibus ac ludicris applicat, animi tantum causâ. Repugnat hoc honori Dei, qui requirit ut de Deo rebusque divinis non nisi summa cum reverentia loquamur. Augustum quippe nimis est verbum Dei, quàm ut ridendi materiam nobis præbeat, aut in sermone parum serio profanetur.

4. Præposterus honor. XIII. Quartum est præposterus honor, eorum nempe qui Deum honorare volunt iis, quibus non honoratur: observando traditiones ab hominibus institutas, *Matth.* XV. 9. vel cum colendo per imagines; quæ reverâ ad summam ejus ignominiam tendunt, quoniam Deum invisibilem comparant rei materiali ac corruptibili: quod ut crimen gravissimum reprehenditur in Ethnicis, ob quod eos Deus tradidit in reprobam mentem, *Rom.* I. 21, 22, 23, 24.

CAPUT XXII.

De Fide in Deum

I. Fides in Deum non est planè eadem cum Fide in Jesum Christum, de quâ antea fuse diximus, quæque integrum nostrum officium summatim comprehendit: nam Fides hîc notat specialem & internum actum pietatis, ab aliis actibus distinctum. Propriè ergo nobis Fides est fiducia, & effectum Fidei generalis: ideo enim Deo confidimus, quia cum talem credimus, in quem meritò fiducia collocanda est. Estque actus pietatis internus, quo toti in Deum recumbimus, ab eoque omnia bona, præsertim ad salutem æternam necessaria, & ab omnibus malis, præsertim saluti æternæ noxiis, liberationem, exspectamus. *Quid sit Fides.*

II. Fiduciæ hujus causæ seu fundamenta sunt, Dei Omnipotentia, quâ facere potest, quicquid ab ipso exspectamus: Sapientia, quâ novit quibus indigeamus, & quis convenientissimus nobis opitulandi modus sit: Bonitas, quâ propensus est omnia nobis verè bona ac necessaria dare: Et Veracitas, quâ fidelis est & constans in promissis servandis. Nonnunquam etiam ex præteritis beneficiis homo fiduciam concipit, Deum & in futuro sibi adfuturum. Ita David *Psal.* XVI. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear.* *Ejus causa.*

III. Unde sequitur, solos fideles, & pietatis studiosos, Deo solide posse confidere; illis enim solis gratiam & suam auxilium promisit. Ita passim in Psalmis dicitur, *Psal.* XXXIII. 18, 19. *Ecce oculi Domini super metuentes eum; & in eis, qui sperant super misericordia ejus: ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* *Psal.* XXXIV. 16. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* Vide & *Psal.* XXXVII. 17, 18, 19. & *vers.* 28. Impiis autem impietatem adhuc spirantibus, nec se convertentibus, nulla auxilii divini promissio facta est, sed severa exitii comminatio. Sic *Psal.* XXXIV. 17. *Vultus Domini contra facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* *Psal.* XXXVII. 17 *Brachia peccatorum conterentur.* Vide & *vers.* 20. *Psal.* V. 6. *Rom.* II. 6. & alibi. Quapropter omnis eorum fiducia est vana, ipsosque destituet. *Job.* VIII. 11, 12, 13, 14. *Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Sic via omnium qui obliviscunt r Deum, & spes hypocritæ peribit: Non u placebit vecordia sua, & sicut* *Soli fideles & pii Deo solide confidere possunt.*

& sicut tela aranearum fiducia ejus. Proverb. x. 28. *Exspectatio justorum lætitia: spes autem impiorum peribit.* Quibus consentaneè dicit auctor Libri *Sapient. cap.* v. 15. *Spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur; & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus qui à vento diffusus est; & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.*

1. *Debet fiducia collocari in solo Deo.*

IV. Ut autem Fiducia nostra sincera sit requiritur 1. Ut in solo Deo collocetur, omniaque humana auxilia & præsidia nullius esse pretii judicentur, absque protectione divina. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum; Psal.* CXLVI. 3, 4, Vide & *Psal.* LXXXVI. 6. CXVIII. 8, 9. Quia omnia præsidia humana sunt fallacia, *Psal.* XXXIII. 16, 17. *Jerem.* IX. 23. Quin & *maledictus* pronuntiatur *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*; quia *cor ejus recedit à Domino: Jerem.* XVII. 5. Ideo & reprehensi Israëlitæ, quòd Ægyptiis confiderent, *Esa.* XXXI. 1, 2, 3. & vanum eorum dicitur fuisse præsidium, & nil nisi *baculus arundineus*, *Ezech.* XXIX. 6, 7.

Quinam contra id officium peccent.

V. Contra hoc officium peccant, qui fiduciam non sincerè nec totam in Deo collocant, sed ad præsidia humana respiciunt, & pro eorum modo vel majorem vel minorem habent fiduciam. Hæc non est fiducia in Deo, sed in homine & præsidio humano, Deoque fidere in quantum nobis auxilii sui pignus dat. Verum est, ordinariè Deum per media quædam externa solere auxilia sua conferre: sed & aliquando sine mediis opitulari vult, ut discat homo à Deo solo pendere. Deus, per Gideonem populum suum liberaturus à jugo Midianitarum, non vult ut multos adducat milites, hac additâ ratione; *ne glorietur contra me Israël, & dicat, meis viribus liberatus sum, Judic.* VII. 2. Potest siquidem Deus omnia fulcra humana unico nutu disjicere, omniaque consilia disturbare. Potest sapientes spoliare sapientiâ suâ, ut consilia salubria subministrare nequeant: *Esa.* XXIX. 14. *Jerem.* XLIX. 7. *Obad. vers.* 8. Potest, si salubria subministrentur consilia, efficere ne recipiantur: uti factum ab Absolone, rejiciente consilium callidum Achitophelis, 2 *Sam.* XVII. 14. & à Rehabeamo respuente prudens ac salubre consilium seniorum, 1 *Reg.* XII. 15. Potest validissimis exercitibus timorem incutere, ut fugiant paucis, imo nemine insequente. Vide *Deut.* XXVIII. 25. *Levit.* XXVI. 8. *Deut.* XXXII. 29, 30. *Obad. vers.* 9. Et exempla illustria vide *Judic.* VII. 22. 2 *Paral.* XIV. 12. & *Cap.* XX. 22, 23. 2 *Reg.* III. 20. *& seqq.* & *Cap.* VII. 6, 7. Fiducia vera in Deum invisibilem, omnibusque humanis præsidiis superiorem recumbit. Media hæc externa nebularum instar sunt, quæ impediunt, quo minus rectà in Deum respiciamus, quin & animum nostrum non bene perspectum habeamus: Deus itaque ut nos nobis ipsis notos faciat, nos quandoque mediis illis denudatos vult. Tum sese prodit sincerè animus hominis, & nimiâ suâ trepidatione ac diffidentiâ ostendit, se non, prout putabat, Deo, sed mediis humanis confisum, & innixum baculo arundineo. Non quòd media externa planè abjicienda sint, & desidiosè auxilium divinum exspectandum: sed quòd fiducia in illis non sit collocanda; verùm ubi nos probe officio nostro defuncti fuerimus, in Deum sit recumbendum, illique rerum nostrarum cura demandanda, nec spes abjicienda, licet media quibus fidamus ad manum non sint. *Psal.* CXXVII. 1, 2.

2. *Consentaneè promissis.*

VI. Secundò. Ut Deo fidamus, consentaneè promissis ipsius. Promissa divina semper bonum aliquod nostrum respiciunt: illud autem duplex est; vel enim concernit corpus nostrum & vitam hanc animalem; vel animum, & vitam spiritualem ac æternam. Juxta duplex hoc bonum etiam promissa divina, prout Fœdere Novo comprehensa sunt, (de iis enim loquimur) etiam duplicia sunt. Bona spiritualia & futuræ vitæ Deus se diligentibus promisit tanquam proprium & verum ipsorum bonum, nullâ aliâ, quàm ipsorum fide ac pietate, requisitâ conditione. Hujus vitæ bona Dominus in Novo Fœdere suis etiam quidem promisit; sed verbis tantum generalibus, & non ut bonum principale, sed tantum πάρεργον; *Matth.* VI. 33. *Quærite primum regnum cœlorum & justitiam ejus, & reliqua adjicientur vobis.* Et 1 *Tim.* IV. 8. *Pietas habet promissa hujus ac futuræ vitæ.* Ideoque promissis hisce tacita semper conditio adhæret, nisi gloria Dei ac salus nostra æterna exigat nos iis destitui.

Quâ ratione bona spiritualia speranda.

VII. Juxta duplicem hanc promissorum divinorum sub Novo Fœdere conditionem, etiam pii in Deum fiduciam duplicem esse oportet. Bona spiritualia ac æterna absolutè à Deo exspectare potest; id est, nullâ aliâ intercedente conditione quàm suâ fide ac pietate; aliam quippe Deus conditionem non exegit: Sic 1 *Joan.* III. 21, 22. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Nemo operibus suis, tanquam meritis, confidere.

VIII. Dices. An ergo homo pius confidere potest operibus suis, tanquam meritis, quibus mereatur vitam æternam; Resp. Nequaquam: omnis quippe meriti ratio exclusa est, nec nisi gratiâ divinâ salutem consequi possumus, qui & peccantibus nobis gratiosè peccata condonavit, & gratiam, ut

ipsi obediamus, largitus est. *Gratiâ servati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur, Eph.* I I. 8, 9. Imò ne perfecta quidem operum præstatione, quæ in nemine mortalium reperitur, vitam æternam mereri possemus: quoniam Dominus dicit, *Cum feceritis omnia quæcunque præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus: Luc.* XVII. 10. Sed mandata Dei observantes, conditionem à Deo præscriptam ut vitam æternam ex gratia consequamur, præstamus: eique præstitâ in Deo fiduciam collocamus, vitam æternam, quam nobis promisit, consequendi: quæ fiducia respicit quidem conditionem præstitam, sed non ut vitæ æternæ meritoriam, sed a Deo requisitam, sine qua vitam æternam largiri non vult: eaque certa est & minimè fallax. Hanc testatur Paulus 2. *Tim.* IV. 7, 8. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: Quod superest, reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus judex*, &c.

Qua ratione bona temporalia exspectanda. IX. Bona temporalia & hujus vitæ à Deo exspectare non possumus, nisi sub conditione promissioni inclusâ, si & gloriæ Dei, & nostræ saluti eorum adeptio non obsit. Fieri siquidem potest, securam ac quietam rerum hujus vitæ possessionem languorem pietatis in nobis excitare: adversis autem pietatis studium exacui. Deus ergo, qui pro sapientia sua novit, quid nobis optimum sit, & pro summa sua bonitate id largiri paratus est, non dat saluti æternæ noxia, licet nobis grata & expetita. Paulo, ter licet ipsum roganti, non aufert stimulum carnis & angelum Satanæ ipsum colaphizantem: sed uberiorem largitur gratiam; 2 *Corinth.* XII. 7, 8, 9. Attamen Deo confidens securus est animoque tranquillo mediis in adversitatibus mundi hujus, certus Deum sui curam gerere, & præter ejus voluntatem ne pilum quidem capiti ejus demi posse, *Matth.* X. 30. Deumque omnia directurum in suum bonum; *Diligentibus* enim *Deum, omnia* (adversitates nempe, eæque gravissimæ) *cooperantur in bonum*: *Rom.* VIII. 28. & si saluti suæ non obsit, etiam in hac vita ex afflictionibus quibus premitur, liberaturum: quod si aliud salutis ratio exigat, spiritu suo consolaturum ac corroboraturum, atque ita per crucem & afflictiones introducturum in gloriam: Certus Dominum, cui servit, omnibus esse potentiorem, nec ullas humanas vires satis validas, ad salutem suam impediendum. Sic ait Dominus *Joan.* X. 28, 29. *Ego vitam æternam do eis* (ovibus meis) *& non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi major omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Et *Matth* XVI. 18. dicit *portas inferorum*, id est mortem ipsam, *non prævalituras contra Ecclesiam* suam. Paulus addit *Rom.* VIII. 38, 39. quod *nec mors, nec vita, nec angeli*, &c. *nec ulla alia creatura nos possit separare à charitate Dei.* Adeo ut fidelis ad hæc respiciens plenâ animi fiduciâ dicere possit, *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Hebr.* XIII. 6. Et cum Davide, *Psal.* XXIII. 4. *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo, quoniam tu mecum es.*

X. Speciatim autem, ut homo in hujus vitæ negotiis quæ suscipit Deo confidat, requiritur non tantum, ut in genere probus sit, sed & justam ac honestam suscipiat causam. *Requisita in homine ut in his Deo recte confidat.* Injusta suscipiens Deo confidere nequit: Deus enim justus & sanctus injustitiæ socius esse non potest. Non tamen semper Deus causæ justæ favet: fieri siquidem potest, impium ac peccatorem causæ justæ esse patronum, cujus peccata Deus punire volens, injusto aggressore tanquam flagello utitur, quo impietatem ejus castiget. Ita Rehabeami causa erat justa contra Jeroboamum: Deus tamen, ipsum punire volens, dirigit ut Jeroboamus decem tribus à regno ejus avellat, 1 *Reg.* XII. Regum Chaldæorum injusta erat causa contra reges Judæ; nihil enim juris ipsis in regnum Judæ: attamen Deus, Judæos ob idololatriam & impietatem punire volens, eos in manus Chaldæorum tradit. Hæc licet contingant, nulli tamen causæ injustæ patrocinium à Deo sperare fas est. 2. Qui Deo confidit etiam mediis à Deo concessis uti debet: non ut iis fidat, sed ne opem à Deo sibi oblatam negligat: & ut officio suo strenuè fungens à Deo benedictionem speret. Si agricola otiosus à Deo exspectet uberem messem, & nec araret nec sereret, vana esset exspectatio ejus. Sic Deus labori manuum nostrarum, si nempe pii sumus, benedictionem pollicetur, *Psal.* CXXVIII 2. sed nusquam otiosè desidentibus. 3. Supplici prece auxilium divinum est implorandum; omniaque nostra ipsius arbitrio subjicienda.

XI. Opposita Fidei seu Fiduciæ varia sunt. *Oppositum in defectu, Diffidentia.* Alia peccant in defectu, alia in excessu. Quæ in defectu peccant omnia ad diffidentiam, tanquam ejus species referuntur, & sub ea comprehenduntur. Diffidentia est, quæ in angustiis fiduciam in Deum planè abjicit. Estque injuria Dei omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitati, & Veracitati. Uti liquet in exemplis diffidentiæ quæ in Scriptura leguntur: ducis illius in Samaria, 2 *Reg.* VII. 2. Regis Achaz *Esa.* VII. 2. & *seqq.* & populi Judaici in captivitate Babylonica diuturna liberationem desperantis, *Ezech.* XXXVII. 11.

XII. Diffidentiæ vero species sunt variæ. *Ejus species. 1. Murmuratio.* Prima est murmuratio adversus Deum, quasi injustè nobiscum agentem. Est diffidentiæ species, Deo jus ac absolutum in nos imperium

rium circumſcribens: cùm ſive adverſa immittat, ſive proſpera largiatur, bonum noſtrum intendat. *Hebr.* XII. 5, 6. *&c. Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: Quem enim diligit Dominus, caſtigat:* &c. Remedium contra illam eſt, in omnibus anguſtiis à Deo conſilium & directionem quærere: ſic *Jacob.* I. 5, 6. *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* &c. Et à nutu ejus, tanquam ſupremi Domini, totum dependere, ad inſtar Jobi, qui omnibus ſpoliatus dicebat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum*: *Cap.* I. 21.

Et nimia de rebus hujus vitæ ſollicitudo.

XIII. Ad hanc refertur nimia anxietas ac ſollicitudo de rebus hujus vitæ, quæ cum diffidentia de providentia divina ac paterna cura conjuncta eſt, perinde ac ſi Deus nos negligat, nobiſque ſolis cura hæc demandata ſit. Hanc ut Ethnicorum propriam damnat Dominus, & prolixè reprehendit *Matth.* VI. 25. *& ſeqq.*

Quæ poſſit eſſe fiducia graviter peccantis.

XIV. Quæres: An ergo diffidentiæ reus ſit, qui Deo non confidit, quia credit ſe ob gravia peccata favore divino indignum, & nil niſi iram commeritum; Reſp. Nullo caſu diffidere licet de potentia divina: benignitatem autem Dei nemo niſi pius ſibi rectè applicat, ideoque auxilio divino indigens neceſſe eſt ut ſeriò ſe ad Deum convertat: & quia Deus reſipiſcentibus gratiam pollicetur, confidere tum poteſt, Deum ſibi ſalutaria daturum. Licet ea fiducia inferior ſit certitudine eâ, quâ pii & fideles, qui diu pietati operam dederunt, in Deum recumbunt.

2. Tentatio.

XV. Secunda eſt Tentatio; quæ plerumque conſiderari ſolet tanquam vitium in eo quod nimium eſt peccans, & temerariam quandam præſumtionem de auxilio divino ſignificans. Occaſionem huic opinioni dediſſe videntur verba Servatoris noſtri *Matth.* IV. 7. qui diabolo, ipſum adhortanti, ut ſe ex pinnaculo templi deorſum dejiceret, quia ſi Filius Dei eſſet, non offenſurus eſſet pedem, quoniam Angelis ſuis Deus de ipſo mandaverit, ut ipſum manibus tollant: reſpondit ex *Deut.* VI. 16. *Rurſus ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ubi *tentatio Dei* temerariam de auxilio divino præſumtionem ſignificare creditur. Attamen ſi naturam tentationis conſideremus, & Scripturæ uſum, etiam locum hunc attentius expendamus, comperiemus eſſe vitium quod in eo quod parum eſt peccat, & diffidentiæ ſeu incredulitatis ſi non eſſe ſpeciem, ſaltem ex illa ortum habere. Tentare ſiquidem eſt propriè alicujus rei experimentum capere: quod ambigentis eſt, aut dubitantis. Tentatio ergo Dei, eſt voluntas experimentum aliquod capiendi de Deo, illius rei, cujus experimentum non capere, ſed in qua planè acquieſcere deberet; nempe aut potentiæ, aut juſtitiæ, aut propenſionis Dei erga nos. Id autem fieri poteſt diverſimodè.

Illius ſpecies prima.

XVI. Primò. Quando homo experimentum capere vult illius rei, quæ jam argumentis ſufficienter eſt comprobata: ſpecies eſt diffidentiæ, quia in argumentis illis divinis non acquieſcit. Tales fuere tentationes Iſraëlitarum in deſerto, quæ deſcribuntur *Exod.* XVII. *à verſ.* 2. *ad* 7. ubi narratur ipſos, poſtquam in Raphidim veniſſent, & aqua ad bibendum deſtituerentur, murmuraſſe contra Moſen, & tentaviſſe Dominum, dicentes, *eſtne Dominus in nobis, an non?* Unde & loco illi datum nomen *tentatio*, ſeu *Maſſah & Meribach.* Similis tentatio legitur *Num.* XX. XXI. Et alia *Num.* XIII. & XIV. quando exploratorum in terram Canaam emiſſorum relatione conſternati, noluerunt regionem illam invadere, ſed ſibi ducem conſtituere, ut reverterentur in Ægyptum: cum tamen & potentiæ divinæ, ac paternæ erga ſe benevolentiæ in eductione ex Ægypto tam illuſtria haberent documenta. Et hoc ſenſu etiam *tentatio* accipitur *Matth.* IV. 7. diabolus enim Chriſtum tentans, conabatur in ipſo diffidentiam excitare ac dubitationem, utrum revera filius Dei eſſet, ac propterea ut novum de paterno Dei erga ſe amore experimentum caperet, dejiciendo ſe deorſum. Adeo ut tentatio hæc, quæ multis in exceſſu peccare videtur, revera in defectu peccet. Huc meritò referri poſſunt dubitationes eorum, qui ſibi novis miraculis providentiam divinam, aut veritatem Euangelii, aut reſurrectionis dominicæ comprobari volunt: cum ea ſufficientibus teſtimoniis ac miraculis jam olim comprobata ſint. Sed & non minus huc refertur, quando aliquis, à Deo juſſus ſignum petere, illud renuit, non quia verbo divino aut promiſſo acquieſcit, ſed præ diffidentia, quia res ſuas ita collapſas judicat, ut nulla ipſi reſtauratio ſit ſperanda. Talis fuit tentatio Achaz, *Eſa.* VII. qui promittenti Deo liberationem à regibus terram ipſius invadentibus non credidit: & à Deo ſignum petere juſſus, noluit: & proinde dum pietatem ſimulat, quaſi Dominum tentare nollet, revera eum tentavit.

Secunda.

XVII. Secundò. Quando quis de voluntate Dei in certa aliqua re, de qua jam Deus clarè voluntatem ſuam revelavit, ac proinde de qua jam certus eſſe poteſt ac debet, adhuc ambigit. Illud enim tantundem eſt, atque novam voluntatis divinæ, ut de priore certus ſis, revelationem exigere: quod eſt Dei veracitatem in dubium vocare. Sic *Act.* XV. 10. Petrus illis, qui gentibus credentibus jugum ceremoniarum Legis imponere volebant, ait: *Nunc ergo quid tentatis Deum,*

imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos ferre potuimus? Quoniam nim: Deus per revelationem cœlestem Petro jam ante voluntatem suam abundè declarasset, *Act.* x. ipsique fideles Hierosolymitani audita Petri narratione jam acquievissent, *Act.* xi. Similiter dicuntur Ananias & Sapphira tentasse Spiritum Sanctum, *Act.* v. 9. quoniam fraudantes de pretio agri, quod integrum pedibus Apostolorum apponere se simulabant, experimentum capere voluerunt scientiæ Spiritus Dei qui in Apostolis loquebatur.

Occurritur difficultati. XVIII. Quæri posset: An non licitum sit aliquando nova experimenta voluntatis divinæ in certa quadam re petere, præter ea quæ jam habemus? Resp. Licitum id est aliquando, si res planè sit extraordinaria, & de quâ nullum exstat promissum divinum cui fides nostra innitatur. Sic *Judic* vi. 16. *& seqq.* Gideon ab Angelo secum loquente, ipsique dicente, quòd Israëlem à jugo Madianitarum esset liberaturus, considerans familiæ suæ vilitatem, signum petit, unde cognoscere posset, ipsum esse Angelum Domini, & quod prædicebat eventurum: nec eo postulato Deus offensus fuit. Se enim considerans Gideon, antequam certò persuasus esset Angelum esse qui secum loquebatur, non levem diffidendi causam habebat. At si de revelatione divina constat, majoris experimenti postulatum gravi crimine non vacat. Hinc Zacharias, quod signum peteret promissionis ab Angelo Dei factæ implendæ, ad tempus mutus est factus, *Luc.* 1, 18, 19, 20. Mariæ verò matris Domini prompta fides laudatur, quod audiens Spiritum Sanctum in se superventurum, statim respònderit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; *vers.* 31.

Tertia. XIX. Tertiò. Quando quis enormibus ac continuatis peccatis patientiam Dei, nullo habito minarum ipsius respectu, irritat: hoc est, ita vivit, ac si explorare velit, num sit Deus aliquis; & si sit, an opera ipsius videat; & si videat, an ea punire velit, vel possit. Hoc sensu dicit Apostolus Israëlitas Deum tentasse, 1 *Cor.* x. 9. respiciens ad historiam *Num.* xxi. 5, 6. Et hoc sensu dicuntur Israëlitæ dixisse, *Estne Dominus in nobis, an non? Exod.* xvii. 7 Non quia verba hæc propriè locuti sunt, sed quia facta eorum tali sermoni congruebant; ideoque à Deo quasi hæc locuti censentur. Eodem sensu, quo peccata quorundam *in cœlum clamare* dicuntur: hoc est, atrocitate suâ adeo patientiam Dei irritare, ut non possit, si justus esse judex velit, pœnam diutius differre.

Quarta. XX. Quartò. Quando quis in angustiis Deo liberationis tempus præfigit. Hoc sensu accipitur *Judith.* viii. 10, 11, 12. Quando Bethulienses decreverant, nisi Deus intrà quinque dies urbem liberaret, eam Assyriis tradere, Judith eos reprehendens, dicit, *Qui estis vos, qui tentatis Dominum?* Illi enim temporis præfixioni inerat diffidentia, si Deus intra quinque dies nobis non subministret auxilium, non amplius illi fidemus: quod erat revera intra quintum diem novum de potentiâ aut benignitate Dei exigere argumentum: cum fiducia vera nullum Deo tempus præfigat, sed se totam Deo tradat, ac modum & tempus liberationis ab ipsius arbitrio exspectet. Sic David de se dicit *Psal.* xl. 1. *Exspectans exspectavi Dominum*, id est diu exspectavi. Et hortatur *Psal.* xxvii. 14. *Exspecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Esa.* xxviii. 16. *Qui crediderit non festinet. Habac.* ii. 3. & ex illo *Hebr.* x. 35, 36, 37 *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est; ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.* Non enim longinquitas temporis Dei potentiam aut fidelitatem imminuit: æquè promtum Deo est, ex diuturnis atque ex recentibus miseriis liberare: *Joan.* v. 5. *& seqq.* Dominus hominem jam triginta octo annis spiritu infirmitatis laborantem sanavit. Et licet nullus in hac vita concedatur exitus; credendum ita expedire saluti nostræ æternæ, & nullas vitæ hujus afflictiones, quantumvis diuturnas, illi obesse posse: quoniam *Deus est fidelis, qui non sinet nos tentari supra vires; sed cum tentatione dabit exitum, ut possimus ferre*, 1 *Cor.* x. 13. Quod si videamur ferendo non esse, Deum Spiritu suo ita nos consolaturum, ut & in mediis afflictionibus simus gloriaturi, *Rom.* v. 2, 3, 4, 5.

Ejus alia species. XXI. Ad hanc referri potest, impatientia & languor in pietate, ex ultimi judicii dilatione, quasi Deus promissorum suorum impletionem ultra modum differat. Contra hanc fideles instruit Jacobus *Cap.* v. 7, 8. Non enim adventum suum Dominus differt, quia promissorum suorum immemor, sed quia humani generis amans, plures in salutem introducere cupit *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter nos; n lens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, inquit Petrus 2 *Epist.* iii. 9. Et *Apoc.* vi. 10, 11. animabus interfectorum ob verbum Dei, sub altari quiescentibus, dicitur, *ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.*

In excessu, nimia de se confidentia. XXII. In excessu peccat nimia de se Confidentia: quæ etiam non quidem directè, sed indirectè ad diffidentiam de Deo refertur.

tur. Nimium enim sibi confidens, vel non confidit Deo, vel non convenienter promissis divinis. Duplex quippe est hæc de se confidentia, 1. Quando quis nimium confidit propriis viribus: quantum enim sibi confidit, tantum à fiducià in Deum recedit. Talis erat Petrus, qui licet à Domino monitus, non tantum dicebat, se non scandalizandum, sed & se supra alios efferens, licet omnes scandalizentur, se tamen non scandalizandum; & licet necesse esset cum Domino mori, se tamen eum non abnegaturum, *Matth.* XXVI. 33, 34, 35. atque ita nimium sibi confidendo, nec debite vigilavit, nec Dominum ardenter oravit. Tales sunt, qui se temere in peccandi periculum conjiciunt, neque peccandi occasiones studiosè devitant: illis quippe decepti, ad quævis, imo quandoque gravissima peccata abripiuntur. 2. Quando sibi gratiam divinam applicat, etiam in mediis sceleribus, cum illius iram metuere, & pœnam horrere debeat. Ut, quando quis credit, se nullis sceleribus ex gratià Dei excidere posse: ac proinde vitæ æternæ promissa, licet pietate destitutus sit, & peccatorum consuetudine teneatur, secure sibi applicat. Sed de his aliàs diximus.

CAPUT XXIII.

De Spe in Deum.

Spes distinguitur à fiducia. I. A Fide non multum distinguitur Spes, quæ est exspectatio boni futuri à Deo & Christo obtinendi: Fiducia quippe spes roborata vocatur: & Fides ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, *Hebr.* XI. 1. Et Spei tribuitur πληροφορία, *Hebr.* VI. 11. Interest tamen aliquod inter utramque discrimen: quod Fiducia personam respiciat, à qua bonum exspectatur: Spes propriè bonum ipsum, saltem primariò.

Ejus causa. II. De Spe non est necesse multa dicere, quia maximam partem coincidit cum Fiducia. Causam habet, perinde uti Fiducia, promissa Dei, eaque validè nobis confirmata, quibus spes solidè inniti possit. Sic 1 *Pet.* 1. 3. dicimur *regenerati in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Et *vers.* 21. Deus dicitur Christum *suscitasse à mortuis, & ei gloriam dedisse, ut fides nostra & spes esset in Deo.*

Objectum. III. Objectum Spei sunt omnia Dei beneficia, præsertim in Euangelio promissa; non tantum spiritualia & futuræ, sed & corporalia & hujus vitæ; sed non aliter, nisi consentaneè promissis divinis. Prout enim Deo confidimus, quòd nobis ea sit largiturus, eodem etiam modo ea nos à Deo adepturos speramus.

Est vel perfectior vel imperfectior: IV. Spes vel est perfectior, vel imperfectior: idque duplici ratione: vel respectu causarum efficientium, vel respectu essentiæ suæ. Respectu causarum efficientium. Sic alia spes nititur expressis Dei promissis, & solidis eorum confirmationibus: qualem Paulus de se prædicat, *Actor.* XXIV. 15. quòd *spem habeat in Deum resurrectionem futuram justorum & injustorum.* Et de qua loquitur Petrus 1 *Epist.* 1. 21. & Joannes 1 *Epist.* III. 3. *Quicunque hanc spem habet in illum, purificat seipsum, quemadmodum ille purus est.* Alia ratiocinationibus ex Bonitate, Potentia, Justitia, Veracitate Dei in genere, & exemplis similibus deducta, ex quibus homo colligit, se in particulari casu bonum quod desiderat à Deo exspectare posse. Hæc spes ratione causæ suæ infirmior est priore. Fieri tamen potest, ut spes ratione causæ suæ infirmior, in homine sedulo & attento, ob seriam argumentorum quibus nititur ponderationem, sit firmior, quàm altera illa in homine parum attento, ob socordiam ac negligentiam, qua promissorum divinorum soliditatem ac certitudinem debitè non expendit. Omnibus autem paribus priorem firmiorem esse necesse est. *1. Ratione causæ suæ.*

V. Ratione essentiæ suæ spes vel est perfectior vel imperfectior, posito eodem hominum statu, iisdemque quibus spes nitatur fundamentis, tum ratione certitudinis, quam homo de re speranda concipit; tum ratione desiderii, quo in bonum speratum fertur. Vel posito diverso hominum statu, ac proinde diverso sperandi fundamento. Spes quippe alia antecedit officium nostrum, & nititur conditione implenda: eaque in suo gradu perfecta esse potest: 1 *Pet* 1. 13. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi.* Alia sequitur, estque certa exspectatio boni ex conditione jam præstita certò certius obventuri. De hac ait Apostolus *Rom.* V. 5. *Probatio operatur spem, spes autem non confundit.* Spes hæc, vel fluit ex natura pietatis & promissorum divinorum; qualem ostendit Apostolus 2 *Tim.* IV. 7, 8. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo reposita mihi est corona justitiæ*, &c. Vel supra naturam à Dei Spiritu in præmium obedientiæ in nobis efficitur, & quendam quasi futuri gaudii cœlestis gustum exhibet. Hoc respectu dicimur *per Spiritum Dei sanctum obsignati in diem redemtionis*, *Eph.* IV. 30. & Spiritus vocatur *pignus hæreditatis nostræ quo signati sumus*: *ibid. cap.* 1. 13, 14. *2. Ratione essentiæ suæ.*

VI. Spes hæc pietatis amorem in nobis confirmat, nosque à peccato aversos reddit: quia enim summam ex certa vitæ æternæ exspectatione dulcedinem percipimus, eaque summum in hac vita bonum est, illius retinendæ desiderio omnem, quâ ea destrui potest, impietatem ex animo fugimus. Hinc *galea* vocatur 1 *Thess.* V. 8. quoniam sicut à *Pietatis amorem confirmat.*

capite,

capite, quod galeâ defenditur, omnium membrorum fluit regimen; ita etiam spes hæc omnes nostras actiones dirigit, ut sint conformes voluntati divinæ. 1 *Joan.* III. 3. *Quicunque habet spem hanc in ipsum, purificat seipsum quemadmodum ille purus est.* Et quemadmodum galea caput protegit, & ab ictibus tutum reddit; ita & spes satanæ tentationibus objecta eas eludit. Et *Hebr.* VI. 19. vocatur *anchora animæ*: quia sicut navis anchoræ innixa à tempestatibus, vadis & scopulis tuta est; ita etiam spes animas nostras conservat, ne ullis tentationibus superentur, ullisve illecebris seducantur.

Oppositum Spei in excessu spes nimia.

VII. Opposita Spei peccant vel in excessu, vel in defectu. In excessu, spes nimia; eaque vel in negotio salutis, vel in rebus aliis. In negotio salutis: vel quando quispiam sperat, ubi sperare non debet; hoc est, sibi salutem adscribit, licet verè pius non sit, ac proinde nullo de salute promisso nitatur: vel quando pro ratione status præsentis sibi salutis æternæ promissa applicare potest, etiam temerè nimis de futuro sibi pollicetur, ac si nunquam statu illo excidere possit, sed in flagranti Dei gratia perpetuò esset perseveraturus: quæ præsumtionem sapit, & securitatis carnalis causa esse potest. In rebus aliis: quando quis bonum certò à Deo exspectat, quod Deus nec promisit, nec ullâ justâ causâ à Deo citra promissum sperare debet: qualia multa sunt hanc vitam spectantia. Si tamen bonum illud per se sit admodum desiderabile, & ad Dei gloriam, & propriam proximique salutem tendere possit, ac proinde religioni Christianæ sit consentaneum, qualis forte esse posset, miracula patrandi potestas, etsi præsumtione non careat, graviore crimine vacat.

In defectu desperatio.

VIII. In defectu peccat desperatio: eadeque vel totalis, vel particularis, Totalis: quando quis omnem prorsus de gratia divina, adeoque salute obtinenda, spem abjicit. Hæc aliquando est peccatum: cum quis de bonitate divina desperat, cum tamen de eâ bene adhuc sperandi causam habet. Hæc injuria est benignitati divinæ, & impedimentum resipiscentiæ peccatoris. Qui enim de remissione & salute sua actum credit, nullo modo inducetur, ut cum cupiditatum carni suæ blandientium abnegatione peccatis valedicat, & resipiscentiæ operam det: sola remissionis spes resipiscentiæ conatum producit: juxta illud *Psal.* CXXX. 4. *Apud te est remissio, ut timearis.* Aliquando autem est pœna peccati, quando Deus animo peccatoris illum iræ suæ sensum imprimit, ut veniam ab ipsius benignitate amplius sperare non audeat: quoniam veniæ tempus jam præteriisse credit, nec resipuit, quando tempestivum adhuc erat. Talis fuit Judas, qui desperatione abreptus sibi ipsi violentas intulit manus. Talis est nunc diabolorum status, talisque impiorum ad æternos cruciatus damnatorum erit in futuro seculo. Particularis est, quando quis in particulari casu de auxilio divino desperat: cujus exempla vidimus de Fiducia differentes.

Utrum gravius sit vitium.

IX. Quæritur hic: Quodnam vitium sit gravius, quod in defectu, aut quod in excessu peccat; Resp. In se consideratum videtur gravius peccatum, quod in defectu spei repugnat: quia magis abit à natura spei; & Potentiæ ac Bonitati Dei magis derogat. Per accidens tamen fieri potest, ut quod in excessu peccat gravius sit; quia oriri potest ex præsumtione & superbia, & causa esse dissolutæ vitæ, quæ sanctitati divinæ maximè adversatur.

CAPUT XXIV.

De Timore Dei.

Variæ timoris Dei significationes.

I. Timor Dei, perinde ut alii pietatis actus, vario significatu in Scriptura accipitur. Aliquando latè accipitur, & denotat totum Dei cultum: ut *Deut.* X. 12. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus* &c. & *Psal.* XXXIV. 12. *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* Aliquando strictius integram significat Pietatem, seu illam sanctitatis nostræ partem, quæ propriè Deum respicit, & speciatim Dei cultus vocatur. Sic *Deut.* VI. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*: quod *Matth.* IV. 10. enuntiatur, *Dominum Deum tuum adorabis.* Hoc sensu Jonas nautis de se dicit, *Dominum Deum cæli egò timeo*: *Cap.* 1 9. Et de populis à rege Salmanassare in Samariam abductis, dicitur 2 *Reg.* XVII. 25. *non timebant Dominum*: & *vers.* 34. Aliquando strictissima significatione designat metum, quem divinæ majestatis ac potentiæ consideratio producit, quo fit ut ejus iram, & quæ illam comitatur pœnam, veriti, nihil præceptis adversum, aut quo offenditur, committere audeamus. Timor enim semper aut mali inflictionem, aut boni privationem respicit. Et hoc sensu hîc à nobis accipitur, partemque Pietatis specialem constituit.

Ejus causa.

II. Causæ timoris hujus variæ sunt. 1. Consideratio Domini ac supremæ Majestatis divinæ. *Malach.* 1. 6. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Quam sibi Deus tum creatione, tum aliis beneficiis, summam in nos acquisivit. *Jerem.* V. 22. *Me non timebitis, ait Dominus; & à facie meâ non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari,* &c. 2. Omnipræsentiæ & omniscientiæ divinæ, quâ omnibus nostris actio-

actionibus præsens est, omnesque, etiam maximè arcanas, cognoscit: *Psal.* cxxxix. 7. *& seqq. Hebr.* iv. 13. & per quam cordis nostri occulta ultimo die judicaturus est, *Rom.* ii 16. 3. Potentiæ divinæ, cui nemo resistere potest, *Exod.* xv. 16. quæque impietatem non dimittit impunitam, imò quà impiis malum multò gravius, quàm ulli homines, infligere Deus potest; non tantum ipsos occidendo, sed & postquam occidit, animas simul cum corpore conjiciendo in gehennam, *Matth.* x. 38. *Luc.* xii. 4, 5. 4. Beneficiorum Dei innumerabilium, quibus summam suam erga nos benignitatem demonstravit; ne tam benignum Dominum offendamus, & beneficiis ipsius in posterum destituamur. *Jerem.* v. 24. reprehenduntur Judæi, quod *non dixerint in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam & serotinam in tempore suo; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.* Et *Psal* cxxx. 4. dicitur, *apud te est remissio, ut timearis.* Sic. *Philipp.* ii. 12, 13. 5. Comminationum Dei gravissimarum: ne in eas incidamus: *Matth.* x. 28. *Luc.* xii. 4, 5. Hinc *Hebr.* xii. 28, 29. *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est.* 5. Exempla pœnarum divinarum, præsertim cum horrendo exitio conjunctarum, ut Pharaonis, cum toto ex rcitu aquis maris obruti, *Exod.* xiv. Coræ, Dathanis, & Abirami, à terra absorptorum, *Num.* xvi. Quibus adde exempla pœnarum spiritualium: *Rom.* xi. 21. *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat. Apoc.* xiv. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia hora judicii ejus venit.* Similia vide *cap.* xv. 3, 4. Quibus tandem 7. accedit consideratio ultimi judicii, in quo Deus se gloriosum exhibebit, & unicuique tribuet secundum opera. *Si patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini:* 1 *Pet.* i. 17. Vide & 2 *Cor.* v. 10, 11. 2 *Pet.* iii. 10, 11, 12, 13, 14.

Vel antecedit peccatum, vel sequitur. III. Timor Dei dupliciter dividitur. Primò: Alius antecedit peccatum, vel potius frænum est quo homo cohibetur ne in peccatum incidat: estque metus excidendi favore divino, si pietatem deseramus & ad impietatem deflectamus. Hic metus est laudandus, & verè fidelium proprius: is commendatur *Hebr.* iv. 1. *Timeamus ne forte relictâ pollicitatione introëundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deësse.* Et hunc de se testatur Paulus, qui *corpus suum castigabat, & in servitutem redigebat, ne eum aliis prædicasset ipse reprobus fieret;* 1 *Cor.* ix. 27. Alius peccatum seu impietatem sequitur, qui est metus condemnationis in peccatore veniæ spe destituto, qui Deum iratum ac scelerum suorum vindicem metuit, cujusque status propriâ dictante conscientiâ condemnationis status est. Hic metus in verè fidelibus non reperitur: *Nulla enim condemnatio est illis qui in Christo Jesu sunt, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant: Rom.* viii. 1. Et ad illum respicere Joannes creditur, 1 *Epist.* iv. 18. *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: qui autem timet non est perfectus in charitate.*

IV. Secundò: Metus alius est filialis, alius servilis. *Est vel filialis, vel servilis.* Metus filialis oritur ex consideratione divinæ tum bonitatis, tum severitatis; estque conjunctus cum amore Dei, quo fidelis Deum ut benignum Patrem amans illum metuit offendere, iramque ejus in se provocare, ne à tam benigni Patris facie expellatur. Hic metus filiis tribuitur *Hebr.* xii. 6. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus patri spirituum, & vivemus?* Hic timor est liberalis, ac ingenuus, respicitque pœnas æternas, aut potius æterni boni denegationem: & officii præstandi alacritatem producit. Metus servilis oritur ex sola pœnæ consideratione, quando homo, Deum ut rigidum dominum considerans, solo pœnæ respectu quasi invitus ad obediendum constringitur; nec tam ex animo & sincero corde obedientiam præstat, quàm actibus externis eam ostendit: servorum instar, qui non lubentes ad obsequium se accingunt, sed flagrorum metu inviti adiguntur. Hic metus animum degenerem arguit, & vero fideli est indignus.

V. Sed quæritur, an non omnis metus pœnæ sit servilis, omnisque obedientia pœnæ metu præstita illiberalis? *Omnis metus pœnæ non est servilis.* Resp. Nequaquam: Est enim, uti vidimus, quidam pœnæ metus filiorum Dei proprius, quo ad sanctitatem excitantur. Nec illum esse servilem, hinc constat: quia Deus non tantum proposito præmio, sed & pœna nos ad obediendum adhortatur: quod comminationes divinæ passim per totam Scripturam comprobant. Indecens autem non est, iis rationibus ad obediendum moveri, quibus ipse Deus in nobis obedientiam efficere vult. Deinde, ipsa Scriptura, uti vidimus, timorem illum præscribit, 1 *Pet.* i. 17. *Hebr.* xii. 28, 29. & illo metu homines ad Deo obediendum compellit, 2 *Cor.* v. 10, 11. *Act.* xvii. 30, 31. Tandem: Obedientia quæ fit per fidem est sincera & laudabilis, ac filiorum Dei propria. Atqui fides non tantum respicit Dei promissa, sed & comminationes: quia omnibus Dei enuntiatis assensum præbet. Licet autem metus filialis respi-

respiciat comminationes Dei, modum tamen, quo eas respicit, eum satis à servili distinguit.

Timoris Dei indicium primum. VI. Timoris Dei indicia maximè petuntur ex illius effectis: effecta quippe genuina sincerum timorem certissimè designant. Primum ergo indicium est, odium peccati: *Proverb.* VIII. 13. *Timor Domini odit malum.* Hoc odium se prodit fugâ mali, & sollicitâ à peccando abstinentiâ: *Proverb.* III. 7. *Time Deum, & recede à malo.* Et XVI. 6. *In timore Domini declinatur à malo.* Sed præsertim à peccatis occultis, quæque aut nullo homine conscio, aut saltem respectu hominum impunè fieri possunt. Estque id proprium & genuinum timoris Dei indicium. Metus hominum cohibere quempiam potest, ne palam ac apertè peccet; & difficile dijudicatu est, utrum metus Dei, an reverentia hominum eum cohibeat: sed solitudo animum hominis retegit, utrum Deum, omnia contemplantem, timeat. Hoc innuit Apostolus *Eph.* V. 12. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere.* Et Abrahamus, *Genes.* XX. 11. *Cogitavi mecum dicens; forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter uxorem meam.* Innuens, excusso timore Dei, homines in quævis scelera, quæ respectu hominum impunè fieri possunt, pronos ruere. Hinc Deus sui timorem exigit in occulto, *Matth.* VI. 4, 18. quoniam occulta hominum judicaturus est, *Rom.* II. 16. Nec vult *surdo maledici*, aut *cæco offendiculum poni*, *sed*, inquit, *timebis Dominum Deum tuum*: *Levit.* XIX. 14. Hoc sensu & Josephus fratribus, quos omnes in potestate habebat & male mulctare poterat, ait: *Facite quæ dixi, & vivetis: Deum enim timeo: Genes.* XLII. 18. Et Jobus de se ait *cap.* XXXI. 21. *Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.*

Secundum, tertium, quartum. VII. Secundum: Abstinentia ab iis, de quibus dubitatur utrum licita sint, nec ne: qui enim Deum verè timet, nunquam committet, de quo utrum licitè fieri possit, dubitat: ideoque &, *quia ex fide non fit, peccatum* dicitur, *Rom.* XIV. 23. Tertium: Ardens bonum operandi studium: 2 *Cor.* VII. 1. *Perficiamus sanctificationem in timore Dei. Phil.* II. 12, 13. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus enim est, qui in vobis operatur & velle & perficere, pro bona voluntate.* Quartum: Ne hominibus tantum placere studeamus, sed quicquid facimus, ex animo faciamus, tanquam Deo servientes. Hoc commendat Apostolus servis *Ephes.* VI. 6. *Coloss.* III 22. Et de se affirmat 1 *Thess.* II. 4. *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.* Et *Gal.* I. 10. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et reprehendit Dominus Pharisæos, quia *justificabant se coram hominibus*; *Deus autem noverat corda ipsorum*, *Luc.* XVI. 15. Quod & Deus de se testatur *Jerem.* XVII. 9, 10.

Quintum & sextum. VIII. Quintum: Ne hominum metu quicquam Deo displicens faciamus: magis enim metuendus Deus quàm homines, quoniam graviore malo sibi immorigeros affligere potest, juxta *Matth.* X. 28. Hinc Petrus Judæorum Synedrio inquit, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Act.* V. 29. Et fidelibus commendat 1 *Epist.* III. 14, 15. *Timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* Cui adhæret sextum, Constantia in tentationibus: *Prov.* XIV. 26. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes. Eccles.* XXXIV. 16. & *seqq. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus*, &c.

Opposita in defectu. IX. Opposita Timoris Dei peccant vel in defectu, vel in excessu. In defectu, varia. Ac 1. quidem, Carentia timoris Dei. *Psal.* XXXVI. 2. *Non est timor Domini ante oculos ejus.* Quod idem legitur *Rom.* III. 18. 2. Irritatio Dei, quæ fit gravissimorum peccatorum commissione. *Deut.* IV. 25. *Patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis.* Vide & XXXII. 16, 19, 21. & Christi, 1 *Cor.* X. 22. 3. Murmuratio adversus Deum, quæ se potissimum ostendit in impatientia in afflictionibus; & oritur ex quadam audaciâ adversus divinum numen insurgendi. Vide *Exod.* XVI. 7, 8. coll. cum *vers.* 1. 2, 3. *Num.* XIV. 27. *Usque quò*, inquit Deus, *multitudo hæc pessima murmurat contra me?* Vide & *cap.* XVI. 11. 4. Securitas carnalis, quâ homo mediis in peccatis securus sibi omnia fausta ac fœlicia pollicetur. De talibus ait Apostolus 1 *Thess.* V. 3. *Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Ideoque monet Servator, *ne corda nostra graventur crapula, ebrietate, aut curis hujus vitæ; ne nos dies ille repentinus opprimat*, *Luc.* XXI. 34.

In excessu. X. In excessu peccat δεισιδαιμονία, seu Superstitio, quæ est nimius & auxius Dei metus, quo Deus offendi creditur, quibus minimè offenditur: & potissimum reperitur in hominibus, Deum quidem reverentibus, sed judicii exigui, qui larvâ tanquam pueri terrentur. Attamen si naturam ejus rectè consideremus, eam etiam in defectu peccare comperiemus. Quoniam enim Deum timet quando timere non debet, etiam quando timere debet non timet: sicut enim offendi Deum credit, quibus minimè offenditur; ita etiam non offendi credit, quibus reverâ offenditur. Atque ita verum Dei timorem animo hominis expellit. Sed de ea in sequentibus uberius disserendi erit locus.

CA-

CAPUT XXV.

De Adoratione.

Partes cultus externi. I. Actus externi Pietatis sunt præcipuè quatuor, Adoratio, Invocatio, Confessio, & Obedientia.

Adoratio. II. Adoratio propriè demissam corporis inclinationem denotat coram eo quem honorare volumus; quæ fieri solet, non tantum procidendo in genua, sed & toto corpore procumbendo in terram. Quod & ipsa vox *adorare* aliquatenus insinuat, quod tantumdem est, atque ori admovere, manum nim: eamque osculari: quod usitatum erat gentibus in Deorum, & præcipuè solis salutatione; osculantes enim manum, eam versus solem protendebant: ad quem ritum idololatricum respicere creditur Jobus *cap.* XXXI. 27. Hinc & osculum signum fuit submissionis & reverentiæ; *Ps.* II. 12. *Osculamini Filium*, id est, vos ei subjicite, & reverentiam exhibete. Eadem etiam est vis vocis Græcæ, *προσκυνεῖν*, & Hebraicæ נשק.

Est vel civilis. III. Est autem Adoratio, cujus in Scripturis mentio fit, duplex. Alia est civilis, qualis in Oriente regibus & magnatibus inclinatione corporis, genuflexione, imò & totius corporis in terram prostratione, exhiberi solebat. Ejus exempla passim in Veteri Testamento reperire est: Vide *Gen.* XXIII. 7. XXXIII. 3. 2 *Sam.* I. 2. IX. 6. 1 *Reg.* I. 23. 2 *Reg.* IV. 37. & alibi passim. In Novo Testamento *Matth.* II. 2. & 11. ubi Magi Jesum recens natum, tanquam designatum regem eximium, adorasse leguntur; quod de alia quàm civili adoratione accipi nequit. Ita passim qui à Domino Jesu miraculum petebant eum adorarunt, non ut Deum, sed ut Prophetam miraculis inclitum. Hæc adoratio in regionibus, ubi mos obtinet reges aliosque eximios viros prostrato corpore adorare, illicita non est; nec alio quàm cultus civilis nomine venire potest. Ubi vero gestus hic non usurpari solet, nisi in cultu divino, coram homine, etiam rege, illicitus est. Hinc Græci, quibus prosterni in sacris tantummodò mos erat, hoc cultu Persarum reges venerari noluerunt; ut historiæ passim testantur.

Vel religiosa. IV. Alia est religiosa, quâ Deum cœli & terræ creatorem, Patremque Domini nostri Jesu Christi, prosequimur; *Matth.* IV. 10. ex *Deut.* VI. 13. *Dominum Deum tuum adorabis*: quamque antea ex *Hebr.* I. 6. & *Philipp.* II. 9, 10, 11. etiam Domino nostro Jesu Christo, qua Mediatori inter Deum & nos, deberi adstruximus.

In quibus ea consistat. V. Consistit ea partim in animo; estque summo animi nostri demissio ac reverentia, ex consideratione majestatis, potentiæ, gloriæ ac supereminentiæ divinæ orta: partim in actibus externis; genuflexione, capitis apertione, manuum elevatione, totius corporis in terram prostratione, omnibusque illis actibus, qui in externo religionis exercitio exhiberi solent. Prior actus fundamentum est posterioris; ideo enim externos illos reverentiæ gestus Deo exhibemus, quia eum ut summè venerandum animo agnoscimus. Posterior autem priorem perficit & consummat: non enim plena ac perfecta est adoratio, nisi eam homo actibus externis honoris & reverentiæ testetur. Quia enim Deus tam corpus quàm animum creavit, & utrumque à morte & perditione redemit, etiam utroque coli vult. Sic 1 *Corinth.* VI. 20. *Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ Dei sunt.* Unde est, quòd adoratio aliquando per synecdochen totum Dei cultum significat, præsertim externum sub Veteri Testamento usitatum, quia ejus pars insignis est adoratio: quod fieri non posset, nisi & actum honoris externum includeret. Hoc sensu accipitur *Joan.* IV. 20. *& seqq.* & *Act.* VIII. 27. Non enim contendebant Samaritani & Judæi solummodò de loco adorationis, sed & sacrificiorum offerendorum, adeoque totius cultus externi: & adscendentes Hierusalem non tantum Deum adorabant, sed & illi sacrificabant.

VI. Verum quidem est, Deum externis ejusmodi signis non indigere, ut animi nostri erga se affectionem cognoscat, ipse omniscius & cordium renumque scrutator; attamen omne sibi ab homine debitum officium præstari vult, non quia eo indiget, sed quia hominem omnia sibi in obsequium præstare cupit. Unde & jubemur *corpora nostra sistere hostiam vivam, sanctam, Deoque beneplacentem, Rom.* XII. 1. Et quia æquum est, sicut anima à Deo condita & redemta Deo obsequium præstat, etiam corpus eorundem beneficiorum consors, in illius obsequii partem venire. Tum, ut non tantum homines Deo gloriam dent, sed & eum coram aliis hominibus glorificent, ut & ab ipsis honoretur; quod solà animi veneratione fieri nequit. Et sanè, si præcipuum nostri, animum nempe, Deo consecramus; quid corpus, partem nostri viliorem, Deo in obsequium offerre tergiversamur? Sed de hisce latius, quando de Confessione dicturi sumus. *Cur ea Deo præstanda.*

VII. Nunc tantum observamus, quemadmodum in vera Dei adoratione externus corporis gestus non sufficit, sed & requiritur interna animi reverentia; solo enim corpore Deus coli non potest; ita & ad idololatriam committendum sufficere ut externa adorationis signa exhibeantur, animus licet ea rideat ac detestetur: quoniam si non animo, facto saltem idolum ut Deus co- *Observatio de idololatria.*

 litur,

litur; quia signa illa non exhiberi solent, nisi coram eo, quem animo ut Deum veneramur. Illa ergo alii quàm Deo vero exhibens, facto suo illi Deitatem attribuit.

CAPUT XXVI.

De Precatione, & nominatim de ejus materiâ.

Invocatio; I. ADorationi proximè conjuncta est Invocatio, quæ est divini nominis imploratio; eaque Adorationem, internam saltem, in se includit: non autem Adoratio Invocationem. Non enim nomen Dei quis implorare potest, nisi majestatem ejus reverenter agnoscat: majestate autem divinâ agnitâ, non necesse semper est, nomen ejus implorare. Adeo ut Adoratio minor cultus species sit, quàm Invocatio.

Tres ejus species. II. Tres sunt invocationis species, Precatio, Gratiarum actio, & Juramentum.

Precatio. Illius varia species. III. Precatio, ut de ea primo loco dicamus, utpote quæ & cum Invocatione in Scriptura confunditur, & utraque tanquam synonyma usurpantur, aliquando generaliter integrum Dei cultum designat: quia, ut in sequentibus liquebit, ut precatio legitima sit, & fides & sanctitas, quibus totus cultus absolvitur, requiritur. Hoc sensu legimus, *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, *Act.* 11.21. *Rom.* x. 13. ex *Joël.* 11.32. Et de impiis dicitur, *Dominum non invocaverunt*, *Psal.* xiv. 5. LIII. 6. Particulariter autem accepta, divinæ opis implorationem significat. Rursus, Precatio in genere accepta, vel est civilis, vel religiosa: inter quas precationis species duplex hoc intercedit discrimen: quod religiosæ referantur ad Deum, aut eum vel eos, qui absentes sunt, aut adesse saltem non sciuntur, ut ad Angelos & Sanctos mortuos; & petant quippiam creaturæ præstitu impossibile; ut liberationem è variis malis, præsertim spiritualibus, & bonorum contrariorum, ut potissimum Spiritus Sancti, remissionis peccatorum, & vitæ æternæ concessionem. Civiles ergo sunt, quibus à creaturis, seu hominibus, seu angelis, præsentibus, petimus res ipsis possibiles, neque vires creatæ naturæ superantes.

Precationis definitio. IV. Nos hic solummodò de precatione religiosâ agimus, quam definimus, quod sit divini numinis imploratio, sive ea fiat solo voto, sive etiam voce, quâ humiliter rogamus ut salutaria dentur, sive nobis ipsis, sive aliis, cum certa fiducia exauditionis per Jesum Christum. Ex hac definitione liquet, Precationem esse cultum quammaximè religiosum, & per quem Deo maximus ac summus tribuitur honor. Qui enim invocatur, creditur esse omniscius, omniumque preces, quocunque in loco sint, audiens, imò vota ac suspiria intelligens, omniumque necessitates cognoscens. Hinc *Act.* I. 24. Apostoli in precatione sua ita Dominum alloquuntur, *Tu Domine, qui corda nosti omnium.* Et omnipotens, qui quæcunque petuntur dare possit: omniaque effecta reddere. Hinc fideles *Act.* IV. 24. ita inchoant precationem suam, *Domine, tu es qui fecisti cœlum, & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Et summè bonus ac benignus, qui rogatus salutaria dare vult. *Jacob.* 1. 5. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.* Vide & *vers.* 17. Ex quibus liquet, Deum solum, & Servatorem nostrum Jesum Christum, ut Mediatorem inter Deum & nos, sicut totius pietatis, ita etiam speciatim precationis objectum esse. Quod quia in præcedentibus satis ostensum est, hic non repetemus.

Ejus dignitas. V. Nec minus hinc precationi sua dignitas constat; quia est alloquium ad Deum, quo homo, quasi omnibus hisce visibilibus superatis, in cœlum ipsum penetrat. Hinc olim quidam dicebat: Si vis perpetuò cum Deo esse, frequenter precare, & Scripturam lege: precantes enim nos alloquimur Deum, in Scriptura autem Deus alloquitur nos.

Ad eam sæpe sufficit internum votum. VI. Diximus autem precationem fieri vel solo voto, vel etiam voce; ut ostendamus, ad precationem non necessariò requiri externam, verborum pronuntiationem; sed sufficere sæpe internum votum, gemitus, & suspiria; quia cum Deo omniscio, & cordium renumque scrutatore nobis res est. Sic de Anna matre Samuelis dicitur 1 *Sam.* I. 13. quod *loquebatur in corde suo, & labia illius tantum movebantur, vox autem penitus non audiebatur.* Solatio id hominibus, aut præ debilitate vocem vix emittentibus, aut martyribus, quibus aut os obturatum, aut lingua exsecta: non enim interni gemitus & suspiria à quoquam impediri possunt.

Variæ illius species. VII. Addimus, nos quædam petere sive nobis, sive aliis; ut innuamus diversas precationis species. Alia quippe est δέησις, deprecatio mali quod nos premit: talis fuit precatio Servatoris *Matth.* XXVI. 39. & Pauli 2 *Corinth.* XII. 8. Alia προσευχή, precatio pro bono quo caremus obtinendo: *Jacob.* I. 5. Alia ἔντευξις, intercessio pro alio, sive ut mali, quo premitur, liberationem, sive bonum, quo caret, obtineat: cujus varia passim exstant exempla: *Genes.* XVIII. 23, 24. *& seqq. Luc.* XXIII. 34. *Eph.* I. 16. VI. 19. & alibi. Quas omnes species Apostolus conjungit 1 Tim. II. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri deprecationes*, δεήσεις, *orationes*, προσευχάς, *intercessiones*, ἐντεύξεις, &c.

VIII.

Sex in ea consideranda.

VIII. Ut autem distinctè de Precatione dicamus, I. De illius necessitate. II. De materiâ precationis. III. De dispositione precantis. IV. De ipsius precationis requisitis. V. De circumstantiis precum: ac tandem VI. De precationis effecto, breviter dicturi sumus.

1 Necessitas. Eam probat indigentia nostra.

IX. Primò. Necessitatem precationis satis evincit indigentia nostra, nec ullus ad precandum validior stimulus, quàm indigentiæ nostræ sensus. Vita quippe nostra variis periculis est exposita, omniumque indiga, tam respectu status animalis, quàm spiritualis. Status noster animalis omnium ad vitæ sustentationem, tam quibus alamur, quàm tegamur, indigus est; multisque præterea adversitatibus ac miseriis, morbis, egestati, tum & aliorum hominum vexationibus est obnoxius; quæ omnes miseriæ graphicè depinguntur *Job.* v. 1. 1,2,3. XIV. 1,2. & præcipuè *Syrach. cap.* XL. Spiritualis autem, omnium ad salutem necessariorum, qualia sunt, intellectus illuminatio in cognitione voluntatis divinæ, excitatio & directio voluntatis ad ambulandum in viis Domini, Spiritus Sancti donum, remissio peccatorum & vita æterna, planè est indigus; & continuis ac multò maximis periculis ac tentationibus, à carne, mundo, & Satane, tum & persecutionibus hominum impiorum ac infidelium, est obnoxius. Utraque ergo hæc indigentia precationis necessitatem docet, ut à Deo auxilium impetremus. Sic in genere dicitur *Psal.* L. 15. *Invoca me in die tribulationis, & ego eruam te.* Atque adeo totus Psalmorum liber quasi precum promptuarium est, unde preces cuivis statui ac necessitati accommodatas depromere possumus. Et quod speciatim attinet statum vitæ nostræ animalis, dicitur *Joel.* I. 19, 20. *Ad te, Domine, clamabo; quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis:* &c. Sic videmus sanctos in necessitatibus suis Deum invocasse, Israëlitas, mari rubro & Pharaonis exercitu conclusos, *Exod.* XIV. Ezechiam, cum mortis instantis nuntium accepisset, *Esa.* XXXVIII. & ne omnes enumeremus, multi tempore Servatoris nostri precibus liberationem quæsiverunt, qui vel ipsi, vel quorum liberi morbis afflicti erant: in Euangeliis passim. Sic & Paulus, 2 *Corinth.* XII. 1. Indigentia respectu vitæ spiritualis nos ad precandum excitat, *Jacob.* I. 5. *Si quis vestrum sapientiâ indiget, petat eam à Domino.* Ne jam alia loca allegemus.

Et mandatum divinum.

X. Exstat præterea expressum Domini mandatum; *Matth.* VII. 7. *Petite, & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis. Marc.* XII. 33. *Vigilate & orate. Luc.* XXI. 36. *Vigilate omni tempore orantes.* Sic & Apostoli *Rom.* XII. 12. *Oratione instate. Eph.* VI. 18. & *Coloss.* IV. 2. Ad ditumque ingens exauditionis promissum: *Matth.* VII. 7,8,9, 10, 11. *Luc* XI. 5. *& seqq. Matth.* XVIII. 19. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Joan.* XIV. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Cui parallelus est, *Cap.* XVI. 23. Et tandem idem exempla innumera fidelium confirmant, qui precibus suis maxima quæque à Deo obtinuerunt; de quibus in sequentibus dicemus. Omnia hæc precationis necessitatem evincunt; quia non est officium, quod propriè Dei causa præstamus, solummodò ut eum honoremus, quemadmodum reliqua; sed proprie nostri causa, ut à Deo obtineamus, quibus indigemus.

Occurritur dubio.

XI. Dices. Quid necesse est Deum orare, cùm Deus etiam nobis non orantibus sciat cujus indigeamus, & benignus sit, ut ea largiri velit? Resp. Ita est: sed vult Deus, ut nos nostræ indigentiæ conscii simus: qui enim nullius indiget, aut potens est ut sibi omnia largiatur, non necesse habet alium precari. Qui itaque alium precatur, eo ipso indigentiam suam confitetur. Et deinde, ut ipsum omnis boni agnoscamus auctorem, non autem adscribamus nobis ipsis, aut cœcæ fortunæ. Sic dicitur *Jacob.* I. 17. *Omne bonum datum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Hoc officio movetur ad dandum, aliàs non daturus. Pater, licet benignus, multa largitur filio petenti, quæ aliàs largiturus non esset.

Qui precum necessitatem evertant.

XII. Necessitatem autem precum evertunt, qui Deum jam ab æterno irrevocabile de omnibus eventibus decretum fecisse docent. Quoniam enim decretum Dei irritum fieri nequit, frustranea est omnis precatio. Si enim Deus rem dare decreverit, etiam sine precatione obtinebitur: si decreverit non dare, nullis precibus obtineri potest. Sed quoniam argumentum hoc in doctrina de Prædestinatione latius est tractatum, id hîc breviter tantum attigisse sufficiat.

2. Materia precationis.

XIII Secundò. Materia Precationis complectitur, tum objectum, ad quod preces dirigendæ sunt; tum personas pro quibus, & res de quibus orandum est. Objectum precationis, sicut & totius cultus divini, consideravimus; restant duo posteriora consideranda.

Orans pro se ipso precari debet.

XIV. Quod itaque personas attinet: eæ sunt, tum orans ipse, tum alii. Quin fidelis pro se Deum orare debeat, nemo est qui in dubium vocare possit: ipse enim propriæ indigentiæ maximè sibi conscius, propriæque utilitatis summè studiosus est; & salutis quidem æternæ summè studiosus esse debet. Sic omnia precandi præcepta, antea recensita, precationes hominis fidelis

pro se maximè concernunt. Sic ipse Dominus Jesus pro se oravit, *Matth.* XXXVI. 39. *Hebr.* v. 7. sic & Apostolus Paulus, 2 *Cor.* XII. 8. aliique.

An liceat imprecatione contra seipsum uti.

XV. Sed quæritur, an homini Christiano imprecatione contra seipsum uti liceat? Resp. Varia sunt imprecationis genera, quædam licita est, alia illicita. Imprecatio licita est: 1. Quæ fit in legitimis juramentis, quando homo, licet in specie malum non exprimat, sibi tamen, si fallat, malum aliquod precatur. Sed de ea dicemus, quando ad juramenti considerationem pervenerimus. 2. Quæ fit ex ingenti erga proximum charitate, quâ nobis precamur malum, ut proximus à simili vel graviore liberetur. Qualis fuit Davidis 1 *Chron.* XXI. 17. *Domine Deus meus, vertatur quæso manus tua in me, & in domum patris mei; populus autem tuus non percutiatur.* Et Mosis *Exod.* XXXII. 32. *Obsecro Domine, aut dimitte iis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.* Et Pauli *Rom.* IX. 3. *Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis* Hæc non tantum licita; sed & summâ laude digna est. 3. Quæ fit ad ostendendum innocentiam suam, aliquando licita est: nempe si nostra magnoperè intersit innocentiam nostram cognosci, neque alio modo comprobari possit. Sic David *Psal.* VII. 4, 5, 6. *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis:* &c. *Persequatur inimicus animam meam, & conculcet in terram vitam meam:* &c. Et *Psal.* CXXXI. 2. ubi quidem imprecatio non expressa est: sed ratio loquendi subintelligendam docet: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam;* supple, puniat me Deus. Sed est præterea imprecatio ex impatientia orta, cum quis præ malorum, quibus premitur, tædio mortem sibi exoptat. Sic Moses, continuis ac diuturnis populi murmurationibus fractus ac fatigatus, Deo dicit, *Obsecro ut interficias me,* &c. *Num.* XI. 10. *& seqq.* Et Job: *Quis det ut veniat petitio mea; & quod exspecto tribuat mihi Deus; & qui cœpit, ipse me conterat:* &c. *Job.* VI. 8, 9. Et Jonas, ardore solis post arefactum ricinum fatigatus, dixit, *Melius est mihi mori, quàm vivere; Cap.* IV. 8. Si ea fiat, non præmeditato animo, sed miseriæ ac dolorum vehementiâ abrepto, nec diuturna sit, enorme peccatum non esse videtur. Sed si ex animi impatientia & murmuratione, præsertim ob miserias ac dolores non extraordinarios, qualis videtur fuisse Jonæ, oriatur, culpâ gravi non caret: ideoque & Jonas graviterà Deo reprehensus legitur.

Et pro aliis.

XVI. Officium fidelium esse etiam pro aliis orare, multa evincunt Scripturæ testimonia. *Jacob.* V. 16. *Alii pro aliis orate. Eph.* VI. 18. *Orate pro omnibus sanctis. &* 1 *Tim.* II. 1, 2. *Hortor primum fieri orationes, deprecationes, intercessiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt; ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate.* Deinde, homines quandoque jubentur aliorum pro se intercessiones requirere. Sic Deus Abimelecho mandat, ut Abrahami pro se preces expetat, *Genes.* XX. 7. & amicis Jobi, ut ad ipsius intercessionem confugiant, *Job.* XLII. 8. Porro ipsi Apostoli sese non rarò fidelium precibus commendarunt, eorumque pro se apud Deum intercessiones expetiverunt. Sic Paulus *Rom.* XV. 30. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Similia videmus *Ephes.* VI. 19. *Coloss.* IV. 3. 1 *Thess.* V. 25. 2 *Thess.* III. 1. *Hebr.* XIII. 18. Atque ita videmus pro Petro captivo ab Ecclesia sine intermissione ad Deum orationem esse factam. *Act.* XII. 5. Et præsertim ipsi Apostoli precibus suis apud Deum pro fidelium salute intercesserunt. Exempla passim exstant in Epistolis Paulinis: *Rom.* I. 9, 10. *Eph.* I. 16, 17, 18. *Phil.* I. 9, 10. *Coloss.* I. 9. 1 *Thess.* V. 23. *Hebr.* XIII. 20, 21. & alibi. Ad ostendendum, pastorum id peculiare esse officium, gregem sibi commissum ardentibus Deo precibus commendare.

Ad quos id fit extendendum.

XVII. Cùm autem precatio pro aliis officium sit charitatis, etiam erga omnes, quibus charitatis officia exhibere tenemur, extendendum est; non tantum ad pios & amicos, sed & ad impios & inimicos. Sic mandat Dominus, *Benedicite iis qui devovent vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt, Matth.* V. 44. Quousque verò hæc precatio sit extendenda, & an certo quodam casu malum alicui imprecari liceat, cùm ad officia charitatis pervenerimus, distinctius inquiremus.

Explicatio 1 Joan. v. 16.

XVIII. Sed quæri hîc posset, an non sint quidem adeo eximiè & enormiter peccantes, ut pro iis Deum orare non liceat? Ita existimant quidam ex loco 1 *Joan.* V. 16. *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato quod non est ad mortem, petet, & dabit illi vitam peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.* Sed verò, nullum in hoc loco interdictum exstat. Ad summum tantum exinde concludi posset, nos non obligari ad orandum pro peccante ad mortem: non autem omnia, ad quæ obligati non sumus, statim illicita sunt. Sed nec hoc solidè hinc colligitur, sed tantum, nos precantes pro peccante ad mortem non impetraturos illius vitam. Dixit quippe Apostolus; precantem pro peccante non ad mortem, illi vitam daturum: pro peccante autem ad mortem *non dico,* inquit, *ut roget;* nim: ut subaudiatur, eodem cum fructu, ut vita illi detur: ut confirmet

firmet ante dicta, *vers.* 14. nos, si secundum Dei voluntatem precemur, impetraturos quod petimus. Quoniam enim aliquando non impetrabant orantes pro alio; dicit, mirum id non esse, quia fieri potest, ut orent pro homine ad mortem peccante, ac proinde non secundum Dei voluntatem, quoniam Deus illi vitam largiri non vult, sed jam morti eum destinavit. Adeo ut *peccantes ad mortem* sint, quibus Deus ob gravia sua peccata amplius gratiam facere non vult, sed quos sententiâ peremptoriâ morte plectere decrevit, quæque nullis aliorum, quantumvis sanctissimorum, precibus, mutari potest. Non ergo dicit Apostolus preces illas esse illicitas, sed irritas ac frustraneas. Eodem modo, uti precatio Jeremiæ pro populo quem jam Deus abjecerat: *Tu ne oraveris pro hoc populo, quia non exaudiam te*, &c. *Jerem.* VII. 16. & pro quo Deus etiam sanctissimorum preces, ut Mosis, Samuëlis, Noachi, Jobi, &c. rejecturus fuisset; *Jerem.* XV. 1. *Ezech.* XIV. 14.

Preces pro mortuis necessaria non sunt.

XIX. Ulterius quæritur, an etiam pro mortuis orandum sit? Quod Ecclesia Romana docet, vel saltem, maximâ cum utilitate preces pro mortuis fieri, ut nempe è purgatorio, dirisque illius cruciatibus liberentur. Nos, quæstione de purgatorio in alium locum rejectâ, nunc tantum breviter ostendemus, precationes illas nec pias aut necessarias, imò, etsi licitæ forent, planè inutiles esse. Necessarias non esse exinde constat, quia nullum de ejusmodi precibus, nec in Veteri nec in Novo Testamento exstat præceptum: imò licet in Veteri Testamento multa sacrificia pro quibusvis peccatorum generibus instituta sint, nullius tamen pro defunctis sacrificii mentio uspiam fit, imò nullum Deus indicium dedit, tales se preces requirere. 2. Nullum ejusmodi precum habemus exemplum, cùm tamen, si necessariæ aut utiles sint, crebræ earum mentionem faciendi sint occasiones, præsertim ubi obitus ac funeralia virorum magnorum narrantur. Imò quod magis est, David, qui jejunio ac fletu apud Deum pro filiolo suo ægro intercessit, statim eo defuncto orare desiit; hâc additâ ratione, quod precatio ipsius frustranea esset futura: 2 *Sam.* XII. 22, 23.

Expenditur factum Judæ Machabæi, 2 Mach. XII.

XX. Objicitur tamen exemplum Judæ Machabæi & Judæorum in exercitu ipsius; qui precati sunt & sacrificium obtulerunt pro iis, qui in prælio interempti sunt: 2 *Machab.* XII. 39. *& seqq.* Resp. 1. Nos antea ostendimus, librum hunc esse apocryphum; ac proinde ex eo nullum ad dogma fidei probandum argumentum depromi posse. 2. Distinguendum inter judæ Machabæi factum, & historici de illo judicium. Factum Judæ laudabile videtur; nihilque continere improbandum. Cùm enim sub interfectorum tunicis inventa essent idolorum donaria, quæ Judæis sub anathematis pœna erant interdicta, *Deut.* VII. 25, 29. omnibus dicitur manifestum fuisse eos ob hoc crimen corruisse. Judas ergo, & qui cum eo erant, memores Deum occasione criminis unius, rem anathemate devotam sibi retinentis, totum populum punivisse, uti in exemplo Achanis liquet *Josua.* VII. ad preces conversi Deum oraverunt, ut quod commissum erat oblivioni traderetur: & Judas omnes hortatus est, ut se à crimine impollutos servarent: ac simul omnes sacrificium Hierosolymam miserunt duodecim millia dragmarum argenti, ad offerendum pro peccato; non ut mortui à peccato absolverentur; sed ne pœna ob peccatum, ab iis qui postea in prælio occisi sunt commissum, etiam in superstites propagaretur, atque ita à toto populo reatus tolleretur. Hoc Judæ factum, nihil Legi adversum continens, scriptor historiæ non rectè percepisse videtur, sed credidisse Judam pro mortuis sacrificium obtulisse, ut illi à peccato exsolvantur. Et verò alia sunt, ex quibus liquet, auctorem de facto hoc non rectè judicasse. 1. Enim sacrificium pro mortuis oblatum dicit: quod legi consentaneë fieri non potuit. 2. Nec considerasse videtur quæ ipse dixit: postquam enim dixit, *vers.* 40. omnibus manifestum esse factum, interfectos ob crimen illud idololatriæ corruisse, mox, tanquam sui oblitus, dicit eos *cum pietate dormitionem accepisse*, *vers.* 45. Ne jam addamus, factum illud Judæ, etiam secundum scriptoris hujus judicium, nihil spectare ad purgatorium: Judas enim de resurrectione cogitabat: *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis*, ait *vers.* 44. Atqui qui in Romana Ecclesia preces fundunt pro laborantibus in purgatorio, non respiciunt ad resurrectionem, sed tantum liberationem à purgatorii cruciatibus.

Sed superflua.

XXI. Tertiò. Nulla precum harum est utilitas, sed superfluæ prorsus sunt, & vanæ. Non enim illis quicquam pro defunctis obtineri potest, nec pro piis, nec pro impiis. Non pro piis, quia illi sunt in statu salutis, & certa exspectatione beatæ resurrectionis gaudent. Non pro impiis; quoniam illi à salute irrevocabiliter sunt exclusi. Sanè si Joannes preces pro peccantibus ad mortem irritas dicit, 1 *Epist*, v. 16. quid dicendum de precibus, pro hominibus in peccatis illis mortuis effusis? Sed, inquiunt, quæritur de hominibus in statu medio mortuis, absque culpa mortali, & solummodò cum veniali, an non viventium precibus juvari possint? Resp. Ostendi primum deberet, tales esse culpas, hominemque post æternæ pœnæ remissionem adhuc pœnarum temporalium reatu teneri; Scriptura statum illum

illum medium non agnoscit, sed piis plenariam omnium peccatorum remissionem tribuit: 1 *Joan.* I. 7. quod *sanguis Christi eos purget ab omni peccato.* & *Rom.* v. 1. quod *justificati per fidem, pacem habeant eum Deo per Jesum Christum.* Eosque in pietate obdormientes *requiescere in cubilibus*, seu sepulchris, *suis*, *Esa.* LVII. 2. *esse apud Dominum*, 2 *Cor.* v. 8. *à laboribus suis quiescere, operaque ipsorum eos sequi*, *Apoc.* XIV. 13. affirmat.

Res, quas petere licet, sunt omnia voluntati divinæ consentanea.

XXII. Res, quas petere precibus nostris possumus, sunt omnia, quæ Dei voluntati consentanea sunt: ita dicente Joanne 1. *Epist.* v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus ad voluntatem ejus audit nos.* Secundum voluntatem autem Dei est, quicquid Deus nobis officium facientibus promisit, ac proinde dare decrevit. Non est itaque secundum voluntatem Dei, quod Deus vel jam ante constituit non dare; vel consultum non judicat tum dare cum petitur, propter causas quas ipse solus novit, aut quæ precantibus ignotæ sunt. Eadem itaque a Deo petenda sunt, quæ cum fiducia ab ipso exspectanda docuimus.

Spiritualia ardentius precanda quàm corporalia.

XIII. Bonum siquidem Christiani hominis duplex est, alterum spirituale, alterum corporale. Spiritualia Deus fidelibus officium facientibus absque ulla ulteriore conditione promisit, *Matth.* VII. 11. *Luc.* XI. 13. *Joan.* XIV. 13. *Jacob.* I. 5, Corporalia etiam aliquatenus promisit, præsertim ad vitæ sustentationem necessaria, *Matth.* VI. 33. 1 *Tim.* IV. 8. *Hebr.* XIII. 5, 6. sed verbis tantum generalibus, & non tanquam principale bonum, sed adjectamentum quoddam: ideoque promissiones hæ semper cum hac restrictione sunt intelligendæ, si earum adeptio æternæ nostræ saluti non obsit: hoc enim casu Deus eas non dare decrevisse censendus est. Hinc liquet, spiritualia primò ac principaliter, & quidem absolute à Deo peti posse; utpote nobis certò promissa: Corporalia verò etiam peti posse: sic Dominus in precatione dominicâ jussit nos orare, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* sic & Paulus oravit, ut stimulus ille carnis à se auferretur, 2 *Cor.* XII. 7, 8, 9. & Jacobus monet *cap.* v. 14, 15. *Ægrotat quis inter vos? advocet presbyteros Ecclesiæ & orent super eum; & oratio fidei salvabit infirmum*, &c. Ea autem semper cum conditione, in promissis divinis subintellecta, peti debent; si saluti nostræ, aut decretis divinis adversa non sint: ad exemplum Servatoris, *Matth.* XXVI, 39. *Pater si fieri potest* (id est, si decreta tua permittant, ut redemtio humani generis perficiatur absque angore hoc) *transeat calix iste à me: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Præsertim quia secura & abundans bonorum hujus vitæ possessio sæpius animum nostrum terræ affigit, nosque in amore cœlestium tepidos reddit, ac proinde animum frangit, quò minus adversa pro nomine Christi fortiter tolerare possit; saltem cum virtute patientiæ, quæ se non ostendit nisi in adversis, consistere nequit: quam tamen & præstantissimam ac inter omnes virtutes difficillimam esse constat, præsertim si cum ignominia ac cruciatu, ac potissimum morte, pro nomine Christi, omnibus fidelibus in genere prædictâ, conjuncta sit.

Quod plenius adstruitur.

XXIV. Sed & aliâ ratione idem ostenditur. Promissis divinis amor noster debet esse accommodatus: Deus siquidem bonorum quæ promittit amore nos ad præceptorum suorum observationem excitare vult: Cœlestia autem promittuntur præcipuè, eaque jubemur quærere. *Matth* VI. 19, 20, 21, & 33. *Coloss.* III. 1, 2. mundum autem & quæ in eo sunt non diligere, 1 *Joan.* II. 15, 16. Ad summum itaque moderatus rerum terrenarum amor est licitus, & eatenus, quatenus spiritualium & cœlestium amori non adversatur. Cùm ergo preces indicia sint amoris nostri: quæ enim petimus, ea amamus ac desideramus; sequitur spiritualia ac cœlestia præcipuò precibus esse petenda: corporalia minus præcipuè, & quatenus spiritualibus non adversa. Spiritualia enim precantis animum pietatis studiosum esse liquet: Corporalia verò, præsertim absolutè & ardenter, precantis animus, magis cupiditatibus suis, quàm pietati addictus deprehenditur. Imò corporalia præstat petere terminis generalibus; ut Deus nostri misereatur, aut secundum misericordiam suam nobiscum agat; ex misericordia enim divina omnia in nos bona ac salutaria redundant: *Psal.* CIII. 4. & CXLV. 9. *Suavis Dominus universis; & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Sic eorum quæ petimus ac desideramus delectum Deo committimus, qui pro summâ suâ sapientia novit, & pro summa benignitate vult dare nobis maximè salutaria ac necessaria. Usui id in casibus perplexis, quando nescimus quid petituri simus, & quocunque nos vertamus, nil nisi perplexitates nobis occurrunt, ut misericordiam Dei imploremus; ea enim precatio auxilium continet quod intendimus. Non enim melior & certior è miseriis nostris emergendi via est, quàm si Deus misericordiam suam erga nos demonstret: & modum tempusque exauditionis Deo committimus, persuasi Deum optimam nobis succurrendi rationem perspectam habere. Ita David aliquoties misericordiam Dei implorat: *Psal.* LVII. 1. LXXXVI. 6. CXLIII. 8. Si tamen specialia quædam petere velimus, semper cum expressâ illa conditione petenda sunt, si sint salutaria, nec gloriæ divinæ adversa.

XXV.

Summa precationis Dominicæ.

XXV. Omnia autem, quæ à nobis peti debent, summatim precatione Dominicâ sunt expressa; cujus petitiones pleræque respiciunt bona spiritualia; unica tantum respicit bona corporalia, & quidem ad vitæ sustentationem planè necessaria, panem vid. quotidianum: ut liqueat, illa esse minima, neque tam crebrò ac ardenter quàm spiritualia petenda. Sex quippe precatio hæc continet petitiones; quarum tres priores immediatè Dei gloriam spectant: & quidem hoc ordine. Prima respicit verba, gestus, aliaque externa, quibus Deus honoratur; petit quippe, ut *Nomen Dei sanctificetur.* Altera, petens ut *Regnum Dei adveniat*, cor nostrum propriè concernit, quo Deus honoretur & in pretio habeatur. Tertia, *Fiat voluntas tua quemadmodum in cœlo sic & in terra*, refertur ad facta ex corde nostro prodeuntia, quibus Deo obedientiam quam requirit præstamus: eâ enim honoratur. Animadvertendum autem, hæc non esse vota nuda, sed petitiones propriè dictas, quibus petimus ut Deus ista efficiat; quia est petitio in nostri salutem, ac proinde quâ petimus aliquid nobis ipsis: non quidem ut Deus illa simpliciter in nobis absque nobis efficiat; sed ut nobis det auxilium & gratiam, sine cujus ope illa præstari non possunt; quæ in nostra potestate non est, sed tota à Deo solo exspectari debet. Tres posteriores petitiones spectant commodum nostrum, idque totum à Deo effici postulamus; beneficia quippe sunt, quæ à solo Deo obtineri possunt: eaque hoc ordine petuntur. Primo bonum aliquod, & quidem ad hanc vitam spectans, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Secundò, mali spiritualis depulsio, cui tamen & contrarii boni adeptio includitur: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Remissioni enim peccatorum justificatio & vitæ æternæ donum adhæret. Tertiò, à malo spirituali præservatio ac defensio: *Ne nos inducas in tentationem sed libera nos à malo.* Quibus præcipua ac pleraque quibus indigemus continentur.

Hac precationis formulâ non est necesse semper uti.

XXVI. Sed quæritur, an hac precationis formulâ semper sit utendum; cùm Dominus dicat *Matth.* VI. 9. *Vos ita orate*, &c. Resp. Non videtur Dominus Jesus nos ita adstrinxisse huic formulæ, ut planè non liceat aliis verbis Deum compellare: videmus enim Apostolos aliis usos, *Act.* I. 24. IV. 24. imò ipsum Dominum, *Joan.* XVII. *Matth.* XXVI. 39. & alibi. Sed Dominus rudibus suis discipulis præscripsit orandi formam, quam totam vel ex parte observarent, & ad cujus instar preces suas componerent, ut vitarent battologiam, & maximè necessaria petere discerent. Notant enim docti, varias precandi formulas Judæis fuisse usitatas, Dominum autem quicquid in omnium precibus laudabile erat in hanc unam congessisse, & tanta cum brevitate, ut nihil in ea superfluum sit.

An alia petere liceat.

XXVII. Sed ulterius quæritur; An non Dominus hac precationis formulâ præscribere voluerit, res non alias à Deo petendas, quàm in hac prece enumeratas, aut saltem sub hisce comprehensas? Resp. Alias res etiam peti posse, liquet ex exemplo Domini Jesu & Apostolorum. Fateor multa per consequentiam ad hasce petitionibus his comprehensas referri posse; quæ tamen non directè sub illis comprehenduntur. Possunt varii in vita nostra incidere casus alii, hìc non expressi, qui nos ad orandum incitent. Hìc verò exprimuntur res illæ, quæ omnes & singulæ omnibus & singulis ut plurimum, imò ferè semper, necessariæ sunt: itaque semper illas petendas docuit Dominus, quia iis continuò opus habemus. Attamen omnia non omni statui conveniunt. Sic in agone mortis constitutus commodè orare non potest, panem quotidianum da nobis hodie. Et status quidam incidere possunt, quibus & alia petenda sint, attamen hisce consentanea, nihil autem adversum.

An aliquâ consuetâ precationis formulâ uti liceat.

XXVIII. Tandem quæritur, An aliquâ precationis formulâ consuetâ uti liceat? Quidam enim id illicitum statuunt, sed extemporaneas requirunt, pro cujuscunque temporis ac necessitatis ratione ex tempore & impræmeditatò formatas. Nos dicimus, preces ejusmodi extemporaneas, si quis aptitudinem habeat eas formandi, laudabiles esse, & ad fervorem ac attentionem excitandum accommodatas: formulæ quippe præscriptæ omnia particularia, & omnibus casibus convenientia, etiam quoad spiritualia, continere nequeunt: neque planè sequuntur affectus nostros internos, uti in omni precatione conveniens est, sed eos aliquatenus præcedunt & ducunt; ac tandem, quia memoriæ inhærent, & ex consuetudine recitantur facile fit, ut tepidiores in precando reddamur, & in verbis prolatis acquiescamus, seu verba nuda recitentur absque mente. Non tamen formulas omnes damnandas aut rejiciendas credimus. Licitas quippe esse, patet ex precationis Dominicæ formula; ex formulæ benedicendi institutione Sacerdotibus in Veteri Testamento præscriptæ, *Num.* VI. 24, 25, 26, 27. & sanctorum praxi, quibus & precandi & Deo benedicendi formulas usitatas fuisse, scripta eorum legentibus manifestum est. Utile etiam aliquando est formulas consuetas recitare. Omnes enim non sunt apti ad preces extemporaneas formandum; & quidam adeo rudes sunt, ut desideria sua aptis verbis exprimere nequeant. Imò in publicis precibus aliquando necessarium est. Non enim omnes, qui privatas preces ex tempore fundere possunt,

apti sunt ad publicas ex tempore formandas, quibus fidelium necessitates Deo commendent, totiusque cœtus affectus excitare possint. Nec in publicis tantum, sed & in privatis precibus utile aliquando est formulâ quâdam regi. Unde & cujusque Christiani hominis officium est varias in promptu habere precandi formulas, atque ita assuescere cum Deo loqui, ut verba decorè necessitati cuique accommodentur. Licet enim necesse non sit, verba ita exquisitè meditari, perinde ac coram hominibus, qui sensum nostrum, nisi ipsis commodè aperiatur, cognoscere nequeunt; quique aliquando fastu tumentes, nisi eos titulis quos sibi deberi credunt compellemus, statim alienantur; & præcipuè requiratur animus devotus, & in Deum penitus recumbens; juxta *Rom.* VIII. 26, 27. conveniens tamen est & verba commoda adhibere, quibus & Deo gloriam tribuamus, necessitates nostras explicemus, & fundamenta fiduciæ nostræ aperiamus; ne in iis hæsitantes, & precatio nostra interturbetur, & cogitationes nostræ distrahantur.

CAPUT XXVII.

De dispositione precantis, & requisitis in precatione.

3. Dispositio precantis. ac 1. quidem pietas.

I. Tertiò. Quòd precantis dispositionem attinet, ut ritè se ad precandum accingat, varia requiruntur. Ac primò, pietas: ut precans sit corde puro, & facta sua ad præceptorum divinorum regulam componat; alias frustra precaturus. 1 *Joan.* III. 21, 22. *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus ad Deum; & quicquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. Joan.* IX. 31. *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Jacob.* v. 16. *Multum valet deprecatio justi efficax.* Unde vult Apostolus, ut *viri orent in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione*; 1 *Tim.* II. 8. Aliàs Deus precantem non audit; nam *oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala:* 1 *Pet.* III. 12. Vide & *Esa.* I. 15. LIX. 1, 2. Unde & *Lament. Jerem.* III 44. dicitur Deus sibi *opposuisse nubem, ne transiret oratio.*

Quid sentiendum de precibus pœnitentium a peccatis.

II. Dices. Quid itaque faciendum homini, qui hactenus in peccatis vixerit? Resp Aut ducitur seriâ peccatorum pœnitentiâ, aut nullâ. Si nullâ peccatorum pœnitentiâ ducitur, & adhuc impietatem animo agitet, nullam à Deo exauditionem sperare potest: imò tali animo ad Deum accedere, præsertim de peccatorum suorum enormitate plenè persuaso, hominis est desperatè improbi, quique omnem divini numinis reverentiam abjecit. Implorat enim opem Dei, cujus se continuis peccatis inimicum declarat. Si verò seria peccatorum pœnitentiâ ducitur, potest etiam Deum orare, & licet non cum tanta exauditionis fiduciâ, quàm si continuò pietati operam dedisset, tamen cum fiduciâ impetrandi quod saluti planè necessarium est, in Deum sperare potest: præsertim cùm videamus Deum aliquando non aspernatum esse preces eorum, qui hactenus in gravia, imo gravissima, prolapsi fuerunt peccata, & ea animo detestantes pœnitentiâ ac dolore ducti fuerunt, nondum tamen peccati jugum planè excusserunt: uti id in Israëlitis passim, in Achabo, Ninivitis, aliisque videre est. Sic & *Esa.* I. 16. Deus Israëlitas, quos variorum criminum reos peregerat, quorum causâ preces eorum exaudire nollet, monet ut a sceleribus desistant, promittitque se omnia illis peccata condonaturum, omniaque prospera largiturum.

2. Fraterna charitas.

III. Sed quoniam variæ sunt pietatis partes, omniaque peccata pietati adversantia non æqualiter precum exauditionem impediunt; secundo quàm maximè requiritur, ut iis simus prædití virtutibus, quarum neglectus precum exauditioni quàm maximè obstat: illarum autem præcipua est fraternæ charitatis studium: vitia illi adversa, malevolentia & odium, & præsertim animus à reconciliatione cum fratre aversus. Quoniam autem vel nos ipsi, vel proximus causam offensæ dare potest, ita & utroque in casu officio nostro deëste possumus. Primò: quando nos alium injuriâ affecimus; illum negligendo, veniam non orando, nec illi prout æquitas postulat satisfaciendo. *Matth.* v. 23, 24. *Si offers munus tuum ad altare, ibique recordatus fueris fratrem tuum aliquid habere adversum te* (id est, causam de te conquerendi, eo quod injuriâ à te sit affectus) *relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Secundò: quando nos ab alio læsi sumus; vindictam concipiendo, & animum à condonatione alienum ostendendo: contra *Eph.* IV 31, 32. *Coloss.* III. 12, 13, 14. Quomodo enim à Deo remissionem graviorum, quam precatur, peccatorum sperare ausit, qui minora conservo suo condonare non vult? Hinc Dominus *Matth.* VI. 12. orare nos jubet, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*: addita ratione *vers.* 14, 15. *Nisi nos aliis remiserimus, nec Patrem nostrum cœlestem peccata nobis remissurum*: quod & egregiè parabolâ servi illius duri ac immitis illustratur, *Matth.* XVIII. 23. & *seqq.*

3. Fides.

IV. Tertiò requiritur Fides; non tantum generalis in Jesum Christum, quæque pieta-

pietatis est mater; sed & particularis, quæ est fiducia exauditionis, seu obtinendi id quod petitur. Hanc requirit *Jacob.* I, 6, 7. *Postulet in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur: Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Non enim hîc requirit Apostolus fidem generalem in Jesum Christum: illam enim ad fideles scribens præsupponit; sed fiduciam obtinendi à Deo quod petitur. Nec obstat, quod addit, *Non æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Illis enim innuere non vult, hominem illum obtinendi fiduciam habere; sed emphaticè significare, absque illa fiducia nullam exauditionis spem esse; perinde uti nos validè quid negaturi, dicere solemus, ne crede me tibi hoc daturum. Hanc etiam exigit Dominus *Matth.* XXI. 21, 22. *Marc.* XI. 23, 24. *Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis credite quia accipietis, & evenient vobis.* Fide autem homo creditur prædītus, quando de indigentia sua persuasus se precibus suis Deo commendat, sibique ac suis necessaria postulat, non tantum potentiæ divinæ, sed & benignitati confisus, quòd ea seriò petenti largiturus sit.

Qualis fiducia requiratur. V.° Quæres: An itaque in omni prece requiritur, ut statuamus Deum nobis largiturum quod petimus? Resp. Id solummodò requiri in illis, quibus à Deo petimus quæ ad salutem nostram æternam spectant. In iis autem quæ vitam hanc animalem concernunt, fiducia requiritur promissis divinis consentanea; quæ quoniam, uti vidimus, non æqualiter promissa sunt cum bonis spiritualibus, etiam fiducia ea obtinendi priore inferior est. Illud statuendum, Deum quæcunque petimus dare posse: esse etiam benignum admodum; ideoque daturum, si saluti æternæ promovendæ serviat. Si itaque Deus id non largiatur, credendum alterutrum: aut saluti nostræ obesse, licet nos illud ignoremus: ac tum amoris signum est, quod Deus nobis non largiatur quod saluti nostræ obesse novit; perinde uti amoris actus est, quod pater filio cultrum aut cibum noxium petenti denegat: aut majori gratiâ compensaturum: perinde uti Paulo, precanti ut stimulus ille carnis & angelus Satanæ, qui ipsum colaphizabat, à se auferretur, non annuit, sed majorem largitus est gratiam: dicens, *Sufficiat tibi gratia mea,* 2 *Cor.* XII. 7, 8, 9.

4. Bona intentio. VI. Quartò: Bona intentio, ut quæ petit, in bonum finem petat, utendi nim: in gloriam Dei, & salutis suæ ac proximi promotionem: *Jacob.* IV. 3. *Petitis, & non accipitis; eo quod male petatis; ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

4. Requisita precationis. VII. Quartò. Requisita precationis sunt, quæ ipsum precandi modum, seu precantis, dum ipso precandi actu occupatur, dispositionem concernunt: eaque sunt varia.

VIII. Primum est Humilitas & modestia: quia precatio est alloquium ad Deum. *1. Humilitas.* Hanc in nobis excitat consideratio supremæ majestatis divinæ, quod sit *Altissimus, Luc.* I. 32, 35. qui *cælum* habet *solium, & terram scabellum pedum suorum, Esa.* LXVI. 1, 2. coram cujus majestate ipsi Seraphim facies suas tegunt, *Esa.* VI. 2. & ab altera parte, vilitatis nostræ, qui pulvis ac terra sumus. Sic Abraham ait, *Genes.* XVIII. 27. & maximè quidem, peccatores, quo statu nihil abjectius coram Deo, quippe qui nos ejus favore indignos reddit. Humilitas hæc, ex peccatorum conscientia orta, præcipuam sibi sedem vindicat in corde: quod egregiè exemplo Pharisæi & publicani Dominus demonstrat *Luc.* XVIII. 10. *& seqq.* quorum utrique verba animo ipsorum convenientia tribuuntur, quibus alter de perfectione sua gloriatur, alter peccata sua summâ animi cum demissione deflet. Et sic jubet *Jacob.* IV. 10. *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Hinc & pium est; peccata nostra in precatione sæpius confiteri, ut ita indignitatis nostræ continuò memores, nos coram Deo humiliemus. Distincta quidem peccatorum confessio & enumeratio in quavis precatione præcisè necessaria non est: illa solummodò requiritur, quando conscientiæ nostræ peccatorum reatu oneratæ à Deo remissionem illorum quærunt. Sic David passim in Psalmis: ut *Psalm.* XXXII. 5. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi:* &c. & præsertim *Psal.* LI. 3, 4. *& seqq.* & Israelitæ *Jerem.* III. 25. Sed in ordinariâ precatione implicita & generalis confessio, quæ nos semper indignitatis nostræ admoneat, sufficit. Verùm & corporis gestibus, humilitatis internæ signis, exprimi debet; quales sunt genuflexio, prostratio corporis in terram, *Matth.* XXVI. 39. oculorum in terram dejectio, & pectoris percussio, *Luc.* XVIII. 13. & similes: semper tamen accuratâ habitâ loci & temporis ratione. Omnis quippe affectatio fugienda est, & hypocriseos, quam in Pharisæis damnat Dominus, *Matth.* VI. 5. suspicio: ideo & aliquando tegenda sunt animi demissi signa: & huc prudentiâ est opus: tam enim Christianum dedecet devotionis ostentatio, quàm neglectus. In publicis tamen precibus alia nonnunquam est ratio. Licet enim nihil in illis affectatum esse debeat; signa tamen devotionis adesse debent, præsertim in illo, qui alios prece est præiturus, & sicut zelum, ita & devotionem excitaturus.

IX. Secundum est Fervor. Hunc requirit *Jacob.* V. 16. *Multum valet deprecatio justi efficax.* Et Paulus, jubens ut *oremus in spiritu,* & *vigilemus* in precatione *in omni* *2. Fervor.*

instantiâ, *Eph.* VI. 18. *Coloss.* IV. 2. Exigit ille, ut ex intimo corde procedat oratio, & non tantum labris exterioribus enuntietur. Quæ enim illa est precatio, quando labia sonum edunt, cogitationes verò alibi divagantur? Deus verò animum magis respicit, quàm verba externa. Talis erat precatio Mosis, *Exod.* XVII. 11, 12. *Deut.* IX. 18 Eliæ, 1 *Reg.* XVIII. 42. de quâ *Jacob.* V. 17, 18. Tales fuere plures preces Servatoris nostri, cùm pernoctavit in prece, *Luc.* VI. 12. & præsertim in gravissimo illo angore, instante passione suâ, *Luc.* XXII. 44. Similia David sæpius de se testatur in Psalmis, quòd lectum suum riget lachrymis.

Quibus mediis ille excitari debeat. X. Requisitum hoc eo magis urgendum, quia experientia docet contra id sæpissimè peccari, etiam homine dolente, & in contrarium nitente. Licet enim studiosissimè ad ardorem precandi se componat, & ad exiguum tempus attentionem adhibeat; paulò post tamen cogitationes ejus, ipso tantum non invito, distrahuntur. Defectui tamen huic occurri potest, attentâ causarum distractionis consideratione, ut ita illis evulsis animus precationi semper sit intentus. Causæ illæ sunt variæ. Prima est amor mundi, eorumque quæ in mundo sunt. Ita enim sese res habet: amore mundi toti occupati, amore Dei vacui, non possumus corda nostra ritè attollere ad Deum: perinde uti oculus eodem momento simul cœlum & terram intueri nequit. Quod si autem nobis ipsis vim faciamus, animus noster statim assuetâ sibi inclinatione ad terrena relabitur: non aliter atque res gravis contra naturam suam in altum projecta, statim pondere insitæ sibi gravitatis rursus decidit. Altera est, indigentiæ nostræ oblivio, aut non animadversio. Ex nobis ipsis planè indigi sumus, tam respectu rerum quæ corpus, quàm quæ animum concernunt; non tantum quando primum ea Deus nobis largitur, sed postquam ea largitus est, continuâ illarum indigemus sustentatione, aliàs in eundem miseriæ statum relapsuri. Omnibus destituti, inopiam nostram sentimus, & inopiæ sensus nos ad precandum impellit: hinc est, quod in necessitatibus constituti & malis pressi ardentissimas ad Deum fundamus preces. Sed bona divina adepti, indigentiæ nostræ obliviscimur, cùm tamen divinâ gratiâ contra diaboli insultus quotidiè indigeamus, 1 *Petr.* V. 8. Sed diuturnâ fruitione sensim dona Dei tanquam propria nobis vindicamus, & datoris obliti etiam indigentiæ sensum amittimus. Hinc *Proverb.* XXX. 8, 9. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Deus?* Tertia: Quòd non pro merito expendamus magnitudinem boni quod petimus; præsertim si sit spirituale, cujus excellentia ab homine mundano percipi nequit: qui enim omnia æstimat juxta carnalem, quam inde sibi pollicetur, voluptatem; boni spiritualis, quo caro nequaquam afficitur, nec affici potest, magnitudinem non comprehendit. Quarta: Quod non attendamus ad ipsius precationis excellentiam. Est enim hominis abjecti ac peccatoris alloquium ad Deum, cœli ac terræ Dominum. Allocuturi principem aut Magistratum, & protectionem ejus imploraturi, quam præsens est animus? quàm apta & attenta mentis nostræ expressio? Allocuturi Deum an non æqualis, imò major attentio nostra foret, si precationis dignitatem rectè ponderaremus? Hisce distractionis causis remotis, attentionem debitam in precibus facile adhibituri sumus.

XI. Magnum etiam ad attentionem adjumentum est solitudo. Turba cogitationes solet distrahere: attentionem servat solitudo. Hanc quærimus serium quid meditaturi, aut cum amico de re seriâ collocuturi: multò ergo magis quærenda est locuturis cum Deo. Hinc Servator exigit *Matth.* VI. 6. ut oraturi intremus in cubiculum, & clauso ostio oremus: non tantum ad vitandum ostentationem, sed & turbam, quâ cogitationes nostræ distrahuntur. Et ipse Dominus oraturus solitudinem quæsivit, *Marc.* VI. 46. *Matth.* XXVI. 39. *Adjumentum ad illam est solitudo.*

XII. Tertium est assiduitas & Constantia. Sic 1 *Thess.* V. 17. *indesinenter orate.* Cujus præcepti duplex potest esse sensus. Vel: unam eandemque rem à Deo sine intermissione esse petendam, donec eam impetremus: itaque si non statim quod petimus impetremus, non propterea desinendum, sed instandum, donec continuatis precibus Dei benignitatem, ut ita dicam, expugnemus. Quod Dominus exemplo viduæ, iniquum judicem sine intermissione interpellantis, egregiè illustrat, *Luc.* XVIII. 1. *& seqq.* Nec non exemplo proprio, Patrem in summo angore ter precatus, *Matth.* XXVI. 39. *& seqq.* uti & Apostolus Paulus 2 Cor. XII. 8. Constant Deo suæ rationes cur exauditionem differat: vel ut probet fidem & constantiam precantis: non enim illa laudabilis est fides, quæ unam tantum aut alteram exprimit precationem; sed quæ precantem, licet aliquoties repulsam passum, indesinenter instare compellit. Talis fuit fides cœci illius, *Luc.* XVIII. 37. *& seqq.* & præsertim Cananææ, *Matth.* XV. 22. *& seqq.* Vel ut donum, post diuturnas ac iteratas preces ægrè quasi obtentum, tantò gratius sit: solent enim quæ difficulter acquiruntur esse gratiora. Vel etiam ut tantò majori in pretio habeatur, utpote difficulter & non nisi post diuturnas preces acquirendum. Vel sensus esse potest: Frequentissimè Deum esse orandum: & hunc in finem animum à curis mundi hujus *3. Constantia.*

ita

ita exsolvendum, ut quovis tempore ad precandum simus parati; nec ullas precandi occasiones præterlabi sinamus; quin & easdem sæpius quæramus: & hunc in finem studia ac labores nostros aliquantisper seponamus, ut toti precationi vacemus. Eodem sensu, quo de homine admodum diligente dicere solemus, eum sine intermissione legere aut scribere. Et huc spectant varia præcepta Apostoli. *Rom.* XII. 12. *Orationi instantes.* *Coloss.* IV. 2. *Orationi instate, vigilantes in eâ, in gratiarum actione.* Et *Ephes.* VI. 18. requirit, ut *per omnem precationem & orationem precemur semper in spiritu, & ad id ipsum vigilemus in omni perseverantia & precatione pro omnibus sanctis.*

4 Brevitas. XIII. Quartum est Brevitas. Vitanda est βαττολογία, *Matth.* VI. 3. *& seqq.* Non, quòd preces aliquando non possint esse prolixæ, aut non sæpius eadem res peti: fieri enim potest, ut ejusmodi preces ex intimis cordis penetralibus procedant, & verba in corde nascantur. Illa autem non est vitiosa illa battologia à Domino damnata: sed inanis illa verborum ac precum repetitio, quâ eædem preces iisdem verbis crebrò repetuntur: non aliter ac si Deus iisdem precibus sæpius auditis permoveretur ad exaudiendum. Qualis in Ecclesia Pontificia obtinet, qui preces easdem certo numero juxta rosaria sua (ut vocant) demurmurant, & Deo quasi annumerant: & solâ illâ recitatione, absque attentione debitâ, imo & in linguâ peregrinâ peractâ, gratiam Dei impetrare se putant. Quæ inexcusabilis superstitio est.

CAPUT XXVIII.

De Loco ac Tempore precum, & speciatim de Die Dominico.

5. Circumstantia precum. I. QUintò. Circumstantiæ precum duæ sunt potissimum, Locus, & Tempus. Ut de singulis distinctè dicamus, preces distinguendæ sunt in privatas uniuscujusque fidelis, seu familiæ, & publicas totius Ecclesiæ. Privatæ nulli unquam loco alligatæ fuerunt, sed ubique & quocunque in loco rectè fieri potuerunt.

Publicarum precum locus sub Lege erat templum. II. Publicarum totius Ecclesiæ precum locus in Veteri Testamento templo erat alligatus: juxta mandatum Domini, *Deuter.* XII. 13, 14. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus, in unâ tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi.* Quod de precibus, quæ sacrificia comitabantur, propriè intelligi debet. Illiusque mandati ratio erat, quia preces ad arcam, præsentiæ divinæ symbolum *Exod.* XXV. 22. & Jesu Christi veri nostri propitiatorii typum, *Hebr.* XIII. 15. fieri debebant. Quia autem arca, post varias migrationes, tandem in templo, à Salomone constructo, tanquam loco fixo, constituta est, & inde amplius non transferenda, Deus templum hoc cultui suo ac precibus destinavit: dicens Salomoni 1 *Reg.* IX. 3. *Sanctificavi domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum*, &c. Hinc quammaximè reprehensus Jerobeam, aliique ipsum secuti reges, qui alium precibus publicis & sacrificiis constituerunt locum; vocaturque id peccatum Jerobeami, qui Israëlem peccare fecit. Sed & in illo cultu idololatriæ quædam species fuit, uti in sequentibus ostendemus. Quia autem Deus populi preces in templo oblatas sibi acceptas fore dixerat, hinc durante œconomiâ legali fideles, quanquam privatas preces ubivis locorum fundere possent, in templum adscendere solebant, promptiorem exauditionem sperantes. Exemplum habemus in Pharisæo & publicano, *Luc.* XVIII. 10, 11. Sic & Anna in Silo, ubi erat arca Domini, privatim oravit, 1 *Sam.* I. 10, 11. Quin & Babylone, in captivitate, oraturi faciem versus Hierosolymam convertere solebant, *Dan.* VI. 10.

III. In Religione autem Christiana quivis locus ad precandum, etiam toti Ecclesiæ, indifferens est. Hoc indicat Paulus, dicens, *Volo viros orare in omni loco, levantes manus puras, sine ira & disceptatione*, 1 *Tim.* II. 8. Et clarius Dominus Jesus, dicens Samaritanæ mulieri, *Joan.* IV. 21, 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*; & non amplius in monte Garizim, quemadmodum Samaritani, aut Hierosolymis, ut Judæi: quia quivis locus nunc Deo æquè est acceptus. Stante adhuc templo fidelibus ex Judæis conversis in more erat, sicut circumcidi, ita & in templum orandi causâ adscendere; & ad eorum exemplum & faciliorem ad fidem conversionem, etiam Paulus adscendit Hierosolymam ad orandum, *Actor.* XXIV. 11. verùm non ullâ præcepti divini obligatione: nec is mos inter fideles ex Ethnicis conversos unquam obtinuit; & tandem Deus eversione Hierosolymæ ac templi cum abolevit. *Nunc quivis locus indifferens.*

IV. Quare excusanda non est Pontificiorum superstitio, qui preces suas in templis, variis ritibus ac ceremoniis, lotionibus nempe, unctionibus, cinerum aspersionibus ac exorcismis, cultui divino consecratis, Deo gratiores credunt, quàm domi, aut in loco non consecrato effusas. Sed nec minore superstitione ducuntur, qui templa Pontificiorum, quando in Protestantium veniunt potestatem, ad cultum divinum legitimè applicari non posse credunt. Remotis quippe quæ idololatriæ occasionem præbere possunt, nihil est quod in illis desideretur; quò minus cultus divinus in illis exerceri possit. *Superstitionum quarundam reprehensio.*

Judæi, quibus præceptum erat delubra gentium exscindere, *Deuter.* XII. 1, 2, 3. non tamen illicitum crediderunt in templo, in quo Antiochus abominandum idolum super altari erexerat, sacrificare; sed illud secundum legem purificare contenti fuerunt, 1 *Machab.* IV. 36. *& seqq.* Sed hi, vulgari superstitiosorum vitio, dum superstitionem vitare volunt, in aliam, non tolerabiliorem, incidunt.

Preces privatæ nulli tempori sunt alligatæ.

V. Altera circumstantia est Tempus. Hic observandum, alias preces fieri extraordinariè, certâ quâdam occasione oblatâ: ut, imminente gravi periculo, aut malo quopiam insigni nos premente; aut quando pio motu ad precandum incitamur. Hîc quodvis tempus opportunum est: sed ostentatio est vitanda, ideoque non publicè, sed domi clam precatio est instituenda, nisi necessitas aliud manifestè postulet. Aliæ sunt preces ordinariæ, quas nobis ipsis statutis temporibus indicimus. Quales sunt preces matutinæ & vespertinæ, ante & post pastum fusæ, ad quas & nostra indigentia & gloria Dei nos excitat, quasque exempla sanctorum nobis commendant.

In publicis ordinis ratio habenda est.

VI. In publicis precibus ratio temporis major habenda est, ut vitetur confusio, & omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant in Ecclesia Dei. Sic olim in Ecclesia Judaica solebant singulis sabbathis convenire ad audiendum Legem Mosis, *Actor.* XV. 21. quod sine precibus factum non videtur. Tria quoque festa annua instituta erant, quibus Judæis, viris saltem, Hierosolymam convenire ad precandum præceptum erat; *Exod.* XXIII. 17. *Deuter.* XVI. 16. Statas porrò quotidie habebant horas precationis, *Actor.* III. 1. Et potissimum institutum erat Sabbathum, cum rigido omnis operis interdicto; ut ita ab operibus quiescentes, toti cultui divino vacarent.

An sabbathi observatio sit instituta ab initio creationis.

VII. In Novo Testamento omne dierum discrimen abolitum est, nec ullus dies altero sanctior; juxta *Rom.* XIV. 5. *Alius judicat inter diem & diem; alius autem judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet.* Nec ullus nunc est, qui festa Judæorum anniversaria observare cupiat. Remanet tamen controversia, magnis animis ab aliquot annis agitata, de diei septimi observatione. Sabbathum Judaicum nunc abrogatum esse, dubitare nos non sinunt loca, *Coloss.* II. 16. *Ne quis nos judicet respectu diei festi, aut novilunii, aut sabbathorum,* &c. & *Galat.* IV. 10, *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Metuo de vobis, ne frustra laboraverim apud vos.* Quæritur autem, an non ad septimi diei observationem etiam hodie obligati simus? Quæstioni huic alia præmittitur, cujus solutio etiam hujus solutioni prælucere possit: Nimirum, an diei septimi observatio instituta sit ab initio creationis, quia legitur *Genes.* II. 2, 3. *Cum autem perfecisset Deus die septimo omne opus suum quod fecerat, quievit ipso die septimo ab omni opere suo quod fecerat, & benedixit diei sabbathi, & sanctificavit eum.* Si enim jam statim à creatione mundi illius observatio instituta fuit, non solos Judæos, sed omnes omninò homines obligare videtur, ac proinde nec nos hodie ejus obligatione videmur soluti.

Argumenta pro sententia negante.

VIII. Nobis argumenta pro negativa sententia solidiora videntur, credimusque verbis illis Mosis prolepsin contineri, quales prolepses in historia Mosis frequentes occurrunt. Dices. Si anticipatio sit intelligenda, ergo dicendum, Deum multa demum post secula quievisse ab opere suo, quia quies & sanctificatio sabbathi conjunguntur. *Resp.* Nulla in hoc argumento est sequela. Noluit Moses indicare, sanctificationem sabbathi cum quiete Dei immediate fuisse conjunctam; sic enim nulla posset concipi anticipatio; sed obiter tantum, occasione historiæ creationis, per anticipationem inserere voluit, Deum postea, cùm sabbathum sanctificaret, & Israëlitis observandum præscriberet, respexisse ad quietem, quâ septimâ die ab operibus creationis quieverat. Et huic explicationi sua non desunt argumenta, quibus fulciatur. 1. Quia sanctificatio Sabbathi non convenit diei septimo post creationem, sed post mannæ donationem, uti videre est *Exod.* XVI. 22, 23. *& seqq.* Respexit quidem Deus ad quietem à creatione die septimo, ideoque die septimo quietem indixit: sed ostendi nequit, sabbathum Judæis præscriptum respondere diei septimo à creatione, nisi ostendatur, septimum à donatione mannæ coincidere cum septimo à creatione, quod nusquam nobis in Scriptura revelatum est. 2. Aliqua procul dubio observationis hujus diei vestigia in actis patriarcharum reperirentur, & præsertim in peregrinationibus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Deum verum colentium; sed nihil horum in sacra historia occurrit. Dices. Patriarchæ ante Mosem pro sua in Deum pietate religionis & reparationis virium stata tempora habuerunt: ergo verisimile est, septimum diem ad eam rem servasse. *Resp.* Utrumque incertum est, & non ultra verisimile procedit. Feriatos nonnunquam esse à laboribus, ut toti cultui divino vacarent, pietas ipsorum credere jubet. Sed ipsos stata quietis tempora habuisse probari nequit; multò minus, illos septimum diem quieti destinasse: & incertius adhuc, illud factum ex obligatione præcepti divini. Omnia igitur hæc incerta. 3. Si septimi diei quies ob origine mundi hominibus fuisset præscripta, Deus non solos Israëlitas ob illius neglectum reprehendisset, sed & gentes, aliquando saltem; perinde sicut ob reliquorum præceptorum violationem eas reprehendit.

IX.

Occurritur objectioni.

X. In contrarium tamen objicitur: Quòd Apostolus *Hebr.* IV. 3. ostendere volens, requiem spiritualem jam præscribi, & aliam à sabbatho Israëlitico, & à requie in terra Canaan, in quam Josua Israëlitas introduxit, inquit verba hæc, *Juravi in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam*, pronuntiata esse à Davide, licet operibus Dei à fundamentis mundi perfectis, citans *Genes.* II. 2, 3. Itaque dum ad ostendendum, promissionem de ingressione in requiem non posse intelligi de requie sabbathi, hoc utitur argumento, quia pronuntiata jam operibus Dei à creatione mundi perfectis; sequitur quietem diei sabbathi incepisse à creatione mundi. *Resp.* Non loquitur Apostolus de requie sabbathi, sed de requi in terra Canaan, in qua ab omnibus molestiis ac laboribus requiem essent habituri. Illâ autem requie adumbratur requies æterna in cœlo, in quam fideles, postquam in Domino mortui sunt, ingressuri sunt: quod manifestè ex toto contextu liquet. Et sic optimè cohæret argumentatio Apostolica: Quoniam David dicit: *Juravi in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam*, postquam opera Dei jam à creatione mundi fuere perfecta; manifestum est hæc non posse intelligi de requie in terrâ Canaan, in quam jam introducti fuerant per Josuam, & in quam alii propter incredulitatem ingredi non poterant: sed necessariò aliam Dei requiem intelligendam, in quam fideles sint ingressuri, quæque iis à Deo reservata est. Quæ autem hæc requies sit, ex toto contextu manifestum est: nempe requies æterna, credentibus in Christum promissa.

Præceptum de præcisa quiete sabbathi est positivum.

X. Hisce ita constitutis, via strata est, ad alterius quæstionis decisionem, utrum nempe præceptum de sabbathi observatione sit naturale, an positivum? Sanè præcisa septimi diēi observatio juris naturalis esse non potest. 1. Quia nec ipse Adam in primæva integritate constitutus, nec ullus homo, beneficio rationis scire potest, septimo potius, quàm alio die, ab omni opere cessandum. Nec scire potuisset Adamus, Deum septimo diē ab opere creationis quievisse, nisi id Deus significasset, multò minus illo die feriandum, nisi Deus id mandasset. 2. Nulla est ratio, cur præceptum de tempore cultus magis sit morale, quàm de loco: at hoc est positivum, uti probavimus ex *Joan.* IV. 21, 23. & 1 *Tim.* II. 8. Ergo & illud. 3. Si præcepti illius naturam ac circumstantias, & temporum illorum populique Israëlitici illis temporibus conditionem exactius inspiciamus, patebit præceptum hoc solos respicere Israëlitas, & eandem ob causam, ob quam reliquæ legis ceremoniales, Israëli esse datum, ut nempe per illius observationem avertantur à vana gentilium idololatria averterentur, solumque Deum Israëlis, qui cœlum ac terram creavit, agnoscerent verum Deum. Nam, ut optimè doctissimus Spencerus observavit, illis temporibus mundus ab ethnicis credebatur æternus; & sol, luna, aliaque astra, Dii crediti honore divino colebantur. Ad evellendam autem illam divinitatis opinionem ex animis populi sui, Deus sabbathum tanquam signum ac argumentum evidentissimum instituit. Præcepit nimirum, & quidem severâ adhibitâ comminatione ut die hebdomadæ septimo ab omni opere Israëlitæ quiescerent, in memoriam creationis divinæ, quâ Deus sex diebus cœlum, terram, mare, ac omnia quæ in iis sunt, ac proinde solem, lunam, reliquaque astra, creaverat, ac septimo die à creatione quieverat: ut ita singulis hebdomadibus, quotiescunque septimus ille dies recurreret, per illius diei quietem admonerentur creationis divinæ; ac proinde solem, lunam, reliquaque astra, non esse Deos, sed Dei opera, à Deo perinde uti reliqua omnia facta ac condita. Sola ergo illa quies argumentum erat, gentium idola non esse Deos. Hinc est, quod ipse Deus dicat *Ezech.* XX 12. *Sabbatha mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos; ut cognoscerent me Jehovam sanctificare eos*; id est, me eos mihi elegisse in peculiarem populum, & à gentibus reliquis, quæ idola colunt, separasse. Quid quod ipse Deus expressè dicat, se *sabbathum Israëlitis dedisse, ad istud observandum* (NB) *per generationes suas*; & *ut sit signum inter ipsum & filios Israel in perpetum. Exod.* XXXI, 13, 16, 17. Ex quibus manifestum est præceptum de sabbatho, seu septimi diei quiete, perinde uti reliqua Legis Mosaicæ ritualia, fuisse positivum, & soli Israëli datum. 4. Sed & aliæ præcepti illius circumstantiæ docent, id solos respicere Israëlitas: quia septimus dies jussus observari ex quo manna pluit: *Exod.* XVI 22. & *seqq.* deinde, quia præcepto additur hæc ratio: *Memento quod & ipse servieris in Ægypto*, &c. *idcirco præcepit tibi Deus, ut observares diem sabbathi*; &c. *Deut.* V, 15. Adhæc rigida illa ab omni omninò opere cessatio neutiquam juris naturalis est; sc. quod non liceret ligna colligere, *Numer.* XV. 32. ignem accendere, *Exod.* XXXV. 3. cibum parare, *Exod.* XVI. 24. è loco suo ad opera hujusmodi exire, *vers.* 29. 5. Externum sabbathum non facit verum Judæum, nec hominem sanctum: nam impiorum sabbathum Deus odit, *Esa.* I. 13.

An Aliquid in eo sit morale

XI. Quæres. An ergo nihil morale in hoc præcepto? *Resp.* Præceptum de tempore cultus non magis est morale, quàm de loco cultus. Si quis aliquam moralitatis rationem hic investigare velit, ea alia esse non potest, quàm hæc: Quod natura dictet, non tantum Deum esse colendum, sed & tempus aliquod speciatim cultui divino impendendum, quo ab aliis operibus vacantes nos totos cultui divino tradimus, Qui enim nobis omnia largitus est, cum natura dictat colen-

colendum: & sicut tempus idoneum impendimus negotiis corpus nostrum spectantibus; ita etiam aliquod iis, quæ animum & religionem spectant, inpendendum docet. Sed diem septimum non præcisè definit: perinde uti locum quendam cultui divino peragendo constituere docet; sed eum definito loco non alligavit.

An morale sit septimum quemque diem observandum.

XII. Dices. Observatio septimi diei hebdomadæ fuit quidem ceremonialis; sed morale est, septimum quemque diem observandum: hinc in Ecclesia Christiana primus hebdomadæ dies, in resurrectionis dominicæ memoriam, in septimi locum institutus est. *Resp.* 1. Præcisè præcipitur dies hebdomadæ septimus observandus: illum in alium diem posse mutari, ex præcepto non constat; imo ratio addita obstat, quia Deus septimo die quievit: quæ alteri diei applicari non potest. Dices. Continetur tamen decalogo, qui legis moralis summa est. *Resp.* Ipsa eorum objectio docet, aliquid ceremoniale decalogo contineri: septimus enim hebdomadæ dies sanctificari jubetur. Atqui hoc ceremoniale agnoscunt: quid ni itaque integrum præceptum ceremoniale esse possit? 2. Unde probatur, diem primum in septimi locum successisse, & nunc eadem quâ olim septimum religione observandum? Sic non esset ablatio, sed tantum mutatio servitutis.

Quid sentiendum de diei dominicæ observatione.

XIII. Quid ergo dicemus de diei dominicæ observatione inter Christianos? *Resp.* Observari illum, non ex vi præcepti alicujus divini, sed propter εὐταξίαν, rationi consentaneam. Colendus nimirum est Deus, non tantum privatim, sed & publicè in cœtibus: Deus enim id expressè cupit, *Hebr.* x. 25. & hunc in finem instituit ministerium, *Eph.* IV. 10, 11. quod perpetuum esse voluit in Ecclesia, 1 *Tim* III. *Tit.* I. voluit cœnam celebrari, & disciplinam inter fratres administrari; quæ non nisi in cœtibus peragi possunt: ac tandem, se præsentem fore in nomine suo congregatis promittit, *Matth.* XVIII. 20. Docet itaque ratio, in aliquem locum, & aliquo tempore conveniendum esse. Sicut locus est planè arbitrarius, ita & tempus. Si enim tempus non esset arbitrarium, Deus illud alicubi in Novo Testamento definivisset. At id nuspiam fecit. Observatur autem inter Christianos dies hebdomadæ primus, & jam Apostolorum temporibus observatus esse rectè concluditur ex *Joan.* XX. 26. *Actor.* XX. 7. 1 *Cor.* XVI. 2. *Apoc.* I. 10. Verùm non ex obligatione divini præcepti, sed libera electione, attamen convenienti ratione nixa, quia illo die Dominus ex mortuis resurrexit. Hæc autem libera electio non facit ut dies ille hodie nobis sit arbitrarius: quod enim ante electionem arbitrarium fuit, electione facta obligat. Nec absonum est, aliquid obligandi vim habere, quod liberâ omnium qui eâ obligantur electione, vel etiam à superioribus sive Magistratu imponitur. Et hac ratione continua illa Christianorum praxis vim legis obtinuit: adeo ut diem hunc sacris non impendere hominis esset temerarii & præsumtuosi, & sine ulla solida ratione sese unanimi omnium Christianorum praxi opponentis.

In quibus illius sanctificatio consistat.

XIV. Sanctificatio autem diei dominicæ non in solâ externa ab operibus laboriosis quiete collocanda est: sed in exercitiis pietatis, iisque quæ nos ad pietatem excitant; qualia sunt, verbi divini lectio, sacrarum concionum auditio, sermones religiosi, meditationes sacræ, & præsertim beneficiorum divinorum commemoratio, quibus animus noster ad sanctitatis studium accendi potest. Et ut hisce vacare possimus quies illa externa quærenda est. Hæc tamen quies non tam rigide urgenda est, ut olim sub Lege: hoc enim libertati Christianæ repugnat, tenerisque conscientiis laqueum injicit. Nec Dominus legem illam repetiit, sicut reliqua præcepta decalogi. Ea tamen exigitur quies, quæ excludit ejusmodi occupationes & recreationes, quæ notabiliter hominem impediunt, quò minus possit Deo & ejus cultui, sive publico, sive privato, vacare. Necessitas autem vel præsens, vel imminens, tum & officia pietatis & misericordiæ, quæ nullam aliquando patiuntur dilationem, quietem hanc abrumpere suadent: juxta id quod legitur *Luc.* XIV. 5. *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahat eum die sabbathi?* Imò nec per exiguam & brevem circa res temporales occupationem, modo non sit quæsita, sed ultrò oblata, & urgens quædam sit necessitas, diem hunc pollui crediderim. Dices. Videtur tamen Dominus insinuare, hæc sanctificationi diei hujus repugnare, cum ait *Matth.* XXIV. 20. *Orate ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho.* *Resp.* Per *sabbathum* ibi intelligitur dies hebdomadæ septimus, non primus; dicitur itaque id cum respectu ad legem Mosis; quoniam Christiani è Judæis conversi, stante adhuc politiâ Judaicâ, ceremonias Legis observabant; imò & diu post eversum templum in primitiva Ecclesia dies sabbathi cum Dominico fuit observatus, uti ex variis auctoribus constat; sed non in talem ab omni omninò opere præcisam quietem, sed ut eo convenirent ad sacra munia & exercitia pietatis.

Verum Christianorum sabbathum.

XV. Verum autem sabbathum, nunc à Christianis observandum, cujus antiquum typus est, est feriatio à peccatis, &, qui illam consequitur, ingressus in æternam requiem Dei: uti egregiè docetur *Hebr.* IV. 3, 4. *& seqq.* Et hanc mysticam sabbathi significationem Deus jam olim insinuavit *Esa.* LVI. 2. *Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud: custodiens sabbathum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.*

malum. Et *cap.* LVIII. 13, 14. *Si averteris à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino:* &c. Et hac ratione præceptum de sabbatho considératum est morale ac perpetuæ observationis.

6. Precationis effectum, Exauditio. XVI. Sextò. Tandem sequitur Precationis effectum; Exauditio, quâ fideles precibus à Deo impetrant quod petunt. Hujus respectu varia precationi tribuuntur elogia; quòd sit clavis cœli, scala quâ in cœlum adscenditur, similiaque. Ejus multa exstant in Scriptura promissa: *Matth.* VII. 7. *& seqq. Luc.* XI. 5. *& seqq. Matth.* XVIII. 19. *Joan.* XIV. 13. 1 *Joan.* III. 21, 22. & alibi. Et exemplis plena est Scriptura, adeo ut omnia, etiam difficillima, fideles per preces obtinuerint; quæ ab aliis magno catalogo congesta sunt. Nos ea, brevitati studentes, non commemorabimus.

Causa non exauditionis. XVII. Dices. Non tamen semper obtinent fideles quod petunt. Resp. Ex dictis liquet varias posse esse causas, quæ exauditionem impediunt; vel quia homo non ritè precatur, vel non secundum voluntatem Dei. Fieri quippe potest, 1. Ut ipse precans sit impius. 2. Ut non petat ex fide 3. Ut petat malum, aut voluntati divinæ repugnans. 4. Ut quod petit, licet bonum, petat in malum finem 5. Ut quid petat, cujus contrarium Deus decrevit. 6. Aut, quod ne Deus det majus bonum impedit, gloria nempe Dei, aut æterna salus. 7. Aut cujus donationem Deus differre vult, ut fidem ac constantiam nostram probet. 8. Aut quia vult ut sæpe oremus, aliàs non daturus. 9. Aut tandem, quia meliora iis quæ petimus bona dare vult.

CAPUT XXIX.

De gratiarum actione.

Gratiarum actio. I. GRatiarum actio, quæ altera est Invocationis species, aliquando late accipitur, ut notet tantum laudem & celebrationem nominis divini: aliquando strictius, ut sit celebratio nominis divini ob beneficium à Deo collatum. Adeo ut discrimen sit inter laudem divinam, & gratiarum actionem. Laus Dei respicit solummodò attributa divina, quæ in opere aliquo elucent: ita laudari potest Deus, etiam quando punit: *Apoc.* XVI. 5, 6, 7. *Justus es Domine, qui es, & qui eras, sanctus, qui hæc judicasti; quia sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt: &c.* & *Exod.* IX. 16. Gratiarum autem actio respicit propriè beneficium divinum, & ob beneficium laudem Deo tribuit. 2. Laudari potest Deus ob beneficia certis hominibus, quibuscum nihil nobis commune est, concessa. Gratiæ autem Deo propriè non aguntur, nisi ob beneficia vel nobis ipsis, vel aliis nos qualicunque ratione attingentibus, concessa.

II. Res itaque, de quibus gratiæ aguntur, propriè sunt beneficia divina: eaque vel nos concernentia, vel alios: sicut enim pro aliis precandum est, ita & pro iis gratiæ Deo agendæ. 1 *Tim.* II. 1, 2. jubet Apostolus non tantum preces & deprecationes, sed & gratiarum actiones fieri pro aliis. Beneficia autem hæc vel sunt corporalia, & ad hanc vitam, vel spiritualia & ad futuram spectantia. Ad hanc spectant Creatio, Sustentatio, Gubernatio: ad futuram; datio Christi in Servatorem, Vocatio, Communicatio Spiritus Sancti. Pro Creatione, Sustentatione ac tota Providentia gratiæ sæpe aguntur in Psalmis. Pro bonis spiritualibus; *Eph.* 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* 2 *Cor.* 1. 3. 1 *Pet.* 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* *Fit propter beneficia divina.* *Vel communia.*

III. Præter hæc communia, sunt alia particularia, vel populo alicui, vel certis personis aut familiæ collata; pro quibus gratiarum actiones Deo factas, Sacræ Literæ nos docent. Talis fuit Israëlitarum pro liberatione ex Ægypto & potestate Pharaonis: *Exod.* XV. Eorundem pro liberatione ab oppressione Canaanitarum, *Judic.* V. pro reductione ex captivitate Babylonica & restitutione templi, *Esdr.* III. 10, 11. Davidis pro liberatione à variis periculis & inimicorum persecutionibus; in Psalmis passim. Quibus unusquisque nostrum beneficia, quæ nemo non privatim expertus est, adjungat necesse est, quæque si rectè expendat, multò illis quæ olim Deus Israëlitis concessit majora deprehendet: nisi remissionem tot & tam gravium peccatorum, aut à variis peccandi periculis præservationem, aut diuturnam in peccatis tolerantiam, quorum aliquod, si non omnia, unusquisque nostrum expertus est, minora æstimet liberatione à malis corporalibus, aut boni terreni donatione. *Vel particularia.*

IV. Ad officium hoc nos ipsa æquitas adhortatur. Beneficiis enim suis Deus nos sibi totos obstrictos ac obligatos habet: Gratiarum actio verò est quædam quasi solutionis pro beneficio species, quæ cum re non possit, verbo peragitur. Quam qui negligunt, Deum jure suo, quod beneficiis in nos acquisivit, fraudant, & gloriam Dei obscurant, non attribuentes illi honorem debitum: simi- *Illius æquitas.*

 les

les nubibus, quæ per varias exhalationes à sole in sublime subvectas condensatæ, ipsum tandem solem obscurant: & sibi impostèrum beneficentiæ divinæ fontem obstruunt: quoniam Deus ingratitudine hominum offensus, beneficia sua indignis minus distribuit, juxta *Matth.* xxi. 43. *Ideo auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Hinc crebræ adeo Dei de populi sui ingratitudine querelæ, & parabolæ, quibus ea graphicè depingitur & exagitatur: qualis est parabola vineæ, *Esa.* v. puellæ statim a nativitate expositæ, *Ezech.* xvi. & similes. Tales beneficia Dei devorare dicuntur absque ullo sensu, porcorum instar, qui glandes comedunt, neutiquam verò in arborem quæ eas produxit suspiciunt. Quin & bestiis ipsis pejores pronuntiantur; *Esa.* 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.*

Et præstantia. V. Ad hæc, est præstantissimus animi nostri cultus, quem Deo exhibere possumus; cujus beneficiis quoniam vicem rependere non possumus, ea animo saltem agnoscimus, Deoque gloriam tribuimus. Hinc David *Psal.* cxvi. 12, 13. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et *vers.* 17. *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Vide & *Psal.* L. 17, 18. Eumque Deus expressè à nobis exigit, *Eph.* v. 20. *Gratias agite semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.* 1 *Thess.* v. 18. *In omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.* Imò adeo gratum habet, ut sacrificii instar sit, quo delectatur: *Psal.* L. 14. *Immola Deo sacrificium laudis. Hebr.* XIII. 15. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.*

Quibus actibus peragatur. VI. Peragitur gratiarum actio verbis, quibus & beneficia divina prædicamus, & gloriam ac attributa divina celebramus. Sic 1 *Pet.* II. 9. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabilem suam lucem.* Tum Psalmis, hymnis, & ᾠδαῖς, *Coloss.* III. 16, 17. Etiam eleëmosynis; ut ita testemur, nos Deum, qui se bonum ac beneficum erga nos ostendit, imitari velle beneficentiâ erga egenos; & beneficium pro viribus nostris retribuere velle; cujus cùm nullam retributionem Deo nullius indigo præstare possimus, eam præstamus illis quos sui loco nobis reliquit, *Matth.* xxv. 40. Et hinc laudatus ille mos manasse videtur in recenti beneficio amplas largiendi eleëmosynas, ut Deo in membris suis quasi portio quædam boni nobis concessi offeratur.

Potissimum sanctimoniæ studio. VII. Maximè autem animum gratum ostendimus singulari sanctimoniæ studio: illâ enim Deus maximè delectatur, & honoratur: quoniam per illam ipsa attributa divina exprimimus, eaque tanto apud nos esse in pretio ostendimus, ut earum imaginem repræsentare omni studio nitamur. Hinc est, quòd per sanctitatem, justitiam & veritatem imaginem Dei induere dicimur, *Eph.* IV. 23, 24. *Coloss.* III. 9, 10. Et sanctis operibus gloriam Dei promovere: *Rom.* XII. 1. *Obsecro vos fratres per miserationes Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum:* 1 *Cor.* VI. 20. *Empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Nec nos tantum gloriam ejus celebramus, sed & alios ad Deum glorificandum excitamus; *Matth.* v. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et 1 *Petr.* II. 10. Proinde uti operibus impii, professioni sanctæ adversantibus, Deus contumelia afficitur non tantum, sed & aliis non credentibus Deum blasphemandi occasio detur. Sic Davidi speciatim dicitur, quòd per peccatum suum *blasphemare fecerit inimicos Domini,* 2 *Sam.* XII. 15. Et Judæis impiis dicitur *Rom.* II. 14. *Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes.* Vide & *Ezech.* XXXVI. 20.

Fieri debet cum demissione animi. VIII. Gratiarum actioni proprium est, ut summa animi cum demissione fiat: quæ duplici actu sese ostendit. Primò, apertâ confessione, quâ nos benficiis divinis indignos profitemur, eaque nobis gratis ex immerito Dei favore esse concessa. Qualis erat illa gratiarum actio Jacobi, *Genes.* XXXII. 10. Eaque professio Judæis, primitias frugum efferentibus, mandata fuit, *Deuter.* XXVI. 5. & *seqq.* Multò magis nobis necessaria est, ab exitio & peccati servitute redemtis; ubi nulla nostra merita intercessêrunt, aut intercedere potuerunt; sed sola Dei gratia ac misericordia. *Eph.* II. 7, 8, 9. 1 *Joan.* IV. 9, 10. *Tit.* III. 4, 5. Deinde, agnitione ac declaratione, quâ declaramus nos non posse Deo condignas pro beneficiis agere gratias; sed beneficia ejus majora esse quàm ut à nobis pro meritis agnoscantur, multò magis, ut nos quicquam rependere possimus. Sic *Eph.* III. 20. dicitur *Deus potens* esse *omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus.* Et *Rom.* XI. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

CAPUT XXX.

De Juramento.

Juramentum quid sit. I. Sequitur tertia Invocationis species, Juramentum: quod est religiosa invoca-

vocatio Dei, quâ ipsum, tanquam cordium scrutatorem, in testem appellamus veritatis eorum quæ affirmamus aut promittimus, & vindicem si pejeremus, ad omne dubium tollendum ex animis eorum quibuscum nobis res est. Itaque in omni legitimo juramento Deus invocatur, sive expressè nominetur & exprimatur, sive aliquid, quod relationem necessariam ad Deum habet. Unde liquet: licet formulæ juramenti variæ sint, unum tamen omnium esse sensum: nempe; Deus mihi sit testis, aut, puniat me, si mentiar, aut sciens fallam. Omnibus nempe juramentis si non expressa, tacita saltem vindictæ divinæ in nos imprecatio inest; si fallamus. Tale fuit juramentum Jonathanis, 1 *Sam*. xx. 13. & Davidis 2 *Sam*. xix. 13.

Quidvis juramentum Christiano non esse illicitum. Ratio prima. II. Quæritur hodie inter Christianos, utrum juramentum homini Christiano licitum sit? Ratio dubitandi est, quia Dominus Jesus omne omninò juramentum vetare videtur, *Matth*. v. 34. *& seqq.* *Ne jurate omnino; neque per cœlum*, &c. *Sit autem sermo vester, est, est, non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Eadem habet *Jacob*. v. 12. Sed tamen, si accuratius verba Domini inspiciantur, & juramenti natura exactius consideretur, non videtur Dominus omne omninò juramentum, quacunque de causa susceptum, illicitum pronuntiare. Juramentum quippe in se spectatum nihil habet cur prohiberi mereatur: imò ad Dei gloriam tendit: agnoscitur enim Deus omniscius & perjurii vindex. Hinc non tantum Deus ipse in veteri Testamento aliquoties juramenta adhibuit; sed & juramentum, ut litium terminum, instituit, *Exod*. xxii. 11. *Juramentum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus juramentum.* Hinc *Hebr*. vi. 16. dicitur, *Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum.* Tum & Prophetæ prædixerunt, temporibus Messiæ in nomine veri Dei juramentum à gentibus usurpandum fore: *Esa*. xix. 18. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes linguâ Canaan, & jurantes per Dominum exercituum*: Vide & *Jerem*. xi. 16. Adde, quòd si Dominus omne juramentum sustulisset, solvisset Rempublicam Judaicam; quia Deus, uti vidimus, expressè juramentum instituerat, *Exod*. xxii. 11. Atqui contrarium de se ipse dicit *Matth*. v. 17. *se non venisse ut solvat legem*.

Secunda. III. Sed quod nos maximè movet, est, quòd non tantum legamus *Apoc*. x. 5, 6. expressè de Angelo dici, quòd *levaverit manum suam ad cœlum, & juraverit per viventem in secula seculorum*; sed &, quod Apostolus Paulus, optimus verborum Domini interpres, aliquoties in epistolis suis juramentum adhibuisse legatur: ut quòd non tantum Deum invocet in testem: *Rom*. 1. 9. *Testis est mihi Deus*: ut & *Phil*. 1. 8. 1 *Thess*. 11. 5. sed & 2 *Cor*. 1. 23. juramentum in forma adhibeat; *Testem invoco Deum in animam meam.* Quibus adde locutiones æquipollentes, quibus Deus reverâ in testem invocatur, licet non expressè testis nominetur: *Rom*. ix. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ.* 2 *Cor* xi. 13. *Deus scit, quòd non mentior. Gal*. 1. 20. *Quæ scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Hisce adjungatur adjuratio Pauli 1 *Thess*. v. 27. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Dices. Non sunt juramenta hæc, sed validæ affirmationes: Resp. Sunt magis quid, quàm ita vel non: atqui quod his majus est, ad juramentum accedit, & ex malo esse dicitur. Dices. Discrimen est faciendum inter res ad honorem Dei facientes, & inter res humanas. Resp. Si in rebus divinis juramentum sit licitum, ergo interdictum non est generale; quod nos urgemus. 2. Res illæ circa quas nos juramentum licitum urgemus, etiam cedunt in honorem Dei: uti ex sequentibus planum fiet.

IV. Quæres: Quis ergo verborum Domini sensus sit? Resp. Vetat Dominus juramenta spontanea & sine ulla necessitate usurpata, quæ in sermone communi, de rebus exiguis, & indignis ob quæ nomen Dei invocetur, ab hominibus adhiberi solent, quæque Pharisæi licita credebant. 2. Docet omnes illas formulas, non quidem in nomine Dei adhibitas, sed nominatis ejusmodi rebus quæ Deum directè respiciunt, qualia docet Dominus esse cœlum, terram, Jerusalem, caput nostrum, esse vera juramenta, & hominem obligare: contra doctrinam Pharisæorum, qui credebant se illis non obligatos, si non adhiberent nomen Dei, ut patet *Matth*. xxiii. 16. itaque ab iis in rebus minoribus, aut sponte susceptis, non minus quàm à juramentis propriè dictis abstinendum esse: sed in communi negotio sufficere ut dicamus *ita*, vel *non*. *Sensus verborum Domini, Matth. v. 34 & seqq.*

V. Quid ergo statuendum de illis, qui juramentum Christiano illicitum credunt, & religione quâdam à juramento abstinent? Resp. Nos neutiquam accedere rigori illorum, qui ipsos tanquam majestatis reos in republica tolerari non posse clamant: sed ut Christianos errantes tolerari posse & debere. 1. Quia est error solius mentis, & tendit ad majorem, ut credunt, numinis reverentiam. 2. Quia qui juramentum licitum credunt, non propterea necessarium urgent: à licitis autem abstinere peccatum non est: quod enim licitum est, non obligat. 3. Si absolutè necessarium esset juramentum, etiam à Christo fuisset præceptum. Fateor tamen casus quosdam posse incidere, *Quid statuendum de illis, qui juramentum illicitum credunt.*

 qui

qui juramenti necessitatem suadeant. Sed huic incommmodo occurri potest, si illi, qui religione quâdam à juramento abstinent, verbis suis eandem velint adhiberi fidem, ac si jurassent; & si fallant, eidem pœnæ quâ perjuri subjiciantur. Ita nihil committitur, quod ad Reipublicæ eversionem aut confusionem tendere potest.

Juramentum est vel assertorium, vel promissorium. VI. Duplex autem est juramentum: aliud assertorium, quo interposito Dei nomine asseveramus rem quampiam, vel potius testimonium nostrum de re quapiam: aliud promissorium, quo nos interposito jurejurando obligamus ad præstationem promissi: quale in contractibus, fœderationibus, aliisque locum habet.

In juramento quovis requisitum primum. VII. Requisita in omni juramento sunt. Primò. Ut adsit jurandi animus: si quis igitur per imprudentiam, non ex prava consuetudine, verba quædam juramentum revera continentia adhibeat, absque jurandi animo, jurasse censendus non est.

Secundum. VIII. Secundò. Ut fiat in nomine Dei: ille enim per juramentum honoratur, & in testem, & vindicem perjurii invocatur. Non itaque licet per creaturas jurare: illas enim in testes & vindices invocare illicitum est: est enim honor soli Deo, καρδιογνώσῃ ac omnipotenti, debitus. Per creaturam itaque jurare, tantumdem est atque eam religiosè invocare. Deinde, nullam ejusmodi formularum approbationem habemus in Scriptura. Tandem: juramentorum reverentiam minuunt: quia enim perjurii vindictam à creatura jurantes non metuunt, ea adhibere non horrent; atque ita fit, ut temerè nimis & familiariter adhibeantur.

Tertium. IX. Tertiò. Ut fiat verbis claris ac planis, & nulla adsit amphibologia. Est autem amphibologia duplex: 1. Cùm ipsa verba sunt ambigui sensus. 2. Cùm verba quæ simplicem habent sensum per mentalem reservationem in alium commutantur: velut cùm quis rogatus, an aliquid fecerit, juret, se non fecisse, subintelligens tacitè, in carcere. Posterior hæc amphibologia est gravissimum peccatum. 1. Quia verbis illis nihil certi, sed fictum quid & simulatum testamur. 2. Quia est mendacium manifestum. 3. Quia directè intendit fidem falsam testimonio suo ingenerare. 4. Hac ratione fenestra aperitur omnibus mendaciis. Dices. Ex verbis enuntiatis & mentali reservatione componitur vera enuntiatio; non autem tenetur homo omnem mentem suam aperire. Resp. Coram Deo καρδιογνώσῃ quidem, & in mente ipsius hominis integra hæc enuntiatio formatur; atqui juramentum non adhibetur in ipsius jurantis, aut Dei, sed in hominis cui juramentum præstatur gratiam: cum itaque sola pars enuntiata contrarium significet illius, quod mentalis reservatio parti enuntiatæ addita continet, manifestum est, enuntiationem falsam juramento confirmari; ac proinde committi perjurium. Hinc liquet, & priorem amphibologiam à juramento abesse debere: quia juramentum terminus est omnis disceptationis: Atqui ea per orationem ambiguam non tollitur. Quod si præmeditatè verba ambigua adhibeamus, eaque alio sensu, quàm audientes, interpretamur; à perjurii crimine immunes non sumus: sed verba eo sensu accipienda sunt, quo ex communi usu loquendi accipi solent, & audientes accepturos judicamus.

X. Quartò. Ut res, propter quam juramentum adhibetur, non sit vilis aut exigui momenti, ut pecuniola; sed juramento digna: veluti si summâ in necessitate ad honorem Dei, aut terminationem gravium litium adhibeatur; aut alicui à magistratu imponatur. Hinc *Jerem.* IV. 2. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* *Quartum.*

XI. In promissoriis autem & hæc præterea requiruntur. Primò. Ut is sit qui jurat sui juris sit. Qui enim in alterius est potestate, si se juramento obstringat, obligare non potest, quia non suum sed alterius obligaret. Hinc vota liberorum, adhuc in patria potestate, obligare nequeunt, Sic olim si filia in domo patris inscio patre quid vovisset, & uxor inscio marito, pater, verò vel maritus statim eo audito contradixerint, irritum reddebatur votum; *Num.* XXX. 4, 5. *& seqq.* Sic nec quæ fiunt in Ecclesia Pontificia, liberorum impuberum vota ad vitam monasticam, invitis vel insciis parentibus, obligandi vim habere possunt. *In promissoriis requisitum primum.*

XII. Secundo. Ut fiat de rebus licitis. Si fiat de peccato, obligare non potest. Nemo enim ullo prætextu ad peccatum obligari potest. Peccatum enim Deo est injurium: nemo autem se obligare potest cum injuria divina. Huc refer, si juramentum adeo sit generale, ut & peccatum includere possit: quale erat juramentum Herodis, *Matth.* XIV. 9. nec non juramentum quadraginta Judæorum, qui seipsos devoverant, nihil se esuros aut bibituros, donec Paulum interemissent, *Act.* XXIII. 12. & regis Saulis, 1 *Sam.* XIV. 24. qui juraverat, *maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis.* Et ideo videtur populus rectè Jonathanem, qui patris sui adjurationis ignarus mel gustaverat, è manu Saulis liberasse, ne interficeretur. Ideo & David, cùm irato animo jurasset se Nabalis domum deleturum, postea ab Abigaële placatus id non perfecit, 1 *Sam.* XXV. 32. Hinc videre licet, juramentum Josuæ, quo se Gabaonitis obstrinxit, fuisse inconsultum, *Jos.* IX. 14. quia non consuluerat os Domini. Interim obligavit eum, ne Gabaonitas deleret; non verò ut in fœderis societatem admitteret, *Secundum.*

quod

quod erat illicitum. Sed de eo mox. Itaque si postquam juravimus, rem ad cujus præstationem nos juramento obligavimus, illicitam deprehendamus, juramenti religione sumus soluti.

Tertium. XIII. Tertiò. Ut non sit impedimentum majoris virtutis: hoc enim casu res in se licita redditur illicita. Tale erat juramentum eorum, qui dicentes, *Corban*, patrem & matrem honore debito privabant, *Matth.* xv. 5.

Quartum. XIV. Quartò. Tandem, ut non sit de re impossibili; sive, possibili quidem cum juramentum præstitum est, sed postea absque nostra culpa nobis facta impossibili. Illa enim conditio si non expressa est, tacitè juramento semper inclusa intelligi debet: sc. præstabo, si in mea sit potestate. Hæ conditiones si adsint, juramentum est licitum, & obligat.

Effectus juramenti. XV. Effectus juramenti est, præcidere controversias, uti dicitur *Hebr.* vi. 16. Et si verba ita sint concepta, ut non tantum Deum respiciant, sed & ad hominem relationem habeant, illius etiam effectus est jus homini ex juramento, tanquam ex promisso, quæsitum. Unde duplex juramenti est obligatio, una quâ homini, altera quâ Deo jurans obligatus est: adeo quidem, ut si causa intercedat, quæ videatur jurantem ab obligatione quâ homini obstrictus est absolvere, neutiquam tamen, quia juravit Deo, ab obligatione Dei exsolutus est. Et ex hac observatione facilis est quæstionum de juramenti obligatione motarum solutio. 1. An obliget juramentum dolo obtentum? Resp. Si error sit circa substantiam rei, quæ juramento spectatur, obligationem tollit; non verò si sit circa circumstantiam tantum. Ideoque juramentum à Josua & Israële Gabaonitis præstitum obligavit; *Jos.* ix. 14. 2. An juramentum obliget, si per metum aut vim extorqueatur, & cum jurantis injuria sit conjunctum: ut si captus à latrone vitæ redimendæ causâ juramentum præstet de redemtionis pretio solvendo? Resp. Obligare: quamvis enim vis & injuria obligationem tollat respectu inferentis, manet tamen obligatio Deo facta.

Opposita, Perjurium. XVI. Contra hoc officium peccatur. Primo: Perjurio, quando jurat quis verum esse aut certum, quod scit falsum esse aut incertum: aut se aliquid facturum, quod facere non vult. Hoc est falsum juramentum, & peccatum gravissimum, quia Deus invocatur testis in testimonium falsum: estque summè horrendum & execrandum: quia qui jurat, eo ipso quod jurat, Deum novit & profitetur esse potentem, & humanarum actionum inspectorem: & tamen vindicem illum invocat si falsò juret. Hinc præcepto decalogi tertio gravis hæc comminatio additur, *Non habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini sui frustra.* Et hoc maximè vetatur hoc præcepto; adeo ut *in vanum*, tantumdem sit, atque *falsò*: eodem sensu quo *Psal.* xii. 3. *Vana locuti sunt unusquisque in proximum suum*; id est, falsa: sequitur enim, *labia dolosa*, &c. Licet & temeraria juramenta hîc prohiberi credibile sit. Sed est & altera perjurii species, quando quis, dum jurat, propositum quidem habet præstandi; sed postea, mutato consilio, aut levitate quâdem animi & negligentiâ, id non præstat. Ab obligatione enim per juramentum Deo factâ homo absolvi nequit, ne quidem, si cum damno suo sit conjuncta. Hinc juramenti præstatio tantoperè commendatur, *Psal.* xv. 4. xxiv. 4. Et ob severam præcepto additam comminationem, & numinis reverentiam in perjurio abjectam, videmus homines, alioquin non adeo religiosos, se quam validissimè juramento obligatos credere: exempla habemus in Saule, 1 *Sam.* xiv. 39. & Herode *Matth.* xiv. 9. Deus etiam in exemplo Saulis ostendit, quantoperè juramenti violationem abominetur; cujus filios ob interemptos zelo inconsulto Gabaonitas, quibuscum Josua & Jsraël fœdus jurejurando confirmatum contraxerant, Gabaonitis ad supplicium tradi voluit, 2 *Sam.* xxi.

XVII. Secundò. Juramento temerario, sponte sine ullâ necessitate aut evidenti utilitate usurpato: qualia sunt, quæ ab hominibus levis ingenii in communi sermone solent temere adhiberi. Ejusmodi quippe juramenta minuunt majestatem divinam: dum Dei nomen rebus vilioribus, imo quandoque ludicris, admiscetur; & crebrâ usurpatione nobis vilescit. 2. Viam sternunt ad perjurium, consuetudo enim jurandi sæpe juramenti oblivionem introducit. Quod egregiè deducit *Syrach.* xxiii. 9. *& seqq. Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assiduè, à livore non minuitur; sic omnis jurans & nominans in toto à peccato non purgatur,* &c. Et *Levit.* v. 4. liquet hominem juramenti posse oblivisci: multò magis, si temerè & ex consuetudine juret. *Et juramentum temerarium.*

XVIII. Remedia contra juramenta temeraria sunt hæc. 1. Ut non tantum abstineamus ab omni juramento, sed etiam quâcunque graviore asseveratione citra necessitatem. 2. Ut non rem indifferentem judicemus, sed gravissimum peccatum, quod Dominus pronuntiat, *ex malo esse*; ac proinde nullo prætextu licitum. 3. Ut sæpius consideremus majestatem divinam, & quantum creatura illi debeat. Consideratio majestatis principum reverentiam conciliat; ne quippiam quo illorum majestas minuatur loquamur *Remedia contra illud.*

mur aut faciamus. Majus quid in nobis potest, & posse debet majestas divina debitè à nobis considerata. 4. Quòd si hæc jurandi consuetudinem nondum expellere possint, mulctam nobis ipsi indicamus, pauperibus de quovis juramento temerario persolvendam: & brevi prava illa jurandi consuetudo eradicata erit.

CAPUT XXXI.

De Confessione.

Confessio ejusque necessitas. I. Tertius pietatis actus externus est Confessio, quo cultum nostrum internum profitemur coram hominibus. Non itaque Confessio hic nobis est laudatio & celebratio nominis divini, quo sensu in Psalmis passim venit; illa enim invocationis, uti vidimus, pars est: sed aperta ac ingenua professio Dei coram hominibus; eaque accommodata revelationi, qua se Deus nobis manifestavit, & colendum præcepit. Ita olim ante Legem, Confessio hæc exegit professionem, quâ pii coram hominibus infidelibus, sive atheis sive idololatris, declarabant se agnoscere unum solum verum Deum, cœli ac terræ creatorem, omniumque sapientissimum gubernatorem, ac justissimum remuneratorem. Latâ Lege, præterea exegit Legis Mosaicæ ingenuam professionem, ejusque observationem. Nunc sub Euangelio, quemadmodum Dei creatoris confessio est necessaria, ita etiam Jesu Christi Filii Dei, unici nostri Servatoris, in quem fiducia sit collocanda, & extra quem nulla sit salus, confessio requiritur. Quemadmodum enim in hac cognitione salus nostra est, *Joan.* XVII. 3. ita etiam absque salutaris illius veritatis confessione aditus ad salutem non patet. Sic ait Apostolus *Rom.* X, 9, 10. *Si ore tuo confessus fueris Dominum Jesum, corde autem credideris quòd Deus illum suscitaverit ex mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et Dominus inquit *Matth.* X. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor ego & eum coram Patre meo qui est in cœlis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo qui est in cœlis.* Quæ eadem leguntur *Marc.* VIII. 38. *Luc.* IX. 26. XII. 8.

Præstantissima est quæ fit cum vitæ periculo. II. Illa verò præstantissima Dei & Jesu Christi est confessio, quæ fit coram infidelibus & impiis, & cum vitæ fortunarumque periculo conjuncta est. Christum confiteri, ubi confessio gradus est ad opes & dignitates, ubi honores, coronæ & sceptra confessionis præmium sunt, virtus non est: imò à mundanis hominibus, à Christo alienis, bonorum terrenorum spe ea simulari potest: Confessionem autem ingenuam edere, quæ te mundo ingratum ac invisum reddat, alio rum sannis ac contumeliis exponat, viam ad opes ac honores præcludat, adeoque mortis periculo objiciat, id demum sinceræ pietatis, amorisque in Deum ac Christum minimè fucati indicium est; quo omnia hujus mundi nobis viliora sunt cultu Domini nostri, & gloriâ cœlesti apud ipsum repositâ. Hinc laudatur Danielis constantia, qui decreto regis Darii, quo edixerat ne quis intra triginta dierum spatium, ad quemquam sive hominum sive Deorum, præterquam ad se, preces dirigeret, minimè territus, ter apertis domus suæ fenestris versus Jerusalem, ut ab omnibus conspici posset, quotidie Deum Israëlis invocabat, *Dan.* VI. Et Paulus de se dicit, *Rom* I. 16. *Non erubesco Euangelium Christi, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Et passim monentur fideles, ne hominum metu Deum abnegent, *Luc.* XII. 4, 5. I *Pet.* III. 14. *Timorem eorum ne timueritis, & ne conturbemini.* Et reprehenduntur qui contraria faciunt: *Joan.* XII. 42, 43. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.*

III. Quæres, quid de dogmatum hodie inter Christianos controversorum confessione dicendum? estne ea coram dissentientibus perinde atque totius Religionis Christianæ coram infidelibus confessio, necessaria? *De articulis hodie controversis.* Resp. Ita quidam statuunt, respicientes ad dictum Petri I *Epist.* III. 15. *Parati semper ad defensionem, omni poscenti rationem de ea quæ in vobis est spe.* Sed verò verba ea non adeo generaliter ad omnes de particularibus dogmatibus controversias extendi posse videntur: non enim sententia nostra de unoquoque particulari dogmate spes nostra est: sed assensus toti doctrinæ Christi, & dogmatibus sine quibus salus obtineri nequit, adhibitus.

IV. Ut itaque hîc distinctius mentem nostram exprimamus, paucis eam aphorismis comprehendimus. *Qualis eorum confessio sit necessaria.* I. Nunquam licet profiteri nos credere, quod non credimus. Mendacium enim, sicut ab omni nostro sermone abesse debet, ita præcipuè, quando honor Dei agitur. 2. Non tamen semper & coram quibusvis profitendum quicquid credimus, sed temporum, locorum & personarum circumstantiæ sunt observandæ, ut maximâ cum proximi utilitate, & gloriæ divinæ promotione, declinato, quantum honestè & salva conscientia bona fieri potest, proprio periculo, veritas declaretur. Hinc est quod Dominus nobis commendaverit prudentiam *Matth.* X. 16. & ut delectum instituamus personarum, *Matth.* VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.* 3. Præcipuè & ante omnia

mnia ratio habenda dogmatum. Alia quippe absolutè creditu necessaria sunt ad salutem: alia non quidem absolutè necessaria, sed tamen valde utilia: alia minoris momenti, nec magnæ ad salutem utilitatis. Quod prima attinet, eorum eadem quæ totius religionis Christianæ est ratio. Secundorum, quia eorum cognitio absolutè necessaria ad salutem non est paulò diversa ratio est. Si ex eorum professione probabilis veritatis promotio sperari possit, omnia pericula sunt contemnenda, & veritati ingenuè litandum. Si nulli probabiles fructus sperari possint, sed magis veritatis promotioni detrimentum quid sit metuendum, præstat ad tempus veritatem occultam habere, donec cum fructu doceri possit; quàm nos absque ulla probabili utilitatis spe in manifestum conjicere periculum. Ita tamen, ut omnis simulatio absit, quæ cum candore ac ingenuitate Christiana consistere nequit. Quod verò dogmata postrema attinet, quia non tantum non necessaria, sed nec magnæ ad salutem sunt utilitatis, majore hic prudentia est opus: & hominum, quibuscum nobis res est, ingenia prius sunt exploranda, occasiones observandæ, omniaque quæ momentum aliquod habent pensitanda, antequam veritatis non magni ad salutem momenti improvidà inculcatione contentionibus ac animorum distractionibus occasionem præbeamus; nec crebrò aut præmaturè ea urgenda coram illis, apud quod probabile est nos frustrà operam posituros.

Qualis præstanda, si Magistratus eam exigat.

V. Quæres: Quid faciendum, si Magistratus dogmatum secundi vel tertii generis confessionem exigat, aut per quæstiones in animum cujusquam inquirat? Resp. Quoniam illo casu coram Magistratu sistimur, ut conscientiæ nostræ arcana retegantur, quod sine periculo fieri non posse nobis constat, prudentià hic utendum, quæ tamen simplicitati columbinæ non aversetur. Certum est nihil licere confiteri dictamini conscientiæ nostræ adversum. Certum quoque est, majorem Magistratui deberi reverentiam, quàm privato cuicunque. Licitum ergo est, si nullus confessionis nostræ fructus sperari possit, eam modestè declinare, & declinationis nostræ rationes dare, quæ abundè sufficere possunt. Quòd si nihilominus Magistratus instet & urgeat, ingenuè veritas est confitenda, Deoque exitus committendus, qui, si propterea afflictionem sustinere necesse sit, nos ad crucem vocare, nec honestam eam declinandi viam dare, censendus est.

An in tali casu uti liceat verbis ambiguis.

VI. Quæres, an non tali in casu uti liceat verbis ambiguis, ad periculum effugiendum? Resp. Ambiguitas in verbis vel est à nobis quæsita, ita ut nos verba in alium quàm vulgò solent sensum accipiamus: & ejusmodi in fidei nostræ coram Magistratu confessione uti, illicitum est: directè enim illis fallacia intenditur. Vel non est à nobis quæsita, sed alii verbis ambiguis loquuntur, & alium in sensum quàm ex usu genuino sonant depravatis. Hoc casu non illicitum est ad illorum quæstiones verbis ambiguis conceptas, iisdem respondere, etiamsi non ignoremus illos alio ea sensu usurpare: modo nos iis sensu in Sacra Scriptura recepto, & ex communi usu obtinente, utamur. Tum enim ambiguitatis culpa non est penes nos, sed illos qui ambiguis & captiosis quæstionibus nos irretire nobisque periculum creare nituntur.

Quid faciendum homini viventi inter Pontificios ubi inquisitio viget.

VII. Quæres. Quid itaque faciendum iis, qui inter Pontificios degunt in locis ubi inquisitio viget, & sacramento Eucharistiæ cultus religiosus, quem idololatricum credunt, exhibetur? Resp. 1. Si ullo modo fieri potest, & res nostræ ferant, tutius est loca ea vitare. 2. Si tamen id commodè fieri nequit, conscientia actu aliquo, quem idololatricum credit, non est polluenda, neque quicquam faciendum, quo speciem præbeamus, nos in actum ejusmodi consentire. Licitum quidem est, quantum bona conscientia permittit, periculum declinare: attamen nihil committendum quod conscientia damnat. Quoniam itaque Eucharistiæ sacramentum cultu religioso, & quidem λατρείας, à Potificiis adorari solet, qui cultus meritò ut idololatricus damnatur à Reformatis, illi cultui intresse non licet: nec quamvis animo eum detestemur, ullam gestibus externis præbere speciem quasi eum approbemus. Non quidem damnandum crediderim, caput aperire, si sola capitis apertione Pontificiis satisfiat; quoniam sacra symbola sunt sanguinis & corporis Domini: quæ, licet variorum actuum superstitiosorum & idololatricorum additione polluantur, genuina tamen Domini institutio ab additamentis humanis separanda est.

Potius periculum adeundum est, quàm actus idololatricus committendus.

VIII. Quod si declinare non licet, sed aut actus idololatricus committendus, aut periculum adeundum; bonæ conscientiæ studium omni periculo præponderare debet, & intrepidè veritatis divinæ confessio est edenda. Ita jubet Dominus locis antea allegatis: & exemplo suo prævivit, edens coram Pilato ingenuam ac apertam confessionem, *Joan.* XVIII. 37. XIX. 7. 1 *Tim.* VI. 13. Et illustria habemus exempla in Veteri Testamento in tribus sociis Danielis, qui in ardentem fornacem ignis conjici maluerunt, quàm se polluere cultu idoli, *Dan.* III. 16, 17, 18. in septem illis fratribus sub Antiocho constantissimè pro Lege dirissimos cruciatus sustinentibus. 2 *Machab.* VII. Et præ aliis memorandum est exemplum Eleasari, qui induci non potuit, ut tantum simularet esum carnis suillæ; ne speciem defectionis præbendo juniores suo exemplo ad defectionem incitaret, 2 *Machab.* VI. 21. *& seqq.* Sanè non video, quomodo quis actus ejusmodi com-

committens, aut eorum speciem præbens, bonam possit conservare conscientiam: eâ autem amissâ fidei naufragium facere dicimur: 1 *Tim.* I. 19, 20.

Respondetur ad exemplum Nicodemi & Josephi ab Arimathæa.

IX Dices. Nicodemus & Josephus Arimathæensis occulti fuere discipuli Domini Jesu, & tamen eadem cum inimicis & adversariis Jesu Christi sacra colebant. Resp. 1. Non adhærebant illicitis sacris, sed Legi divinæ per Mosen promulgatæ: Hi verò actibus illicitis, quibus Religio Christiana, aliàs vera ac divina, contaminata est. 2. Judæorum acta non probabant, sed improbabant. Nicodemus apertè ipsis contradixit, *Joan.* VII. 50, 51. Josephus ab Arimathæâ expressè dicitur *non consensisse consilio & actibus eorum*, *Luc.* XXIII. 51. Hi verò non tantum non improbant cultus illos vitiosos, sed & factis suis approbationis speciem præbent. 3. Jesu mortuo amorem suum erga ipsum testati sunt, ipsum aromatis condiendo & sepeliendo, *Matth.* XXVII. 57. *& seqq. Joan.* XIX. 38, 39. *& seqq.* Hi autem amorem suum dissimulant, nec prodere audent. 4. Quod verò ingenuè ac palam se Christi discipulos professi non sint, in exemplum trahi non debet: hoc enim expressè in ipsis reprehenditur *Joan.* XII. 42, 43.

Et Naamanis Syri.

X. Dices. Naamani Syro à Propheta Elisæo permissum fuit, ut in templo Remmon coram Diis alienis propter regis sui præsentiam adoraret, quamvis ad veri ac unici Dei cognitionem jam illustri miraculo adductus esset. Resp. Non petiit Naaman, ut sibi in solita cum rege idololatrici cultus communione perseverare liceret. Contrarium ipse de se asserit: *Non faciat ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino*; 2 *Reg.* V. 17. ideoque rogat sibi concedi, ut duorum burdonum onus tollat de terra Israëlis: *Hoc autem solum est*, inquit, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Cui Elisæus respondit: *Vade in pace*: *vers.* 18, 19. Jam autem quid in exemplo hoc est, quod facto horum hominum patrocinetur? Nihil. Possunt enim verba hæc accipi, vel de præterito tempore, ut remissionem petat idololatriæ, quam unà cum rege in templo Remmon commiserat ante cognitum verum Deum: & tum verba Elisæi, *vade in pace*, continent plenam peccati præcedentis remissionem. Vel de futuro tempore; ut petat licere sibi regi in templo adoranti ministerium civile præstare, se nempe incurvare, ut rex ex consuetudine illi innitatur: nam civile tantum ministerium intelligi, exinde liquet, quia rogat hoc sibi solummodò concedi rege adorante & super manum ipsius innitente. Et quia hoc suo facto speciem idololatriæ præbere videri poterat, ideo illo solum in casu illius veniam petit. Propheta id non approbat, sed tantum illius facti, licet minus generosi, indulgentia concedit. Vel tandem verba ejus ita accipi possunt, ut non contineant petitionem veniæ, sed intercessionis apud Deum per Prophetam. Atque hoc illi promittit Propheta. Unde constat factum hoc admodum facto horum esse dissimile.

Quid sentiendum de Remonstrantibus, ob rationes hujus seculi ipsorum cœtus deserentibus.

XI. Quid verò dicendum de illis, qui persuasi de veritate sententiæ Remonstrantium, & de æquitate tolerantiæ quam obtulerunt & etiamnum offerunt, desertis cœtibus Remonstrantium, se ob rationis hujus seculi Contraremonstrantibus, quorum sententiam ut falsam in animo rejiciunt, adjungunt? Resp. Aliam quandam quàm eorum, qui Pontificiorum sacris intersunt, esse rationem. Omnia enim ad salutem necessaria à Contraremonstrantibus creduntur: admiscentur solummodò veritati salutari errores quidam periculosi ac pietati noxii. 2. In externo religionis exercitio nulli actus pietati adversi committuntur. Attamen quoniam veritatem maxime ad pietatem momenti non tantum oppugnant, sed & condemnarunt ut intolerabilem, ejusque professores Ecclesiis suis exegerunt, & etiamnum nihil de illa condemnatione remittunt; non potest quis veritatis illius cognitione probè imbutus, & de ea penitus persuasus, bonâ conscientiâ desertis veritatis patronis se illius condemnatoribus adjungere. Hac enim suâ desertione 1. Speciem præbet approbatæ falsitatis, & rejectæ veritatis. 2. Iniquam ipsorum condemnationem, si non verbis, facto saltem suo comprobat, atque ita revera cum ea communionem habet: contra Apostoli dictum *Eph.* V. II. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* 3. Exemplo suo aliis scandalum præbet, qui eo alliciuntur, ut similiter veritatis defensionem deserant 4. Veritatis promotionem impedit, quæ confessoribus destituta tandem collabatur necesse est. Hinc 1 *Tim.* III. 15. Ecclesia vocatur *columna ac firmamentum veritatis*: quia confessione fidelium, quibus Ecclesia constat, veritas conservatur, non aliter quàm regum edicta columnis ac valvis quibus affixa sunt: illis autem deficientibus, ipsa veritas interit. Unde tandem 5. consequitur, quòd, veritatem deserens, tandem errori ac falsitati, cui antea externâ tantum professione adhæserat, reverâ ac ex animo favere incipiat, & quia amorem veritatis reliquit, errore implicetur.

CA-

CAPUT XXXII.

De Obedientia.

Obedientia. I. Quartus & ultimus pietatis actus externus est Obedientia. Est autem virtus, quâ nos voluntatem Dei, mandatis ejus declaratum, cum animi subjectione & promtitudine, quantum fieri potest, & quoties se occasio offert, præstamus. Exprimitur phrasibus *obediendi* & *serviendi Deo*, *Luc.* I. 74. *Rom.* VI. 16. *audiendi vocem Dei*, & *ambulandi in viis ejus*, *Psal.* LXXXI. 14. aliisque.

Ejus norma est verbum Dei. II. Respicit ea voluntatem Dei verbo suo clarè expressam, tanquam normam ac regulam cui conformis esse debeat. Ita Dominus Jesus suam obedientiam expressit, *Matth.* XXVI. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu* vis. Et qualis nostra esse debeat, declarat, quando nos Patrem suum orare jubet, *fiat voluntas tua quemadmodum in cælo sic etiam in terra*, *Matth.* VI. 10. Eamque respicit cum subjectione. Hinc quamvis eam pietatis externæ partem faciamus, tamen nisi ex corde, quod suam sub lege Dei subjectionem testatur, procedat, nullius apud Deum est pretii. Hinc *Deum ex toto corde, ex tota anima*, &c. *diligere* jubemur, *Matth.* XXII. 37, 38.

Debet esse universalis & cæca. III. Requisita hujus obedientiæ sunt, Primò. Ut sit universalis & cœca, omnibus Dei præceptis præstita absque ulla exceptione: etiam iis, in quibus nulla nobis apparet ratio, imò quæ videntur aliquando cum rationis dictamine pugnare. Rationem enim præcepti primò velle inquirere antequam obedias, non est Deum præcipientem, sed præcepti rationem sequi. Modò de præcepto divino constet, de illius æquitate nullum nobis debet esse dubium. Et hoc præcipit Dominus, quando nostri abnegationem præcipit. Ita laudatur Abrahami obedientia, qui præcepto divino de immolando filio, quod & promissioni divinæ de semine in filio isto factæ, & amori paterno, & honestati naturali repugnare videbatur, se sine ulla tergiversatione morigerum præbuit. Ita videmus Esaiæ mandatum, ut nudus & discalceatus incederet, *Esa.* XX. 2, 3. Ezechieli, ut sibi panem coquat stercore humano; vel saltem bubulo, *Ezech.* IV. 12. Hoseæ, ut sibi sumat uxorem fornicationis, *Hos.* I. 2, 3. Qui omnes Deo præcipienti paruerunt sine ulla tergiversatione.

Mandata Dei pluris facere, quàm hominum. IV. Secundò. Ut mandata Dei pluris faciamus, quàm ullorum hominum, etiam maximam aliàs in nos potestatem habentium; neque in ullius hominis gratiam quicquam committamus à Deo vetitum, aut omittamus à Deo præceptum: sed si Deo obedire nequeamus, nisi hominibus obedientiam denegando, Deo magis obediamus quàm hominibus: *Act.* IV. 19. & V. 29. Hinc dicitur *Matth.* X. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, &c. Ac proptcrea nusquam nobis mandatur, ut hominibus sine ulla exceptione obtemperemus, sed *in Domino*; id est, in quantum ipsorum præcepta nihil præceptis divinis contrarium præscribunt. Hoc modo filii parentibus, *Eph.* VI 1. & servi dominis, *Coloss.* III. 21. parere jubentur.

V. Huic adhæret, ut maxima ac gravissima potius ab hominibus sustineamus mala, omniaque hujus vitæ commoda abnegemus, quàm quicquam, quo obedientia violetur, committamus: imò quò majus sustinendum malum, eò obedientia laudabilior Deoque gratior est. Neque ex obedientiæ nostræ eventu vel successu, quem in hoc mundo percipimus, pendere nos decet; sed persistendum est, gravissimis licet propterea malis affligamur. Idque præcipit Apostolus 1 *Pet.* II. 19, 20, 21. *Gravissima potius sustinere, quàm eam Deo non præstare.*

VI. Inde liquet, hanc esse virtutem Deo gratissimam, & quæ omnia nostra officia, totumque nostrum cultum, Deo commendat. Eâ enim testamur, nos agnoscere Deum esse Dominum nostrum, cujus nos ex asse toti sumus. Quid enim est obedire, nisi alterius in se dominium agnoscere, ideoque præceptis ejus, tanquam à domino nostro, jus nobis imperandi habente, profectis, tanquam actionum nostrarum regulæ, morem gerere? Et ratio ejus per se clara est. In omnibus enim officiis externis Deo consecramus, quod non nostrum, sed Dei est. Per obedientiam autem nostrum propriè Deo consecramus ac devovemus. Licet enim toti corpore ac animâ Dei simus; nihilominus liberum voluntatis nostræ usum Deus nobis reliquit, quâ vel possumus idem velle quod Deus nobis præcipit, vel ejus contrarium. Quando autem Deo obedimus, hunc liberum voluntatis nostræ usum, à Deo potestati nostræ relictum, Deo offerimus, ut illi pro arbitrio per præcepta sua dominetur, Deumque illâ facultate, quæ propriè nostra est, Dominum agnoscimus, eamque præceptis ejus subjicimus. Qui summus Deum colendi gradus est. *Est Deo gratissima virtus.*

VII. Sicut & ab altera parte, nullum peccatum Deo magis est exosum, quàm inobedientia: quia per illam dominium Dei in nos abnegatur; inobedientes enim non præceptum divinum vitæ suæ regulam constituunt, sed arbitrium ac beneplacitum suum, præcepto divino licet à diametro repugnans. Et hoc respectu inobedientia vocatur à Samuele *peccatum ariolationis & idololatriæ*, 1 *Sam.* XV. 23. quia aliquam cum ariolatione ac idololatria analogiam habet. Sicut enim ariolus responsa ac revelationes *Et inobedientia vitium Deo maximè exosum.*

quærit à falsis diis, neglecto veri Dei oraculo; & idololatra rejecto vero Deo falsos colit; ita & inobedientes abjectâ reverentiâ Dei, ex proprio arbitratu vitam instituunt, nullamque præter id vitæ legem agnoscunt. Quo ipso Deum quammaximè contumelia affici manifestum est. Hinc est, quòd aliquando severa iræ divinæ exempla exstant in peccata, si ipsum factum nudè spectetur, non valdè enormia, sed quæ causam habuere inobedientiam ac contumaciam: in filiis Aaronis, Nadab & Abihu, *Levit.* x. & eo, qui sabbatho ligna collegit, *Num.* xv. aliisque. Quandoque etiam Deus exemplum statuere voluit severi judicii, non in hominem propriè ex inobedientia & contumacia peccantem, sed aut ex inadvertentia, aut temeraria credulitate; ut hoc supplicio alios ex contumacia peccantes terreat, & ad officium revocet. Quale exemplum habemus 1 *Reg.* XIII. in Propheta, qui ex tribu Judâ adveniens regem Jerobeamum vitulorum cultu defectionem à lege divina molientem acriter increpuit. Mandaverat illi Deus, ne in loco illo ederet, neque per eandem viam, per quam profectus fuerat, rediret; quique ob prioris mandati transgressionem, ad quam per mendacium cujusdam senis Prophetæ, ad se verbum Dei esse factum ut illum reduceret mentientis seductus est, à leone directione divinâ occisus fuit. Videri posset primâ fronte utriusque hujus præcepti divini vix ulla posse allegari ratio, pœnaque Prophetæ inflicta durior pro levitate peccati. Verùm si temporis illius circumstantias penitius inspiciamus, & præcepti ratio, & pœnæ divinæ æquitas haud obscura videtur. Jerobeamus moliebatur cultum, qui totus adversabatur legi divinæ, solummodò ut regni sui securitati consuleret. Non itaque peccabat ex quadam inadvertentia, ignorantia, aut incogitantia; sed ex mera contumacia & inobedientia. Deus per hunc Prophetam ipsum severè coargui jubet, pollutionemque altaris ab ipso erecti prædici, hancque Prophetæ prædictionem duplici miraculo confirmat. Ne verò Jerobeamus & populus crederent hanc manifestam inobedientiam sibi à Deo condonatum iri, in Propheta hoc exemplum edere voluit, quàm exactè ab homine obedientiam præstari velit, quando de mandato suo constat. Mandat ergo, ne in illo loco edat, neque per eandem viam quâ profectus fuerat revertatur; ut hisce duobus præceptis, quæ exigui videbantur momenti, saltem postremum, cujusque vix ulla potest excogitari ratio, demonstret quam exactè omnibus à se præceptis obediendum sit. Et ob inobedientiam, ad quam fraude & mendacio alterius inductus fuit, Prophetam illum à leone interfici procurat: ut hac severitate ostenderet, nec Jerobeamum, ex mera contumacia peccantem, & totum Dei cultum, contra expressam legem divinam, pervertentem, nec populum ipsius inobedientiæ participem, ullam hujus suæ transgressionis veniam sperare posse; sed penitus debere esse persuasos horrendum sibi imminere judicium divinum: ideoque & Prophetæ hujus interitum, & interitus causam omni populo manifestam esse voluit.

VIII. Adjuncta Obedientiæ sunt: Primò. Promptitudo & alacritas, quæ singularem fervorem sibi adjunctum habet: requiritque non tantum alacritatem & hilaritatem animi: sic puniendi dicuntur Israëlitæ, *eò quòd non servierint Domino in gaudio cordisque lætitiâ, Deuter.* XXVIII. 47. & in speciali officio beneficentiæ Deus requirit hilaritatem dantis, 2 *Cor.* IX. 7. Sed & ardens studium Deo obediendi in omnibus, non tantum quæ præcepta novimus, sed & quæ docebimur ab ipso præcepta esse, quamprimum de voluntate ejus nobis constat. Illud enim est prompti obsequii signum, ad imperatoris nutum semper paratum esse. Vide *Deuter.* XII. 8. & 28. *Adjuncta obedientiæ Alacritas.*

IX. Secundò. Sinceritas, ut fiat ex corde: 1 *Thess.* v. 23. *Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia: & integer vester spiritus, & anima, & corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* 1 *Cor.* VI. 20. *Glorificate Deum spiritu & corpore.* Et corde quidem quod sincerè fertur in præcepta divina, non autem constitutionibus humanis à Deo non præceptis acquiescit: tum enim verè labiis & cultu externo Deus colitur, cor autem à Deo remotum est, *Matth.* xv. 7, 8. Deo enim aliâ quàm ipse nobis præscripsit ratione velle placere, mera inobedientia est. Nostrum enim non est, sed solius Dei, vitæ nostræ regulam dictare. Quod egregiè docetur 1 *Sam.* xv. 22, 23. Huic adde, ut ad gloriam Dei tendat ac dirigat, quæ omnium actionum nostrarum finis esse debet; 1 *Cor.* x. 31. Hinc & cultus noster vocatur *glorificatio Dei*, 1 *Cor.* VI. 20. & *celebratio virtutum Dei qui nos vocavit ex tenebris in admirabilem suam lucem*, 1 *Pet.* II. 9. Eaque sinceritas maximè ostenditur amore boni & odio mali, quæ cordis affectiones sunt. *Sinceritas.*

X. Media ad obedientiam sunt varia. 1. Studium semper in fide proficiendi, quia ex ea obedientia: *fide* enim *corda purificantur, Act.* xv. 9. & *fides est victoria quæ vincit mundum*, 1 *Joan.* v, 5. collapsa autem fide etiam obedientia deficit, uti innuitur *Hebr.* IV. 1. Hinc tota obedientia nostra Christiana vocatur *obedientia fidei*, *Rom.* 1. 5. XVI. 26. 2. Cor minimè refractarium, sed ad præcepta & suasiones Dei flexile: hinc 1 *Pet.* I. 14. *Tanquam filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis* *Media ad obedientiam.*

sideriis. Cui opponitur *cor durum impœnitens*, *Hebr.* III. 12. & quibus tale est cor, dicuntur *filii inobedientiæ*, *Eph.* II. 2. v. 6. *Coloss.* III. 6. 3. Studium indefessum, in voluntatis divinæ, quæ maximè nostrum nobis officium præscribit, cognitione continuè proficiendi. Sic *Psal.* CXIX. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; & custodiam illam in toto corde meo:* & continuum exercitium in illis, quibus magis magisque ad obedientiam excitari, in eaque confirmari possumus. Sic Apostolus de se inquit 1 *Cor.* IX. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Rationes ut ad eam excitemur. XI. Rationes, quibus ad obedientiam excitari possumus, hæ sunt præcipuæ. Contemplatio auctoritatis Dei eam præscribentis, summæque ipsius in nos potestatis, per maxima & infinita beneficia, creationem, providentiam, redemtionem, aliaque plura, acquisitæ. Hinc *Malach.* I. 6. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est bonor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Et 1 *Cor.* VI. 19, 20. Hinc Deus decalogo præfationem præmittit, in quâ commemoratione suorum beneficiorum jus suum αὐτοκρατορικὸν in Israëlitas ostendit, legique suæ tanquam fundamentum substernit. Ad illius fermè imitationem Apostolus, commemoratis prius ingentibus Dei beneficiis, *Rom.* XII. 1. fideles eorum consideratione orat, *ut corpora sua exhibeant hostiam vivam, sanctam, Deoque bene placentem.* Quod jus nemo hominum in nos habet. 2. Consideratio, beneficiorum divinorum finem esse obedientiam nostram: *Luc.* I. 74. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi.* Quibus adde *Tit.* II. 14. 1 *Pet.* I. 18, 19. Nosque præterea fœdere sanctissimo ac gratioso ad Deo obediendum obligatos esse; quia legem suam mentibus nostris indidit, & cordibus inscripsit, *Hebr.* VIII, 10. 3. Meditatio continua promissorum obedientibus factorum, *Hebr.* v. 9. Christus *omnibus sibi obedientibus factus est causa salutis æternæ*: Et minarum ac ultionis inobedientibus paratæ, 2 *Thess.* I. 8. summæque eorum miseriæ: sunt enim servi peccati, eique obediunt ad mortem, quæ illius stipendium est: *Rom.* VI. 16, 23.

CAPUT XXXIII.

De Impietate & Idololatria.

Opposita Pietati. I. Restat ut Pietatis opposita videamus. Quamvis autem in singulorum actuum tractatione jam multa de illis diximus; tamen quia hæc particularia sunt, actibus illis particularibus adversa, quædam generalia, pietati universæ opposita, consideranda sunt. Hæc extrema duo sunt, Impietas, & Superstitio; quorum unum in defectu, alterum in excessu peccare, vulgò judicatur. Verùm si penitius Superstitionis naturam consideremus, eam non in excessu, sed perinde atque impietatem in defectu peccare deprehendemus: ut in sequentibus ostendam.

II. Impietas est vitium, quo quis nullam divini numinis reverentiam habet. Estque duplex. 1. Eorum, qui Deo nullum cultum præstant. 2. Eorum, qui Deo quidem cultum præstant, sed non soli. Primi rursus vel sunt athei, qui nullum Deum agnoscunt: vel Deum, qui sit agens naturale & necessarium, aut qui nullam rerum humanarum curam gerat; qui proinde cultus nostri objectum esse nequit. Quorum impietatem, cùm existentiam & providentiam divinam adstruximus, abundè confutavimus. Vel sunt impii, qui, licet verum Deum aliquomodò agnoscant, non tamen eum colunt, sed ita vivunt, perinde ac si Deus non esset. De hisce dicitur, quod *profiteantur se Deum nosse, factis autem negent, cum sint abominabiles, increduli, & ad omne opus bonum reprobi: Tit.* I. 16. Et *Psal.* XIV. 1. quod *dicant in corde suo, non est Deus*: quoniam si hoc corde suo sentirent, perinde ac nunc vitam instituerent. *Primum, Impietas.*

III. Peccatum eorum, qui Deo quidem cultum præstant, sed non soli, est Idololatria: quâ vel apertè plures Dii agnoscuntur; qualis fuit idololatria Ethnicorum, & in quam aliquoties delapsi fuere Israëlitæ ante captivitatis Babylonicæ tempora. Vel tacitè & implicitè: qualis est cultus Pontificiorum, quem Angelis ac Sanctis mortuis deferre solent. Sed quoniam hanc idololatriæ speciem satis refutavimus, de objecto pietatis disserentes, aliam nunc idololatriæ speciem sumus consideraturi. *Ejus species, idololatria.*

IV. Est itaque alia idololatriæ species, quando Deus colitur in imagine; & ab illo cultu propriè vox idololatriæ manavit. Hæc vetatur secundo decalogi præcepto. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* &c. *Exod.* XX. 4, 5. Ut præcepti hujus sensus rectè cognoscatur distinguendum inter imagines, sive eæ sint pictæ, sive sculptæ, id enim perinde est. Aliæ sunt repræsentationes rerum reverâ existentium; aliæ rerum non existentium reverâ, sed tantum hominum opinione, ac proinde tantum fictarum. Quod reverâ existit, vel est Deus, vel creatura. Rursus, aliæ imagines habentur, tanquam nudæ repræsentationes rerum; aliæ autem ad cultum. Primi generis imagines, nim: creaturarum, quæ tantum rerum, aut etiam cerebri humani figmentorum, repræsentationes sunt, ha- *Variæ imagines.*

bere illicitum non est. Ipsi Judæi jussu divino habuere serpentem æneum, habuere suos Cherubim in templo.

Imagines Dei facere est illicitum.

V. Imagines Dei efformare, omninò illicitum est, qualicunque formâ Deus repræsentetur: quoniam enim Deus spiritus est & invisibilis, imagine exprimi nequit. Et hac addita ratione omnis effigiatio essentiæ divinæ severè Israelitis interdicitur, *Deuter.* IV. 15, 16. *& seqq. Custodite igitur sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die quâ locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis: Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ*, &c. *Esa.* XL. 18. *& seqq. Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Actor.* XVII. 29. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum esse simile.* Et *Rom.* I. 23. gentes ab Apostolo in desideria cordis sui traditæ dicuntur, quia *gloriam incorruptibilis Dei mutaverunt in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, &c. Quæ omnem Dei effigiationem illicitam docent. Dices. Est illud præceptum positivum, ad tempus datum, quò longius ab idololatria arcerentur Hebræi. Resp. Ratio præcepto addita, *quia non viderunt Deum*, est perpetua, ostenditque præceptum hoc perpetuæ esse obligationis. Dices. Deus tamen se Danieli repræsentavit sub figura senis, *Cap.* VII. 9. Resp. 1. Actio Dei non est officii nostri regula, sed præceptum. Exstat autem clarum Dei interdictum, nusquam id limitatur, aut uspiam essentiæ divinæ effigiatio conceditur: qui itaque aliqua divini præcepti reverentiâ ducitur, ab ea prorsus abstinebit. 2. Apostolus etiam post istam Dei actionem gentiles condemnat propter effigies illas, *Rom.* I. 23.

Imagines quæ sunt objectum cultus religiosi sunt vetitæ.

VI. Imagines quæ objectum sunt cultus religiosi, qualescunque eæ sint, vetitæ sunt. Sive sint imagines ejus quod existit, sive Dei, quia Deus exprimi non potest: sive creaturæ, quia creatura Deus, ac proinde cultus religiosi objectum, non est. Sive ejus quod non existit, sed vana credulitate existere tantum fingitur, quodcumque tandem sit, sive in cœlo, sive in terra, sive in aquis sub terra: quia quod non est, nec Deus est, nec exprimi potest. Ita ut omnis hic gentilium idololatria vetitur. Sensim quippe cultus ille imaginum introductus est: qui exinde originem primum traxisse videtur, quod homo vix ullum simplex ens intelligat, absque omni omninò phantasmate; hinc ad ideæ illius, quam unusquisque sibi repræsentavit, similitudinem imago efficta. Deinde cùm divinitas communis crederetur variis creaturis, soli, lunæ, astris, iisque vel stellis singularibus, vel humanâ institutione sub forma animalis comprehensis; etiam imagines effictæ non tantum astrorum, sed & animantium, ob siderum similem figurationem, aut naturam creditam sideri convenientem: qualis idololatria obtinuit inter Ægyptios. Quia autem homo inter omnes creaturas excellit, maximè placuit figura humana; ut ita Deus, qui est præstantissimus, per figuram etiam præstantissimam repræsentaretur.

Coli possunt vel directè, vel indirectè.

VII. Imagines autem coli possunt, vel directè; cùm quis ad ipsas imagines preces suas dirigit, credens illis divinam aliquam virtutem inesse, & in illis operari, et proinde numen illis speciali modo esse præsens. Hæc est crassissima idololatria. Vel indirectè; cùm ad, circa, vel ante illas, cultum suum peragit. Hæc similiter à Deo vetita est, cùm prohibet, ne coram idolis nos incurvemus: adeo ut si quis ad aut ante illa sese incurvet, coram illis se incurvare, ea adorare & colere dicatur, etiamsi ea animo suo detestetur, palamque declaret, se ea pro Diis non habere. Quod in Salomone manifestum est. Non enim cultus hic æstimandus est ex intentione aut protestatione hominis colentis, sed ex judicio Dei, qui externum illum cultum ita interpretatur: non enim semper Deus actiones æstimat ex corde, sed & cor ex actionibus. Ita qui se coram idolis à se fabricatis incurvant, eo ipso dicuntur illis dicere, *Tu es pater meus, Jerem.* II. 26, 27. *Esa.* XLIV. 17. eadem phrasi, quâ avari vocantur *idololatræ, Eph.* V. 5. & luxuriosi *ventrem Deum facere* dicuntur, *Phil* III. 19.

Imago & idolum sunt idem.

VIII. Hinc facile judicium fieri potest de facto Pontificiorum, qui non tantum imagines sanctorum, sed & ipsius Dei, imo SS. Trinitatis effingunt, coram iis se incurvant, caput aperiunt, genu flectunt, preces effundunt, illis vota nuncupant, ad eas peregrinationes instituunt, in sacris locis reponunt, pulchrè vestiunt, aureis thecis includunt, circumgestant, cereos coram illis accendunt, &c. Esse nimirum speciem idololatriæ. Et inepta est illorum distinctio, quâ inter idolum & imaginem distinguunt: quasi idolum repræsentet rem non existentem aut fictitium Deum: imago autem verum Deum, aut rem verè existentem: idola autem tantum sint vetita, non autem imagines. Unum enim idemque sunt εἴδωλον, γλυπτὸν, εἰκὼν: Deus etiam in præcepto suo non usus est voce *idoli*; est illa vox interpretum, sed פסל וכל תמונה: Vocem autem פסל Hieronymus vertit *idolum, sculptile, imaginem*: תמונה autem notat *similitudinem*. Quicquid itaque effingitur ad repræsentandum Deum, & ut sit objectum cultus, est idolum: non tantum quod repræsentet rem non existentem, sed & reverà existentem. (Quis enim neget imagines solis & astrorum idola fuisse?) Non tantum quod repræsentat Deum fictitium, sed & Deum verum. Quod exemplis duobus ex Scriptura astruemus.

IX.

Improbatur. IX. Primum est vitulus aureus, qui ad repræsentandum verum Deum fuit fictus; ad exemplum quidem Apis Ægyptiaci, attamen ad Deum verum qui ipsos ex Ægypto eduxerat repræsentandum: ita enim ajunt Israëlitæ, *Exod.* XXXII. 4. *Hi sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt è terra Ægypti.* Tum & ipse Aaron solemnitatem indicens, ait, *cras solemnitas Jehovæ est*, *vers.* 5. quo nomine Deus se ab idolis distinxit. Attamen vitulus ille vocatur *idolum Act.* VII. 14. & Israëlitæ ob actum hunc *idololatræ*, 1 *Cor.* X. 7. Alterum sunt vituli Jeroboami, quos Jeroboamus instituit, non ut abduceret Israëlitas à cultu unius veri Dei: hoc enim adeo subitò in populo, qui ad sacrificandum Deo Hierosolymam adscendere cupiebat, efficere non potuisset; sed ut eos averteret ne Hierosolymam adscenderent, ad sacrificandum. Hoc indicant verba ejus, 1 *Reg.* XII. 28. *Nolite ultra adscendere in Jerusalem: Ecce Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Similiter verba Jehu, qui exscindens idola & sacerdotes Baal, ait, *vide zelum meum pro Jehova*, 2 *Reg.* X. 16. & tamen non recessit à peccato Jeroboami: *vers.* 29. Hic tamen observandum, cultum illum Jeroboami rarò expresso nomine vocari idololatriam, sed ordinariè, *peccatum Jeroboami qui Israëlem peccare fecit*: procul dubio, quia species idololatriæ erat, ab Ethnicorum idololatria distincta. Attamen & vituli ejus vocantur Dii alieni. Sic Propheta Ahias uxori Jeroboami dicit, 1 *Reg.* XIV. 9. *Fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles.*

Cultus imaginum in Ecclesia Romana idololatricus. X. Et hujus generis est Pontificiorum idololatria, quam imaginibus exhibent. Licet itaque non sit de crassiore illa gentilium idololatria, qui repræsentabant & adorabant vel creaturam, vel id quod nihil est: ab idololatria tamen excusari non potest. Imo multa sunt in ipsorum cultu, quæ analogiam cum Etnicorum idololatria habent. Quale est inter alia, quòd virtutem quandam miraculosam imaginibus suis inesse credant; licet Synodus Tridentina contrarium profiteatur. Inde est, quòd quasdam vocent miraculosas, quia nempe Deus circa illas miracula facit, quæ alibi facere non vult. Credere autem eos virtutem illam miraculosam ipsis imaginibus inesse, inde constat: quod ab illis vim miraculosam exire credunt, adeo ut earum contactu morbi aliàs insanabiles curentur: qualis est imago Christi ab hæmorrhoousâ erecti: agnus Dei, cui virtus morbos aliaque mala depellendi tribuitur. Quòd imagines quasdam sudasse credunt sudorem, cujus beneficio multi curati sint à morbis, ad devotas preces se inclinasse, capite annuisse, manum porrexisse. Quod invocationes ad quasdam imagines dirigunt; veluti ad imaginem Christi Veronicæ, ad quam extat invocatio.

XI. Dices. Non tamen credunt Pontificii imagines suas esse Deos. Resp. Nec hoc ipsi gentiles de suis crediderunt imaginibus. Quis enim adeò fatuus, ut credat imaginem, à se ex ligno vel lapide effictam, esse Deum? Quia tamen sese coram illis incurvant, censentur à Deo imagines credere Deos. Ad actum ergo idololatriæ sufficit, coram illis procumbere. Hinc vocatur προσκυνεῖν, quod est genubus advolvi, in genua procumbere, & idem quod coram imagine procidere. Æquipollent enim προσκυνεῖν, & πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον: uti liquet ex *Matth.* VIII. 2. coll. cum *Luc.* V. 12. & *Matth.* IX 18. coll. cum *Marc.* V. 22. Aliquando utraque hæc conjunguntur, *Matth.* II. 11. IV. 9. *Actor.* X. 25. 1 *Cor.* XIV. 25. ut appareat pro eodem sumi. Omnes itaque reverentiæ actus coram imagine prohibentur, quocunque tandem animo fiant. Et videtur eorum cultus coram imaginibus, quas vocant miraculosas, coincidere cum facto Israëlitarum, æneum serpentem colentium, quem propterea rex Esechias confregit, 2 *Reg.* XVIII. 4. *Diluitur exceptio.*

XII. Et maximè criminis illius reos ipsos arguunt ineptæ & crebræ illæ distinctiones, quibus non tantum inter cultum δουλείας, λατρείας, & ὑπερδουλείας, distinguunt, sed & inter objectum cultus per se, in quo est ratio venerationis, ut rex: & per accidens, quod conjunctum est supposito, ut vestis, sceptrum, & corona regia: propter se, quod in se verè habet rationem venerationis nec aliunde dependentem, ut natura rationalis; & propter aliud, quod habet quidem in se rationem venerationis, sed quæ ab alio dependeat: hoc modo signa rerum sacrarum ajunt esse venerabilia; inter cultum propriè & impropriè dictum: prior est, qui exhibetur illi qui verè ratione sui honoratur; ut quando legatus tanquam legatus honoratur: posterior est, qui alicui loco alterius exhibetur: ut, quando legatus honore regibus proprio honoratur: quia tunc ipse impropriè, propriè verò rex in ipso honoratur: de quibus magna inter ipsos doctores controversia est. Et præsertim, cùm varias illas cultus species à se invicem distinguant, quod tamen exactè non definiant, quousque procedendum sit, ne cultus δουλείας convertatur in ὑπερδουλείαν, aut hic in λατρείαν; ac proinde ne objectum, cultu tantum δουλείας aut ὑπερδουλείας colendum, cultu λατρείας colatur: quod cùm à plebe ignoretur, in manifestum idololatriæ, etiam juxta ipsorum definitiones, periculum conjicitur. Verùm operosæ illæ distinctiones eos criminis illius convincunt. Manifesta quippe sunt opera carnis, inter quæ est idololatria. Si distinctionibus crimen illud possit evitari, nullum erit peccatum, quin homo illi incrustando distinctionem invenire queat, in manifestum *Pressius ostenditur esse idololatricus.*

legis divinæ vilipendium. Et præsertim nulla in hoc peccato exceptio valet: quia vocatur adulterium, *Ose.* IV. 12. & apud Eſechielem paſſim. Atqui omnes exceptiones partis adulteræ ſunt vanæ, neque adulterii crimen eluere poſſunt. Et maximè intolerandum eſt, quod ex decalogo in ſuis catechiſmis præceptum ſecundum, quo imaginum cultus vetatur, eraſerint; ne plebs criminis hujus, ita clarè vetiti, fœditatem videat.

CAPUT XXXIV.

De Superſtitione.

Superſtitio. I. ALterum pietatis extremum eſt Superſtitio. Ea accipitur, vel pro nimis anxio ac vano numinis metu, eò quòd iis rebus offendi creditur, quibus minimè offenditur: atque ita accepta eſt ſpeciale vitium, timori Dei propriè oppoſitum. Vel pro inepto ac vano Dei cultu, cujus cauſa vanus ille numinis metus eſſe ſolet. Adeo ut utraque hæc ſuperſtitio ſemper conjuncta eſſe ſoleat. Poteſt itaque Superſtitio in genere definiri, quòd ſit larvata, ſeu fucata quædam religio, ſeu ineptus & fucatus in religione cultus, extra manifeſtam idololatriam.

Ejus ſpecies prima. II. Eſtque duplex: Primò, Præpoſtera atque nimia in externis ritibus, licet alioqui bonis & à Deo præceptis, ſeu ad pietatem tendentibus modò ritè uſurpentur, devotio ac fiducia. Talis erat Judæorum ſuperſtitio, in obſervatione ceremoniarum, (ſacrificiorum vid: feſtorum, ſabbathorum, &c.) à Deo præſcriptarum, neglecto cultu morali: eaque a Deo rejicitur *Eſa.* I, 11. *& ſeqq.* LVIII. 5. *& ſeqq. Jerem.* VII. 4. *Amoſ.* V. 21. *& ſeqq. Mich.* VI. 6, 7, 8. & alibi. Tales hodie ſunt, qui nimium fidunt externæ Baptiſmi ablutioni, quaſi ſit regeneratio, & externæ communioni ſacræ Cœnæ, quaſi per eam homo ſit Chriſtianus: cùm ſint præcepta tantum externa, internum animi noſtri propoſitum teſtantia, gratiamque Dei, ſi animus externæ profeſſioni reſpondeat, obſignantia: aliàs nullius uſus, neque per ſe hominem Deo gratiorem, ſed potius, ſi indignè iis utatur, judicio divino obnoxium reddentia. Sic I *Cor.* XI. 29, 30. *indignè edens & bibens* dicitur *ſibi edere & bibere judicium:* & de Baptiſmo. quòd non externus ille nos ſalvos faciat, qui eſt *depoſitio ſordium carnis*; *ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti*, I *Petr.* III. 11.

Altera. III. Secundò; Anxia obſervatio ejuſmodi rerum, quæ à Deo nec expreſſè, nec tacitè, præceptæ ſunt: & nullum cum virtute, hoc eſt, officiis, vel à Deo præſcriptis, vel à recta ratione dictatis, commercium habent; quæ fundamentum habent in perſuaſione merè humana, & in quibus tamen vera pietas collocatur, quæ ut neceſſariæ ad ſalutem ſuſcipiuntur, & per quæ verus Dei cultus irritus redditur. Tales olim erant variæ Phariſæorum traditiones, à Domino taxatæ *Matth.* XV. & XXIII. Hodie, omnes ceremoniæ Judaicæ, utpote jam abrogatæ tanquam prima religionis elementa, ſtatumque populi infantilem concernentia, *Gal.* IV. 1, 2, 3. Niſi forte communis ædificationis cauſâ ad certum tempus obſerventur, ut alii Chriſto facilius lucrifieri poſſint; nec obſerventur ut neceſſariæ ad ſalutem, ſed liberæ & indifferentes, nullaque in iis ſanctitatis pars collocetur. Ita Paulus, quamquam zelator libertatis Chriſtianæ, *Act.* r. XV. & *Gal.* II. tamen Timotheum circumcidit, *Act.* XVI. 3. & votum fecit caputque raſit, *Actor.* XXI. 26. Unde de ſe ait I *Cor.* IX. 20. *factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer* &c.

Ritus Pontificiorum idololatrica. IV. Et ad hanc claſſem referendi ſunt varii in Eccleſia Pontificia ritus, nuſquam à Deo inſtituti, & cum opinione ſanctitatis, imo meriti, ab ipſis recepti. Horum alii ſunt idololatrici, aut ad idololatriam proximè accedunt: quales ſunt, qui ſpectant divorum & imaginum cultum, quos ad idololatriam retulimus. Quibus alii adjungendi ſunt non minus idololatrici; quales ſunt, cultus reliquiarum, præſertim crucis, omniumque quæ cruci annexa ſunt, quæ cultu λατρείας honorari volunt, non per ſe, quia res ſunt inanimes, ſed ratione perſonæ cujus attactu eam dignitatem adepta dicuntur. Quibus adjunge cultum rebus conſecratis, agno Dei, aquæ Baptiſmi, ſacramento Euchariſtiæ, & ipſi Pontifici Romano exhibitum. Ea enim ipſis tribuunt, eam ipſis reverentiam exhibent, quæ ſoli Deo propria eſt. Quod de ſacramento Euchariſtiæ ipſi confitentur, utpote quod Deum ipſum eſſe contendunt. Quàm fœdam autem circa id committant idololatriam, de cœna Domini diſſerentes, oſtenſuri ſumus.

Superſtitioſi & vani. V. Alii vani ſunt & ſuperſtitioſi: quales ſunt multæ Pontificiorum ceremoniæ: ſc. ſuperſtitioſa templorum ſtructura, eorundemque per varios ritus conſecratio; obſervatio dierum feſtorum, diſcrimen ciborum certis diebus alligatum, peregrinationes, roſaria, ritus vani & inepti in Baptiſmo, cum ejuſdem profanatione ad res inanimatas; ſimiliter in ſacra Cœna: quibus adjunge alia quinque fictitia ſacramenta, rituſque numeroſos quibus conſtant: de quibus omnibus ſingulatim ſuis locis agemus. Hæc omnia ab ipſis non tantum ut bona & neceſſaria, ſed & ut meritoria urgentur; & dicuntur eſſe quaſi eſſentialis pars verè divini cultus, & vim quandam habere ſpiritualem ad animas homi-

hominum coram Deo expiandum & sanctificandum. Hinc est, quod horum transgressorem gravius peccare credant, quàm præceptorum divinorum violatorem. Magis quippe eos horrere videas hominem die Veneris carnem comedentem, aliàs licet pium ac justum, quàm scortatorem, adulterum, perjurum. Et tamen tantum abest ut à Deo sint instituta, aut ullam cum virtutibus à Deo præceptis communionem habeant; ut quædam veræ virtutis ut remoræ ac impedimenta, ideoque & expressè à Deo vetitæ. Uti videre licet *Rom.* XIV. 3, 4, 14, 17. *Actor.* XV. 24. *& seqq.* 1 *Cor.* VIII. 8. X. 25. *& seqq. Gal.* III. & IV. passim. *Coloss.* II. 16, 17. *& seq.* 1 *Tim.* IV. 1. *& seqq. Tit.* I. 15. Quippe per eas cultus spiritualis ac rationalis, sub Novo Fœdere præceptus, transmutatur in cultum externum ac carnalem, totaque Fœderis Veteris œconomia, infantili statui conveniens, reducitur in Ecclesiam jam à ceremoniarum juge liberatam.

Quinam ad superstitionem maximè proni. VI. Solet autem superstitio maximè occupare animos probos, & ad pietatem dispositos, sed imbecilliore judicio præditos: pietatem enim falsâ specie mentitur. Hinc qui pietatis sunt studiosi, sed propter judicii imbecillitatem fucum à vero discernere nequeunt, facile in eam incidunt; præsertim, quia facilis est observatu, utpote in externis tantum consistens, quæ absque vera sui abnegatione & affectuum mortificatione observari possunt. In hominibus verò solidioris judicii, aut peritioribus, semper cum malitia quadam est conjuncta. Inde est, quòd Dominus Pharisæos, in externorum solummodo observatione sedulos, vocet hypocritas: & Apostolus tales taxet tanquam falsos fratres, *Galat.* II. 4.

Peccat in defectu. VII. Hinc jam liquet, cur, licet superstitio in excessu peccare videatur, quatenus multa à Deo non præcepta sibi ut necessaria præscribit & observat, tamen eam propriè in defectu peccare dixerimus: quoniam, in minutiis sectandis occupata, præcipuum Dei cultum negligit, & fucum amplectens, veritate destituitur; in externis acquiescens verâ animi puritate caret.

CAPUT XXXV.

De Magiâ, Divinatione, Astrologia, & Sorte.

Magia. I. PRæter hæc aliud est Superstitionis genus, quod impietatem secum habet adjunctam, & aliquod cum diabolo commercium. Ad hoc genus referenda est Magia; omnisque generis divinationes de rebus occultis & futuris. *Deut.* XVIII. 10, 11. *Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consultat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem.*

II. Magia generali vocabulo communiter vocari solet veneficium, seu φαρμακεία, *Galat.* V. 20. *Apoc.* XXI. 8. XXII. 15. Veneficium autem duplex est. Vel quando quis alteri venenum miscet, eoque aërem inficit, & varios morbos ac symptomata periculosa hominibus concitat. Istud grande scelus est, & directè peccat contra proximum, itaque hujus non est loci. Vel magia sive ars incantandi, quâ homo ope dæmonis mira quædam & virtute humanâ majora opera facit: vel ut magnus habeatur & supra alios homines eximius; vel ut aliis noceat. Tales fuere Magi Ægyptiorum temporibus Mosis; etiam Simon, *Actor.* VIII. 9, 10. & Elymas, *Actor.* XIII. 6. *Quid ea sit.*

III. Est autem hæc Magia duplex, diabolica, & artificialis. Diabolica est, quâ quis directè cum dæmone sive diabolo societatem init, ut illius ope mira ac inusitata quædam cognoscat ac operetur. Non quòd homo cum diabolo contrahens, eum ut diabolum & Dei ac generis humani hostem consideret; hoc enim in hominem vix cadit ut cum hoste Dei contrahere velit: sed ut spiritum, quem naturæ divinæ participem credit, cujusque ope mirabilia efficere possit, sive is per se subsistere, sive astris quibusdam inesse credatur. Hæc Magia gravissimum est peccatum, & defectio a Deo vero. Pugnat enim cum amore Dei; quia cum hoste ejus conspirat: cum fiducia in Deum; quia à satanâ sperat, quod à Deo sperandum est: cum honore Dei; quia aliquando preces & invocationes, soli Deo debitas, ad satanam dirigit: vel etiam incantationibus suis preces ad Deum intermiscet. Ideoque olim severè adeo à Deo prohibita est: *Deut.* XVIII. 9, 10, 11, 12. *Est vel diabolica.*

IV. Alia est artificialis: quando adhibitis gestibus quibusdam, verbis, signis, ac characteribus, opera quædam perficiuntur miranda, ut sanationes morborum, excitationes affectuum, similiaque: quæ licet illi, qui ea patrant, se ope dæmonis perficere non credunt; tamen, si attendere velint, satis animadvertere possunt, se non nisi dæmonis ope perficere posse. Quia aut Dei sive boni Angeli, aut mali Angeli ope perficiuntur. Non Dei nec boni Angeli ope perficiuntur: quia plerunque tendunt in noxam hominum: qui hisce excellunt homines sunt impii & nequam; pii verò ab illis abhorrent: & tandem si donum esset divinum, precibus à Deo obtineri posset. Tum & ipsa alligatio præcisa ad certa quædam verba ac ritus, totam hanc operationem à Deo non esse arguit. Quid enim Deo opus nugis & ritibus istis, in quibus si vel minimum erres, statim irrita redditur tota actio? *Vel artificialis.*

V.

Fundamenta illius duo. V. Plenius id apparebit, si excutiamus fundamenta quibus nititur. Ea duo potissimum sunt. Primum: quòd anima, affectu quodam vehementi incitata, verbis, characteribus & imaginibus, vim aliquam possit imprimere, ad effectum producendum quem intendit, & effectibus, qui ex causis naturalibus producuntur, similem. Alterum: Imagines & characteres siderum, sub congrua sibi constellatione fabricatas, concipere vim, ad producendum eosdem effectus, ad quos sidera valent. Utrumque hoc fundamentum vanum, futile, ac ridiculum prorsus est.

Vanitas primi. VI. Primum quidem. 1. Quia omnis animæ illa operatio est tantum immanens, ac proinde extra hominem nihil operari potest. 2. Nec verba, nec signa alia, capacia sunt ejusmodi physicæ virtutis. Non verba, nec physicè, nec logicè considerata. Quia priore modo considerata sunt tantum soni ex aëris reverberatione & agitatione orti, & momentanei, nullo modo permanentes. Posteriore modo, sunt tantum significativa, animi motus internos declarantia. Atqui hac ratione nullam habent movendi vim nisi moralem, quatenus in oratione moralis suasio continetur. Multò minus physicam ejusmodi virtutem recipere possunt verba quæ nullum continent sensum: qualia plerumque sunt ea, quibus operationes hæ alligatæ creduntur. Non imagines signave alia: quia quæ gestus hominum affectibus quibusdam agitatorem repræsentant, vim quidem movendi habent; sed ea est objectiva, ac proinde moralis, non physica: quod exinde etiam liquet, quia imago istiusmodi non semper eodem modo hominem afficit; quod necessarium foret, si physica virtute operaretur.

Et secundi. VII. Secundum non minus est absurdum. 1. Quid enim ineptius, quàm astra singula vires habere peculiares, easque non tantum homini esse notas, sed & ab homine colligi & convasari posse? Quid ineptius, quàm astra diversimodè in res, prout diversis constant figuris, agere: cum experientia testetur solem æqualiter in res, cujuscunque sint figuræ, operationes suas edere? 2. Quid insulsius, quàm credere, imagines animalium, quas Astronomi memoriæ tantum sublevandæ causâ finxerunt, reverâ esse in astris, ideoque imaginem ejusmodi animalis aptiorem esse ad sideris illius vim recipiendum, aliâ imagine? Tandem: quid vanius, quàm, astra in res ad exiguum tempus sibi subjectas magis vires suas exserere, quàm in alias, putâ herbas, lapillos, &c. continuò sibi expositas?

Est etiam diabolica. VIII. Ex hisce colligimus; quoniam fundamenta hæc sunt futilia, magiam hanc artificialem viribus naturalibus non peragi, sed non nisi dæmonis ope perfici posse: ac proinde reverâ cum priore magiæ specie coincidere; sed esse occultiorem cum diabolo contractus speciem, & sæpe quidem, ignorantibus illis qui eam exercent; qui tamen, quoniam eam naturalem non esse facile perspicere possunt, propterea inexcusabiles sunt.

IX. Huic annexa est Divinatio, quæ est arrogatio & affectatio scientiæ futurorum contingentium, quæ humano ingenio cognosci non possunt, quia à causis indeterminatis, vel nullam certam cum iis connexionem habentibus, procedunt. Sive ea desumatur ex somniis, sive ex observatione elementorum, sive ex volatu avium, sive inspectione extorum, sive consultatione mortuorum, sive ex corporis humani lineamentorum observatione, sive utensilium quorundam domesticorum inspectione, putâ speculi, cribi, &c. sive aliunde. Quoniam enim homo facile deprehendere potest, signis istis vim illam occulta revelandi non inesse; hinc per se facile deprehendere potest, scientiam illam haberi non posse, nisi aut expressè invocatâ dæmonis, hoc est spiritus cujusdam majore quàm humanâ pollentis scientiâ, ope: aut saltem ejusmodi observatis signis & adhibitis regulis, quæ nullum nisi dæmonem habere auctorem possunt. Licet autem futura dæmones nosse nequeant; tamen propter diuturnam experientiam, exactam rerum naturalium, hominibus incognitarum, scientiam, & celerrimum per quævis mundi plagas motum, multa hominibus impervestigabilia cognoscere possunt. Adde quod & credibile sit, Deum, in impietatis humanæ pœnam, nonnunquam quædam revelare, aut res ita dirigere, ut quæ à dæmonibus prædicta sunt eveniant; ut qui fontem veritatis Deum deserunt, ita decepti tandem mendacio pascantur. Adeo ut hæc divinatio ejusdem cum Magia sit impietatis; ideoque & simul cum illa prohibita est, *Deut.* XVIII. 10, 11. Similiter *Levit.* XIX. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Et *cap.* XX. 6. *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* *Divinatio.*

X. Ad hanc classem etiam referenda est Astrologia: non illa, quæ in siderum cursu observando, ex eoque tempora demetiendo occupatur, quæque communiter Astronomia vocatur, quæ multiplicis est usus in vita civili: sed altera illa, quæ communiter Astrologia judiciaria appellatur, quæque non tantum ex diverso stellarum positu de tempestatibus pronuntiat; verùm potissimum ex inspectis hominum genituris, natalitiisve thematibus, prædictiones instituit singularium omnium per totam vitam eventuum: unde & Genethliaca vocatur. *Astrologia.*

XI.

Vanitas. XI Vanitas illius abundè confirmatur, tum ex fundamentis quibus nititur, tum experientiâ. Fundamenta sunt vanissima ac ridicula. Quid enim vanius, quàm multiplex illa astrorum distributio, singulisque specialium virium attributio facta, juxta vires animalis, sub cujus figura sidera ab astronomis memoriæ causa concipiuntur? Quid ineptius, quàm cœli in duodecim domos, quarum singulæ peculiares habeant vires, distributio? Quid futilius, quàm cujuscunque planetæ virtutem singularem & operationem in hæc inferiora, & præsertim, ex vario planetarum inter se aspectu, singularem operandi modum determinare? Quis non videt, omnia hæc pro arbitrio hominum efficta, merasque esse nugas & deliramenta? Sed hisce jam admissis, quoniam totius prædictionis certitudo dependet ab ipso momento quo infans in lucem editur, an non circa illud facile ad momenta aliquot aberrari potest? Et quoniam non omnis partus est momentaneus, si sensim infans edatur in lucem, an non exinde sequetur, jam caput fata sua adeptum, pedes autem ex alio siderum positu id accepturos? Quid verò dicemus de pluribus infantibus eodem momento in lucem editis, quorum tamen in hac vita dispar admodum est fortuna? aut de aliis, quorum eadem est fortuna, idem vitæ finis, veluti in prælio occumbentibus, diversissimo tamen tempore in lucem editis? Adeò ut vana superstitio & credulitas sese hîc nimium ab omni parte prodat.

Quæ & confirmatur experientiâ. XII. Tum & experientia artem hanc vanitatis evidentissimè convincit: Celeberrimorum quippe Astrologorum prædictiones ut plurimum destituuntur eventu. Dices. Attamen & quandoque veritatem prædictionum comprobat eventus. Resp. 1. Multa ejusmodi esse efficta, & idoneis testibus destituta. 2. Mirum non est aliquando inter innumeras prædictiones falsas, paucas admodum eventu comprobari: & mulierculæ, & senes nonnunquam vera prædicunt: & cœco si detur ingens lapidum numerus is nonnunquam fortuitò scopum feriet. 3. Vafrities astrologorum, qui aliunde varia de consulentium vitâ sciscitantur, quin & ipsorum imprudentiâ abutuntur, speciem quandam prædictionis ostentat; cùm solummodò mera sit hariolatio, quâ ex anteactis, de futuris conjectant.

Ejus impietas. XIII. Pessimum autem in hac arte est, quòd comparata sit, ad omne religionis studium in hominibus exstinguendum. Quia enim certæ siderum positura omnes hominum actiones alligat, fatum introducit, & naturalem omnium rerum ac eventuum necessitatem, quæ nullâ ratione evitari potest: quæ omnis religionis pernicies est. Tum in credulis hominibus, quibus res prosperæ sunt prædictæ, oritur nonnunquam securitas, quâ ipsi occasionem negligunt ad felicitatem, quam aliàs nancisci potuissent, adspirandi: quibus verò res adversæ sunt prædictæ, desperatione miseriam evadendi corripiuntur; atque ita dum media, quibus miseriam evadere possent, negligunt, ipsi adversæ suæ fortunæ sunt fabri. Et quod impietatem maximam sapit, est, quod Astrologi ita arti suæ fidant, ut quicquid eveniat, etiam extraordinaria ac miraculosa Dei opera, astrorum viribus adscribant. Adeò ut Cardanus (horreo dicere) ipsum Dominum Jesum tot miracula patrandi potestatem adeptum esse contendat, quia illum sub fausto ac potenti adeo siderum positu nasci contigerit: quod tandem ad totius religionis Christianæ explosionem tendere quivis facilè videt. Et ob has similesque causas Deum interdicto suo hanc astrologiam damnasse crediderim, *Esa.* XLVII. 12, 13. *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi: aut si possit fieri certior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent & salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex iis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula*, &c. Et *Jerem.* x. 2. *Juxta vias gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt.*

XIV. Hisce divinationum speciebus adjungi & alia impietas potest, falsa divini nominis jactatio; quando aliquis se prophetam & à Deo missum jactat, quem Deus non misit; & oracula tanquam divina venditat, quæ Dei non sunt; sed aut cerebri ipsius commenta, aut suggestiones diaboli, cui Deus permittit, ut hominibus, falso missionem divinam sibi arrogantibus, illudat, & spiritus mendax sit in ore ipsorum; dum illi, & sibi aliisque imponentes, se futurorum prædictione donatos credunt: quale exemplum illustre habemus in quadringentis illis Achabi falsis prophetis, 1 *Reg.* XXII. Hoc crimen tendit in summam Dei ignominiam, eoque decepti homines à vero Dei timore abducuntur: ideoque & Deus falsos istiusmodi prophetas morte plecti jubet, *Deut.* XVIII. 20. Et populum monet, ne illis auscultent *Jerem* XXIX. 8, 9. Quin & illis excidium, aliis exemplo futurum, comminatur; *ibid. vers.* 21. *& seqq. Esa.* IX. 14, 15. *Falsa nominis divini jactatio.*

XV. Tandem restat, ut quædam de Sorte adjiciamus. Sors propriè actio est eum in finem instituta, ut res obscura vel dubia aut cognoscatur, aut discernatur. Earum usum in se spectatum, non esse illicitum, liquet: quia Deus ipse in Veteri Testamento sortes instituit, & per sortes varia dirimi voluit. Sic forte voluit terram promissam distribui, *Deut.* 1. 38. forte hircus eligebatur Domino *Sors.*

offerendus, *Levit.* XVI. 8. Achan sacrilegus est detectus, *Jos.* VII. 14. Jonathan deprehensus, 1 *Sam.* XIV. 41. ministri Sacerdotales electi, *Luc.* 1. 9. Quin & in electione Matthiæ ad Apostolatum sortem adhibuerunt Apostoli, *Actor.* 1. 26. Hinc Salomon inquit *Prov.* XVI. 33 *Sortes mittuntur in sinu, & à Domino temperantur.*

Variæ illius species.

XVI. Verùm ut distinctius de Sorte dicamus, illius primò considerandæ sunt distributiones. Primò itaque sortes distribuuntur ratione finis. Aliæ sunt divisoriæ, ut decidatur quæ cuique rei dividendæ portio sit assignanda. Aliæ consultoriæ, quibus de rebus ambiguis quid agendum sit inquiritur. Aliæ divinatoriæ, quibus futuri aut occulti revelatio quæritur. Secundò distribuuntur ratione institutionis. Aliæ sunt divinæ, quæ adhibentur Dei mandato per revelationem publicam, vel privatam, de qua tamen qui sortitur persuasus est. Aliæ humanæ; quibus homines utuntur citra revelationem divinam, ex aliqua pactione, ut controversia inter ipsos dirimatur: & vel fit cum invocatione nominis divini: si nempe res sit aut gloriam Dei spectans, aut alàs magni momenti: vel secus; si res sit vel exigui momenti, vel ludicra. Aliæ diabolicæ, ex pacto vel expresso vel tacito cum diabolo institutæ, ut inquisitio fiat de rebus occultis, vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris.

Sortes divinæ sunt sanctæ.

XVII. Sortes divinæ fuere sanctæ, easque semper comprobavit eventus, utpote à Deo directas, qualescunque fuerint, sive consultoriæ, sive divisoriæ.

Humanæ consultoriæ illicitæ.

XVIII. Sortes humanæ consultoriæ vel divinatoriæ, vel instituuntur ad inquisitionem juris, & illæ planè sunt illicitæ: quia verbum Dei regula est infallibilis unde voluntatis divinæ cognitio petenda est; neque unquam legitur Deus sorti præceptorum suorum revelationem commisisse. Vel ad inquisitionem veritatis occultæ præteritæ aut eventus futuri incerti: & hæ illicitæ sunt; quia sunt medium extraordinarium, quod regulam ordinariam non habet, ac proinde sine extraordinaria Dei directione absque temeritate adhiberi non potest.

Divisoriæ sunt licitæ.

XIX. Sortes divisoriæ, quæ fiunt de rebus hujus vitæ, vel auctoritate legum, vel communi sortientium consensu, quo sese sponte obligant ad parendum, quicquid per sortem determinatum fuerit, sive onerum quorundam distributio sit facienda, sive res magni momenti dividenda, sive alia quædam decidenda, quæ vel ad Dei honorem spectant, aut magnum ad lites præcavendum habent momentum, licitæ sunt, & aliquando amplectendæ, tanquam concordiæ conservandæ medium aptissimum. Dummodò ad hæc attendatur. 1. Ut fiant cum divini nominis invocatione: ut *Actor.* 1. 24, 25. 2. Ut alia media ordinaria prius sint adhibita, nec melior ratio dubitationem tollendi inveniatur. 3. Ut exspectetur eventus à sola providentia divina: ac proinde absit omnis fraus. 4. Ut absit omnis superstitio, adhibendi ritus quosdam aut verba à Deo non instituta; quasi sine illis sors rectè fieri non possit. 5. Ut admittatur id quod sors tulerit, tanquam à Deo profectum, atque ita omnis disceptationis sit terminus: juxta *Proverb.* XVIII. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.*

Ludicræ non penitus sunt illicitæ.

XX. Sed aliæ sunt sortes, quæ de rebus minoris momenti instituuntur, & ludicræ, adhibitæ ad resocillandum spiritus à graviore labore fessos, & subcisivis horis; sive ad sortiendum aliquem qui lusus præses sit; sive etiam sortes aleares, quæ vel mero casu constant, vel etiam, postquam ceciderunt, arte humanâ aliquatenus corrigi possunt. Quæritur de hisce an licitæ sint, nec ne? Resp. Sortes illas in se spectatas, absque peccatis vitio hominum sæpe eas comitantibus (qualia sunt blasphema quædam fortunæ execratio, quando sors est adversa; aut bonæ fortunæ grata prædicatio, quando sors favet; & pertinax contentio meliorem sortem exspectandi) planè illicitas non videri: quia instituuntur ad spirituum fessorum resocillationem, ut alacrior homo ad labores ordinarios redeat. Dices. Quod ad invocationem Dei institutum est, eo homines abutuntur ad lusum. Resp. Licet sors in rebus gravioribus & feriis, in quarum decisione directionem à Deo speramus, ad Dei vocationem sit instituta; exinde non sequitur, Dei invocationem ita intimè ac necessariò sorti connexam, ut ab ea separari minimè queat. Quin imò, possunt homines, sicut in rebus gravioribus sorte utuntur ut decisionem à Deo quærant, ita & in rebus exiguis & ludicris sortem adhibere, nullâ cum relatione ad providentiam divinam, cujus directionem invocent, sed solummodò ad ordinem quendam observandum, confusionem vitandum, & sese non inhonestè oblectandum; alligantes sese certis quibusdam legibus, secundum quas, quicquid sors tulerit, actio instituenda sit. Dices. Si in sorte non spectetur specialis Dei directio, mera in ea contingentia locum habet: at quoniam illa indeterminata est, nullam omnino habet aptitudinem ad aliquid determinandum. Resp. Ex se quidem nullam aptitudinem determinandi habet: potest tamen eam habere, mutuo hominum consensu, qui se recreandi causâ contingentiæ isti subjiciunt, neque quicquam in illa quærunt quod certo consilio determinatur, sed solam ab eventu determinationem exspectant. Modò caveatur, ne fiat cum temporis aut pecuniæ jactura, & abs-

& absque vehementiore aliquâ affectuum commotione, sive sors adversa, sive prospera fuerit.

Diabolicæ illicitæ sunt. XXI. Sortes diabolicæ, qualescunque sint, illicitæ sunt; & pertinent ad divinationes illicitas, quas omnes à Deo damnari diximus. Sive eæ fiant ex pacto cum dæmone expresso, sive tacito: sive ex superstitione quadam, quasi astrorum directioni, per quæ omnes res humanæ significari ac dirigi creduntur, sortis eventus adscribendus sit. Qualicunque enim modo fiant, in Deum sunt contumeliosæ; quia futurorum revelationem, soli Deo propriam, creaturis, sive diabolis, sive inanimatis, ut astris, adscribunt. Ideoque eodem, quo divinationis, loco habendæ sunt.

CAPUT XXXVI.

De Charitate.

Charitatis significatio laxior. I. Sanctitatis pars, quæ homines spectat, sive proximum, duobus ferè nominibus in Scriptura explicari solet, *Justitiæ*, *Tit.* II. 12. & *Charitatis*, *Rom.* XIII. 8, 9, 10. & *Galat.* v. 14. quibus in locis tota Lex in hoc uno præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; impleri dicitur. Vide & *Matth.* XXII. 39. & VII. 12. Perfectior tamen est appellatio Charitatis; quia Justitia ea tantum respicit, quæ proximo jure aliquo debentur, & ad quæ lege aliqua sumus obligati; Charitas verò est indebitus favor, per quam proximo aliquid boni, ad quod per justitiam non sumus obligati, confertur. Imò charitas multa prohibet, quæ justitia, si rigidè jus nostrum exsequi velimus, permittit.

Strictior. II. Strictiore verò significatione denotat Charitas specialem illam virtutem, quâ affectu benigno impulsi, non tantum proximi nostri incommoda quantum in nobis est præcavemus, sed & commoda ejus pro virili promovemus, ipsique ea, ad quæ jure communi obligati non sumus, tribuimus.

Duplex ejus acceptio. III. Duplici autem significatu ea in Sacris Literis accipitur. 1. Denotat benignum affectum & habitum, ex quo ceu fonte omnia charitatis officia promanant; ut *Gal.* v. 22. ubi distinguitur ab aliis fructibus spiritus, præsertim benignitate & bonitate. *Coloss.* III. 14. post commemorata officia misericordiæ & benignitatis, additur; *super omnia autem hæc charitatem habete*, &c. & præsertim 1 *Corinth.* XIII. 3. ubi dicitur, omnium facultatum distributionem in paupeгes vanam esse absque charitate. 2. Designat officia charitatis externa, unà cum benigno illo affectu in animo latente, ita ut effecta, & fons unde ea profluunt, simul intelligantur. Atque ita passim in Scriptura accipitur, quando charitas nobis commendatur, nosque proximum amare jubemur. Eoque sensu nos eam hîc accipiemus.

IV. Interim observandum, cùm de Charitate agitur, sæpius respici bonum illud summum, quod unicuique ex charitate vovemus & precamur, quantumque in nobis est promovere studemus, salutem nim. æternam: aliquando internum charitatis affectum, unde vota nostra charitatisque officia procedunt; ac tandem sæpissimè charitatis exercitium effectaque externa, quæ quoniam charitati suam debent originem, charitatisque solent esse indicia, sæpissimè Charitatis nomine veniunt. Hisce breviter observatis, distinctius Charitatis naturam considerabimus. *Tria respicit.*

V. Quatuor circa Charitatem nobis occurrunt expendenda: 1. Objectum. 2. Officia. 3 Norma. 4. Necessitas. *Quatuor consideranda.*

VI. Objectum Charitatis ordinariè solet exprimi voce *proximi*: ita Lex, *Diliges proximum tuum sicut teipsum Levit.* XIX. 18. Quod præceptum in Novo Testamento repetitur *Matth.* XXII. 39. & alibi passim. Alia autem illius significatio fuit sub Lege, alia nunc est sub Euangelio. Sub Lege *proximus* potissimum erat Israëlita, ex eodem patre Israële oriundus, ejusdemque religionis consors: uti ex præcepto *Levit.* XIX. 18. clarè satis liquet: quanquam & illius significatio latius aliquando extenditur, præsertim quando dilectio amorem tantum benevolentiæ designat, & Edomæos, Ægyptios, populosque qui se ultrò in servitutem dabant, comprehendit. Idque etiam ratio suadet: quia ipsa humanitas exigit, ut homo hominem adjuvet, & cuique misero opem præstemus: cumque nihil rationi magis est consentaneum, quàm ut erga benefactorem grati simus, etiam is qui pro proximo, licet Israëlita non fuerit, agnoscendus fuerit sub Lege, dubitare nos non sinit parabola de Samaritano, cujus exemplum Dominus Jesus Legis perito proponit imitandum, *Luc.* x. 36. *1. Objectum. Proximus.*

VII. In Religione Christiana omne populorum discrimen sublatum est, *Act.* x. 34. & præsertim *Galat.* III. 28. & *Coloss.* III. 11. Charitas itaque erga omnes est extendenda, modo auxilio nostro indigeant. Proximus ergo imprimis est Christianus, eandem nobiscum fidem in Jesum Christum profitens; & ratione spiritualis hujus regenerationis frater noster in Christo, cujuscunque nationis aut gentis. Ita *Gal.* VI. 10. monemur quidem ut omnibus beneficos nos exhibeamus, maximè autem domesticis fidei. Hinc & φιλαδελφία commendatur, *Rom.* XII. 10. & 1 *Thess.* IV. 9. *Hebr.* XIII. 1. 1 *Pet.* I. 22. II. 17. IV. 8. & 2 *Pet.* I. 7. Per *domesticum autem fidei* intelligendus est non tantum, qui inter divisas Christianorum sectas eandem nobiscum sequitur, prout hodie vulgò accipi solet: sed quivis Christianus, modò *Quis is sit sub Euangelio.*

vitâ profanâ fidei suæ professionem non evertat. Verum quidem est, propter gravissima inter sectas plerasque odia discrimen hic aliquod faciendum, respectu majoris dilectionis, operumque è charitate manantium, de quibus mox plura: interim sincerus erga omnes Christianos amor extendendus est. II. Proximus est homo quicunque, cujuscunque nationis aut religionis sit, modò ope auxilioque nostro indigeat. Hinc *Gal.* VI. 10. Apostolus jubet, ut *omnibus benefaciamus*; & Petrus, 2 *Epist.* 1. 7. amori fraterno adjungi vult *charitatem*, nim: erga omnes. Illiusque significationis fundamentum est, quòd omnes homines primæ suæ originis ratione *fatres* dicuntur, *Genes.* IX. 5. & *Act.* XVII. 26. *ex uno sanguine* dicitur *omne genus hominum.* III. Proximi sunt inimici, qui nobis male volunt. Horum amorem præscribit Servator *Matth.* V. 44. *Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c.* & Apostolus Paulus *Rom.* XII. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius.*

2. *Officia.* VIII. Officia Charitatis potissimum duo sunt, ad quæ omnia alia commodè referri possunt; Precatio nim: pro ipsius bono; & ejusdem, quantum fieri potest, procuratio.

Precatio pro bono proximi. IX. Precatio hæc est intercessio apud Deum, quâ non tantum precamur ut à malis quibus premitur liberetur; sed & ut Deus omnia, quæ religio jubet ut ipsi voveamus aut procuremus, largiatur, sive sint spiritualia, sive corporalia. De spiritualibus vide *Eph.* VI. 19, *Coloss.* IV. 3. De corporalibus, *Jacob.* V. 16. Precationi huic annexa est gratiarum actio, quâ Deus laudatur pro bonis proximo nostro concessis. Ejusmodi gratiarum actiones passim videre est in initiis epistolarum Apostolicarum.

Illius procuratio. X Procuratio boni proximum nostrum concernentis varia complectitur officia. 1. Ne proximo ullum malum velimus, neque faciamus: quo lædatur ejus sive corpus, sive fama, sive bona; ita *Rom.* XIII. 10. *Charitas proximi malum non operatur.* 2. Ut bonum proximi desideremus, & quantum in nobis est procuremus: *Gal.* VI. 10. *Operemur bonum ad omnes.* 3. Ut rebus ejus secundis lætemur, & adversis tristemur: ita *Rom.* XII 15. jubemur *gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus.*

Tam corporalis. XI. Hæc autem officia pro diversa proximi indigentia ac necessitate etiam diversimodè exercenda sunt; quia omnia nostra proximo debemus, opes, operam, dona spiritualia, imò & vitam ipsam, pro ratione indigentiæ ejus. Potest itaque proximus indigus esse rerum ad hanc vitam necessariarum; tum charitas illi jubet communicare facultates nostras: 1 *Joan.* III. 17, 18. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua; sed opere & veritate.* Si eas non possideamus, manuum nostrarum labore illi succurrere; *Eph.* IV. 28. *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Si vel consilio, vel auxilio, vel consolatione nostrâ indigeat benignè ei illa exhibere: *Gal.* V. 13. *Servite invicem per charitatem spiritus.*

Quam spiritualis. XII. Si spiritualibus sit destitutus, dona nostra spiritualia fideliter illi sunt impertienda: 1 *Pet.* IV. 10. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterum illam administret, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Idque pro ratione indigentiæ ipsius, quæ multiplex esse potest; vel ignorantia, vel error, vel infirmitas in fide, vel pusillanimitas, vel peccatum. Ignorans erudiendus, errans instruendus est, cum omni mansuetudine & lenitate, etiam quando veritati resistit. Si de errore convictus non fuerit, fraterne est tolerandus, donec Deus unam omnibus largiatur mentem. *Phil.* III. 15, 16. *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Infirmus in fide tolerandus & suscipiendus, *Rom.* XIV. 1. *Infirmum in fide assumite.* XV. 1. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Pusillanimes sunt erigendi & consolandi; 1 *Thess.* V. 14. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Peccatores sunt admonendi, & fraternè corripiendi: *Jacob.* V. 19, 20. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum; scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Hinc omnium horum officiorum respectu rectè inquit Apostolus *Gal.* VI. 2. *Alii aliorum onera portate, atque ita implete legem Christi.*

XIII. Norma Charitatis duplex est, 1. Charitas nostri ipsorum. 2. Charitas Dei & Jesu Christi quâ nos complectuntur. *3. Norma. Ea duplex est.*

XIV. Charitas nostri ipsorum præscribitur nobis norma amoris proximi nostri *Matth.* XXII. 39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum: Cap.* VII. 12. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc facite illis.* Non autem hoc ita accipiendum est, ut aliis præstemus, quæcunque ab illis nobis fieri volumus, ut ex: gr: pater filiis honorem & obedientiam, quia eam à filiis exigit; sed ut alteri præstemus quicquid nobis, si illius locò essemus, fieri vellemus. Mutatio itaque personæ est instituenda, idque alteri *1. Charitas nostri ipsorum.*

alteri præstandum, quod nos jure ab altero eo in casu exspectaremus. Nec etiam hoc ad mala extendendum est, adeo ut si quid nobis fieri velimus quod postea malum deprehendimus, ex:gr: liberi indulgentiam in peccatis, aleator pecuniam quam prodigat, idem alteri facere teneamur. Est enim præceptum charitatis, quod ad mala extendi non debet. Qui enim sibi ipsi malum cupit, nequaquam se diligit. Et quoniam nos facile deprehendimus, ipsum injustè id à nobis flagitare, ratio docet, nos similiter injuste ab ipso exspectasse aut exspectaturos.

Qua ratione illa charitatis erga proximum norma sit. XV. Ante omnia autem justa inter debitum & licitum p. oportio observanda est; ut id credamus nos proximo debere, quod simili in casu ipsum nobis debere credimus; & licitum esse proximo à nobis exspectare, nobisque licitum illi dare, quod nos tanquam licitum ab ipso exspectamus: non verò, licitum tantum esse & in arbitrio nostro positum, proximo dare, quod tanquam debitum à proximo nobis exspectamus; aut debere nos id proximo, quod solummodò ut licitum ab ipso petimus aut exspectamus, quodque proinde illi nobis dare quidem licet, sed & licet justè denegare. Hisce rectè observatis regula hæc valet.

Est infallibilis, & æqua. XVI. Et apparet exinde infallibilem officiorum nostrorum erga proximum nobis esse datam regulam. Sicut enim nemo ignorat quid sibi ab alterno fieri velit; ita neque de officio suo erga alterum dubitare potest. Nec minus officii nostri æquitas inde elucet. Quid enim æquius, quàm ut alteri præstemus, quod in simili casu ab ipso nobis fieri vellemus?

1. Charitas Dei & Jesu Christi. XVII. Charitas Dei & Jesu Christi, quâ nos complectuntur, norma est charitatis proximi: *Eph.* v. 2. *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* 1 *Joan.* IV. 11. *Charissimi, si Deus ita dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Eaque potissimum consistit in quatuor actibus charitatis. 1. Ut sicut Deus & Jesus Christus dilexerunt nos cùm adhuc peccatores & inimici essemus, *Joan.* XV. 9. *Rom.* v. 8, 9, 10. *Coloss.* I. 21, 22. ita nos ad ipsorum exemplar inimicos nostros diligamus. Hinc *Matth.* v. 44, 45. &c. *Diligite inimicos vestros*, &c. *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos*, &c. & *vers.* 48. *Estote igitur perfecti*, nempe in dilectione, etiam inimicorum, *quemadmodum Pater vester in cœlis perfectus est.* 2. Ut diligamus homines nobis inferiores, & à quibus nullam possumus exspectare retributionem: *Luc.* XIV. 12. 3. Ut ad exemplum Dei & Jesu Christi *Ephes.* I. 7. *Coloss.* II. 13. aliis delicta contra nos commissa benignè & ex animo condonemus: *Eph.* IV. 32. *Estote invicem benigni, misericordes, condonantes invicem, sicut & Deus in Christo condonavit vobis.* & *Coloss.* III. 12, 13. 4. Tandem ut ad exemplum Christi pro fratribus animam nostram ponamus; 1 *Joan.* III. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Ejus proprietas. XVIII. Ex hac charitatis divinæ norma tum sinceritas, tum & constantia in amore nostro evidentissime deducitur. Amat enim nos Deus sincerè, bono solummodò nostro, & ad finem usque, *Joan.* XIII. 1. Sed & reliquas Charitatis Christianæ proprietates egregiè nobis depinxit Apostolus 1 *Corinth.* XIII.

Amoris inæqualitas. XIX. Ex iis, quæ ante de diversa *Charitatis* acceptione diximus, quòd vel denotet bonum summum quod omnibus precari debemus; vel internum animi affectum, vel tandem externa charitatis opera; & de diversa vocis *proximi*, ut charitatis nostræ objecti, significatione; facile colligere est, licet proximum diligere jubeamur sicut nos ipsos, non æqualem per omnia erga quemcunque nobis dilectionis gradum præscribi.

Non est ratione boni, quod optandum est. XX. Ratione quidem boni quod optandum est, nulla inæqualitas locum habet; summum enim, felicitatem nempe æternam, unicuique debemus optare, sicut nobis ipsis; &, quantum in nobis est, idem in ipsis promovere. Attamen discrimen quoddam ordinis est in volendo: piis enim id immediatè, impiis mediante fide & resipiscentia optare debemus, quemadmodum id Deus non nisi fidelibus ac resipiscentibus dare decrevit.

Verum ea est ratione XXI. Ratione tamen affectus, externorumque effectorum, discrimen est agnoscendum. Inde amor distingui solet, quòd alius sit benevolentiæ, quo bene volumus & bene facimus alicui, etsi nobis dissimili, immerenti, ac contrarium merito: alius amicitiæ, quo volumus conjungi ac uniri alicui tanquam nobis simili, eique benefacimus, tanquam id merenti.

Affectus. XXII. Affectus enim noster, pro ratione fundamenti sui unde oritur, variat. Aut enim oritur ex judicio tali, quo statuitur eum, qui amandus proponitur, non tantum amandum esse, quia Deus eum amari vult: sed & quia amore dignus est, propterea quòd verus Dei amicus est, utpote pius ac probus, innocens, justam causam propugnans; aut etiam arctissimo nobis vinculo conjunctus. Aut solummodò nititur præcepto divino, qui omnes diligi jubet, licet quis de eo quem amat opinionem certam habeat, quod amore dignus non sit, quia his aut illis vitiis laborat; quæ opinio non parum amoris vim minuit. Prior amor est intensior, liberalior, fortior, ac constantior;

tior; exeritque se ardore quodam, *Rom.* XII. 10, 11. Qui ardor duo requirit: Desiderium unionis arctioris cum piis; quod videtur indicari *Hebr.* XIII. 1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis:* & singulare quoddam desiderium salutis ipsorum quos pro fratribus agnoscimus, & συμπάθεια in illorum malis: 1 *Pet.* III. 8. Posterior amor priore inferior est, & erga quos ille exercendus est, erga eos prior amor locum non habet; foret enim cœcus, imò in quibusdam casibus falsus.

Et exercitii. XXIII. Quoad exercitium & effecta amoris, imparitas frequentiæ, ordinis & extensionis datur, prout circumstantiarum concursus actionem quandam charitatis exigit, magisque necessariam facit. Frequentius charitatem exercere debemus erga eos, in quibus frequentius nobis occurrunt rationes & causæ veræ dilectionis. Ordo debet observari, juxta majorem minoremve dignitatem objectorum circa quæ charitas exercenda, & actuum ad objecta proportionem; ita pii, aut à quibus beneficiis sumus affecti, præ aliis debent amari. Sed & circumstantiarum quarundam ratio ordinem aliquando longè alium præscribit. Ita extrema necessitas aliquando minus dignum præferri jubet digniori communi tantum necessitate presso. Extensio ad plura aut nobiliora effecta requiritur secundum eorum necessitatem, diligendorum dignitatem, nostramque cum ipsis conjunctionem: *Gal.* VI. 10. 1 *Joan.* III. 17. ita ut, si cætera sint æqualia, secundum hasce circumstantias inæqualitas amoris prudenter observanda sit. Et ratione conjunctionis nobiscum speciatim observandum, illa propriè amoris exercitia majore affectu, frequentius, & prius exhibenda esse nobis conjunctis, quæ analogiam cum conjunctione ista habent: si ea sit spiritualis, spiritualia, si verò corporalis, corporalia potissimum exhibenda sunt. Non quod effecta illa amoris divellenda credamus; sed quod unaquæque conjunctio tacitus quasi instinctus sit, ad amorem nostrum potissimum hisce vel illis caritatis operibus testandum.

Amor inimicorum. XXIV. Hinc jam colligere licet, quem amorem debeamus inimicis; inferiorem quidem illo, quo amamus fratres, attamen sincerum & infucatum. Observandum autem, quemadmodum ratione majoris vel minoris nobiscum communionis, aut pietatis, amor noster variat: ita etiam erga inimicos ratione affectus & externi exercitii aliquatenus variare, prout inimicus se vel gravius vel levius odio suo erga nos coram Deo reum facit.

Inimici sunt, vel ex ignorantia, XXV. Sunt enim alii inimici nostri, primò ex ignorantia, qui nobis male volunt, quia nesciunt quales simus, existimantque nos odio & inimicitiâ dignos. Quod variis ex causis contingere potest. 1. Ex causâ religionis; cum existimant nos aut nullam, aut perversam & noxiam, aut suæ religioni contrariam in sinu alere aut apertè profiteri, ac proinde nos Dei esse inimicos, omniumque odio, maximè piorum, dignissimos. Talis erat Paulus, qui *Act.* IX. 1. dicitur *spirasse minas & cædem adversus discipulos Domini:* Qui tamen de se testatur *Phil.* III. 6. quòd *secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam quæ in Lege est conversatus fuerit sine querela:* & 1 *Timoth.* I. 13. quod ignorans fecerit. 2. Ex sola opinionum quarundam discrepantia circa eandem religionem principalem; quia suam quisque opinionem perditè ferè amare solet & dissentientes odisse; quia dissensio ista vilipendium quoddam ac contemtum nostri videtur importare: contemtus autem parit odium, & sæpe satis dirum ac pertinax. Hæc crassa est ignorantia, & priore minus excusabilis. 3. Ex causæ alicujus patrocinio, cùm causam quam sequimur & probamus existimant turpem, noxiam, aut levem nimis esse, quàm ut propter eam lis moveatur aut alatur. 4. Cùm quis nullâ ratione ductus in hanc aut illam partem it: quia alibi standum esse, & pro utraque parte magnos gravesque viros & multos stare videt.

XXVI. Secundò. Alii ex subita passione, qui nec omninò ignorant quales simus, nec ex malitia nobis male volunt, sed affectu aliquo abrepti, sive justo sive injusto, male de nobis sentiunt, loquuntur, nobis male volunt, & famam, bona, vitamque nostram lædere conantur. *Vel ex subitâ passione.*

XXVII. Tertiò. Alii ex malitia, qui dedita opera nos oderunt, nobisque nihil tale meritis, imò amore ipsorum aliquando dignis, convicti licet de eo, nihilominus male volunt; sive id contingat ex pura voluntate lædendi sine ulla commodi spe, sive spe privati alicujus commodi; sive ex consideratione publicæ alicujus tranquillitatis & quietis inde orituræ; sive in gratiam alterius amici: sive alia de causa. *Vel ex malitiâ.*

XXVIII. Hisce omnibus debemus, Primò: Affectum charitatis; & quidem potissimum in hisce duobus: 1. Eis optare & vovere debemus ex animo, Deumque precari, ut animum malum exuant, ex ignorantibus scientes, ex perturbatis sedati, ex malevolis benevoli reddantur. 2. Ut Deus eis non subtrahat media ad conversionem, nec deneget ei fini conducentia. *Omnibus debetur, 1. affectus charitatis.*

XXIX. Quæst. An igitur tenetur Christianus precari, ut Deus inimicos suos æternum velit salvare? Resp. Prout causæ, unde inimicitia orta est, graviores ac diversæ sunt, etiam diversa nostra esse debet precatio. Si sit ignorantia: orandus est Deus, ut ipsis mentem det meliorem; qualem Paulo dedit *Quomodo precandum pro inimicis ex ignorantiâ.*

1 *Tim.*

1 *Tim.* I. 13. 2. Si Deo mentem meliorem ipsis dare non placet, ut propter ipsorum animi probitatem (si quæ in ipsis sit) hane ipsis ignorantiam condonet: ad exemplum Servatoris in cruce pendentis, *Luc.* XXIII. 34.

Ex vehementi affectione. XXX. Si sit vehemens quidam affectus, qui ipsos, alias licet non admodum religionis studiosos, nec ejus planè ignaros, ad odium exstimulat, quo inducuntur, ut, licet verè non oderint, tamen ob rationes quasdam mundanas persecutionem instituant; non potest Christianus orare, ut Deus eos, dum tales manent, velit salvare: esset enim id Dei voluntati contrarium. Sed orare debet: 1. Ne Deus eos propterea velit punire, nec hic, nec in futura vita: esset enim si aliud oraret vindicta. 2. Ut Deus ipsis resipiscentiæ tempus benignè largiatur.

Ex malitia. XXXI. Si sit malitia, debet orare, ut Deus illis pœnitentiæ tempus det. Sed an non tenetur orare, ut Deus ipsis largiatur felicitatem ac omnia prospera in hoc mundo? Resp. Nequaquam; oraret enim contra seipsum, ut nim: Deus ipsis media largiatur se persequendi. Dices. An ergo orare potest, ut Deus ipsos infortunio aliquo puniat, ut à se persequendo desistant. Resp. Directè illud orare nequit; spiraret enim vindictam: sed ut Deus ea largiatur, quæ ad ipsorum conversionem maximè faciunt. Dices. An itaque non potest orare, ut Deus persecutorum suorum consilia disturbet? Resp. Maximè; perinde uti David orabat Deum, ut Achitophelis consilia disturbaret, 2 *Sam.* XV. 31. Sed quid, si hoc non obtineat à Deo, an licet orare, ut Deus illis rependat secundum opera? Resp. Nullo modo, est enim imprecatio, saluti ipsorum è diametro repugnans, animique vindictæ cupidi indicium evidentissimum.

Sensus 2 Tim. IV. 14. XXXII. Atqui Paulus 2 *Tim.* IV. 14. optat Alexandro ærario, ut *Deus ipsi retribuat secundum opera ipsius.* Resp. 1. Quædam exemplaria non legunt hic ἀποδώη, *reddat*; sed in futuro indicativo, ἀποδώσει, *reddet.* 2. Sed admissa vulgari lectione, nihil inde elici potest Paulus enim considerat Alexandrum, non tanquam suum inimicum, sed Euangelii Christi, ad quod prædicandum ipse à Christo Apostolus missus erat: Deo ergo causam suam commendat; fabrumque hunc, qui fortasse ad tribunal Christi provocavit, judicio divino committit.

Ex Gal. V. 12. XXXIII. At *Gal.* V. 12. Paulus precatur, ut qui Ecclesiam perturbant abscindantur. Resp. 1. Non agitur illic de inimicis Pauli, sed Ecclesiæ peturbatoribus. 2. Paulus, qui noverat homines hos esse insanabiles, decretumque divinum de illis exscindendis peremtorium, *vers.* 10. precatur ut Deus ad Ecclesiæ suæ salutem decretum illud exsequatur; atque ita illis occasio Ecclesiam amplius turbandi præcidatur.

XXXIV. Secundo. Debemus illis exercitium & effecta charitatis. 1. Famam ipsorum & existimationem lædere nolle debemus, etiam cum occasio est. 2. Nec statim credere, si quid sinistri de illis nobis referatur: 1 *Cor.* XIII. 5. *Charitas non cogitat malum:* & *vers.* 7. *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 3. Nolle curare, cum jure possimus, ut in bonis suis lædantur, aut noxâ aliquâ afficiantur, eò quòd nos læserunt: ita ut damnum solummodò illorum, nullam verò sive ipsorum sive nostrum commodum inde provenire possit. 4. Nolle curare ut vel sanitas vel vita ipsorum lædatur jure talionis, vel ut satisfiat animo nostro. 5. Ac tandem, si necesse sit, ipsis benefacere, indigentibusque omnia ex animo & sincerè conferre quibus indigent, ipsisque opitulari etiam cum periculo aliquo, ipsorum famæ, quantum fieri rectè potest, patrocinari, ipsorumque bonis ac vitæ pro virili nostra cavere; *Matth.* V. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos:* & *Rom.* XII. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius.* *3. Exercitium charitatis.*

XXXV. Quæst. An non licet famam nostram contra inimici columnias defendere? Resp. Omninò; ita & Servator noster se defendit, *Joan.* XVIII. 22, 23. & Apostolus Paulus *Act.* XXVI. imò licet id fieri nequeat sine famæ alterius noxa, quem per ingenuam ac apertam nostri apologiam omnibus constabit fuisse calumniatorem. Nunquam enim inimici amor eò usque extendi debet, ut justè nobis inimicus fuisse videatur: eâ enim ratione Deus læderetur, quatenus innocentia & justitia læderetur; aliisque exemplum malitiam illam imitandi præberetur æterno ipsorum malo ac damno. Potissimum id locum habet in casu religionis; quando quis traducitur tanquam hæreticus, factiosus, blasphemus: Christiani officium est, istiusmodi crimina à se amoliri, ne veritati per famæ nostræ læsionem aliquod fiat præjudicium. *Licet famam suam contra inimici calumnias tueri.*

XXXVI. Quæst. An licet ejusmodi hominem vocare calumniatorem? Resp. Non temerè eò deveniendum: fieri enim potest ut ex errore, ex præjudicio, aut affectu aliquo vehementi inclementer in nos dicat. 2. Multum interest, quo animo eum vocemus calumniatorem: fieri potest animo vindicandi; & tum planè est illicitum: vel amico ac benevolo, placidis verbis ostendendo, calumniam esse quod de nobis loquitur; ut ita agnito officio ac peccato suo id emendet: & hoc est licitum, juxta *Matth* XVIII. 15. *An possit vocari calumniator.*

XXXVII.

Exemplum Christi & Pauli.

XXXVII. Dices. Attamen Dominus Jesus Pharisæos sæpe vocat *hypocritas*, imò *ex diabolo*, *Joan.* VIII. 44. Paulus Pontificem vocat *parietem dealbatum*, *Act.* XXIII. 3. & falsos doctores, *canes*, *malos operarios*, *concisionem*, *Phil.* III. 2. Resp. 1. Hoc illi fecerunt, non tanquam recriminantes; sed ut patres. & præceptores corrigentes vitia peccatorum: aliàs orant, obtestantur, summâque mansuetudine utuntur. Hinc discrimen faciendum inter ea quæ nos, & quæ honorem Dei concernunt; illi tanquam legati Dei honorem tantum divinum respexerunt; nos autem sæpe honori proprio studemus. 2. Erant illi persuasi se veritatem dicere, cordaque peccatorum nosse; *Joan.* II. 25. *Act.* VIII. 22. XIII. 10. nos nequaquam, sed præ iracundia sæpe omnia in pejorem interpretamur partem. 3. Loquebantur illi sine præjudicio & affectu: nos autem affectibus sæpe abripimur, utpote in causa propria. Et quod speciatim Apostoli Pauli factum concernit, *Actor.* XXIII. 5. ipse fatetur culpam, quòd pro affectus vehementia non attenderit se in Pontificem acerbius locutum; id enim volunt verba ejus, *nesciebam quia princeps est sacerdotum.*

Licet & res suas per judicem repetere.

XXXVIII. Quæst. An non licet res suas tueri, aut per judicem repetere ab inimico injustè eas possidente? Resp. Omninò: non enim illud est vindicare aut odisse; licet etiam cum aliquo inimici malo conjunctum sit. Dummodò duo caveantur. 1. Animus vindicandi injuriam illatam. 2. Repetendi suum, cum malum quod propterea inimico à judice inferetur majus est, quàm ut bonis nostris compensari possit: ex: gr: mutilatio membri necessarii, ereptio mediorum ipsi ad vitam sustentandum necessariorum, sanitatis privatio, aut etiam publica infamia. Sed de hisce aliàs latius. Hæc omnia officia fluunt ex norma ac regula caritatis nostri ipsorum.

Non tenemur alium plus diligere quam nos ipsos, ratione æternæ felicitatis.

XXXIX. Sed hic quæri posset, an non aliquo casu teneamur alium plus diligere quàm nos ipsos? Resp. Non tenemur alium plus diligere quàm nos ipsos, quoad bonum quod optamus, æternam videl. felicitatem: hinc in gratiam proximi peccare non licet; peccator enim odit animam suam. Nec etiam nobis ipsis precari æternam damnationem, ut æternam proximi salutem promoveamus. Attamen, dices, Moses oravit Deum; ut *se deleret ex libro vitæ*, *Exod.* XXXII. 32. & Paulus optavit *anathema fieri à Christo* pro fratribus suis secundum carnem, *Rom.* IX. 3. Resp. Neuter sibi æternam damnationem imprecatus est. Precatur Moses sibi mortem temporalem pro conservatione populi: Paulus autem vult esse anathema à Christo, seu potius (uti quidam legunt, ὑπὸ τοῦ χριστοῦ, sub Christo, id est, tanquam homo diris devotus malâ quavis morte interfici; ut hac ratione, si aliter fieri nequeat, Israëlitas fratres suos secundum carnem ab æterno exitio redimat.

Nec ratione affectus.

XL. Nec etiam quoad affectum, quo bonum hoc optamus aut promovemus: nulli enim majore cum affectu amorem exhibere possumus, quàm nobis ipsis: imò quicquid aliis præstamus, eum in finem facimus, ut nobis æternum bene sit.

Sed ratione exercitii.

XLI. Ratione autem exercitii, & externi effectus amoris, proximus aliquando magis diligendus est nobis ipsis, ac potissimum duobus in casibus. 1. Quando jubemur diligere inimicos nostros. Hoc enim usque adeo superat dilectionem nostri, & quâ nobis ab aliis bene fieri cupimus; ut contra non modò nolimus bene nobis fieri ab iis qui oderunt nos, sed & benefacta eorum nobis ingrata ac gravia sint. Ac licet aliquando sine hac lege Christi eò usque adduci possimus, ut beneficia ipsorum animo benevolo excipiamus, aliis quibusdam rationibus permoti; tamen ut inimicis in inimicitia sua perseverantibus, nosque insectantibus ac persequentibus, benefacere cupiamus, aut optemus, nedum ut id faciamus non nostro, sed solùm illorum bono, nullâ ratione adduci possumus, extra eam solam, quam nobis suppeditat Christiana religio, quòd naturalissimum hunc erga nos ipsos affectum exuentes & superantes, futuri simus filii Patris nostri cœlestis, æternique ipsius hæredes. 2. Quando animam pro fratre ponere jubemur, 1 *Joan.* III. 16. nempe quando hac ratione fratrem, aliàs de æterna salute periclitantem, servare possumus. Idem & Dominus præcipit, *Joan.* XV. 12, 13, 14 suum exemplum, qui se in mortem pro nobis tradidit, imitandum proponens. Ita fecit Paulus *Act.* XX 19, 20, 21, 22, 23, 24. & 2 *Cor.* XII. 15. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Non quod necesse semper sit, hominem Christianum pro fratribus suis mori; sufficit ut paratus sit ad moriendum, vitamque suam in discrimen adducat pro fratre, qualicunque tandem ratione salutis æternæ periculum incurrat. Notandum verò, licet fratris tantum mentionem faciat Joannes, etiam pro extraneo ac non fideli animam aliquando ponendam; nim: si spes sit, extraneum, quando ego me in mortis periculum conjicio, fratrem futurum. Hanc animi promptitudinem ostendit Paulus *Rom.* IX 3, 4.

An liceat injuriam repellere:

XLII. Quæst. Quid si alius nobis injuriam inferre velit, exigitne charitas, ut eam non repellamus, ipsumque ratione exercitii plus quàm nos ipsos diligamus? Resp. Nequaquam. Solummodo requirit, ne injuriam illatam vindicemus: justa ac legitima nostri defensio charitati neutiquam repugnat, modò consistamus intra terminos inculpatæ tutelæ; id est, non alios lædendi, sed

nos

nos tantum defendendi animus adsit. Licitum est alium monere, ut ab inferenda injuria abstineat; licet ipsi occasiones nocendi, quantum in nobis est, præcidere; licet & illi resistere: etiam, si viâ legitimâ fieri possit, per magistratum; exemplo Pauli *Act.* XXIII 17. *& seqq.*

An liceat invasorem occidere?

XLIII. Quæst. Licetne invasorem occidere, si nulla alia evadendi via sit? Resp. Lex naturæ id concedit; tali enim casu lex unumquemque armat in sui defensionem; quia præsidium legum implorare nequit. 2. Lex Mosis idem concedere videtur, quia furem nocturnum occidere permittit. 3. Christiana religio nuspiam illum amoris gradum præscribit, ut nos ab invasore occidi permittamus: justam sui defensionem nuspiam prohibet, sed tantum injuriæ illatæ vindictam, neutiquam verò inferendæ propulsationem, quæ non læsionem proximi, sed nostri tantum defensionem sibi pro scopo habet, idque quam minimâ fieri potest alterius læsione; imò sine ulla ejus læsione, si ullo modo fieri possit. Dices. Attamen contingere potest, ut per te occidatur, & tum eris tu causa mortis ipsius, & quidem mortis in peccato gravi sine ulla resipiscentiâ, ac per consequens æternæ condemnationis. Resp. 1. Quid si ipse non satis sim præparatus ad moriendum; an ego salutem meam æternam in gratiam hominis scelerati abjiciam? 2. Fieri potest, ut uxor & liberi operâ meâ indigeant ad vitam tolerandum; amor autem illis debitus potior esse debet amore erga latronem. Sed addo 3. tali in casu me non esse causam cædis, qui solam mei defensionem intendo, sed ipsum illum invasorem temeritate ac malitia sua: ac proinde, si ipsum à me occidi contingat, statuendum Deum, qui quovis modo ipsi vitam eripere potest, eum in manus meas tradere, ut malitiæ suæ pœnas luat. Non nego tamen, eximium patientiæ & amoris actum fore, si quis, ut alterius saluti consulat, sponte vitam sibi ab invasore adimi permittat; quem sicut damnare nolim, ita necessarium esse neutiquam credo.

An liceat proximo malum precari?

XLIV. Hisce omnibus unam præterea addemus quæstionem, vid: an aliquo in casu liceat proximo malum precari? Resp. Malum, quod verè malum est, & ex animo malevolo, proximo precari, quovis casu illicitum est. Interim contingere potest, ut malum aliquod proximo optetur in bonum ejus, & salutis æternæ promotionem: hoc casu quidam credunt licitum esse proximo malum aliquod corporale optare, ut in bono spirituali proficiat: si nim: illâ solâ ratione profectus in bono spirituali verisimiliter sperari possit: ita licitum credunt, precari ut proximus amittat bonum illud temporale, cujus solius amore retardatur in sectando bono spirituali. Hocque votum judicant esse actum amoris, quia tendit in bonum proximi summum, perinde uti castigatio, quæ emendationem peccatoris spectat: imò propriè optat castigationem, quæ præsens licet amara sit, tamen fructus salutiferos profert iis, qui per eam emendantur. Tutius tamen crediderim facturum Christianum, si precetur, ut Deus media ad salutem proximi promovendam aptissima suppeditare dignetur, mediaque illa arbitrio divino permittat; ne ullo modo in charitatem impingere videatur.

4. Charitatis necessitas.

XLV. Restat tandem ultimum membrum, charitatis nim: necessitas: quæ rationes, quibus ad charitatem excitari debemus, complectitur. Illæ autem variæ ac multiplices sunt. Primò enim amor homini à Deo inditus videtur, ita naturale est hominem amare hominem. 2. Ipsa naturæ nostræ indigentia ad amorem nos provocat: nemo enim solus sibi sufficit, sed omnes aliorum ope ac ministerio indigemus: quemadmodum autem nos aliorum ope indigentes finxit natura, ita etiam nos aliorum ministerio, nostrâ similiter ope indigentium, destinavit. 3. Imo ex uno sanguine omne genus humanum Deus propagavit, *Act.* XVII.26. voluitque omnes ratione originis suæ esse fratres; ut arctiori hoc vinculo ad charitatem mutuam obligarentur. 4. Regeniti sumus per unum verbum ac spiritum in spem unius ejusdemque salutis, ut filii simus unius Patris, membraque unius corporis mystici unius ejusdemque Domini Jesu Christi, *Eph.* IV. 4,5,6. Adeo ut non tantum fratres simus spirituales, sed multi licet, unum tantum corpus in Domino, & membrorum instar unius corporis colligati. 5. Quin imò charitas nobis à Domino Jesu Christo ipsiusque Apostolis est mandata, *Joan* XV. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Rom.* XIII. 8. 1 *Cor* XIV. 1. *Gal.* V. 13. 1 *Joan.* III.23. 6. Mandatum illud caritatis Dei & Jesu Christi, qui nos dilexit, exemplo confirmatur: 1 *Joan.* IV. 11. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere.* & *Cap.* III. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* 7. Necessitas autem ejus maximè ex præstantia, quæ passim charitati adscribitur, elucet: nempe quòd sit *vinculum perfectionis*, *Coloss.* III. 14. quod in ea *tota lex impleatur*, *Matth.* VII. 12. *Rom.* XIII. 8,9,10. *Gal.* V. 14. 8 Signum est, unde discipulos suos Dominus Jesus agnosci vult, *Joan.* XIII. 34.35. 9. Sine charitate ipse Deus amari nequit; 1 *Joan.* IV. 20, 21. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit*

Deum, diligat & fratrem suum. Vide & *vers.* 7, 8. 10. Sine charitate omnia dona, etiam opera aliàs bona, ut eleëmosynæ & martyrium, nullius sunt utilitatis ac momenti apud Deum, 1 *Cor.* XIII. 1, 2, 3. & speciatim fides omnem ab ea efficaciam mutuatur; unde *Gal.* V. 6. fides dicitur *per charitatem efficax*: hinc & 1 *Cor.* XIII. *ult.* & spei & fidei charitas præfertur. Tandem sine charitate Dei judicium effugere non possumus, 1 *Joan.* II. 9, 10, 11. & *Cap.* III. 14, 15. Hinc *Matth.* XXV. ultimum judicium describitur, quasi secundum opera charitatis potissimum instituendum.

CAPUT XXXVII.

De Odio.

Odium. I. CHaritati opponitur Odium. Odium aliquando denotat affectum aversionis & separationis: sed quando virtuti Charitatis opponitur propriè animum denotat erga alium male affectum: aliquando etiam ipsum malefaciendi actum, sive minus bene faciendi quàm poterat aut aliquando debebat facere: nam actum charitatis, ad quem obligatus es, non præstare, odium censetur: sic 1 *Joan.* III. 14. *Qui non diligit fratrem, manet in morte*; *Non diligere* eodem censens loco cum odisse. Sive actus ille malefaciendi, seu beneficii omissio, proficiscatur ex affectu, positivè malo; sive fit sine tali affectu, sed procedat ex animo vera charitate destituto: quo sensu accipitur *Luc.* XVI. 13. *unum diliget, alterum odio habebit*; id est, præcepta ejus negliget; & *Proverb.* VIII. 36. *Omnes qui me oderunt*, id est, præcepta mea non observant, *diligunt mortem.* Non quia actus ille verè ac propriè est odium, sed similis illi qui ex odio provenit; inde interpretativè odium vocatur; quia si animus odio occupatus esset, alium actum non produceret: & quia actus illi eandem ad homines condemnandos cum odio propriè dicto vim habent. Inde est quòd Joannes 1 *Epist* III. 15. postquam dixit, *Qui non diligit manet in morte*, id confirmaturus, addit; *Omnis qui odit fratrem suum homicida est*, &c.

Ejus objectum. II. Objectum ejus esse potest homo vel consideratus prout officium suum rectè facit, hoc est, prout est pius, ac nobis non inimicus. Hoc odium diabolicum est, tenditque in perniciem hominis considerati ut innocentis nihilque mali commeriti. Secundò. Consideratus ut officium suum non rectè faciens, ac primò quidem non ut nobis inimicus, sed ut inimicus Dei; ex: gra: ut impius, quales Dei inimici passim in Scripturis vocantur: *Rom.* V. 10. *Coloss.* 1. 21. Vel etiam alienam amplectens religionem, quam Deo exosam credimus: ita *Joan.* XVI. 2. qui Apostolos occisuri erant, dicuntur *existimaturi se gratum Deo præstare obsequium*: *Matth.* X. 22. Dominus Jesus dicit suos omnibus odio fore propter nomen suum. Vel tandem simpliciter errans, sine ullâ aliàs officii debiti intermissione. Secundò, consideratus ut inimicus noster, eo quod injuriâ nos affecit, sive reverâ, sive opinione tantum nostrâ, qui innoxiè facta in nostri contumeliam aut injuriam interpretamur.

III. Actus odii hujus varii sunt, aliique aliis graviores. Primus est, non dare, aut cum potes non curare ut proximus habeat necessaria animæ & corpori; ex: gr: si egenus sit, alimenta, & quibus tegatur, 1 *Joan.* III. 17. si ignorans, instructionem; si errans, redargutionem amicam ac fraternam; si peccans, correptionem. Secundus; modis omnibus impedire ne habeat quibus tum ad animæ tum ad corporis salutem indiget. Tertius; mala contraria imprecari, dirisque animum suum hostilem prodere. Tandem, ipsa mala infligere, vel procurare ut ab aliis infligantur, tumque odium hoc se exserit factis externis; suntque ea vel læsio corporis, mutilatio membrorum; vel famæ detractio, vel bonorum ereptio, sive vi apertâ, seu fraude ab dolo: aut etiam necessariorum vitæ subsidiorum & emolumentorum interversio: *Syrach.* XXXIV. 26. *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Gravissima autem omnium species est homicidium, quod vetatur præcepto sexto; Deusque severè puniri voluit, *Genes.* IX. 6. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Et quantoperè Deus id detestatus sit, indicio est, quòd sub Lege homicidam voluntarium non tantum occidi, sed & ab altari suo avelli jusserit; imò nec cædem voluntariam planè impunitam voluerit, sed illius reum intra urbes refugii usque ad summi Pontificis mortem degere, & si extra illas deprehensus fuerit, ab occisi propinquo, si eum invenerit, jugulari sine crimine posse. Vide *Num.* XXXV. & *Deut.* XIX. item *Exod.* XXI. 14. *Actus odii.*

IV. Odium erga inimicos Dei, idololatras nimirum, hoc est, qui Lege divina vel totâ, vel ejus parte desertâ, idolorum cultum suadebant, sub Lege Mosis non tantum licitum erat, sed & præceptum, *Deut.* XIII. adeò quidem, ut nec fratri, nec filio, nec uxori, nec amico parcere licuerit. Hinc *Josua.* XXII. reliquæ tribus adversus tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manasse, ob exstructum altare ultra Jordanem, vehementissimè exarserunt, credentes ipsas à Lege Mosis defectionem moliri. *Sub Lege licitum erat odium erga inimicos Dei.*

V. Odium erga inimicos proprios sub Lege licitum erat: 1. Erga alios populos, quando ipsis inimici erant, aut non satis æquas pacis recipere volebant conditiones: *Judic.* II. 2, 3. 2. Erga populares, à quibus graviter læsi, *Et proprios.*

læsi, aut injuriâ affecti erant: quia licebat vindictam exigere, nimirum oculum pro oculo, & dentem pro dente, &c. *Exod.* XXI. 23, 24. 25. *Levit.* XXIV. 19, 20. *Deut.* XIX. 19. &c. Quæ lex, quatenus mandatum vindicandi continet, data quidem est Magistratibus; ita tamen, ut in se concessionem comprehendat, quâ privatis à Magistratu vindictam offensæ exigere licebat: privatusque, vindex nim: sanguinis, lege illâ armabatur ad propinqui cædem impunè vindicandam: imò etsi cædes esset involuntaria, si occisorem extra refugii urbes deprehenderit; *Num.* XXXV. 19. 21. & 26, 27. Hinc David passim in Psalmis inimicis suis dira imprecatur.

Sensus Exod. XXIII. 4, 5. & Levit. XIX. 16, 17.

XI. Dices. Attamen præcipitur, ut inimici bos aut asinus errans reducatur, & onere pressus sublevetur, *Exod.* XXIII. 4, 5. *Deut* XXII. 1. Resp. Agitur illic de inimicis ob leviorem causam; in gravioribus autem injuriis licebat secundum legem, ***Oculum pro oculo***, vindictam exposcere. Dices. Præcipitur tamen *Levit.* XIX. 16. 17. ***Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed arguendo argue eum; ne habeas super illo peccatum: Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*** Resp. Agit locus ille similiter de levioribus offensis, quas condonari volebat Deus. Nec præceptum hic de arguendo fratre contineri videtur; sed permissum tantum seu indultum fratrem leviore ipsos injuriâ afficientem, *corripiendo corripiendi*, id est, acriter corripiendi; non tantum ejus emendandi, sed & animo suo morem gerendi gratiâ; ut irâ animus ita exsolvatur. hoc enim facientes ***non habebunt super proximo peccatum***, id est, in proximum non peccabunt, pro temporum illorum imperfectione, ad quam Deus tunc connivere volebat.

In Relig. Christ. non licet odisse proprium inimicum.

VII. Nunc autem in Religione Christiana neminem odisse licet; quia charitas jubetur erga omnes. Inimicum proprium odisse non licet: disertè enim id à Christo prohibetur, *Matth.* V. 43, 44. qui & omnem vindictam expressè prohibuit, *vers.* 38, 39. *&c.* sive ea fiat ab offenso ipso, propriâ auctoritate vindictam exercente; seu eam per Magistratum fieri procuret. Quod ut rectius percipiatur, sciendum, duplici ex causa & duplicem in finem vindictam exerceri posse.

Castigatio quomodo sit licita.

VIII. Primò; ut sit castigatio, seu exemplum, tendens in emendationem, tam illius qui castigatur, quàm aliorum, quibus hæc pœna proponitur in exemplum. Hac ratione Magistratus injurias privatorum vindicat; neque illa vindicta repugnat legi Jesu Christi, nec charitati. Punit enim Magistratus maxima cum commiseratione, & in bonum totius Reipublicæ, cujus salus sine hac vindicta à Magistratu procurari nequit. Indeque est, quod munus Magistratus legi huic neutiquam repugnat: & ne ullo modo in charitatem impingat, ejusmodi, quantum per publicam salutem licet, punitiones sunt exercendæ, quæ intra meram castigationem consistunt, ut cum salute publica etiam privata peccantis intendatur; & non nisi summâ urgente necessitate ad eas deveniendum; quæ solummodò aliis in exemplum cedunt. Jubet itaque charitas, quàm paucissima inter Christianos esse supplicia capitalia, eoque solùm casu usurpanda, quando delicti gravitas, & contagionis metus, ejusmodi exemplum requirit.

Vindicta omnis est illicita.

IX. Secundò, ut sit privata tantum vindicta; quando offensus, ut animo suo obsequatur, voluptatemque ex alterius dolore percipiat, lædenti vel ipse æqualem, aut etiam leviorem offensam retribuit; vel ad Magistratum defert ut vindictam postulet. Utrumque est illicitum. Prius: quia manifestè peccat in charitatem, quæ condonare jubet, etiam inimicos diligere. 2. Injustum est; quia homo se in propria causa judicem constituit; ac nimio sui amore ineptum ad rectè discernendum; hinc injurias interpretatur, quæ reverâ injuriæ non sunt; & leves judicat esse gravissimas: vindictam autem, licet gravem, judicat levem: ac proinde causâ licet inferior sit, pro se sententiam pronuntiat: inde est, quòd leviter læsus, gravissimè soleat vindicare, convitiumque aliquando non nisi convitiantis cæde expiari posse credat. Nec alterius emendationem, sed suam tantum ex privata vindicta voluptatem spectat. Alterum: quia licet in justitiam non impingat, quatenus vindictam Magistratus extra partes constituti arbitrio permittit; tamen charitati directè adversatur: nihilque præter alterius dolorem, propriamque ex aliena miseria voluptatem spectat: quam Dominus Jesus, dictis *Matth.* V. locis expressè prohibuit. Imò quo magis ab ea alienos redderet, non tantum ipsam vindictam, sed & causam illius internam, iram, prohibuit, eodemque cum homicidio censuit loco: *Matth.* V. 21, 22.

Licet petere restitutionem.

X. Dices. An non itaque Christiano licet restitutionem petere, & quidem coram Magistratu? Resp. Omninò: restitutio enim actus est justitiæ; quo injuria reparatur, aliquisque in possessionem rei sibi injustè ablatæ restituitur. Nulla hic est vindicta: suum tantum repetitur; nec alteri ulla infertur noxa, cùm ab ipso repetitur quod suum non est. 2. Fieri potest ut ipse cum uxore ac liberis egeam, neque re meâ carere possim; an non igitur injustus ero in charissima mihi pignora, si restitutionem non exigam?

Explicatio Matth. V. 40.

XI. At dices, *Matth.* V. 40. dicitur, ***Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*** Resp. Non agitur de quavis restitutione, sed eâ, quæ vindictam habet conjunctam: quia agere videtur, de ejusmodi violenta ereptione

tunicæ, quæ secundum leges graviter punitur, si modò actio instituatur; non autem de eo, qui coram judice disceptare cupit, bonisque rationibus adstruere jus suum. Ratio est: 1. Quia opponitur præcepto de vindicando: in restitutione autem simplici nulla vindicta est. 2. Usurpatur vox λαβεῖν, quæ violentiam denotat. 3. Quia agitur de tunicâ & pallio nostro, quæ nemo ulla cum specie juris sua esse contendere potest, quia corpori nostro sunt aptata, statimque coargui posset. Dices. Explicationi huic verba repugnare videntur, legitur enim, *qui vult tecum judicio contendere*. Resp. Sensus illius non est; si quis te in jus vocat, tecumque judicio vult contendere, suæque causæ justitiam probare: sed; si quisà te coram tribunali judicis velit deferri; id est, tantâ ergate utatur violentiâ, perinde ac si deferri vellet, teque tantum non constringeret ut coram tribunali ipsum deferas: simili phrasi quâ peccatores dicuntur *mori velle*, *amare exitium suum*; & Judæi, *se indignos judicare vitâ æternâ*, *Act.* XIII. 46. Sensum hunc loci scopus evincit: quia, uti vidimus, de violenta ereptione agitur: repugnant autem, vi agere; & judicio contendere velle. Tum & Lucas non addit phrasin κριθῆναί σοι, sed simpliciter tantum dicit, *qui tibi eripit pallium*; non ergo verba hæc speciale quid à priore diversum continent, sed illius tantum consequens. Ut sensus sit: Si quis tibi vim faciat, & per vim tua ad se trahat, perinde ac si vellet à te coram Magistratu deferri; tuque Magistratus ope imploratâ tua potes recuperare, injuriamque tuam vindicare, ne id facito, sed adeo à vindicta esto alienus, ut paratus potius sis alteram ferre injuriam, quàm priorem vindicare.

Ex 1 Cor. vi. 1. & seqq. XII. Dices. Attamen 1 *Cor.* VI. 1. & *seqq.* Apostolus reprehendit Corinthios, quòd coram Magistratu de negotiis controversis contenderent. Resp. Apostolus verat quæstiones inter fratres controversas disceptari coram infidelibus, uti manifestè verba ejus sonant, qui exinde occasionem sumebant Religionem Christianam calumniandi: concedit autem clarè eas disceptationes fieri coram fidelibus, *vers.* 2, 3, 4, 5. 2. Non agit de quibuscumque litibus, quando uterque bonâ fide rem suam esse credit, seque sententiæ judicis submittere vult; sed de quæstionibus super injuria & fraude. Dices. Attamen vocat ἥττημα. Resp. Quia adeo injuriarum erant impatientes, ut statim alios coram Magistratu Ethnico vocarent, fraudemque & injuriam ipsis intentarent; quòd planè erat contra charitatem: sic enim fratrem coram Magistratu Ethnico injuriæ convincentes, se impatientes admodum ostendebant. Inde vocat non propriè peccatum, sed ἥττημα, *defectum*: dicitque, præstare injuriam pati; quod dici non potuisset, si planè illicitum foret; sed diceritdum, debetis injuriam ferre. Interim tutius est Christiano, à litibus abstinere, si ulla commoda componendi occasio se offerat: præter enim varia, quæ litibus immixta sunt incommoda, dispendia temporis & pecuniæ, ac varias animi inquietudines, etiam charitatis solent esse deleteria, odiorumque fomites.

XIII. Quod autem in casu injustæ possessionis rei nostræ licitum diximus restitutionem exigere, idem etiam valere aliquando potest in casu mutilationis, aut vulneris. *Etiam in casu mutilationis.* Non licet quidem exigere ut similis infligatur mutilatio; esset enim vindicta; sed si mutilatus sit egenus, exigere potest, non tantum ut alter sumtus pro curatione restituat; sed & lucra cessantia, quæ æstimari possunt. quin & mala personalia, qualia sunt afflictio & dolor, certo pretio redimat, quæ licet exactam æstimationem non admittant, arbitrio tamen prudentium & bonorum æstimanda sunt. Et id eò usque valere debet, ut si lædens non sit restituendo, & læsus indigeat, possit ad laborem cogi, quo damnum illatum restituat. Quod si læsus non indigeat, restitutionem non exigere charitas jubet; vix enim illo casu absque vindicta restitutio exigi videtur.

XIV. Dices. Repugnare tamen videtur præceptum Domini, *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram*; *Matth.* v. 39. *Explicatio Matth. v. 39.* Resp. Præceptum hoc non restitutionem, sed vindictam prohibet; opponitur enim præcepto de vindicta, sub Lege olim licita. Quidam credunt, hic agere Dominum de injuriis parvis, de alapa, tunica, similibusque. Sed non video, quomodo hac ratione commodè se opponat legi, de *Anima pro anima*, quæ sanè gravissimas complectitur injurias. Deinde: incerta & periculosa admodum est illa inter graviores ac leves injurias distinctio. Quis enim injuriam æstimabit? Lædens? at ille gravem pronuntiabit levem. Læsus? at ille levem facile gravem æstimabit. Tum pro circumstantiarum diversitate gravitatis & levitatis ratio admodum variat: injuria enim quæ diviti illata levior est, pauperi, qui labore manuario vitam tolerat, inflicta, gravis esse potest: & vice versâ. Non itaque leviorum tantum injuriarum vindictam Dominus prohibet, sed omnium: præceptique sensus est: Adeo alieni sitis à vindicta, ut potius alteram feratis injuriam, quàm illatam vindicetis. Hic sensus evincitur, non tantum ex oppositione legis veteris; sed &, quia verba secundum literam accipi non possunt. Nam. 1. posito alter sinistram nolit percutere maxillam, an tamen illi obvertenda erit, isque ad alteram injuriam hac actione nostrâ quasi irritandus? 2. Non liceret cedere aut fugere: quod esset non tantum contra-

contrarium exemplo Christi & Apostolorum, qui nonnunquam persecutorum manus fugerunt; sed & directè Domini Jesu præcepto adversum, *Matth.* x. 23. *Cùm persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam.* 3. Nec liceret verbis lenibus sedare ac lenire animum nos injuriâ afficere conantis. Quod absurdum. 4. Ipse Dominus Jesus, perfectissimum obedientiæ exemplar, percussus, non tantum alteram non obvertit maxillam, sed & percussores redarguit, *Joan.* XVIII. 23. & Paulus se periculo eripuit per auctoritatem Magistratus; *Actor.* XXIII. 17. *& seqq.* Ex quibus colligimus: quoniam præcepto hoc injuriæ solummodò vindicta vetatur, restitutionem non prohiberi.

XV. Quod ad inimicos Dei, illi sunt homines improbi; quibus adjungi solent, qui alterius sunt religionis, etiam errantes, licet aliàs pii vitæque inculpatæ.

Impios propriè odisse non licet. XVI. Impios, licet opera eorum detestari oporteat, odisse nequaquam licet, sed omnia adhibenda ut convertantur; monendi, increpandi, acriterque sunt objurgandi; &, si insanabiles sint, vitandi sacrâque communione arcendi, ut ita pudore corripiantur. Interim maxima hìc adhibenda est prudentia, ne odium erga mala ipsorum opera nos ad personarum odium propellat; memores semper æquitatis quam Apostolus requirit 1 *Thess.* III, 6. & *vers.* 14, 15. *Ne commisceamini cum illo, ut confundatur: Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Facile enim, nisi affectum nostrum prudenti moderamine cohibeamus, zelus erga peccata zelum amarum erga peccatorem producit.

Multò minus errantes. XVII. Qui diversæ sunt religionis, odio prosequendi non sunt; multò minus errantes cætera pii ac innocentes, quos vulgò hæreticos vocant. Quare qui eos non tantum fraternitate suâ interdicunt, sed & persequuntur, neque tantum fortunis & patriâ exuendos, sed & malâ quâvis morte plectendos suadent, ac plectunt, quæ odii sunt manifestissima signa; coram Deo se reos violatæ charitatis Christianæ constituunt. Alia nunc est dispensatio temporum, quàm olim. Sub Lege Deus severam à legis suæ defectoribus ad idola exegit pœnam: nunc temporum ratio, quibus Deus Filium suum in mortem tradidit, ut quærat quod perierat, mansuetudinem & charitatem requirit. Quique hoc temporum discrimine neglecto Legis rigorem erga errantes exerceri cupiunt, ostendunt nescire se quo spiritu ducantur. Quid enim à charitate Christiana magis alienum, quàm errantem occidere? Errantis pœna doceri est. Quid evidentius odii indicium, quàm errantem, si fundamentis fidei inhæreat, vitæ hujus usurâ, si autem ab iis recesserit, etiam vitâ æternâ privare, cum fine debita errorum convictione, errantisque pœnitentia, morti tradendo? Quid quod error non fundamentalis fraternitatem non dissolvat, multò minus mortem mereatur.

XVIII. Dices. Deus eos, ut inimicos suos, odit, atqui ad exemplum Davidis *Ps.* CXXXIX. 21, 22. inimicos & osores Dei odisse oportet. *Resp.* Probari non potest, Deum errantes, cætera homines pios, in quos hodie potissimum persecutiones excitantur, odisse: imò quoniam Dei gloriæ sunt studiosi, vitamque ex præscripto divino instituunt, veritatisque divinæ usque adeò sunt amantes, ut malint quâvis malâ morte perire, quàm contra conscientiæ suæ dictamen sententiæ quàm veram credunt renuntiare, Deo amicos gratosque esse omninò credendum est. 2. Licet Deus illos oderit, nobis tamen eos odisse fas non est. Distinguenda sunt opera Dei; quædam facit ut benignus pater ad conversionem & salutem hominum, quædam ut justus judex erga præfractos benignitatis ac gratiæ suæ contemtores. Priora præcedunt, eaque nobis in exemplum proponuntur, *Matth.* v. 45, 46. neutiquam verò posteriora: Deus enim conservo in conservum jus illud legislationis & judicii neutiquam concessit, ut conscientiæ ejus leges præscribat. *Solvitur objectio ex Psalm. CXXXIX. 21, 22.*

XIX. Dices. Angelus tamen Ecclesiæ Ephesinæ laudatur, quòd *non potuerit ferre malos*, *Apoc.* II. 2. *Resp.* 1. Mali alii sunt ab errantibus, errans enim quatenus errans malus non est, nec esse potest. Error est in intellectu, malitia in voluntate. 2. *Non posse ferre malos*, non denotat eos odisse, multò minus non posse eos tolerare vivos; sed, non posse eos tanquam fratres tolerare, se ab iis subducere, ut ita pudefacti resipiscentiam agant. Eodem modo præcipitur 2 *Thess.* III. 14, 15. & 2 *Joan. vers.* 10, 11. *Et ex Apoc. II. 2.*

XX. Odii species etiam est inimicitia, quæ est odium inveteratum, occasionem nocendi quærens: quæ quando mutua est, propriè repugnat paci; quando vero in uno tantum, magis adversatur charitati. Ponitur inter opera carnis *Gal.* v. 20. *Inimicitia.*

XXI. Sed & non minima odii species est Invidia, seu potius invidentia, quæ est dolor de alterius bono. Fœditas ejus exinde apparet: 1. Quòd invidus sibi propriè non aliquid quærit, sed de bono alterius dolet, unde tamen nullum ad ipsum redundat detrimentum. Distinguenda itaque est invidia ab æmulatione, quæ facit, ut ejusdem artis aut disciplinæ studiosi summas intendant vires, quò alium superent: quæ, si prudenter cohibeatur, maximum ad bonas artes calcar est: hæc enim suum bonum intendit: invidus autem suo bono neglecto tantum proximi detrimentum quærit, ex eoque voluptatem percipit, nullo suo commodo: imò ut proximo noceat, sibi ipsi malum cupiet; dummodò proximo pejus sit. Unde & diabolicum *Invidia. Ejus fœditas.*

licum peccatum appellari solet: quia diabolus invidiæ stimulis agitatus hominem in peccatum pellexit, *Sapient* 11. 24. 2. Si & sibi bonum quærit, alii invidet, quia solus vult possidere: estque superbiæ species studiumque supra alios eminendi: hinc & non in aliorum usum, sed propter se solum id sectatur: peccatque contra charitatem, quæ benigna est, bonaque sua libens communicat. 3. Bona, quæ invidet, non sunt virtus, hæc enim bonum est adeo excellens ut nemini invideri possit, estque in potestate nostra, gratiâ divinâ, eam adipisci; sed externa, honor, potentia, divitiæ, &c. quæ aliquando indignis, aliquando bene meritis ob virtutem contingunt. Atqui hæc quoniam sunt fragilia, mundumque hunc concernunt, ac nullam ad vitam æternam veramque felicitatem momentum habent, indigna sunt quæ Christianus magno studio prosequatur. Interim si quis legitimis mediis ad boni alicujus, quod sine alterius detrimento pluribus esse commune potest, possessionem contendat, invidus is dici nequaquam meretur, dummodò alium suâ felicitate deturbare noo moliatur. 4. Nullum habet invidia prætextum quo se excuset. Odium aliquando videri potest justum, erga hominem nim: improbum ac ingratum: at invidia nunquam. Hinc nemo se invidum fatebitur; odio autem erga quempiam incensum sæpe non diffitebitur. 5. Ipsi invido gravis ac molesta est: quia enim alterius felicitatem indignè fert, se ipsum affligit, proprioque dolore contabescit: hinc invidi cor proprium edere dicuntur. Unde *Proverb.* XIV. 30. dicitur *putredo ossium invidia*. 6. Fructus illius sunt funestissimi. Cain invidiæ stimulis concitatus fratrem Abelem occidit, *Genes.* IV. filii Jacobi fratrem Josephum in servitutem vendunt, *cap.* XXXVII. & ne alia plura commemorem, Judæi gentibus salutem invidentes gravissimam contra Apostolos, & speciatim Paulum, excitant persecutionem ob annuntiatum gentibus Euangelium.

Remedia contra eam. XXII. Remedia contra vitium hoc adeo fœdum ac turpe, sunt: 1. Considerare summam Dei bonitatem, qui bona sua in totum genus humanum distribuit; & sicut omnes homines aliorum usibus & ministerio destinavit, ita etiam variis instruxit donis, quibus aliis inservire possint. Ea autem illis invidere velle, est malignum esse erga benignitatem divinam. Cui 2. Accedit, considerandam esse totius seu Ecclesiæ, seu Reipublicæ, quin & generis humani utilitatem, ad quam procurandam pro viribus omnes obligati sumus, cuique quando bene est, etiam nobiscum bene agitur. Materia ergo est non iovidendi, sed gaudendi Deoque gratias agendi, quando præclaros viros excitat, quorum operâ communem aliorum salutem, cui soli nos idonei non sumus, procurat. Ita videmus Mosen, cum Eldad & Medad, duo ex septuaginta seioiribus, qui remanserant in castris, prophetarent, & Josua iis id à Mose prohiberi vellet, respondisse: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Num.* XI. 29.

CAPUT XXXVIII

De Justitia

I. Virtutem, quæ proximo ea, ad quæ jure communi non tenemur, tribuere docet, excipit ea, quæ alteri jus suum, seu ea quæ alteri jure debentur, conferre jubet. Hæc Justitia vocari solet. *Justitia.*

II. Vox *Justitiæ* varias admittit significationes. 1. Aliquando totam designat pietatem, soletque vocari Justitia universalis; ut *Matth.* v. 20. & 1 *Joan.* III. 7. & passim quidam *justi*, id est, sancti vocantur. 2. Aliquando integrum nostrum officium erga proximum; *Tit.* II. 12. de qua significatione egimus in cap. de Charitate. 3. Aliquando specialem illam virtutem, quæ alteri tribuit quod suum est. 4. Sed præterea etiam interdum significat fidem seu constantiam in servandis promissis: hoc sensu Deo tribuitur 1 *Joan.* 1. 9. atque ita species est justitiæ tertio significatu acceptæ. 5. Tandem aliquando etiam significat beneficentiam, *Dan.* IV. 27. *Ejus variæ acceptiones.*

III. Nos hîc eam tertio significatu, tanquam virtutem à Charitate distinctam, considerabimus. Licet hæc virtus ad perfectionem & rectitudinem habentis ordinetur; quia tamen non in propria operantis utilitate subsistit, sed se ad alios extendit, eorumque commoda respicit; hinc rectè, officium nostrum erga alios continere dicitur. Secus quàm illæ virtutes, quæ solam nostri directionem præscribunt, & vel commoda vel incommoda nostra spectant, ut temperantia, modestia, αὐτάρκεια, fortitudo, &c. *Quo sensu hic accipiatur.*

IV. Vulgò definiri Justitia solet, constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Jus autem cujusque est, quod ipsi debetur. *Ejus definitio.*

V. Objectum itaque proprium sunt res externæ, qualescunque eæ sint, hoc est, omnia ea, de quibus quæri potest utrum meæ sint, vel tuæ: Quarum licet quædam ipsum corpus nostrum & famam seu existimationem concernant, tamen eas inter externas referimus, quatenus ab alio nobis conceduntur, aut eripiuntur, hoc est, quatenus extrinsecus nobis adveniunt, aut denegantur. Communissimum verò objectum sunt possessiones, hoc est, pecuniæ, sive omnia quæ pecuniâ æstimari possunt; de iis enim propriissimè *Objectum res externa.*

prissimè quæritur, meane an tua sint. Præsupponit itaque hæc virtus, hominibus justum aliquod competere dominium rerum quas sibi in proprietatem vindicarunt. Deus enim, qui terram hominibus dedit possidendam, *Gen.* I. 28. etiam justum in eam dominium concessit.

Bona hujus mundi possideantur etiam à non electis.

VI. Quæstio hîc oritur nobilis: An illud dominium justum in possessionem hujus mundi competat omnibus hominibus, an verò solis electis? Multi ex Contraremonstrantibus illud solis electis attribuunt: hoc fundamento; quòd primus noster parens Adamus ante suum lapsum jus in universum mundum habuerit; peccato autem illud tum sibi tum posteris suis amiserit, in Christo autem id electis restitutum sit; reprobos verò, qui à Christi gratia sunt exclusi, quibus proinde jus hoc restitutum non est, docent esse injustos possessores & usurpatores bonorum hujus mundi. Sed rectius alii inter ipsos sentiunt, licet infideles & impii homines de jure obnoxii sint hujus dominii privationi, & destituantur etiam altiori illo titulo, quem fideles in Christo sunt consecuti; quia tamen sententia legis adversus ipsos nondum est executioni mandata, & corporalium rerum dominium aliquod humanæ naturæ in ista vita est debitum à Deo, in lege & ordine naturæ annexum, idcircò justum & liberum usum habeant istiusmodi rerum temporalium.

Quod rationibus aliquot adstruitur.

VII. Addimus nos 1. Cùm sententia hæc ruinoso innitatur fundamento, doctrinâ nimirum de absoluta electione & reprobatione, quam antea sufficienter refutavimus: etiam ædificium illi superstructum collabi necesse est. 2. Sententia hæc mater est omnis seditionis. Quia enim unusquisque facile se ex electorum numero esse credit, hoc prætextu alios, tanquam injustos possessores & usurpatores possessionibus suis ejiciet; unde generalem confusionem, omnisque regiminis totalem eversionem consequi necesse est. Excipiunt: Licet res legitimè comparare fidelibus, non autem aliis eripere; quia infideles justo titulo coram hominibus eas possident; adeo ut si quis fidelis infideli suas res eriperet, coram tribunali Dei injustus & furti reus censeretur. Verùm illius responsi nullam video cohærentiam. Verum quidem est, ipsos coram tribunali hominum tanquam raptores plectendos; coram tribunali autem divino innoxii sint necesse est; non enim, juxta sententiam hanc, aliena bona rapuerunt, sed bona sua è manu latronum & furum sibi vindicaverunt; ideoque & coram Deo nullius criminis rei esse possunt: perinde uti liberi coram patre innoxii sunt, quod bona sua è manibus servorum, qui eorum injusti erant usurpatores, vindicarint: quâ similitudine hanc suam sententiam illustrare solent. 3. Directè repugnat Scripturæ Sacræ ac Religionis Christianæ genio. Nusquam enim ea docet, Dominum Jesum venisse ut fidelibus jus ad vitæ hujus bona restituat. E contra de Christo dicit, quod *non habeat ubi caput reclinet*, *Luc.* IX. 58. & ipse de seipso, quod *regnum suum non sit de hoc mundo*: *Joan.* XVIII. 36. Mandat Christus suis, *ne thesauros sibi conquirant in terris*, *Matth.* VI. 19. prædicit suis crucem & afflictionem, *Matth.* X. 17. *& seqq.* XVI. 24. *Luc.* XIV. 26, 27. Adeo ut jus, in quod fideles per Christum sunt restituti, propriè respiciat cœlestia.

Sensus 1 Cor. III, 22.

VII. In contrarium objiciunt, quòd Apostolus dicat, 1 *Cor.* III. 22. *Omnia vestra sunt.* Resp. Sensus Apostoli non est, omnia mundi hujus bona Corinthiorum, aut fidelium esse, ipsosque solos bonorum illorum justos esse possessores: hæc enim ratio suâ naturâ eò tenderet, ut Corinthii fideles Ethnicorum persecutiones impatientius ferrent, utpote ab Apostolo edocti, eos bona mundi ac potestatem secularem possideri solummodò ut usurpatores, latrones, ac raptores; sibique solis ea deberi: cùm tamen Apostolus hîc & alibi totus in eo sit, ut fideles ad patientiam ac tolerantiam crucis, utpote ad eam à Deo vocatos, hortetur. Ipsa etiam contextus ratio aliud evincit. Non enim ulla bonorum hujus mundi, aut justæ vel injustæ illorum possessionis mentio est in antecedentibus: sed reprehendit Apostolus dissensiones & inanem sapientiæ gloriationem in Corinthiis; docetque omnem humanam sapientiam esse stultitiam apud Deum: Non itaque gloriandum esse in hominibus, quod alius sit discipulus Pauli, alius Apollo: additâ hac ratione, *Omnia vestrà sunt*: hoc est non vos estis propter doctores, sed doctores, omniaque dona ipsis à Deo concessa, vestri causâ sunt: non ergo debetis in hominibus, quales sunt Paulus, Apollo, Cephas, gloriari; quoniam illi omnes, omniaque quibus à Deo ornati sunt dona, vobis servire debent, & propter vos sunt data, ut ad Christum & Deum adducamini. Nihil autem hîc occurrit de justa aut injusta possessione bonorum hujus mundi.

Et Rom. IV. 13. 1 Tim. IV. 3. 4. Tit. I. 15.

IX. Addunt & alia loca: *Rom.* IV. 13. *Non per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esses mundi; sed per justitiam fidei.* 1 *Tim.* IV. 3, 4. dicitur *Deus creasse cibos ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem*; &c. *Tit.* I. 15. *Omnia munda mundis*; *coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.* Resp. Quis non miretur tam ineptas Scripturæ Sacræ allegationes? Primus agit de possessione terræ Canaan Abrahamo semini que ejus promissa. Quid inde colligi potest pro justa possessione bonorum hujus mundi, in quam soli in Christum fideles sint restituti? nisi evincatur, idem juris, quod

quod Abrahami posteris in terram Canaan datum est, nunc solis in Christum fidelibus datum esse in quævis mundi hujus bona: quòd sanè ex hoc loco neutiquam probari potest. Duo posteriores agunt de legitimo rerum hujus mundi usu: aliud autem est, jus habere ad res aliquas, aliud rebus quas justo titulo possides rectè ac legitimè uti. Non denegat Apostolus infidelibus jus ad bona hujus vitæ; sed iis non rectè illos uti affirmat.

Tituli possessionis. X. Hoc itaque præsupposito, omnibus in universum hominibus legitimum in res hujus mundi dominium à Deo esse concessum, sequitur etiam res, quas homines sibi legitimo modo in proprietatem vindicarunt, justo ab ipsis titulo possideri. Titulus autem ille variis modis acquiri potest.

Justa occupatio. XI. Primus est, justa occupatio. Antea terra commune omnibus erat habitaculum, sine ulla, ut videtur, possessionum distinctione: sed multiplicato genere humano unicuique sua obtigit portio, omniaque fuere primi occupantis; nisi Deus expressè ex singulari quadam gratia alicui quid voluerit largiri; ut Abrahæ & semini ipsius terram Canaan. Sic prima dominiorum divisio est introducta: fuitque hæc non tantum necessaria, sed & justa. Necessaria: 1. Ut contentiones, quæ quotidie novæ de possessionum proprietate moverentur, vitentur & præcidantur. Exemplum habemus in Abrahamo & Lotho *Genes.* XIII. 1. *& seqq.* 2. Ut diligentius omnia in suis partibus colerentur, & magis ordinatè tractarentur: solent enim communia plerumque negligi. Justa: quia nititur non tantum jure humano, sed & divino: quod quamvis non directè præceperit ab initio istam rerum divisionem; ex occasione tamen multiplicati generis humani & iniquitatis invalescentis, dictat eam necessariam esse ad pacificam & suavem rerum administrationem. Idem hîc locum habet, quod in convivio, ubi cibus omnibus convivis in commune proponitur; portio tamen quælibet illius cedit primo occupanti, adeo ut alteri assidenti portionem jam ab alio occupatam sine decori violatione sibi vindicare non liceat. Eodem modo & hodie insulæ & partes terræ nunquam habitatæ, uti & res derelictæ, quæ possessore carent, primi sunt occupantis.

Quid statuendum de rebus perditis. XII. An idem etiam statuendum de rebus perditis? Resp. Non, nisi adhibitâ debitâ, quæ virum bonum decet, diligentiâ ad verum earum dominum inquirendum: illæ enim minimè pro derelictis, aut possessore destitutis, habendæ sunt: licet enim à priore possessore corporaliter non detineantur, tamen animo ac voluntate ejus possidentur. Hinc liquet, quid de mercibus, navis sublevandæ causâ in mare projectis, statuendum sit; nim: neutiquam pro derelictis esse habendas; projiciuntur enim reluctante animo vitæ retinendæ causâ, ab eo qui mallet non projicere, easque, sicubi salventur, voluntate ac animo detinet.

Alii possessionis tituli. XIII. Secundus titulus est hæreditas, quæ est successio in bona alterius, ex justa ipsius voluntate: *Levit.* XXV. 45, 46. *Num.* XXV. 8, 9, 10, 11. Tertius est donatio, quæ est gratuita boni communicatio: 1 *Reg.* X. 10, 13. Quartus, merces, quæ est remuneratio operæ præstitæ: *Jacob.* V. 4. Quintus, contractus, qui est communicatio boni ex conventione obligante, cujus formula est, do ut des vel ut facias, seu facio ut des vel facias.

Consistit justitia in æqualitate. XIV. Justitia itaque versatur circa hæc externa, in quæ justo titulo dominium alicui competit. Spectatur autem justitia in æqualitate; versatur enim inter plus & minus: quoniam enim in contractu inter duos intercedit, fieri nequit quando ab hac æqualitate disceditur, quin uni plus, alteri minus tribuatur quàm oportet. Æqualitas autem duplex est, simplex, quæ inter duos terminos intercedit, & analogica, quæ est similitudo rationum. Ratio est collatio duorum terminorum inter se: terminus verò res quævis quæ in comparationem cum altera venit: ita ut æqualitas analogica inter quatuor terminos intercedat.

Justitia Distributiva. XV. Inde Justitia communiter distribui solet, in Distributivam, & Commutativam. Distributiva est, quæ versatur in distribuendis honoribus & commodis publicis: servatque ea proportionem analogicam seu geometricam; inæqualibus enim inæqualia distribuit pro ratione meritorum, & dignitate personarum.

Commutativa. XVI. Commutativa est, quæ versatur in contractibus, cerniturque in bonis singulorum. Hæc observat proportionem simplicem, seu arithmeticam; respicit enim rerum pretium, nullo habito personarum respectu. In permutationibus autem & contractibus ut justitia colatur, necesse non est semper observare talionem, quâ idem specie, eodem numero & quantitate reponitur. Licet enim hoc in reddendo deposito requiratur, in permutatione tamen locum habere nequit: idem enim specie hic sæpe reponi non potest: ut si quis medicus ægrum lethaliter decumbentem sanaverit, idem medico ab ægro præstari nequit. Sæpe etiam idem specie reddi inutile est: quod in permutationibus locum habet. Quid si enim ego re aliquâ caream quâ alter abundat, aut re abundem quâ alter caret: si permutatio rerum fieri nequeat quibus uterque abundat, permutatio erit inutilis, omnisque societas civilis evertetur. Non itaque simplex illa æqualitas & talio exigitur, nisi vel pactum, vel obligatio intercesserit, vel lex aliqua divina eam in quibusdam sanxerit. Justa tamen est talio, si per eam rerum permutatio intelligatur,

& talis

& talis quidem, quâ res permutandæ exæquantur pretio, reique permutatæ pretium dependitur: eaque propriè est permutatio. Cùm autem omnium rerum pretii mensura communi consensu recepta sit nummus, commodissimè is in permutatione adhibetur. isque pro omnium rerum pretio haberi potest, resque permutandæ juxta pretium suum illo justè permutari possunt. Consistit ergo Justitia Commutativa in eo, ut alteri rerum, quarum per contractum mihi confert proprietatem, pretium persolvam: vel si utraque pars stipulavit ut in futurum, intra certum nim: ac definitum temporis spatium solutio fiat, ut eo elapso pretium solvatur: promissum enim, dum tempus exhibitioni præstitutum nondum adest, loco rei est.

Correctiva. XVII. Si solutio juxta contractus formulam non fiat, injuria est & maleficium. Sed hic justitia rursum locum habet ut id emendet, tollendo inæqualitatem inter eum qui injuriam intulit, & qui passus est, & quoad ejus fieri potest ad æqualitatem, quæ ante injuriam fuerat, reducendo. Indeque tertia quasi justitiæ species emergit, vulgò Correctiva vocari solita. Hæc propriè res spectat; quicquid enim per fraudem aut maleficium alteri decessit, illa restituit. Sed & nonnunquam personas considerat, nimirum propter res, maximumque quem ad res habent respectum, quia personarum dignitas aut vilitas aliquando injuriæ ipsius rationem mutat, eamque vel graviorem reddit vel leviorem. Quod discrimen ipse Deus in lege sua agnoscit: graviora enim æstimat delicta contra parentes, magistratus, viduas, pupillos, &c. commissa, quàm contra alios.

Personarum acceptio. XVIII. Hic itaque personarum respectus non est vitiosa illa προσωποληψία, seu personarum acceptio, passim bonis omnibus improbata, quæque à justitia abesse debet, quando reum momentis neglectis solummodò ad externas quasdam facti circumstantias respicitur, nullum ad facti justiam aut injustitiam respectum habentes; quales sunt divitiæ, paupertas, nobilitas, dona, aliaque quibus judicia nonnunquam inflecti & corrumpi solent. Soletque vitium hoc non ineleganter vocari προσωποληψία seu personarum acceptio; quia personas seu facies externas respicit, res autem ipsas quæ in judicium veniunt non considerat. Hanc Deus expressè in lege sua prohibuit, *Levit.* XIX. 15. *Non facies iniquitatem in judicio: non considerabis personam pauperis, nec honorabis vultum potentis: justè judicabis proximo tuo.* Et Moses judices a se constitutos ita alloquitur: *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est, Deut.* I. 17. Quod etiam exemplo Dei comprobatur: qui nec personam nec munera accipit, *Deut.* X. 17. 1 *Pet.* I. 17. Sic & Salomon vitium hoc detestatur, *Prov.* XVIII. 5, XXVIII. 21. & *Esa.* V. 23. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* & *Jacob.* II. I. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Est itaque justitiæ officium, facti circumstantiis expensis, pro delicti gravitate ac levitate sincerè jus administrare, & inæqualitatem, fraude vel maleficio introductam, ad æqualitatem sine cujusquam respectu reducere

Talio. XIX. Quæritur, an hæc æqualitas talionem præcisè exigat? Resp. Si talio præcisè ac rigidè accipiatur, ut idem specie retribuatur quod in alterum commissum est, talionem non semper requiri, imò posse incidere casus, quibus talio sit non tantum iniqua, sed & planè illicita. Iniqua erit ob maximam circumstantiarum varietatem, quibus talio secundum literam inflicta summam introducet inæqualitatem: ut si quis luscus alteri oculum excusserit, si ipsi vicissim oculus eruatur, omni visu privatus multò deteriore erit conditione illo cui oculum excussit. Similiter si pauper diviti manum amputaverit, ipsique vicissim manus amputetur, omni domum suam sustentandi facultate privatus erit: quin & si eadem fractura semper retribuatur, posset facile quæ uni robustioris naturæ lethalis non fuit, alteri complexionis imbecillioris esse lethalis. Illicita erit, si absque scelere talio præcisè adhiberi nequeat: ut si quis adulterio alterius uxorem corrupisset; ipsius uxor absque scelere adulterio, ut talio locum habeat, corrumpi nequit. Cum itaque lex Dei talionem hanc præscribit, *Exod.* XXI. 24. *Levit.* XXIV. 20. *Deut.* XIX. 20. legis divinæ mens non est, eam juxta literæ rigorem semper exigendam; sed damni illati pretium esse æstimandum, reumque pœnam delicto æquivalentem vel in ære vel in corpore suo pendere debere. Quod etiam Judæorum sapientes in populo suo observatum esse testantur.

Alia Justitia distributio. XX. Sic videmus quomodo Justitia omnes actiones dirigat, & inæqualitate per maleficium introductâ æqualitatem reducat. Alii tamen existimant se omnia hæc justitiæ officia compendiosius exprimere distinctione bimembri, quâ justitiam distribuunt in Attributricem, quæ unicuique pro ratione status & meritorum id quod æquum est de communibus bonis & oneribus assignat: & Expletricem, quâ unusquisque officio suo erga alios satisfacere obligatus est, & ubi deficit auctoritate publicâ compellitur. Quæ distributio sensu cum nostra coincidit, ita ut Attributrix sit justitia nostra distributiva: Expletrix verò utramque comprehendat, & Commutativam, & Correctivam. De distributione nemini litem movemus, modo omnes Justitiæ partes omniaque officia explicentur.

Æquitas. XXI. Ad justitiam refertur Æquitas; quæ est stricti juris moderatio. Leges nempe regulæ sunt generales, præscribentes quid justum sit in se absque ulla alia circumstantia consideratum: fieri autem potest, factum aliquod circumstantiâ quadam vestiri, quam legislator, si eam considerasset, improbaturus neutiquam fuisset; non tamen omnes ejusmodi circumstantias, quia plurimæ sunt, in lege sua exprimere potuit. Hic itaque æquitas strictum jus emendat ac mitigat, non ad verba legis, sed ad legislatoris mentem respiciens.

Ejus officia. XXII. Officium illius est, jure nostro non strictè semper uti, sed quando metus est ne rigida juris exactione alteri injuriam simus facturi, ultro de jure nostro cedere. Munera ejus duo sunt. Unum; Cùm quid justè ab altero exigimus, sive nostro, sive publico nomine, ne rigidè nimis eum urgeamus, præcipuè si circumstantiæ quædam rigorem illum dissuadeant: uti si quis vir honestus & pauper nobis debitor sit, atque impræsentiarum facultate solvendi sit destitutus, ne pignus ab ipso exigamus, quo carere nequit: sic *Deut.* XXIV. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam; quia animam suam opposuit tibi.* Alterum, ut si à nobis quippiam exigatur, quod jure exigi negare non possumus, etiamsi specie quâdam juris singulari nos tueri possimus, ne tamen exceptione ejusmodi utamur, sed ultro jure nostro cedamus, si graves sint rationes cur jure isto quod prætendere possumus uti non debeamus: ut si immunitatibus quibusdam donati simus, æquitas exigit, ne tempore necessitatis, quando salus Reipublicæ operam nostram exposcit, illius immunitatis privilegio patriæ necessitati nos subducamus.

Mercatura est licita. XXIII. Hisce generatim de Justitia explicatis, restant jam specialiora quædam examinanda. Ac primò quidem, quoniam justitiam æqualitatem exigere ostensum est, incidit quæstio, utrum mercatura, quæ in eo tota est ut pretio quam vilissimo emat, & caro vendat, justitiæ adversetur, aut licita sit. *Resp.* Nobis neutiquam videri illicitam, nec justitiæ repugnantem, modò intra justas regulas coërceatur. 1. Quia quibusdam populis, apud quos rerum ad vitam necessariarum est penuria, necessaria est, qui absque mercatura vitam tolerare non possent: qualis inter alia est patria nostra Hollandia: quod Deus pro sapienti suo consilio ita videtur ordinasse, ut homines mutuâ se ope indigere conspicientes, hac necessitate ad amicitiam inter se colendam invitarentur, ac quodammodò compellerentur. 2. Nec usquam in Scriptura est vetita.

Explicatur Jac. IV. 13. XXIV. Dices; Vetitam esse *Jacob.* IV. 13. *Ecce nunc, qui dicitis? hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino,* &c. *Resp.* Non vetatur mercatura, sed mercatorum, lucro unicè inhiantium, studia; qui suæ solertiæ omnia adscribentes, nec divinam providentiam & in omnia imperium considerantes, omnia sua negotia ita disponunt, perinde ac si ipsorum arbitrii sit ipsa ex voto ad finem perducere, nec divinâ ope ac benedictione indigerent: quod verbis sequentibus clarissimè indicatur, *vers.* 15. *Pro eo ut dicatis: si Dominus voluerit; &, si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Nec lucrum, quod mercatura spectat, æqualitati in justitia requisitæ adversari videtur; quia rerum pretia pro earum abundantia aut penuria augeri vel minui solent. Qui itaque in regionibus, ubi magna quarundam mercium copia est, merces viliore pretio emtas, aliò ubi earum penuria est suo periculo devectas majore pretio vendit, nihil contra æqualitatem peccat: quia merces emit & vendit juxta earum in diversis regionibus pretium: quin & ex damni, cui sese exponit, periculo lucrum aliquod emergere justissimum videtur.

Respondetur objectioni. XXV. Dices, Ope mercaturæ variæ ex longinquis regionibus advehuntur merces, quibus carere præstat, utpote luxuriæ vitæque dissolutæ instrumentis: tum & variæ in mercatura committuntur fraudes; docente id Syrachide, *cap.* XXVII. 2. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emtionis angustiabitur peccatum.* Resp. Rerum mercaturæ ope advectarum abusum non cum ipsa mercatura confundendum, ne & omnium munificum largitorem Deum arguamus, cujus donis, ad fruendum datis, turpiter homines abutuntur. Dono Dei multifaria mercatura advehit, eorum abusum non docet. Discernendum etiam, inter mercaturæ finem, & mercatorum; inter mercaturam nudè & in se spectatam, & inter abusus fraudesque multiplices, mercatorum vitio mercaturæ immixtas. Omnem contendimus fraudem, omnem injustitiam à mercatura abesse debere.

Regulæ hic observandæ. XXVI. Quoniam autem hominibus lucri ac pecuniæ avidis facilis hic in fraudem est lapsus, ut mercatura sit justa, legibusque Christianæ Religionis non adversa, hæc observanda sunt. 1. Ne venditor aliquem fallat, obtrudendo ipsi merces vitiosas, quas credit esse bonas, vel propter imperitiam suam meliora à deterioribus non discernendi; vel quia vitia sunt occultiora, venditori soli nota, nec facile ab emptore deprehendenda. Inde enim magnum ad emptorem redundare potest damnum. 2. Nec conetur emptor, ut mercium pretium minuat, per astutiam merces imminuere; nec venditor, ut pretium augeat, contra conscientiam suam merces augere. Quod vitium

tium taxatur *Proverb.* XX. 14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor; & cùm recesserit tunc gloriabitur.* 3. Multò minus fallat falsâ mensurâ ac pondere; aut merces venditas permutet, earumque loco alias substituat & emptori obtrudat: *Levit.* XIX. 35, 36. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Deut.* XXV. 13, 14, 15, 16. vetatur ne habeant diversa pondera, majus & minus, nec majorem & minorem modium. Similiter *Prov.* XI. 1. XX. 10 4. Nec captet emptor urgentem venditoris necessitatem, ut rem infra pretium emat. Quanquam hîc exacta regula in quovis casu officium præcisè præscribens statui nequeat; & illud in genere etiam fatendum sit, in abundantia mercium viliore, in penuria majori pretio emendum esse ac vendendum. Non ergo in urgente venditoris necessitate merces, quarum est penuria, viliore pretio ipsi sunt extorquendæ In omnibus generalis hæc observetur regula, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. 5. Pauperibus ordinariè viliore pretio vendendum, quàm ditioribus. 6. Res ad vitæ usum quàm-maximè necessariæ, ut sunt annona, quarumque pretium à Magistratu constitutum est, juxta illius constitutionem sunt vendendæ, neque earum pretium fictis rumoribus vel alia fraude augendum, aut summæ penuriæ tempora captanda, quibus annona, aliàs recondita, venum exponatur, carissimoque pretio divendatur. Hoc Deus acriter reprehendit *Amos.* VIII. 5, 6. ubi Deus jurat se non obliturum opera eorum, qui dicunt, *Quando transibit mensis, & venundabimus merces; & sabbathum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?* 7. Tandem, venditor de mercium venditarum quantitate nihil fraudet: non rigidè urgeat solutionem, si emptor pauperior, ac statim solvendo non sit; sed tempus legitimum solutioni benignè concedat. Emptor quod emit, fideliter solvat, & quidem promptè, si venditor egeat, nec solutionem differat, multò minus fictis apochis venditorem deludat. 1 *Thess.* IV. 6. *Ne quis supergrediatur neque superveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

De usura sententia Jesuitarum. XXVII. Secundò quæritur de usuris seu fœnore, an cum justitia consistere possint, & licitæ sint. Quod ut plenius expendatur, ante omnia quid per fœnus intelligi soleat explicandum est. Definiri solet, merces quæ pro accepta mutuo pecunia ex pacto datur. Hanc quidam illicitam credunt; inter Christianos Pontificii Doctores communiter eam damnant: verùm argumentis pressi Jesuitæ usuras sub certis concedunt limitationibus. Prima est: ut summa capitalis semel credita non repetatur à creditore: licere tamen creditori ab eo cui pecuniam credidit petere pignus, hypothecam, aut vadem; quod si debitor hoc recuset, aut præstare nequeat, pecuniam esse reddendam. Secunda. Ut licitum sit illi, qui pecuniam mutuò dedit in annum, si alter tempore constituto eam non reddat, usurum accipere, pro ratione damni inde emergentis. Quin & tandem, usuram accipere licere, non tantum pro ratione damni emergentis, sed & lucri cessantis. Quibus limitationibus adhibitis quodcunque negare videbantur concedunt, omnemque usuram licitam faciunt.

Sub quibus cautionibus licita sit. XXVIII. Nobis res ab abusu distinguenda videtur. Ipsa usura in se spectata nihil justitiæ adversum continere videtur: æquissimum omnino est, ut qui auxilio ac usu meæ pecuniæ mutuo sumtæ lucrum fecit, illius lucri partem, quo ego, siquidem ipse meâ pecuniâ usus fuissem, gaudere potuissem, concedat. Peccari tamen hic gravissimè potest, sive eos, quibus pecunia mutuo datur, sive ipsum usuræ modum spectemus. Circa personas, quibus pecunia mutuo datur, peccatur, quando usura exigitur à pauperibus, qui exiguam à nobis summam mutuo acceperunt, non mercaturæ exercendæ quæstumque faciendi, sed vitæ tantum tolerandæ causâ, vel etiam, quando ab aliis, qui infortunio quodam, sive incendio, sive naufragio, &c. damnum grave passi sunt, rigide usura pecuniæ, etiam ante infortunium illud creditæ, exigitur. Circa usuræ modum peccatur, si gravis nimis, & gravior quàm lege Magistratus constituta, exigitur: præsertim si usura usuræ exigatur: illa enim rectè morsui comparatur, hominemque sensim omnibus suis facultatibus spoliat. Omnia hæc & justitiæ seu æquitati, & præsertim caritati Christianæ repugnant. Hæc autem si vitentur, usura illicita esse non videtur.

Explicatio Exod. XXII. 25 XXIX. Dices. Deus tamen in Veteri Testamento passim usuram vetuisse Israëlitis legitur: *Exod.* XXII. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Simili lege *Levit.* XXV. 36, 37. *Deut.* XXIII. 19, 20. & David beatum prædicat, *qui pecuniam ad usuram non dedit, Psal.* XV. 5. & alibi. Resp. Singulos textus inspicienti apparebit de pauperibus agi, qui pecuniâ mutuo sumptâ non utuntur ad quæstum, sed ut inde vivant. A talibus autem usuram exigere illicitum diximus.

Et Luc. VI. 35. XXX. Dices. Dominus Jesus tamen dicit *Luc.* VI. 35. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Resp. Agit illic Dominus de iis, qui pecuniam vi à nobis extorquent, non quibus ipsi pacto aliquo intercedente pecuniam

credimus: expressè enim eos vocat *inimicos nostros*: sensusque est: Tantum nos abesse debere à vindictâ, ut potius ipsis pecunia quàm vi extorquere cupiunt danda sit, etiamsi nihil inde sperari possit. Illustratur hic sensus exemplo Dei, non tantum erga bonos & gratos, sed & malos ac ingratos benefici. 2. Esto, de quovis mutuo isto in loco sit sermo: nihil tamen exinde quicquam contra nos concludi potest. Quia mutuum illud datur aut pauperi, aut diviti: si pauperi; non tantum usura, sed &, si solvendo non sit, tota summa dimittenda est: si diviti; tum sensus est, etiamsi ille ingratus sit, tu tamen nihilominus illi petenti mutuum da, *nihil sperans*, id est, etiamsi sperare non possis idem tibi facturum. Manifestè enim respicitur ad *vers. praecod.* ubi peccatores dicuntur peccatoribus mutuum dare, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα, id est, ut ab ipsis æqualia recipiant; hoc est, quando ipsi egent, etiam mutuum ipsis detur; non autem, ut pecuniam cum fœnore recipiant; tum enim non dixisset τὰ ἴσα, sed plura, seu cum fœnore. Cum ergo nihil illic de fœnore dicat Dominus, nec in præcepto suo peccatorum actionibus opposito fœnus respexisse dici potest. 3. Hisce potest addi alia explicatio, scopo loci apprimè conveniens: in Græco non est *nihil inde sperantes*, sed μηδὲν ἀπελπίζοντες, quod potius est, *nihil desperantes*. At vox ἀπελπίζω, nonnunquam significatione hiphil denotat, *desperare facio*: sic *Eccles.* XXVII. 21. ὁ δὲ ἀποκαλύψας μυστήρια ἀπήλπισεν *qui revelavit mysteria desperavit*, id est, desperare fecit. Legendo itaque μηδέν' cum apostrophe, sensus erit, *neminem desperare facientes*; hoc est: ita vos benevolos ostendite, ut neminem, ne inimicum quidem vestrum, siquidem à vobis exigat, de charitate ac benevolentia vestrâ desperare faciatis. Atque ita convenit cum *Matth.* V. 42. *Volentem mutuari à te*, μὴ ἀποστραφῇς, *ne avertas*.

Solutio objectionis. XXXI. Dices tandem; Pecuniam sterilem ac infrugiferam esse, ac proinde fœnus esse quid monstrosum ac naturæ pecuniæ repugnans. Resp. Infrugifera quidem est pecunia quoad substantiam, non quoad usum. Quid itaque injusti, si quis partem lucri, ex usu meæ pecuniæ, quâ dextrè uti novit, acquisiti, mihi cedere ex pacto teneatur? Et si ex agris, domibus, pretio locatis licet annuos accipere reditus, quid ni ex pecunia, quâ hac omnia emere possum, cujusque usus illi, cui mutuo data est, non minus quàm ager fœcundissimus, lucrum apportat?

Non omnis trapezitica illicita est. XXXII. Dices Quid itaque statuendum de trapezitis, seu Lombardis, ut vulgò vocant; qui nullo habito discrimine pauperum & divitum, omnibus promiscuè ad se accedentibus pignore accepto pecuniam mutuam dant fœnori? Resp. Negotiationem ejusmodi magnum inter Christianos caritatis defectum arguere; optandumque esse, similem nunc in Ecclesia Christiana caritatis vigere fervorem, qui olim in Ecclesia fuit primitiva, cùm nemo inter illos erat egens, sed venditis agris & possessionibus singuli pretia ad Apostolorum pedes deponebant, cuique, prout opus habebat, destribuenda, *Act.* IV. 34, 35. Refrigeratâ verò hac caritate, ratio nulla est quæ cogat trapezitas magis quàm alios divites pecuniam suam gratis & absque usura in pauperes erogare, præsertim cum & ipsi, sicut alii divites, negotiando quæstum facere possint. Et cum ipsi pauperes fateantur, se trapezitarum pecuniâ, licet cum fœnere reddendâ, multum juvari, non planè omne in universum fœnus trapeziticum ut illicitum damnari posse videtur.

XXXIII. Interim prout à multis exerceri solet trapezitica, cum Religionis Christianæ genio neutiquam conciliari posse videtur. Ac præcipuè quidem hæc damnanda sunt. 1. Quòd plerique, non omnes, trapeziticam exercent, non ut pauperes sublevent, sed eo solummodò fine, ut ditescant. 2. Quòd pignora à quibusvis accipiant, nulla inquisitione adhibitâ quales sint, etiam à pauperrimis, qui illis carere neutiquam possunt; imò & nonnunquam à furibus, qui occasione tam commodâ pignore deposito pecuniam mutuo accipiendi sollicitantur ad furandum. 3. Quòd gravem nimus usuram exigant quæ pauperes commedit. Hinc, ut avaris trapezitis pauperes nimiâ usurâ exhauriendi occasio præripiatur, fœnori trapezitico Magistratus modum ponere solet, quin & non nisi cum Magistratus venia mensæ trapeziticæ erigi permittuntur. Quibusdam etiam in locis ipsi Magistratus per suos ministros trapeziticam exercent, eaque commodissima videtur ratio pauperibus è pecunia publica subveniendi; eo tantum indicto fœnore, quod ad sumtus, in ædificia & ministros aliaque necessaria faciendos, tolerandos requiritur. *Quæ illicita sit.*

CAPUT XXXIX.

De Injustitia.

I. JUstitiæ opponitur Injustitia, quæ est consuetudo suum cuique non tribuendi. Ea variè distinguitur. Primò enim vel est lædens, vel deserens. Lædens est, quæ alteri eripit quod suum est. Ea plerumque ab alio vitio, irâ nempe, avaritiâ, ambitione, aliâve animi peturbatione, uti mox videbimus, originem habet. Deserens est, quæ non defendit ex officio, vel non tribuit quod tribuendum erat: sive id *Injustitia. Est vel lædens, vel deserens.*

id procedat ex avaritia, sive metu aliorum, sive etiam ex negligentia nimiaque animi mollitie, quòd homo labores ac molestias, ad dibitam alterius defensionem requisitas, defugiat.

Fit vel dolo. II. Secundò. Injustitia fit vel dolo ac fraude, vel vi. Dolo fit, quando aliquem fallimus: 1 *Thess.* IV. 6. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat fratrem suum in negotio.* Varias ejusmodi fraudum species circa mercaturam antea enumeravimus, in permutatione mercium, duplici pondere ac mensurâ, aliisque. Hisce adde, si nobis lis cum alio intercedat, posse variis modis injustitiam ac fraudem committi, judices muneribus corrumpendo, fictis testimoniis aliisque fraudibus causam nostram probare, proximique evertere, conando: vel etiam divitiis nostris lites trahendo, pauperesque sumtibus ferendis impares fatigando. Huc referri potest, quando alios fictis criminibus ac mendaciis in periculum conjicimus, aut falsos contra ipsum testes concitamus. Ita uxor Potipharis Josephum, Jesabel Nabothum, falsis criminibus onerarunt. Sive id fiat directè; uti in exemplis allatis: sive indirectè; idque multipliciter. Vel verba illius in alienum sensum detorquendo: ut falsi testes à Judæis in Dominum Jesum subornati, *Matth.* XXVI. 59, 60. *&c.* Vel partem facti ejus referendo, partem reticendo, & quidem ejusmodi circumstantias, per quas, si reticeantur, factum aliàs innoxium criminis habere speciem videtur Talis erat fraus Doëgi Edomitæ contra Pontificem Achimelechum, narrantis se vidisse Pontificem Davidi panes & Goliathi gladium dantem, & Deum pro ipso consulentem: quâ delatione Pontificem tanquam Davidis consiliorum participem coram Saule rege deferebat, reticebat autem Davidem simulasse se à rege missum, 1 *Sam.* XXII. 9, 10. Unde & David eum tanquam injustum describit, *Psal.* LII. 4. *Totâ die injustitiam cogitavit lingua tua; sicut novacula acuta fecisti dolum.* Vel etiam deferendo aliquem, quem novimus propterea vitæ discrimen aditurum. Sic Chaldæi deferebant tres juvenes, quòd nollent regis Babyloniæ statuam adorare, quos noverant propterea in fornacem ignis conjiciendos, *Dan.* III. 12. satrapæ regis Persiæ Danielem, quòd contra edictum regis verum Deum adorasset, ut leonibus devorandus abjiceretur, *Dan.* VI. 12, 13.

Varii illius modi. III. Injustitia autem committitur vel palam, non dissimulando nec tegendo injustitiam; vel tectè & sub specie amicitiæ: ita specie amicitiæ Absolon Ammonem, Joab Amasam, interfecit, Judas Dominum Jesum tradidit. Vel sub specie justitiæ: ita Jesabel, subornando falsos testes contra Nabothum innocentem, eum sub justitiæ specie, tanquam in Deum & regem blasphemum, interfecit, 1 *Reg.* XXI. 13. Vel sub specie religionis: sic Simeon & Levi Sichemitas prætextu circumcisionis deleverunt, *Genes.* XXXIV. Pharisæi orationum longarum prætextu domos viduarum comedebant, *Matth.* XXIII. 14.

Et causæ. IV. Habetque injustitia causas admodum diversas ac multiplices. Nunc avaritiam, seu plura habendi studium; ut in Juda proditore, *Matth.* XXVI. 15, 16. quæ proinde *omnium malorum radix* vocatur, 1 *Tim.* VI. 10. seu & sua amittendi metum; ut in Demetrio, *Act.* XIX. 25, 26. Nunc ambitionem; ut in Absolone insurgente in patrem suum Davidem, 2 *Sam.* XV. in Athalia, omnes regii sanguinis interficiente, ut penes ipsam summa rerum esset, 2 *Reg.* XI. in Herode pueros Bethlehemiticos interficiente, *Matth.* II. Nunc superbiam; ut in Hamane contra Mardochæum, ipsi quem cupiebat honorem non deferentem. *Esth.* III. Nunc vindictæ cupiditatem: ut in uxore Potipharis contra Josephum, *Genes.* XXXIX. Nunc invidiam; ut in Caino contra fratrem suum Abelem, *Genes.* IV. in sacerdotibus Judæorum Dominum Jesum Pilato tradentium, *Matth.* XXVII. 18. Nunc alia quædam vitia, quæ singula enumerare superfluum foret.

Furtum, ejusque definitio. V. Hisce accenseri potest furtum, quod est injusta ablatio occulta & fraudulenta rei alienæ mobilis invito domino. Dicimus esse *ablationem*; non enim nuda rei contrectatio invito domino furtum est: potest enim quis rem alienam contrectare, sine animo eam capiendi aut retinendi. Addimus *injustam*; quia si fiat jussu Dei omnium domini, furtum non est: sic furtum non committebant Israëlitæ, petentes ab Ægyptiis vasa sine animo restituendi; quia Dei jussu fecerunt, qui cùm omnium sit dominus, bona illa desierunt esse Ægyptiorum, & facta sunt Israëlitarum. Cùm autem dicimus esse *ablationem*, non hoc volumus, furtum non committi, nisi res revera & actu auferatur: potest enim & committi affectu solo, nim: coram tribunali divino: sed quod coram hominibus non possit censeri furtum, nec ut furtum puniri, nisi actu ipso perpetratum; quia quod in animo latet, ignotum est; & quia quietem publicam non turbat, puniri non debet. Per *rem* autem intelligimus etiam rei usum. Addimus *alienam*, id est, ad alterum jure pertinentem, si enim jure nostra sit, alter autem eam injustè detineat, etsi licitum non sit eam propriâ auctoritate auferre, tamen illo facto furtum non committeretur. Tum *mobilem*, quia immobilia alio quidem injustitiæ genere, non autem furto homini eripi possunt. Est *occulta & fraudulenta*; quia si fiat bono fine, & in commodum ejus à quo aufertur, furtum non est; ut si quis ensem auferat ab amen-

amente. Tandem, *invito domino*: quia si dominus, qui de rebus suis disponendi jus habet, ultro ac sponte rei suæ dominium abdicare vult furtum non committitur.

Furti divisio. VI. Solet dividi furtum in simplex, & qualificatum. Simplex est, quod nullâ peculiari circumstantiâ ab aliis distinguitur. Qualificatum, quod circumstantiâ aliquâ est vestitum quâ aggravatur. Estque multiplex. Plagium, quod est furtum hominis. Sacrilegium, ablatio rei sacræ seu cultui Dei dicatæ, è loco sacro. Peculatus, furtum pecuniæ ad ærarium seu fiscum pertinentis, factum ab eo qui eam asservat. Abigeatus, cum animalia, sive sint pecudes, sive jumenta, abiguntur. Et tandem furtum cum effractione.

Pœna. VII. Quod furti pœnas attinet, variæ ab hominibus constitutæ sunt pœnæ: & quidem furto, quod cum ædium effractione fit, pœna capitalis. Nos de iis nihil dicemus, nisi hoc unum: optandum fore, Christianos non esse rigidiores lege Mosaica, quæ nuspiam pœnam mortis furto constituit, sed dupli, quadrupli, aut quintupli, pro furti ratione, restitutionem: quoniam, cum lex Christi charitatis lex est, Christianos in omnibus judiciis charitatem spirare conveniens est, nec rigore excedere legem antiquam, in qua se Deus severum judicem ostendit. Pœna divina est exclusio è regno cœlorum: fures enim regni Dei hæredes non futuri dicuntur, 1 *Cor.* VI. 10.

Vel fit vi. VIII. Injustitia, quæ vi fit, est rapina, vel latrocinium, quando vi armata homines spoliantur.

Restitutio IX. In hisce autem omnibus injustitiæ generibus locum habet Restitutio, qua reparatur injuria, & restituitur quis in possessionem rei injustè sibi ablatæ. Est propriè actus justitiæ Commutativæ: quia restitutio non tantum est rei directè debitæ, sed & fieri debet secundum æqualitatem rei, non dignitatem personæ.

In quibus locum habeat. X. Habet restitutio proprie locum in rebus externis & corporeis, præcipuè possessionibus; sed & per analogiam extenditur ad bona interna & incorporea, etiam ad externa, quæ in honore & fama consistunt; id est, ad omnia, in quæ aliquis jus habet: hæc enim sunt æquè res ipsius, atque bona externa & possessiones.

Est necessaria. XI. Injuria illatâ necessariam esse restitutionem ipsa dictat natura & religio: quia retentio rei alienæ invito domino non tantum furtum est, sed & perseverantia in furto; & tali, quamdiu in crimine suo perseverat, nulla exspectanda est remissio. Quod si verò in potestate illius, qui damnum intulit, non sit restitutio, animus tamen ad restituendum, si potestas sit, semper adesse debet: non enim eum verè facti sui pœnitet, qui rem injuste acquisitam adhuc animo suo retinet. Et hoc sensu verum est vulgatum illud, Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Restitutionis hujus exemplum illustre habemus in Zacchæo *Luc.* XIX. 8. qui ad Dominum dixit; *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Quam etiam ad remissionem injustitiæ obtinendam sufficere Dominus benignè indicavit, dicens, *Hodie salus huic domui facta est.*

XII. Unde quid restituendum sit, per se liquet: nim: ipsa res, si existat, & in potestate illius sit, qui alterum ea fraudavit: alias rei pretium, si vel periit, vel in illius non sit potestate, aut illius culpa deterior facta sit: quin imò damnum, aut lucrum cessans, domino per rei suæ ablationem illatum. *Quid sit restituendum.*

XIII. Nec minus manifestum est, quis ad restitutionem teneatur; omnis nempe qui alteri injustè damnum intulit, sive per vim, sive dolum, fraudem, aliamve culpam non excusabilem. Tum qui injustitiæ illius particeps fuit, sive consilio ac jussu suo, sive ratihabitione actionis suo nomine patratæ, sive etiam cooperatione ac auxilio. Illi enim sunt, qui, ut *Psal.* L. 18. est, *furem videntes cum eo currunt.* Imò omnis, qui rem alienam injustè acceptam retinet, etiamsi bonâ eam fide acceperit, ignorans nim: eam alterius esse. Hoc autem discrimine, quod malæ fidei possessor non tantum teneatur ad rei restitutionem, sed & ad compensationem damni emergentis & lucri cessantis: bonæ autem fidei possessor tantum tenetur ad rei, si adhuc salva est, restitutionem, & quod ex illa, sepositâ propriæ industriæ ratione, lucratus est; non autem si sine ipsius culpa in manu ipsius periit. Tandem, omnis in cujus potestate res ablata est. Itaque excusari nequeunt Magistratus, qui res furto ablatas, & apud facinorosos deprehensas, veris licet dominis non latentibus, imò res suas reposcentibus, fisco addicunt. Non enim ejusmodi actio à furto excusari potest: & illo respectu videtur *Esa.* 1. 23. principes Israëlis *socios furum* vocasse. *Quis ad restitutionem teneatur.*

XIV. Inde jam patet, cui restitutio facienda sit: vero nempe domino, si existat, & inveniri possit: aliàs legitimo illius hæredi. Quod si neuter debitâ adhibitâ diligentiâ inveniri possit, Deo sunt reddenda, id est, in usus sacros ad honorem Dei sunt insumenda; *Num.* v. 6, 7, 8. *Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque diliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque desuper partem, ei in quem peccaverint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino.* Vel etiam in pauperes eroganda, ad exemplum Zacchæi, *Cui restitutio sit facienda.*

qui

qui dimidiam bonorum suorum partem pauperibus dabit, *Luc.* XIX. 8. Cùm enim absque restitutione peccatum aboleri nequeat, ut vidimus; reique ablatæ proprietarius à nobis investigari non possit, res ipsa docet, gloriæ Dei, omnium Domini, rem injustè possessam esse dicandam, illisque, quos in sui locum nobis Dominus reliquit, ad sui sustentationem impertiendum, quod Domini est; quin & ad peccatorum remissionem facilius obtinendam, etiam pars bonorum nostrorum huic usui pio impendenda est, *Dan.* IV. 27. ut quò gravius antea per injustitiam deliquimus, tantò magis postea pietatis ac charitatis operibus, tanquam sinceræ resipiscentiæ fructibus, abundemus.

Quibus casibus restitutionis necessitas cesset.

XV. Sed quæri posset: Utrum restitutio ita absolutè sit necessaria, ut nullo casu quis ab illa excusari possit? Resp. Ex dictis liquet, incidere posse casum, quo restitutio impossibilis, ac proinde necessaria non est; nempe quando res ablata non amplius est in potestate nostra; quo casu tamen restituendi animum, quamprimum facultas est, adesse debere diximus: quia si animus ille non adsit, res ablata, etsi in nostra non sit potestate, animo tamen detinetur. Præter hunc casum, & alii esse possunt, qui restitutionis necessitatem abolent: quales sunt, libera debiti remissio per eum cui debetur facta, non per vim, fraudem, & metum extorta: tum & æquivalens commodum compensationis loco creditori collatum.

CAPUT XL.

De Gaudio Spiritus.

Virtutes derivantur.

I. CHaritas & Justitia, tanquam duæ virtutes primariæ, varias ex se producunt virtutes, quarum aliæ majorem cum Charitate, aliæ cum Justitia communionem habent. Inter eas autem hæc est differentia. Quæ ad Charitatem referuntur, respiciunt propriè officium indebitum & gratuitum. Ex Justitia autem quæ ortum ducunt, præscribunt officium, ad quod jure aliquo obligati sumus.

Vel ex charitate

II. Virtutes ex Charitate derivatæ considerant proximum, vel ut nobis amicum, saltem non inimicum: vel ut inimicum, seu qui injuriâ nos affecit. Priores occupantur, vel officiis quibusdam quibus proximo inservitur, ejusque bonum promovetur; vel speciatim de suo aliquid jubent largiri proximo. Cùm autem proximi bonum aliud sit spirituale, aliud corporale; hinc rursus officiorum nostrorum varietas exoritur. Circa spiritualia proximus considerari potest, vel ut officium suum ritè faciens, aut saltem dispositus ad id faciendum; vel ut officio suo non fungens, seu ut peccator. In priore statu locum habet Gaudium spiritus, cujus Apostolus mentionem facit *Gal.* V. 22. In posteriore, Correptio fraterna. Circa corporalia, imò quævis bona, occupatur Benevolentia (ad quam etiam referimus Hospitalitatem) & Pacis studium. Virtus, quæ de suo aliquid proximo largiri jubet, est Beneficentia. Quæ proximum considerat ut inimicum, seu à quo læsi sumus, est Mansuetudo.

Vel ex justitia.

III. Quæ ad Justitiam referuntur, dirigunt officia, ad quæ obligati sumus, vel jure communi; nim. Candor & Veracitas: vel promisso ac contractu nostro, ut Fidelitas: vel beneficio alterius, ut Gratitudo. De singulis ordine agemus.

Gaudium spiritus.

IV. Gaudium spiritus est virtus, quâ quis alacri animo ac gaudio plenus in virtutis curriculo procedit, ut ita alii ex ejus factis gaudium percipiant: id est, ejus exemplo incitentur ad imitationem, & sic gaudendi materiam habeant. Vocatur autem *gaudium*, per metonymiam effecti pro causa, quia gaudium in proximo producit. Et licet semper ejusmodi gaudium in proximo non sequatur; quia tamen ea illius natura est ac vis, ut gaudium excitet, meritò eo nomine appellatur. Hanc virtutem Apostolus vocat *gaudium*, *Gal.* V. 22. & ponit inter fructus spiritus: intelligi enim virtutem, quæ proximum respiciat, virtutum ab Apostolo commemoratarum series indicare videtur: collocatur quippe inter virtutes quæ ad proximum referuntur. Idem gaudium commendat *Rom.* XIV. 17. *Non est regnum Dei esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto:* Gaudium nempe, quo alacres sumus in virtute, aliisque læti ac hilares obsecundamus, quò sic & illi gaudendi materiam habeant: quod & confirmat ratio adjuncta *vers.* 18. *Qui enim in hoc servit Christo* (nempe quod fratrem propter cibum non contristet, ut est *vers.* 15.) *placet Deo, & probatus est hominibus.*

Officia ejus sunt: 1. Aliis vitæ sanctæ exemplo prælucere.

V. Virtutis hujus officium est duplex potissimum. Prius: Non tantum institutione & adhortatione, sed & potissimum exemplo vitæ sanctioris & severioris, aliis lucis instar prælucere, salutis viam monstrare, & ut in ea alacriter progrediantur excitare. Christianus siquidem non sui tantum causâ, & ut propriam solummodò operetur salutem, gratiâ Dei vocatus est ad fidem, & à peccatorum sordibus liberatus; sed & aliorum, quibus exemplo bono prælucere potest. Sic præcipit Dominus *Matth.* V. 16. *Ita luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Phil.* II. 15. *Ut sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ & perversæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Similia vide 1. *Pet.* II. 12. Experimento

to enim constat, sanctam Christianorum vitam homines à fide alienos subitò convertisse; ita ut ex hostibus evaserint fidei defensores. Sicut è contrario nihil magis fidei promotioni obest, quàm professorum ejus vita profana ac impia, & professioni non respondens: inde enim facile in eam opinionem inducuntur homines, ut credant, aut doctrinam non adeo esse sanctam atque venditatur; aut ipsos illius professores ipsi fidem ex animo non habere. Quod utrumque dici non potest quantum veritatis promotioni obsit. Hinc Apostolus *Tit.* II. 5. præcipit junioribus fœminis, ut officio suo sedulò incumbant, hâc additâ ratione, *ut non blasphemetur verbum Dei.* Et ipse de se testatur 2 *Corinth.* VI. 3. quod *nemini ullam dederit offensionem, ut non vituperetur ministerium* ipsius.

Quibus hoc potissimum incumbat. VI. Officium hoc commune quidem est omnibus Christianis, præcipuè tamen illis incumbit, qui vel ætate, vel donis, vel munere aliquo eminent. Quia inferiores à superioribus pendere solent, eorumque exemplum sibi vitæ normam credere, quam tutò sequantur: juxta illud Salomonis: *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios, Prov.* XXIX. 12. ideoque & eorum officium est, bene præeundo aliis exemplum, quod imitentur, præbere. Imò quò quis magis eminet, eò studiosius officio suo incumbere debet; quoniam magis est conspicuus, minusque latere potest.

Quo casu virtutes suas aliis commemorare liceat. VII. Quæret forte quis: An ergo homo Christianus virtutes suas prædicare, aliisque indicare debeat, ut ipsis exemplo sint? Resp. Sicut omnis ostentatio boni operis, cum in finem ut ab hominibus videaris, vitiosa est, illiusque omne pretium coram Deo exstinguit, *Matth.* VI. 1, 2. *& seqq.* ita etiam inanem illius prædicationem, ut ab hominibus laudem consequaris, esse illicitam & vitiosam: idem enim ostentationis genus est. Attamen sicut Christiani est, in luce ambulare, omnibusque suis factis testatum facere, se Christi esse discipulum, & ad Christi præscriptum vitam suam componere, ut alii occasionem habeant Deum glorificandi & exemplum illud virtutis imitandi; ita etiam quandoque Christiano homini licitum est facta sua aliis narrare; non ut inde laudem ipse consequatur, sed ut alii ad imitationem excitentur. Distinctio autem quædam operum nostrorum facienda est: alia siquidem publica sunt, alia privata. Publica, quia ex conditione sua ad aliorum notitiam perveniunt, possunt, imò &, pro temporum & negotiorum ratione, aliquando debent aliis modestè & prudenter indicari, ut qui officio suo desunt, aut in eo præstando segnes sunt, exemplo nostro ad debitam officii sui præstationem incitentur. Ita potest quis, ubi officium aliquod pluribus commune præstandum est, aliis segnioribus, aut planè se illi subtrahentibus, commemorare quatenus ipse officio suo functus sit: ut exemplo suo illos ad imitationem alliciat. Privata verò non nisi summa cum prudentia commemoranda sunt; nec alio casu, nisi quando probabilem ex illa commemoratione proximi ædificationem speramus: aliàs silentio premenda sunt, quia ex conditione sua non sunt destinata ut necessariò aliis innotescere debeant: ne, si illa commemoremus, aut inanem gloriam sectemur, aut saltem illius speciem præbeamus.

VIII. Alterum officium est; Ut in omnibus actionibus, quæ ad proximi notitiam probabiliter perventuræ sunt, nos illi accommodemus, quantum per præcepta Dei licet; ut ita proximum Deo lucrifaciamus. *2. In omnibus se proximo accommodare.* Quod de se prædicat Apostolus Paulus, 1 *Cor.* IX. 19, 20, 21, 22. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem: Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer,* &c. Tandem concludit, *Omnibus omnia factus sum, ut omninò aliquos facerem salvos.* Hæc autem accommodatio maximè conspicitur, quando homo fidelis in alterius fratris infirmi gratiam abstinet ab usu rerum aliàs non illicitarum, sed indifferentium, quando videt, se, si libertate sua utatur, fratri scandalo futurum. Hoc *Rom.* XV. 2. vocatur *placere proximo ad ædificationem*: id est, facere id ex quo proximus ædificari, ac proinde gaudendi materiam habere potest: illique opponitur, *placere sibi*, quod est, suum tantum commodum & voluptatem spectare. Sic & dicitur; 1 *Cor.* XIII. 5. *Non quærit charitas quæ sua sunt.* Huc etiam refer Apostoli mandatum, *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*; 1 *Cor.* X. 24. & *Phil.* II. 4. Hac enim ratione omnes nostræ actiones in proximi commodum diriguntur, ejusque salus, etiam cum proprii commodi aut voluptatis abnegatione, quantum in nobis est, procuratur.

IX. Vitia, gaudio huic opposita, peccant vel in defectu, vel in excessu. In defectu peccat Tristitia, quæ nobis ejusmodi est vitium, quo alium quis contristat; id est, ea facit, quæ naturâ suâ eo tendunt, ut alter in peccatum inducatur, atque ita materiam tristitiæ habeat. Pessima illius species est Seductio, quando quis vel præcepto, vel suasione, vel muneribus alium inducit ad peccandum. Estque hoc peccatum planè diabolicum: diaboli enim est, homines tentare, & ad peccandum sollicitare, seu seducere. *In defectu peccat Tristitia. Ejusque species, seductio.*

X. Sed est & alia Tristitiæ species; quando quis committit peccata enormia & sanctissimis Jesu Christi legibus contraria: *Alia illius species.*

ea enim naturâ suâ eò tendunt, vel ut religio Christiana blasphemetur, vel ut alii non satis in virtute radicati, illo exemplo ad similem impietatem invitentur. Vel etiam, quando quis intempestivè libertate sua abutitur, faciendo quæ licita quidem sunt, sed tamen alteri illicita creduntur. Hæc enim actio comparata est, ut frater infirmus vel à religione Christiana alienior reddatur, vel ut exemplo ipsius provocatus, reclamante, vel saltem dubitante, conscientiâ quid faciat, atque ita peccato se obstringat. Sed de hac Tristitiæ specie plu ribus dicemus, quando de rerum adiaphorarum usu dicturi sumus. Nunc potissimum respicimus peccata in sanctissimam Christi religionem commissa, quæ & alios ad peccandum inducere comparata esse, exinde evidentissimè liquet; quod plerique homines exemplo ad peccandum inducantur. Hæc sola ratio est, cur adeò sollicitè moneamur, ne improbis commisceamur, ne exemplum ipsorum contagione nobis noceat. Præcipuè autem nocent exempla superiorum, qui potestatem in nos habent, nobis conjuncti sunt, aut donis quibusdam eminent; quales sunt Magistratus, concionatores, & præcipuè parentes, quorum exemplâ liberi quotidie domi ante oculos habent. Pulchrum judicatur à liberis, parentum vestigiis insistere, ab usque vitæ exemplum capere. Vitâ itaque improbâ tenellis liberorum animis, dum parentum facta imitantur, peccati amor instillatur, qui diuturnâ consuetudine confirmatus postea omnia remedia respuit, liberosque in malo obduratos reddit.

Tristitia alia laudabilis. XI. Ab hac autem Tristitia ea separanda est, quæ in homine pio exoritur ex conspectu peccatorum alterius, quâ pius dolet, hominum improbitate Deum contumelia affici, ipsosque propriæ infoelicitatis esse fabros: qualis fuit in Lotho, cujus anima justa de die in diem cruciabatur conspectu iniquorum operum quæ committebant Sodomitæ, 2 *Pet.* II. 8. & in Davide, qui de se dicit, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam*: *Psal.* CXIX. 136. Hæc enim virtus est laudabilis, imò signum zeli pro honore Dei, odii intensi erga peccatum, & amoris ferventis erga salutem aliorum. Hæc autem, de qua nos agimus, tristitia est vitiosa, utpote cujus causa est peccatum, ad quod proximus exemplo nostro inductus est.

In excessu, nimium aliis placendi studium. XII. In excessu peccat nimium aliis placendi studium, quo quis ita aliis gratificari studet, ut interim voluntatem Dei negligat. Illud reprehendit Paulus in Petro *Gal.* II. 11, 12, 13, 14. & ab eo vitio se immunem profitetur, *Gal.* I. 10. *Si hominibus placere studeam, utique servus Christi non sum.* Huc refer omnes, qui quid ommittendum faciunt, aut faciendum omittunt, ex quo sequitur peccatum, vel quo saltem luculentam peccatum committendi occasionem præbent. Sicuti enim seductores directè, ita hi indirectè cooperantur cum aliorum peccatis. Ille enim per interpretationem moralem peccato cooperari dicitur, qui debitam ad illud cavendum aut impediendum diligentiam non adhibet.

Ejus species prima. XIII. Hac ratione peccant Primò: Parentes, Magistratus, Concionatores, Præceptores, quando circa eos, quibus præpositi sunt, officium non faciunt in monendo, præcipiendo, aut peccata commissa castigando. Hoc vitium reprehenditur in Eli, *quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuit eos*, 1 *Sam.* III. 13. Vide & egregium locum *Ezech.* XXXIII. 6, 7, 8. Et ab eo se immunem profitetur Paulus *Act.* XX. 26, 27. *Contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Imò omnes, qui officium correptionis fraternæ omittunt, aut fratrem animo peccatum agitantem conspicientes, non sistunt, ejusque concupiscentiam quantum in se est sanis consiliis non exstinguunt.

Secunda. XIV. Secundò. Qui peccatum jam commissum approbant suo consensu: quod de Ethnicis dicitur *Rom.* I. 32. Illa enim consequens approbatio indicium est indubitatum, ipsum etiam, si commoda fuisset oblata occasio, socium in peccando futurum fuisse, ac proinde si non actu ipso, animo saltem peccatum illud commisisse: tum & peccatores in peccato obstinatiores reddit, quando id aliorum consensu approbari vident, sibique tanquam re bene gesta applaudi.

Tertia. XV. Tertiò. Qui, licet verbis aliorum peccatum non approbent, reipsa tamen idem faciunt quasi approbarent, id est, dissimulant peccatum, quin & se peccatoribus socios adjungunt, non quidem ut unà cum ipsis peccatum illud operentur; sed sua præsentiâ ac dissimulatione & societate ipsis fiduciam præbent in peccato porrò progrediendi, atque ita peccatores magis magisque in peccato suo confirmant. Tales sunt, qui veritatis quam approbant professoribus, quos injustè oppressos agnoscunt, desertis, ob causas hujus seculi se adjungunt ipsorum persecutoribus, speciemque non tantum præbent approbatæ falsitatis & injustæ oppressionis, sed & discessu suo veritatis ac justitiæ patrocinium destituunt, ejusque oppressores suo accessu confirmant & confidentiores reddunt: peccantque manifestissimè contra præceptum Apostoli *Eph.* V. 11. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

CAPUT XLI.

De Correptione Fraterna.

Correptio fraterna & ejus necessitas.

I. QUando proximus peccavit, locum habet Correptio fraterna, qua peccatum ejus redarguitur, ipseque officii sui admonetur, ut peccato agnito se convertat. Est opus charitatis; quia licet durum videatur peccata redargui, profert tamen fructum resipiscentiæ, qui tendit ad salutem; hinc dicitur *Jacob.* v. *ult. qui hominem ab errore viæ suæ convertit, animam liberare à morte, & multitudinem peccatorum operire.* Est etiam laboriosum, quia facile hominem reddit ingratum & exosum; vix enim vitia sua redargui homo æquo animo patitur: illam ergo aliorum aversionem ultrò in se suscipere, ut eorum bono inservias, ipsorumque animas è morte liberes, eximiæ charitatis est. Sed & est officium quammaximè necessarium. Solet enim peccatum facile spiritualem torporem inducere, è quo homo difficillimè sponte evigilat: nisi itaque ab alio corripiatur, facile seductione peccati indurabitur. Exemplum illustre habemus in Davide, viro aliàs secundum cor Dei, quem torpor ejusmodi spiritualis ita occupaverat, ut adulterium & homicidium suum, etiam quando à Nathane prophetâ per similitudinem ipsi indicaretur, non deprehenderit, donec tandem expressè monitus se parabolâ illa designari, peccatum suum agnovit, confessus est, & emendavit. Hinc & nobis tam serio præscribitur, *Gal.* v I. I. *Eph.* v. II. & imprimis I *Thess.* v. 14. *Corripite inordinatè viventes. Hebr.* III. 13. *Adhortamini alii alios quotidie, donec bodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallocia peccati.* & *Cap.* x. 24. *Consideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum.*

Quatuor circa eam inquirenda.

II Ut autem distinctè de ea agamus, inquiremus. 1. Erga quos institui debeat. 2. A quibus. 3. Quomodo debeat adhiberi. 4. Ac tandem, quomodo recipi.

1. Erga quos instiui debeat.

III. Primò. Institui debet primò ac præcipuè erga fratres in peccatum prolapsos, cujus pœnitentiam non agunt, seu inordinatè se gerentes; hinc vocatur Correptio fraterna: ita Gal. VI. I. 2 *Thess.* III 14, 15. Illi enim nobis absolutè sunt proximi, eorumque cura proximè nos spectat. Cum autem, proh dolor, fraternitas illa à plurimâ Christianorum parte intra peculiaris cœtus sui membra coarctatur, potissimum qui ejusdem sunt cœtus concernit, ita tamen, ut semper æquitatis ac charitatis Christianæ memores parati simus omnia charitatis officia etiam aliis cœtibus exhibere, si modò fraternitatem nostram non respuant, & officia charitatis nostræ admittant. Non enim intra cœtus nostros privatos consistendum, quin imò officium hoc etiam ad extraneos & infideles extendendum; 1. Quia illi (ut ante vidimus) etiam sunt proximi nostri. 2. Quia officia charitatis corpus concernentia etiam infideli illis indigenti sunt exhibenda, multò ergo magis actio charitatis spiritualis. 3. Quia qui maximè aberrat etiam maximè institutione nostra indiget.

Quid requiratur, ut necessaria sit.

IV. Ut autem hæc correptio necessaria sit, requiritur, 1. Notitia peccati moraliter certa, id est, illis nitens probationibus, quæ sufficiunt ad viro probo ac gravi fidem faciendum. Suspicio hic non sufficit; quia admonitorem de peccato incertum relinquit, ac proinde feriæ admonitionis sufficiens non est fundamentum. 2. Spes alicujus fructus; hominem enim desperatæ improbitatis, ac correptionem protervè contemnentem, monere, planè inutile est. Hinc *Proverb.* IX. 7, 8. *Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te.* Et Servator *Matth.* VII. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.*

2. A quibus instituenda debeat.

V. Secundò. Spectat hoc officium omnes fideles; omnibus enim sine exceptione dictum est, *admonete alii alios donec hodie nominatur*: præcipuè tamen iis incumbit, qui vel ratione muneris, vel donorum excellentium, aptiores sunt ad officium hoc cum fructu præstandum; illi enim speciali quadam directione ad id à Deo videntur ordinati. Ita *Ezech.* XXXIII. & XXXIV. Sic requirit Apostolus *Tit.* II. 4. ut *anus prudentiam doceant adolescentulas.* Hoc autem imprimis spectandum, ut qui alium redarguit, ab illo, aut graviore crimine, immunis sit; alias redargutio non tantum erit inutilis, sed & redarguenti ignominiosa, juxta *Matth.* VII. 3, 4, 5. Potest tamen a tali etiam redargutio cum fructu institui, si adsit singularis pœnitentiæ professio, eamque vitæ emendatio consequatur, Sicut enim exemplo suo, ita etiam redargutione peccantem ad resipiscentiam provocare potest; quin & suæ resipiscentiæ exemplo redargutioni suæ non leve pondus conferre

3. Modus quo adhiberi debet. Primus.

VI. Tertiò Modus quo adhiberi debet, varius est. Primò. Fundari debet in verbo Dei, tanquam unica vitæ morumque norma: *Coloss* III. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia: docentes & commonentes alii alios*; id est, ita ut alii alios docere & commonere possitis.

Secundus.

VII. Secundò. Debet charitate fraternâ perfundi, & verborum lenitate condiri: plerumque enim peccatorum enumeratio homini gravis est, nec æquo animo recipi solet, nisi accedat persuasio, à nostri amante eam

te eam proficifci: afperitas autem verborum folet exacerbare, non emendare; utpote quæ ex odio proficifci creditur; & reprehenfionem aliàs non fuavem fuâ acrimoniâ reddit planè ingratam. 2 *Cor.* 11. 4. inquit Apoftolus: *Ex multa tribulatione & anguftia cordis fcripfi vobis per multas lachrymas; non ut contriftemini, fed ut fciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Hinc monet *Gal.* VI. 1. ut, *fi aliquis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, qui fpirituales fint eum inftruant fpiritu lenitatis.* Et 2 *Theff.* III. 15. ut talem *non exiftiment tanquam inimicum, fed corripiant ut fratrem.* Et 2 *Tim.* II. 25 ut *cum modeftia corripiantur illi qui refiftunt veritati.* Interim negari nequit, aliquando acriorem debere effe objurgationem, pro ratione impietatis & pervicaciæ. Ita Joannes Baptifta *Matth.* III. 7. Pharifæos vocat *viperarum progeniem*: & Dominus Jefus paffim *hypocritas*, *Matth.* XV. & XXIII. Quemadmodum qui lethargo laborant vellicari, tundi & pungi debent, ut excitentur: ita & fpirituali lethargo correpti acrius fubinde increpari debent, ut fe peccatores fentiant, peccataque fua agnofcant. Cautè tamen exempla hæc nobis imitanda funt; quia nos non ita liberi ab affectibus, & fæpe magis noftræ quàm divinæ gloriæ zelo ducimur.

Tertius. VIII. Tertiò. Debet dirigi prudentiâ, quæ opportunitatem temporis, & reliquarum circumftantiarum convenientiam docet indagare; aliquando *opportunè importunè inftandum eft*, 2 *Tim.* IV. 2, aliquando opportunitas prudenter eft captanda, & homo officii fui admonendus, non quando in æftu concupifcentiæ eft, fed quando verifimile eft, monitiones noftras aliquo cum fructu ab ipfo excipiendas. Sed & peccatorum quædam eft habenda ratio: occulta clam, manifefta palam redarguenda funt: 1 *Timoth.* V. 20, 24, 25. Maximè verò perfonarum: aliter enim qui præoccupantur peccato aliquo monendi funt, aliter qui præmeditato animo peccant, aliter qui rarò, aliter qui fubinde & ordinariè peccant: aliter feniores, aliter æquales; aliter juniores corripiendi funt. Maximè autem cavendum, ne parentes redarguantur coram liberis, aut Magiftratus coram fubditis, quia publica correptio eorum auctoritatem minuit. Nathan Davidem clam nomine Dei reprehendit, 2 *Sam.* XII. & Samuel regem Saulem, jam à Deo propter peccata fua rejectum, honoravit coram fenioribus & populo Ifraël, 1 *Sam.* XV. 30, 31.

Quartus. IX Quartò. Debet roborari perfeverantiâ, ut ita tandem proximus lucrifiat. Ita Petrus 2 *Epift.* I. 13. *Juftum arbitror, quamdiu fum in hoc tabernaculo, fufcitare vos in commonitione.* *Hebr.* III. 13. *Monete alii alios donec hodie nominatur.* Item *cap.* X. 24, 25. Quæft. Sed quid fi proximus fit obftinatus omnefque reprehenfiones irritæ? Refp. 1. Non temerè quifquam pro obftinato habendus eft, neque fpes de ejus converfione penitus abjicienda; aliud fuadet charitas, quæ *omnia fperat*, 1 *Cor.* XIII. 7. 2. Fateor tamen quofdam pro talibus haberi poffe, qui moniti, non tantum non emendantur, fed & monitiones rident, ut Pharifæi, *Luc.* XVI. 14. & monitores oderunt. 3. Tales tamen & feriò & fæpe monendi funt, antequam de eorum pervicaciâ conftare poffit; & ubi videmus eos non emendari, acrius quandoque increpandi funt; ita tamen, ut abfit iracundia ac convitium, & acrimonia illa femper charitate perfundatur. 4. Tandem fi omnes monitiones fruftra fint, ipfique non tantum magis magifque in malo obdurentur, fed & in monitores fuos infurgant, valere debet Jefu Chrifti monitum, *Matth.* VII. 6. *Nolite dare fanctum canibus*, &c.

X. Quintò. Nec ullum fubterfugiendum periculum, aut odium hominum, monitiones noftras indignè ferentium. Ita Elias non reveritus eft perfecutionem Jefabelis, nec Joannes Baptifta Herodis. Sic & monemur 1 *Joan.* III 16. *vitam pro fratribus effe ponendam*; id eft, vitæ difcrimen adeundum, ut peccantem fratrem convertamus. Et huc accendere nos debet ingens admonitionis noftræ utilitas; quia *peccatorem convertentes, animam ejus fervamus à morte*, *Jacob.* V. *ult.* Quintus.

XI. Quartò. Recipi debet in charitate & fanctâ æftimatione, tanquam falutaris animæ noftræ medicina, & ex fincero erga nos amore profecta; 1 *Theff.* V. 12, 13. *Obfervate eos qui monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* 2. Cum humilitate: *Hebr.* XIII. 22 *Rogo, fratres, ut fufferatis verbum folatii.* 3. Cum fructu refipifcentiæ, ut femper nobis cedat in medicinam; *Hebr.* III. 13. *Monete alii alios, ne quis induretur feductione peccati.* Vel etiam in cautelam, ut moniti poftea cautius ambulemus. 4. Quomodo recipi debeat.

XII. Vitium huic virtuti oppofitum eft fermè idem cum eo quod Gaudio fpiritus opponi diximus, nimirum aliis placendi ftudium, quo fit, ut, ne alios offendamus, vitia ipforum æquo animo feramus, perinde ac fi cura fratris nihil ad nos fpectaret: prout Cain ore impio dicebat, *Genef.* IV. 9. *Num cuftos fratris fum ego?* Sed & ab altera parte hipocrifis illa, quâ quidam, ut ipfi fanctiores videantur, aliorum lapfus & nævos folent acerbè exagitare, & rigidos fe exhibere eorum cenfores, non tam ut illi emendentur, quàm ut cultus quofdam à fe excogitatos ipfis tanquam neceffarios imponant: quafi in illorum obfervatione apex pietatis collocatus foret, eorumque neglectus extremæ impietatis fignum. Id vitium egregiè taxat Dominus Jefus in Pharifæis, Vitia oppofita.

Matth. VII. 3, 4, 5. Etiam, qui aliorum peccata apud alios solent exagitare, & exaggerare, imò sæpius de occultis animi consiliis judicare, & quod in benignam partem accipi potest, detorquere in malam: quodque ex ignorantia aut subitâ passione profectum est malitiæ adscribere. Hoc reprehendit Jacobus *cap.* IV. 11, 12. Scopus enim talium non est emendatio fratris, sed potius fratris vilipendium, propriæque laudis affectatio.

CAPUT XLII.

De Benevolentia strictè accepta, & speciatim Hospitalitate.

Benevolentiæ officia in proximi fortuna prospera. I. Benevolentia, quæ bonum proximi corporale spectat, vel in prospera, vel in adversa ejus fortuna cernitur. In prospera commendatur *Rom.* XII. 15. ut *gaudeamus cum gaudentibus*; intellige gaudentes ob res non turpes, sed honestas, aut saltem honestati non repugnantes. Ante omnia enim inquirendum, utrum actus benevolentiæ nostræ ad animæ ipsius salutem tendat: aliàs sub benevolentiæ specie summa lateret crudelitas. Illud autem gaudium non tantum intus in animo latere debet, sed demonstrari debet verbis, aliisque signis lætitiæ externis, quibus proximo charitatem nostram demonstramus. Si autem gaudium hoc requiratur ob bona proximi corporalia, multo magis ergo ob spiritualia: hic enim non tantum majus bonum majorem gaudii materiam suppeditat, sed & in nullius detrimentum cedit; secus atque sæpe in rebus corporalibus contingit. Hoc gaudium Apostolus sæpe testatur, in Epistolis suis Deo gratias agens pro beneficiis in fideles collatis: *Rom.* I. 8. 1 *Cor.* I. 4. *Ephes.* I. 3. *Phil.* I. 3. 1 *Thess.* III. 9. & fideles Hierosolymitani, *Act.* XI. 18. Deo gratias agentes, quod etiam Gentibus dederit resipiscentiam ad salutem. Hoc gaudium Dominus Jesus prædicat de Angelis in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, *Luc.* XV. 7. Et ad id Deus fideles hortatur, *Esa.* LXVI. 10. *Lætamini cum Hierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam*; &c.

In adversis. II. In adversa fortuna requiritur, ut miseriæ ejus compatiamur: *Rom.* XII. 15. *Flete cum flentibus. Hebr.* XIII. 3. *Mementote vinctorum, tanquam simul vincti, & afflictorum, tanquam & ipsi in corpore afflicti.* Semper autem hic intelligendi sunt, qui ob justitiam, aut veritatis professionem captivi sunt, uti & ob causam piam, vel etiam à Deo variis malis, paupertate, morbis, &c. afflicti. Consistit autem hoc officium 1. in seriâ & ardenti ad Deum pro afflictis precatione: ita Ecclesia Hierosolymitana sine intermissione pro Petro captivo preces fudit, *Act.* XII. 5. & Apostolus Paulus passim se fidelium precibus commendat. 2. In eorum visitatione, consolatione, hortatione ad constantiam: ita *Matth.* XXV. 36. dicuntur justi Dominum in carcere visitasse. Vel si accessus denegetur, consolatio illa per literas instituatur. 3 Intercessione, captivi defensione, ut innocentia ejus, causæque justitia & veritas patescat: sic *Phil.* I. 16. dicit Paulus, *Quosdam Christum annuntiare ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum.* Et tandem 4. erga omnes officium generale est, ut affectus misericordiæ non sit sterilis, aut intra verba inania consistat, sed opere ipso se exerat, *Jacob.* II. 15, 16. & 1 *Joan.* III. 17.

Quibus rationibus ad ea obligemur. III. Idque exigit spirituale vinculum, quo, tanquam unius corporis membra, sub capite Christo colligati sumus: ideo addit Apostolus, *tanquam simul vincti*, &, *tanquam si ipsi in corpore afflicti essetis.* Uno enim membro patiente omnia membra simul patiuntur. 2. Proximi nostri miseria, quæ hoc officio aliquatenus levari creditur. Et 3. nostra utilitas, ut vitæ nostræ omniumque quæ in mundo sunt fragilitatem noscamus, eamque perpetuo ob oculos habentes minus diligamus. *Eccl.* VII. 3. *Melius est, ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii. In illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit.*

Vitia illi opposita. IV. Virtuti huic repugnat 1. Insensibilitas, ut sic dicam, per quam homo saxi instar alterius bonis aut malis non commovetur, omnemque humanitatis sensum exuit: quod oritur vel ex superbia, vel ex delicata vivendi consuetudine, cui quicquid voluptatem aliquomodò turbare potest molestum est. Talis erat dives ille epulo, *Luc.* XVI. 21. qui in deliciis suis Lazari miseriâ neutiquam afficiebatur. Tales reprehenduntur, *Amos.* VI. 6. *qui vinum bibunt ex phialis, & optimo unguento delibuti nihil patiuntur super contritione Joseph.* 2. Invidia seu invidentia, quâ quis dolet de bonis alterius; quod peccatum est verè diabolicum, cujusque fœditatem antea, cum de Charitate ageremus, vidimus. 3. Ἐπιχαιρεκακία quando homo gaudet malis alienis: quod pessimi animi indicium est. Sic inimici Davidis malis ejus gavisi sunt, uti variis in Psalmis David conqueritur. Pejus verò est, proximo verbis insultare, miseriamque ipsi exprobrare: id enim est misero miseriam addere, malumque ejus geminare. Tales erant Babylonii erga Israëlitas, *Psal.* CXXXVII. 3. inimici erga Davidem, *Psal.* III. 1, 2. & XXII. 8, 9. & Judæi erga Dominum Jesum in cruce pendentem, *Matth.* XXVII. 39. *&c.* Pessimè vero omnium, qui misero insuper mala alia inferunt, & afflictioni afflictionem addunt, & contumeliæ contumeliam.

meliam. Id deteſtatur Deus in Babyloniis *Eſa.* XLVII. 6. *Dedi*, inquit, *populum meum in manu tuâ: non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenem aggravaſti jugum tuum valdè.* Et *Sachar.* I. 15. *Irâ magnâ ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adjuverunt in malum.*

Hoſpitalitas. V. Ad Benevolentiam etiam referenda eſt Hoſpitalitas, quæ nobis commendatur *Rom.* XII. 13. *Hoſpitalitatem ſectamini.* I *Pet.* IV. 9. *Hoſpitales eſtote alii erga alios.* *Hebr.* XIII. 2. *Hoſpitalitatis ne eſtote immemores; per hanc enim quidam neſcientes exceperunt Angelos hoſpitio.* Et in Veteri Teſtamento, *Eſa.* LVIII. 7. *Frange eſurienti panem, & egenos vagoſque induc in domum tuam.* Et de ſe teſtatur Iobus, *cap.* XXXI. 32. *foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.*

Erga quos eaſit exercenda. VI. Hic I. inquirendum, erga quos hæc virtus exercenda ſit? In genere vocantur peregrini. Hi autem ſunt, vel noti, divites, amici & conſanguinei, quos excipimus ut ab ipſis viciſſim excipiamur: vel mercatores, qui negotiorum & lucri causâ peregrinantur, *Jacob.* IV. 13. De hiſce propriè non agitur, neque eos excipere virtus eſt illa Hoſpitalitatis, quæ charitatis Chriſtianæ pars eſt. Vel ſunt pauperes, patriâ ſuâ ejecti, ſive bello, ſive etiam aliâ gravi & juſtâ de causâ, è patriâ ſuâ profugi; uti Joſephus, qui cum Mariâ & puero Jeſu fugiebat in Ægyptum, *Matth.* II. ſive etiam naufragi; uti Paulus à Melitenſibus exceptus, *Act.* XXVIII. 2. Vel ſunt peregini religionis ergo; qui vel ſponte Euangelii prædicandi causâ peregrinationes ſuſcipiunt, uti Paulus & reliqui Apoſtoli, aliique doctores Chriſtiani: vel ob illius profeſſionem è patria ſua profugi, *Act.* VIII. I. aut etiam ejecti & proſcripti, aut in patria ſua perſecutionem ſuſtinentes. Hi poſtremi potiſſimum hujus virtutis objectum ſunt; ita tamen, ut & illi, qui juſta cauſa è patria ſunt profugi, aut bello ejecti, etiam ſint comprehendendi: non quod omnes illi in ædes noſtras ſint recipiendi, etiam ignoti, & de quorum probitate aut improbitate nihil nobis conſtat: ſed ut loca publica, in quibus Magiſtratus auctoritate excipiuntur, liberalitate noſtrâ fulciamus, aut etiam pecuniâ noſtra illis hoſpitium procuremus. Erga peregrinos autem & veritatis causâ exules ipſi omnia hoſpitalitatis officia exerceamus.

Quæ illius ſint officia. VII. Sunt autem illa I. Eos in domo noſtrâ excipere. Ita *Abraham Angelos* excepit, *Geneſ.* XVIII. & Lothus, *Geneſ* XIX. Rebecca ſervum Abrahami, *Geneſ.* XXIV. 24, 25. Lydia Apoſtolum Paulum ejuſque comites, *Act.* XVI. 15. 2. Omnia miniſteria exhibere: quæ olim ſummatim comprehendebantur lotione pedum; ſic I *Timoth.* V. 10. requirit Apoſtolus in vidua diaconiſſa, ut *hoſpitio exceperit, & ſanctorum pedes laverit.* 3. Proſpicere de neceſſariis: ita vidua Sareptana excepit Eliam, I *Reg.* XVII. 10. &c. Sunamitis Eliſæum, 2 *Reg.* IV. 8. &c. Abdias tempore Achabi prophetas Dei quinquagenos & quinquagenos abſcondit in ſpeluncis, eoſque pavit pane & aqua, I *Reg.* XVIII. 4. 4. Adverſus omnes injurias defendere: ita Lothus, *Geneſ.* XIX. 5. &c. & Gibeonita ille *Judic.* XIX. 23. &c.

VIII. Rationes hanc virtutem ſuadentes ſunt, I Communis humanitatis noſtræ ſors, ob cujus inſtabilitatem facillimè contingere poteſt nos aliorum hoſpitalitate indigere. 2. Quod hac ratione pios ac profugos è perſecutorum manibus eripimus; ita Abdias prophetas Dei, clam in ſpeluncis abſcondens, eripuit perſecutioni Achabi & Jeſabelis: idem ordinariè contingit tempore perſecutionis. 3. Quòd quidam inſcii angelos hoſpitio exceperint, *Hebr.* XIII. 2. uti Abrahamus, *Gen.* XVIII. Lothus, *Gen.* XIX. imò & ipſum Dominum Jeſum, ut diſcipuli duo Emmaunte, *Luc.* XXIV. 29. &c. 4. Quia promiſſum habet ampliſſimæ remunerationis, *Matth.* X. 40, 41. & præſertim *vers* 42. *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* & *Matth.* XXV. 36. inter cauſas ſalutis recenſetur à Chriſto, *peregrinus fui, & me excepiſtis.* *Quibus rationibus ad eam excitemur*

IX. Vitium huic virtuti oppoſitum eſt Inhoſpitalitas, quæ juri gentium repugnat: illiuſque varii ſunt gradus. Primus, hoſpitium, omniaque hoſpitalitatis officia, denegare. Secundus, edictis ſeveris hoſpitalitatem erga profugos & proſcriptos ob religionis profeſſionem vetare. Tertius, iſque deterrimus, hoſpitalitatis jura violare, hoſpiteſque receptos vel prodere, vel ſpoliare, vel quocunque modo injuriâ afficere. Hanc inhoſpitalitatem damnat Scriptura in Sodomitis, *Geneſ.* XIX. & in Benjaminitis *Judic.* XIX. & expreſsè dicitur *verſ.* 30. cùm hoc facinus nuntiatum eſſet tribubus Iſraël, quod ſinguli conclamaverint; *Nunquam res talis facta eſt in Iſraël, ex eo die quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, uſque in præſens tempus.* Et quam graviter Deus ejuſmodi factis offenſus fuerit, pœna tam in Sodomitas quàm tribum Benjamin ſtatuta evidentiſſime declarat. *Oppoſitum, inhoſpitalitas.*

CAPUT XLIII.

De Pacis Studio.

I. AD Benevolentiam etiam refertur Pacis ſtudium: etenim & mala aliis inferre prohibet, & eorum bona procurare jubet. Pax eſt conjunctio animorum & vi- *Pacis ſtudium.*

& vitæ, quâ fit ut alter alteri quævis officia charitatis præstet. Pacis itaque studium est virtus illa quæ animos unit, vitæque illam conjunctionem procurat.

Pax est officium mutuum. II. Est autem pax officium mutuum, quod ad minimum intercedit inter duos, ac proinde non nisi utrâque parte consentiente obtineri potest: & vel inter eos intercedit, quorum animi nunquam fuere divisi; vel inter eos, quorum animi per inimicitiam quidem fuere divisi, sed per pacem denuò uniti. Hinc & studium pacis potest esse vel reciprocum, quando utraque pars ea facit quæ ad pacem obtinendam requiruntur; vel non reciprocum, quando una pars officio suo fungitur ut pacem obtineat, altera vero officio suo aut planè deëst, aut non ita ut oportet incumbit.

Est duplex. III. Ut autem distinctius de pacis studio agamus, considerandum id occupari vel circa res, quæ civilem hanc vitam, vel quæ religionem concernunt: prior pax Civilis, altera Religiosa seu Christiana vocatur, seu Ecclesiastica.

1. Civilis. IV. Quod attinet pacem Civilem seu corporalem (ut sic dicam) ea commendatur *Rom.* XII. 18. *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.* & *Hebr.* XII. 14. *Pacem sectamini cum omnibus.* &c. ubi vox *omnibus* de pace civili hic agi indicium est. Intercedit autem illa pax vel inter particulares; vel est plurium cum pluribus. Et sic rursus vel est unius cœtus iisdem legibus utentis, ex: gr. unius regni, civitatis, &c. cum alio; & opponitur bello, vel est membrorum unius cœtus, civitatis, regni, &c. inter se; opponiturque discordiis & factionibus. Porrò pro ratione graduum perfectionis aut imperfectionis, pax vel in externa status tranquillitate consistit, quâ quisque tranquillè sua possidet, etsi animi conjuncti non sunt: hac ratione pax dicitur esse, ubi dissensio nondum in aperta schismata erupit: vel etiam est interna, animorum sinceram conjunctionem complectens.

Duo ad eam requiruntur. V. Ad hanc virtutem ergo duo requiruntur. I. Animus pacificus: II. Actiones ad pacem obtinendam comparatæ.

Animus pacificus VI. Primò. Animus pacificus; quia sine eo nulla pax nisi fucata, licet actiones videantur quam maximè ad pacem compositæ; sed externa tantum quies, quæ brevi in apertam dissensionem est eruptura. Ut autem animus sit pacificus, hæc requiruntur. 1. Ut pax sit scopus noster, non propria nostra utilitas, aut necessitas; alias illis cessantibus abrumpitur pax: estque hæc pax, pro maximâ rerum hujus mundi instabilitate, maxime infida, magisque externa tantum tranquillitas, aut cessatio ab operibus hostilibus, quàm vera pax. Hinc jubemur *pacem sectari*, *Rom.* XII. 18. *Hebr.* XII. 14. 1 *Pet.* III. 11. ex *Psal.* XXXIV. 15. 2. Ut pacem amemus atque tranquillitatem: hunc in finem absint omnia vitia, quæ pacem turbare solent. Ac 1. quidem philautia, quæ semper ferè conjuncta est cum avaritia, quæ alienis inhiat; cum ambitione & invidiâ, cum vindictæ cupiditate, cum injustitia & crudelitate, cum luxu & amore voluptatum, ex quibus omnibus animorum dissensio oriri solet. Adsit è contra modestia, & præsertim mansuetudo ac longanimitas, quæ animos conciliare solet, & non tantum ultrò non lacessit alterum, sed nec lacessita vicem rependit. Hinc jubemur *Rom.* XII. 16. *id ipsum invicem sentire, non alte sapere, sed humilibus consentire.* 1 *Cor.* XIII. 5. *Phil.* II. 3, 4. *Nihil per contentionem aut inanem gloriam facite; sed in humilitate superiores invicem arbitramini; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.* & *Jacob.* III. 14, 15, 16, 17. & *cap.* IV. 1. *Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis: occiditis & zelatis*, &c. 2. Suspicio, quæ omnia aliorum in sequiorem partem interpretatur, atque ita animum ab iis alienum reddit: 1 *Corinth.* XIII. 5. *Charitas non cogitat malum*: Et obtrectationi & calumniæ facile auscultat; hinc *Syrach.* XXVIII. 15. *Susurro & bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.*

VII. Secundò. Actiones ad pacem obtinendam comparatæ. 1. Ut ab injuria alterius abstineamus. 2. Ut ejus commoda pro virili augere studeamus: ejusque animum beneficiis nobis obstringamus. Ita *Rom.* XII. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum illi da; prunas enim congregabis super caput ejus*: id est, mollies animum ejus ac flectes ad pacem, non aliter atque dura igne liquescere solent: vel, produces in ipso dolorem ac pœnitentiam, quod in te hostili animo fuerit, 3. Ut communia onera libenter feramus. 4. Ut sermonibus amicis, & quavis humanitate aliorum animos nobis conciliare studeamus: nam *responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem. Proverb.* XV. 1. 5. Tandem, ut ea patienter feramus, quæ communis vita adferre solet incommoda; quæque evitari nequeunt, nisi in totum aliorum hominum consortio valedicamus. *Et actiones ad pacem comparatæ.*

VIII. Verùm quoniam, uti ante diximus, pax est officium mutuum, & ad minimum intercedit inter duos, ac proinde non nisi utraque parte consentiente haberi potest, requirit hæc virtus, non ut semper pacem habeamus; id enim in potestate nostra non est; sed ut nos omnia à nostra parte conferamus ad pacem requisita. Hinc *Rom.* XII. 18. *Quantum fieri potest, quantum in vobis est, pacem sectamini cum omnibus* Duplex innuens *Non requiritur ut semper pacem habeamus.*

pacis

pacis posse esse impedimentum præter culpam nostram. Unum à parte rei, id est, nisi pietas, justitia, aliave virtus paci obstet: puta, si alius pacem nolit, nisi pietati aut fidei renuntiemus, atque ita adversus Dei mandata peccemus: hinc *Hebr.* XII. 14. dicitur *cum sanctimonia:* innuens sanctam esse debere pacem. 2. A parte nostri, quantum res nostræ & justum quod nostris debemus patrocinium permittit. Vel etiam, *quantum in nobis est*, id est, à parte vestra semper animum ad pacem paratum adferte, ita ut si pacem non obtineatis, culpa non sit penes vos, sed penes proximum à pace alienum.

Quid faciendum, dum pax adhuc viget. IX. Possumus autem pacem sectari vel dum adhuc viget, vel postquam dissensione aliquâ dirupta est. Si pax adhuc obtinet, exigit hæc virtus, ne ipsi pacem rumpamus, aut alteri justam pacem abrumpendi causam præbeamus: *Syrach.* XXVIII. 10, 11. *Abstine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos*, &c. 2. Licet alius à suâ parte omnia faciat, quæ ad pacem dirimendam comparata sunt, ipsi tamen, etsi justa nobis causa data videatur, non alienemur; sed omnia in meliorem partem interpretemur. Pacem cum pacificis colere, seu benefacta benefactis rependere, vulgare est; cum contentiosis verò hoc verè est heroicum & Christianum. *Matth.* V. 46, 47.

Quid; quando disturbata est. X. Vel quando jam seu vitio nostro, seu alterius rupta est. Si vitio nostro, officium nostrum est omnia facere quæ ad reconciliandum proximum requiruntur, seu excusando factum, seu culpam deprecando, seu injuriam reparando: sic subet Dominus *Matth.* V. 23. ut ante altare stantes, & cogitantes fratrem nostrum aliquid contra nos, id est, justam de nobis conquerendi causam habere, prius antequam donum nostrum offeramus, illi reconciliemur; hoc est, omnes æquæ reconciliationis conditiones à parte nostra offeramus. Si proximi vitio pax rupta est, illeque errorem suum agnoscat, ejusque veniam oret, nostrum est, duros nos non exhibere & implacabiles; sed ad condonandum pronos: *Matth.* VI. 14, 15. *Coloss.* III. 12, 13, 14. uti & *Eph.* IV. 31, 32. Si errorem non agnoscat, tamen à parte nostra placabiles oportet esse, & datâ occasione animum ejus beneficiis mollire, semperque paratos ad pacem redintegrandam. In pacis enim studio proprio commodo sæpe renuntiandum est, & quia plerique propriis solent commodis studere, hinc pax diu obtineri nequit, nisi adsit animus sua commoda pacis promotioni & conservationi postponendi; & jure suo renuntiandi. Ita Abraham, ne inter se & Lothum dissensio oriretur, Lotho optionem dat, in quamcunque vellet partem discedendi, *Genes.* XIII. 8, 9. Si vero uterque in culpa est, animorumque dissolutio non est facta, sed potius subitus quidam paroxysmus animos præter utriusque exspectionem vehementiâ suâ divulsit, uti in Paulo & Barnabâ contigit, *Act.* XV. 39. facile affectus vehementiâ sedatâ animi rursum consolidari possunt.

XI. Pacem hanc suadent 1. Ejus æquitas: quia homines, qui ratione naturalis suæ originis sunt fratres, *Genes.* IX. 5 *Act.* XVII. 26. nihil magis decet quàm pax. 2. Necessitas: quia eam Deus nobis mandavit: *Marc.* IX. 50. *Pacem habete inter vos. Rom.* XII. 18. *Hebr* XII. 14. & dissensiones inter opera carnis collocat, *Gal.* V. 20. *Jacob.* III. 13, 14. &c. 3. Propria nostra utilitas: quia, ut ait Servator, *Matth.* XII. 25. *Omne regnum divisum contra se desolabitur*, &c. *Gal.* V. 15. *Quod si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Sine hac vita nec tranquilla, nec dulcis est: perinde uti iis, qui in perpetuo fumo sunt, oculi dolent; ita etiam optimarum rerum voluptas litibus destruitur. *Proverb.* XVII. 1. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio.* Hinc & studium pacis inter ea collocatur, quæ vitam faciunt beatam, *Psal.* XXIV. 15. 4. Multa per eam peccata evitantur: *Syrach.* XXVIII. 10. *Abstine te à lite, & minues peccata.* Et tandem favorem Dei ejusque benedictionem conciliat: quia Deus passim vocatur *Deus pacis*, 1 *Corinth.* XIV. 33. 2 *Corinth.* XIII. 11. 1 *Thess.* V. 23. *Hebr.* XIII. 20. & Christus *princeps pacis*, *Esa.* IX. 5. Hinc pax comparatur rori, *Psal.* CXXXIII. dominusque pacificis dicit, quod *filii Dei vocabuntur*, *Matth.* V. 9. *Rationes pacem suadentes.*

XII. Ecclesiastica seu spiritualis pax est inter ejusdem Ecclesiæ membra, quæ salutarem Domini Jesu doctrinam profitentur; eos enim in unum corpus collegit Dominus noster Jesus Christus, *Eph.* II. 14, 15. & *Cap.* IV. 3, 5, 5, 6. Hanc præscribit Apostolus 2 *Timoth.* II. 22. *Pacem sectare cum iis qui invocant Dominum de corde puro.* Hanc commendat Servator ejusque Apostoli omnibus illis locis, quibus charitatem fraternam pacisque studium nobis præscribunt: *Joan.* XIII. 34, 35. XV. 12. 2 *Corinth.* XIII. 11. *Gal.* VI. 2. 2 *Pet.* I. 7. præsertim quibus unitatem & mutuam infirmitatum tolerantiam commendant, *Rom.* XIV. 19. XV. 5, 6, 7. *Eph.* IV. 2, 3, 4. &c. *Phil.* II. 1, 2, 3, 4. III. 15, 16. Et maximè quando schismata opus carnis vocant, 1 *Corinth.* III. 1, 2, 3. *Gal.* V. 20. *Jacob.* III. 13, 14. &c. Quibus tandem accedit laudatissimum Ecclesiæ primitivæ exemplum, in qua *omnium fidelium erat cor unum, & anima una*, *Act.* II. 44, 45. & IV. 32. *2. Ecclesiastica.*

XIII. Hic duo potissimum in considerationem *Duo videnda.*

tionem veniunt. 1. Cum quibus hæc pax colenda ſit. 2. Quibus officiis ſtudium hoc pacis conſtet.

1. cum quibus pax hæc ſit colenda.

XIV. 1. Illi, quibuſcum pax hæc colenda eſt, deſcribuntur 2 *Tim.* 11. 22. *quod Dominum invocant de puro corde.* Huc duo requiruntur, ut fidem ſalutarem in Jeſum Chriſtum profiteantur, & vitam actionesque convenienter regulis fidei componant.

In illis requiritur fides ſalutaris.

XV. Primum quod attinet, ad finem ſalutarem requiritur, non ut ab omni omninò errore quis immunis ſit; hoc enim ſuperat humanam ſortem, præſertim circa res obſcuras, abſtruſas, & humano ingenio imperveſtigabiles, in quibus errare pronum eſt: ſed ut ea profiteatur, quæ Scriptura ad ſalutem creditu neceſſaria præſcribit, quæque ab omnibus, qui Scripturam Sacram unicam fidei vitæque normam agnoſcunt, ubique & ſemper unanimi conſenſu credita ſunt: quæ adeo perſpicuè in Scriptura continentur, ut nemo ſine gravi culpa ea ignorare queat. Quod reliqua attinet, error, ſi quis forte circa ea ſit, modò abſit malitia & contendendi ſtudium, fidem ſalutarem non evertit. Quæ autem ſint fundamenta ſalutis fidem ſalvificam conſtituentia, jam non inquiremus: aliquatenus id à nobis eſt præſtitum, cum de Perfectione & Perſpicuitate Scripturæ ageremus; & in ſequentibus plenius docebitur. Breviter nunc dicimus cum Apoſtolo Paulo, *Act.* XVI. 31. *Crede in Dominum Jeſum, & ſalvus eris*: & *Rom.* X. 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Jeſum, & corde tuo credideris; quod Deus illum ſuſcitavit a morte, ſalvus eris*: & cum Apoſtolo Joanne, 1 *Epiſt.* V. 1. *Omnis qui credit quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Cui confeſſioni omnia illa fidei Chriſtianæ dogmata includuntur, ſine quibus Jeſus pro Chriſto agnoſci nequit, neque illi ut Chriſto obediri, promiſſis ejus confidi, comminationesque ejus metui; itemque omnia illa, quæ Scriptura alibi requirit à nobis credenda ut ſalutem adipiſcamur, & ſine quorum fide nemini ad ſalutem aditum patere pronuntiat. Quæ pauca ſunt & Scripturis clarè expreſſa. Hæc ſufficiunt. Noſtrum enim non eſt ſalutis leges præſcribere, aut arctioribus hominum conſcientias vinculis adſtringere, quàm Deus eas in verbo ſuo adſtrictas voluit; neque pacem reſpuere cum iis, quos Deus nobiſcum in æternum pacis domicilium recepturus eſt. His itaque ſalvis, error in aliis minoris momenti pacem turbare neutiquam debet: ſed ſicut nos, ſi forte inſcii in errore aliquo verſemur, amicam nobiſcum pacem coli volumus; ita & aliis noſtro judicio in errore verſantibus pacem Chriſtianam denegare non debemus.

Et vita præceptis divinis

XVI Quod ſecundum attinet, requiritur ad vitam ac mores Chriſtianos, non ut homo ab omni peccati labe purus ſit: quis enim eſt homo qui non peccat? 1 *Reg.* VIII. 46. Sed ne operibus carnis, quæ hominem è regno cœlorum excludunt, indulgeat; adeo ut ſi cupiditate aliquâ abreptus in eorum aliquod inciderit, peccatum ſuum, etiam monitus, non emendet. Illud enim animi à verâ pietate alieni indicium eſt, & cum vitæ æternæ ſpe conſiſtere nequit. Ad minora licet planè connivendum non ſit, homoque peccati commiſſi fraternè admoneri & redargui debeat; tamen eorum non adeo rigidos oportet eſſe cenſores, ut ſtatim pacem abrumpamus; ſed quamdiu improbitatis animi nobis non ſe produnt manifeſta indicia, ut fratres tractandi ſunt, eorumque reſipiſcentiam patienter exſpectanda. Uti apparet ex locis antea allatis: *Gal* VI. 1. *Inſtruite ſpiritu lenitatis.* 1 *Theſſ.* III. 15. *Non habete ut inimicum, ſed admonete ut fratrem.* & *Rom.* XV. 1. Memores infirmitatis humanæ, & quam facile nos peccato aliquo præoccupari poſſimus; noſque proprio noſtro judicio tum fore condemnatos.

reſpondens.

XVII. Studium hoc pacis ſpiritualis, præter officia, quibus pax civilis conſtat, etiam hæc requirit. 1. Ut omnes, qui in neceſſariis fidei capitibus conſentiunt, ſe mutuo non damnent, ſed alii alios pro fratribus in Jeſu Chriſto, & hæredibus vitæ æternæ agnoſcant. *Tu quis es qui alienum ſervum judicas? Domino ſuo ſtat aut cadit. Rom* XIV. 4. *& ſeqq.* Damnare enim quos Deus in verbo ſuo non damnat, eſt divinæ majeſtatis jura invadere, tribunalque Dei conſcendere. 2. Ut unam Eccleſiam conſtituant, & quæ ad illius conſervationem requiruntur diligenter & unanimi conſenſu conferant; cœtus communes habeant, preces communes ad Deum fundant, communionemque fraternitatis uſu Cœnæ Dominicæ demonſtrent; ac tandem communes ſumtus, qui gloriæ divinæ causâ ſuſcipiuntur, ſimul tolerent. Breviter, ſe mutuo majore ac ferventiore charitate, tanquam fratres in Jeſu Chriſto, complectantur. *Gal.* VI. 10.

2. Quibus officiis conſtet.

XVIII. Præter hæc officia requiritur in homine pacis ſtudioſo, ſi forte in Eccleſiâ diſſenſus de dogmate aliquo religionis oriatur, ne ipſe occaſionem det ſchiſmati; ſed quantum in ſe eſt actiones ſuas inſtituat, ut iſtud quoquo modo præcaveatur. Hunc in finem tria hæc obſervet. 1. Ne facile de diſſentiente ſuſpicetur, quod aliâ cauſa quàm conſcientiæ ſuæ teſtimonio moveatur ad diſſenſum; niſi alter id ipſe fateatur, aut indiciis manifeſtis, quibus nemo contradicere poteſt, probat. 2. Ne controverſias conetur multiplicare, ex unâ controverſia plures formet, aut quod ex occaſione ad dogmatis alicujus defenſionem dicitur, ſiniſtrè arripiat, & tanquam controverſiam capitalem recenſeat;

Speciatim in diſſenſu circa dogma quoddam religionis.

seat; ut ita dissensus videatur major, justiorque discedendi causa. 3. Tandem, ne, quando sententiam adversam consequentiis & absurdis oppugnat, eas cum sententia alterius confundat, illique sententiam, quam toto animo detestatur, adscribat. Signum enim id est animi à pace aversi, odiumque ac schisma spirantis. Dices: Apostolus tamen Paulus *Gal.* v. 2,3,4: consequentias, quas ex Galatarum doctrina deducit, ipsis impingit. Resp. 1. Nequaquam; non enim Apostolus dicit, vos docetis Christum nihil vobis prodesse; sed manifestè ipsorum doctrinam à sua consequentia distinguit. 2. Apostolus, spiritu infallibilitatis præditus, nomine Dei denuntiare potuit, quo loco hæc ipsorum doctrina apud Deum esset: hæcque ejus denuntiatio ipsis erat lex. Nos autem ratiocinationis beneficio solummodò argumentum instituimus, quod, quoniam neuter alteri regulam fidei præscribendi auctoritatem habet, non aliter quàm evidentiâ suâ vim persuadendi habet; quam cum alter nobiscum non agnoscit, nihil illi in conscientia sua præjudicare potest: & cùm ille apertè protestetur, se consequentiam illam non admittere, nos eam tanquam genuinam ipsius sententiam impingere non possumus, sed illud solummodo, quod ipse pro sententia sua agnoscit: consequentias autem nostras ab ipsius sententia accuratè distinguere debemus. Hac æquitate si uterentur Christiani, ut consequentias à dogmatibus ipsis sincerè distinguerent, dissensus, qui nunc aliquando creduntur fundamentales, deprehenderentur esse minores, neque schismatibus Ecclesiasticis fulciendis idoneum ac sufficiens fundamentum.

In defectu pacis studio repugnat discordia. XIX. Huic virtuti in defectu repugnat discordia, per quam animi à se invicem divelluntur, & ex qua divulsione oriuntur actiones alterum lædentes, bonoque ejus adversæ. Hæc tam varia est quàm pax: Civilis nempe vel Ecclesiastica. Ejus species sunt, lites, contentiones, inimicitiæ, præsertim quæ mutuis constant odiis, bella, &c. De quibus videre licet *Gal.* v. 20. *Rom.* I. 31. 2 *Tim.* III. 3. Noxia est, quia omnia dissolvit: *Matth.* XII. 25. *Gal.* v. 15. Hinc patriæ nostræ symbolum: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Cui accedit, quòd charitatem exstinguit, gravissimasque excitat inimicitias odiaque implacabilia. Et quò arctius aliàs intercedit vinculum, eò fœdior est magisque noxia; soletque ea tantò esse acerbior atque vehementior, quantò arctior antea fuit animorum conjunctio inter concordes. Quemadmodum aqua calefacta, si in puteum demittatur, frigus contrahit intensius; ita arctissimis amicitiis odia acerrima succedere amant, & quæ vincula sunt necessitudinis inter benevolos, irarum fiunt incitamenta inter infensos. Hinc gravior solet esse inimicitia inter discordantes unius populi aut civitatis incolas, quàm inter duos populos bella gerentes: gravior inter consanguineos, maximè domesticos & fratres, quam alienos; & gravissima omnium inter conjuges, si quando discordia arctissimum istud matrimonii vinculum corruperit.

XX. Sed nec minus huic virtuti repugnant, qui dissensiones serunt inter benevolos, calumniatores nim: & susurrones. Hinc *Proverb.* VI. 19. detestari dicitur Deus eum *qui seminat inter fratres discordia.* & *Syrach.* XXVIII. 15. &c. *Susurro & bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes*, &c. Principes & Status contra eam gravissimè peccant, si quando bella aggrediuntur, gerunt & continuant, quæ sunt injusta, & ut spoliis aliorum ditescant, aut gloriæ suæ studeant, imperiumque suum amplificent. Illud enim quammaximè regno Jesu Christi, quod est regnum pacis, ejusque Euangelio, quod est Euangelium pacis, directè adversatur: præterquam quod bellum omnia pessundet: artes disciplinasque, quin & justitiam, religionem omnesque virtutes exstinguat, & noxios cum innoxiis iisdem calamitatibus involvat. Quapropter Christiani principis & magistratus est, non nisi summâ necessitate, & frustra omnibus, quæ à pio Magistratu requiri possunt, tentatis, ad bellum descendere; neque ullam honestè bello finem imponendi occasionem, quandocunque se offert, negligere. *Excitatio dissensionum, & bella injusta.*

XXI. Paci Ecclesiasticæ in specie repugnant schismata, *Gal.* v. 20. 1 *Corinth.* I. 10. XI. 18. Quando illi, qui inter se concordes vivere debent, à se invicem discedunt, cœtumque, qui unus esse debeat, in plures scindunt. Schisma ergo est, quando disceditur ab Ecclesia, à qua minimè opportebat discedere, & ob res quæ discessum non merentur. Res, quæ discessum merentur, sunt hæresis sive error fundamentalis, qui cum pertinacia & contendendi studio defenditur, & vita improba, seu opera quædam carnis manifesta, quæ cum salutis æternæ spe consistere nequeunt, quorumque aut integer cœtus, aut maxima saltem pars, reliquis conniventibus, rea est. A talibus discedere, laudabile est. Ita Apostolus præcipit, *Rom.* XVI. 17. ut *discedant ab iis qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam didicerunt, faciunt.* Et *Gal.* I. 8. 2. *Joan.* 10. 11. Et *Apoc.* XVIII. 4. *Exite de Babylone populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Hinc *Apoc.* II. 3. laudatur Angelus Ecclesiæ Ephesinæ; quòd *non possit ferre malos.* *Paci Ecclesiasticæ repugnat schisma.*

XXII. Schisma ergo est, quando disceditur & fraternitati renuntiatur, ob errores *Schismatum ge-*

nuina causa.

non fundamentales, aut ejusmodi lapsus, qui infirmitatem humanam facile comitantur, quibus condonare æquum est. Et ob ejusmodi potissimum Ecclesiam Christianam in partes scissam videmus. Unde facile apparet, alias subesse causas quam veritatis studium, gloriæque divinæ promovendæ zelum. Solent hæc ordinariè prætexi; sed genuina causa sunt commoda hujus vitæ, & considerationes politicæ: fastus nim: & avaritia Ecclesiasticorum, & ambitio politicorum. Ecclesiastici nolunt sibi contradici; tum ne videantur ingenii acrimoniâ & solertiâ judicandi aliis esse inferiores, alteriusque cognitio ipsis sit præjudicio: tum ut liberi sint à subtiliore veritatis indagatione, disputandique molestias vetent: ac tandem, ne forte alii populo & principibus gratiores sint, suamque dignitatem obtineant, ipsi verò vilescant. Politici sæpe per Ecclesiasticos statum suum stabiliunt, plebemque sibi conciliant. Hinc alter alteri auxiliatrices porrigunt manus, & tanquam pro causa communi certantes, etiam communes diligunt adversarios quos opprimant. Patuit id in omnibus ferè omnibus conciliis. Ad nutum Imperatoris ferè omnia directa sunt, semperque triumphabat à cujus partibus stabat Imperator. Ille autem non semper à meliore, sed fortiore & validiore stabat. Hinc sequens Concilium aliquando confirmabat præcedens, ut auctoritatem Ecclesiasticam stabiliret; aliquando prioris decreta abrogabat, quia ita conducebat rebus Imperatoris. Hæc omnia schismata fuere injusta.

Et varia species.

XXIII. Est autem schisma duplex: vel inter eos, qui nunquam in unum cœtum fuere uniti, quos tamen unitos esse opportet: quales sunt Lutherani & Reformati, &c. Vel inter eos, qui antea in unum cœtum fuere uniti, sed ob causas non necessarias separati sunt. Licet autem aberratio à veritate salutari sufficiens ad discessionem causa sit; tamen, si Ecclesiæ puriores non sint constitutæ, non statim discessio est facienda; sed magna cum diligentia, labore & assiduitate prius opera danda, ut Ecclesia à pernicioso suo errore revocetur. Ita videmus Apostolos non statim se separasse à Synagogis Judæorum; sed postquam aliquoties frustra moniti se ostenderunt insanabiles. Ita Paulus aliquamdiu tolerat & instruit Corinthios, qui resurrectionem mortuorum negabant, 1 *Cor.* xv. & Galatas, qui Mosem cum Christo conjungebant. Etsi autem schisma ad minimum sit inter duos, non tamen semper utraque pars illius est rea, sed ea solummodò, cujus culpâ fit discessio. Hinc aliquando utraque pars nocens; aliquando una tantum, quæ vel sponte discedit, vel, quia potentior est, alteram à se expellit, & communione suâ illi interdicit: quæ ita expulsa à schismatis reatu immunis est, licet separatos erigat cœtus.

Tum & status Ecclesiæ turbulentus.

XXIV. Repugnat etiam concordiæ studio, status Ecclesiæ turbulentus, quæ licet in apertum schisma non eruperit, variis tamen dissensionibus & contentionibus in seipsam agitatur: qualis fuit olim Corinthiorum Ecclesia, 2 *Corinth.* 1. 12. &c. Qualisque nunc hodie est Romana, in qua contendunt Franciscani cum Dominicanis, Jesuitæ cum Jansenistis: solâque Papæ Romani auctoritate continentur, ne in partes dissiliant. Externa tantum est corporum unio, sed animorum maximus dissensus.

Schismata Ecclesiæ Christianæ.

XXV. Ex hisce jam facile judicari potest, quid sentiendum sit de schismatibus, quibus hodie Ecclesia Christiana in partes divulsa est, præsertim hic in Occidente.

Reformatorum separatio à Pontificiis est justa.

XXVI. Ac 1. quod attinet separationem Reformatorum à Pontificiis, ea est justissima. Non tantum enim illa Ecclesia spiritualem Christi cultum mutavit in carnalem, variasque invexit superstitiones Scripturæ incognitas; sed & varias idololatriæ species, cultum imaginum, sanctorum mortuorum, panis eucharistici; & monita, vitia sua emendare noluit, sed divinarum Scripturarum auctoritate contemtâ, sibi & capiti suo Papæ Romano auctoritatem controversias omnes infallibiliter decidendi temerè & sacrilegè arrogat, & contradicentes non tantum anathemate ferit, sed & ferro ac flammâ persequitur, ut jam sit insanabilis, majestatisque divinæ ac charitatis fraternæ læsæ rea.

Schismata inter Reformatos sunt injusta.

XXVII. Quòd attinet schismata inter Reformatos, sunt ea omnino injusta; quia omnes conveniunt in necessariis ac fundamentalibus fidei Christianæ dogmatibus: & eorum pleraque, perinde atque Ecclesiæ Romanæ pertinacia, oriuntur ex ambitione. Interim dolendum, quòd quemadmodum omnes Pontificii, opinionibus licet inter se dissidentes, unius Papæ, ficti Ecclesiæ capitis, auctoritate in unam continentur Ecclesiam; Reformatos non eandem Christo, vero Ecclesiæ capiti, exhibere reverentiam, ut per charitatem fraternam genuinos se illius ostendant discipulos. Schisma sanè inter Lutheranos & Reformatos nullâ ratione excusari potest; quia Scriptura neutrorum sententiam sub æternæ salutis amissione credendam præscribit. Schismata inter varias Mennonitarum sectas sunt injustissima, quia ob res exigui momenti, tum & ob lapsus leviores, aliquando sine ratione, sed solâ quorundam imperitorum morositate, excitata sunt. Imò aliquando moderatiores quidam, qui in rigorem illum consentire recusabant, excommunicati sunt, Ecclesiaque separata erecta.

Ejectio Remon-

XXVIII. Sed quid dicemus de schismata inter Remonstrantes & Contraremonstran-

ſtrantium à Contraremonſtrantibus quo juſta.

ſtrantes? Reſp. Eſt injuſtum; quia dogma controverſum, uti nos aliàs oſtendemus, licet magni momenti, non tamen præcisè ad ſalutem creditu eſt neceſſarium: ideoque Synodus Dordracena temerè iſtud decîdit, noſque iniquè à Contraremonſtrantibus ſumus expulſi.

Rectè tamen ejecti Remonſtrantes ſeparatos habent cœtus.

XXIX. Sed quæritur, an nobis, ſine ſchiſmatis culpa, liceat manere ſeparatis, præſertim cum credamus non eſſe controverſiam de fundamento ſalutis, anteaque mutuam obtulerimus tolerantiam? Reſp. Omninò. Licet enim dogma non ſit præcisè ad ſalutem neceſſarium creditu, multas tamen doctrinas pietati admodum adverſas & periculoſas ſibi annexas habet, quæ etiam crudè admodum à quibuſdam defenduntur. In oblatione autem mutuæ tolerantiæ expreſsè ſtipulavimus, ut extrema ejuſmodi vitarentur; & præſertim nobis æqualis cum ipſis libertas concederetur, ſententiam noſtram docendi ac defendendi. Cùm autem ea jam ſit declarata intolerabilis, ipſorumque ſententia neceſſaria, ſine veritatis divinæ injuria, conſcientiæque læſione cœtus noſtros ſeparatos intermittere non poſſumus. Obj. At nunc nos ad cœnæ ſuæ communionem admittere cupiunt, ſalvâ noſtrâ ſententiâ. Reſp. Contrarium decrevere ipſorum Synodi: & ſi qui pauci id faciunt, tectè & diſſimulanter id fit. 2. Membra ſolummodò Eccleſiæ admittere volunt, non ipſos paſtores. 3. Et quoſcunque admittunt, eâ ſolum conditione recipiunt, non tantum ut ſententiam ſuam taceant, ſed & ſe dociles præbeant, id eſt, ſine contradictione admittant, quæcunque Contraremonſtrantes docent. At hoc eſt veritatem prodere, imò agnitam veritatem tacitè condemnare; quod ab homine veritatis ac pietatis ſtudioſo exigi non debet. Et qui hiſce allecti, cœtibus noſtris deſertis, ipſorum communionem amplectuntur, rarò id faciunt dictante conſcientiâ, & ex pacis amore, aliàs enim non delererent pacis ſtudioſos; ſed ob rationes mundanas.

In exceſſu, pax, cum quibus non eſt colenda.

XXX. In exceſſu huic virtuti adverſatur pax, cum quibus non eſt colenda. Quales ſunt I. Qui Scripturam non agnoſcunt pro unica regula fidei ſuæ; ſed vel eam integram rejiciunt & irrident, ut Ethnici; vel potiſſimam ejus partem, ut Judæi Novum Teſtamentum: vel aliud perfectius illi adjungunt, ut Mahometani Alcoranum ſuum: quibus omnibus applicari poteſt illud Apoſtoli, *Gal.* 1. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit.* Vel ut ineſficacem flocci pendunt, ut Libertini & Quakeri: vel tanquam imperfectam, & traditionibus quibuſdam humanis atque Eccleſiæ decretis ſupplendam credunt, ut Pontificii. II. Qui dogmata quædam fundamenta ſalutis evertentia propugnant; aut in verbo Dei non deciſa, aliis neceſſariò credenda imponunt. Hi enim hominum conſcientias auctoritati humanæ ſubjiciunt, & arreptâ ſibi poteſtate judicandi facile in diſſentientes, quando rerum potiuntur, ſæviunt: atque ita directè in charitatem Chriſtianam peccant, notâque illâ, ex qua ipſe Chriſtus diſcipulos ſuos dignoſci cupit, *Joan.* XIII. 34, 35. deſtituti ſunt. III. Qui vitâ ſunt profani; & vel ſe idololatriâ polluunt, ut Pontificii, vel aliis operibus carnis, ſanctitati Chriſtianæ adverſis, indulgent. Hinc laudatur angelus Eccleſiæ Epheſinæ *Apoc.* II. 3. quod *non potuerit ferre malos*: & reprehenduntur *Pſal* L. 18. qui videntes furem cum eo currebant, & cum adulteris portionem ſuam ponebant. Hinc commendatur, ut cum pacis ſtudio ſanctimoniam conjungamus, *Hebr.* XII. 14.

CAPUT XLIV.

De Beneficentia.

Beneficentia.

I. **B**Eneficentia eſt virtus ex charitate procedens, quæ liberali facultatum noſtrarum erogatione egeſtati aliorum ſuccurrere docet. Unde facile apparet.

Quibus incumbat.

II. Primò: Quibus potiſſimum hoc officium incumbat: nim: 1. Divitibus; illi enim de ſuo, imò de ſuperfluo largiri poſſunt. Hinc. 1 *Timoth.* VI. 17, 18, 19. *Divitibus hujus ſeculi præcipe*, &c. 1 *Joan.* III. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi*, &c. 2. Iis, qui manuum labore victum quærunt: quorum officium eſſe dicitur, ſtrenuè laborare manibus, ut etiam impertiant neceſſitatem habenti, *Eph.* IV. 28.

Rationes eam ſuadentes.

III. Secundò: Inquirendum, quibus rationibus ad officium hoc conſtringantur. Eæ autem ſunt variæ. 1. Quia eſt officium maximè excellens, quo potiſſimum Deum referimus: *Luc.* VI. 36. Hinc benefici erga alios Deorum ipſis loco ſunt. 2. Exigit idem lex humanitatis & charitatis. Quid enim æquius, naturæque humanæ convenientius, quàm alterius hominis, non minus quàm nos ad imaginem Dei conditi, neceſſitati ſuccurrere, illiuſque vitam de ſuperfluis noſtris, nulli nobis uſui futuris, ſuſtentare? 3. Mandavit id Deus expreſsè, ut ſi fortè communis humanitatis ſimus immemores; auctoritate præcepti ſui ad officium nos compelleret: *Deut.* XV. 7, 8, 9, 10, 11. *Eſa.* LVIII. 7. 1 *Timoth.* VI. 18. 4. Charitas erga Deum ſine hoc officio conſiſtere nequit; 1 *Joan.* III. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum indigere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*; Ratio eſt, *cap.* IV. 20. *Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?*

Nec etiam religio vera, dicente Jacobo *cap.* I. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est; visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*: &c. Hinc Deo quammaximè est gratum, *Hebr.* XIII. 16. iisque, erga quos exercetur, occasionem luculentam præbet Deum ipsum laudandi, quod aliis tantas divitias, animumque aliis subveniendi promptum ac alacrem largitus sit, 2 *Cor.* IX. 12, 13. 5. Divitias nobis dedit Deus, non ut dominis absolutis, sed dispensatoribus tantum, *Luc.* XVI. 1. *& seqq.* ut in pauperes distribuamus: fidelis autem dispensatoris est, bona sibi concredita in usum à domino suo designatum impendere: adeo ut species quædam furti sit, bona in pauperes distribuenda in arcas recondere, sibique absque ullo fructu reservare. 6. Quæ pauperibus damus, non tam pauperibus, quàm ipsi Domino nostro, ea per pauperes à nobis exigenti, damus: *Matth.* XXV. 40. Cùm verò ipse *propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus*, 2 *Corinth.* VIII. 9. æquissimum est ut idem officium ipsi, in membris suis id à nobis postulanti, exhibeamus. 7. Estque id officium Deo adeo gratum, ut illius intuitu Deus sæpe paratus sit hominibus injustitias & peccata sua remittere; uti Daniel Propheta hoc consilium suggerit Regi Nebucadnezari, *Dan.* IV. 27. & Petrus 1 *Epist.* IV. 8. dicit *charitatem*, quæ in munificentia erga egenos se egregiè conspiciendam præbet, *multitudinem peccatorum operire*. 8. Imò Deus illud munificentissimè remunerabitur, partim in hac vita, 2 *Corinth.* IX. 6, 7, 8, 9. ubi *vers.* 8. per *sufficientiam* intelligitur status, in quo nobis omnia sufficienter adsunt: & *Phil.* IV. 18, 19. Quod itaque pauperi datur, est quasi semen in terram conjectum, quod fructus fert multiplices. Partim in futuro seculo: *Matth.* V. 7, *Luc.* XII. 33. & XVI. 9. 1 *Timoth.* VI. 19. *Hebr.* VI. 10. Hinc *Proverb.* XIX. 17. *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis*, &c. Et immisericordiam graviter puniturus est; *Jacob.* II. 13. Unde judicium ultimum *Matth.* XXV. 31. *& seqq.* describitur, quasi potissimum cum respectu ad opera hæc instituendum.

Erga quos instituenda. IV. Tertiò. Erga quos sit instituendum. Erga indigentes, qualescunque tandem sint, & cujuscunque religionis; uti docetur parabolâ Samaritani, *Luc.* X. etiam inimicos nostros. Vide *Matth.* V. 42. & *Luc.* VI. 30. *Omni petenti da.* Quod dictum videtur oppositè ad Judæos, vel alios quoscunque, qui iis tantum dabant, à quibus æqualia recipere sperabant, uti liquet ex *vers.* 34. Hinc Dominus præcipit *Luc.* XIV. 12. *&c.* ut non divites vocemus ad convivium, qui retribuere possint, sed pauperes.

Quis hic V. Sed quoniam facultatibus nostris omnium pauperum egestati singuli succurrere *sit ordo observandus.* non possumus, æquum est, ut ordo quidam in beneficentia nostra observetur, illique præ aliis juventur, in quibus plures dilectionis causæ apparent. Hic ordo observandus; 1. vel ratione indigentiæ; 2. vel ratione morum; 3 vel ratione conjunctionis vitæ. 1. Maximè indigenti ante omnes alios succurrendum est; destituto nimirum necessariis ad vitæ sustentationem. Hîc enim dilectionis nostræ actus nullam patitur dilationem, præsensque illa & extrema necessitas promptum requirit auxilium 2. Cæteris paribus, ii, qui moribus sunt probati, præferendi improbis, beneficentiâ nostrâ abutentibus, aut etiam otiosè illi innitentibus; quibus aliquando utile est denegare eleemosynas nostras, ut ad frugalitatem & laborem compellantur; præsertim cum & ipse Apostolus præscribat, ne, qui non laborat, comedat, 2 *Thess.* III. 10. *&c.* Non tamen anxiè nimis in occulta pauperum vitia inquirendum; neque etiamsi nobis quædam cognita sint, & de indigentia eorum constet, liberalitatis officia eis deneganda sunt. Cogitandum, quàm non & ipsi à vitiis simus immunes, imitandumque esse exemplum Dei, qui *solem suum oriri facit super bonos & malos*, &c. *Matth.* V. 45. 3. Respectu conjunctionis vitæ; qui vel corporali vel spirituali vinculo nobis sunt conjuncti, extraneis præferendi sunt. Sic *Deut.* XV. 7. Israëlita fratri succurrere jubetur, id est, populari, ex eadem familia Israëlis oriundo: ita parentes si indigeant omnibus aliis præferendi sunt, *Matth.* XV. 5, 6. domestici extraneis, 1 *Tim.* V. 8. fratres spirituales in Christo Jesu omnibus qui fratres non sunt, *Gal.* V. 10.

Modus quis esse debeat. VI. Quartò. Quis modus in beneficiis nostris sit observandus. 1. Finis debet esse honestus; non gloriæ privatæ studium, sed Dei: *Matth.* VI. 1. *&c.* nec etiam propria utilitas, sed proximi cui largimur. Non quod illicitum sit, beneficium præstare, à quo idem exspectes: sed id non tam beneficium est, quàm negotiationis quædam species. Hinc Servator noster non dicit, peccare eos, qui invitant à quibus invitari sperant; sed negat esse actum charitatis; quia retributionem beneficii sui ab amicis suis accipiunt: invitare autem eos qui retribuere non possunt ait charitatis esse actum, quem Deus in futuro seculo retributurus est, *Luc.* XIV. 12. *&c.* Hinc nisi ex affectu charitatis, quæ non quærit quæ sua sunt sed quæ alterius, procedat, nullius dicitur esse pretii apud Deum, 1 *Corinth.* XIII. 3. Et quantum fieri potest honori pauperum est consulendum, eorumque contemtus vitandus, 1 *Corinth.* XI. 22. ideoque rectè dandum, aliis non consciis. 2. Procedere debet ex religione erga Deum, studioque honoris divini:

ni: 2 *Cor.* VIII. 5. & ex genuino succurrendi affectu; inde dicit 1 *Joan.* III. 17. *non esse claudenda viscera.* Hunc affectum duo demonstrant. 1. Animi & vultus hilaritas, ut non minus libenter dare videamur, quàm pauperes accipere. 2 *Cor.* IX. 7. *Rom.* XII. 8. *Qui misericordiam exercet* (faciat) *in hilaritate.* Et 2. maxima promtitudo; quâ prævenis sæpe antequam rogeris, & quando rogaris, sine cunctatione das, antequam denuò rogeris. *Proverb.* III. 28. *Ne dicas amico tuo; vade & revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.*

Quæ beneficentiæ mensura. VII. Quinto. Sed maxima occurrit difficultas circa donorum nostrorum quantitatem: quæ nim: liberalitatis nostræ sit mensura, ut exinde colligamus, quantum quoque casu dandum sit. *Resp.* 1. Generalis hæc debet esse regula, non parcè, sed largiter esse dandum, 2 *Cor.* IX. 6. 2. Pro facultatum nostrarum ratione à Deo nobis concessarum, etiam dona liberalitatis nostræ augeri debent: 1 *Cor.* XVI. 2. 3. Et pro ratione indigentiæ eorum quibus opitulaturi sumus: unicuique enim necessaria ad vitam danda sunt; magis ergo indigenti etiam magis dandum. 4. In opera charitatis plus expendendum quàm in voluptates: si ergo in hisce profusi sumus, plura in egenos distribuenda sunt. 5. Considerandum quid pietas & charitas Christiana in aliis efficiat, ut vel paria iis faciamus, si non exactè, saltem secundum proportionem æquam, juxta mensuram facultatum nostrarum. Sicut enim aliquando Christianus suo exemplo aliis præire debet, ut eos ad imitationem similis beneficentiæ excitet; ita etiam aliquando alterius exemplo excitari debet. 2 *Corinth.* IX. 2, 3. 6. Tandem etiam prudentia & charitas Christiana dictare nobis debent, quid & quantum quocunque casu sit dandum. In genere attendendum ad universalem illam regulam charitatis, *Matth.* VII. 12. *Quicquid vultis ut faciant vobis homines, idem facite illis.* Inde enim quisque facile officium suum colliget, considerando, quantum sibi, illo in statu si foret, dari justum censeat.

Varia ea est pro ratione facultatum nostrarum, & indigentia alterius. VIII. Ut autem specialius quid dicamus, addimus, nullam determinatam & fixam legem esse datam, quid & quantum quovis casu dandum sit, sed prudentiam Christianam beneficentiam nostram dirigere, pro ratione virium nostrarum, & indigentiæ aliorum. 1. Ergo discrimen faciendum inter bona quæ possidemus. Hæc tribus inter se distincta gradibus considerari possunt. 1. Vel sunt necessaria ad vitæ nostræ sustentationem, quibus carere non possumus, quin ipsi indigeamus. 2. Vel necessaria sunt, ut honestè sustentemur eo in statu vitæ, in quo Deus nos constituit, pro varia conditionis cujusque diversitate, ordinisque in societate humana requisiti exigentia. 3. Vel plane superflua, quibus nec ad vitæ, nec status nostri sustentationem indigemus. Similiter indigentia triplicem gradum admittit. 1. Vel est extrema, cum periculo mortis aut etiam peccati conjuncta, ne homo egestate compulsus ad fraudes vel furta sollicitetur: *Proverb.* XXX. 9. 2. Vel est gravis, cum periculo magni incommodi, licet non extremi. 3. Vel est communis, levamen aliquod exposcens.

Qualem hæc varietas dictet mensuram. IX. Juxta triplicem hanc utrimque differentiam, dicimus: 1. De omni superfluo dandum, & quidem copiosè, omni indigenti, qui nobis occurrit opemque nostram exposcit. Ita Joannes Baptista præscribit *Luc.* III. 11. & Joannes Apostolus 1 *Epist.* III. 17. Qui enim superflua possident, sunt divites: divitibus autem dicitur 1 *Tim* VI. 18. *ut liberales sint, divites in bonis operibus,* &c. Iniquum enim est, cum habeant & naturæ & statui suo superflua, ea sine ullo fructu asservari, interimque alium hominem ad imaginem Dei conditum indigere. Qui manibus victum quærunt, dare debent, juxta Apostoli præscriptum, *Eph.* IV. 28. multò ergo magis divites. 2. Si habemus, quæ necessaria sunt ut decorè & statui nostro decenter vivamus, debemus dare graviter indigenti; præstat enim quædam de statu suo imminuere, quàm alium gravi laborare incommodo. Quod si etiam sit eminens quidam status, non à Deo introductus, sed ab hominibus excogitatus ad fastum quendam ostentandum, etiam communiter indigenti succurrendum de iis, quæ statui huic tuendo requiruntur. 3. Si habeamus solummodò quæ necessaria sunt statui nostro (intelligo statum à Deo approbatum) tuendo, extremè indigenti dandum est: quia proximi vita potior nobis esse debet statu nostro, sine quo & vivere possumus. 4. Si autem necessaria ad vitam solummodò habeamus, hæc aliis dare non tenemur; non enim jubemur proximum magis diligere, sed sicut nos ipsos; neque ipsi indigere, ut aliis opitulemur. Quidam tamen etiam hic distinctione utendum putant, utrum proximus indigens dignior sit, aut Reipublicæ vel Ecclesiæ utilior, quàm nos. Si non: nobis ergo retinenda esse necessaria ad vitam; quia nulla ratio dictat, vitam nobis esse objicendam ut nobis non digniorem in vita conservemus. Si verò Reipublicæ aut Ecclesiæ utilior sit, æquitatem & charitatem exigere, ut illi subveniamus, ipsi vero careamus: æquius enim esse ajunt, & charitati magis consentaneum, perire aliquem publico non admodum utilem, quàm illi valde utilem. Nos autem id definire non audemus; sed cujuscunque conscientiæ id committimus. Agnoscimus, si quis id faciat, excessum fore charitatis; nemo tamen, judicio

dicio nostro, ad eum ullo præcepto divino, nec generali charitatis, nec aliquo speciali, obligatur.

Generatim multum est dandum. X. Interim præstat pro ratione virium multum dare, quàm parum; 2 *Cor.* IX. 6, 7. munusque pauca possidentis, licet exiguum, Deo gratius est, quàm ampla & grandia dona superfluis abundantium: quod egregiè viduæ pauperis exemplo confirmat Servator noster, *Luc.* XXI. 2, 3, 4. Quòd si facultates nostræ adeo sint tenues, ut indigenti exiguum nostrâ liberalitate possit adferri adjumentum, intercessione nostrâ apud ditiores procurandâ illi sunt necessaria, & quando ope non possumus, labore nostro illi prodesse tenemur.

Quid faciendum post beneficium. XI. Sextò. Post beneficium collatum cavendum, ne multis tibi patiaris gratias agi, quin potius pauperem pluribus quàm dedisti dignum affirmes. 2. Ut quantum in te est beneficii obliviscaris; ac proinde nec id coram aliis jactes, *Matth.* VI. 1, 2. nec ipsi cui præstitisti commemores; habet enim ea commemoratio speciem exprobrationis. 3. Ne beneficii compensationem exigas, nisi summâ id requirente necessitate. Ac tandem 4. magis doleas, si cui digno non dederis, quàm si indigno dederis. Digno enim non dare culpa non dantis est: indignè autem beneficio abuti, accipientis.

In defectu opponitur immisericordia. XII. Vitium huic virtuti oppositum in defectu vulgo vocari solet Avaritia. Sed cum ea duplex sit, una quæ in corradenda, altera quæ in conservanda pecunia cernitur; posteriorque rursus duplex sit, una, quâ avarus bonis suis uti non audet, sibique necessaria denegat; altera quâ viscera sua coram indigente claudit: postrema illa hic solummodò in considerationem venit; quanquam ex priore originem ducat. Sed quia Avaritia magis virtuti αὐταρκείας opponitur, eaque non tam oppositum est beneficentiæ, quàm fons & origo, unde vitium beneficentiæ oppositum ortum ducit, rectius dicitur beneficentiæ opponi immisericordia, quando quis habens bona hujus mundi, alteri indigenti non dat. Hinc 1 *Joan.* III. 17. vocatur *claudere viscera*, ut fontem, qui beneficentiæ actum impedit, indicet, animum sc. durum, & alienâ miseriâ flecti nescium: dicunturque *diligere* tantum *ore & lingua, non opere & veritate: ibid. vers.* 18. Tales sunt, qui cum actu possunt, solo tantum affectu proximum juvant; qui virtutis & honestatis aliquo stimulo exciti ad auditum vel narrationem miseriæ ipsius, affectum misericordiæ concipiunt; sed in sterili illo affectu consistunt, proximumque reverâ non juvant. 2. Qui præter affectum illum etiam operam aliquam adhibent, sed non eam quæ juvando proximo sufficit, & quam tamen ipsi facile præstare possent: quales sunt, qui verbis tantum ad commiserationem compositis proximum consolari, aut consilio instruere conantur, cùm ipsi opem promtam adferre possint; aut qui ipsorum nomine opem quam ipsi præstare possent ab aliis exposcunt. Aut tandem, qui veluti personati histriones magnificè de virtute Beneficentiæ disserunt, ipsi interim sine ullo alienæ miseriæ sensu proximum destituunt; vel licet ejus miseriâ tangi videantur, ipsumque spe auxilii lactent, nunquam tamen beneficentiam exercent, sed intra promissa, ore ac lingua tantum prolata, consistunt. De quibus rectè dicitur, dicunt sed non faciunt.

In excessu, nimia profusio. XIII. In excessu huic virtuti repugnat, nimia profusio imprudenter sine ullo respectu ad indigentiam, mores, vitæ conjunctionem, opesque nostras facta, per quam sæpe in indignos largissimè effunditur, quod rectius dignis distribui potuisset, vitiisque quorundam alimentum præbetur, qui nimiâ illâ profusione abutuntur tum ad pigritiam, tum ad nequitiam. Itaque hîc locum habeat, quod in quavis virtute requiritur, ut eam exerceamus cum sapientia; perinde uti Apostolus jubet, *Coloss.* III. 16. ut *verbum Christi in nobis habitet cum omni sapientia*, ut in quavis virtute sapienter omnes actiones nostras dirigamus ad Dei gloriam, maximamque, quantum fieri potest, proximi utilitatem.

CAPUT XLV.

De Mansuetudine.

Mansuetudo. I. VIrtus, quæ occupatur circa proximum quatenus consideratur nos injuriâ aliquâ affecisse, est Mansuetudo, quæ est virtus in ira moderanda versans. Respicit ira propriè injuriam nobis à proximo illatam, & vindictam quam illi propterea destinamus: ita ut semper à causa externa excitetur; nisi enim nobis occurreret quod nos ad iram provocat, nunquam irasceremur. Hanc Mansuetudo cohibet, prohibendo, ne irascamur quando non oportet; nec vehementius nec diutius quàm par est. Et cum omnis ira tendat ad vindictam, quàm maximè à vindicta nos alienos esse jubet.

II. Ut autem distinctè de hac virtute agamus. 1. De ira ejusque causis. 3. De ejus effectis, quædam præmittenda sunt; ut ita facilius & distinctius Mansuetudinis officia percipiamus.

Ira. III. Ira est affectus depulsionis mali: estque ex eorum genere, quæ in se neque bona neque mala sunt; sed vel mala vel bona est, prout objectum est in quod tendit, & causa ex qua oritur: sic est justa ira erga peccata & obstinationem in peccato. Talis fuit in Mose, *Exod.* XXXII. 19. in Apostolo

ſtolo Paulo, *Act.* XVII. 16. in Corinthiis, 2 *Cor.* VII. 11. quia & in ipſo Domino Jeſu, *Marc.* III. 5. Non enim illa tendit in malum, ſed bonum peccatoris, nec ſpectat ultionem, ſed ejus emendationem.

Excitatur à cauſa aliqua. IV. Ira enim ſemper à cauſa aliqua excitatur, ſive externa, ſive etiam interna hominis imaginatione, ſibi falsò perſuadentis cauſam ſibi iræ extrinſecus oblatam. Et quia anima per corpus tanquam organum operatur, etiam homo citius aut tardius pro ratione temperamenti ſui ad iram concitatur, phlegmatici tardius, cholerici celerius. Hinc apparet, iram pro ratione cauſarum ex quibus oritur, & finem in quem tendit, poſſe eſſe vel bonam vel malam. Mala eſt, quæ ab homine concipitur ob injuriam ſibi aut ſuis, ſive verè, ſive opinione tantum ſua, illatam, & quæ tendit in vindictam. Talis fuit ira Simeonis & Levi, *Geneſ.* XXXIV. 21. & XLIX. 6. Saulis erga Davidem, 1 *Sam.* XVIII. 8. Davidis erga Nabalem, 1 *Sam.* XXV. 32.

Variæ cauſæ iræ. V. Inde apparet, cauſas iræ hujus eſſe varias. Prima eſt, Animi elatio, orta ex nimio ac præpoſtero ſui amore, quo homo non tantum ea, quæ ſibi placent, ſectatur, ſed & gravatè fert, ſi ſibi honor, quem ſibi deberi credit, non tribuatur, aut alter ſibi præferatur. Vide hanc cauſam iræ in Saule contra Davidem, 1 *Sam.* XVIII. 8. & in Hamane contra Mardochæum, *Eſth.* III. 5, 6. 2. Suſpicio, nimiſque attenta inquiſitio, quid alii de nobis ſentiant aut loquantur: quæ facit ut adverſus non benignè de nobis ſentientes iraſcamur; imò facile quæ culpanda non ſunt in malam partem interpretemur. Cui 3. connexa eſt credulitas, per quam facile aurem præbemus calumniæ. Ita Saul, calumniis Doëgi fidem temerè adhibens, gravem erga Pontificem Abimelechum concepit iram, 1 *Sam.* XXII. 10, 11. *&c.* & David calumniis Zibæ contra Mephiboſeth, 2 *Sam.* XVI. 1, 2, 3, 4. Contrarium monet Syrach, *Eccl.* XIX. 15, 16, 17. His adde 4. quòd homo non attendat ad communes infirmitates, quibus vita humana obnoxia eſt, in quâ labi pronum eſt, *Jacob.* III. 1, 2. *Syrach.* VI. 2, 3, 4, 5. ſed omnia interpretetur quaſi ex malitia procedentia. Contrarium fecit Dominus Jeſus, *Luc.* XXIII. 34. cùm in cruce pendens oravit pro crucifixoribus ſuis, *Pater remitte eis*, additâ hac ratione, *neſciunt enim quid faciant*; & Petrus *Act.* III. 17. Licet gravis in eorum facto eſſet malitia, tamen quia aliquâ cum ignorantia erat conjuncta, id, quod excuſationem videbatur facilius poſſe obtinere, ſolum commemorant, ut peccatum aliquatenus extenuent. Quibus tandem 5. accedit, delicata nimium vivendi ratio, quâ omnia ex ſententia noſtra geri cupimus, & quicquid deſiderio noſtro adverſatur ægrè ferimus.

Diuturna eſt vitioſa. VI. Sicuti ira ex hiſce cauſis concepta mala eſt, ita etiam ſi diu apud nos hæreat; tum enim degenerat in odium. Hinc Apoſtolus *Eph.* IV. 26, 27. permittens ut ira corripiantur, quia motus illos primo primos, ex ſubita injuria in nobis excitatos, cohibere vix in noſtra poteſtate eſt; addit monitionem ſeriam ne peccent, *neque ſol ſuper ipſorum ira occidat*, id eſt, ne diuturna ſit, nec apud eos pernoctet: quia ſol oritur ſuper bonos & malos; oriente ſole laboramus, occidente deſinimus: ergo & deſinat ira noſtra æquum eſt: & ſicut occaſus ſolis repentinus eſt, ita & repente iram noſtram remitti oportet: ſole occidente aër refrigeratur; ergo & animum irâ accenſum refrigerari æquum eſt. Et poſt ſolis occaſum tutiora ſunt maleficia; ergo & nos, niſi ira recedat, etiam procliviores ad mala, ad quæ ira concitare ſolet. Ac tandem, ſole occidente cauſam habemus Deum precandi: irati verò preces Deo gratæ eſſe non poſſunt. Cui aliam adjungit rationem, *ne diabolo dent locum*, qui princeps malorum, cujuſque indolem irati facile imitantur; quia qui iraſcitur, ſemper iræ ſuæ cauſam aliquam prætexit, injuriam nempe alterius. Ita Simeon & Levi iræ ſuæ contra Sichemitas prætexunt injuriam ſorori ſuæ illatam: Achab contra Micham, quòd ſemper mala ſibi prædiceret. Et quia ira non tantum timorem Dei, charitatem proximi, aliaſque virtutes pellit; ſed & variorum peccatorum & malorum eſt cauſa.

Senſus Rom XII: 19. VIII. Obj. Attamen Apoſtolus *Rom.* XII. 19. dicit, *date locum iræ*. Reſp. Vel hæc intelligenda ſunt de ira alterius; & tum illi damus locum, quando cedimus; veluti qui de via decedit, alteri locum dat: ut interim ira ejus, dum in nos effundi nequit, ſubſidat. Ita Jacob ceſſit coram Eſauo, David coram Saule. Vel de ira noſtra propria; huic locum damus, quando eam vitamus, ut tranſeat, animumque noſtrum ita contra eam obfirmamus, ut intrare nequeat. Vel de ira Dei, quod maximè probamus; illique datur locus, quando ipſi nos non vindicamus, ſed Deo vindictam committimus. Huncque ſenſum ſequentia arguere videntur; *Scriptum eſt enim, mihi vindicta*, &c.

Effecta iræ. VIII. Effecta iræ ſunt clamor, calumnia, & vindicta: quæ accuratè ab ipſa ira diſtinguenda ſunt. Poteſt enim ira eſſe abſque peccato, ſi nim: ſtatim cohibeatur; quia primi illi motus aliquatenus ſunt involuntarii, & ſæpe extra noſtram poteſtatem: at hæc voluntaria ſunt, & ſemper cum alterius damno aut injuria conjuncta.

Clamor. IX. Primum ergo effectum eſt clamor: ſicut enim è nube denſa fulmina & tonitrua erumpere ſolent, ita ex ira clamores. Solet ille erumpere tanquam iræ ſignum, ut averſionem

sionem nostram ab aliquo testemur. Ita Judæi contra Dominum Jesum, *Matth.* XXVII. 23. contra Stephanum *Act.* VII. 56. & contra Paulum, *cap.* XXI. 27. & XXII. 22, 23. item Demetrius cum suis, *Act.* XIX. 28. *&* 34. Etiam in altercatione, & vehementi objurgatione quæ ex ira procedit; ac tandem in disputatione, quando incalescit, animique concitantur.

Calumnia. X. Alterum est calumnia, quâ alterius fama læditur, in ipsum convitia & maledicta conjiciuntur. Sic Goliathus convitiatus est Davidi, 1 *Sam.* XVII. 43. Quam Dominus prohibet *Matth.* V. 22. *Eph.* IV. 31. Vel etiam falsa ipsi impinguntur, aut verba ejus in alienum sensum detorquentur, ut ipsi damnum creëmus.

Vindicta. XI. Tertium est vindicta, quâ par pari referimus, aut etiam gravius malum infligimus, ut alteri in compensationem injuriæ nobis illatæ male sit. Hanc testari solent homines. 1. aversione animi, quâ tales in conspectu suo neutiquam ferunt, sed à se abigunt, *Exod.* X. 28. *Luc.* XXIII. 18. Deinde mali alicujus inflictione, ponendo oculum pro oculo, dentem pro dente; vel simili quopiam modo. Effectus iræ gravissimos videmus in Simeone & Levi delentibus urbem Sichem ob stupratam sororem suam, *Genes.* XXXIV. 25. In Saule contra Pontificem Achimelechum ob Deum consultum panesque Davidi traditos, 1 *Sam.* XXII. 10, 11. *&c.* In Hamane contra Mardochæum omnesque Judæos, *Esth.* III. 5, 6. In Herode contra infantes Bethlehemiticos, quia se à Magis delusum putabat, *Matth.* II. 16, 17. Adeo ut Jacobus rectè dicat, *Cap.* I. 20. *iram viri justitiam Dei non operari.*

Hæc Mansuetudo cohibet. XII. Hisce omnibus malis medetur Mansuetudo, quæ cohibet ne irâ exardescamus; & si forte iram conceperimus, ne erumpat in actus Mansuetudini adversos.

1. Ne ira exardescamus. XIII. Primò cohibet ne irâ exardescamus, præmuniendo animum adversus iræ causas: ac proinde occasiones quæ nos facile ad iram provocant vitando; cohibendo etiam clamorem, ut sedatâ & submissâ voce loquentes, caveamus ne spiritus in sanguine accendantur, nosque incalescamus. Ita *Eph.* IV. 31. jubet Apostolus, ut absit à nobis clamor. Ac potissimum contra omnes iræ causas, antea commemoratas, vigilando. Hinc monet *Jacob.* I. 19. ut *tardi simus ad iram.* Ita sensim etiam temperamentum nostrum subigemus. Cogitare oportet, quàm fœdus affectus sit ira, quòd furor sit brevis, totumque corpus æstuare faciat: quòd nihil minus deceat hominem, quem natura non ut reliqua animantia dentibus & unguibus ad dilacerandum armavit, sed nudum omnibusque destitutum produxit & ad mansuetudinem finxit. Dominus etiam *mites* pronuntiat *beatos*, *Matth.* V. 5.

XIV. Si verò irâ correpti simus, cohibet eam mansuetudo, ne diu apud nos residat. Ita *Ephes.* IV. 27. *Sol ne occidat super ira vestra*: tum enim sensim augetur, adeo ut vix reprimi & coërceri possit. *2. Ne diu apud nos hæreat.*

XV. Ac tandem jubet abstinere à vindicta. Sic *Proverb.* XXIV. 29. Potest autem vindicta vel exerceri per nos ipsos, vel exigi à Magistratu ut exerceatur in eos qui nos læserunt. Posteriorem hanc Deus per Mosem populo suo indulserat, *Exod.* XXI. 24, 25. *Levit.* XXIV. 19, 20. & *Deut.* XIX. 19. *&c.* Nunc autem omne vindictæ studium severè est prohibitum: *Matth.* V. 21, 22. & 38, 39, 40, 41, 42. *Cap.* VI. 14, 15. *Rom.* XII. 19, 20, 21. *Gal.* V. 20. *&* 22. 1 *Thess.* V. 15. *Jacob.* I. 19, 20. 1 *Pet.* II. 1. & *Cap* III. 9. Huc etiam obligat æquissima naturæ lex, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; quoniam enim alium offendens (quod facile fit, in multis enim labimur omnes) nolles eum erga te immisericordem neque vindictæ cupidum, æquum est & te non vindicare. Hinc Apostolus hoc adhibito argumento monet fideles ut placidi ac longanimes sint erga peccantes, *Gal.* VI. 1. Huc nos etiam invitat exemplum Dei ac Domini nostri Jesu Christi, qui nobis remiserunt: *Matth.* XI. 29. *Ephes.* IV. 32. *Coloss.* III. 12, 13. 1 *Pet.* II. 21, 22, 23. Si enim consideramus, quales nos ante remissionem hanc divinam fuerimus, comperiemus gravissime nos erga Deum peccasse, *Eph.* II. 2, 3. *Tit.* III. 3. imò peccata nostra contra Deum commissa jure decem millibus talentorum comparari; proximi verò contra nos commissa respectu horum vix centum denariis æstimari posse, *Matth.* XVIII. 24. & 28. majora ergò cum Deus nobis servis suis remiserit, minora nos conservis nostris remittere æquum est. Aliàs Deus se non remissurum comminatur, *Matth.* VI. 15. imò remissionem jam concessam revocaturum, peccataque jam remissa denuò imputaturum & punitururum; uti ex parabolâ jam allatâ ex *Matth.* XVIII. liquet. Hinc & jubet Dominus nos orare remissionem peccatorum, ea conditione si & nos remittamus aliis, *Matth.* VI. 12. non itaque remittentes, tantum abest ut delictorum veniam oremus, ut Deum nobis imprecemur iratum ac peccatorum nostrorum severum vindicem. *3. Ne vindicemus.*

XVI. Objiciunt hîc quidam, qui vindictæ suæ prætextum quærunt; Deus remittit pœnitentibus, similiter & ego remittam, si peccati sui pœnitentiam agant. Resp. Deus in Christo dupliciter nobis condonavit. 1. Ante conversionem cum adhuc peccatores essemus, decernens nos non condemnare propter peccata præcedentia, si eorum pœnitentiâ ducamur; & ex hac remissione fluunt *Etiam remittendum non pœnitentibus.*

fluunt omnes benevolentiæ divinæ actus, quibus nos ad resipiscentiam invitat, viresque ad resipiscendum requisitas gratiosè confert. Hæc condonatio omnibus peccatoribus communis est. Hanc Dominus pro crucifigentibus se precatus est *Luc.* XXIII. 34. & pro peccatoribus impetravit, 2 *Corinth.* V. 19. quod Deus gratiosa Euangelii sui prædicatione, & invitatione ad salutem testatus est, *Matth.* XXVIII. 19. *Rom.* X. 18. & nota imprimis *Act.* XVII. 30. ubi Deus dicitur *tempora ignorantiæ prætervidisse, nunc autem hominibus annuntiare, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* Secundò, post conversionem, plenè remittendo ac delendo peccata, eorumque obliviscendo ac si nunquam commissa fuissent, hominesque justificando, quam soli fideles consequuntur. Eodem modo & nos facere æquum est; remittendum non solùm pœnitentibus; sed & delictum suum non agnoscentibus: imò in eo perseverantibus: hoc solùm discrimine, quòd priores in pristinum amicitiæ statum sint admittendi; alii nequaquam; sed abesse debet solummodò vindictæ studium, quin & omnia benevolentiæ officia ipsis sunt exhibenda. *Rom.* XII. 19, 20, 21.

Nec remissionis terminus talis in casu debet esse vindicta.

XVII. Dices. Atqui remissionis divinæ terminus, si homines non resipiscant, tandem est pœna: an non igitur & nostræ? Resp. Nequaquam; non enim ira divina, sed mansuetudo ac longanimitas nobis imitanda præscribitur: imo jubemur nos non vindicare, sed Deo vindictam tradere, *Rom.* XII. 19. Ratio est. 1. Quia vindicta actus est judicii; nemo autem alterius judex est, sed omnes conservi sumus unius Domini. 2. Nec etiam nos omniscii sumus & καρδιογνῶσαι: atqui omnis injuria potissimum ex corde æstimanda est. 3. Nos sæpe sumus impii, saltem non immutabiles in pietate: Deus autem & omnisciens est & immutabilis in sanctitate & justitia: peccatorem ipsum puniet, non alium ejus loco, tempore & loco conveniente, ac pœnâ peccatis ejus debitâ, eâque adeò severâ, ut ne maximè durus & implacabilis graviorem imprecari inimico suo possit. 4. Tandem Deus sibi ipsi legem remittendi non posuit; sed nobis, quos per varias injurias probari & exerceri cupit in charitate, ut non indigni simus cives cœlestis patriæ; sibi verò, adversus quem injuriæ nobis illatæ potissimum committuntur, reservavit judicium.

Aliæ contra vindictam rationes.

XVIII. Præter has autem sunt & aliæ rationes, quæ nos dehortantur à vindictæ studio. Si enim injuriam illatam vindicamus, quia par pari referri æquum credimus, exactè talio instituenda erit. Ea autem difficillimè observari potest. Si itaque leviorem inflīgis pœnam animus non acquiescet, quia graviorem deberi credit: si graviorem, conscientia te accusabit & reum aget nimiæ crudelitatis. Deinde voluptas, quæ ex vindicta percipitur, planè belluina est, hominique minimè conveniens, voluptatem enim quærit in alterius damno ac dolore; & tandem eam major dolor, animique anxietas consequitur. Object. Remittendo novam injuriam provocamus, aliosque in malitia induramus. Resp. Imò nonnunquam eorum animi molliuntur, nobisque conciliantur, *Rom.* XII. 20. Eodem modo & Deus homines indurat. Si qui autem beneficiis nostris indurentur sibi imputent: vindicando autem alios irritamus, & novam injuriam provocamus. Obj. Vindicare generosum est. Resp. Imò molle ac effœminatum, signumque animi injuriæ ferendæ imparis, ac proinde affectibus suis succumbentis: vera fortitudo est, cupiditati suæ frænum injicere, *Prov.* XVI. 32. Ut autem à vindictæ studio alieni simus, requiritur præterea, ut absit votum & imprecatio vindictæ, ut *Luc.* XXIII. 34. *Actor.* VII. 59. etiam lætitia, quando ei, qui nos læsit, male est, aut injuria nostra vindicata: illa enim indicia sunt animi vindictam spirantis.

CAPUT XLVI.

De Candore.

Virtutes ex justitia derivata.

I. VIrtutes ex Charitate derivatas, sequuntur quæ ad Justitiam propriè referuntur Has diximus esse. 1. Candorem & Veracitatem. 2. Fidem seu fidelitatem. 3. Gratitudinem.

Discrimen inter Candorem & Veracitatem.

II. Candor & Veracitas duæ sunt virtutes sibi invicem affines, & tantum non subordinatæ, ita ut Candor generis, Veracitas speciei habeat rationem. Candor nimirum dirigit omnia externa signa, quibus animi sensa aliis explicamus, aut animi nostri motus indicamus: Veracitas verò verba sola.

Candor.

III. Est itaque Candor virtus, quæ docet omnibus iis, quibus animi sensa aperiuntur & exprimuntur, sine ullo fuco aut simulatione uti.

Officium ejus primum, Cavere simulationem.

IV. Officia ejus sunt. 1 Cavere simulationem; vultu, verbis & gestibus non præferre contrarium illi quod in animo absconditum est: nec majorem præ se ferre virtutis aut pietatis, vel etiam in alterum affectus ac benevolentiæ speciem, quam in corde latet. Huic opponitur simulatio, cùm quis speciem præbet rei quæ non est: & dissimulatio, quando quis præ se fert rem non esse, quæ reverâ est, vel se nescire aut non agere, quod scit & agit.

Qualis sit factorum nostrorum significatio.

V. Quæritur an eâ uti liceat? Resp. Si fiat ad alterius damnum aut perniciem, non licet; est enim fraus ac dolus, manifestè justitiæ repugnans: uti antea vidimus. Sed isto fine seposito, quæritur an in eo, quod

simulare ac dissimulare vocamus, aliquid insit vitii, quod candori Christiano repugnat? *Resp.* Duo hic sunt animadvertenda: Actus exterior, & intentio agentis. Actus exterior vel est factum, vel verbum. Facta nullam naturaliter habent significationem, nisi eam quam quisque iis attribuit: non enim ex communi instituto certæ significationi sunt alligata. Licet enim ad hanc aut illam rem significandam ordinariè usurpentur, animique nostri affectus externis quibusdam actionibus tanquam signis se soleant exprimere, ut gaudium risu, dolor fletu & lamentis, timor fugâ, &c. non tamen illi significationi alligata sunt; nam & non gaudenti ridere, non dolenti flere ac lamentari, non timenti fugere licet: sunt enim actus, ad quos unusquisque naturaliter jus habet, neque ullâ lege constringitur istam significationem istis semper attribuendi. Excipio solummodo facta, quæ lege divinâ aut humanâ ad certam significationem restringuntur, ac proinde alio significatu sine legis transgressione & legislatoris injuriâ usurpari nequeunt: qualis est inter alios, incurvare se coram idolo, licet idolum animo detesteris; illi enim facto Deus hanc alligavit significationem, quod idolum pro Deo habeat Sed actus, lege non determinati, liberi sunt à certæ significationis vinculo. Obj. Si non in facto, saltem in intentione est vitium; hoc enim intenditur, ut alter decipiatur. *Resp.* Negatur: non enim deceptio inevitabiliter ejusmodi actum sequitur, neque necesse est ejusmodi intentionem adesse, sed longe aliam, in bonum & institutionem alterius tendentem; uti mox plenius docebimus.

Qualis verborum. VI. In verbis major est difficultas. Ea enim, etsi non lege communi, tamen usu & institutione solent habere certam ac determinatam significationem, quâ sensum in animo nostro latentem alteri apparimus: quod omninò necessarium est, ut hominum inter se contineatur societas & consuetudo. Sed multum refert quibus negotiis verba adhibeantur. Quædam talia sunt, ut apertam ac planam veri patefactionem requirant; qualia sunt confessio veritatis salutaris, contractus, testimonii dictio, juramentum, & similia. Hic non tantum aliud dicere non licet, sed & verba eo sensu sunt proferenda, quo intelligenda creduntur. In aliis rebus non eadem est necessitas. Licet aliquando tegere vel non aperire mentem nostram; licet aliquando recedere à verborum significatione, quam verba ex origine sua & usu receptiore habent; quod arguunt omnes tropi & figuratæ locutiones, quibus & sermo divinus & humanus abundat.

Quo casu simulatione ac dissimulatione uti liceat. VII. Quod ut melius liqueat, attendendum ad intentionem loquentis. Si tendat in bonum proximi, nec gloriæ Dei sit injuria, simulatio aut dissimulatio non videtur illicita. 1. Ergo licita videtur quando per eam proximi ædificatio intenditur, quæ sine ea obtineri nequit. Ita Apostolus monet *Rom.* XIV. 22. *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.* & 1 *Cor.* X. 28. Illa enim est dissimulationis quædam species, quâ ad tempus fides illa, quâ persuasus sum rem esse indifferentem, in infirmi fratris gratiam dissimulo. Eandem sibi tribuit Apostolus, 1 *Cor.* IX. 20, 21. imò tali in casu ista dissimulatio necessaria est. Attamen id locum tantum habet in rebus indifferentibus, à quibus tuto abstinere possumus; non in illicitis, aut necessariis. 2. Si nihil in se contineat gloriæ Dei adversum, aut proximo injurium, veluti, si quis speciem præbeat se rem indifferentem habere necessariam, aliique ut necessariam suo exemplo velit præscribere. Talis erat simulatio, quam Paulus in Petro reprehendebat, *Gal.* II. 13. Nec etiam ad vanam ostentationem referatur. 3. Quando illi, quorum interest, aut muneris officiique ratio exigit, aliorum animos explorare cupiunt: quale videmus in Servatore nostro, *Luc.* XXIV. 28. præ se ferente quòd ulterius ire vellet, ut discipulorum suorum animos exploraret, utrum institutione suâ excitati essent ad accuratiorem veritatis indagationem, ex se plenius, si ipsum retinerent, percipiendam. 4. Quando in rebus gerendis prudentiâ opus est. Ita præstat aliquando, præsertim in civili administratione, & ut pericula imminentia avertantur, non tantum animi consilia premere, sed & aliud præ se ferre. Ita & aliquando parentes severitatem erga liberos simulant, ut eos in officio contineant. Ita aliquando cum insanis, mente captis, atrâ bile percitis, infantibus, simulandum ac dissimulandum est. 5. Tandem ad incommodum magnum evitandum licet aliquando simulare, non quòd contra honestatem, sed quod contra decorum est. Sic David coram rege Achis ut vitæ suæ consuleret simulavit insaniam, 1 *Sam.* XXI. 13, 14. Ita tempore persecutionum ad effugiendum persecutorum manus licet alium habitum & vestitum, atque adeo aliam personam induere.

VIII. Quæritur. An ergo liceat uti æquivocationibus? *Resp.* Æquivocatio latet in verbis, vel quia à nobis præter usitatam significationem alia cuivis non obvia quæritur, vel quia aliquando sensum ambiguum habent. Priores æquivocationes in omni serio negotio sunt illicitæ. Nam si sermo eam quæ veritati congruat sententiam ex sani judicii æstimatione non recipit, vitio non caret, etiamsi intentio sit bona, multò magis si sit mala, & ad perniciem aut damnum alterius tendat. Si enim sermo ejusmodi ambiguus admittatur, actum est de fide inter homines, omnia fallaciis ac fraudibus permista erunt, *An liceat uti æquivocationibus.*

erunt, magnaque ex parte tolletur vinculum illud quod homines inter se sociat. Nam ut mentem nostram aliis aperiamus, vicissimque alii suam nobis aperiant, atque ita societas humana consistat, nobis sermo datus est. Quod posteriores æquivocationes attinet, si verba à nobis sensu usitatiore usurpentur, & alium admittant minus usitatum, non video cur iis uti non liceat, etsi forte contingat alium ea sensu à nobis non intento accipere: si enim ita in errorem inducatur, non hoc nobis, sed sibi imputet.

Candori opponitur hypocrisis

IX. Opponitur porrò Candori ὑπόκρισις, cujus toties in Scriptura mentio fit. Ea duplex est. Una respicit religionem, quando simulo pietatem, quâ me scio destitutum & a quâ animo penitus abhorreo. Tales sunt pessimi, nullâque divini numinis reverentiâ ducuntur; de quibus dicitur, quod *in hypocrisi loquantur mendacium*; quod *speciem quidem habeant pietatis, virtutem autem ejus abnegaverint;* quod *profiteantur se Deum nosse, factis autem negent*; 1 *Tim.* IV. 2. 2 *Tim.* III. 5. *Tit.* I. 16. Aut quando eam colloco in quorundam externorum observatione, verâ ac interna animi purgatione neglectâ. Hanc Dominus Jesus passim Pharisæis exprobrat, cùm eos vocat *hypocritas*, & *venire* ait *indutos vestimentis ovium, intus verò esse lupos rapaces*, *Matth.* VII: 15. non quod simularint se habere pietatem, quâ se destitutos noverant; sed quod pietatem quæsiverint in externis, neglectâ internâ animi puritate: ac proinde hypocritarum instar aliam personam repræsentaverint quàm gerebant: speciem præbuerint hominum sanctitate eminentium, cum vitiis intus scaterent; atque ita interpretativè fuerint hypocritæ. Talem à fide abesse vult Paulus, 1 *Tim.* I. 5. & 2 *Tim.* I. 5. à Timothei fide abesse ait. Altera concernit actiones proximum respicientes, qua erga alium simulo benevolentiam, cum ea planè sim destitutus. Talis est eorum, qui diligunt ore ac lingua tantum, non verò opere. Hanc à charitate removet Apostolus, *Rom.* XII. 9. & 1 *Pet.* I. 22. & planè damnat ut Christiano indignam, 1 *Pet.* II. 1. Gravissima autem est, quando animum inimicum tegit, & cum intentione proximum lædendi est conjuncta; estque proditionis species: qualis fuit Joabi erga Amasam, 2 *Sam.* XX. 9, 10. & Judæ erga Dominum Jesum, *Matth.* XXVI. 48, 49. *Luc.* XXII. 47, 48.

Et nimia simplicitas.

X. In excessu illi opponitur nimia simplicitas, qua animi sensa aperiuntur, quando nihil est opus, imò aliquando & aperienti & audienti noxium. Non enim omnia temerè aperienda, sed quando emolumentum aliquod sperari potest, nominisque divini honor id requirit: emolumentum autem propriè dicimus alterius. Hinc rerum quas aut tegimus aut aperimus natura inquirenda est. Quædam si aperiantur proximo nullam adferunt utilitatem, nobis verò damnum: ejusmodi tegendæ sunt. Aliæ nobis majus damnum, quàm proximo emolumentum: & hæ sunt tegendæ. Aliæ proximò majus emolumentum, quàm nobis damnum: qualis est veritatis salutaris propagatio cum periculò mortis; proximo enim adsert vitam æternam, nobis solùmmodò mortem temporalem. Vel etiam nobis majus creamus damnum tegendo, quàm aperiendo; aperiendo nim: mortem solummodò temporalem, tegendo, mortem æternam. Illæ neutiquam sunt tegendæ, sed ingenuè profitendæ; quæ ingenua professio non tantum excludit abnegationem manifestam quæ verbis fit, sed & ejus simulationem factis quibusdam externis, quæ abnegationis speciem habent. Uti in capite de Confessione ostendimus.

Candoris officium secundum.

XI. Secundum Candoris officium est, errores ac lapsus sibi commonstratos ingenuè agnoscere, vitia emendare, ac quod verum est profiteri. Huic repugnat pertinacia, quando homo lapsus sibi commonstratos emendare, erroresque quorum convincitur rejicere, veritatique idoneis argumentis adstructæ cedere recusat. Quod vitium plerumque ex inanis gloriæ studio ac nimia philautia ortum ducit; ægrè enim homo se aut moribus aut judicio lapsum, aut aliorum rationibus victum agnoscit; quia id aut sanctitati suæ, aut sagacitati, præjudicare credit, atque existimationem suam, quam alii de ejus ingenio ac sanctimonia concepere, imminuere. Inde pertinacia, ac pertinax sua defendendi studium, & in monitorem odium. Hæc maxima odii Pharisæorum ac Pontificum in Dominum Jesum videtur causa, *Joan.* XI. 47, 48.

Tertium.

XII. Tertium. Ostendere, ubi opus est, facta proximi tibi non placere, eumque amicè ac fraternè officii sui admonere, etiam si propterea odium illius sustinendum sit: quia est actus charitatis, *Jacob.* V. *ult.* Illi repugnat nimium aliis placendi studium, quo aliis ita gratificari studemus, ut interim eorum ædificationem ac æternum bonum negligamus: à quo vitio Apostolus se alienum ostendit, *Gal.* I. 10.

Quartum.

XIII. Quartum. Quod in aliis laude dignum est, etiam agnoscere, verbisque, ubi opus est, profiteri, etiamsi nobis minimè benevolus, imo inimicus sit. Candidi enim hominis est virtutem in quocunque suo pretio æstimare; veritatemque sibi à quocunque oblatam avidè arripere, neque attendere à quo, sed quid dicatur. Huic potissimum repugnat perversum judicium ex malevolentia ortum, qua omnia eorum quibus male volumus solemus in deteriorem partem interpretari, bona extenuare, ambigua, &

quæ in bonam partem accipi possunt, detorquere, mala exaggerare: imò eadem, quæ in aliis quibus bene volumus laudamus, in hisce culpare ac criminari. Repugnat charitati, quæ *non cogitat malum*, & *omnia credit*, 1 *Cor.* XIII. 6, 7.

CAPUT XLVII.

De Veracitate.

Veracitas. I. Veracitas est virtus dictorum cum rebus & cum mente consensum prudenter servans. Distinguitur à Candore, qui non tantum in verbis, sed & in actionibus nostris conspicitur, non tantum quæ ad alios referuntur, sed & quæ nos concernunt; ipsa verò solummodò in verbis, & quando nobis cum aliis negotium est, cernitur: & à Fide, quæ præcipuè ad promissa & juramenta refertur; Veracitas verò latius se extendit, ad quæcunque verba quibus mentem nostram exprimimus.

Ejus officium. II. Officium ejus est, ut sermones nostri rebus semper consentiant, maximè in rebus ad religionem pertinentibus, præcipuè ad salutem necessariis; uti ostendimus cum de Confessione ageremus: etiam in omnibus, quibus proximo fidem nostram adstruximus, ut contractibus, promissis, &c. præsertim juramento confirmatis: uti in tractatione de Fide seu Fidelitate plenius ostendetur. Hinc *Eph.* IV. 25. *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo:* & *Phil.* IV. 8. jubemur sectari *quæcunque sunt vera.*

An verba semper eo sensu sint usurpanda, quo sciuntur ab alio accipienda. III. Quousque simulatio ac dissimulatio, etiam æquivocationes licitæ sint, aut illicitæ, antea ostensum. Quæritur autem, an verba semper eo sensu sint usurpanda, quo sciuntur ab alio accipienda? *Resp.* 1. Quando verbis nostris fidem alicui obstringimus, cujus interest eam impleri, omninò eo sensu proferenda sunt: non enim in nostri, sed in alterius gratiam ea proferimus. 2. Quando interest honoris divini; veluti cum veritas salutaris est profitenda: ne videamur abnegare, quod ingenuè profitendum est. Hoc enim fluit non ex verborum usu per se spectato, sed ex negotii, cui adhibentur, qualitate. 3. Interim tamen non semper verba eo sensu proferenda esse, quo ab aliis accipienda sciuntur, docet nos exemplo suo Servator, *Joan.* II. 19, 20. *&c.* Voluit nim: animos dociles & probitatis studiosos excitare ad accuratius verborum suorum examen, ut occasionem haberent fidem majori cum judicio amplectendi: refractariis verò & omnia in pejorem partem detorquentibus, non omnes præripere prætextus in malitia se indurandi, ut fides in ipsum esset voluntarium obsequium. Sic & *Matth.* XIX. 28. 4. Ad instar illius exempli licet aliquando verbis, quæ usitatissimè eo quem nos intendimus sensu solent proferri, uti, licet sciamus alios ea sensu admodum à nostro diverso accepturos: quemadmodum in capite de Confessione ostendimus. 5. Licet etiam aliquando directam declinare responsionem, quando illâ declinatione ingens evitare possumus periculum, eaque in nullius damnum cedit, imo & in alterius bonum cedere potest. Uti patet exemplo Abrahami, qui rogatus, utrum Sara uxor ejus esset, non negavit quidem; verùm responsionem directam declinans, aliud respondit quàm rogabatur; dicens sororem suam esse. *Genes.* XX. 2.

IV. Veracitati opponitur mendacium, seu potius mentiendi libido. Mendacium est, quando quis signo externo animum indicat, quod cum sensu in animo latente neutiquam convenit, sive sint verba, sive gestus alii verbis æquipollentes. Duo in eo requiruntur: voluntas falsum dicendi, & intentio ac finis fallendi. Inde apparet discrimen inter eum qui mentitur & falsum dicit; vir bonus non mentitur, potest tamen ignorans falsum dicere; prudens verò nec falsum dicit. *Illi opponitur mendacium.*

V. Solet communiter mendacium distingui in perniciosum, quod ad proximi noxam, jocosum, quod ad delectationem, & officiosum, quod ad utilitatem proximi dirigitur. *Ejus divisio.*

VI. Quæritur an Scriptura omne mendacium damnet? *Resp.* Perniciosa damnari nemo negat, utpote & charitati & justitiæ directè repugnantia: & ea sunt, quorum se vindicem Deus passim comminatur. Jocosa planè repugnant gravitati hominis Christiani, quem non decet se oblectare mendaciis. Vetat Apostolus scurrilitatem, multò magis improbare credendus est mendacia jocosa. Quid quod dicentis fidem minuunt, nam nec vera dicenti postea fides habetur. *Perniciosum & jocosum sunt illicita.*

VII. Sed potissimum quæritur de officiosis, quæ obsunt nulli, prosunt multis, hunc præservant à peccato, alterum à gravi periculo vel damno, præsertim cum absque ejusmodi mendacio præservatio illa fieri non possit: ut si ab homine irato alium stricto ferro insequente interrogatus quam viam ingressus sit, aliam indicem. Sanè ejusmodi mendacia inter peccata censenda esse, nondum video. Abest enim hic quod Deus in mendacio maximè detestatur, sc. injuria proximi; è contra, omne damnum proximi præcavetur, ejusque bonum promovetur, sine ulla alterius noxa aut damno, imò maximo ejus bono, quem à gravi peccato præservamus. Deum ideo mendacium vetare, quia est dictio non congruens rei, licet tendat ad bonum proximi, sufficientibus rationibus probari non potest. Imò quia sermo nobis datus est, ut in civili conversatione fidem cum aliis cola- *Non perinde officiosum.*

colamus: non videtur aliquid committi fini in quem sermo datus est contrarium, mendacio ejusmodi, quod nulli nocet, alteri prodest, præsertim si verum proferri non possit, quin alteri noceat, nulli prosit. Habemus exemplum in obstetricibus Ægyptiis, *Exod.* I. 19, 20. quarum factum, non sine mendacio perfectum, Deus approbat. Verum quidem est, actum misericordiæ laudari, non mendacium; sed ob misericordiam Deus mendacium, sine quo misericordiæ actus exerceri non poterat, non improbavit.

Perniciosa Deus damnat VIII. Propriè itaque & præcipuè vetantur mendacia perniciosa, *Eph.* IV. 25. *Prov.* VI. 17. XII. 22. *Sachar.* VIII. 16. Et ejusmodi mendaces Deus detestatur, *Psal.* V. 7. imò omnem impietatem quandoque *mendacii* nomine designat, *Jerem.* VIII. 10. *Ose.* VII. 1. *Apoc.* XXI. 27. XXII. 15.

Ejus species, calumnia. IX. Illius variæ sunt species. 1. Calumnia, quæ est crimen alteri ignominiæ causa objectum: 2 *Pet.* II. 10, 11, 12. *Judæ vers.* 8, 9, 10. Tales multæ fuere Judæorum calumniæ contra Dominum Jesum.

Obtrectatio. X. Secundò. Obtrectatio; quæ est sermo clandestinus ad famam alterius minuendam comparatus. Tales vocantur *susurrones*, *Rom.* I. 30. & de his conqueritur David, *Psal.* XLI. 8, 9. LXIV. 4, 5, 6, 7. Si fiat apud eos, qui vindicare possunt, & illi, de quo sermo est, nocere, vocatur Sycophantia, seu delatio. Et committi potest dupliciter; vel falsum de homine dicendo; vel verum quidem; attamen quarundam circumstantiarum omissione rem ita detorquendo, ut alia planè videatur: exemplum habemus in Doëgo Idumæo, 1 *Sam.* XXII. 9. Illi vicina est Irrisio seu subsannatio, quâ malum aliquod de proximo dicitur, non ut illi cedat in emendationem, quemadmodum ironicè aliquando idololatras perstrinxerunt Prophetæ; ut Elias, 1 *Reg.* XVIII. 27. sed solummodò ut pudore suffundatur; constatque non solum verbis sarcasticis, sed & gestibus ac cachinnis. Ita inimici Davidem subsannarunt, *Psal.* XXII. 8. Judæi Dominum Jesum in cruce pendentem: *Matth.* XXVII. 39. *&c.*

Falsum testimonium. XI. Tertiò. Falsum testimonium, quod præcipuè exhibetur in judicio, quando aliquis a judice citatus falsum illius de quo persuasus est testimonium profert: quod Deus vetat præcepto decalogi nono, severiterque puniri jubet *Deut.* XIX. 18. 19. idque non sine ratione: quia per falsum testimonium omnis justitia evertitur; nocentes & scelerati sæpe proteguntur, & innocentes opprimuntur. Ut enim justitia exerceatur inter homines, & innocentes à sceleratorum violentia tuti protegantur, opus est tribunali judicis: quoniam autem judices omnium rerum exactam nequeunt habere notitiam, ne judicium intervertatur opus est testimonio: quia igitur à fide testium judex pendere debet, hinc Deus voluit, ut falsus testis eadem pœna, qua reus afficiendus fuisset, puniatur. Hinc & *Proverb.* XXI. 28. *Testis mendax peribit.* Illud autem hic notandum, non tantum falsum perhiberi testimonium, quando novimus nos falsum testari, ut falsi illi testes à Jesabele contra Nabothum subornati, 1 *Reg.* XXI. 10, 13. sed & posse contingere, ut aliquis falsum testimonium dicat, licet ignoret se falsum testari; nim: quando verba alterius refert sensu ab ipsius mente alieno; cum tamen facile verum ac genuinum eorum sensum cognoscere possit. Tales erant falsi illi testes contra Dominum Jesum: *Matth.* XXVI 60, 61. & contra Stephanum, *Act.* VI. 11, 12. qui, odio ac ira præpediti, verum verborum ab ipsis prolatorum sensum non inquirebant.

XII. Omnia autem hæc vel directè fiunt, quando ea proferuntur, quæ directè proximi famam lædunt, quæque animi alieni ac inimici manifesta sunt indicia: vel indirectè & sub specie amicitiæ; quando alterius laudes tam frigidè proponuntur, ut laudatione tua eum magis deprimas, quàm extollas; vel postquam laudes ejus protulisti, postea quædam in ejus vituperium addis. Nam unusquisque facile videt, priorem laudem eum tantum in finem institutam, ut proximi famam tantò magis lædas; facilius enim fides habebitur amico quid in præjudicium amici sui proferenti, quàm inimico. Verùm hæ sunt plerumque calumniatorum artes, ut sub laudum melle venenum ac virus suum tegant. *Fiunt hæc vel directè, vel indirectè.*

XIII. Procedunt autem vel ex malitiâ; quando proferuntur ea quæ scimus falsa esse; qualia sunt, quæ aut confinximus ipsi: qualis fuit calumnia uxoris Potipharis contra Josephum, *Genes.* XXXIX. 17, 18. Zibæ contra Mephiboseth, 2 *Sam.* XVI. 3, 4. & expresse vetatur, *Levit.* XIX. 16. *Prov.* VI. 19. *Syrach.* XXI. 31. aut ab aliis, quos ea confinxisse novimus, habemus. Tales similes sunt adulteratoribus monetæ, quorum unus occulto monetam adulterat, alter adulteratam inter homines dispergit. *Procedunt vel ex malitia.*

XIV. Vel ex judicio temerario, quod nulla solida ratione nititur. Dicitur autem judicium nulla solida ratione niti, non tantum quando res ipsa nulla solida nititur ratione, sed licet nitatur, eo tamen judicanti ignota est. Judicium autem varium est, aliudque alio firmius, admittitque potissimum tres differentiæ gradus. Vel enim est dubitatio, quando sumus suspensi, neutrique parti præbemus assensum: vel suspicio aut opinio, quæ aliqua conjectura probabili, aut signo vel ratione non necessaria nititur, adeo ut uni parti quidem præbeamus assensum, ita tamen, ut credamus falli nos posse: vel judicium plenum, quo cer- *Vel ex judicio temerario.*

certò & definitè in unam partem judicium nostrum inclinamus. Temerarium ergo judicium est, quando non nititur rationibus, quæ post accuratum examen deprehenduntur sufficientes ad judicium quod formamus producendum: alias potest esse ratio sufficiens ad dubitationem, non ad opinionem; vel sufficiens ad opinionem, non ad judicium plenum.

Varia illius causa. XV. Illaque judicandi temeritas, pro varietate causarum ex quibus oritur, vel levior vel gravior est. Levissima est, quæ ex mero intellectus errore ortum ducit; quod aliquis rationes judicet solidas, quæ revera tales non sunt. Signum illius est, si deprehenso errore homo non petinaciter illi inhæreat, sed eum statim corrigat. Gravior est, quæ ex morositate quadam oritur, qua propensus est homo omnia aliorum in sequiorem partem interpretari. Gravissima, quæ malevolentiam quandam & odium erga alium causam habet, qua fit, ut omnia illius quem odimus in malam partem intrepretemus; contra charitatis officium, quæ *non cogitat malum*, 1 *Cor.* XIII. 5. imo eadem quæ in aliis quibus bene volumus laudamus, in hisce culpemus, quia facile credimus facta eorum quos odimus ex animo malo proficisci: illiusque signum est pertinacia.

Ejus species. XVI. Judicium hoc temerarium vel instituitur de singulari alicujus facto, vel etiam de toto illius statu, tanquam peccatore ac mortis æternæ reo. Tale fuit judicium Pharisæi de publicano, *Luc.* XVIII 11, 12. & Judæorum de Zacchæo, *cap.* XIX. 7. aliorumque conservos suos ob dogmata ad salutem non necessaria condemnantium; *Rom.* XIV. 3, 4. Omnia autem simul damnat Jacobus, *cap.* IV. 11, 12.

Ejus turpitudo. XVII. Hæc autem omnia repugnant directè charitati, primæque illius regulæ, quodcunque tibi fieri non vis, alteri ne feceris. 2. Injuria sunt in proximum, unusquisque enim jus habet ad bonam famam, tanquam thesaurum bonum in omnium cordibus asservatam, donec eam pravis factis ipse inde expellat. Hinc unusquisque præsumitur bonus, quem non constat esse malum. 3. Proximus in contemtum adducitur, *Rom.* XIV. 3, 10. Temerarium judicium præterea in jura Dei involat; quod ostendit *Jacob.* IV. 11, 12. *Qui detrahit fratri, aut judicat fratrem suum, detrahit legi & judicat legem; si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex: unus est legislator & judex qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es qui judicas proximum?* Si enim proximum judicio Dei in Scripturis non damnatum condemnat, revera se legislatorem constituit, tribunalque Dei conscendit. Si singularia quædam proximi facta judicat, rectè etiam se legi præponere dicitur: quia in occulta sibique incomperta judicium assumit; occulta autem judicare solius Dei est.

Ut & obtrectatores. XVIII. Obtrectatores verò, præterquam quod proximi famam lædant, etiam inimicitias & lites inter amicos serunt: hinc Salomon *Proverb.* VI. 19. conjungit, *proferentem mendacia testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias*: eoque sunt pestilentiores, quia nocent occultè, ut caveri nequeant ipsorum ictus. 2. Causæ unde obtrectatio ortum ducit, turpissimæ sunt; invidia nimirum, quia rarò viles aut abjectos impetit, sed semper quorum aut spectata est probitas, aut ingenium animique dotes in pretio, aut felicitas exoptanda; & curiositas, quæ anxiè alterius vitam inquirere, ejusque secretissima rimari jubet, ut cavillandi & obtrectandi materia sit. Norunt præterea obtrectatores se peccare; hinc omni ope student, ne obtrectationes suæ iis innotescant, quos calumniantur, quia nullo negotio dilui posse vident. Hinc dicuntur *in occulto sagittare*, *Psal.* LXIV. 5.

Quo casu alterius peccatum narrare licitum sit. XIX Sed quid si verum dicatur? *Resp.* Potest esse obtrectatio, si nimirum peccatum proximi sit occultum, nullaque justa id propalandi causa: tum enim ex facti circumstantiis de intentione judicandum est, quæ nulla præter proximi vilipendium esse potest. Attamen si peccatum manifestum est, sine calumniæ crimine narrari potest; ut aliis cedat in exemplum. Potest etiam aliquando occultum crimen detegi, quando homines impii fuco pietatis aliis imponunt, ipsorumque se familiaritati insinuantes eos secum in exitium rapiunt; quibus occultorum facinorum detectione larvam detrahi consentaneum est.

His annumerandi, qui obtrectationes libenter audiunt. XX. Detractoribus etiam adnumerandi sunt, qui eos libenter audiunt, & audiendo aliquatenus detractioni cooperantur, eliciendo nimirum curiosis interrogationibus detractionem, eamque cum delectatione audiendo. Hinc *Prov.* XXIV. 21. *Cum detractoribus non commiscearis*, &c. Nec ab hoc crimine immunes sunt, qui quamvis non delectentur, tamen cum possint non impediunt, præsertim cum ex officio tenenantur impedire. Hinc *Proverb.* XXIV. 9. *Abominatio hominum detractor.* & *Cap.* XXV. 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis* (severa nempe quæ detractionem sibi displicere indicat) *linguam detrahentem*: adde & *Syrach.* XXI. 13. Hinc & David *Psal.* CI. 5. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.*

Adulatio XXI. Est præterea aliud vitium hisce omnibus directè oppositum, Adulatio, qua aliis per vanam ipsorum laudationem placere studemus. Vitium est, non solum ipsi assentatori, sed & potissimum illi cui adulatur perniciosum. Cùm enim homo facillimè sibi blandiatur, lapsusque suos excusare, virtutes

tutes extollere soleat, quod utrumque & ad resipiscentiam, & profectum in virtute impedimentum est maximum; adulator falsis suis præconiis hominem magis impellit, ut in vitiis suis sibi placeat, seque perfectum credat, cum vitiis scateat. Et tanto sunt nocentiores, quia amicitiæ ac benevolentiæ specie lædunt. Hinc *Proverb.* XXIX. 5. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.* Maximè autem est periculosa assentatio in rebus vitam Christianam, salutisque negotium concernentibus: *Esa.* III. 12. *Popule mi, qui te beatum prædicant, te seducunt*, &c. Tales dicuntur *pulvillos suere sub omni cubito manus, & cervicalia facere sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas Ezech.* XIII. 18. Talibus merito annumerari possunt, qui hominibus peccatoribus in peccatis blandiuntur, qui actus charitati Christianæ adversos ut pium zelum deprædicant, hominibusque sceleratis, modò Christum pro peccatis suis satisfecisse profiteantur, non aliter atque sanctissimis salutem æternam incunctanter annuntiant. Aut qui sceleratis ac impiis à peccatis absolutionem promittunt, non ob veræ resipiscentiæ actus, sed ob egregiam Ecclesiæ navatam operam cæde & oppressione innocentium ac piorum, sub ipsius jugo colla sua cæcâ obedientiâ non flectentium; perinde ac si opus sit coram Deo meritorium, innocentium cæde manus suas polluere. Ab adulationis crimine Apostolus se immunem profitetur, 1 *Thess.* II. 5. dicit verò vitium esse falsis doctoribus solenne, quod *per blandiloquentiam & assentationem corda hominum minimè malorum seducant*, *Rom.* XVI. 18. & 2 *Pet.* II. 18, 19.

CAPUT XLVIII.

De Fide seu Fidelitate.

[...]ilit. I. FIdelitas est Justitiæ species, quæ cernitur in servandis promissis. Promissa sunt, vel expressa, vel tacita, nutu aut gestu, vel alio quocunque signo testata. In expressis promissis cavenda est omnis verborum ambiguitas, quâ alterum deludamus; quia promissum non in nostri, sed alterius gratiam fit. Hoc autem potissimum spectat virtutem Veracitatis. Fidelitatis verò propriè est præstare quod promiseris. Illa commendatur *Matth.* XXIII. 23. & *Gal.* V. 22.

[...]rvanda [...]omni[...]s. II. Hic nulla personarum exceptio facienda est, sive sint fideles, sive infideles, sive hæretici sive orthodoxi: quibuscunque enim fides dari potest, iis etiam servari debet, quia non alio fine datur, quàm ut servetur. Imò ipsis Ethnicis & idololatris servanda est; uti ex Gabaonitarum exemplo patet, *Jos.* IX. & ob fidem illam à Saule violatam, Deus familiam ejus afflixit, 2 *Sam.* XXI.

III. Inde facile colligi potest, quid de Pontificiorum doctrina, hæreticis non esse servandam fidem, judicandum sit: nempe esse doctrinam pestilentissimam, quæ omnem fidem inter homines, sine qua nulla societas aut communio consistere potest, dissolvit; sub cujus prætextu quæcunque perfidia committi potest. Sed conqueruntur Pontificii, falsò sibi doctrinam ejusmodi affingi. Itaque expressius paulò & distinctius eorum sententia proponenda est. Verum est, non docent, Ecclesiam, quando fidem obstrinxit hæretico, promisso illo non obligari: sed, quando Cæsar, Princeps aut Magistratus se hæretico obligavit, aut fidem dedit, illius nullam esse obligationem, si quando Ecclesia judicat, in sui præjudicium fidem esse datam: quoniam prætexunt, ipsum potestatis suæ limites excessisse, & quæ sui juris non erant obligasse; ideoque promisso illo, in Ecclesiæ præjudicium facto, non teneri. Quod in exemplo Joannis Hussi, & famoso illo Concilii Constantiensis decreto, manifestum est. Atqui sub specioso isto prætextu Ecclesia à quibusvis fœderibus & contractibus maximè sacrosanctis Principes absolvere potest, quandocunque ex usu judicat fœdus & contractum rescindere. Atque ita omnem de Principum ipsi subjectorum fidelitate certitudinem tollit, dum maximè perfidos à perfidiæ crimine absolvit, & cum ipsis contrahentes semper incertos relinquit, num aliquando, modò è re sua esse videat, contractum ejusmodi in sui præjudicium esse factum, ac proinde irritum aut nullum, pronuntiatura sit. *Etiam hæreticis.*

IV. Sed quæritur, an & fides latroni, juramento præsertim confirmata, sit servanda, qua ad vitæ meæ redemtionem certam pecuniæ summam ipsi solvere in me recipio. Ratio dubitandi est; quia promissum hoc metu mortis est extortum, proinde non voluntariè conceptum; & latrones communes sunt generis humani hostes; quibuscum nulla pacta intercedere possint. Verùm his non obstantibus, dicimus promissa, præsertim juramento confirmata, in tanta apud nos esse debere reverentia, ut ea nullo pacto violare fas sit. Est quidem ejusmodi promissum metu mortis extortum; is autem, qui promissum fecit, eo tempore credidit, præstare sibi hac opum jacturâ vitam suam redimere, quàm interfici. Non fuit ergo actio invita, sed ex earum genere quæ mixtæ vocari solent. Tum & juramento se obstrinxit Deo: licet ergo latro jus non habeat, promissi solutionem exigendi; non tamen qui promisit propterea ab obligatione, qua se per juramentum Deo obstrinxit, solutus est. *Etiam latroni.*

V. Ut autem promissum obstringat, ad hæc attendendum. Primò. Ut fiat de re licita *Conditio prima in*

promissa requisita. cita aut honesta: si facta sint promissa de re illicita aut inhonesta, non obligant; non enim possunt esse vinculum iniquitatis, neque ullo promisso homo obstringi potest ad aliquid faciendum legi divinæ contrarium. Ita promissum illud, seu potius conjuratio, quadraginta illorum virorum contra Paulum Apostolum, tanquam impia rescindi debuit, *Act.* XXIII. 13, 14, 15. Sic Esdras matrimonia à Judæis cum alienigenis de populis illius terræ contracta, tanquam legi divinæ repugnantia, dissolvit, *Esdr.* X.

Secunda. VI. Secundò. Ut qui promisit, compos sit mentis suæ, non amens. Et potissimum, ut, licet mentis compos sit, sciat quid promittat, ac proinde non adeo generale sit promissum, ut præter promittentis intentionem detorqueri possit ad id, quo carere nec potest nec vult, aut ad rem illicitam; quale fuit promissum Herodis, *Matth.* XIV.

Tertia. VII. Tertiò. Ut ipsi, cui promissum factum est, illius impletio noxia non sit futura; tum enim res ipsa docet, non esse implendum: nam per promissum ipsi obligatus sum; nemo autem alteri ad ipsius damnum obligatus esse potest; quia obligatio alteri jus aliquod in me confert: atqui nemo jus acquirit ut sibi male sit: potest alter jus acquirere malum alteri inferendi: sed jus, quod ego in alium acquiro, est ut mihi per illum bene sit.

Quid faciendum si promissi impletio sit noxia promittenti. VIII. Sed quid, si promissi impletio noxia sit futura promittenti? *Resp.* Præstari tamen debet, quia per promissum jus in rem nostram abdicavimus, & in alterum transtulimus. Interim ejusmodi casus incidere posse credimus, qui promissi præstationem impediant, nempe inopinati & non prævisi, quos ipse promittens, si prævidisset, expressè excepisset; eos ergo tacitè excepisse credendus est. Ut si alicui operam meam addixerim, interimque contingat vel parentem, vel uxorem fato fungi, res ipsa indicat, talem me casum excipere voluisse. Æqui autem ac benigni viri est, si promissi impletio promittenti valdè noxia sit futura, promissi impletionem non rigidè urgere, sed de jure suo remittere.

Fidelitas in tacitis promissis requisita. IX. In tacitis promissis requirit fidelitas, ut res concreditæ fideliter asserventur, eâ curâ, quâ sedulus pater familias suas res asservare solet, & reddantur; nimirum, nisi illi qui credidit noxium sit futurum; tum enim ad tempus restitutio differenda est: sic dicimus depositum esse reddendum, sed non arma furioso. II. Ut munus nobis demandatum fideliter obeamus, omnesque muneris nostri partes expleamus. Ita Apostolus docet, 1 *Cor.* IV. 2. *Exigitur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Sic servi, qui talenta sibi concredita domino cum lucro reddebant; vocantur *fideles*, *Matth.* XXV. 21. 23. *Luc.* XIX. 17. III. Ut res administrationi nostræ concreditas, eos in usus convertamus, quibus ab ipsarum domino destinatæ sunt. Contra hoc officium peccant divites, quando divitias, sibi tanquam dispensatoribus concreditas, ut in pauperes ac pios usus erogent, in luxum absumunt. Hinc *Luc.* XVI. 10, 11, 12. *Qui fidelis est in minimo, etiam in majori fidelis est; & qui in modico iniquus est, in majori iniquus est*, &c. IV. Ut aliquem nobis confidentem non deseramus, præsertim postquam jam auxilii spem fecimus. Illa fidelitas Deo tribuitur, 1 *Cor.* X. 13. 1 *Thess.* V. 24. 1 *Cor.* I. 9. & 1 *Joan.* I. 9.

X. Fidei opponitur Perfidia, cujus effectum dolus est, quando quis promissa vel expressa, vel tacita, non præstat: expressè prohibetur, 1 *Petr.* II. 1. Estque vel verbis: sic negatur dolus fuisse in Christo, 1 *Petr.* II. 22. & in iis qui tanquam virgines stant coram throno Dei, *Apoc.* XIV. 5. Vel factis, quando quis adhibet consilia fraudulenta ut alterum decipiat. Huc autem non sunt referenda stratagemata in bello usitata, cum longè aliud præ nobis ferimus, quàm animo intendimus: non enim hosti tenemur consilia nostra patefacere, aut id agere, quod externâ specie agere velle videmur, nisi pactum aliquod intercesserit, quod hac ratione violatur. Nec illi hac ratione injuriam facimus; quia omnia hostilia sibi à nobis metuit, & in quascunque occasiones se erga nos munit. *Oppositum, Perfidia.*

XI. Huc etiam jure referri potest proditio, quæ est amici desertio in necessitate, vel etiam clandestina delatio ad eum qui nociturus est; veluti si quis occulta suorum consilia ad hostem deferat. Cui & annumeratur traditio, tanquam gravissima proditionis species, quando aliquem in manus nocituri tradimus: aut procuramus ut tradatur. Talis fuit traditio Judæ, *Matth.* XXVI. 16. & eorum quorum tempore persecutionis charitas refrigescet, *Matth.* XXIV. 10. *Et proditio.*

CAPUT. XLIX.

De Gratitudine.

I. Gratitudo est virtus, quæ cernitur in reddendo beneficio. Et tria potissimum requirit. I. Animum gratum, id est, beneficii accepti agnitionem, gratam memoriam, & reddendi affectum. II. Gratiarum actionem, quæ per verba fit, quibus beneficium prædicamus. Hic autem cavendum, ne beneficium vel extenuemus, vel adulatoriè extollamus, ut ita novum beneficium provocemus; quod est, non gratias agere, sed alterum beneficium captare. III. Gratiæ relationem, quando in potestate nostra est. In qua attendendum. *Gratitudo, ejusque actus.*

1. Ut

1. Ut majori mensurâ, si fieri possit, beneficium rependatur; quia beneficium fuit gratuitum, illius tributio debitum; non ergo est compensatio, nisi majori mensurâ retribuatur. 2. Ut illi qui plus aut libentius dedit, etiam plus aut libentius reddatur; ut ita retributio aliquatenus beneficio respondeat. 3. Ut alacriori animo reddatur quàm accipiatur beneficium. Vide gratitudinem Davidis erga filios Bersillai; 1 *Reg.* 11. 17. Præstantissimus grati animi actus est, benefactorem ne in casu quidem necessitatis deserere, ipsique cum periculo gratiam rependere. Ita celebratur Ethai Gethæus, 2 *Sam.* xv. 19. &c. qui Davidem à facie Absolonis fugientem comitatus est.

Oppositum ingratitudo. II Virtuti huic opponitur Ingratitudo, quæ vel nulla, vel parum digna est atque intempestiva beneficii retributio: variisque constat gradibus. Vel enim non refert gratiam, quando potest, licet acceptam fatetur; vel nec refert, nec acceptam fatetur, aut si non neget acceptam, dissimulat tamen: vel refert clam, ne coram aliis debuisse videatur: vel ita refert; non quasi beneficium acceperit, sed prior det: vel ægrè & cum murmure, aut insolenter & tardè ac intempestivè refert, & minore mensura quàm accepit. Summus gradus est, malefacere benefactori, seu pro beneficio maleficium rependere. *Syrach.* xxix. 22. *Ingratus sensu derelinquit liberantem se.*

Ejus Fœditas. III. Vitium est maximoperè detestandum, quodque omnibus hominem exosum reddit; nemo enim est, qui non execretur ingratum; peccatum est, quod ne in bestias quidem cadit, quæ benefactoribus suis gratæ sunt, testante Deo, *Esa.* 1. 2. Injurium est erga proximum; quia honore ipsi ob beneficium debito fraudatur; quoniam beneficio suo jus sibi in eum, cui id contulit, acquisivit, eumque sibi obnoxium reddidit, & obligatum par aut majus pro rei exigentia reddendi. Hinc rectè quidam beneficia vocavit compedes; & alter, Beneficium qui accepit libertatem amisit. Fœditasque ejus maximè elucet, quod non, ut alia multa, committitur in inimicos, sed amicos ac benefactores.

Ipsi ingrato noxia est. IV. Imò & ipsi ingrato maximè est noxium. Si enim rebus fruatur secundis, omnibus detestationi est, indignusque suâ felicitate habetur. Si miser sit, neminem illius miseret, omniumque erga se liberalitatis fontem sua ingratitudine obstruxit; nemo enim perire sibi beneficium cupit; perit verò, quicquid ingrato, perinde atque terræ sterili, committitur. Neminem sibi fidum sperare potest, qui ipse fidelis est nemini. Hinc *Sap.* xvi. 29. *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua supervacua.*

Ejus causæ. V. Detestandi hujus vitii causæ sunt 1. Arrogantia aut fastus, quod debitum credas, quicquid in te collatum est, non beneficium. Ægrè enim homo alteri se obligatum fatetur, sed libenter sui juris est: hinc beneficiorum memoriam facile deponit, ne alteri se obnoxium fateri cogatur. 2. Avaritia & ambitio: dum enim novis semper cupiditatibus sumus intenti, de referenda gratia minus cogitamus: imò hæc pro gratiis sæpe mala referre suadent. Saul oblitus officii Davidis, qui Goliathum prostraverat, ambitionis stimulis incitatus eum voluit interficere, 1 *Sam.* xviii. 8. *&c.* 3. Invidia, quæ quia bonis alienis tristatur, ea augere non studebit, nec merita alterius dignè æstimabit.

CAPUT L.

De Abnegatione nostri.

I. Sanctitatis pars, quæ in Directione nostri ipsorum consistit, officiaque quæ nos propriè concernunt moderatur, generali nomine *Temperantiæ* exprimitur, *Tit.* 11. 12. quæ virtus propriè cupiditatum nostrarum moderationem designat: vel phrasi, *non diligendi mundum, & ea quæ in mundo sunt*, 1 *Joan.* 11. 15. Quâ docemur affectus nostros ab objecto illicito avertere. Sed præcipuè usitata est phrasis *abnegandi seipsum*, quâ Servator utitur *Matth.* xvi. 24. *Luc.* ix. 23. & alibi. Nos tertiam hanc Sanctitatis partem primo in genere, sub consideratione Abnegationis nostri, explicabimus; deinde distinctè de singulis ejus partibus ac officiis disseremus. *Directio nostri.*

II. *Abnegare* est propriè partes alicujus deserere, idque palam profiteri. Sic dicuntur aliqui Dominum abnegare coram hominibus, *Matth.* x. 33. ita & 2 *Tim.* 11. 12. Fit aliquando non verbis, sed factis, quando homo factis testatur se Dominum ejusque doctrinam deseruisse, etiamsi verbis eum aliquali ratione confiteatur. 2 *Tim.* 111. 5. *Tit.* 1. 16. 2 *Petr.* 11. 1. *Judæ vers.* 4. Hoc sensu etiam tribuitur Mosi, *Hebr.* xi. 14. *quod negaverit vocari filius filiæ Pharaonis.* Transfertur ad nos, dicimurque nos ipsos abnegare, quando nos totos Deo mancipamus, nullamque nostri rationem habemus, quæ nos vel tantillum à Deo, iisque quæ Deo debemus, abducat. *Quid sit abnegare.*

III. Abnegatio hæc à Domino Jesu *Matth.* xvi 24 angusto significatu accipitur, nihilque aliud videtur denotare, quàm, quòd vita, omniaque nobis aliàs chara, vilia esse debeant præ cultu divino, quodque parati esse debeamus mori potius, & quodvis acerbum ac durum pati, quàm amore vitæ & mundi hujus commodorum aliquid facere indignum religione Jesu Christi. Adeo ut phrases sint æquipollentes, *abnegare seipsum*, *Abnegationis nostræ significatio strictior.*

ipsum, & *crucem suam tollere*, ac *Christum sequi*. Perinde uti alibi phrases æquipollentes plures conjunguntur. Vide inter alia, *Genes.* XLIX. 11. *Joan.* I. 13, 20. I *Thess.* V. 5.

Laxior. IV. Ordinariè tamen à Theologis latiore significatione usurpatur: pro renuntiatione propriæ cupiditatis nostræ, sive propriæ voluntatis abdicatione, ejusdemque sub unius Dei jussum & beneplacitum ultronea subjectione; ita ut nos totos Deo quasi tradamus, ut ille tanquam Dominus absolutus animâ & corpore nostro, veluti re suâ propriâ, pro liberrimo suo arbitrio utatur, & de illis disponat, ipsisque præscribat quicquid ipsi libitum est.

Quo jure a nobis exigatur. V. Justè hæc abnegatio à nobis exigitur, quia nos Dei in solidum sumus, qui nos creavit, & Jesu Christi Servatoris nostri, qui nos redemit, animâque ac corpore sibi acquisivit in peculium. *Rom.* XIV. 8, 9. I *Cor.* VI. 19, 20. & *Cap.* VII. 22, 23.

Quo sensu a nobis præstari queat. VI Hinc sequi videretur, nihil propriè nos posse abdicare, nedum Deo consecrare, utpote omnium ex asse domino. Sed tamen usum voluntatis nostræ Deus liberum nobis reliquit, ita ut possimus aliud velle, imò contrarium illi quod nobis præscribit. Cùm itaque usum voluntatis nostræ patimur legibus Dei circumscribi, ita ut multa faciamus nobis aliàs ingrata, & omittamus grata, ut Deo placeamus, dicimur nos ipsos abnegare; quia illud, cujus usum liberum ac in potestate nostra esse voluit Deus, ipsi tanquam in obsequium tradimus: & quidem illâ solâ ratione ducti, quia nos non sumus nostri juris, sed Dei in solidum.

Tribus constat actibus. VII. Tribus autem illa actibus absolvitur, qui omnes in ratione allegata suum habent fundamentum.

Eorum primus. VIII. Primò. Ut in cultu divino non sequamur carnalem nostram prudentiam, sed ductum unius Dei, cujus omnibus actionibus summa præsidet sapientia. Uti liquet ex *Matth.* XI. 25. I *Corinth.* I. 19. *&c.* & *Cap.* III. 18, 19. Hinc monemur, *Proverb.* III. 7. *ne simus sapientes apud nosmet ipsos.* Ratio est. Nostri non sumus; ergo nec ratio nostra carnalis, nec voluntas, in actionibus nostris dominetur. Dei sumus: ergo cunctis actionibus nostris præsideat ejus sapientia & voluntas. Ita videmus homines sapientiâ mundanâ turgidos, qui omnia juxta seculi hujus naturam metiuntur, ineptos fuisse ad fidem in Jesum Christum, imò doctrinam fidei tanquam stultam rejecisse, I *Cor.* II. 14. tam Judæos quàm Ethnicos, cum tamen omnes, qui rationem suam Deo in obsequium tradunt, summam hîc nunquamque laudibus condignis celebrandam sapientiam clarè videant. Hinc Apostolus ait, I *Cor.* I. 22, 23, 24. *Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & sapientiam.* Judæis Christus erat scandalum, 1. Ob personæ vilitatem, *Matth.* XIII. 55. 2. Ob mortem ipsius turpem & ignominiosam. 3. Ob promissa demum post hanc vitam implenda. Quæ omnia carnali ipsorum exspectationi, de regno terreno per Messiam erigendo, repugnabant. Gentibus erat stultitia: quia præscribebat fidem in Jesum Christum crucifixum. 2. Abnegationem omnium, etiam suavissimorum, adeoque vitæ ipsius, spe felicitatis post hanc demum vitam obtinendæ. Hoc ipsis stultum videbatur, abdicare præsentia spe futurorum invisibilium, ad quæ absque mortuorum resurrectione, quæ ipsis ridicula videbatur, *Act.* XVII. 32. perveniri non potest. Sed tamen, si finem Dei totamque ejus administrationem penitius inspiciamus, summam in hoc opere deprehendemus sapientiam; quoniam Christum in morte non reliquit, sed suscitavit, & ad dexteram suam collocavit, potestatemque in omnia dedit, cui in quacunque necessitate tutò confidere possimus; doctrinaque ejus viam continet ad vitam æternam: ratio autem ad vitam perveniendi summam nobis exhibet Dei sapientiam, quòd velit nos mundo valedicere, ut participes simus bonorum cælestium, quorum amor cum amore mundi consistere nequit. Illis itaque ea largiri tantum cupit, qui ea toto corde expetunt: id autem demonstrant abnegatione illorum bonorum, quæ amorem illorum impediunt, carni aliàs quammaximè gratorum.

IX. Illud autem eò usque extendendum non est, ut rationem planè debeamus exuere in rebus religionis; quod antea satis ostendimus: sed solummodò, quòd divina voluntas unica fidei actionumque nostrarum regula esse debeat. *Cautela.*

X. Secundo. Ut affectus nostros in ordinem redigamus; qui cum ferantur in objecta sibi grata, non nisi magnâ animi contentione, summoque carnis nostræ dolore, inde avelli queunt; quod propriè est abnegare. Hoc exigit Scriptura, quando jubet, ne *carnis curam faciamus in desideriis* ejus, *Rom.* XIII. 14. ut *carnem crucifigamus cum concupiscentiis*, *Galat.* V. 24. ut *mortificemus membra nostra quæ sunt super terram*, *Coloss.* III. 5. ut *abnegemus secularia desideria*, *Tit.* II. 12. In id autem illis quammaximè allaborandum, quos Dominus à cruce & persecutione immunes præstat. Omnibus enim afflictiones prædixit; *Matth.* XVI. 24 *Joan.* XV. 20, 21. *Cap.* XVI. 33. Similiter & Apostoli, *Actor.* XIV. 22. 2 *Tim.* III. 12. & alibi: ideoque omnibus semper sunt exspectandæ. Quod quibus- *Secundus.*

quibusdam pacem largiatur, mera gratia est; quia eos liberat à cruce, quam omnibus sine exceptione prædixit. Et tamen qui sic affligebantur, etiam in aliis affectus suos cohibere, & seipsos abnegare debebant. Consideremus jam, quæ abnegatio, quæ spontanea crux, quâ caro ac voluptates crucifiguntur, tempore quietis tollenda sit, ut æquipolleat aliorum abnegationi per crucem ac afflictiones testatæ. Cernitur autem ea potissimum, quando adversus Deum variis nos miseriis tentantem non murmuramus, aut injuriam ab aliis nobis illatam non vindicamus: aut tandem carni grata, nobisque obvia, non sectamur; sed cupiditatem nostram cohibemus, ne forte concupiscentiis carnalibus illaqueëmur.

Tertiò. XI. Tertiò. Ut vitam omniaque vitæ commoda pro nomine Christi deponere parati simus, & mortem alacriter subeamus, quando aliàs nec gloriæ Dei, nec saluti, tam proximi quàm nostræ, consuli potest. Gloriæ Dei non potest consuli, quando professio veritatis necessariæ fieri nequaquam potest. Salus proximi promoveri nequit; quando ipsi exemplo nostro in causa sumus, quòd proximus intrepidè veritatem non asserat. Nostra salus procurari non potest, quando nos, ut vitam conservemus, lædimus conscientiam nostram.

CAPUT. LI.

De Desiderio rerum spiritualium.

Distributio virtutum nos dirigentium. I. Ex dictis liquet, omne officium, quod in directione nostri consistit, bona vel mala, quibus affici possumus, concernere. Ac primo, vel in genere dirigit amorem nostrum in objectum debitum, nim: Desiderium rerum spiritualium: vel speciatim amorem nostrum erga res mundanas cohibet; eæ autem sunt, vel voluptates carnales, illas cohibet Temperantia: vel amor divitiarum, eumque coërcet, *αὐτάρκεια*, seu animus suâ sorte contentus: vel honorum cupiditas, illique moderatur Modestia. Circa mala hujus vitæ suscipienda & toleranda occupatur Fortitudo & Patientia Christiana. De singulis breviter agemus: ac primò quidem de Desiderio rerum spiritualium.

Res spirituales sunt, vel II. Res Spirituales, sunt vel bona quæ Deus nobis promittit; vel virtutes & officia quæ à nobis exigit, ut bonorum promissorum participes fiamus.

Bona promissa. III. Priora sunt, vel bona futuræ vitæ, sc. beata immortalitas: vel etiam bona spiritualia etiam in hac vita fidelibus concessa, inter quæ eminet donum Spiritus Sancti. Erga hæc itaque versari debet desiderium nostrum. Ita 2 *Tim.* IV. 8. dicitur corona justitiæ danda à Deo *omnibus diligentibus adventum ejus.* Vide & *Rom.* VIII. 19 *Tit.* II. 13. & præsertim *Coloss.* III. 1, 2. ubi jubemur *quærere ea quæ supra sunt in cœlis, non* autem *quæ in terra sunt.*

IV. Requirit id desiderium, 1. Ut bona hæc à nobis habeantur pro præstantissimis, utpote æterna, imo & pro necessariis, sine quibus nulla salus; uti *Matth.* XVI. 26. idque Servator noster egregiè illustrat parabolâ mercatoris, pretiosos uniones inquirentis, *Matth.* XIII. 44. Inde enim ardens orietur desiderium, adeo ut ægrè nobis futurum sit, quamdiu iis caremus. 2. Ut credamus ea nos acquirere posse, sed nobis non obventura, nisi ea desideremus, & quæcunque nobis Deus præscribit præstemus. Si enim ea acquiri non posse credamus, ad ardens eorum desiderium neutiquam excitabimur; si verò nobis absolutè destinata statuamus, & quocunque nos geramus modo nobis obventura, ardens desiderium officiorum ac virtutum, quas Deus à nobis exigit, neutiquam concipiemus, nec proinde bona promissa legitimè desiderabimus. Hæc qui credit, omnia vilia habet præ hisce bonis, neque acquiescit, donec iis fruatur. Idque Scriptura explicat, phrasibus *quærendi regnum Dei*, *Matth.* VI. 33. vel *civitatem futuram*; *Hebr.* XIII. 14. *honorem & immortalitatem*, *Rom.* II. 7. vel *comprehendendi & persequendi*, *Phil.* III. 12, 14. 1 *Tim.* VI. 12. vel etiam *ingemiscendi* & *parturiendi*, & *exspectandi redemtionem corporis*, *Rom.* VIII. 22, 23. & omnia præ hisce *pro stercoribus habendi*, *Phil.* III. 8. ac tandem, *thesauros* quærendi, seu, *congregandi in cœlis*, *Matth.* VI. 20.

Quid earum desiderium requirat.

Vel virtutes. V. Hoc desiderium in nobis excitat desiderium virtutum Christianarum; eo fundamento nitens, quòd bona spiritualia, tam hujus quàm futuræ vitæ, sine hisce neutiquam obtineri possunt: uti docemur, *Matt.* V. 20. *Hebr.* XII. 14. 1 *Cor.* VI. 9, 10. *Apoc.* XXII. 14, 15. Desiderium enim salutis desiderium omnium, sine quibus ad salutem perveniri nequit, producit.

Qua in rerum desiderium consistat. VI. Hoc desiderium in se includit ardens studium virtutem exercendi, in eaque continuò proficiendi: non quidem, ut homo diè ac nocte nihil aliud meditetur: quòd hæc nostra mortalitas non permittit: sed ut crebrò de hisce meditetur, & quicquid meditetur aut faciat, nihil agat virtutibus contrarium. Hoc David passim sibi tribuit: *Psal.* CX X. Optimè illustratur esurientium & sitientium similitudine, *Matth.* V. 6. ea enim docetur, quemadmodum in esurientibus ac sitientibus erga cibum & potum, ita & in pietatis studiosis debere esse erga justitiam ardens desiderium. 2. Conatum indefessum nihil intentatum relinquendi ut justitiam adipiscantur; ac tandem quacunque oblata occasione sincerè justitiam exercendi. Inde passim studium hoc comparatur certamini,

Luc. XIII. 24. 1 *Tim.* VI. 12. 1 *Cor.* IX. 24. & alibi passim.

Opposi-tum directum, Contem-tus bono-rum spi-ritua-lium.

VII. Desiderio huic duo potissimum opponuntur: alterum directè, contemtus nim: bonorum spiritualium; qui adscribitur invitatis ad nuptias, *Matth.* XXII. 5. *&c.* & profanis istis, qui Esavi instar jus primogenituræ escâ vendunt, *Hebr.* XII. 16. qui hic sibi sedem felicitatis figere amant, Deoque coelum libentes relinquerent, modo ipsis terram concedat. Licet enim vix fieri posse videatur, ut homo, fide bonorum cælestium, quibuscum nulla in comparationem venire possunt, imbutus, ea fastidiat aut contemnat; tamen vel ob supinam quandam negligentiam, quod eorum præstantiam non rectè expendat; vel ob amorem rerum mundanarum, quo impeditus animum ad contemplanda cœlestia attollere nequit: vel ob judicii quandam ac ingenii levitatem, quod ea perfunctoriè tantum consideret, ut *Hebr.* II. 1. fieri potest, ut ea eo quo merentur pretio non habeat, ac tandem contemnat.

Indire-ctum, amor mundi.

VIII. Alterum indirectè, amor nimirum mundi, quem Scriptura cum amore Dei rerumque cœlestium consistere posse negat; *Matth.* VI. 24 *Rom.* VIII. 7. *Jacob.* IV. 4. 1 *Joan.* II. 15, 16.

Quid sit mundus.

IX. Ut distinctè de amore mundi agamus, ante omnia consideranda sunt phrases, quibus Scriptura hoc in negotio uti solet. Aliquando utitur voce κόσμος, 1 *Joan.* II. 15, 16. 1 *Cor.* VII. 31. *Jacob.* IV. 4. aliquando, αἰῶνος τούτου, *Luc.* XVI. 8. *Rom.* XII. 2. 2 *Cor.* IV. 4. aliquando utrasque conjungit, *Eph.* II. 2 VI. 12. Illis autem significantur, vel bona ac voluptates quæ in hoc mundo sunt; vel etiam intelligi possunt homines mali, mundo servientes. Sumuntur enim hoc in negotio ordinariè in malam partem; quod docet oppositio inter *filios mundi hujus*, & *lucis*, *Luc.* XVI 8. descriptio diaboli, quod sit *hujus seculi Deus*, *Eph.* II. 2. & ipsius mundi, qui *totus in malo* dicitur *positus*, 1 *Joan.* V. 18. Vocantur *mundus*, quia sectantur quæ mundi sunt; & quia omnis eorum vis ac potentia homines seducendi est in mundo, id est, in bonis & malis hujus mundi: sublato quippe mundo, nulla futura est tentatio.

Quid, mundum diligere.

X. Mundum itaque diligere, est, capi amore rerum quæ in mundo sunt, ea studiosè meditari ac sectari, neglecta aut posthabita cura meliore. Quod ut melius liqueat, ita habendum: Amorem mundi in nobis esse naturalem, tam erga locum ipsum, quàm illius bona. Amamus natura vitam & voluptatem; abhorremus à dolore. Fruitio bonorum mundi est voluptas, eorum carentia dolor. Bona ea tria sunt, voluptas, divitiæ, honores, 1 *Joan.* II. 16. quibus tria sunt opposita mala, dolor, paupertas, contemtus. Tria illa bona ab omnibus concupiscuntur; mala illis opposita omnes horrent. Non quod unusquisque tria hæc simul sectetur, sed quòd nemo sit in hoc mundo, qui non in se sentiat inclinationem aliquam, per quam ad alicujus ex hisce bonis concupiscentiam allici possit. Hinc rectè Jacobus, *Cap.* I. 14. 15. inquit, *hominem tentari, cum à concupiscentiâ suâ abstrahitur.*

Qua ra-tione res hujus mundi curare liceat.

XI. Huic autem affectui Deus modum posuit, intra quem coërceri debet, & quem si homo transilit fit mundanus. Non vetat Deus, ut neququam curemus ea quæ vitam hanc animalem spectant, aut quicquam faciamus, quod & ab hominibus mundanis fit, præsensque tantum seculum concernit; sed ne ea sectemur vehementiore studio, quam oportet, & eo modo, quo homines mundani solent. Hinc præcipit Apostolus, 1 *Cor.* VII. 29, 30, 31. ut *mundo utamur tanquam non abutentes*; & *Jacob.* I. 27. ut nos *impollutos servemus à mundo*. Debet itaque Christianus esse in mundo, & licet procuret quæ hujus mundi sunt, tamen non assimilari moribus hominum mundanorum. Ex: gr. Res est hanc vitam spectans, cibus & potus: 1 *Corinth.* VI. 13. non tamen illicitus homini Christiano illius usus. 1 *Timoth.* VI. 17. Deus *nobis omnia abunde* dicitur *dare ad fruendum*. & *Cap.* IV. 3, 4, 5. neque etiam labor qui ad eum procurandum requiritur, 2 *Thess.* III. 8. & 12. & Dominus jubet nos orare, ut Deus nobis largiatur *panem nostrum quotidianum*, *Matth* VI. 11. Similiter res præsens solummodò seculum concernens est conjugium, *Luc.* XX. 35, 36. non tamen illicitum homini Christiano: *Hebr.* XIII. 4. Idem statuendum de aliis rebus vitam hanc concernentibus.

Licitus rerum hujus mundi usus.

XII. Id imprimis notandum, ut sciamus etiam nobis liberum esse usum rerum hujus mundi, modò ne corda nostra anxiâ circa hæc sollicitudine graventur. Contra ejusmodi homines, qui vitam hominis Christiani arctè nimis contrahunt, ac si illicitum esset, quicquid aliquam habet similitudinem cum actionibus hominum mundanorum: qui liberum rerum hujus vitæ usum non concedunt, atque ita laqueos tendunt teneris conscientiis, easque in difficultates inextricabiles conjiciunt. Deus nobis bona hujus mundi concessit, ut iis liberè fruamur, non tantum ad meram necessitatem, sed & honestam ac moderatam voluptatem: 1 *Tim.* VI. 17. Si quis, cui bona illa affluunt, duram tamen vitam agere velit, rectè facit: sed ne condemnet eos, qui, memores semper modestiæ ac gravitatis Christianæ, nec non liberalitatis in pauperes, liberalius Dei donis utuntur. Attendatur exemplum Servatoris nostri & Joannis Baptistæ, *Matth.* XI. 18, 19. Joannes venit *neque edens neque bibens*; id est, duram atque austeram vivendi rationem secutus: Servator autem venit *edens & bibens*, id est, in medio Judæorum familiariter

liariter cum ipsis versans, neque ullum quod à communi vivendi ratione discreparet vitæ genus sectans. Si enim urgeas, illa tantum Christiano licita esse, quæ absolutè ad hujus vitæ sustentationem necessaria sunt, statim conscientia inextricabilibus se involvet perplexitatibus, inquirendo quid necessarium, quid superfluum sit; & sic nunquam Christianus tranquillâ conscientiâ Deo servire poterit. Itaque fatendum, Deum rerum hujus vitæ usum non determinasse in indivisibili aliquo puncto, sed latitudinem aliquam concessisse, adeo ut sine peccato & parcius & liberalius iis frui liceat, modò cor illis non gravetur.

Nimius earum amor.

XIII. Possunt tamen hæc omnia ardentius concupisci; & tum homo peccat. I. Quando crassa illa, & à meliore etiam gentilitate damnata vitia sectatur. Illis ergo ex animo esse valedicendum, si Christi velimus esse servi, nemo est qui eat inficias 1 *Cor.* VI. 9, 10. *Gal.* V. 19, 20, 21. II. Cùm bona illa immoderatius & ardentius sectatur quàm oportet; ac majore prosequitur amore quàm digna sunt; sc. tanquam excellentia ac solida bona, quæ hominem verè felicem reddunt; cùm non sint solida & vera bona, sed indifferentia, imo aliquando noxia; sine illis enim possumus esse beati, cum illis miseri. Uti exemplum Lazari & divitis epulonis evidentissimè demonstrat. Neque refert, utrum blanda ipsi affulgeat spes bonis illis fruendi, sive nulla sit spes ea consequendi: cum etiam felices judicat illos qui iis gaudent. Uti ferè fit à plebe; quæ miratur splendorem ac magnificentiam divitum ac magnatum hujus mundi. III. Quando ea concupiscit, ea sibi optat, beatum se fore credens, si iis aliquando fruatur. Ac potissimum, quando omne, aut saltem præcipuum suum studium eò confert, ut iis fruatur: non quidem cum detrimento proximi, sed cum neglectu eorum officiorum, sine quibus salus æterna obtineri nequit: quod fit, quando ea majore, aut saltem æquali studio sectatur atque cœlestia; & mala contraria metuit ut summum malum, illoque metu impeditur, ne officium suum præstet.

Discrimen inter vitam civiliter honestam & Christianam.

XIV. Non ergo illa est vita verè Christiana, si quis solummodò sibi cavet, ne alteri injuriam inferat, & vitam coram hominibus iuculpatam degat. Illa enim solummodò est vita civiliter honesta, quæ multum differt à Christiana: quod patet ex exemplo divitum, *Luc.* XII, 17, 18, *&c.* & XVI. 19, *&c.* & invitatorum ad nuptias, *Matth.* XXII. 5. *&c.* qui nihil vitæ civiliter honestæ contrarium committebant; & tamen Deo ingrati fuerunt, à cœna ejus exclusi, imò pœnis ignis infernalis traditi. Hisque jure comparantur, qui quotidie voluptates, non quidem turpes, sed tamen molles sectantur: contra præceptum Apostoli, *Rom.* XIII. 14. *Gal.* V. 24.

Quid propriè Christiana vita exigat.

XV. Sed vita ad exemplar præceptorum Jesu Christi expressa requirit, ut homo amorem à bonis hujus mundi avertat, neque anxiè sectetur quæ faciunt ad voluptatem carnis; licet alias non inhonesta: quia caro iis assuescit. Non omne, quod strictissimo jure licitum est, faciendum est: qui enim extremum licitorum gradum adscendere cupit, proximè ad illicita accedit, ab eoque pronus est ad illicita lapsus, præsertim si sæpius frequentetur. Imò quæ semel aut per occasionem facta licita sunt, ea continuò aut quotidie si fiant, illicita erunt. Raro enim si fiant, ostenditur nos iis sine molestia, quando Deo placet, posse carere; si verò continuò, nos servos esse nostræ cupiditatis. Æquanimitas ergo hic observanda est, quam Apostolus commendat. 1. *Cor.* VII. 31. ut *utamur hoc mundo, tanquam non abutentes*: & quam sibi adscribit, *Phil.* IV. 12, 13. *Scio & humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare*, & *penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortet.* Non ut dolorem credamus esse voluptatem, aut amemus ac sectemur quæ dolorem nobis incutiunt: sed voluptatem tanti non faciamus, ut ejus amore retrahamur à cura cœlestium.

Ex quibus signis ea dignoscatur.

XVI. Ut autem homo exploret, an bona hujus mundi majore prosequatur amore, quàm bona cœli, attendat ad hæc. Quæ ipsi sit majoris gaudii causa, an quando proficit in virtute, an vero quando mundi bona adeptus est: quæ majorem ipsi luctum ac dolorem incutiant, lapsus in peccatum, an boni mundani jactura: quid ipsi mane è somno evigilanti primum in mentem veniat, qua de re libentissimè sermones instituat, sive instituti audiat, de rebus terrenis & carnalibus, an verò spiritualibus & cœlestibus? *nam ex abundantiâ cordis os loquitur*, *Matt.* XII. 34.

Remedium contra amorem mundi.

XVII. Remedium contra amorem mundi est, ut homo quæque bona suo æstimet pretio. Hunc in finem cogitet, omnia hujus vitæ esse fluxa, fieri posse ut momento nobis excidant, multis molestiis permixta, impiis cum piis communia, imò impios plerumque iis magis adundare quàm pios. Cœlestia verò esse æterna & perfecta, & sola piorum præmium; & maximè, utraque simul (uti vidimus) non posse amari; ac proinde amorem cœlestium excludere amorem terrenorum, & vice versa. Hinc 1 *Joan.* V. 4. *fides* vocatur *victoria quæ vincit mundum.*

CAPUT LII.

De Temperantia.

Concupiscentia carnis origo. I. TEmperantia, Græcè σωφροσύνη, propriè est virtus, quæ in sectandis voluptatibus carnis, quæ potissimum nobis cum belluis communes sunt, modum servat. Solent illæ in Scriptura nominari *cupiditas carnis*, 1 *Joan.* 11. 16. De quibus ut distinctè agamus, sciendum: in carne nostra naturalem esse vim sentiendi, quid sibi voluptatem, quid dolorem conciliet. Tali itaque objecto oblato oritur in carne aut concupiscentia, aut fuga. Et quia caro cœca est, & bruta, nullo habito honesti aut inhonesti respectu, tantum in sibi grata fertur. Hæc dicitur concupiscentia carnis, quando sectatur homo ea quæ carnem delectant, & fugit quæ carni ingrata & molesta sunt. Hinc opera ejusmodi vocantur *opera carnis*, *Gal.* v. 19. & qui ea sectantur, dicuntur *in carne esse*, *Rom.* VIII, 5, 8, & 12. & *carnis curam facere in desideriis ipsius*, *Rom.* XIII. 14. Caro autem operatur per sensus externos: quæ itaque externis sensibus grata sunt, operantur in nobis carnis concupiscentiam.

Eam frænat Temperantia. II. Temperantia itaque in eo consistit, ne indulgeamus illi concupiscentiæ, quam sensus externi oblato objecto sibi grato in nobis producere apti sunt. Non ut nequaquam ullam carnis delectationem ex oblato objecto carni grato sentiamus, illud enim naturale est, neque vitari potest; quin imò est materia exercendæ virtutis, quæ sine hac nulla foret: sed ut oblectatione illa nos non abduci patiamur, ut carni grata immodicè sectemur; & frænemus voluptatem per sensus externos ad cor delatam.

Potissimum quæ spectat gustum & tactum. III. Sensus autem sunt quinque, quibus voluptates percipi possunt. Et licet omnibus illis modis excedi possit; tamen in iis, quæ percipiuntur sensibus gustus & tactus, utpote magis crassis & belluinis, frænandis potissimum occupatur Temperantia. Reliquorum voluptates, quatenus ad hasce ordinantur, etiam Temperantia coërcentur, uti in sequentibus ostendemus; quatenus autem modum excedunt in sectandis voluptatibus sibi propriis, & quas homo cum bestiis communes non habet, quæ ex objecto bene ordinato percipiuntur non absque rationis beneficio, coërceri etiam intra justos limites debent, non autem id propriè Temperantiæ strictè acceptæ officium est, sed potius ad cupiditatum mundanarum abnegationem, amori mundi oppositam, ferendum est.

Duæ illius species. IV. Ex dictis liquet, duas esse potissimum Temperantiæ species, Sobrietatem, quæ propriè frænat voluptates gustus; & Castitatem, quæ voluptates tactus, nim: venereas, coërcet.

Prima: Sobrietas. V. Sobrietas est virtus servans mediocritatem in voluptatibus, quæ percipiuntur ex cibo & potu. Ea duo potissimum spectat: quantitatem & qualitatem cibi. Utriusque modus cognosci potest, si inspiciamus finem, in quem Deus nobis cibum concessit; qui est, reparatio virium nostrarum ad laborem, quem corpus nostrum sustinere debet, requisitarum. Hinc universalis circa cibi quantitatem & qualitatem regula, cui omnes præcisè alligati sint, præscribi nequit. Unus enim robustiore ac validiore est corpore, laboremque sustinere debet ad quem majores corporis vires requiruntur; alius corpore debiliore & imbecilliore, aut magis ingenii quàm corporis vires exercet. Unusquisque ergo iis uti debet cibis, qui & prodesse possunt valetudini, & vires corporis restaurare, ad alacriter muneri suo incumbendum. Qui corpore est firmiore, aut labore manuario vitam tolerat, cibum edat magis solidum, & majorem assumat quantitatem; qui verò corpore est imbecilliore, aut ingenii potius vires exercet quàm corporis, paucioribus utatur, & facilioris concoctionis.

Dirigit cibi quantitatem. VI. Speciatim circa quantitatem attendendum, ne nimiâ copiâ ventriculum nostrum oneremus: ita ut corpus & anima nostra graventur, & ad rerum divinarum meditationem inepta reddantur; quod Servator præcipit *Luc.* XXI. 34. & Petrus 1 *Epist.* v. 8. *Sobrii estote & vigilate*; quasi sine sobrietate vigilari non possit.

Et qualitatem. VII. Circa qualitatem; ne sectemur cibum aut potum nimis delicatum, qui etiam non esurientem et sitientem ad edendum & bibendum invitare possit: tum enim à fine, ob quem alimentum nobis est concessum, disceditur, voluptates carnales sensim se nobis insinuant, deliciisque illis facile allicimur ad majorem quàm par est cibi quantitatem assumendum. Talis erat dives ille epulo *Luc* XVI. 19. qui quotidie *splendide* epulabatur.

An liceat aliquando delicatiori cibo vesci. VIII. Quæst. Quis hîc præcisè modus servandus? An non licet aliquando cibo quodam delicatiore vesci, præsertim ditioribus? Resp. Primum ac principalem cibi finem esse, virium corporis restaurationem ad cujusque laborem requisitarum, ostendimus. Exinde ergo unicuique pro sua prudentia modus ille investigandus est. Sed placuit liberalitati divinæ, non tantum ad necessitatem, sed & honestam ac moderatam corporis delectationem abundè nobis omnia dare ad fruendum; ut ita corpus nostrum, hac ratione refectum, alacrius ad labores suos redeat: ita legimus 1 *Tim.* VI. 17. *Deum nobis omnia abundè præstare ad fruendum*. Et *cap.* IV. 3, 4, 5. quin & *Psal.* CIV. 15. dicitur Deus *è terra educere vinum, quod lætificet cor hominis.*

Et inter- IX. Atque ex hisce responsio patet ad quæ-

esse convivia. quæstionem, an non divitibus lautius vivere liceat? an aliquando instituere convivia solemnia, iisque interesse? Ante omnia illud statuendum: maximè studendum esse modestiæ & sobrietati. Licere autem aliquando nuptiis & conviviis solemnioribus interesse, exemplo suo docuit Servator, *Joan.* 11. qui nuptias primo suo miraculo, & quidem vinum augendo, quod ad hilaritatem facit, honoravit: item *Matth.* IX. 10. ubi dicitur venisse, *edens & bibens*, id est, non austerè, ut Joannes, sed familiariter cum hominibus vivens, eorumque congressus, etiam in conviviis, occasione ita ferente, non vitans.

X. Sed verò cautiones quædam observandæ sunt, tam instituenti convivium, quàm ad id accedenti.

Quid observandum convivium instituenti. XI. Instituenti. Ut convivium instituat non præcipuè ad carnis delectationem, ut convivas nimio cibo ac potu obruat, quales dicuntur *terrena sapere*, & *ventrem habere pro Deo*, *Phil.* III. 19. & *carnem curare*, *Rom.* XIII. 14. quales sunt, qui hunc sibi scopum præfigunt, convivas suos non nisi inebriatos domum dimittere; qui scopus turpis est, ac Christiano illicitus; mihique omnia convivia, quæ eum in finem instituuntur, tanquam non Christiana damnare religio non est. Sed ut amicitiam suam testetur, & honestas tantum sectetur voluptates, quibus ad Deo gratias agendum, alacriusque ad laborem redeundum, incitari possit. Quod ut assequatur, abesse debet. 1. Nimia ciborum copia, ad pompam ostentationemque divitiarum comparata. 2. Nimiæ deliciæ, cibique rari & magno pretio empti. 3. Apparatus nimis pretiosus, & luxuriosus splendor, fastum quendam sapiens. Et potissimum caveatur, ne fiat cum dispendio rei familiaris, & maximè quidem, ne cum neglectu pauperum; qui ordinariè à talibus negligi solent: fastus enim qui pecuniæ profusione constat, solet pauperum neglectum suadere; uti in divite epulone videre est, *Luc.* XVI. 19, 20.

Quid, ad istud accedenti. XII. Accedenti ad convivium hæc sunt observanda. 1. Ut sæpius illis non intersit. 2. Nec anxiè ea sectetur. 3. Nec cibo ac potu se ingurgitet, ut corpus gravetur, ipseque ineptus sit ad precandum ac vigilandum: hæc etenim est regula, *Luc.* XXI. 34. Sed & in convivio requiritur, ut semper apti simus ad alios docendum, & exemplo nostro præëundum; uti Servator noster in conviviis alios docendi & doctrina sua convertendi occasiones captavit. Maximè ergo cavendum, ne alios, quocunque prætextu, urgeamus, ad sese vino onerandum. Quæst. An licet in sanitatem alterius bibere? Resp. Si in se spectetur, nihil in eo mali deprehendo; quia erga alium testamur affectum nostrum, vovemusque ut ipsi aliquid ex voto succedat. Sed si adhibeantur ejusmodi pocula, (uti plerumque fieri solet) ut alii ad largius bibendum constringantur, ac tandem inebrientur, sunt plane illicita. Stultum est & iniquum suam perdere sanitatem, ob alterius, quam non promoves. Sed & turpe, quocunque prætextu officium Christiani transgredi. Tandem requiritur, ne vanitates, spurcitiæ, aliaque inhonesta, quæ fermè ebrietatem comitari solent, committantur; quales sunt clamores, lasciviæ, sermones obscœni, cantilenæ turpes, choreæ, aliaque his affinia, de quibus postea pluribus: hæc enim præsertim castitati repugnant. Ad hæc si non attendant divites, sed sese immergant voluptatibus carnis, de illis dicitur, *Luc.* VI. 24. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.*

XIII. Dices. Videtur tamen Dominus noster omnia in universum convivia damnare, *Luc.* XIV. 12, 13. Resp. Nequaquam; sed modum tantum conviviis præscribit; imò quædam ibi convivia mandat, ad quæ pauperes invitentur. Quia nec convivia, quæ amicitiæ tantum testandæ causâ instituuntur, ut illicita damnat; sed ea negat opus esse pietatis, cujus aliquam mercedem à Deo exspectare possumus; quia retribuitur nobis ab amicis, qui vicissim nos invitant. Sed quando invitamus pauperes, qui nihil habent quod retribuant, retribuetur nobis à Deo. *Sensus Luc XIV. 12, 13.*

XIV. Sobrietati opponitur Gula, seu commessatio, quæ in quantitate ac qualitate cibi peccat. Vitium est, contra naturalem cibi usum peccans, naturamque humanam maximè dedecens; hominemque ineptum reddens ad cultum Dei. Tales solent vocari *voraces*, *Matth.* XI. 19. aut etiam homines luxuriosi ac delicati, quibus non placent suetæ dapes, nec vilis cibus; quique commessationibus indulgent, carnemque suam aut quotidianis conviviis, aut delitiis molliter curant. *Opposita sunt, Gula.*

XV. Et 2. Ebrietas, quæ modum excedit in potu; & quoniam inter omnes potus, qui inebriandi vim habent, excellit vinum, speciali nomine solet vocari vinolentia, Græcè οἰνοφλυγία, 1 *Pet.* IV. 3. Varii illius sunt gradus. Vel enim est potatio, quando homines sese tantâ vini aut alterius cujusdam potus inebriandi vim habentis copiâ ingurgitant, quæ non inservit sedandæ siti, sed carni ad voluptates curandæ; licet eò usque modus non excedatur, ut mens sit obnubilata. Id vitium 1 *Pet.* IV. 3. vocatur πότος; eòque magis noxium est; quia non tantum carnem molli vitæ assuefacit, sed & sensim corporis dispositionem alterat, ut qui paucioribus antea potuerat satiari, nunc pluribus indigeat. Vel est Ebrietas, quando homo eatenus potui indulget, ut mens obnubiletur ususque rationis ad tempus exstinguatur: et qui huic vitio addicti sunt, solent vocari *ebriosi*: 1 *Cor.* VI. 10. Vitium est, non tantum naturali fini *Et Ebrietas.*

verbis propriis, sed plerumque figuratis. Inde fit, ut quando eadem verba in re seria ac gravi adhibentur, sæpius excitent cogitationes obscœnas, similesque illis quæ in negotio obscœno per verba eadem figurato sensu accepta excitatæ fuerunt: atque ita sæpe contingit, illorum occasione cogitationes maximè serias ac devotas abrumpi. Hisce adjungi possunt cantilenæ obscœnæ, aut saltem ad cupiditatem carnalem incitandam comparatæ, lectio librorum impurorum, adspectus picturarum obscœnarum, aliaque illius generis.

Olfactus. XXIII. Olfactus cohibendus, ne odores, qui mollitiem quandam spirant, nimis sectetur, nec se molliter iis curet: solent enim illi sæpius incitamenta esse ad impudicitiam, hominesque impudici sese illis ad impudicitiam incitare.

Excessus alius per sensus. XXIV. Potest quidem homo alia ratione in sectandis horum sensuum voluptatibus, quatenus illis peculiares sunt, nec ad voluptates tactus referuntur, modum excedere; ut, ex: gr: si non ad virium instaurationem, sed solius voluptatis causâ, & cum dispendio temporis necessarii reique familiaris, meliorumque neglectu, sectetur sonos quibus aures solummodò demulceantur, &c. Verum quoniam hæc non tam specialis virtus castitatis moderatur, quàm generalis illa virtus, quæ mundum cupiditatesque mundanas abnegare docet, ea hujus loci non sunt.

Opposita sunt, Cupiditates impuræ. XXV. Vitia castitati opposita sunt vel interna, vel externa. Interna sunt cupiditates impuræ, quibus cor hominis commovetur, cogitationesque continuò objectis impuris distrahuntur; quæ *Eph.* v. 3. vocantur *immunditia*; & *Coloss.* III. 5. *immunditia, libido, concupiscentia mala* 1 *Pet* IV. 3 *luxuriæ.* 1 *Thess.* IV. 5. *passio desiderii.* Et quam graviter ejusmodi cupiditatibus contra castitatem peccetur, exinde liquet, quòd non tantum castitas propriè animi virtus sit, sed & quòd Dominus ait, *Matth.* v. 28. *Ego dico vobis: quia omnis qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Non hîc intellige primam illam concupiscentiam ac carnis titillationem, ex oblato objecto carni grato in nobis excitatam: illa enim naturalis est, nec in potestate nostra ut eam planè declinemus: imò virtutis exercendæ materia est, quæ sine hac nulla foret: sed quam cogitationibus nostris objecto illi immorantes, voluptatemque inde orituram sæpius meditantes, in nobis excitamus: illæ enim sunt voluntariæ, voluntatemque ad consensum trahunt, atque ita sensim locomotivam impellunt ad agendum. Imò illis adulterium corde nostro committimus; quoniam cogitationibus omnes actus, quibus adulterium constat, peragimus, similemque voluptatem, quam adulterium adfert, in nobis excitamus; quibus fieri non potest quin cor inquinetur, desideriaque illicita excitentur

Sensus præcepti decimi. XXVI. Et quam maximè credibile est, desideria ejusmodi illicita, & præsertim actus desideria illa consequentes, quatenus ad proximi injuriam tendunt, à Deo vetari præcepto Decalogi decimo, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Nam concupiscentiam illam facile sequuntur desideria ac vota illicita, fruendi proximi uxore: & quoniam eâ proximo vivo, aut vinculo matrimonii durante, frui non datur, sequitur votum aut mortis proximi, aut dissidii inter proximum ac uxorem: illud consequuntur actus voto ejusmodi consentanei, quibus dissidia inter maritum & uxorem excitantur, ut ita maritus dato repudii libello uxorem à se separet, ipseque ita occasionem habeat, eo non invito ac reluctante, uxore ejus potiundi. Sensus ergo est: Non concupisces, ut uxor proximi tui fiat tua uxor Quia autem hoc multorum malorum in Republicâ Israëliticâ seminarium esse poterat, ideo illud Deus severè prohibuit. Licet enim non potiatur quis re proximi ipso invito; tamen causa est, quòd proximus rem, antea sibi gratissimam, abdicet, adeoque iple eam illo, si non directè, interpretativè saltem invito, possideat.

XXVII. Externa sunt; Primò in genere impuritas, *Eph.* IV. 19. V. 3. 1 *Thess.* IV. 7. & lascivia, *Rom.* XIII. 13. quæ in variis se prodit, aspectu, spurco sermone; præsertim etiam in vestitu lascivo, ac choreis. Vestitum voco lascivum, qui & nimio suo ornatu, & partium corporis, quas honestas tegere jubet, retectione aliorum oculos allicit, animumque impurâ cupiditate replet. Quibus adde gestus molles, obscœnas contrectationes, ac tandem choreas, præsertim, prout hodie instituuntur, promiscuè ex personis utriusque sexus ad instrumenti sonum. Præterquam enim quod repugnent gravitati Christianæ, inde Ethnici veteres dicebant, neminem saltare sobrium; etiam sæpius occasio sunt, quâ multæ in corde inhonestæ concupiscentiæ excitantur: quia sub corporis illis motibus aliquando gestus latent obscœni, quibus ipsa impudicitia repræsentatur, oculisque spectanda exhibetur. Unde & apud Judæos nunquam in usu fuerunt promiscuæ illæ juvenum & puellarum saltationes. Et quantum illis periculi insit, unicum Herodis exemplum abundè nos docere potest, *Matth.* XIV. *Et lascivia.*

Opposita specialia. XXVIII. Specialia opposita sunt vel contra naturam, quæ Apostolus reprehendit *Rom.* I. vel non contra naturam Et committuntur vel in matrimonio, ut adulterium, quando quis fidem conjugalem violat, 1 *Cor.* V. II. VI. 9, 10. *Hebr.* XIII. 4. & digamia, quando quis uxori superinducit aliam, sive utrique simul cohabitet, sive su-

Non semper pluribus inhiare.

hiet; sed contentus sit necessariis. Hoc præceptum moderatum statum suum emendandi studium non excludit. Aliud quippe est, non acquiescere, & semper majoribus intentum esse; aliud, cum divinæ providentiæ acquiescentiâ honestè ac liberè contendere ad status sui emendationem. Licet itaque hominibus allaborare, ut emendent statum suum, præsertim rerum necessariarum inopiâ laborantibus. Si enim servo licet allaborare ut fiat liber, 1 *Corinth.* VII. 12. licet etiam in aliis status sui emendationem quærere. Hic autem cautio hæc adhibenda; cupiditati nostræ modum aliquem esse figendum, intra quem coërceatur. Modum hunc præfigit Apostolus, 1 *Tim.* VI. 7, 8. ut necessariis contenti simus. Si enim hunc nobis non statuerimus terminum, nusquam acquiescere possumus: cupiditas enim nostra infinita est, aliaque aliam producit.

Quæ sint necessaria.

VII. Quæst. Quænam sunt necessaria? Resp. Generalis hîc mensura omnibus æqualiter observanda definiri nequit: unus enim pluribus indiget quàm alter. Ut autem distinctius respondeamus, dicimus hominem vel simpliciter & absolutè considerari posse; vel prout gerit personam in civili conversatione, sc. civis, mariti, patrisfamilias, magistratus, &c. Juxta hanc distinctionem duo necessariorum genera sunt statuenda: quædam quæ naturæ ipsi, alia quæ statui in quo degit tuendo, necessaria sunt.

Alia sunt necessaria naturæ.

VIII. Naturæ necessaria sunt, non tantum sine quibus vita conservari nequit; qualia sunt alimenta & quibus tegamur, 1 *Tim.* VI. 8. & domus in qua degimus: sed & sine quibus sanitatem nostram tueri non possumus: sanitate enim amissâ homo vix vivit. Ita commendat Apostolus, 1 *Tim.* V. 23. ut Timotheus ob infirmitatem stomachi paulum vini aquæ admisceat. Hîc autem sollicitè cavendum, ne prætextu necessariorum ea quæramus quibus carere facile possumus; aut ne, mollitur carnem nostram curando, ea, quibus commodè carere potuissemus, nobis necessaria reddamus.

Alia statui in quo homo vivit.

IX. Circa personæ aut statui necessaria discrimine aliquo utendum est. Quidam enim sunt status à Deo instituti, ut conjugii, patrisfamilias, civis, magistratus, &c. Alii verò ab hominibus introducti ad vitæ fastum, ut nobilitas. De prioribus statuendum, qui eos suscipit, non tamen posse, sed & debere curare quæ illis necessaria sunt: paterfamilias uxori integræque familiæ prospicere debet, 1 *Tim.* V. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Magistratus quædam habere debet, ut legitimè majestatem tueatur, quia Deus est Deus ordinis. Civis, ut etiam tributa possit solvere; *Rom.* XIII. 6. *Matth.* XXII. 21. De posterioribus verò, sicut à Deo non sunt introducti, ita nec quæ illis necessaria sunt, pro præcisè necessariis habenda esse: sine iis enim homini bene esse potest, & plerumque ad fastum aliquem mundanum sunt adinventi. Quare ut eos anxiè ambire non potest Christianus, ita nec servidè curare ea quæ ordinariè illuc requiruntur; si verò ex usu Reipublicæ ipsi sors hæc obtigerit, moderatè ea utatur, & quò minus vulgares illorum hominum mores ac fastum sectatur, eò se magis Christianum ostendit: &, juxta 1 *Cor.* VII. 31. *utetur hoc mundo tanquam non utens.*

An liceat ultra necessaria congregare.

X. Quæst. An licet ultra necessaria congregare? Resp. Est cura quædam libera, quâ non anxiè studemus habere pecuniam, non tamen eam recusaturi si affluat, aut Deus laboribus nostris benedicat, ut 1 *Thess.* IV. 11. Hæc licita est. Est & alia anxia & sollicita cura, quâ homo desiderio ardenti divitiarum flagrat, judicans se tum demum felicem fore, quando divitias possidet; ac proinde in eo totus est, ut divitias congerat, omnemque laborem ac conatum eò confert. Hic homo dupliciter peccare potest. 1 Quando cum læsione proximi, per fraudem aut violentiam, aliamve injustitiæ speciem, opes congerere studet: quod divitiarum sectatoribus familiare est. Hinc *Syrach.* XXVII. 2. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum.* 2. Quando studio nimis ardenti, sine tamen læsione proximi, opes sectatur. Quem ardorem nimium ostendit, quando divitias majori studio quàm regnum Dei sectatur, contra *Matth.* VI 33. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus*: quod fit, quando, ut opes conquirat, omittit illa officia, quæ, ut verè Christianus sit, omittere non debet; qualia sunt, lectio & auditus verbi divini, ejusque meditatio, animique ad cultum Dei præparatio: neglectus professionis veritatis, si ea sine lucri impedimento fieri nequeat: querela & murmuratio erga Deum si divitias non concedat. Tum enim cor nostrum hujus seculi curis gravatur; quod Servator prohibet, *Luc.* XXI. 34. illæque sunt spinæ quibus verbi divini semen suffocatur, *Luc.* VIII. 14. Quia faciunt ut homines verbum auditum in corde non recipiant; sed id vel rideant, ut Pharisæi, *Luc.* XVI. 14. vel tristes abeant, ut juvenis ille, *Matth.* XIX. 22. Et id locum habet, non tantum quando quis ingentes quærit divitias, sed & ultra necessaria; 1 *Tim.* VI. 9, 10. necessaria enim sunt victus & amictus nobis & nostris. Qui ultra ea aliquid, eo quo nunc diximus studio & ardore, quærunt, judice Apostolo volunt divites fieri: quia hæc Apostolus opponit, contentum esse victu & quibus tegamur, &, velle divitem fieri: 1 *Timoth.* VI. 8, 9. Itaque unicuique est explorare animum suum, quâ

curâ, & quem in finem divitias congreget.

Tertium, divitias impensè non amare.

XI. Tertium præceptum est; Ne divitias impensè amet, nec sollicitudinem extendat in futurum tempus; sed bonis, quæ possidet, audeat uti. Præceptum hoc quidem generale est, omnesque vitæ status, maximè tamen divites concernit. Varia autem in se complectitur.

Hoc requirit, 1. Non collocare fiduciam in divitiis.

XII. Primò. Ne homo in divitiis quas possidet fiduciam collocet, perinde uti dives ille, qui bonis abundans, adeo ut horrea ejus illis recipiendis capacia non essent, animæ suæ dicebat, *anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*: *Luc.* XII. 19. Hoc prohibetur 1 *Tim.* VI. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe, ne spem ponant in incerto divitiarum.* Et ab hoc crimine se purum profitetur Jobus, *Cap.* XXXI. 24, 25. *Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.* Præcepti hujus ratio est: quia divitiæ non tantum sunt incertæ, 1 *Tim.* VI. 17. quæ momento amitti possunt: sed & res viles, inanes, inefficaces, vitâ destitutæ, nullaque virtute præditæ, quâ vitam hominis reddant longiorem; *Non enim in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet*, *Luc.* XII. 15. & egregiè divitis exemplo ibidem comprobatur, qui ingentibus suis divitiis ne unam noctem vitam suam prolongare potuit. Hinc & fiducia in divitiis idololatriæ speciés censetur, *Eph.* v. 3.

2. Non anxiè sollicitum esse de futuro.

XIII. Secundo. Ne animum torqueat anxia sollicitudine futurorum. Sic *Matth.* VI. 34. *Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* Et *Hebr.* XIII. 5. *Sint mores sine avaritiâ; contenti præsentibus.* Præsens autem, non est præcisè dies præsens, aut mensis: sed omne tempus nobis adeo vicinum, ut, nisi nunc incipiamus curare quod toto illo tempore nobis necessarium est, id curare neutiquam possimus: ut vere sementem, autumno vel æstate messem facere. Opponitur illud futuro, quod nempe ultra hæc extenditur; quod incertum est, & curam sui peculiarem habebit: veluti si quis sementis tempore sollicitus esse velit de messe; messis enim tempus sui curam habet specialem. Ex his facile colligere est, quæ sollicitudo de futuro licita, quæ verò illicita sit. Licita est de futuro, cujus cura si in præsenti non suscipiatur, in posterum opportunitatem sui curam suscipiendi non suppeditabit; ita tamen, ut cura sit libera, quæque anxiam sollicitudinem rerum, quarum in posterum cura suscipi potest, excludat. Ita tempore juventutis, cum & animus & corpus laboribus sufficit, honestè curare licet, quæ tempore senectutis, si eam Deus largiatur, vitæ sustentandæ necessaria sunt: (quia si hoc negligatur, in senectute, deficientibus jam viribus, frustra hæc cura suscipitur) modò absit omnis diffidentia in Deum, & anxia sollicitudo; animæ potior cura suscipiatur, & caritas exerceatur erga egenos. Hinc egregiè monet Salomon, *Prov.* VI 6, 7, 8. *& seqq. Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi*, &c. Illicita itaque est cura, quæ se cum diffidentia de providentiâ divinâ, cum anxia sollicitudine, in futurum, quod sui curandi opportunitatem peculiarem habebit, non aliter atque in præsens extendit, atque ita vitæ hujus curis animum gravat, ut Dominus ait, *Luc.* XXI. 34.

An liceat congregare hæredibus.

XIV. Dices. Curam hanc suscipio, ut hæredibus meis bene sit. Resp. 1. Illis cura sui demandatur. 2. Nescis an sis hæredes habiturus. 3. Nec scis quos sis habiturus: fortasse tibi ignotos; fortasse tibi dum vivéres inimicissimos: *Psal.* XXXIX. 7. *In imagine pertransit homo; sed & frustra conturbatur: Thesaurizat; & ignorat cui congregabit ea.* Vide & *Syrach.* XI. 18, 19, 20. Tandem, nescis qualibus sis relicturus, an insipientibus, an luxuriosis; an verò sapientibus ac frugalibus: *Eccles.* II. 18, 19. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi & sollicitus fui: & est quicquam tam vanum?* Imò licet jam frugalibus, an non opum tuarum nimia affluentia degeneraturis ad quemcunque luxum, filii instar prodigi, *Luc.* XV. Dices forte; Paulum 2 *Cor.* XII. 14. docere, parentes filiis thesaurizare debere. Resp. Non docet Apostolus, quid fieri debeat, sed soleat: ex more nempe inter homines usitato, quo parentes filiis thesauros congregant, ostendit, se, ut patrem ipsorum spiritualem, ipsorum thesauros non ad se traxisse, sed ipsis beneficia & thesauros contulisse. Quanquam nec diffitemur, hæredibus posse quædam congregari, modò cura sit libera, non anxia, nec cum diffidentia conjuncta.

3. Non torqueri metu amissionis opum.

XV. Tertiò. Ne opum retinendarum studio nimis anxio ducatur: Ac proinde; ne animum metu amissionis torqueat; cogitans, hanc esse divitiarum sortem, incertitudinem, 1 *Tim.* VI. 17. Ne metu inopiæ durus sit erga egenos: aut si quid largiatur, parcè id faciat, non liberaliter: instar divitis epulonis, *Luc.* XVI. 20, 21. imò nec sibi ipsi quicquam decerpat; sed suum potius defraudet genium, quàm opum augendarum studium omittat.

4. In opum amissione

XVI. Quartò. Ne in opum amissione nimium contristetur; sed earum incertitudi-

nem

non nimium tristare

nem subinde animo reputans, cum Jobo dicat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*: *Cap.* I. 21. Nec metu amissionis illum Christianæ pietatis officium omittat, aut sinceram veritatis professionem declinet, multò minus veritatem abneget: ad fidelium exemplum, qui *bonorum suorum rapinam cum gaudio susceperunt, cognoscentes se habere meliorem & manentem substantiam*: *Hebr.* X. 34.

Qualis cura sit licita.

XVII. Ex hisce liquet, in se illicitum non esse, nec religioni Christianæ repugnare, divitias possidere, aut acquirere, modò acquisitio & possessio sit libera. Necessaria sectari licere, jam ostendimus ex 1 *Timoth.* VI. 7, 8, ubi dum Apostolus exigit, ut alimenta & quibus tegamur habentes iis contenti simus, indicat, ea licitè quæri posse. Idem docuit Dominus, jubens nos orare Patrem, *ut det nobis panem quotidianum*, *Matth.* VI. 11. Et tamen, si ea Deus deneget, tempore præsertim persecutionis, voluntati ejus est acquiescendum, & Apostoli æquanimitas imitanda, *Phil.* IV. 11, 12. *Ego didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare, (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati.* Licet & acquirere & possidere ultra necessaria. Joannes habuit τὰ ἴδια, *Joan.* XIX. 27. neque uspiam ea abjicere jubetur. *Luc.* VIII. 2. commemorantur ali quot fœminæ divites, quarum liberalitate Dominus noster sustentatus est. Joannes secundam suam Epistolam scribit ad divitem matronam; nusquam tamen divitiarum abjectionem præscribit. Quin & Apostolus divitibus officia liberalitatis, non autem omnimodam divitiarum abjectionem præscribit, 1 *Tim.* VI. 17, 18.

Sensus, 1 Tim. VI. 9, 10.

XVIII. Dices. Attamen *vers.* 9, 10. ejusdem *cap.* docet, quod qui *divites volunt fieri, incidunt in tentationem*, &c. Resp. *Velle divitem fieri* Apostolo est, divitias omnium actionum suarum scopum sibi proponere, omneque studium eò conferre, ut divitias consequaris: quod *ex vers.* 10. liquet. Rationem enim effati sui redditurus, ait, *Radix enim omnium malorum avaritia*; innuens se de eo divitias acquirendi studio loqui, quo avari solent.

Et Matt. VI. 19.

XIX. Dices. Dominus tamen vetat *thesauros congregare in terra*, *Matth.* VI. 19. Resp. Non vetat Dominus qualemcunque divitiarum congregationem, aut possessionem; sed, ne divitias conquiramus, tanquam thesaurum verum, qui nos verè beatos reddat: nec cor iis apponamus, uti loquitur David, *Psal.* LXII. 11. illud enim est divitias pro thesauro habere. Aliud enim est, divitias, quando Deus luculentam offert occasionem, congregare; aliud, eas verum æstimare thesaurum, cui cor nostrum sit affixum.

Oppositum, Avaritia.

XX. Vitium huic virtuti oppositum est Avaritia: quæ est insatiabilis plura habendi cupiditas. Variis illa nominibus in Scriptura vocari solet, quibus natura ejus egregiè depingitur. Commune nomen est πλεονεξία, quasi dicas, plura habendi cupiditatem; sive id accipias de insatiabili cupiditate plura semper habendi, qui summus avaritiæ gradus est: sive de anxia cupiditate plura habendi quàm necessaria, seu necessariis non acquiescendi. Hoc vocabulum legitur *Luc.* XII. 15. *Eph.* V. 3. *Coloss.* III. 5. & vox πλεονέκτης, *Eph.* V. 5. Unde & avarorum studium vocatur, *thesauros colligere*, *Matth.* VI. 20. *divitem velle fieri*, 1 *Tim.* VI. 9. Vocatur & φιλαργυρία, quasi dicas, amorem argenti, seu pecuniæ; 1 *Tim.* VI. 10. Et *concupiscentia oculorum*, 1 *Joan.* II. 16. quia avarus nullam ex divitiis percipit voluptatem, nisi quod oculos suos inani nummorum adspectu quandoque oblectet.

In quibus ea consistat.

XXI. Hæc consistit in variis. 1. Non contenta est necessariis. Hinc nusquam cupiditati suæ modum ponit: qui enim necessariis non est contentus, nullum cupiditati suæ terminum figere potest, & in quocunque statu plura habendi cupiditate torquebitur; imò crescentibus divitiis, etiam cupiditas accrescet, earumque augumentum continuum concupiscentiæ pabulum est. 2. Iis quæ habet non audet uti: quia enim continuò augendarum opum studio ducitur, thesaurum suum minui quàm maximè horret: hinc nec sibi nec aliis quicquam decerpit. Unde dici solet, avaro tam deëst quod habet, quàm quod non habet: & comparari solent avari fossoribus, qui è fodinis aurum eruunt, non sibi, sed aliis; & formicis Indicis, quæ aurum congregant, non tamen comedunt; & canibus, qui fœnum custodiunt, & non tantum nihil inde sibi decerpunt, sed & alia animantia inde arcent. Atqui solius usus causâ divitiæ possidentur; sine illo nihil quicquam conferre possunt, imò custodienti graves sunt. 3 Anxia de futuro sollicitudine torquetur, & perpetuò metu divitias suas amittendi se cruciat; hinc unicuique diffidit, & ad quemvis rumorem trepidat. 4. In divitiis fiduciam suam collocat, instar divitis illius *Luc.* XII. 19. sibi e iis Deo diffisurus: unde & avarus idololatra nuncupatur, *Eph.* V. 5. 5. In divitiarum amissione nimium dolet, quasi vera felicitate spoliatus, & ad veram miseriam redactus.

Illius effecta, in vita civili.

XXII. Effecta illius sunt nocentissima & pessima: *Radix* quippe *omnium malorum avaritia*, 1 *Tim.* VI. 10. Plurima namque producit peccata, tam in vitâ civili, quàm religiosâ. In vitâ civili omnium injustitiarum, fraudum, imposturarum mater est: dum enim avarus cupiditatem suam explere studet, omnia movet, & per fas ac nefas eò contendit;

& ad quævis illicita se convertit. Vide *Esa.* v. 8. *Jerem.* v. 26. *Amos.* VIII. 4 *Mich.* II. 2. VI. 11. *Syrach.* XXVII. 2. Reddit hominem immisericordem, & erga inopes ac miseros durum ac immitem: qui enim sibi nequam est, cui erit misericors? Atque ita tandem proximi, ob negatum alimentum, homicidam. Inde avari duabus plerumque bestiis à nobis comparari solent, lupo ac porco: lupo quidem, quoniam ille omnia vorat: porco verò, quia is dum vivit nemini prodest, sed se tantum ingurgitat cibo ac saginâ; mortui verò omnia homini cedunt in usum.

In vita religiosa. XXIII. In vita religiosa impedimentum gravissimum est, ne homo Deum ritè veneretur. Animus enim, opibus congerendis unicè intentus, ad Deum se erigere nequit; perinde uti viscus aviculas alas detinet, ne sursum evolent, ita avaritia animum hominis: nec se vitamque suam examinare potest homo, utrum ad divini verbi exemplar sit expressa. Et præsertim voluntas auri amore detenta se religioni addicere, nec pietatem sectari potest; perinde atque nemo uno oculo simul cœlum ac terram intueri. Nemo enim duobus dominis simul servire potest, Deo & Mammonæ, *Matth.* VI. 24. Facit nempe avaritia ut homines nolint audire verbum Dei, quod eam damnat, & vitam spiritualem exigit. Sic Gergaseni orarunt Dominum Jesum, ut è finibus suis exiret, quia illius adventus exiguam illis attulerat jacturam, *Matth.* VIII. 34. Vel si audiant, ut id rideant, Pharisæorum avarorum instar, *Luc.* XVI. 14. Vel ut de veritate illius convicti, tristes abeant, cum juvene illo divite, *Matth.* XIX. 22. Vel si id aliquantenus recipiant, ut persecutionis tempore deficiant, *Matth.* XIII. 21, 22. Hinc 1 *Tim.* VI. 10. quidam per avaritiam dicuntur aberrasse à fide.

Et pœna. XXIV. Ne jam commemoremus gravissima scelera, & pœnas horrendas, quibus nonnunquam in hoc seculo Deus avaros aliis in exemplum punire voluit. Achan per avaritiam res anathemate devotas furatus jussu Dei lapidatur, *Jos.* VII. 20. Filii Samuelis per avaritiam munera rapientes à Deo puniuntur, 1 *Sam.* VIII. 1, 2, 3. *& seq.* Gehasi per fraudem munera à Naamane Syro petens, leprâ gravissimâ percutitur, 2 *Reg.* V. 20. Judas avaritiâ illectus proditor fit Domini sui, & conscientiæ stimulis agitatus violentas sibi ipsi manus infert; *Matth.* XXVII. 4, 5. Ananias & Sapphira ad hypocrisin pellecti subitâ morte puniuntur, *Actor.* V. Et, ne jam alia commemoremus, tandem hominem è regno cœlorum excludit, 1 *Cor.* VI. 9, 10. *Eph.* V. 5.

Remedia contra avaritiam: Fiducia in Deum. XXV. Remedia contra avaritiam sunt: Primò, fiducia in Deum. Avaritiæ enim origo est metus indigentiæ, in quam homini variis ex causis incidere facile est: inde non tantum exoritur anxia divitiarum asservatio, sed & sollicitudo in futurum, & diffidentia de bonitate & providentia Dei. Præsentius itaque nullum contra eam remedium est, quàm fiducia in Deum, quâ homo Dei potentiæ, benignitati ac veracitati confisus, certissimè sibi persuadet, necessaria, si Deum ritè colat, nunquam sibi defutura: sed Deum aut sibi daturum sufficientia: *Matth.* VI. 25. *& seqq.* aut media quibus ea comparare possit: aut si neutrum largiatur; vel daturum gratiam coram hominibus, ut Josepho, Danieli, aliisque: vel bonorum temporalium jacturam bonis spiritualibus ac æternis, serenitate conscientiæ, acquiescentiâ animi, ac vitâ æternâ, compensaturum, 2 *Cor.* IX. 8. Et hanc fiduciam suadet tum natura Dei, tum conditio divitiarum. Deus siquidem est vivus, stabilis ac sempiternus; nobisque omnia abundanter largitur ad fruendum: divitiæ autem fluxæ & incertæ, 1 *Tim.* VI. 17, 18. nullam enim vitam hominis prorogandi virtutem habent, *Luc.* XII. 15. & sine nutriendi usu planè sunt superfluæ, imo noxiæ: nec sunt bona præcipua homini Christiano promissa, sed præcipuorum adjectio quædam, *Matth.* VI. 33. Hinc *Psalm.* LXII. 11. *Divitiæ si affluant; nolite cor apponere.* Hæc fiducia etiam anxiam de futuro sollicitudinem permit: *Matth.* VI. 31, 32. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Quibus consona sunt quæ leguntur *Hebr.* XIII. 5, 6.

Consideratio vilitatis divitiarum. XXVI. Alterum est, consideratio vilitatis earum rerum quas avaritia appetit, quòd nihil faciant ad veram ac solidam hominis beatitudinem; quòd sine illis homini bene esse, & homo illis abundans miser esse possit; quòd majorem, quàm dignæ sunt, sollicitudinem parere soleant; quòd exemplo suo docuit Anacreon; quòd sint fluxæ ac incertæ, proinde amore vehementiore indignæ; quòd multorum malorum possint esse occasio; ac tandem ardens earum concupiscentia homines multa in peccata ducat, 1 *Tim* VI. 9, 10.

Beneficentia erga pauperes. XXVII. Tertium, Liberalis erga pauperes beneficentia: per eam quippe ardens illa plura habendi sitis exstinguitur. Hinc Apostolus, dehortatus divites, *ne spem ponant in incerto divitiarum*, jubet ut *liberales sint, divites in bonis operibus, & facile tribuant*: Addens promissum; quod *sibi* hac ratione *thesaurizent fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam*, 1 *Tim.* VI. 17, 18, 19.

CAPUT LIV.

De Modestia.

Modestia. I. **M**Odestia est virtus honoris cupiditatem moderans, & humilem de nobis ipsis opinionem gignens. Unde liquet, duo esse Modestiæ officia: Moderatè de nobis ipsis sentire: & in honore appetendo modum servare; vel eum alteri libenter concedere. Prius officium in sola nostri directione consistit; posterius etiam aliquatenus actiones nostras circa proximum moderatur. Hinc quidam Modestiam vocant virtutem mediam; quæ partim nostri directione occupatur, partim ad alios refertur. Verùm quoniam posterius officium priori innititur, & moderata de nobis opinio etiam actionibus nostris circa proximum modum ponit, nos eam à præcipuo officio denominamus, & inter virtutes nostri directrices collocamus.

Illius actus primus. II. Actus Modestiæ, quibus duo hæc officia perficiuntur, varii sunt. Primus est: Nobis non arrogare bona quæ non habemus, aut majora quàm habemus. Talis erat Angelus Ecclesiæ Laodicenæ, qui se dicebat *divitem & nullius egenum; & ignorabat se miserum, pauperem, cæcum & nudum*: *Apoc.* III. 17. Et Pharisæus ille, *Luc.* XVIII. 12, 13. qui verâ sanctitate destitutus, ob externa quædam majorem quam reliquis sibi sanctitatem adscribebat.

Secundus. III. Secundus. Nos propter dona quæ habemus, qualiacunque sint, non efferre: sive sint dona naturalia, ut pulchritudo; sicut Absolon, 2 *Sam.* XIV. 25, 26. vires, sicut Goliath, 1 *Sam.* XVII. 8, 9, 10. sive opes, aut potentia; ut Nebucadnezar, *Dan.* IV. 30. Haman, *Est.* III. 5, 6. sive spiritualia; ut 1 *Cor.* VIII. 1. *Scientia inflat.* Non itaque dona quæ habemus nobis ipsis sunt adscribenda; ita enim abnegamus beneficentiam Dei liberalis largitoris. Hinc 1 *Cor.* IV. 7. *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Sed quæ habemus, cum gratiarum actione modestè sunt agnoscenda, usque nos excitari debemus, ad alacrius officio nostro incumbendum: uti egregiè monet Apostolus, 2 *Cor.* VI. 17, 18. & VII. 1. & Petrus, 1 *Epist.* II. 9, 10, 11. Omniaque ad Deum auctorem referenda, cui omnium bonorum laus tribuenda est; non tantum propter absolutum ejus in nos imperium; sed & quia omne bonum donum ab ipso, luminum Patre, descendit; *Jacob.* I. 17. Sic *Jacob.* IV. 6, 7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo estote Deo.* Ita fecit Dominus Jesus, *Joan.* VII. 18. VIII. 50. & Apostolus Paulus, 1 *Cor.* XV. 10. 1 *Thess.* II. 6.

Tertius. IV. Tertius. Dona, quibus ornati sumus, non ostentare. Id commendat Apostolus, exemplo Domini Jesu Christi, qui, cum in forma Dei esset, non duxit rapinam Deo æqualem esse, *Phil.* II. 5, 6, 7. id est, non ostentavit dona sua, perinde ut illi qui rapinam ab hostibus reportant eam ostentare solent, ut gloriam exinde consequantur Nec etiam permittere, vel potius sibi in eo placere, ut ab aliis efferantur: quale habemus exemplum in Herode, *Act.* XII. 21. *&c.*

V. Quartus. Neminem præ nobis contemnere, etiamsi nobis minorem. *Phil.* II. 3. *Nihil per contentionem aut inanem gloriam facite, sed in humilitate alii alios superiores arbitrantes. Rom.* XII. 10. *Honore invicem prævenientes.* Cui adhæret, ut aliis, licet illis præstantiores, ministremus, atque ita nos quadantenus illis subjiciamus. Exemplum exhibet nobis Dominus noster Jesus Christus, qui cum Dominus esset, nihilominus discipulorum pedes lavit, *Joan.* XIII. 13, 14, 15. Et disertè præcipit, *Matth.* XX. 26, 27. *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* *Quartus.*

VI. Quintus. Honores mundanos, quibus supra communem vitæ sortem eminemus, non appetere. Ille enim est fastus vitæ, quem Apostolus damnat, 1 *Joan.* II. 15, 16. *Quintus.*

VII. Quæritur. An ergo munus Magistratus, quo homo supra communem vitæ sortem effertur, imperiumque in alios obtinet, repugnet humilitati ac modestiæ Christianæ? *Resp.* Nequaquam: si munus illud in se inspiciatur, & si legitimo modo Christianus ad muneris illius administrationem vocetur, illudque legitimè administret. Modestia etenim est voluntaria animi demissio, producitque promptitudinem aliis, licet inferioribus, ministrandi, auxiliumque, quo indigent, reverà præstandi. Atqui illam cum dignitatis supereminentia consistere posse, exemplo suo nos docuit Jesus Christus, *Joan.* XIII. 13, 14, 15. licet enim discipulis suis ministraret, tamen se & Dominum & magistrum ipsorum dixit. Imò nihil repugnat, quò minus is, qui omnium summus & eminentissimus est, ejusmodi officia aliis exhibeat. *Munus Magistratus non repugnat Modestiæ Christianæ.*

VIII. Dices. Modestiam requirere humilem illam ac tenuem de se opinionem, quâ quis indignum se se ac ineptum judicet qui aliis regendis præficiatur; ac proinde omnibus, qualescunque sint, sese subjicere ac regendum tradere præoptat, quàm ullum in alios regimen aut sponte arrogare, aut ab aliis ad se delatum assumere. *Resp.* Probari non potest, officium hoc omnibus erga quosvis sine discrimine lege de modestia præscribi. Imo certis in casibus circa aliquos, etiam juxta ipsas Jesu Christi leges, locum habere nequit. Nec enim per Christianam modestiam præcipitur patri ut se liberis, aut domino ut se servis, aut marito ut se uxori, *Occurritur objectioni.*

aut

aut præceptori ut se discipulis subjiciat. Contra, pater in filios imperium debet exercere, 1 *Tim.* III. 4, 5. maritus uxori præesse, non uxor marito imperare, 1 *Cor.* XI. 3. *Eph.* v. 22, 23, 24. & 33. 1 *Tim.* II. 11, 12. Idem in dominis & præceptoribus locum habet. Dices. Dominus Jesus patrum ac maritorum officia legibus suis circumscripsit, adeoque ea legitima judicavit: Nihil verò de Magistratus officio præscripsit. Resp. Nos exinde probare nolle, Magistratus officium Christiano homini esse licitum; alia sunt quæ ad id probandum requiruntur argumenta: sed ostendere tantum, per præceptum modestiæ ac humilitatis Magistratus officium non excludi, aut Christiano illicitum declarari. Idque etiam exceptione istâ confirmatur. Illa enim agnoscit, salva modestia Christiana parentes imperium in liberos obtinere posse legibus Christi convenienter. Non itaque lex Christi præscribit, ut quivis quibusvis sine discrimine ita sese subjiciat, ut nullum in eos imperium habeat, sed se contra iis regendum tradat. Verùm solummodò exigit, ut, si quis altero sit superior, illique regendo præfectus, in regiminis illius administratione nihil contra modestiæ leges committat, quod fiet, si talem se erga inferiores præbeat, quales, si ipse esset inferior, alios superiores erga se esse vellet: & in reliquis actionibus suis, quæ nullum ad munus suum habent respectum, sed aut ad Deum referuntur, aut in sui morumque suorum directione occupantur, easdem cum reliquis Christianis Modestiæ leges observet. Ac proinde, nec lege Modestiæ munus Magistratus Christiano illicitum declaratur.

Sensus Matth. XX 25, 26. IX. Dices: Dominus tamen inquit, *Matth.* XX. 25, 26. *Scitis principes gentium dominari iis, & magnates potestatem exercere in eas. Non sic erit inter vos: sed quicunque inter vos voluerit magnus fieri, esto vester minister. Sicut Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret.* Resp. Non dicit Dominus illis verbis, munus Magistratus à sua Ecclesia penitus esse excludendum, aut suæ religionis genium muneris Magistratus administrationem non admittere: sed tantum docet, quænam sit Apostolorum suorum conditio, quos Euangelii sui præcones elegerat. Idque arguit ipsa, quâ verba hæc prolata sunt, occasio. Orta quippe erat inter Apostolos contentio de primatu; quoniam sibi, juxta vulgatum Judæorum errorem, regnum mundanum pollicebantur. Dominus Jesus ambitionem illam reprimens ait, regnum suum alterius esse conditionis, quàm regna mundana; in illis primatum ac supereminentiam locum habere: suum verò esse regnum spirituale, ad cujus promulgationem ac propagationem cum Apostolos elegerit, muneris ipsorum rationem abunde indicare, eos non ad imperandum, sed ad ministrandum vocatos esse: quod exemplo suo confirmat. Atqui licet Apostolici muneris ratio non permitteret imperium in alios: inde nullo modo inferri potest, Magistratus munus à Domino abrogatum esse, aut illud inter fideles cessare debere. Sicut enim Dominus spirituale regnum erexit, ita & munus, quod ad pacem & tranquillitatem civilem spectat, neutiquam abolevit: sed leges præscripsit, juxta quas etiam illius administratio dirigi debeat, ne ullo modo spirituali regno adversetur.

X. Non ergo ipsa muneris Magistratus administratio in se spectata modestiæ Christianæ adversatur; sed alia vitia, quæ sæpe & ordinariè vitio hominum eam comitari solent. *Sed vitia quædam munus istud sæpe comitantia.* Qualia sunt, si quis munus illud anxiè ambiat, aut viis sæpe non admodum honestis ad id contendat, præcipuè cum omissione officiorum nobis divinitus injunctorum, ac conscientiæ læsione: qualia sunt non tantum prensationes, adulationes, serviles sub hominibus mundanis subjectiones; sed & dissimulatio veritatis magni ad pietatem momenti & animo penitus persuasæ, patrocinium erroris periculosi ac schismatis injusti, subductio à cœtu veritatem profitentium & pacem unicè sectantium. Vel etiam quando munus illud obtinuit, se efferat aut insolescat, & officia requisita à sincero Christiano negligat, ne eo privetur: quâ tentatione multos sollicitari videmus ad defectionem. Ita tempore Juliani multi metu, ne muneribus publicis propter nominis Christi professionem privarentur, turpiter defecerunt; *Socrates Hist. Eccl. Lib.* III. *cap.* XI. Ita ab aliquot annis multi Reformatorum in Gallia deficiunt ad Pontificios; ne jam alios commemoremus. Tutius tamen credo facturum Christianum, si muneris illius administrationem declinet: facile enim eminentiâ illâ allicitur ad fastum. Licet enim Magistratus propriè sint ministri civium, ipsorum invigilantes saluti; tamen sensim honor illis delatus fastum quendam ac animi elationem ingenerare solet.

XI. Sextus. *Sextus.* In cultu corporis, vestitu, supellectile, domo, victu, &c. luxum & splendorem non sectari aut ostentare: in illis enim sumtuosum esse ac splendidum humilitati Christianæ repugnat. Ut autem de hisce speciatim dicamus, quoniam fastus hic in vestitu ut plurimum committi solet, specialius de illis quædam dicenda sunt.

XII. Usus vestium est decorum naturæ, *Usus vestium.* quæ exigit, ut nuditas nostra honestè tegatur. Apud quosdam populos non censetur inhonestum nudum incedere, veluti Indos: uti & homines quosdam qui se Adamitas nuncupabant: hi vestes & nuptias credebant signa peccati, suamque Ecclesiam paradisum nominabant, in qua homines, velut olim

olim Adamus in paradiso, vivant. Verùm illi omne honesti ac inhonesti discrimen abjecisse videntur. Ipse Deus post commissum peccatum hominibus vestes præparavit, ut nuditatem suam tegant. *Genes.* III. 21. ideoque & Cham maledictus, quod nuditate patris sui conspectâ eum non texerit, *Genes.* IX. 22. Quin & nudum incedere non tantum omnium sanctorum consuetudini, sed & ipsius Domini Jesu Christi, repugnat, quem vestibus usum constat, ex *Joan.* XIX. 23.

Refutatio objectionum contra omnem vestium usum.

XIII. Dices. Regeneratio est reversio ad primum Adami statum. Resp. Non est reversio ad primum Adami statum; sed conversio ad statum Christi, uti docetur, *Eph.* IV. 11, 12, 13, 14. & 22, 23, 24. *Coloss.* III. 9, 10. Dices. Lux non debet abscondi aut tegi. Resp. Pars lucis est honestas & decorum, quod ipsa natura dictat. Nudum incedere opus est tenebrarum, non lucis, hominesque ad turpes ac flagitiosas concupiscentias allicit. Dices. Veritas est nuda. Resp. Veritatis professores non sunt veritas, nec veritas nuditas. Nec ipse Dominus Jesus, uti vidimus, nudus incessit, in quo tamen omnes hæ ratiunculæ quammaximè valere deberent, qui & ipsa veritas, & innocentia ac sanctitas fuit. Dices. Esaias tamen jubetur incedere nudus, *Esa.* XX. 2. & Paulus de nuditate sua loquitur, 1 *Cor.* IV. 11. Resp. 1. Esaias non fuit planè nudus aut vestimento omni destitutus; sed vestibus tantum exterioribus denudatus, ut adumbraret statum servitutis populo denuntiatæ. Hoc sensu, *nudum esse*, accipitur, 2 *Sam.* VI. 20. *coll. cum vers.* 14. 2. Factum id speciali jussu divino, ideoque eo solum tempore; ipseque solus nudus incessit. Paulus necessitate coactus nudus fuit, non nudus esse voluit. Nec omni planè vestimento nudatus; sed ita spoliatus, ut se corpusque suum contra frigus aërisque injuriam tueri non potuerit: sicut nos hominem egenum, ægre corpus suum tegentem, solemus vocare nudum.

In usu externorum latitudo quadam est concessa.

XIV. In vestitu autem, uti & in victu, supellectile, aliisque externis, duo sunt cavenda. Ab una parte nimia præcisitas, ne alios paulò liberalius viventes temerè condemnemus, & quicquid præcisè ultra necessaria est, tanquam fastum vitæ exagitemus. *Deus* enim *omnia*, & quidem *abunde*, *nobis dedit ad fruendum*, 1 *Tim* VI: 17. Donis ergo Dei absque peccato uti licet. Nec in externis illis modum adeo rigidè ac præcise Deus determinavit; sed latitudinem aliquam concessisse videtur, quæ tamen intra regulas modestiæ, prudentiæ, & caritatis Chhristianæ coarctanda est. Alias conscientia semper dubia & anxia hærebit, quid necessarium sit, & incerta ac fluctuans, an non hoc aut illo carere possit. Aptissime Calvinus; *Instit. lib.* III. „ *cap.* XIX. §. 7. inquit. Ubi semel se in laqueum conjecerunt conscientiæ, longum " & inextricabilem labyrinthum ingrediun- " tur, unde non facilis postea exitus patet. " Si quis dubitare inceperit, an sibi linteis, in- " dusiis, sudariis, mantilibus, lino, uti li- " ceat, nec de canabe postea securus erit, tan- " dem & de stupis incidet dubitatio: secum " enim volutabit, an non sine mantilibus cœ- " nare possit, an non sudariis carere. Si cui " paulò delicatior cibus illicitus visus fuerit, " demum nec cibarium panem ac vulgaria " edulia tranquillus coram Deo comedet, " dum in mentem venit, se vilioribus adhuc " cibis posse corpus sustentare. Si in suaviori " vino hæsitaverit, deinde nec vappam cum " bona conscientiæ pace bibet: postremo nec " dulciorem mundioremque aliis aquam attingere audebit. Denique eò demum veniet, " ut super transversam, quod dicitur, festu- " cam incedere nefas ducat, Præcisa & in " omnibus exactè æqualis mensura præscribi nequit. Deus siquidem homines in varios ordines distinxit, eaque distinctio ad vitæ humanæ societatem necessaria est. Unicuique ergo vivere licet convenienter statui illi, in quo à Deo constitutus est, ut ab una parte sorditiem, ab altera fastum vitet. Si magistratum gerens incedat & vivat tanquam opifex, non tuebitur dignitatem suam: si opifex in externis hisce se parem ostendat Magistratibus, efferet se supra sortem suam. Quæ arguunt, Deum hîc latitudinem quandam, pro diversâ hominum conditione, concessisse.

Modus in vestitu. Ne sit nimis vilis.

XV. Sed & ab altera parte modus est servandus, ut memores simus modestiæ, decori, gravitatis, pudoris ac verecundiæ Christianæ. In genere observandum, quod legitur, 1 *Thess.* IV. 4 ut *possideamus vas nostrum in sanctificatione & honore.* Ad id duo requiruntur; ne vas nostrum nec nimis vile, nec nimis honoratum faciamus. Non nimis vile, quia templum est animæ ac Spiritus Sancti, 1 *Corinth.* VI. 19. 2 *Corinth.* VI. 16. Hinc 1 *Tim.* II. 9. requirit Apostolus, ut vestitus sit κόσμιος, decens ac mundus, ut vindicet à contemtu: & 2 *Corinth.* VIII. 21. dicit se sectari quæ bona sunt non solùm coram Deo, sed & coram hominibus.

Nec nimis honoratus.

XVI. Non nimis honoratum: quia instrumentum est ad laborandum & proximo serviendum. Estque id peccatum repugnans, 1. naturali vestium usui, qui est, decorum naturæ, corpus adversus frigus tueri, & testimonium perhibere perpetuum peccati. 2. Modestiæ; quia nimius ille ornatus ostentatio tantum est divitiarum, ut inde ab hominibus mundanis honoreris. Contrarium præcipitur, 1 *Tim.* II. 9, 10. 1 *Pet.* III. 4. 3. Charitati, quia scandalo & offendiculo sumus pauperioribus, quasi tanta inter nos & eos sit differentia, ut unus ad alium collatus sit quasi dominus, alter vix ser-

servus; cùm tamen omnes non tantum simus fratres in Christo, sed & ejusdem Reipublicæ cives: & ineptos nos reddimus ad ipsis benefaciendum; quæ enim luxui impendimus, in pauperes erogare non possumus: cùm tamen divitiæ datæ non sint ad superbiendum, sed pauperibus subveniendum: 1 *Tim.* VI. 17, 18, 19. Licet ergo modus circa hæc externa præcisè præscriptus non sit, quantum unicuique usurpare liceat; quia tamen excessus committi potest, etiam modum præscriptum apparet: illum autem modestia, prudentia ac charitas Christiana dictat, docetque semper oportere nos conformare humilioribus inter illos, qui sunt in eodem nobiscum ordinis aut dignitatis gradu constituti.

Oppositum, Superbia. Ejus species. Philautia.

XVII. Oppositum Modestiæ est Superbia, vitium in honoris cupiditate modum excedens. Hæc vetatur, *Phil.* II. 3. *Gal.* V. 26. Species illius sunt variæ.

XVIII. Prima est, φιλαυτία & αὐθάδεια, quando cuipiam consilia sua vehementer placent, alteriusque ab ipso rejiciuntur cum contemtu ac fastidio. Hoc vetatur, *Rom.* XII. 16. *Nolite esse sapientes apud vosmet ipsos.* & *Proverb.* III. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* 2. Quando rectè monentem contemnit, nullumque reprehensorem fert. Tandem, quando iis, qui auctoritatem habent, parere recusat.

Jactantia.

XIX. Secunda, Jactantia, quæ propriè conspicitur in verbis, quando homo plura de se prædicat quàm debet; arrogans sibi aut quæ non habet, aut majora quàm habet; aut nimium sibi propterea honorem assumit; imò etiam quando veras de se prædicat laudes, nullâ urgente necessitate. Quæres. An ergo nullo casu virtutes nostras & præclarè facta commemorare liceat? Resp. Si commemorentur ut exinde honorem consequaris, omninò illicitum est. Si enim bonorum operum ostentatione honorem apud homines aucupari illicitum est, *Matth.* VI. nec minus illicitum censendum, virtutes suas jactare, ut honoreris. Licitum tamen aliquando est, quin & earum commemorationem necessitas aliquatenus exigit, & quidem duobus potissimum in casibus. Primò: quando calumniis appetimur, bonaque nostra fama læditur: illo enim casu se defendere licet, & calumniæ verisimilitudinem diluere, commemoratione factorum nostrorum, quæ non permittunt, ut crimen, quod calumnia nobis impingit, in nobis hæreat. Ita Paulus; 2 *Corinth.* XI. commemorat facta & labores suos pro Euangelio exantlatos, ut aliorum calumniis occurrat. Secundò: quando alios commemoratione facti nostri ad imitationem incitare cupimus. Sunt quippe aliquando quædam officia, quæ plurium operam conjunctam requirunt; hic licitum est viro pio, officiorumque illorum strenuo promotori, alios segnes exempli sui commemoratione excitare, quo similiter officiũ sui partes expleant. Sic & suo exemplo Paulus fideles hortatur ad imitationem, 1 *Cor.* XI. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et *Phil.* III. 17.

Animi elatio.

XX. Tertia est Superbia, seu animi elatio, quâ se homo effert supra alios. Potissimum in animo residet; sed & se actibus externis explicat, ut honorem ab hominibus consequatur; cernitur autem in vultu, gestibus, vestium luxu, alioque apparatu magnifico. Tales vocantur ὑπερήφανοι & ἀλαζόνες, *Rom.* I. 30. 2 *Tim.* III. 2. Vitium est Deo maximè exosum, qui *superbis resistit, humilibus verò gratiam largitur*, 1 *Pet.* V. 5. omnemque virtutis ac boni operis gratiam apud Deum exstinguit; *Matth.* VI. Estque id tanto periculosius, quantò homo ad id magis est propensus: omnes enim naturâ eminere cupimus & supra alios esse eximii. Et quia, non ut alia vitia, ex malis, sed ex bonis ortum suum habet, quin & ex ipsa virtute sibi nutrimentum assumit: feliciter enim virtutis curriculum emenso tandem adversus superbiam depugnandum est, animusque confirmandus, ne virtutum suarum meditatione insolescat, atque ita in ipso portu salutis naufragium faciat. Hinc & ipsi Paulo traditus est angelus Satanæ, qui ipsum colaphizet, ne se revelationum suarum magnitudine efferat, 2 *Cor.* XII.

Non est superbia, docere, Deum in electione respicere ad fidem.

XXI. Commodè hic quæritur: An superbia sit, docere, Deum in electione hominum ad salutem æternam respicere ad fidem ac bona opera illius, quem eligit? Resp. Nullo modo. Non enim hac doctrinâ gratia Dei abnegatur: ipsum salvandi decretum, quin & vocatio ad salutis à Deo distinatæ participationem, in solidum gratiæ Dei est opus. Non asseritur meritum. Agnoscitur enim remissio peccatorum, gratiæ divinæ præveniens auxilium, sine quo nullum opus salutare præstari possit; & vitæ æternæ supereminens meritum supra omnem nostram obedientiam. Urgetur tantum conditio ab ipso Deo ad salutis possessionem requisita, non ut illius merito salutem consequamur; sed ut officium necessarium, sine cujus præstatione Deus neminem cœlestis gloriæ hæredem facere vult. Hoc autem non est gratiam Dei abnegare, aut seipsum efferre; sed *salutem suam operari in timore ac tremore*, *Phil* II. 12.

CAPUT LV.

De Fortitudine, Patientia, & Constantia.

Fortitudo.

I. Fortitudo laxius aliquando accipitur, ut denotet illam animi constantiam, quæ non tantum in periculis aggrediendis, sed

ſed & malis tolerandis cernitur; atque ita Patientiam in ſe includit. Aliquando ſtrictiore ſignificatu adhibetur, ad denotandum ſpeciatim illam virtutem, quæ pericula contemnere & ardua intrepidè aggredi ſuadet; diſtinctè à Patientia, quæ malorum conſtans eſt tolerantia. Ita ut Fortitudo propriè affectui metus, Patientia dolori, moderetur. Nos utramque hanc virtutem conjungemus, & utrumque Chriſtiani hominis officium, tam in aggrediendis pro Religione Chriſtiana periculis, quam malis fortiter ſuſtinendis explicabimus; parum ſolliciti, utrum ſolius Fortitudinis, an vero utriuſque nomine exprimatur.

Afflictiones ſunt Chriſtiano exſpectandæ. II. Ut diſtinctius hujus virtutis officia percipiamus, fundamenti loco præmittendum, Deum Chriſtianos non ad molle vitæ genus ac effœminatum vocaſſe, ſed arduum ac durum. Stadium nempe illis propoſuit, quod cum labore ac ſudore, & non raro cum ſanguine, decurrendum eſt. Hinc quivis, qui ſe Chriſto in diſciplinam dat, ſibi cum quibuſvis malis ac moleſtiis decertandum eſſe certò perſuaſum habeat. Id innuit Servator, quando primam hanc quaſi legem omnibus in ſe credentibus præſcribit: *Matth.* XVI. 24. *Qui vult poſt me venire, abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Ex genio Religionis Chriſtianæ. III. Ea quippe eſt Religionis Chriſtianæ indoles ac genius, ut diſcipulum ſuum mundo exoſum reddat, odiumque hominum impiorum in ipſum concitet: quod ſatis clare indicat Servator, *Matth.* X. 34. *Nolite exiſtimare quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium,* &c. Exigit enim Religio Chriſtiana, ut in Chriſtum, à Judæis ut blaſphemum crucifixum, non tantum corde credamus, ſed & ore eum confiteamur, doctrinamque ejus adverſus quoſvis infideles, Judæos, gentiles, quin & Atheos, aſſeramus, quod ipſe jubet, *Matth.* X. 32, 33. Ut nos diſcipulos ipſius profiteamur, vitamque juxta ipſius præcepta inſtituamus, ac proinde vitæ genus à peccatoribus, idololatris, carnique deditis, planè diverſum ſectemur: 2 *Corinth.* VI. 14, 15, 16. 1 *Pet.* IV. 3, 4. Quin & palam ejuſmodi opera redarguamus, idololatriam evertamus, vitia reprehendamus: *Eph.* V. 11. Quæ omnia odium pariunt, diriſſimaſque idololatrarum impiorumque, quibus ægrè eſt vitia ſua reprehendi & coargui, perſecutiones provocant: ita ut Apoſtolus dicat, 2 *Tim.* III. 12. *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur;* & *Actor.* XIV. 21. quòd *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Idque juxta prædictionem Domini, *Joan.* XV. 19, 20. & XVI. 2, 3. & 33. *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.*

IV. Huc accedit, quòd expreſſè ad crucem dicamur vocati, & per crucem ad gloriam: *Rom.* VIII. 29. dicitur Deus, *quos præcognovit*, etiam *prædeſtinaſſe*, *ut imagini Filii ſui conformes ſint, & quos prædeſtinavit*, etiam *vocaſſe*, ad eandem nempe imaginem. Quæ verò eſt imago illa? nempe, prout Chriſtum oportebat pati, atque ita intrare in gloriam ſuam, *Luc.* XXIV. 26. ita & Chriſtianis patiendum eſſe, antequam gloriam conſequantur. Idem ait Petrus, 1 *Epiſt.* II. 21. Hinc monet *cap.* IV. 12. *Ne miremur dum per ignem exploramur, perinde quaſi novum aliquid nobis obtingat.* *Et quia ad eas eſt vocatus.*

V. Quæſt. An ergo nemo Chriſtianus, niſi qui pro nomine Chriſti patitur? Reſp. Abſit. Omnibus in genere crux prædicta, omneſque ſine diſcrimine ad crucem vocati; omnibus ergo eſt exſpectanda, & adverſus crucem animus præmuniendus. Interim nonnunquam Deus pacem Eccleſiæ largitur, ſuoſque eximit ex hora tentationis quæ ventura eſt in orbem univerſum, *Apoc.* III. 10. Ita dicit Dominus, *Apoc.* II. 10. *Habebis afflictionem diebus decem*: ergo intra ſpatium certum definita. Immunitas ergo à cruce non arguit aliquem non eſſe Chriſtianum; ſed crucis declinatio, quando honeſtè declinari nequit. *Poteſt tamen aliquando ab ea eſſe immunis.*

VI. Hujus itaque virtutis officia ſunt. I. Ut mortem, & quaſcunque afflictiones, etiam graviſſimas, pro nomine Jeſu Chriſti alacriter ſuſcipiamus, quando alias nec gloriæ Dei, nec ſaluti tam proximi quàm noſtræ conſuli poteſt. Gloria Dei requirit veritatis ſalutaris ingenuam profeſſionem: Salus proximi, ſinceræ profeſſionis exemplum: Salus noſtra, conſcientiæ bonæ ſtudium, præ vitæ præſentis amore. *Qui* enim *me abnegaverit coram hominibus, eum ego*, inquit Dominus, *abnegabo coram Patre meo cœleſti*, *Matth.* X. 32, 33. & *boni paſtoris eſt animam ponere pro ovibus ſuis.* *Joan.* X, 11, 12. *Fortitudinis officium primum.*

VII. Hæc autem omnia ſi procurari poſſint, & honeſtum crucem evitandi medium nobis Deus concedat, fortitudini Chriſtianæ neutiquam repugnat, eam evitare. Quia prudentia Chriſtiana jubet, nos non conjicere in afflictiones, quas bonâ cum conſcientiâ evitare licet; non enim quærenda eſt crux, ſed quando honeſta eam evadendi via non datur, forti animo ſubeunda eſt. Exſtant multa in hiſtoria Eccleſiaſtica exempla eorum, qui non quæſiti ultrò ſe perſecutoribus ad mortem obtulere. Nuſpiam illud nobis præcipitur; è contra Servator mandat, *Matth.* X. 23. *quando vos perſequuntur in una civitate, fugite in aliam;* ipſeque exemplo ſuo aliud docuit, aliquoties declinans inſidias, & diſcedens è medio inimicorum ſuorum: *Matth.* XIV. 13. *Luc.* IV. 30. *Joan.* VIII. 59. X. 39. XI. 53, 54. Et *Si crux honeſto evitari nequit, ſuſcipienda eſt.*

 diſcipuli,

discipuli, *Actor.* VIII. 1. speciatim Apostolus Paulus, *Actor.* IX. 25. XVII. 10. XXIII. 17. &c. Dominus Jesus passus demum est, quando venit hora ejus, *Luc.* XXII. 53. Hinc sæpe dicit, horam suam nondum venisse. Ita nobis ad exemplum Domini nostri tum demum patiendum est, quando hora nostra venit, quâ Deus vult nos fortiter pro nomine ipsius mortem subire; nempe quando permittit à malis hominibus persecutionem contra nos excitari munerisque ac officii nostri ratio exigit ne fugiamus, ut exemplo nostro alios infirmiores in fide confirmemus, qui forte deficerent, si nos viderent fugientes: vel quando nos in manus persecutorum tradit, nullaque eas effugiendi via est, nisi per necessariæ aut utilis admodum veritatis abnegationem. Eo enim casu credendum, Deum nos ad crucem vocare.

Causa debet esse justa.

VIII. Ut itaque hic officio nostro rectè fungamur, ad duo attendendum. Primò. Ut patiamur propter justitiam, seu ut Scriptura loqui amat, propter nomen Jesu Christi. Non enim passio, ut rectè Augustinus, sed causa facit martyrem. Hinc 1 *Pet.* IV. 15. *Nemo vestrum patiatur ut homicida, fur, aut maleficus,* &c. *sed ut Christianus.* Exigit hoc, ut non patiamur, nisi ob dogmatis professionem, quæ passione digna est. Huc requiritur:

Huc requiritur, 1. Ut dogma sit verum.

IX. Primò. Ut dogma sit verum. Non enim ob errorem pati debemus. Hic ergo unusquisque seipsum exploret, sententiamque suam accuratè exigat ad verbum Dei. Quamvis enim credamus, Deum pro benignitate sua paterna approbare animum bonæ conscientiæ retinendæ gloriæque suæ promovendæ studiosum, qui adhibitâ omni possibili diligentiâ in errore quodam versatur, & ne ejus professionem contra conscientiæ suæ dictamen abneget, sanguinem suum fundere paratus est; rigidè tamen loquendo, propter veritatem tales non patiuntur. Cùm autem nullus in terris infallibilis controversiarum judex est constitutus, solius Dei est id determinare, & in futuro seculo de cujusque passionibus infallibile pronuntiare judicium.

2. Tanti momenti, ut sine ejus professione gloria divina lædatur.

X. Secundò. Debet esse tantæ necessitatis aut utilitatis, ut sine ejus professione gloria divina lædatur. Hoc maximè considerandum hisce temporibus, quibus persecutiones instituuntur non ab Ethnicis aut Judæis, & ob professionem totius Religionis Christianæ, sed à falsis fratribus, dominatum in aliorum conscientias ambientibus ob dissensum in speciali quodam dogmate Religionis. Hic ergo distinctio est facienda. Dogmatum enim alia ad salutem præcisè sunt necessaria, sine quorum aperta professione nec veritas salutaris, nec ipsa salus nostra consistere potest: alia non præcisè necessaria, & circa quæ si erretur, veritas tamen salutaris salva esse potest. Rursum: non necessariorum alia sunt valdè utilia, quæ proximè ad necessariorum naturam accedunt, quorumque negatio & pietatem evertere, & necessaria aliquatenus labefactare nata est; alia minoris momenti, sine quorum fide & professione & salus & pietas abundè salvæ esse possunt. Propter duorum priorum professionem persecutio, si ingruat, sustinenda est: quia sine his fides integra esse aut non, aut vix potest. Quod verò postremi generis dogmata attinet, quanquam omnis veritas cara nobis esse debeat, nihilque quod falsum esse persuasi sumus pro vero agnoscendum sit; præstat tamen aliquando veritatem exigui ad pietatem usus dissimulare, quàm intempestivè illam inculcando Ecclesiæ pacem turbare, seque in manifestum vitæ discrimen conjicere, atque ita privare mediis, quibus ad alios docendum sumus instructi. Possunt tamen tales incidere casus, ut etiam minora non sint dissimulanda; nimirum cum alii dominatum ambiunt in conscientias, eaque, quæ vera non sunt, licet non magni momenti, tanquam necessaria aliis imponere cupiunt: quod Apostolus egregiè exemplo suo docuit, *Gal.* II. 3, 4, 5. Aut etiam erroris, licet non admodum gravis, tanquam necessariæ veritatis professionem exigunt: non enim cum bonæ conscientiæ studio consistere potest, verum, nedum necessarium profiteri, de cujus falsitate sumus persuasi: bonâ autem conscientiâ amissâ facile fidei naufragium fit, 1 *Tim.* I. 19.

3. Ut non arroget quis, quæ sui non sunt muneris.

XI. Tertiò Non debet quis arrogare quæ sui non sunt muneris: sic non licet vi invadere templa publica, licet possideantur ab idololatris; quia illa sunt Magistratus, in eaque nulli subdito jus est. Nec licet religionem publicam vi turbare, aut se violenter magistratui opponere: ita nec Petrus propter Christi nomen persecutionem sustinuisset, si ob percussum Malchum fuisset captus; nec qui è Sacerdotis manibus in publicis templis ministrantis hostiam eripiunt, ac pedibus conculcant, verè ut Christi martyres patiuntur; est enim ille zelus planè inconsideratus ac temerarius, ob quem licet ejusmodi homines damnare non audeamus, tamen propter justitiam eos pati affirmare non possumus; an Deus ingenti zelo temeritatem illam condonare velit, ipsi committimus.

Nec sponte ad mortem nec ejus ad vocem est properandum.

XII. Secundum est, ne sponte, nec quæsiti nec vocati, ad mortem properemus, cùm honestè, sine læsione veritatis, muneris nostri, aut scandalo proximi, fugere, aut nos non prodere, licet. Præterquam enim, quod Dominus Jesus nos fugere præcipiat ex una civitate in aliam, videmus Deo sæpe ejusmodi temeritatem displicuisse.

Testantur

Testantur enim historiæ Ecclesiasticæ, quosdam ultrò se morti offerentes, cùm ad bestias & rogos ducerentur, metu mortis & cruciatuum horrore turpiter defecisse, fidemque abnegasse; Deo sæpe ipsis non adsistente Spiritus sui gratiâ, ac procul dubio temeritatem istam puniente.

Secundum officium. Pro nomine Christi gravissima pati.

XIII. Secundum officium est, ut quando videmus Deum velle, ut pro nomine Christi patiamur, etiam forti animo quævis mala, ac tandem mortem, etiam dirissimam, tanquam Christiani, toleremus, neque ullis adversitatibus succumbamus. Ut eo excitemur, considerare opportet finem Dei, ejusmodi persecutionibus nos exponentis. Is varius est.

Hoc requirit gloria Dei.

XIV. Primò. Gloria ipsius Dei, quod ejusmodi habeat servos, qui nullo cruciatu, nullis tormentis, ab obsequio ejus divelli possunt: quod videre licet in Jobo, *cap.* 1. *&* 11. unde & *Jacob.* v. 11. dicitur: *Patientiam Jobi audistis, & finem Domini vidistis.* Sic & persecutiones Christianorum Dei gloriam illustrant, *Act.* v. 40, 41. 1 *Pet.* IV. 14.

Salus proximi.

XV. Secundò. Bonum aliorum hominum; & quidem vel impiorum, ut conspicientes quantum in verè fidelibus sinceræ pietatis amor possit, impietatis suæ convincantur, 1 *Pet* 11. 12; 15. 111. 16. *Matth.* v. 16. Vel eorum, qui nondum verè sunt pii, nec à pietate prorsus alieni, ut ab ipsis generosæ pietatis exemplum petant quod imitentur.

Et propria.

XVI. Tertiò, & præcipuè. Bonum ipsorum, qui patiuntur, qui non tantum persuasi sunt afflictiones hasce non posse se separare à dilectione divina, *Rom.* VIII. 38, 39. sed & dilectionis divinæ esse signa, Deumque per eas salutem ipsorum promovere. 1. Enim per eas abstrahuntur ab amore mundi, veluti omnium miseriarum domicilii. 2. Vacui ab amore mundi, cœlum bonaque cœlestia anhelare discunt, quæ bonis mundi abundantibus vilia esse solent. 3. Ut in cœlestium fide corroborentur; quia dum hîc nullam pietatis mercedem conspiciunt, facilius eam in cœlis repositam ac futuram credunt. 3. Persecutiones sunt stimuli, ut preces ad Deum fundant ardentiores, cujus spiritus auxilio se indigere sentiunt: ita Apostoli, *Act.* IV. 24. ingruente persecutione preces ad Deum ardentes fundunt. 5. Sunt exploratio fidei ac constantiæ ipsorum. Perinde uti miles gravissimis periculis, & nauta tempestatibus explorantur: ita & Deus, quos in minoribus fideles invenit, etiam per graviora explorare cupit, propiusque sincerum ac constantem ipsorum animum cognoscere, aliisque declarare. Sic vocantur *tentatio* & *probatio fidei nostræ*, *Jacob.* 1. 2, 3, 12. & 1 *Pet.* IV. 12, 13. Quâ exploratione simul in pietate ac fide confirmantur, perinde uti arbor ventis quassata altiores radices agit. 6. Ut in charitate mutua magis confirmentur, seque conjunctis animis communi hosti validius opponant: atque ardentius pro se invicem preces ad Deum fundant: ita se Apostolus commendat precibus fidelium, *Eph.* VI. 19. 7. Ut coërceantur ne in peccatum incidant; multis enim causa salutis fuit peccandi illecebris caruisse: ita de se testatur Apostolus, 2 *Cor.* XII. 7. sibi datum stimulum carnis suæ, angelum satanæ, qui ipsum colaphizet, eo fine, ne magnitudine revelationum se extollat. Ita ut persecutiones hoc respectu sint salis instar qui carnes, & motus qui aquas à putredine conservat. 8. Ut tanquam flagello aliquo castigati retrahantur à peccato, in quod sive per incuriam, sive mundi deliciis allecti inciderunt. *Hebr.* XII. 5, 6, 7, 8. *Apoc.* III. 19. *Psal.* CXIX. 67, 71. Et notanda hîc est summa Dei benignitas, quod fideles suos castigans, coram hominibus semper afflictiones iis inmittit honesto titulo, crucis nimirum pro nomine Jesu Christi; cùm sæpe coram ipso affligantur propter peccata sua. 9. Ut eos exploratos approbet, 1 *Pet.* 1. 6, 7. & *Rom.* v. 3. δοκιμάζειν enim sæpe significat *approbare*, ut *Rom.* XII. 2. 10. Ac tandem, ut eos ita approbatos gloriosè coronet, *Jacob.* 1. 12. *Matth.* v. 10, 11, 12. *Act.* XIV. 22. 2 *Corinth.* IV. 16, 17, 18. *Apoc.* II. 10. *cap.* VII. 14, 15. & alibi passim.

Non sunt optandæ persecutiones.

XVII. Obj. Si is afflictionum sit fructus, ergo videntur desiderandæ, cùm tamen omnes homines eas horreant, casque fideles deprecentur. *Resp.* 1. Non omnes hosce fructus exinde percipiunt, sed ii demum, qui per eas exercentur, quorumque patientia perfectum habet opus, uti dicitur, *Heb.* XII. 11. 2. Possunt exoptari tanquam salutaris medicina, horreri verò tanquam carni ingratæ. Atque ita eas deprecantur pii & fideles, si æquè gloria Dei ac sua salus promoveri possit, ut Deus ipsos ex hora tentationis liberet; aliàs se ad patiendum divinæque voluntati subjiciendum promtos ostendunt; ad exemplum Domini sui, *Matth.* XXVI. 39. Ita æger sectiones & ustiones corporis sui horret, quanquam eas ut sanitati recuperandæ media ultrò suscipiat. Et quocunque tandem modo considerentur, habet fidelis causam eas non nimium horrendi, aut præ earum metu fidem ac pietatem abnegandi, quoniam si deficiat, à Deo vindice graviora exspectare debet: *Matth.* x. 28. *Luc.* XII. 4, 5.

Rationes tolerantiam crucis suadentes.

XVIII. Et sanè si rem rectâ expendamus lance, verè fideli mortem pro Christi nomine subire grave non est. Deponit quidem homo vitam, omnis fruitionis fundamentum, quâque nihil charius homini est, *Job.* II. 4, 5. & *Genes.* XLVII. 25. sed brevi forsan aliàs finiendam, saltem caducam & fragilem,

lem, *Esa.* XL. 6, 7. *Job.* XIV. 1, 2. *Jacob.* IV. 14. quæque forte nihilominus eodem die, aut paulò post saltem terminanda sit: quam etiam Deus nobis ad tempus tanquam depositum aliquod credidit, cui eam semper quandocunque libet repetere licet, ipsoque repetente statim deponendo est. Nihil autem ultra hanc vitam persecutores nobis eripere possunt, *Luc.* XII. 4. Et illius loco Deus nobis daturus est vitam æternam: 2 *Cor.* V. 1. *Apoc.* II. 10. cujus jacturam faciemus, si hanc præsentem pro Dei gloriâ non abnegaverimus: *Matth.* XVI. 25, 26 Quid autem grave homini hac fide ac spe suffulto? 1 *Joan.* V. 4. *Qui ex Deo natus est vincit mundum. Rom.* VIII. 37. *In hic omnibus superamus per eum qui delexit nos.* Præsertim cum persuasus sit, omnes hujus seculi afflictiones nullo modo comparandas esse cum gloria nobis reposita, *Rom.* VIII. 18.

Exemplum Christi. XIX. Nec exiguum ad afflictiones fortiter tolerandum est momentum in exemplo Servatoris nostri Jesu Christi, qui per omnia est tentatus, gravissimasque afflictiones ac mortem dirissimam ac ignominiosam sustinuit nostri causâ; non ergo grave nobis esse debet, pro ipsius nomine, & ad illius exemplum pati. Hinc dicimur cum ipsius passionibus communionem habere, 1 *Pet.* IV. 13. & qui fideles persequuntur ipsum persequi, *Act.* IX. 4. Eâque de causâ afflictiones communiter generali nomine *crucis* denotari videntur; non tantum quia crux gravissimi supplicii species est; sed potissimum ut allusio fiat ad crucem Jesu Christi, eâque denominatione fideles ad promtam tolerantiam animentur, quia patiendo Dominum suum sequuntur. Hinc & Dominus, quando jubet ut qui discipulus suus esse vult, *crucem suam tollat*, addit, *& sequatur me*, *Matth.* XVI 24. Quæst. Quâ ratione fidelis cum passione Christi communionem habet, cum Christus ut sacrificium pro peccatis nostris mortuus sit? Resp. Christus non tantum ut sacrificium pro peccatis nostris passus est, sed & ut testis fidelis, qui testimonium perhibuit veritati divinæ; *Apoc.* III. 14. & ad instar illius etiam fideles moriuntur, veritatemque divinam sanguine suo obsignant, 1 *Joan.* V. 8. ubi per sanguinem, qui in terris testatur, non alius intelligi videtur, quàm martyrum, qui luculentum veritati Euangelii perhibet testimonium. Hisce jam adde, omnes, qui cum Christo patiuntur, etiam gloriæ ipsius fore participes, *Rom.* VIII. 16, 17. 2 *Tim* II. 11, 12. *Hebr.* XII. 1, 2. 1. *Pet.* IV. 12, 13.

Requisita in tolerantia Christianâ. XX. Ut autem tolerantia nostra verè sit Christiana, Deoque placeat, requiritur: 1. Ne in passionibus nostris contra Deum murmuremus, quasi aut non faveat nobis, aut causæ quam profitemur, aut iniquè nobiscum egat: dicendum cum Jobo, *cap.* I. 21. & II. 10. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* 2. Ne persecutoribus mala imprecemur; est enim illud impatientiæ signum; multò minus illis conviciemur, aut violenter illis resistamus pariaque iis infligere conemur. Contrarium videmus in Domino nostro Jesu Christo, *Luc.* XXIII. 34. qui pro persecutoribus oravit: cujus exemplum nobis proponitur, 1 *Pet.* II. 20, 21. & in Staphano protomartyre, *Act.* VII. 59. atque ita nobis præcipit Servator, *Matth.* V. 44. *&c.* 3. Ne quid faciamus Deo displicens, aut aliis scandalo, ut persecutorum manus evadamus. Illustre habemus exemplum in Eleasaro, 2 *Machab.* VI. 18. &c. 4. Ne nos molliùs & effœminatiùs geramus, quàm viros spe immortalitatis suffultos decet, sed animum adversus metum obfirmemus. Hoc est, quod Scriptura aliquoties commendat, ut gaudeamus quando Christi causâ affligimur, 1 *Pet.* IV. 13. *Matth.* V. 12. *Rom.* V. 3. *Jacob.* I. 2.

XXI. Quæst. An id requirit hominis Christiani officium, ut cum gaudio patiatur: adeo quidem, ut qui non cum gaudio patitur, aliquid indignum faciat homine Christiano? Resp. Absit. Contrarium exemplum habemus in Servatore, cujus quævis actio nostra est institutio, qui etiam crucem & afflictionem horruit, *Luc.* XII. 50. *Joan.* XII. 27. *Matth.* XXVI. 36, 37. &c. Et in Apostolo Petro, fortitudine reliquos Apostolos antecedente, *Joan.* XXI. 18. de quo Dominus, mortem ipsi prædicens, ait, *alius te cinget*; seu vinciet, *& ducet quò non vis.* Et Paulo, qui de seipso ait, 2 *Corinth.* VII. 5. *Foris pugnæ, intus timores.* Potest quædam esse naturalis infirmitas & timiditas nobis ingenita, quæ studio & labore minui quidem potest, sed non penitus tolli. Licet ergo quis eum horrore mortem adeat, & tamen, ne veritatem abneget, eam patiatur, martyris Christiani titulo nequaquam indignus est. Gaudere verò in ipsis cruciatibus, heroicum est, singularique Spiritus divini assistentiæ tribuendum. *An gaudendum in afflictionibus.*

XXII. Ex hisce jam facile de virtutis hujus extremis judicari potest. Extremum in excessu est temeritas, quando quis citra necessitatem se conjicit in periculum, quod salvo officio suo & veritate divinâ evitare potest. Rectè *Syrach.* III. 27. *Qui periculum amat in illo peribit.* *Extremum in excessu temeritas.*

XXIII. In defectu: Primò, timiditas, quando quis timore hominum, aut malorum sibi ab hominibus infligendorum, veritatem deserit, eamque vel apertè, vel tacitè abnegat. Quæ timiditas non tantum cernitur, quando quis metu mortis veritatem abnegat; sed &, cum ingenuam veritatis professionem deserit, falsique professionem simulat, ne vitæ hujus commodis, divitiis, honoribus, privetur, aut spe ea consequendi *In defectu, timiditas.*

ſequendi excidat. Eſtque illa turpiſſima timiditatis ſpecies; quomodo enim mortem contemnat, qui hæc minora, quibus facile careat homo, præ veritate divinâ diligit? Hinc rectè 1 *Joan.* IV. 18. ait, *in perfecta charitate non eſſe timorem*: qui enim homines metuit magis quàm Deum, perfectè Deum non diligit. Et 1 *Pet.* III. 14. Solentque tales fidei planè naufragium facere, fidemque, cujus antea profeſſionem aut abnegarunt, aut ſaltem diſſimularunt, penitus amittere: ſeparare enim ſe à veritatis profeſſoribus, iiſque qui falſum tuentur adjungere ſolent. Ne autem id ſine ratione feciſſe videantur, prætextus, quibus turpitudinem ſuam velent, conquirere ſolent: falſum conantur quibuſvis coloribus palliare, veritatemque ſpecioſis argumentis labefactare, donec Deo impietatem iſtam puniente tandem inveniant quod quærunt: dicente Apoſtolo, 2 *Theſſ.* II. 11. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Quomodo timor ſuperandus. XXIV. Ut autem metus ille ſuperetur, cogitandum ſemper, pro nomine Chriſti eſſe patiendum. Hoc enim qui ſeriò cogitat, ſemper ſe ad tolerantiam crucis componet; & temporibus refrigerii ſe ad crucem præparabit, carnem jejuniis, vigiliis, labore, aliiſque exercitiis ſubigendo, ne crux eum imparatum opprimat.

Et impatientia. XXV. Alterum in defectu extremum eſt impatientia ac mollities: quando quis in doloribus, aut jactura rerum hujus vitæ ob nominis divini profeſſionem, nimis effœminatè ſe gerit: aut etiam adverſus Deum murmurat, aut perſequentibus mala imprecatur: aut veritatem abnegat. Huc refer *Hebr.* XII. 3. Solent hæc omnia non tantum oriri ex amore rerum mundanarum, & timore afflictionum; ſed & aliquando ex errore mentis & perverſo judicio, quod credant homines, ſignum eſſe averſionis divinæ à doctrinâ aliquâ, quòd eam affligi permittat, & amoris divini erga doctrinam, quòd ejus patronis omnia in hac vitâ proſpera largiatur. Ita Pontificii felicitatem temporalem veræ Eccleſiæ notam ſtatuunt: cùm tamen Dominus Jeſus affirmet, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, diſcipuliſque ſuis afflictionem & crucem in hoc mundo prædicat, & per varias afflictiones nos ad gloriam ducere velit.

CAPUT LVI.

De rerum adiaphorarum uſu.

I. HActenus de rebus naturâ ſuâ honeſtis ac turpibus, virtutibuſque eas dirigentibus: reſtat ut de rebus indifferentibus, legitimoque earum uſu, agamus.

II. Res indifferentes vocamus, quæ in ſe ſeu ſuâ naturâ neque bonæ neque malæ ſunt, quibus itaque licitè uti, & à quarum uſu abſque peccato abſtinere poſſumus; proinde quæ vel bonæ vel malæ ſunt, ex quibuſdam uſus ipſarum circumſtantiis. Cognoſcitur autem res quædam indifferens eſſe ex præceptis Jeſu Chriſti, & Religionis Chriſtianæ analogiâ. Quæcunque enim vel mandata ſunt, vel prohibita, inter indifferentia nequaquam ſunt collocanda, nec quæ illis ſunt ſimilia aut paria. Sic dicitur, *Gal.* V. 21. *Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.* Vel proximè ad illa accedunt, notabilemque cum illis convenientiam habent. Sunt ergo indifferentia, quæ à Deo vel expreſsè ſunt permiſſa, aut nuſquam interdicta, aut interdictis nullo modo analoga. Talia ſunt multa externa, quæ ſpectant victum, amictum, actioneſque noſtras ad vitam civilem ſpectantes. *Matth.* XV. 11. *Act.* X. 14, 15. *Rom.* XIV. 14. 1 *Cor.* VIII 4. & X. 25, 26, 27. *Coloſſ.* II. 16. 1 *Timoth.* IV. 3, 4, 5. *Tit.* I. 15. *Hebr.* IX. 9, 10. *Res indifferentes.*

III. Hujus libertatis cognitio maximi eſt uſus. Conſcientiæ enim ſi incipiant fluctuare, nuſquam ſecuræ erunt: ſi hæſitare incipiat homo, an ſibi quicquam ultra neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem licitum ſit, nunquam ſecurus erit, dum cogitabit, ſe vilioribus adhuc corpus ſuum poſſe ſuſtentare; & ſic aut deſperatione concidet, aut Religionis Chriſtianæ, tanquam à ratione alienæ, jugum excutiet; aut facillimè alios libertate ſuâ utentes condemnabit; *Rom.* XIV. 4. Non hæc tamen dicimus ad excuſationem ejuſmodi divitum, qui lautè & ſplendidè, etiam cum aliorum, præſertim pauperiorum, ſcandalo vivunt: quaſi licitum ipſis ſit, quicquid ſine opum diſpendio facere poſſunt. Non enim ad luxum opes ipſis ſunt conceſſæ, ſed tanquam fidelibus œconomis, ut aliorum egeſtati ſuccurant, ipſique cum gratiarum actione utantur donis divinis: luxus autem & faſtus expreſsè vetantur. *Rom.* XIII. 14, 1 *Timoth.* II. 9, 10. 1 *Pet.* III. 3, 4. *Libertas circa earum uſum.*

IV. Licet verò indifferentia licitè uſurpari poſſint: fieri tamen poteſt, ut per circumſtantias quaſdam natura earum mutetur. Duplici ergo lege libertatem hanc noſtram Deus circumſcriptam voluit, fidei nim: & caritatis. Fidei lex haſce complectitur regulas. *Ea circumſcribitur lege fidei.*

V. Primò. Ut de libertate noſtra pleniſſimè ſimus inſtructi, libertatiſque ratio animis noſtris apud Deum conſtet, certique ſimus ac perſuaſi, quod facimus, eſſe licitum. Perſuaſio illa haberi poteſt ex diſerta permiſſione divina, aut quando nullum eſt Dei interdictum, nullaque cum interdicto analogia. Traditio Eccleſiæ hic non ſufficit: quia Eccleſiæ auctoritas abſque *Ejus regula prima.*

verbo

verbo divino tantum est humana, nullamque conscientiam obligandi vim habet. Qui tamen illi se alligatum credit, etsi in verbo divino nullum reperit interdictum, de libertate sua non est persuasus. Opponitur hæc persuasio conscientiæ dubitanti, quæ libertate suâ absque peccato uti non potest, *Rom.* XIV. 14. quia conscientia intima regula est actionum nostrarum; conscientiaque aut errans, aut dubitans, rem aliàs licitam reddit illicitam; quia actio illius non est ex fide, id est, certâ animi persuasione, ac proinde peccatum, *Rom.* XIV. 23. Vide & 1 *Cor.* VIII. 10.

Secunda. VI. Secundò. Ut licitorum usus fiat ad honorem Dei, 1 *Cor.* x. 31. Quod testamur gratiarum actione, quod à Deo non tantum varietatem tantam ciborum, aliorumque ad vitæ usum acceperimus; sed & per Christum libertatem quosvis illos edendi, non observato discrimine olim instituto. *Rom.* XIV. 6. 1 *Timoth.* IV. 5.

Tertia. VII. Tertiò. Ne libertati nostræ nimium simus addicti, ipsique nos veluti mancipemus. Sic 1 *Cor.* VI. 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt; omnia mihi licent, sed non redigar sub potestatem ullius rei*: id est, ita me non subjiciam ulli rei, ut eâ carere nequeam; sed decori semper, & ædificationis aliorum habebo rationem; uti docet, *cap.* IX. 19, 20, 21, 22. Qui enim ædificationis causâ propter alios aliquando sibi ab usu rei aliàs licitæ temperare debet (uti mox videbimus) etiam ab ea abstinere debet aliquando, etiam cum ædificatio id non postulat; quia continuus licitorum usus hominem suæ cupiditatis servum facit.

Quarta. VIII. Quarto. Quod huic affine est, ne licitorum usus nos ad illicita ducat: sed fides nos semper dirigat, ut iis non nisi licitè utamur: eas ergo semper consideremus tanquam indifferentes, & ad vitam hanc animalem solummodò pertinentes: ne ergo eas cupide nimis appetamus, non anxiè sectemur, non ad ostentationem iis utamur, aut ad voluptates carnis, ne iis intenti animæ curam negligamus, aut sine molestiâ iis carere nequeamus; sed semper modestiæ, gravitatis ac continentiæ Christianæ simus memores; exemplumque Apostoli exprimamus, *Phil.* IV. 12, *Scio & humiliari, scio & abundare, (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati.*

Et lege caritatis. Ejus regula prima. IX. Lex charitatis hasce comprehendit regulas. Primò. Ne libertate nostrâ utamur cum contemtu fratrum infirmorum, (id est, fidelium quidem, sed nondum de ratione libertatis Christianæ plenè persuasorum) quasi superstitiosorum; aut eorumdem quasi stupidorum aut ignorantium Religionis Christianæ irrisione. *Rom.* x v. 3. & 10. Rationem ibidem addit Apostolus; quia est servus alienus, & unusquisque pro se Domino rationem reddet. *vers.* 12.

X. Secundò. Ne aliis detur ansa contentionis, qui videntes nos, quæ ipsi illicita credunt, intrepidè facere, facile tanquam minus Christianè ambulantes reprehendent; unde, dum nos factum nostrum defendere studemus, rixæ & contentiones oriuntur: *Rom.* XIV. 19. *Secunda.*

XI. Tertio. Ne fiat cum infirmorum scandalo: *Rom.* XIV. 13, 21. Nam præstat ut hominis collo mola asinaria appendatur, ipseque mergatur in profundo maris, quàm ut scandalum præbeat, *Matth.* XVIII. 6. Quod ut plenius explicetur, distinctius quædam de scandalo præmittenda sunt. *Tertia.*

XII. Σκάνδαλον propriè est lignum incurvum, quo tendicula seu decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsam tendiculam seu decipulam in se subitâ ruinâ evertit. Ita accipi videtur, *Psal.* LXIX. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Aliis est obstaculum seu impedimentum pedum, quod in viâ insidiosè ponitur, ut qui illac transeunt impingant pedem, & offendant. Sic *Levit.* XIX. 13. vetat Deus *coram cæco poni offendiculum:* ut idem sit quod πρόσκομμα, *Rom.* XIV. 13, 21. ubi ambæ voces conjunguntur; uti & 1 *Pet* II. 7. *Ad Rom.* autem XIV. 21. Apostolus tria ponit vocabula, *infirmari*, *offendi*, & *scandalizari*: quæ ab interpretibus quibusdam ita distinguuntur; ut *infirmari* sit, in dubitationem adduci: *offendi*, in peccatum labi: *scandalizari*, pietatem prorsus deserere. Quicquid sit, apparet similitudine desumtâ à rebus corporeis ad spirituales, per scandalum in Scriptura propriè designari ejusmodi actionem, quâ alter in peccatum inducitur. *Scandalum quid sit.*

XIII. Scandalum vulgò distingui solet in datum & acceptum. Data scandala sunt, quæ originem habent ex istiusmodi rebus, quæ totâ suâ naturâ eò tendunt, ut alium in peccatum inducant: sive scandalum ab alio accipiatur, sive non accipiatur; sive id fiat præter intentionem illius qui scandalum istiusmodi præbet; sive ipso id intendente; quod pessimum ac diabolicum est. *Est vel datum.*

XIV. Ipso intendente fieri potest dupliciter. Vel voluntate plenâ ac directâ; quando aliquem ad peccatum sollicitat, sive præcepto, sive persuasionibus, sive donis ac muneribus. Vel indirecta, seu interpretativa ac mixta: quando aliud quidem actione sua intendit; non tamen ignarus est, ex ea peccatum facillimè oriturum; imò fieri vix posse, quin ex ea peccatum oriatur; ut si quis liberos matrimonio jungat cum idololatris, aut in disciplinam tradat hominibus vitæ non probatæ. Vix enim vitari potest, quin continua illa familiaritate ad similem vivendi rationem allicientur. *Datur autem vel homine id intendente.*

XV. Præ-

Vel præter ipsius intentionem.

XV. Præter ipsius intentionem contingere potest variis modis. I. Quando ejusmodi doctrinam docet, quæ, si proprius illius genius attendatur, tota comparata est, ad omne pietatis studium exstinguendum, hominesque ad vitam securam & profanam inducendum. Ejusmodi enim doctrinâ facillimè homo ad profanitatem & peccatum allicitur. II. Quando aliis malo exemplo præit; imprimis si supra alios emineat auctoritate, potentiâ, scientiâ, aut opinione quam de ejus sanctimonia homines conceperunt. Scandalum illud efficax est valdè: Exempla enim, quia in oculos incurrunt, validè movent, eorum præsertim quorum est apud nos auctoritas: ac fortasse verum est, plurimos homines malo exemplo in peccatum induci. Id docent crebri illi sermones; ille hoc facit, ille vir tantus, tanta voluntatis divinæ scientiâ instructus, tam pius sanctus; quidni & ego? Et quantum exemplum possit, documento est simulatio illa Petri, *Galat.* II. quæ multos compulit ad simulandum. III. Quando intempestivè libertate suâ Christianâ utitur coram infirmis: nam & ille scandalum præbere dicitur, *Rom.* XIV. 13. I *Cor.* VIII. 10.

Vel acceptum.

XVI. Scandalum acceptum est, quando aliquis facto alterius ad peccandum inducitur, aut opinionem ex qua peccatum fluit concipit. Eoque vel malo; & tum datum accipitur: ut cum alterius suasione, doctrinâ aut exemplo motus, in peccatum labitur. Eoque casu scandalum simul & datum & acceptum est, sed diverso respectu; datum respectu illius, qui alteri occasio est peccandi; acceptum, respectu illius, qui eo ad peccandum inducitur. Sed verò, quia illorum scandalorum origo est in illo, qui facto suo alteri occasionem præbet peccandi, inter data referri debent. Vel bono; & tum non datum accipitur; quando quis re bonâ & a Deo præcepta abutitur in occasionem peccandi. Eaque propriissimè scandala accepta vocantur; quia is, qui scandalizatur, licet nulla ipsi ratio detur, tamen sponte scandalum arripit ex rebus bonis, & quæ naturâ suâ ad ipsius ædificationem tendunt. Ita Christus passim *petra scandali* vocatur, I *Pet.* II. 7. vide *Matth.* XIII. 21, 57. vocaturque speciali nomine Pharisaicum, quia Pharisæi salutari Christi doctrina, ipsorum fucatam sanctimoniam reprehendente, offendebantur, *Matth.* XV. 13, 14.

Id duplex est.

XVII. Scandalum itaque acceptum non est tristitia de facto alterius; sed peccatum, in quod occasione facti alterius, sive id eò naturâ suâ tendat, sive non, incidimus. Id autem dupliciter contingere potest. I. Quando aliquis, facto alterius offensus, sequiorem de Religione Christiana concipit opinionem, quasi carni nimis indulgentem; & sic aut ab ea amplectenda alienus redditur, aut jam amplexam deserit & repudiat. Hoc scandalum præbent peccata, à fidelibus contra expressam Dei legem commissa: *Rom.* II. 24. intempestivus libertatis usus coram infirmis, *Rom.* XIV. 20. & acceptum est à Pharisæis ex doctrina Jesu Christi sancta & bona; *Matth.* XV. 13. 2. Quando alterius exemplo aut doctrina allicitur ad peccandum; id est, vel alterius peccatum imitando, ac faciendo quod præceptis divinis repugnare persuasus est: vel quando, infirmus cum adhuc est, & nondum persuasus de libertate Christianâ, alterius exemplo, cujus prudentiæ, scientiæ ac probitati confidit, allicitur ad aliquid dubitante conscientiâ faciendum, I *Cor.* VIII. 10, II. atque ita peccat, juxta *Rom.* XIV. 23.

Quid propriè sit, scandalum accipere.

XVIII. Ex hisce liquet, plurimos, errore quodam ex perversa opinione orto deceptos, credere se scandalum accepisse, cùm tamen nullum acceperint: veluti qui sine ullo in proximum suum odio, sine ullâ peccati quod patravit imitatione, tristitiam in se super illius peccato sentiunt. Non enim omnis aut offensio aut dolor de peccato alterius scandalum est; imò quandoque est virtus, oriturque ex vehementi erga divinam gloriam zelo; sed ea demum offensio, quâ quis in studio pietatis retardatur, aut exemplo alterius in peccatum impellitur: imò quo peccatum id minore cum dolore, & majore cum gaudio committit, eò scandalum etiam gravius est. Ab altera parte credunt quidam nullum se accepisse scandalum, cum tamen gravissimum acceperint; nim: qui sine ulla animi luctâ, quin & cum gaudio aliorum peccata approbant, quin & iis cooperantur, eaque imitantur.

Quantum id sit crimen.

XIX. Utrumque in vitio est, scandalum dare, & accipere. Scandalum ex re bona acceptum animi à pietate aversi indicium est; ideoque id ab homine pio negligi, neque is propterea quæ sui sunt officii omittere debet: instar Servatoris nostri, *Matth.* XV. 13, 14. Ex peccato alterius, quin & intempestivo libertatis usu acceptum, eum qui id accepit condemnare potest; *Rom.* XIV. 15. quantò ergo gravius crimen scandalum alteri præbere? Constat id ex pœna denuntiata, *Matth.* XVIII. 6.

Usus licitorum cohibendus, quando metus est scandali.

XX. Ex dictis patet; licet usus rerum mediarum licitus nobis sit, nihilque mundis sit impurum aut inquinatum, eas tamen mediarum rerum naturam deponere, fierique illicitas, quando metus est scandali, I *Corinth.* X 28. 32. Dando enim scandalum, multipliciter peccamus I. Contra charitatem: quia proximum contristamus, eumque facto nostro in æternæ condemnationis periculum adducimus, propter rem adeo exilem, voluptatemque adeo vanam, quam ex usu libertatis nostræ percipimus, *Rom.* XIV. 15, 20. I *Cor.* VIII. II. 2. Contra Christianam Religionem,

quæ propterea male audit apud infideles, quasi carni laxas concedens habenas; cum tamen sit sanctissima, perfectissimaque pietatis præcepta contineat. Hinc *Rom.* XIV. 16. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*; id est, libertas nostra, quam per Christum obtinemus. Hinc & monet, ne *libertatem dent in occasionem carnis*, *Gal.* V. 13. 1 *Pet.* II. 16. 3. Contra Christum; qui quantum in nobis est perdimus eum pro quo Christus mortuus est: ac proinde sanguinem illius, quatenus pro fratre nostro fusus est, irritum reddimus: 1 *Corinth.* VIII. 11. 12. 4. Contra Deum, cujus gloriæ injurii sumus, destruendo quantum in nobis est fidem infirmi fratris nostri, quam Deus modo adeo illustri ac sapienti in ipso per verbum ac spiritum suum operatus est. *Rom.* XIV. 20. *Noli propter escam destruere opus Dei*: id est, fidem infirmi fratris tui, quam Deus in ipso operatus est: sicut fideles omnes vocantur *factura Dei*, *Eph.* II. 10.

Occurritur objectioni.

XXI. Quæst. An ergo libertate mea propter alium privabor? Resp. Nequaquam. Sed distinguendum tibi est inter libertatem ipsam, & externum illius usum. Non consistit libertas in externo illius usu, sed in animo de libertate suâ plenè persuaso. Nihil enim novi per libertatem illam acquiris in oculis hominum, sed Dei. Itaque consistit ea tam in abstinendo, quàm faciendo. Si credis nihil interesse, sive carnem edas, sive à carnis esu abstineas, jam liber es, etiamsi carnem non comedas in æternum: si verò edas cum alterius offendiculo, peccas. Libertatis ergo usus aliquando propter alium est inhibendus. Illius enim omissione salus nostra nullo modo labefactatur: quia *regnum Dei non est cibus nec potus*, *Rom* XIV. 17. id est, medium regnum Dei consequendi non consistit in usu libertatis nostræ, in esu cibi liciti; sed in exercitio virtutum quibus proximi salutem promovemus. Sic & 1 *Corinth.* VIII. 8 *Esca nos non commendat Deo; neque enim si manducaverimus abundabimus; neque si non manducaverimus deficiemus.*

An propter Pontificium ab esu carnis die Veneris sit abstinendum.

XXII. Quæst. An ob Pontificium ab esu carnis, præsertim die Veneris, abstinendum? Resp. 1. Agitur. *Rom.* XIV. de infirmo in fide ob reverentiam legis Mosaicæ à Deo ipso latæ, non autem incertæ cujusdam traditionis vel auctoritatis humanæ, quali Pontificius se alligatum credit. 2. De eo non alienando à Christiana Religione in genere; non autem à specialis cujusdam dogmatis fide. Si quis tamen id faciat, ut Pontificium à superstitione suâ avocet, rectè facit, & secundum charitatem ambulare dicendus est; quamvis id non videatur facere ex vi præcepti Apostolici, quod legitur *Rom.* XIV.

Quid faciendum,

XXIII. Obj. Sed fieri potest ut scandalum nullo modo evitemus, sive libertate nostrâ utamur, sive eâ non utamur. Exemplum habemus in Paulo, *Gal.* II. cujus familiaritate cum gentibus fideles ex circumcisione offendebantur: si autem cum Petro se ab ipsis subduxisset, gentium offendiculum evitare non potuisset. Quid fideli in tali casu est faciendum? Resp. Prudentia & charitas duces nostri erunt. Utrinque non potest esse scandalum datum; sed alterum est datum, alterum acceptum. Hoc prudentia investigabit. Charitas suadebit nemini scandalum dare. Prudentia, si ab utraque parte scandalum evitare nequeat, docebit majus vitandum esse, contemnendumque illud quod ex re bona injustè arripitur. Tale habemus exemplum in Paulo, qui, licet Timotheum, natum ex matre Judæa, circumcidisset in gratiam Judæorum, Titum tamen propter ipsos circumcidere noluit. Videbat quidem fideles ex Judæis hoc suo facto offensum iri, sed sine causâ; quia ceremoniæ Mosaicæ nullam ad salutem vim habebant, neque gentibus, ex quibus Titus oriundus, unquam præscriptæ fuerant. Ab altera verò parte major erat metus offensionis, & quidem justioris, apud gentes, si Titus Pauli socius, cùm ageretur de gentium libertate à ceremoniis legalibus, circumcisus fuisset. Inde enim facillimè collegissent, Hierosolymis judicatum fuisse, gentes etiam debere circumcidi, ceremoniasque legales observare; quod multorum fidem labefactasset, ipsosque à religione Christiana alienos reddidisset. Eadem causa movit Paulum, ut Petro Antiochiæ, se gentium consortio propter eos qui à Jacobo venerant subducenti, contradiceret, *Gal.* II. Nullam enim justam Judæi offensionis causam habere poterant, quod cum gentibus Petrus familiariter versaretur: gentes autem meritò offendi, si ipsarum se consortio Apostoli subducerent. Similes si nobis occurrant casus, eadem prudentiæ & charitatis lex quid agendum sit nobis dictabit.

quando ab utraque parte scandalum est metuendum.

CAPUT LVII.

De variis Vocationibus & specialibus Vitæ conditionibus.

Utilitas hujus tractationis.

I. Hactenus officia omnibus Christianis ex æquo præscripta expendimus. Consequens est, ut quæ singulis, juxta diversum vitæ suæ statum, necessaria sunt explicemus. Quanquam enim prudenti generalium præceptorum applicatione ad quodvis vitæ genus unusquisque facile officium suum agnoscere possit; tamen specialia quædam, minus exercitatis non æquè obvia, distinctius tradenda sunt.

Christiana religio non t[...] sta-

II. Fundamenti loco præmittimus, Christianam Religionem, licet omnes fratres simus in Christo, & ratione salutis æternæ æquali

tum civilem.

quali apud Deum & Christum conditione, diversos tamen in vita civili hominum status non tollere. Quod quamvis per se clarum ac evidens videatur, tamen propter quosdam id negantes, adstruendum est.

Conditio hominis civilis.

III. Distinguendum ergo, inter conditionem hominis civilem, & Christianam seu spiritualem. Ad constitutionem status civilis omninò requiritur discrimen conditionum & statuum; uti enim in corpore humano alia membra sunt nobiliora, alia ignobiliora; ita etiam ordo ad societatis humanæ conservationem requisitus, ut idem in corpore politico obtineat, omninò exigit. Atque hac ratione omnia conspirant & concurrunt ad totius corporis politici conservationem. Quod egregiè deducit Apostolus, 1 *Corinth.* XII. 14, 15. *&c.*

Conditio spiritualis.

IV. Quod attinet conditionem Christianam, seu spiritualem, illa nos omnes ex æquo commendat Deo, nullumque est discrimen hominum in Religione Christiana respectu Dei ac Christi, quasi hic aut ille vitæ status per sese nos Deo gratiores redderet; è contra quocunque in statu simus, modò piè vivamus, Deo grati sumus, ac salutis æternæ erimus hæredes. Quia itaque illud statuum vitæ civilis discrimen nullum ad virtutem confert momentum, etiam in judicio divino nullo censu habetur. Non enim est personarum acceptio apud Deum; *Eph.* VI, 9. *Coloss.* III. 25. IV. 1. *Apoc.* VI. 15. Sed præcipuè id docetur, 1 *Corinth.* XII. 13. *Gal.* III. 28. *Coloss.* III. 11.

Ea non tollit discrimen statuum in vita civili.

V. Verùm quæritur, An ille apud Deum ratione salutis æqualis status tollat omne discrimen inter homines, & in vita civili? Dicimus, nullo modo. Non enim religio Christiana statum civilem tollit, sed mores tantum & animos hominum mutat, & unumquemque statum dirigit convenienter præceptis Jesu Christi. Quod exinde liquet;

Quia Scriptura nusquam eos abolet.

VI. Primò. Quia Scriptura manifestè hoc statuum discrimen agnoscit, dum eos non abolet; sed singulis officia sua præscribit; uti in singulorum statuum tractatione videbimus.

Imo discrimen illud ponit.

VII. Secundò. Scriptura manifestè discrimen illud ponit, ex: gr: inter dominos & servos, 1 *Tim.* VI. 1. & quidem *vers.* 2. jam fideles factos: poterant servi fideles, si per Christianam religionem statuum æqualitas esset introducta, dominos contemnere, id est, non honorare, (qui honor consistit in opinione in animo servi, de domini sui in se potestate & eminentiâ, & prompto obsequio inde profluente) quia nimirum fratres sunt: *Imò*, inquit Apostolus, *si domini sint fideles, tantò magis serviant.* Clarissimè docens, licet respectu salutis æternæ nulla apud Deum sit distinctio inter Dominos & servos, quoniam utrique fratres; eam tamen remanere in vita civili inter homines, nec per religionem Christianam tolli. Ad *Philem. vers.* 16. Paulus remittens Onesimum jam fidelem, dicit, remitto eum tibi, *jam non ut servum, sed plus quàm servum*, &c. *in carne & in Domino:* id est, & carnis & Domini respectu. Carnis enim respectu erat servus: Domini respectu erat frater, nihilominus tamen servus. Inde liquet, Christianam religionem mores tantum & animos hominum in quovis statu mutare; non autem statuum & conditionum discrimen secundum carnem abolere. Doctrina enim Christi nullum sæculo utilem statum tollit, sed omnem perficit: tolleret autem si omnium æqualitatem introduceret. An non aliàs Paulus dixisset, non est amplius tuus servus, sed frater? nullum tibi in illum jus est. Etsi Christiana religio illam æqualitatem introduxisset, omnes dominorum fidelium servi, ut libertatem adipiscerentur, eam amplexi fuissent: sicque religio Christiana fons fuisset omnis confusionis.

VIII. Tertiò. Legimus 1 *Cor.* VII. 21. *Servus vocatus es? non sit tibi cura: sed si & potes fieri liber, magis utere.* Si adspirare licet ad meliorem vitæ conditionem, ergo est distinctio statuum, non quidem respectu salutis, sed respectu commodorum aut incommodorum hujus vitæ. Sive quis circumcisus, sive præputiatus sit, perinde est tam in negotio salutis, quàm hujus vitæ. Hinc *vers.* 18. illius nullam rationem vult haberi Apostolus: sed quia servitus incommoda hujus vitæ multa habebat, ideo addit, *si potes liber fieri, potius utere.* Licet itaque unicuique eo honestâ viâ adspirare: sed cùm nondum eo pervenerit; manet discrimen inter illum & liberum, ac præcipuè herum. *Idem probatur ex 1 Cor. VII, 21.*

Nullus vitæ status per se hominem Deo gratiorem reddit.

IX. Adstructo statuum vitæ discrimine, variosque eorum in Christiana religione esse licitos: addimus, nullum eorum in se spectatum esse sanctiorem, aut hominem Deo reddere gratiorem. Quod non tantum ex antedictis liquet: sed & exinde, quod Scriptura nihil coram Deo valere dicat, præter observationem mandatorum Dei, fidem per charitatem efficacem, & novam creaturam; 1 *Cor.* VII. 19. *Gal.* V. 6. VI. 15. Cujusque ergo officium est, illum vitæ statum eligere, qui sibi aptior ac convenientior est non tantum ad vitam hanc civilem commodè transigendam, sed potissimum ad Deo sincerè serviendum. Huc refer, 1 *Cor.* VII. 7, 8, 9. & 35.

De vitæ genere amplectendo monitum primum.

X. Illud autem cavendum, ne vitæ genus amplectamur, quod pugnat, vel cum pietate; ut sunt augures, aruspices, &c. aut cum justitia, ut piratæ, latrones, &c. aut cum castitate, ut lenones, prostibula, meretrices, &c. aut cum gravitate & honestate; ut moriones, funambuli, præstigiatores, & hujus generis alii.

Secundum. XI. Secundò. Ne temerè vitæ genus mutemus, neque desultoriè nunc huic, nunc alteri vitæ generi nos dedamus; signum enim illud est levitatis. Si tamen, re maturiore judicio expensa, comperiamus vitæ quoddam genus nobis incommodum esse, licet ad commodius aspirare, 1 *Cor.* VII. 21.

Tertium. XII. Tertiò. Ne temerè votum de certo vitæ genere nuncupemus, quo nos in perpetuum illi adstringamus, præsertim in juventute, antequam animum nostrum viresque nostras bene exploratas habemus, utrum votum illud præstare possimus, in eoque constanter perseverare: quoniam per id Deum tentamus, nobisque ac libertati nostræ laqueum injicimus.

Quartum. XIII. Quartò. Ut unusquisque in statu suo honestè & convenienter præceptis Jesu Christi vivat; atque ita reipsâ ostendat, vitam Christianam eo in statu duci posse: ac proinde sectetur non ea solum quæ honesta sunt coram Deo, sed & coram hominibus, *Rom.* XII. 17. 2 *Cor.* VIII. 21.

Monela; de libero rerum externarum usu. XIV. Quoniam autem statuum & conditionum discrimen est, exinde etiam patet, quandoquidem nobis Deus liberum rerum externarum usum permisit, moderatum tamen, non posse omnibus Christianis quoad hæc externa æqualem vivendi rationem strictè præscribi; sed licere, salva pietate, & bona cum conscientia, uni paulo liberalius bonis hisce frui quàm alteri, modò se intra cancellos modestiæ, gravitatis, sobrietatis ac temperantiæ contineat, neque aliis scandalo fit. Licet enim in externis hisce decorum observare, & vivere unicuique convenienter statui suo (loquor hîc de statibus à Deo introductis & approbatis, non de mundanis & ab hominibus mundanis excogitatis) ita tamen, ut semper se accommodet modestioribus & humilioribus in statu illo constitutis. Ita etiam credimus divitibus licitum esse paulò liberalius hisce uti, quàm pauperibus: non quod illis abuti liceat ad fastum, & quantum opes ipsorum permittunt: minimè: sed aliquantò nitidius & commodius quàm pauperibus, modò modestiæ & caritatis semper memores sint. Si quis tamen libertatem suam circumscribere velit, eaque tantum usurpare, quæ alendo & tegendo corpori necessaria sunt, ut eò liberalius pauperibus opitulari possit; tantum abest ut factum illud damnemus; ut è contra laudabile ducamus; modò idem ille aliis legem, quam sibi fixit, non præscribat, eosque, nisi idem faciant, parum Christianè vivere judicet.

Distributio statuum hujus vitæ. XV. Hisce ita præmissis, singulorum vitæ statuum officia inquiramus. Vitæ discrimina partim petuntur à sexu, ita aliud est officium virorum, aliud mulierum; partim ab ætate, aliud est senum, aliud juvenum: partim à vitæ statu & conditione. Hæc autem varia est. Vel enim in se comprehendit mutuam aliquam obligationem, eamque vel ex contractu, vel à naturâ; & in se includit relationem aliquam inter superiores & inferiores. Ita alii sunt cœlibes, iique vel virgines vel vidui; alii conjugati: alii parentes, alii liberi: alii domini, alii servi: alii magistratus, alii subditi. Vel sine mutua ulla obligatione tantum conditionum diversitatem notant. Ita alii sunt divites, alii pauperes: alii sani, alii ægri; atque ita porro.

CAPUT LVIII.

De officio Virorum & Mulierum, item Senum & Juvenum.

I. VIros ad res magnas gerendas Deus destinavit, donisque ad eas efficiendas instruxit; eorum ergo officium est donis illis legitimè uti. 1. Officium eorum est, fortes esse in periculis adeundis & sustinendis; animique sui magnitudinem in hisce ostendere: non esse animo dejecto, neque lachrymis indulgere; sed modum ponere dolori. Hinc & Græcis fortitudo ἀνδρεία dicitur: 2. Iræ moderari: 1 *Timoth.* II. 8. Propter eminentiam enim suam & auctoritatem facile potestate sua abuti possunt, præsertim si irâ incitentur. 3. Non debent esse valdè studiosi culturæ corporis: mollitiem enim id sapit, & effœminati animi judicium est. Cui consonum est, quod Apostolus jubet, ne viri comam nutriant, 1 *Corinth.* XI. 14. *Officia virorum.*

II. Mulierum peculiare officium est, primò: Pudor, cui & pudicitia includitur: qui, licet utrumque sexum deceat, mulieribus tamen quam maximè commendatur: adeo ut abesse debeat omnis lascivia, nimiaque παῤῥησία, adspectusque & lingua maximè sint coërcenda, ne quid, quod ullo modo pudicitiam labefactare, ejusve speciem præbere possit, designent. *Mulierum, pudor.*

III. Secundò: Modestia; ut non præsumant agere quæ sui non sunt officii, neque præsumtuosæ sint coram viris. Utrumque officium commendatur, 1 *Timoth* II. 9. & *vers.* 15. modestiæ adjungitur *sanctimonia*, quæ speciatim castitatem denotat, ut 1 *Thess.* IV. 4. & 7. modestia autem luxui potissimum opponitur. *Et modestia.*

IV. Hujus duplex potissimum est effectus. Primò. Ut habitu honesto incedant cum pudore & modestia. 1 *Tim.* II. 9. Vestitus κόσμιος, est vestitus decorus & cum gravitate conjunctus, in quo relucet pudor, qui prohibet, ne detegantur partes corporis quas honestas tegi jubet; sed ut corpus, juxta primarium vestium finem, contra injuriam aëris muniatur: ne etiam vestis sit nimium vana, coloribus variis, etiam qui levitatem *Hujus effectum primum, uti vestitu decoro et gravi.*

vitatem aliquam indicant, distincta, nec vestium forma nimis sit insolens aut mollis ac delicata. 2. A quo abest omnis fordities; seu qui nos vindicet à contemtu. 3. Qui non est pretiosus, nec luxuriosus. Ille enim 1. paulatim exstinguit modestiam, additque superbiam, vel ex superbia oritur: indeque existit aliorum, viliori vestitu utentium, contemtus. 2. Religionem ac devotionem perimit, dum animus vanitatibus hisce intentus sese ad cœlestium contemplationem erigere nequit. 3. Liberalitatem exstinguit; quæ enim hisce impenduntur in pauperes erogari nequeunt. 4. Injustam aliorum oppressionem producit: sic *Amos.* IV. 1. dicuntur ejusmodi delicatæ mulieres *calumniam facere egenis, & confringere pauperes.* 5. Parit infirmorum, præsertim pauperiorum, scandalum, qui, cum fratres in Christo sint, vix earum appareant servi aut ancillæ.

Non tamen necesse est omnium plane esse aequalem. V. Non tamen, uti antea monuimus, omne statuum ac vitæ discrimen sublatum volumus; neque omnem omninò in ornatu auri usum quibuscunque fœminis absolutè interdictum credimus; sed quod ut plurimum observari oportet. Itaque discrimen aliquod in vestitu agnoscimus, convenienter cujusque dignitati & ordini, ut auctoritatem ordini suo debitam tueatur, ac contemtum vitet. Illud autem singulis attendendum; ut sese modestioribus sui ordinis, & aliquaterius patriæ suæ moribus, accommodent. Tam enim dedecet habito insuetato omnium se risui exponere, quàm exquisitè elaborato ac pretioso fastum ostentare. Ornatus autem mulierum sit hominis interioris, 1 *Pet* III. 3, 4.

Secundum, ut cum silentio discant. VI. Secundus effectus est, Ut cum silentio discant, 1 *Tim.* II. 11, 12. 1 *Corinth.* XIV. 34, 35. Sed id conjugatas potissimum concernit. An etiam cœlibes, inquiritur. De quo aliàs.

Officia aetatis parium. VII. Ratione ætatis tripliciter homines considerari possunt. Alii inter se ætate pares sunt, alii senes, alii juvenes. Ætate pares inter se agere debent ut fratres, quia nulla supereminentiæ in hisce ratio: 1 *Timoth.* V. 1: *Juvenes* increpaveris *ut fratres.*

Seniorum. VIII. Seniorum officium. 1. Est gravitas, quæ ad auctoritatem comparandam & retinendam necessaria est, quia juvenes regere debent, actionesque ipsorum dirigere, & in quovis casu consilio præesse. Illa commendatur in genere, *Phil.* IV. 8 & speciatim senibus, *Tit.* II. 2. & apparere debet in sermonibus, ne sint leves, *Coloss.* IV. 6. in gestibus & totâ conversatione; ne magni faciant aut sectentur res exigui momenti, aut quicquam luxum carnisque molliciem spectans; ne etiam sint varii & inconstantes. 2. Affectuum moderatio, quoniam jam defectu caloris naturalis in ipsis deferbuit vehemens illa affectuum agitatio, quæ juvenes transversos rapere solet, quique propterea seniorum instructione opus habent. Et quia juvenibus præesse debent, sarta apud illos ipsorum esse debet auctoritas. Si autem senes exorbitent, actum erit de eorum auctoritate. 3. Abesse debet omnis temeritas; sed omnia, quæ aggressuri sunt, maturo judicio sunt expendenda. 4. Instructio juniorum vitæ præceptis ac regulis, & consilii subministratio in quovis casu arduo. Quibus omnibus senes ob prudentiam, longo rerum usu & experientiâ acquisitam, facile abundare possunt.

IX. Juvenum officium est. 1. Non differre vitæ verè Christianæ studium usque in senectutem, *Eccles.* XII. 1. Incertum enim est futurum; plurimique immaturâ morte exstinguuntur: longâque illâ peccandi consuetudine peccatum altas in ipsorum corde aget radices, difficulterque expelli poterit, *Jerem.* XIII. 23. *Si mutare potest Æthyops pellem suam, & pardus maculas suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis* (diuturnâ nempe assuetudine) *malum.* Stultum verò est & à ratione alienum, quod semel fieri debet, sibi propriâ suâ culpâ difficile, imo tantum non impossibile reddere. Tandem, indecorum maximè est, ætatis florem diabolo & peccato consecrare, fæcem verò tantum Deo dare. *Juvenum.*

X. Respectu verò seniorum. 1. Modestia & reverentia seniorum, quæ complectitur omnia illa officia, quibus reverentiam erga senes testantur, *Levit.* XIX, 32. 2 Eorum cultus. Nihil coram illis audendum quod ipsis displiceat; sed propter ipsorum reverentiam omittendum, ne auctoritatem suam sperni credant. Compellandi ut patres, & si peccent, etiam, ut tales, modestè adhortandi potius quàm increpandi, 1 *Tim.* V. 1. 3. Eorum obsequium; non enim temerè illorum consilia spernenda sunt, utpote longo rerum usu subacta, juniorumque consiliis longè præferenda: quod ingenti suo malo expertus est Rehabeam, 1 *Reg.* XII. 6. *& seqq.* 4. Ministerii promtitudo; quia senes illis esse debent instar patrum, eorumque imbecillitas quævis ministeria exigit. *Respectu seniorum.*

XI. Porrò vitare debent juvenes cupiditates juveniles, 2 *Timoth.* II. 22. quæ vehementiores esse solent, proindeque minimè illis indulgendum. Et 2 *αὐθάδειαν*, quâ temerè inconsultis aliis quicquam, præsertim magni momenti, aggrediuntur; aut si quid exorbitaverint, aliorum monitiones non ferunt; quod ferme juventutis vitium esse solet. *Vitia juvenibus vitanda.*

CAPUT LIX.

De officio Cœlibum.

Cœlibatus res est indifferens. I. Cœlibatus sicut sua habet incommoda, ita etiam varia commoda præ matrimonio: cœlibes enim, uti est 1 *Corinth.* VII. 32, 33, 34. *solliciti sunt quæ Domini sunt, quomodo placeant Deo*, &c. Estque ex rerum indifferentium numero, quæ per sese hominem Deo non commendant, sed pro ratione circumstantiarum vel eligendus est, quando per eum homo melius disponitur, aut minus avocatur ab iis quæ sunt salutaria, & Deo grata; vel rejiciendus, quando metus est ne homo æstu cupiditatum abreptus in pietatis studio retardetur, 1 *Corinth.* VII. 9. & *vers.* 2. Est ergo de eorum numero, quæ non in se bona sunt, sed finis respectu cujus gratiâ eliguntur, & quæ ob circumstantias quasdam indifferentium naturam aliquando deponunt, hominique vel necessaria vel illicita fiunt.

De eo sententia Pontificiorum. II. Quod observandum contra Pontificios, qui credunt cœlibatum in sese spectatum Deo non tantum gratiorem esse conjugio, sed & per se sanctum ac meritorium, non tantum vitæ æternæ, sed & eminentioris in vita æterna gradus.

Non per se est Deo gratus. III. Fatemur nos, si quis jejunio, vigiliis, ardentibusque ad Deum precibus corpus in servitutem redigat, & à Deo donum continentiæ obtineat, ut expeditior fit ad quæcunque pietatis exercitia, & præsertim quævis pericula tempore persecutionis aggrediendum, afflictionesque tolerandum, rem facere homine Christiano dignissimam, Deoque maximè gratam; non autem illius cœlibatum Deo in sese spectatum commendari, sed solummodò finis ratione cujus causâ eligitur: nullaque in Sacra Scriptura exstare indicia, quæ cœlibatum in se spectatum Deo gratiorem esse doceant connubio.

Sensus Matth. XIX. 12. IV. Objectio prima. *Matth.* XIX. 12. dicit Servator, *esse eunuchos qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Resp. Sensus verborum, *propter regnum cœlorum*, non est, ut mereantur regnum cœlorum, nedum sublimiorem in regno cœlorum gloriæ gradum; sed, ut sint expeditiores vel promtiores, ad præstandum ea, quæ ad obtinendum vitam æternam subditis Jesu Christi præscripta sunt. Non itaque per se dignior est cœlibatus; sed quia minus incommodorum hujus vitæ habet, etiam minus avocat à cultu Dei.

Et 1 Cor. VII. 8. & 38. V. Objectio secunda. 1 *Cor.* VII. 8. inquit Apostolus, *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* & *vers.* 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Resp. Id dicitur, quia status ille, tempore persecutionis præsertim, minus avocamentorum habet, quibus homo aliquando retinetur, ne eam promtitudinem animique alacritatem ostendat quæ requiritur. Notum est, quantæ tempore persecutionis compedes sint uxor & liberi: consilium itaque dat Apostolus, quomodo expeditiores esse queant ad quævis pericula sustinendum. Apostolumque huc propriè respicere, manifestè arguit *vers.* 26. *Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem.* & *vers.* 28, *Tribulationem carnis habebunt ejusmodi: ego verò vobis parco.* Quibus adde, quæ immediatè *vers.* 29, 30, 31. subjungit.

VI. Objectio tertia. *Apoc.* XIV. 4. dicitur de iis, qui canticum novum coram agno cantabant, quòd *cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Resp. Agitur illic de scortatione spirituali, uti ex cap. præced. liquet. Sensus itaque est, quòd se impollutos servaverint ab idololatria. Et tali in casu viri aliquando comparantur fœminis. Hinc Grotius μετὰ γυναικῶν, explicat, cum idololatris. *Et Apoc. XIV. 4.*

VII. Cùm ergo constet cœlibatum in sese spectatum Deo non esse gratiorem connubio, ejus officia, ut Deo verè gratus sit, inquiramus. Duplex est cœlibatus: Virginitas, & Viduitas. *Cœlibatus duplex.*

VIII. Utriusque officia sunt. 1. Singularem castitatis ac pudicitiæ habere rationem, ut cœlibatus sit castus & impollutus. *Hebr.* XIII. 4. *Fornicatores & adulteros judicabit Deus.* 2. Si dono continentiæ sint destituti, matrimonium inire debent, ne variis concupiscentiis distrahantur: 1 *Cor.* VII. 9. 1 *Tim.* V. 14. 3. Domare debent corpus inediâ, vigiliis, labore, exercitiis sacris, ut ita id in servitutem redigant, ne concupiscentiis castitati repugnantibus exæstuet: omnes libidinis occasiones sunt vitandæ, oculi auresque adversus omnes illecebras sunt præmuniendi, præsertim si ad voluptates illas sint proniores, ut juniores in flore ætatis; aut antea illis assueverint, ut vidui. Huc refer, quod Dominus ait, *Matth.* V. 29, 30. 4. Quoniam non ita distrahuntur curis hujus vitæ, præcipuè virgines, temporis plurimum impendere debent rebus sacris & exercitiis pietatis; 1 *Cor.* VII. 32, 33, 34. *Utriusque officia.*

IX. Quod Viduas attinet, illis speciatim commendatur, ut fiduciam collocent in Deum, & assiduæ sint in precibus, 1 *Tim.* V. 6. ad instar Annæ, *Luc.* II. 37. quia præsidio destituuntur humano. Hinc Deus se viduarum patronum, injuriæque illis illatæ acrem vindicem passim testatur, *Exod.* XXII. 22, 23. *Deut.* XXVII. 19. *Malach.* III. 5. 2. Ut vitent luxuriam, ejusque fontem, otium, illiusque consectaria, curiositatem, & garrulitatem, 1 *Tim.* V. 6, 13. *Viduarum officia.*

C A-

CAPUT LX.

De Matrimonio, Conjugumque officio.

Matrimonium ejusque fines.

I. MAtrimonium definiri solet, conjunctio viri & mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens. Fines ejus ordinariè numerantur tres. 1. Propagatio & multiplicatio generis humani; *Gen.* 1. 28. *Crescite & multiplicamini*, &c. 2. Ut sit remedium contra vagas libidines: 1 *Cor.* VII. 2. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem, & unaquæque suum virum habeat.* 3. Ut sit conjux in adjutorium, *Gen.* II. 18. *Non est bonum homini esse solum; faciamus ei adjutorium simile ipsi.* Atque hunc in finem uxor deducatur in domum mariti, ut *cohabitent*, 1 *Pet.* III 7.

A Deo est institutum.

II. A Deo institutum esse matrimonium, liquet ex *Genes.* II. 24. *Matth.* XIX. 4, 5, 6. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos: & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* 1 *Cor.* VII. 2, 9, 28, 38. *Hebr.* XIII. 4. *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus.* Et 1 *Tim.* IV. 3, 4. prædicuntur falsi doctores orituri, qui nuptias, tanquam vid. rem carnalem & illicitam, sint damnaturi.

Est tantum unius viri & fœminæ conjunctio.

III. Esse tantum unius viri & fœminæ conjunctionem, ex primâ ejus institutione constat, *Genes.* II. 24. ubi non tantum dicitur, adhærebit homo *uxori suæ*; sed & additur, *erunt duo in carne unâ.*

Polygamia repugnat primæ matrimonii institutioni.

IV. Ex quo consequitur, polygamiam, quâ unus vir eodem tempore simul plures habet uxores, esse illicitam: Utpote 1. repugnantem primæ matrimonii institutioni, quæ non tantum inter duos solummodò à Deo est facta; sed eum arctâ adeo vitæ societate, quæ omne sanguinis & amicitiæ vinculum longè excedit, quæque inter duos solummodo esse potest: *Erunt duo*, dicitur, *in carne una.* Neque probari potest, hanc societatem inter plures posse existere, eò quod 1 *Cor.* VI. 16. dicatur, quòd scortator cum scorto *fiat una caro.* Hoc enim fit, quia desinit esse una caro cum uxore: ideo etiam, ut postea videbimus, scortatio causa est divortii, non idololatria, licet gravius crimen.

A Domino Jesu est vetita.

V. Secundò. Manifestè à Domino Jesu damnatur polygamia, *Matth.* V. 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Ratio præcepti est: quia uxor, extra adulterii crimen dimissa, manet adhuc prioris mariti uxor, & per ejusmodi illegitimam dimissionem conjugium non est dissolutum; itaque ad alteras transeundo nuptias, reverâ duos habet maritos, & adulterii est rea. Quod argumentum nullam vim haberet, nisi per polygamiam committeretur adulterium. Et ne quis excipiat, hic mulieris solummodò polygamiam prohiberi, observandum, *Matth.* XIX. 9. idem etiam de viro dici: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Cui consonat, *Marc.* X. 11. & *Luc.* XVI. 18.

Adversatur præcipuo fini matrimonii.

IV. Tertiò. Etiam finis matrimonii præcipuus excludit polygamiam, qui est, concors & pacifica cohabitatio. At uxorum multitudo plurimas inter ipsas æmulationes & contentiones parit, quales fuere inter Leam & Rachelem, Annam & Peninnam &c. Tum & adversatur charitati, qua liberi inter se tanquam fratres germani devincti esse debent. Non negamus, etiam aliquando inter fratres germanos esse dissidia acerrima, sic Cain Abelem, Esau Jacobum odit. Verùm hoc ex hominum malitiâ provenit; in polygamia verò ex ipsa polygamiæ natura.

Solvitur objectio ab exemplo aliquot Sanctorum.

VII. Object. Multi Sancti Patres plures duxerunt uxores, qui tamen nunquam propterea fuere reprehensi. Resp. 1. Si polygamia lege divina sit vetita, nihil ad ejus excusationem quorundam exemplum valet: non enim peccantium multitudo peccatum excusat. 2. Si Deus polygamiam approbasset, procul dubio eam approbasset in initio mundi, ad generis humani multiplicationem: non tamen legitur ullus polygamus ante Lamechum. Si autem ante illum usitata fuit polygamia, quorsum Moses id in illo speciatim notavit? 3. Non quærimus quid Deus olim permiserit, licet matrimonii scopo non exactè respondens, sed quid matrimonium instituendo intenderit, & quid nobis Christianis, matrimonium ad primum suum finem reducendo, præscripserit. In politiâ Israëlis Deus ad polygamiam, perinde atque ad divortium, connivere voluit: nunc utrumque tanquam illicitum prohibuit, *Matth.* XIX. 4. *& seqq.* Quanquam ad Patriarcharum illorum excusationem etiam addere possimus, eos tollendæ magis prolis, quam libidinis gratiâ, plures habuisse uxores: quod in Abrahamo & Jacobo clarè patet. Licet etiam humani quid passos hic non diffiteamur; uti in Davide, Salomone, aliisque liquet. Quod tamen Deus illis, tempore eo quo ad polygamiam connivere voluit, non imputavit

Illicitum non est, priore conjuge defunctâ alteram ducere.

VIII. Præter hanc est alia polygamiæ species, quando plures uxores successivè ducuntur, priore defunctâ (aut plures mariti, priore defuncto) vel legitima de causa separata. Illam damnavit Montanus, & ex illius mente Tertullianus. Sed immeritò. 1. Enim,

1 *Cor.*

1 *Cor.* VII. 39. expressè ait Apostolus: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat.* Nec ullius momenti est exceptio, quòd hic agatur de muliere in viduitate deprehensa à fide, cujus novus maritus censeri non potest secundum, quia est à fide primus. Præterquam enim quod gratis id dicitur, neque ex textu ullo modo probari potest; certum etiam est, inter infideles esse nuptias ac matrimonium legitimum; quia Apostolus eodem capite jubet, ut fidelis ab infideli non discedat: secundus ergo maritus nunquam fieri potest primus. Adde quod 1 *Tim.* v. 14. Apostolus ait, *volo juniores viduas nubere, filios procreare,* &c. non potuit autem Apostolus remedium subministrare legibus Jesu Christi repugnans. Et *Rom.* VII. 3. Apostolus, ad spiritualem nostram cum Christo communionem, legisque cui antea subjecti eramus mortificationem, significandum, similitudinem ducit à legitimo conjugio, quale in hac vitâ obtinet: *Vivente viro, vocabitur mulier adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* 2. Probatur argumento desumto ex 1 *Cor.* VII. 2. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat,* &c. & *vers.* 9. *Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Potest enim & ustio illa contingere, & periculum esse fornicationis, priore conjuge defuncto. Eadem ergo recurrente imbecillitate, idem remedium applicandum est.

Solvitur objectio prima. IX. Obj. 1. Carnale quiddam est repetitio conjugii & pudori repugnans; spiritualius & divinius est uno solummodò matrimonio esse contentum; sicut Ecclesia unum agnoscit Dominum. Resp. 1. Nuptiæ omnes legitimæ probantur, *Hebr.* XIII. 4. neque ullum de secundis nuptiis interdictum exstat. 2. Si verum est quod de Josepho narratur, ipsum fuisse viduum cum sibi Mariam matrem Domini desponsabat, voluit Deus Filium suum in secundis nuptiis nasci. 3. Et licet spiritualius foret, uno in matrimonio acquiescere, inde non sequitur alterum tanquam illicitum aut carnale damnandum; aut si legitima hæc sit illatio, omnes in universum nuptiæ erunt damnandæ; quia cœlibatus multò spiritualior est conjugio, quàm conjugium prius altero. 4. Tandem Deus inquit: *Non est bonum homini esse solum.* Atqui id comprehendit etiam illos, quorum uxores sunt defunctæ.

Secunda. X. Obj. 2. Repetitio matrimonii est incontinentiæ signum. Resp. Id perpetuum non est, possunt enim plures esse causæ, quæ alterum matrimonium suadent. 2. Qui plures duxit uxores, & priore defunctâ aliquot annos cœlebs vixit, continentior esse potest, quàm qui ad senectutem cum unâ uxore perpetuò vixit.

Tertia. XI. Obj. 3. *Joan.* IV. 18. Dominus Jesus dicit, sextum illum Samaritanæ maritum non esse ipsius maritum. Resp. Non quia improbabat polygamiam successivam; sed quia adhuc lege prioris mariti tenebatur, à quo ipsa divortium fecerat; quod illi erat illicitum: solis enim viris jus divortii erat concessum. Legitimum proinde non erat matrimonium cum sexto viro. Alia verò ratio eorum est, qui præcedente conjuge defunctâ aliam ducunt.

Officia conjugum. XII. Officia à conjugibus requisita vel ipsum matrimonii contractum concernunt; vel mutuum conjugum convictum.

Circa contractum matrimonii. XIII. Quæ ipsum matrimonii contractum concernunt, observanda sunt, ut matrimonium debitè ac legitimè contrahatur. Requiritur hic, ut contrahatur *in Domino,* 1 *Cor.* VII. 39. Exigit hoc, ne in contrahendo matrimonio peccetur contra præcepta & instituta Dei

Ne fiat inter gradus sanguinis prohibitos. Qui illi sint. XIV. Primò. Ne contrahatur inter sanguine nimium conjunctos. Prolixè id vetatur *Levit.* XVIII. Gradus consanguinitatis prohibiti sunt in lineâ adscendente, descendente, & collaterali. In ascendente omnes gradus sunt prohibiti, pater, mater, avus, avia, &c. illique etiam comprehendi debent, qui matrimonio ipsis juncti sunt, ut, vitricus, noverca, &c. In descendente similiter, omnes prohibiti sunt, filius, filia, nepos, neptis: item privignus, privigna, gener, nurus, &c. In collaterali, qui primo gradu à nobis distant, ut fratres & sorores, & ex illis nepotes & neptes; etiam parentum & avorum fratres & sorores, ut patrui, avunculi, amitæ, materteræ, eorumque uxores & mariti. Neque hic discrimen admittendum videtur inter nuptias nepotis cum amitâ, & patrui cum nepte. Licet enim posterius illud magis naturæ legibus videatur consentaneum, quoniam patruus jam ex lege naturæ neptis est tutor, nepos autem lege naturæ amitæ suæ sit subjectus; tamen solummodò ad consanguinitatis gradum videtur attendendum, qui cum expressè vetitus sit, credendum omnium eodem consanguinitatis gradu junctorum nuptias esse prohibitas.

Præcepti illius ratio. XV. Interdicti hujus divini rationes solent allegari duæ. 1. Naturalis verecundia, quæ non sinat ortus auctores cum sua progenie, vel in sua persona, vel in proximè à se prognatis, misceri. 2. Ut occasio præscindatur turpibus scortationibus & adulteriis, quæ ex quotidiano inter sanguine conjunctos convictu possent exoriri, si matrimonio possent corrigi.

Gradus non prohibiti. XVI. Reliqui omnes gradus sunt liciti: neque enim interdictum divinum alios excludit. Pontificii vetant matrimonium usque

ad

ad gradum quartum, imo & septimum; gradusque supputant, non ipsa capita numerando, ut jus civile; sed quot gradus utraque persona distat à communi stipite: sic fratres dicunt distare primo gradu, quia uterque immediatè attingit patrem: jus verò civile secundo gradu: quia à fratre per patrem ad fratrem duo numerantur capita. Tum & cognationem quandam spiritualem excogitarunt, quæ ex baptismo & confirmatione oritur, quæque in primo gradu matrimonium impediat. Sed cùm hæc nullâ lege divinâ nitantur, sintque solummodò Ecclesiæ Pontificiæ decreta, iis alligati nequaquam sumus: videnturque hæc tandum excogitata, ut crebræ de gradibus prohibitis fiant dispensationes, quæ non nisi pecuniâ obtineri possunt.

Ut contrahatur inter fideles. XVII. Secundò. Ut contrahatur inter fideles; idque innuere videtur phrasis, *in Domino*. Id videtur satis validè concludi, ex 1 *Cor.* VII. 12, 13, 14, 15. ubi Apostolus non vult quidem dirimi conjugium a fideli, si altera pars infidelis sit; sed tamen si infidelis discedere velit, dimittendum censet: multò ergo magis ejusmodi matrimonium contrahi improbare censendus est. *Deut.* VII. 3, 4. expressè ejusmodi connubia vetantur: quod licet sit præceptum judiciale solos Judæos spectans, habet tamen aliquid morale quod omnes in universum homines dirigere potest. 2. Maximum est periculum ne conjux tali contubernio etiam ad impietatem abducatur; eaque est ratio præcepto *Deut.* VII. addita. Et illustre exemplum habemus in Salomone, 1 *Reg.* XI. 1, 2, 3. *&c.* 3. Deus talibus matrimoniis, & impietate ex tam perniciosi contubernii contagio multiplicatâ, irritatus, videtur diluvium mundo immisisse, *Genes.* VI. 2. 4. Esavi conjugia improbantur, *Genes.* XXVII. 46. fortassè ob mores asperos ejus uxores etiam Isaaco & Rebeccæ fuere molestæ; sed potissimum tamen ob idololatriam.

Contracta inter infideles rescindi nequeunt. XVIII. Licet autem hæc conjugia à Deo improbentur, non tamen, quando jam contracta sunt, irrita redduntur. Non enim vult Apostolus, ut fidelis discedat ab infideli, sed cum infideli maneat, si forte eum Domino possit lucrifacere; solummodò dicit infidelem discedere volentem non esse retinendum invitum.

Quid dicendum de conjugiis cum hæreticis? XIX. Quæst. Quid statuendum de conjugiis, quæ cum hæreticis, ut vulgò vocant, contrahuntur? Resp. Distinctione hîc utendum. Quidam vergunt ad idololatriam; eorumque religio ab idololatria excusari nequit: quales sunt Pontificii, quorum multiplicem idololatriam & superstitionem antea notavimus. Ejusmodi nuptias planè improbandas censemus, præsertim ob periculum, ne & alter conjugum continuâ cohabitatione in idem crimen prolabatur; neque omni culpâ vacat, in ejusmodi se periculum conjicere. Ut tamen planè illicitas credam, perinde uti nuptias cum infidelibus contractas, à me non impetro: quia magna inter ipsos & infideles est differentia. Colunt enim verum Deum; licet sincerum illius cultum variis superstitionibus & idololatriis adulterarint. Videmus autem, licet matrimonia cum puris idololatris fuerint improbata, non tamen cum iis, qui præter verum Deum etiam idolis serviebant. Ita *Genes.* XXVIII. 2, 3. Jacob à parentibus suis mittitur in Mesopotamiam, ut uxorem sibi petat de filiabus Laban avunculi sui: & tamen familia illa ab idolorum cultu planè libera non erat, *Genes.* XXXI. 19, 30, 32, 34. XXXV. 2. procul dubio ita à majoribus suis edocta, *Jos.* XXIV. 14. Nec etiam veri Dei cognitio planè in familia illa erat exstincta; uti ex variis indiciis liquet, *Genes.* XXIV. 50, 51. *cap.* XXIX. 32. *&c. cap.* XXX. 6. *&c.* 17. *&c.* 27. 30. *cap.* XXXI. 16, 24, 49, 50. Quantum autem intersit inter eos, qui vero Deo repudiato solummodò idola colunt, & qui veri Dei cultum cum idolorum cultu conjungunt, apparet ex 2 *Reg.* XVII. 25. *& seqq.* Quod multò magis Pontificiis applicari debet, quorum idololatria alterius planè est generis. Verum enim Deum colunt, sed in imagine, quâ tamen verum Deum repræsentare volunt.

Error quorundam Anabaptistarum. XX. Modum autem hîc excedunt quidam Anabaptistæ rigidiores, qui quæcunque matrimonia, cum aliquo extra cœtum suum contracta, damnant, & excommunicatione puniunt. Verùm id oritur ex præpostero zelo, quo nullam præter suam in terra Ecclesiam Christi credunt, quæ spem salutis habeat: & ex supina quadam ignorantiâ, qua sibi invicem repugnantia designant: nolunt enim illa matrimonia rescindi, & tamen excommunicatione puniunt; neque durante matrimonio ulla pœnitentiæ signa admittunt, aut excommunicatum in suam communionem recipiunt.

Incommoda matrimonii inter diversæ sectæ homines contracti. XXI. Quamvis autem rigorem illum meritò damnemus, negari tamen non potest, quin aliquid imperfectionis sit in ejusmodi nuptiis, cum hominibus alterius sectæ contractis; præsertim si sectæ illæ (uti proh dolor! hodie) capitali inter se odio dissideant, licet dogmatibus non usque adeo distent, quin, si charitas vigeret, facile in unum cœtum coalescere possent. Zelus enim religionis, qui cujusque animum occupat, facile intimam illam animorum concordiam in conjugio requisitam aliquatenus dissolvit. Et potissimum spectandum periculum inde emergens; quod vel tum maximè locum habet, quando secta alterius conjugum pluribus gaudet commodis & emolumentis hujus vitæ; iis enim conjux facile allici potest, ut contra conscientiæ suæ dictamen, senten-

tiæ quam veram credit professione relictâ, alteri se sectæ, cujus dogmata improbat, adjungat.

Ut adsit consensus parentum.

XXII. Tertium requisitum est consensus parentum. 1. Hoc Deus, qui speciali modo Adami parens erat, aliquatenus indicare voluit, ipse ad Adamum adducens uxorem, *Genes.* II. 21. 2. Deus legem dedit, non liberis, ut conjuges quas vellent sibi eligerent, sed parentibus, ut liberis conjuges darent: *Exod.* XXXIV. 16. *Deut.* VII. 3. *Jerem.* XXIX. 6. Ad eundem etiam modum loquitur Apostolus, 1 *Cor.* VII. 36, 38. Imo poterat conjugium, sine parentum consensu contractum, irritum reddi & impediri, *Exod.* XXII. 16, 17. perinde uti votum, *Num.* XXX. 5, 6. 3. Consentiunt exempla Sanctorum. Isaaci, *Genes.* XXIV. Abraham enim pater ipsius pro filio uxorem petit à parentibus filiæ. Jacobi, *Genes.* XXVIII. & XX X. qui à parentibus mittitur ad avunculum suum, ut sibi uxorem petat; uxoresque suas ab ipsarum patre Labane accepit. Simson per parentes uxorem ab ejus parentibus petit, *Judic.* XIV. Ita & Ismaëli mater Agar uxorem eligit, *Gen.* XXI. 21. 4 Requirit id honor parentibus debitus, *Eph.* VI. 1, 2, 3. & negotii hujus pondus, à quo dependet totius vitæ fœlicitas, imo & aliquando vitæ futuræ: quo in negotio juvenes sæpe sibi non satisfapiunt. Unicum Esavi quod opponitur exemplum meritò liberos ab ejusmodi temerario contractu absterrere debet, cùm expressè improbetur, *Genes.* XXVII. 46. Exemplum Tobiæ huc allegari nequit, cum liber iste sit apocryphus; & præsuppositâ illius divinitate, agnoscenda hic est specialis quædam directio divina, matrimoniumque ejus, non invitis, sed insciis parentibus contractum, postea parentum consensus comprobavit.

Quodnam hic sit discrimen inter liberos minorennes & majorennes.

XXIII. Distinctio tamen hîc facienda est inter liberos qui sunt sui juris & jam maturâ ætate, & eos qui sunt adhuc minorennes & sub potestate parentum. In posterioribus parentes matrimonium omninò possunt impedire; & sponsalia, ipsis insciis aut invitis contracta, irrita reddere. In majorennibus non possunt quidem parentes matrimonium impedire; illius tamen perfectioni aliquid deest, quoniam liberi nunquam ab honore parentibus debito exsolvuntur: & si parentum dissensus ab omni injuria sit semotus, justisque nitatur causis, omninò ejusmodi connubia sunt improbanda, licet liberi jam respectu ætatis sint sui juris. Neque probari posse videntur, nisi liberi evidentibus rationibus parentes omnesque æquos rerum æstimatores de conjugii sui æquitate convincere possint, parentesque nullam justam quam obtendant causam dissensus sui allegare queant: unde omnibus constare possit, non sollicitudinem quandam de liberorum salute, sed morositatem parentum, aliudve vitium, matrimonio impedimentum objicere. Quæ tamen omnia ut evitentur, liberorum officium est, non nisi consultis parentibus, eorumque consensu impetrato, nuptias ambire.

Et mutuus contrahentium consensus.

XXIV. Quartum requisitum est, consensus contrahentium mutuus, per signa externa testatus, ut omnibus de eo constet, & voluntarius. Non ergo censetur consensus eorum, qui aut nondum pollent ratione, aut à quibus vi aut metu extorquetur. Non etiam qui ex errore procedit, vel circa personam, qualis erat Jacobi circa Liam, Rachelem sibi traditam credentis, *Genes.* XXIX. 23, 24, 25. vel circa conditionem aut qualitatem ad essentiam conjugii pertinentem: qualis est quæ describitur *Deut.* XXII. 20. & qualem Josephus de Maria credebat, *Matth.* I. 19. Si verò error tantum sit circa conditionem aut qualitatem extrinsecam vel accidentariam, quæ essentiam ipsam conjugii non concernit, qualis est, si pauperem ducat credens esse divitem, aut similis; tum non magis videtur matrimonium irritum reddi, quàm juramentum Gibeonitis ex errore præstitum irritum fieri potuit, *Judic.* IX.

Sponsalia.

XXV. Mos etiam inter omnes gentes, & speciatim in populo Dei, obtinuit, ut nuptiis præmitterentur sponsalia, quæ sunt mentio & repromissio nuptiarum futurarum; vel potius contractus seu stipulatio, & in consuetudinem conjugalem repromissio; distinguunturque à nuptiis, quæ sunt solennes illi ritus insequentes, quibus matrimonium perficitur celebraturque.

Mansio sponsæ in ædibus parentum jam contractis sponsalibus.

XXVI. Sponsalibus contractis desponsata remansit aliquamdiu in ædibus parentum separata à viro suo: id liquere potest ex *Gen.* XIX. 14. *Judic.* XIV. 7, 8. *Luc.* I. 27. & ex lege, *Deut.* XX. 7. XXII. 23, 24. Qui mos etiam hodie inter Christianos obtinet. Idque ob has rationes. 1. Ut locus esset honestati, neque Christiani in voluptates ruerent, neque ut pecudes convenirent. 2. Ut interea Deum pro felici matrimonii successu orarent. 3. Ut alter alterius mores & indolem, majore jam intercedente familiaritate, penitius nossent, ut sic postea commodius cohabitarent. 4. Ut si alteruter alteri desponsatus esset, ille interea, antequam matrimonium esset consummatum, id posset indicare. Quem in finem hodie proclamationes nostræ publicæ instituuntur.

Officia consummato jam matrimonio.

XXVII. Hactenus officia ut matrimonium legitimè contrahatur requisita. Conjugum officia, consummato jam matrimonio, vel utrique conjugi communia sunt: vel alteri tantum, nim: vel marito, vel uxori, peculiaria.

Utrique conjugi.

XXVIII. Utrique communia sunt. 1. Dilectio specialis & ardentissima, quamcunque

commu-nes. que aliam dilectionem longè excedens: *Gen.* II. 24. *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ. Eph.* v. 28,29. & 33. & *Tit.* II. 4. speciatim uxoribus præcipitur, *ut viros suos ament.* 2. Cohabitatio: quæ facile deduci potest ex præcepto alterutrum non deserendi, I *Cor.* VII. 10,11. & I *Pet.* III. 7. Complectitur ea ordinarium usum ejusdem domus, mensæ, & lecti. Huc referri potest quod legimus: I *Corinth.* VII. 3,4,5. 3. Communicatio facultatum & bonorum, saltem quoad eorum usum; ut ita sumtus familiæ sustentandæ requisiti uterque de suis facultatibus, tanquam in arctissima societate, in commune contribuat: *Eph.* v. 29. 4. Educatio communium liberorum, præcipuè in timore Domini. De qua plura, cùm de parentum officiis dicemus. 4. Ut castè servetur conjugium, neque per adulterium fides conjugalis violetur: *Hebr.* XIII. 4. utpote per quod arctum illud vinculum, per quod conjuges sunt una caro, dissolvitur, I *Cor.* VI. 16.

Marito specialia. XXIX. Officia marito specialia sunt: 1. Amor: *Eph.* v. 28. *Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.* & *vers.* 33. *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat.* Hic amor speciatim commendatur marito, ob potestatem in uxorem concessam, ne eâ per iracundiam aut amarulentiam abutatur; *Coloss.* III. 19. *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse erga illas.* Omniaque amarulentiæ signa studiosè vitet: ne vultu sit torvo & austero, ne verbis asperis, duris, ac minacibus utatur; multò minus uxorem duriter tractet. Quantum id detestetur Deus, videre licet, *Malach.* II. 13, 14, 15. E contra omnia procuret, quæ saluti, incolumitati, & honestæ lætitiæ uxoris servire possunt; memor non esse eam ancillam, sed vitæ sociam. 2. Ut prudenter cum uxore cohabitet, ipsi *tanquam infirmiori vasi honorem tribuens*, I *Pet.* III. 7. nim. honorem imbecilliori sexui convenientem, dirigendo ipsam, infirmitatibus condonando, summâque erga eam æquitate utendo, neque jus suum rigidè urgendo; sed amori conjugali vitia, si quæ sunt, placidè condonando, & quantum fieri potest uxoris infamiam præcavendo; ad exemplum Josephi, *Matth.* I. 19. Hunc in finem veram acquirere debet prudentiam, quia uxoris est caput: eamque capitis instar regere debet, *Eph.* v. 23. 3. Ut labore suo rem familiarem augeat & conservet, I *Tim.* v. 8.

Uxori specialia. XXX. Uxoris speciale officium est, subjectio & obedientia mariti, tanquam capitis, *Ephes.* v. 22. *Coloss.* III. 19. I *Pet.* III. 5, 6. Quæ subjectio etiam requirit, 1. timorem, hoc est, reverentiam, quâ sollicitè cavet, ne quid marito displicens faciat; *Ephes.* v. 33. *Uxor timeat virum suum.* Ne ergo in virum imperium usurpet, I *Tim.* II. 12. etiamsi contingat ipsam virum prudentiâ antecellere, potiusque viro suadeat quod ex usu sit, quàm præcipiat. Ut viro auctoritatem conciliet apud alios; & si quid egregium viro suaserit, id tanquam à marito profectum habeat: ut ita marito honorem & emolumentum, quantum fieri potest, conciliet. *Proverb.* XII. 4. XIV. I. XXXI. 10,11, 12. *&c.* Si quid maritus per imprudentiam aliudve vitium peccaverit; id prudentiâ ac dexteritate suâ corrigat: perinde ut Abigail, I *Sam.* XXV. 2. Silentium, ne marito aliquid præcipienti obmurmuret & obloquatur: I *Tim.* II. 12. I *Pet.* III. 4. ne etiam in cœtu loquatur, sed domi à marito discat, I *Cor.* XIV. 34. vide & *Cap.* XI. 10.

XXXI. Tandem etiam utrique commune officium est, ne alter ab altero discedat. I *Corinth.* VII, 10. *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, &c. & *vir uxorem non dimittat.* *Utrique commune, non ab altero discedere.*

XXXII. Quæritur hîc, an divortium ullam ob causam licitum sit? Distinguunt hîc Pontificii inter matrimonium fidelium & infidelium: deinde inter fidelium conjugium ratum & non consummatum; & inter ratum & consummatum; ac tandem inter dissolutionem matrimonii quoad thorum & cohabitationem, & quoad vinculum. Infidelium conjugium statuunt dissolvi posse etiam quoad vinculum, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit ei cohabitare sine injuria creatoris. Matrimonium fidelium ratum, non consummatum, posse solvi per votum & ingressum in religionem. Matrimonium fidelium consummatum solvi posse quoad thorum & cohabitationem, non autem quoad vinculum: ne quidem ob causam scortationis, seu adulterii. *De divortio sententia Pontificiorum.*

XXXIII. Nos prioribus quæstionibus sepositis, utpote nos non concernentibus, de sola postrema sententiam nostram dicemus. Credimus ergo, licentiam illam uxores quacunque de causa dimittendi, in Lege Mosis concessam, à Domino Jesu esse sublatam: si tamen alter conjugum fidem matrimonii adulterio violet, posse illud justè dirimi, non tantum quoad thorum & cohabitationem, sed & quoad vinculum. *Divortium ob adulterium licitum esse.*

XXXIV. Primò. Ex *Matth.* v. 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit adulterat.* Et *Cap.* XIX. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quoniam Dominus Jesus eum mœchari dicit, qui uxore dimissâ, exceptâ fornicationis causâ, aliam duxerit; manifestè innuit, si ob adulterium dimissa sit, eum non mœ- *Probatur ex Matth.* v. 32.

chari; quoniam enim mœchationis culpa in una parte statuitur, ex lege oppositorum etiam in contradicente tollitur. Et inepta est exceptio, agi hîc de dimissione quoad thorum, non quoad vinculum; cum constet de ea agi, qualis inter Judæos ob quamvis causam usitata erat, & de qua Pharisæi rogaverant, aliàs Dominus quæstioni non satisfecisset. Dices. Verba illa, εἰ μὴ, & παρεκτὸς, non sunt exceptivè accipienda, sed adversativè; perinde uti *Apoc.* IX. 4. XXI. 27. Resp. 1. Nunquam illæ particulæ aliter quàm exceptivè accipiuntur, quando generali regulæ inferuntur. 2. In usu adversativo contraria semper asseruntur de oppositis, ut in duobus allegatis locis liquet. Si ergo & is sensus etiam hîc admittatur, dicendum illum mœchari qui, uxore extra adulterii casum dimissâ, aliam ducit, sed dimissâ ob adulterium, non mœchari.

Et ex natura adulterii. XXXV. Secundò. Ex ipsa adulterii natura, quod conjugii vinculum dissolvit. Sunt enim maritus & uxor una caro: sed per adulterium conjux una fit caro cum scorto, 1 *Cor.* VI. 16. Atque ita desinit una esse caro cum conjuge: quo facto matrimonii essentia destruitur.

Occurritur objectionibus Pontificiorum. XXXVI. Quæ Pontificii pro sententia sua adferunt, nullius plane sunt momenti; præter enim cavillationes quasdam, quibus clarum Servatoris nostri dictum, *Matth.* V. & XIX. cludere conantur, solent loca quædam proferre; quibus in genere prohibetur, aliam ducere, aut uxori ad alteras nuptias transire. Verùm omnibus illis unicâ responsione occurri potest, quòd hæc cum restrictione, quæ locis jam allegatis exstat, sint accipienda, & oppositè ad permissionem quæ sub lege Mosis obtinuit.

Alteri objectioni ex 1 Cor. VII. 10. XXXII. Object. 1 *Cor.* VII. 10. permittit Apostolus separationem, ergo justa de causa factam: nec tamen cum altero conjugium. Resp. Ad summum tantum exinde concludi potest, esse aliquando justas causas matrimonium dissolvendi quoad thorum & cohabitationem, quæ non sufficiunt ad vinculum solvendum; quod ultrò concedimus: modò separatio cohabitationis eum in finem fiat, ut interim causæ, quæ pacificam cohabitationem turbabant, tollantur, & semper integrum sit separatis reconciliari. Inde verò nullo modo sequitur, ob adulterium conjugii vinculum non posse dissolvi: quia hîc de casu adulterii non agitur. Imò manifestè agitur de muliere, quæ contra præceptum divinum à marito discesserat: dicit ergo, cœlebs maneat, in spem resarciendi amoris: aut ipsa viro reconcilietur, virumque præveniat, antequam ipse media reconciliationis adhibeat; præsertim si ipsa in causa sit, quod frigusculum aliquod amoris intercesserit.

Item, tertia. XXXVIII. Object. Matrimonium fidelium signum est unionis Christi cum Ecclesia: *Eph.* V. 32. at unio illa est indissolubilis. Resp. 1. Unionem illam Christi cum Ecclesia tam adumbrari matrimonio infidelium, quàm fidelium; fides enim matrimonii naturam non immutat: & cum ipsi fateantur, infidelium matrimonium intercedente adulterio, imo & aliam ob causam, posse dissolvi, necesse est, fateantur etiam ob idem crimen fidelium matrimonium solvi posse. 2. Unio Christi cum Ecclesia insolubilis est, quamdiu Ecclesia perstat in officio suo, sed si illa fidem conjugalem sponso suo Christo debitam abneget, id est, si a fide & mandatorum Jesu Christi obedientia deflectat, etiam ut adultera rejicitur & dimittitur: perinde uti olim Deus Ecclesiæ Judaicæ libellum repudii dedit, *Jerem.* III. 1. *Ezech* XVI. 35, 36. & *seqq.*

XXXIX. Quæritur præterea, an matrimonium dissolvi possit ob desertionem malitiosam? Ita quidem plurimi statuunt, ex 1 *Cor.* VII. 12, 13, 14, 15 & præsertim quidem eo in casu, quando uxor maritum religionis causa profugum sequi renuit, & ipse continentiæ dono careat: quale exemplum habemus in Caracciolo Marchione, tempore Calvini. Verum ut quid mea sit sententia dicam: Respondeo. Quamdiu uxor maritum deserens fidem conjugalem adulterio non violat, non videtur conjugii vinculum dissolvi, neque marito licitum alteras inire nuptias. 1. Quia solam adulterii causam Servator noster ponit: *Matth.* V. & XIX. 2. Non licet viro, etiam incontinentissimo, propter uxoris morbum alias ambire nuptias: ergo nec propter animi morbum: desertio enim illa revera animi morbus est. Obj. At caret continentiæ dono. Resp. 1. Admodum credibile est, id à Deo precibus impetrandum ab eo, qui religionis causa & bonæ conscientiæ retinendæ studio profugus est, & qui id petit ut castitatem servet. 2. Crebris jejuniis & vigiliis corpus est domandum & subigendum, 1 *Cor.* IX. 26, 27. 3. Imo potius à medicis auxilia sunt petenda contra illam incontinentiam, quàm quidquam præcepto divino repugnans faciendum. *An dissolvi possit matrimonium ob desertionem malitiosam?*

XL. Obj. At Apostolus permittit in tali casu discessionem, 1 *Cor.* VII. 15. Resp. 1. Agitur illic de uxore Ethnica; inter quam, & Christianam, sed in dogmatum quorundam fide dissentientem, imo graviter errantem, maximum esse discrimen ostendimus. 2. Non permittit Apostolus aliud conjugium; sed solummodò ait, maritum fidelem non teneri ad cohabitationem cum uxore infideli discedere volente. *Sensus 1 Cor. VII. 15.*

XLI. Quæst. Quid sentiendum de rigore quorundam Anabaptistarum, qui excommunicatum in usu matrimonii (uti loqui amant) vitari volunt à conjuge non excommu- *Excommunicatum in usu matrimonii*

esse vitandum, ratio prima. municato, donec Ecclesiæ reconcilietur, & in communionem recipiatur? Resp. Illum quam maximè esse improbandum; & ad divinorum præceptorum eversionem tendere. Primò enim manifestè repugnat præcepto Jesu Christi, *Matth.* v. 31, 32. ubi sola scortatio justa secessionis causa dicitur: adde & 1 *Cor.* VII. 10. Obj. Aliud est matrimonium separare, aliud conjugem in usu matrimonii vitare. Resp. Fateor, si fiat mutuo consensu, & ad certum tempus, ut 1 *Cor.* VII. 5 aut per violentam coactionem, utroque aut saltem altero conjugum invito. Alias coincidit cum separatione ac totali diremtione matrimonii. Conjugium enim ad duo obligat. 1. Ne alteram quis ducat. 2. Ut cum uxore sua cohabitet; imò ad prius obligat propter secundum. Si quis ergo non ducat alteram, & interim cum sua non cohabitet, matrimonium dissolvit, quia præcipuum illius finem tollit. Obj. Vitatio hæc tantum ad certum tempus fit, donec excommunicatus reconcilietur Ecclesiæ. Resp. 1. Ergo est separatio ad certum tempus. 2. Quid si contingat excommunicatum nunquam Ecclesiæ reconcilari, eo quod se injustè excommunicatum, aut excommunicatores gravium errorum patronos esse credat, nonne vitatio hæc perpetua erit, & ad mortem usque durabit? 3. Tempus nihil hic confert: si enim vitatio non sit separatio, nec separatio erit, si perpetuò duret: si verò sit separatio cum perpetuò durat, ergo aliquid continet, quo matrimonii vinculum dissolvitur. 4. Si matrimonii vinculum non dissolvitur, ergo nec leges illius vinculi; illæ autem sunt, ut vir cohabitet cum uxore sua, & uxor cum viro suo, 1 *Cor.* VII. 4. Nec loquitur illic Paulus de duobus solummodò fidelibus, sed & de altero infideli; vide *vers.* 11, 12, 13. *&c.*

Secunda. XLII. Secundò. Per vitationem illam magna præbetur occasio ad impudicitiam & adulterium. Ratio est 1 *Cor.* VII. 2. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat: & unaquæque suum virum.* Atqui id impeditur per vitationem hanc. Sanè si periculum id metui potest, quando mutuo consensu vitatio hæc instituitur, ut est *vers.* 5, multò magis quando invito injungitur.

Tertia. XLIII. Tertiò. Multa etiam ex hac vitatione sequuntur absurda. 1. Præceptum hoc vitationis injungitur parti innocenti. Atqui absurdum est, conjugem innocentem puniri propter peccatum conjugis nocentis: imò contingere potest, ut vitatio hæc innocenti conjugi sit pœna gravissima, graviorque multò quàm excommunicato. 2. Tendit ad omnium Christianarum virtutum, & ad politiæ eversionem; simul enim hoc prætextu omnia caritatis & obedientiæ officia denegari poterunt. 3. Ducit ad varia peccata; ut vel excommunicatus, nullam, nisi sub dura & conscientiæ suæ repugnante conditione, reconciliationis spem videns, in desperationem incidat; vel fiat hypocrita, seque Ecclesiæ istius placitis acquiescere simulet; vel ut maxima in discordia vivat cum conjuge: unde & tandem liberorum impietas, dissensio, & erga parentes irreverentia exorietur.

XLIV. In contrarium objicitur dictum Domini, *Matth.* XVIII. 17. *Si Ecclesiam non audit, esto tibi velut Ethnicus & publicanus.* *Sensus Matth. XVIII. 17.* Resp. Non præcipitur illic ejusmodi hominis vitatio, multò minus matrimonii legibus contraria. Non enim vitabatur consortium Ethnicorum, nec publicanorum; neque ad id constringebantur præscripto legis Mosaicæ, quæ permittebat cum Ethnicis contrahere; cum publicanis verò, qui Judæi erant, commercium in Lege nullum interdictum est: neque exemplo Christi, qui cum publicanis versatus est, edit & bibit, *Matth.* XI. 19. & *cap.* XV. 28. mulieri Cananææ beneficium impertit: neque exemplo Pharisæorum; nam *Luc.* XVIII. 11. &c. Pharisæus cum publicano adscendit in templum ad orandum. *Matth.* XXIII. 15. mare & aridam circumeunt ut unum faciant proselytum. Vitabant interim Ethnicorum mensas, quia in iis sæpe apponebantur cibi lege vetiti; ipsi autem invitabant quidem Ethnicos. Vitabant publicanos ex odio, quia exactores erant tributorum Cæsaris. Imò multi Judæi Ethnicas habuere uxores, quas tamen à se non separarunt, Moses, David, Salomon; Esther maritum habuit ethnicum, &c. & Deus permittit Israëlitis captivam ethnicam certis sub conditionibus sibi adjungere uxorem, *Deut.* XXI. 11. *& seqq.* & in Novo Testamento idem inter Christianos locum habuit, 1 *Cor.* VII. 12. nec præcipit Apostolus, ut fideles uxores infideles dimittant; sed solummodò concedit, ne infideles discedere cupientes inviti retineantur. Nihil ergo aliud hoc dicto vult Dominus, quàm cum tali homine, tanquam cum desperatæ improbitatis peccatore, & tanquam ethnico ac publicano, vivendum esse.

XLV. Addunt, Paulum dicere, 1 *Cor.* V. 11. *Si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus,* &c. *cum ejusmodi nec cibum sumatis.* *Et 1 Cor. V. 11.* Resp. Non jubet Apostolus, nullum cum excommunicato cibum capere. Vitatio enim, de quâ hic loquitur, præcedebat excommunicationem, ut vitatus ad pœnitentiam adduceretur: hinc vitari jubetur, qui frater nominatur: excommunicatus autem non est amplius frater; excommunicatione factâ non amplius vitabatur, sed habebatur tanquam extraneus, & tanquam cum tali conversatio instituebatur. Idque Pauli verba manifestè innuunt *vers. seq.*

 &

& *præced.* 10. 2. *Non comedere* cum tali, significat, non colere familiarem conversationem tanquam cum amico, quorum omnia fermè communia sunt. 3. Non ergo vinculum matrimonii, officiaque, ad quæ vinculo hoc obligati sumus, excludit. 4. Nec etiam alloquium, quo admonetur ad emendationem, 2 *Thess.* III. 14. Idem est sensus loci 2 *Joan.* 9.

Et 2 Thess. III. 6. & 14. XLVI. Locus 2 *Thess.* III. 6. & 14. multò minus ipsorum instituto inservit: non enim illic agitur de vitatione post excommunicationem, sed de fratre vitando. Nec omne commercium, nedum quod arctissimum matrimonii vinculum exigit, excluditur, quia vult *moneri ut fratrem.*

CAPUT LXI.

De Officio Parentum & Liberorum.

Parentum erga liberos officia. I. PArentum officium erga liberos breviter complexus est Apostolus *Ephes.* VI. 4. *Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Quod varia continet.

1. Enutritio. II. Primum est, enutritio, quæ constat alimenti suppeditatione, & cultus corporis decori. Natura quippe liberos amare docet, iisque de necessariis prospicere; *Esa.* XLIX. 15. *Psal.* CIII. 13. Hinc 1 *Timoth.* v. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

2. Institutio. III. Secundum. Institutio, & quidem præsertim in Religione Christiana, quæ ad salutem æternam ducit, ut illius cognitione probè imbuti juxta illius præscriptum vitam instituant. Tale etiam præceptum datum fuit Israëlitis, *Deut.* VI. 6, 7. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis,* &c. & *Cap.* IV. 9. ubi additur, *docebis ea filios ac nepotes tuos. Cap.* XI. 19. XXXII. 46. *Psal.* LXXVIII. 6. Hinc Esechias rex ait, *Esa.* XXXVIII. 19. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Ita speciatim beneficium liberationis ex Ægypto, in cujus memoriam Pascha est institutum, Deus filiis inculcari præcipit, *Exod.* XIII. 8. Exemplaque habemus piorum parentum, liberos suos in timore Domini instituentium; Abrahami, *Genes.* XVIII. 19. Josuæ, *cap.* XXIV. 15. Cornelii, *Act.* X. 2.

Ad eam obligatio. IV. Deus enim liberos parentibus credidit, ut eos sibi erudiant; ita *Esech.* XVI. 20. dicit: *Tulisti filios tuos & filias tuas quas generasti mihi:* ipsosque reprehendit, quòd eos immolaverint idolis, cùm deberent eos verâ Dei cognitione imbuere. Ita ut parentes pro filiorum animabus rationem sint reddituri, si in hoc officio negligentes fuerint; potestque huc applicari, quod legimus *Esech.* III. 18. & 1 *Reg.* XX. 39. Hinc & parentes veræ religionis cognitione probè imbutos esse oportet, ne filios in præceps ducant. Et ab hoc officio etiam propagatio veræ religionis ad posteros potissimum dependet, aliàs, si parentes hîc officii sui curam non habeant, facillimè collapsuræ. Vide *Deut.* IV. 9. & *Jos.* XXIV. 15.

Adhibenda in ipsa infantia. V. Institutio autem hæc adhiberi debet jam in infantia, dum liberi adhuc sunt tenelli, & usum rationis aliquatenus incipiunt ostendere; ut ita, dum nondum affectibus pravis, præjudiciis, aliisque vitiis ipsorum mens est obnubilata, facilius veritatis cognitio tenellis ipsorum animis insinuetur, & continuo repetita altiùs infigatur: nam & cerei ac flexiles ea in ætate sunt ipsorum animi, & ea, quibus tum imbuuntur, altius inhærent: *Proverb.* XXII. 6. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Vide & *cap.* IV. 3, 4. Hinc & *Esa.* XXVIII. 9. scientiam doceri vult *ablactatos à lacte, evulsos ab uberibus*: eorumque indolem boni cujusvis capacem laudat postolus, 1 *Cor.* XIV. 20 quin & ipse Servator, *Matth.* XVIII. 3. XIX. 14. *Marc.* X. 15. 2. Ut in ipsa infantia discant peccati conscientiam habere, idque a teneris sollicitè cavere, conscientiamque servare puram atque immaculatam: & hunc in finem Scripturam legere, concionibus sacris interesse, monitaque ac præcepta pietatis sibi familiaria reddere assuescant. Sic de Timotheo dicitur, ipsum ἀπὸ βρέφους cognovisse Scripturas Sacras, 2 *Tim.* III. 15. & de Daniele, licet juvenis esset, quod proposuerit in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, &c. *Dan.* I. 8. procul dubio ita edoctus a parentibus suis.

Quanti id sit momenti. VI. Videntur quidem exiguo cum fructu hæc tenellis liberis inculcari, quoniam subacto cum judicio expendi & recipi nequeunt. Verum hæc monita, tanquam vivificum semen animis ipsorum concredita, postea, ubi adoleverunt, maturos fructus edunt. Perinde uti de discipulis Domini Jesu legimus, *Joan.* II. 22. X. 40, 41, 42. XII. 16. Et præterea in ea ætate, in qua nondum simulare norunt, evidentissimè apparebit, quas ad virtutem inclinationes verbum Dei in ipsis producat: *Prov.* XX. 11. Quin & observatum eos, qui in juventute virtutis præceptis probe fuere imbuti, seminaque virtutis animo non refractario receperunt, ordinariè in viros sanctos adolevisse; rarissimè verò, qui in juventute crebrâ peccandi consuetudine habitum contraxere, eum postea deposuisse: quoniam habitus ille sine miraculo exui vix potest, *Jerem.* XIII. 23.

Ea debet fieri, in VII. Sed & potissimum in institutione observandum, quoniam diversæ sunt in religione

doctrina veritate. ligione Christianâ sectæ, aliæque à vera doctrina longius recedunt illis, ut parentes liberos suos veræ doctrinæ, quæ secundum pietatem est, cognitione probè imbuant, aut ab aliis imbui curent. Hinc & ipsi veritatem investigare, & de ea rectè percepta persuasi esse debent, ne liberos secum in errorem abripiant; & solliciti esse, quibus eos magistris erudiendos tradant. Ita Paulus Gamalielis disciplinæ concreditus fuit, *Act.* XXII. 3.

Quanta hic sit parentum auctoritas VIII. Estque hic parentum auctoritas tanta, ut liberos ad ejusdem quam approbant religionis professionem compellere possint. Discrimen tam hìc faciendum est ratione ætatis. Si nimirum liberi nondum eâ sunt maturitate judicii, ut religionis dogmata discernere possint, planè ab auctoritate parentum dependent, possuntque eos parentes, si renuant, vi cogere ad religionis quam veram credunt exercitium. Si verò jam de religione judicare possunt, potestas parentum aliquatenus imminuitur: possunt quidem liberis à se dissentientibus veram religionem rationibus persuadere; non autem vi & minis ad eam cogere; quia conscientiæ soli Deo subjectæ sunt. Quoniam autem contingere potest, filios à parentum religione discedere, non conscientiæ bonæ studio, sed ut peccandi licentiam quærant, aut commoda quædam hujus mundi adipiscantur, quibus, si parentum religioni adhæreant, carituri sint, illiusque clara sint indicia, vel id liberi aliquando testentur; possunt parentes minis adhibitis, aliisque severioribus remediis, liberos cogere, ut conscientiæ eam quam oportet rationem habeant. Si verò liberi nihil præter conscientiam prætendant, solâ institutione errorumque redargutione ad officium reducendi sunt: possuntque ipsis parentes pro auctoritate præcipere, ut doctrinas examinent, rationesque utrinque allatas in timore Dei expendant. Quòd si hisce observatis liberi nihilominus in sententia diversa persistant, Deo sunt committendi, nullæque minæ, nulla vis adhibenda, ne conscientiis, soli Deo subjectis, dominari præsumant.

3. Exemplum parentum. IX. Tertium est, exemplum parentum; quod quoniam quotidianum est, liberisque continuò ob oculos versatur, maximum habet eos vel ad pietatem vel impietatem impellendum momentum. Hinc pii parentes id sibi curæ habuerunt, ut non tantum institutione, sed & exemplo liberis suis prælucerent. Ita fecit Abraham, *Genes.* XVIII. 19. Josua, *Cap.* XXIV. 15. Regulus ille, *Joan.* IV. 53. Sacchæus, *Luc.* XIX. 9. Cornelius, *Act.* X. 2. Lydia, *Cap.* XVI. 15. Commentariensis, *vers.* 33, 34. Crispus, *Act.* XVIII. 8. Et quantæ hæc exempla sint efficaciæ ut liberos ad pietatem ducant, videre licet, 2 *Reg.* XIV. 3. XV. 3, & 34.

Quàm validè etiam pravo parentum exemplo à pietate abducantur, docent nos exempla, 2 *Reg.* XV. 9. XVII. 41. *Ezech.* XX. 18, 30. 1 *Pet*, I. 18. 2 *Chron.* XXII. 3. Hinc & indifferentia quædam, liberis præsentibus, à parentibus omittenda sunt; ne liberi iis conspectis inde peccandi aut indecorè sese gerendi licentiam arripiant.

X. Quartum officium est, ut liberos immorigeros, contumaces & refractarios acriter increpent, objurgent, & si opus est, castigent, metuque, si aliter fieri nequeat, in officio contineant. Reprehenditur Eli, in hoc officio negligens, 1 *Sam.* II. 23. etiam David erga Adoniam, 1 *Reg.* I. 6. Commendatur vero, *Prov.* XIII. 24. XIX. 18. XXII. 15. XXIII. 13, 14. XXIX. 15. & 17. Et adeo sacrosanctam Deus voluit esse parentum auctoritatem, ut si quis, eorum objurgationibus & castigationibus neglectis, à parentibus deferatur ad magistratum, lapidibus eum obrui voluerit, *Deut.* XXI. 18. *4. Immorigerorum liberorum castigatio.*

XI. Hic tamen cavendum parentibus, ne in castigando modum excedant, sed filios immorigeros corrigant ut patres; non ex iracundia, ut sæpe vulgus solet, sed ut liberorum vitia emendent; ac proinde semper per seriam resipiscentiam veniæ sit locus; ac pœna semper infra delicti gravitatem subsistat. Hoc est propriè quod Apostolus parentibus commendat, *Eph.* VI. 4. ne *ad iracundiam provocent liberos.* & *Coloss.* III. 21. additurque, *ut non pusillo animo fiant.* Quanquam & hoc ad alia plura extendi potest; ne liberos servili aliquâ ratione tractent, aut ad ministeria servilia adhibeant, minusque liberaliter quàm ingenuos decet habeant: unde facile contingit, ut pusillo animo fiant. *Quis hic modus servandus.*

XII. Liberorum erga parentes officium summatim comprehenditur præcepto quinto decalogi, *Exod.* XX. 12. & *Eph.* VI. 1, 2, 3. Parentum autem nomine non tantum pater, sed & mater expressè denotatur, *Honora patrem tuum & matrem tuam*; ne quis propter sexus debilitatem matris in honore nullam habendam rationem existimet: hinc & mater priore loco ponitur, *Levit.* XIX. 3. Nominibus autem patris & matris includuntur etiam avus & avia, omnesque majores in linea adscendente. *Liberorum officium erga parentes.*

XIII. Officium erga illos tribus potissimum comprehenditur actibus. Primò: Reverentiâ, quam liberi testari debent, corde, per sincerum amorem, parentumque tanquam vitæ auctorum, imaginemque Dei proximè referentium, æstimationem. Ore, non nisi summa cum reverentia de ipsis loquendo. Ac tandem opere, omnia reverentiæ officia ipsis exhibendo, coram ipsis assurgendo, sedentibus adstando, prout usus exigit, locum digniorem ipsis tribuen- *1. Reverentia.*

tribuendo, sermones eorum non interrumpendo, aut temerè iis sese immiscendo, in rebus gravioris momenti nihil, nisi prius illorum exploratâ sententiâ, aggrediendo, nihil coram ipsis patrando quod reverentiam ipsis debitam aliquo modo lædere aut minuere possit, & omnia intermittendo, quæ contemtum aliquem parentum præ se ferunt, aut aliis præ se ferre videri possint. Si contingat liberos in quibusdam à parentibus dissentire, modestè dissensum suum testando, neque acriter aut pertinaciter cum parentibus contendendo. Vide reverentiæ hujus actus in Salomone, 1 *Reg.* 11. 19.

2. Obedientia. XIV. Secundò: Obedientiâ. Hæc universalis est, nulliusque rei exceptionem patitur, *Coloss.* III. 20. *Filii obedite parentibus per omnia*: intellige, si nimirum parentum mandata non repugnent mandatis divinis; hinc additur, *Eph.* VI. 1. *in Domino.* Nulla enim major auctoritas est quàm patria, à quibus liberi vitam, educationem, institutionem, omniaque habent; nihil quod imaginem Dei propius nobis referat, quàm parentes. Hinc non tantum piis, sed & impiis parentibus eadem debetur; si nimirum præcipiant honesta, aut quæ sine peccato observari possunt. Quod si peccatum præcipiant, obedientia ipsis deneganda est; major enim Dei quàm parentum est auctoritas, nulliusque auctoritas nos ab obedientia Deo debitâ exsolvere potest.

Quanta ea debeat esse in caussa religionis. XV. Illud autem præcipuè fieri potest, quando parentes falsam amplectuntur religionem (vel licet veram amplectantur, liberi tamen falsâ persuasione decepti parentum religionem esse falsam credunt: quo casu licet liberi peccent, veram parentum religionem deserendo, tamen quamdiu in errore versantur, conscientiæ, licet errantis, dictamen ipsis sequendum est) tum enim liberis parentum religio deserenda est; imò potius, si aliter conscientiæ tranquillitati consuli nequit, à parentibus discedendum, quàm à vera religione divortium faciendum, *Matth.* x. 37.

Diversitas ejus pro ratione ætatis. XVI. Cautio tamen hîc adhibenda est, quam etiam, cùm de parentum officio ageremus, indicavimus, si nim. liberi eâ sint ætate, ut de religione solidè judicare possint, argumentaque utrimque allata serio in timore Domini expenderint: aliàs si ad eam judicii maturitatem nondum pervenerint, ut inter veram & falsam religionem discernere possint, à judicio parentum pendere debent, possuntque eos parentes auctoritate suâ, quin &, si opus sit, plagis ad suæ religionis exercitium compellere. Illud etiam attendendum (quod art. VIII. innui) duplici de causa fieri posse, ut liberi à parentum religione discedant: vel quòd credant parentum religionem non esse veram: illoque solo casu eam repudiare licet: vel, licet vera sit, liberique de ejus veritate sint persuasi, quòd peccandi licentiam quærant, aut commoda quædam hujus mundi, ad quæ parentum religio ipsis aditum præcludit. Licet enim liberi hanc animi sui improbitatem tegere, conscientiamque solam prætexere possint, ac proinde pater potestatem non habeat ejusmodi filium pro auctoritate coërcendi; nihilominus liberi tales obedientiam patri debitam neutiquam præstant, mandatique divini violati coram Deo rei sunt; tantòque nocentiores, quantò majorem pietatis zelum falsò inobedientiæ suæ prætexunt.

XVII. Excepto itaque unico hoc casu à parentum obsequio discedere nefas, sub quocunque prætextu id fiat. Quod notandum contra Pontificios, & præsertim Jesuitas, qui filios impuberes à parentibus abducunt ut vitam voveant monasticam; docentque ipsos posse post annum ætatis decimum sextum parentes, etiam fideles, relinquere, ut se addicant monasterio. Sed quàm graviter illi impingant in præceptum de honorandis parentibus ex hisce liquet. *Impuberes non possunt se invitis parentibus addicere monasterio.* 1. Quia vita monastica, secundum ipsos, non est præceptum divinum; & officium ad salutem consequendum requisitum; sed consilium tantum viam ad salutem faciliorem monstrans, & ut major gloriæ gradus acquiratur: præceptum autem de honorandis parentibus officium est unicuique Christiano præscriptum, sine cujus observatione salutem æternam nemo adipisci potest. Atqui illicitum est, rem ad salutem non necessariam suscipere cum neglectu rei ad salutem absolutè necessariæ. 2. Nemo Deo vovere potest quod alterius est, invito eo cujus est: talia sunt vota liberorum impuberum: *Num.* xxx. 4, 5, 6. 3. Decernere de vitæ genere eligendo insciis parentibus, temerarium est & damnandum, neque cum reverentia parentibus debita consistere potest; multò magis, illis invitis. 4. Dominus Jesus exemplo suo contrarium docuit, *Luc.* II. 51. Sed hæc aliaque plura fusius deducta videre licet in aureo Petri Ærodii Quæstoris Andegavensis libello, de jure patrio ad filium pseudo-Jesuitam.

XVIII. Hisce omnibus potissimum objici solet locus, *Matth.* x. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* *Explicatur Matth. x. 37.* Resp. Hîc non agitur de rebus indifferentibus, sine quarum observatione vita Christiana integra consistere potest; sed quando parentes aliquid præscribunt mandato divino repugnans, sc. Religionis Christianæ ejurationem. Eo casu impium parentum mandatum postponendum est mandato divino, religioque Christiana, etiam invitis parentibus, est asserenda; ut obedientiam nostram ac amorem erga Deum ostendamus.

XIX. Idem

XIX. Idem etiam dicendum de conjugiis, quæ ante ostendimus sine parentum consensu legitimè contrahi non posse; aliisque vitæ generibus suscipiendis.

3 Gratitudo. XX. Tertiò: Gratitudo. Quæ requirit; 1. Ut in necessitatibus ipsis liberi subveniant, utpote qui antea ab ipsis educati fuerunt, adeo quidem, ut externa religionis opera huic officio cedere debeant, neque ullo, ne quidem religionis prætextu, liberi ab eo exsolvi possint; *Matth*. XV. 4 *& seqq.* Hinc requiritur in vidua, 1 *Timoth*. V. 4. ut discat *mutuam vicem reddere parentibus*. 2. Ut ad infirmitates ipsorum, quas senectus adferre solet, conniveant; vitia aut excusent, aut tegant. Hinc reprehenditur Chamus, qui parentis Noachi nuditatem fratribus ostendit; laudantur verò Sem & Japhet. qui honestè patrem tegebant, *Genes*. IX. 22, 23. patienter eorum morositatem perferant, cogitando, quantas ipsorum causâ molestias in educatione pertulerint; & quicquid ipsis præstant, quantumcunque sit, nihil esse nisi debitum gratitudinis officium. Hinc *Prov*. XXIII. 22. *Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas cùm senuerit mater tua.*

Promissum huic præcepto additum. XXI. Ut autem Deus tanto validius liberos ad præcepti hujus observationem obstringeret, ingens addidit promissum vitæ longævæ & fœlicis; hinc *Eph*. VI. 2. *primum* dicitur *cum promisso*; sc. expresso & speciali. Quin & respectu pietatis parentum sæpe Deus liberis benedixit; *Psal*. CIII. 17, 18. CXII, 2. *Prov*. XX. 7. non tantum largiendo ipsis bona corporalia, *Psal*. XXXVII. 25. Sic propter Davidem Deus regnum in familia ejus conservavit, 1 *Reg*. XI. 12, 13, 14. sed & spiritualia. Ita Deus cum Abrahamo fœdus fecit, & semine ejus, *Genes*. XVII. 7. Et *Rom*. XI. 28. Judæi increduli & jam indurati, dicuntur adhuc *dilecti propter patres*. Tum & parentum benedictio, quam liberi debitâ reverentiâ à parentibus obtinent, ut & eorum maledictio quam in se provocant parentum contemtu, magni est ponderis apud Deum. De benedictione vide *Genes*. XXVIII. 1, 2. de maledictione, *Genes*. IX. 25. & quantoperè eam Jacob horruerit, indicat *Gen*. XXVII. 12. Huc & refer *Prov*. X. 1. XV. 20. XVII. 25.

Et comminatio. XXII. Ab altera parte mandati hujus transgressionem Deus tanti fecit, ut nullam post idololatriam severius puniri voluerit, quàm irreverentiam & inobedientiam erga parentes: *Deut* XXVII. 16. *Maledictum* pronuntiat *qui non honorat patrem suum & matrem*. *Exod*. XXI. 15, 17. morte affici vult, qui percusserit patrem suum aut matrem, vel etiam illis maledixerit: ut & *Livit*. XX. 9. *Prov*. XX. 20. Similiter, *Deut*. XXI. 18, 19, 20, 21. filium protervum ad prodigum, à parentibus ad seniores civitatis delatum, lapidibus obrui jubet. Imo *Rom*. I. 30. inter peccata, propter quæ Deus Ethnicos in reprobam mentem tradidit, recensetur, quòd *parentibus* fuerint *inobedientes*; & 2 *Timoth*. III. 2. inter homines pessimos, qui novissimis diebus exorituri sunt, numerantur *parentibus non obedientes*.

CAPUT LXII.

De Officio Dominorum & servorum.

I. DOminorum ac servorum discrimen per Religionem Christianam non esse abolitum, jam ante ostensum est: ita nimirum, ut quos religio Christiana in servitute deprehenderat, illi eam suscipiendo, eo ipso libertatem consequerentur, aut a dominis, siquidem illi fideles essent, manumitti deberent. Consentaneum tamen est amoris illius, quem Christiana Religio passim commendat, perfectioni, homines fideles in servitute dura non detinere; maximè autem, homines liberos in servitutem non redigere. Quare & mos ille durus ac severus, homines bello captos in servitutem redigendi, meritò inter Christianos sublatus est. Homines autem liberos ac innocentes invitos in servitutem redigere, aliisque lucri causâ vendere, aut ab aliis in servitutem redactos emere, rursumque venum exponere, inhumanum est, & neutiquam conciliari potest cum æquissima illa naturæ regula, *Quicquid vultis ut faciant vobis homines, hoc facite illis*, *Matth*. VII. 12. — *Discrimen dominorum & servorum.*

II Dominorum officium est, absolutum imperium in servos sibi non arrogare, nec exercere, quia communi suo & servorum Domino subsunt, *Eph*. VI. 9. *Coloss*. IV. 1. Æquitatem igitur erga servos observare debent, in præceptis, ne sint dura ac gravia ultra servorum vires; in modo præcipiendi, ne crebras adhibeant minas: in reddenda laborum mercede justa ac convenientes; in moderatione pœnæ si quid servi commiserint, ne ultra modum sæviant, aut eos duriter tractent: ac tandem, ut in morbis ac senectute debitam eorum rationem habeant: ut centurio ille, *Matth*. VIII. 6 Præcipuè autem curare debent, ut servi instituantur in vera religione & doctrina pietatis: ita Abraham, *Genes*. XVII. XVIII. Cornelius, *Act*. X. — *Dominorum officium erga servos.*

III. Si verò sint mercenarii, dominorum est, æquam ipsis laborum mercedem constituere, eamque non detinere, nisi forte ipsi illud velint: *Levit*. XIX. 13. *Deut*. XXIV. 14, 15. multò minus ipsos eâ defraudare, *Malach*. III. 5. *Syrach*. XXXIV. 26. *Jacob*. V. 4. — *Erga mercenarios.*

IV. Servi vel mancipia sunt, qui propriissimè servi vocantur, vel mercenarii. Servi dominis debent honorem, 1 *Tim*. VI. 1. — *Officium servorum.*

& obsequium, & quidem in omnibus quæ non repugnant pietati, *Coloss.* III. 22. & non tantum benignis, sed & duris, 1 *Pet.* II. 18. Non debent esse responsatores, *Tit.* II. 9. nec ad oculum servire, sed in simplicitate cordis & ex animo, *Eph.* VI. 6, 7. *Coloss.* III. 22. Tandem, si honestâ ratione dominisque non invitis libertatem consequi possint, ad eam adspirent æquissimum est, 1 *Cor.* VII. 21.

Mercenariorum.

V. Mercenariorum est, non nimium, sed justum & æquum laborum pretium exposcere; laboresque susceptos fideliter exsequi, nec locatâ operâ dominos defraudare.

CAPUT LXIII.

De officio Magistratuum & Subditorum.

Munus Magistratus Christiano non est illicitum.

I. Antequam Magistratus officia explicemus, ante omnia celebris illa in patria nostra quæstio expendenda est, utrum homini Christiano liceat gerere Magistratum. Nos, argumentorum pondere pro affirmativa sententia persuasi, statuimus, non tantum Christiano homini licitum esse munus Magistratus gerere, sed & neminem illi administrando esse aptiorem quàm verè Christianum. Rationes nostræ sunt.

Fuit olim à Deo institutum.

II. Primò. Munus Magistratus olim à Deo fuit institutum, *Rom.* XIII. 1, 2. *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quæ de nuda tantum permissione divina accipere, absurdum planè est. Si autem Christiano homini illicitum esset munus Magistratus, exinde foret, vel quia expressè à Domino Jesu ipsiusque Apostolis vetitum est; vel quia talis est Religionis Christianæ genius, ut cum ea consistere munus Magistratus nequeat. Neutrum verum est.

Nusquam in Euangelio est vetitum.

III. Munus hoc non esse vetitum, inde liquet; quia nullum ejusmodi interdictum in Novo Testamento reperire licet, neque hactenus à quoquam prolatum est. Imo non pauca in Novo Testamento exstant indicia, ex quibus munus hoc non esse illicitum satis evidenter colligi potest.

Licitum esse probatur ex Rom. XIII. 1, 2. &c. & 1 Tim. II. 1, 2, 3, 4.

IV. Primò. Quia *Rom.* XIII. 1, 2. &c. expressè dicitur, non tantum *esse à Deo*, sed *non non nisi à Deo*, & *ordinatio* esse *divina*: 1 *Tim.* II. 1, 2, 3, 4. jubemur orare pro regibus, & omnibus qui in potestate sunt constituti, ut sub eorum auspiciis tranquillam vitam degamus; hac addita ratione, quia *Deus omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quæ verba indicant, precationem nostram pro regibus, &c. eum in finem debere fieri, ut ad fidem Christianam convertantur; ut ita sub regibus ad fidem conversis tranquillam vitam degamus: qui finis nullo modo obtineri posset, si regibus, quamprimum ad fidem Christi converterentur, deponendum esset sceptrum; quin & vitam potuisset Christianis efficere magis duram ac calamitosam; si nim: regibus ad Christum conversis, & sceptra ex vi legis Christianæ deponentibus, alii duriores ac sæviores succederent.

Et ex exemplis ad fidem conversorum.

V. Secundò. Nunquam legimus, si qui ex magistratu in Christum crederent, quod se munere suo abdicaverint. Ita Nicodemus, Josephus ab Arimathæâ, discipuli fuere Jesu Christi, & tamen membra senatus Judæorum fuerunt: *Luc.* XXIII. 50, 51. *Joan.* VII. 50. nec uspiam propterea reprehensi leguntur. Nec est quod dicas, eos reprehendi *Joan.* XII. 42. Non enim reprehenduntur, quod se magistratu non abdicaverint, sed quòd non rectè crediderint in Jesum Christum, metuque hominum fidem suam ingenuè profiteri erubuerint. Dicere, hanc fuisse imperfectionem, quam Deus ad tempus toleravit, sed quam postea cessare voluit: manifestè revincitur ex exemplis Cornelii centurionis, *Act.* X. & Sergii Pauli proconsulis, *Act.* XIII. quorum fides & conversio describitur, nullâ factâ mentione abdicationis muneris sui. Anne credibile quidem est, ne semel quidem illam tanquam eximium resipiscentiæ signum exactam fuisse ab Apostolis, aut Euangelistas, quando talium conversionem describunt, ne minimam illius facturos fuisse mentionem, præsertim cum aliis in exemplum cedere posset; munusque hoc, si à Jesu Christo esset prohibitum, non simplex foret peccatum, sed longam peccatorum actuumque Christi legibus repugnantium catenam post se trahens? Deinde, explicari nequit, quamdiu hanc imperfectionem in Ecclesia sua tolerari voluerit Dominus, cum postea nulla nova præcepta per Apostolos dederit: sed quæcunque contra munus hoc proferuntur, ex præceptis à Domino ipso in terris versante promulgatis, peti soleant.

Non repugnat religionis Christianæ genio.

VI. Talem non esse Religionis Christianæ genium, ut muneris Magistratus administratio illi repugnet, etiam facile evincitur. Totum enim Magistratus munus hisce functionibus continetur, legislatione, judiciorum secundum eas administratione, & subditorum suorum defensione. Nullos horum actuum Religionis Christianæ genio repugnare probari potest.

Non legislatio.

VII. Non legislationem. Cùm enim (uti quos impugnamus ipsi fatentur) illius genio non repugnet, ut pater in familia, præceptor in schola, &c. leges condat, quas in familia ac schola sua ordinis conservandi gratiâ vigere vult; neutiquam Magistratus legislationem, ut in civitate omnia decenter ac ordinatè fiant, nec alter alterum injuriâ affi-

afficiat, illi adversam esse credendum est. Ordinis enim auctor est Deus, non confusionis. At, dicunt, Christus est legislator noster unicus. Resp. 1. Ergo quæ à Christo vetita non sunt, sunt licita. 2. Est legislator unicus eorum quæ vitam æternam spectant; sed vitæ civilis curam non suscepit: tantum generales dedit regulas, juxta quas omnes particulares actus componi, & in quas nullæ leges civiles impingere debent.

...m ad-ministra-...ndi-...orum. VIII. Judiciorum administratio duplex est, alia civilium, alia criminalium, & rursus criminalium alia intra meram castigationem consistunt; alia verò sunt capitalia.

...amcivi-...um, IX. Judicia civilia genio religionis Christianæ non repugnare, liquet ex legislatione: illa enim si illicita non est, nec etiam judicia secundum leges administrare illicitum censeri debet; utpote sine qua omnis lex inefficax est, nulliusque ad ordinem conservandum momenti.

Sensus Matth. v. 38, 39. &c. X. In contrarium objici solent verba Servatoris, *Matth.* v. 38, 39. 40. *&c. Ego dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* &c. Verùm hisce judicia civilia non tolli, exinde liquet; quia lex hæc non datur Magistratui, sed omnibus; opponiturque concessioni Legis Mosaicæ, quæ privato permittebat injuriæ illatæ vindictam petere à Magistratu: non autem vindictam illi injungebat: poterat enim quilibet, salvâ lege, à jure suo recedere; imò si qui id faciebant, laude digni erant: ut in Josepho apparet, *Matth.* 1 19. Sensus ergo verborum Domini est: Non licere jam, ut olim sub Lege Mosis, injuriæ illatæ vindictam petere per Magistratum; imò tam alienos debere esse suos discipulos à vindicta, ut parati potius esse debeant alteram injuriam ferre, quàm illatam vindicare. Ita ut *non resistere*, hîc propriè significet, non vindicare; quia, uti ex exemplis liquet, non agit de avertenda injuria adhuc inferenda, sed jam illatâ vindicandâ. Sensus hic evincitur, 1. Quia legem suam opponit Legi veteri de oculo pro oculo, &c. quæ manifestam continet vindictam, non injuriæ propulsationem. 2. Aliàs Dominus, si munus Magistratus abrogasset, solvisset Legem Mosaicam: contra quod dicit, *vers.* 17. 3. Procul dubio, si id intendisset Dominus, mentem suam clarius expressisset.

Sensus 1 Cor. vi. 1, 2, &c. XI. Objiciunt porrò 1 *Cor.* vi. 1, 2, 3. &c. ubi Apostolus omnem contentionem in judicio coram Magistratu damnare videtur. Resp. 1. Magis hic locus faceret contra eos, qui judicio contendunt, quam contra munus Magistratus: reprehendit enim eos, qui coram Magistratu contendebant. 2. Agit propriè de injuriis levioribus inter Christianos, & quidem cum fraude conjunctis: uti apparet ex *vers.* 8. & de contentione coram Magistratu Ethnico: unde religio Christiana male audiebat, quando fideles alii alios coram Magistratu Ethnico fraudis reos agebant. 3. Videtur hic textus magis pro Magistratus munere facere, quia *vers.* 4. Apostolus dicit, ponite judices minimos in Ecclesia, ut nimirum dissensiones inter fratres dijudicent, litesque dirimant. Dices. Fortè Apostolus concedit arbitros eligere. Resp. Credibile id est: quid enim aliud Apostolus concederet aut præscriberet Christianis, auctoritate publicâ destitutis, quam nomine Ecclesiæ arbitros quosdam constituere, quorum judicio fideles sponte omnes suas lites submittant? Et huic explicationi eorum lectio favere videtur, qui verba hæc paulò aliter distinguunt; βιώτικα ἂν κριτήρια, ἐὰν ἔχητε τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τούτους, καθίζετε: intelllgentes per κριτήρια non res de quibus disceptatur, sed tribunalia coram quibus disceptatio instituitur: uti δικαστήρια non lites, sed tribunalia significant & per τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, Ethnicos, qui nullius in Ecclesia sunt pretii: Ut sensus sit; Si Ethnicos habeatis, uti eos jure ac meritò habetis, pro hominibus nullius in Ecclesia pretii, utpote à spe cœlestis hæreditatis exclusis; ne coram ipsis dissensiones vestras disceptetis; sed constituite vobis arbitros publicos, seu tribunalia, quibus omnes fideles ultrò se submittant, quique lites omnes fidelium dijudicent. 2. Quid ejusmodi arbitri differunt à Magistratu? nisi quod Magistratus arbitri sint publici, & auctoritate publicâ armati, quâ refractarios ad officium compellere possint. Si autem arbitrorum munus, quorum sententiæ ultrò se quivis fidelis submittit, licitum est: cur illicitum censemus Magistratus munus, cujus sententiæ non fideles tantum, sed & infideles sese subjicere tenentur? qui nil aliud esse videtur, quàm publicus non tantum inter fideles, sed & inter fideles & infideles arbiter.

XII. Criminalium judiciorum administrationem non esse illicitam, exinde evincitur; quia leges nullius sunt momenti, si nec obedientibus præmium, nec inobedientibus pœnam constituant; promissa verò hæc & minæ frustraneæ, nisi judicia secundum eas administrentur: neque sine his salus publica conservari. nec innocentia hominum piorum à maleficiis tuta esse poterit. *Quam criminalium.*

XIII. Objiciunt, quod *Matth.* v. 44. &c. jubentur Christiani *inimicos suos diligere.* Resp. Per *inimicum* intelligitur, qui nos injuriâ afficit, & animo erga nos est infensô. At Magistratus quatenus Magistratus proprie non habet inimicum; & maleficos puniens, non eos qui se sed qui alios læserunt, punit 2. Magistratus obligatus est pro- *Solvitur objectio ex Matth v. 44. &c.*

 bos

bos magis diligere quam improbos, & plures quidem, quam pauciores. Non autem id fieri poteſt ſine pœnis, quibus malefici coërceantur. 3. Poteſt Magiſtratus punire tanquam judex, & tamen diligere: 1. Quia maxima cum commiſeratione punit, velletque, ſi aliter publicæ tranquillitati conſuli poſſet non punire. 2. Quia intendit emendationem ejus quem punit; uti pater filium caſtigans, quem tamen intenſiſſimè amat, *Hebr.* XII. 5, 6, 7. 3. Lex vetus etiam præſcripſit dilectionem proximi, & tamen jubebat ut Magiſtratus ſontes Iſraëlitas punirent.

Et quod capitalia ſupplicia repugnent amori.

XIV. Obj. Atqui ſupplicia capitalia procedere non poſſunt ex amore ejus qui punitur, neque pro ſcopo habere ejus emendationem. Reſp. Fateor: optandumque foret pauciſſima eſſe capitalia. Interim ea, præterquam quod ſummâ cum commiſeratione judicis ſint conjuncta, procedunt ex amore erga multos innocentes, qui ſine hiſce ſuppliciis defendi nequeunt: Amor autem erga plures ac innocentes prævalere debet amori erga paucos ſceleratos. Magiſtratus enim totius civitatis communes patres ſunt, ejuſque ſalutem procurant, amputatione membrorum quorundam inutilium ac noxiorum; perinde uti homo, qui omnia membra ſua amat, membrum gangrænâ corruptum amputat, ne pars ſincera inficiatur.

Et noxiis vitam emendandi occaſionem præcidant.

XV. Obj. Atqui ſupplicio capitali hominibus occaſio eripitur emendandi vitam. Reſp. Credendum Deum, qui quocunque modo homines ſceleratos, quando patientiâ ejus jam diu ſatis abuſi ſunt, è vitâ tollere poteſt, eos in manus Magiſtratus, vicarii ſui, tradere, ut vitæ filum ipſis præcidatur, ipſorumque miſeranda mors aliis in exemplum cedat. Interim ſaluti ipſorum aliquatenus conſuli poteſt, ſi judicia non præcipitentur, ſed ſufficiens ipſis concedatur tempus, peccata ſua deflendi, animumque ſuum ſeriâ cum pœnitentiâ Deo totum conſecrandi.

Quid ſentiendum de bello.

XVI. Ex hiſce jam porro inferri poteſt, etiam bella ad protegendos ſubditos, ſi ab aliis injuſtè opprimantur, non eſſe illicita; eadem enim hic quæ in præcedentibus militat ratio. Quod vero quidam exiſtimant, hæc omnia fieri, ut tranquillâ in mundo vitâ fruamur; quæ tamen Chriſtianis non eſt promiſſa, ſed crux & afflictio prædicta: illis hac ratione occurri poteſt: Quòd Chriſtianis perinde uti Iſraëlitis, non ſit promiſſa vita tranquilla in certâ quadam mundi regione, imo crux & afflictio in hoc mundo prædicta: non tamen adeo crudeles ac duros erga nos ipſos voluerit nos eſſe Deus, ut non liceat commodâ ac honeſtâ viâ crucem illam declinare & effugere; & cùm æquum, ac potiſſimum Chriſtianum nobis largitur Magiſtratum, ejus protectione nos erga injuſtas aliorum oppreſſiones tueri.

Abuſus qui in bellis committi ſolent, ſunt damnandi.

XVII. Interim quoniam plurima in bello committi ſolent legibus Jeſu Chriſti è diametro repugnantia, nos ea nequaquam approbare, ſed tanquam abuſus deteſtari profitemur: ac proinde, quoniam pro hodierno bellandi more abuſus illi vix ac ne vix à bello ſeparari poſſunt, admodum tardos eſſe oportere Chriſtianos ad belli ſuſceptionem, & non niſi prolixè iterum iterumque tentatis omnibus æquæ tranſactionis conditionibus, poſtquam apparet omnia fruſtra adhiberi remedia, tandem ad juſtam civium protectionem bellum ſuſcipi poſſe. Quæ autem bella pro gloria ſolummodò, aut amplificando imperio ſuſcipiuntur, ea ut Chriſtiano indigna in totum damnare non veremur.

Neceſſitas muneris Magiſtratus.

XVIII. Tandem non leve pro Magiſtratu argumentum eſt, quod ſine eo nulla civitas, nulla ſocietas conſiſtere poſſit; ſed omnia confundi ac permiſceri neceſſe ſit, probiſſimi quique & innocentes ſceleratiſſimorum libidini ac rapinis expoſiti ſint futuri, nihilque à maleferiatorum hominum violentia tutum ſit futurum. Quod adeo verum eſt, ut ne latronum ac piratarum ſocietas, ne quidem per exiguum tempus, abſque Magiſtratu, alteriuſque ſub altero ſubordinatione, conſiſtere poſſit. Nullo modo autem veriſimile eſt, Dominum Jeſum munus adeo neceſſarium, ſine quo omnia peſſum ire neceſſe eſt, per doctrinam ſuam exterminare voluiſſe.

XIX. Adſtructo ergo, licitum eſſe Chriſtiano munus Magiſtratus gerere, quodnam Chriſtiani Magiſtratus officium ſit, porrò inquiramus.

Magiſtratus officium, procurare ſpiritualia.

XX. Magiſtratuum officium eſt, ſubditorum ſaluti invigilare, eamque pro viribus procurare. Eſt autem ſubditorum ſalus vel ſpiritualis & æterna; vel corporalis ac civilis. Utriuſque cura Magiſtratui eſt demandata; hinc utriuſque tabulæ cuſtodes vocari ſolent: & 1 *Timoth.* II. 2. pro regibus orare jubemur, *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.*

Inſtituere cultum veræ religionis.

XXI. Spiritualem quidem ac æternam ſubditorum ſalutem procurant: Primò. Inſtituendo cultum veræ religionis. Hunc in finem ipſe religionis veræ cognitionem ſibi acquirere debet, ut de religione dijudicare poſſit, neque falſam pro vera inſtituat, atque auctoritate ſua protegat. Hinc *Deut.* XVII. 18, 19. præſcribitur, ut rex librum legis ſecum habeat, eamque legat omnibus diebus vitæ ſuæ, &c. Si enim falſam inſtituerit, populumque exemplo & auctoritate ſua ad eam compulerit, gravem Deo rationem reddet: uti olim Jerobeam.

Templa publica

XXII. Secundò. Erigendo templa publica,

erigere, in usque omnia bene dirigere.

blica, in quibus veræ religionis cultus instituatur, omniaque dirigendo, quæ ad ordinem in templis publicis, cultumque debitè conservandum ac propagandum, sunt necessaria. Qualia sunt: ministros vocare, quos publicos illius religionis præcones esse vult, & prospicere ut exactè in religione instituantur, ut idonei præcones sint: Ordinem quendam externum constituere de loco, tempore, aliisque circumstantiis cultus, omniaque quæ externam Ecclesiæ εὐταξίαν concernunt dirigere, & pro auctoritate impedire, ne illius exercitium ullo modo turbetur: Ministros delinquentes, officioque suo minimè fungentes, exauctorare, aut etiam aliàs pro delicti gravitate punire, aliosque idoneos officiique sui observantiores illorum loco substituere. Et si quæ his sunt affinia. Ad exemplum piorum Veteris Testamenti Regum; Davidis, 1 *Paral.* XXIV. XXV. Josiæ, 2 *Reg.* XXII. XXIII. qui cultus divini curam in se susceperunt, omniaque munia ordinaverunt. Salomonis, qui Abjatharum rebellem ejecit, illiusque loco substituit Zadocum, 1 *Reg.* 11.26,27,35. variaque ministeria ordinavit, 2 *Paral.* VIII. 15. Quibus adde quæ leguntur de Josaphato, 2 *Paral.* XVII.6,7, 8. & Esechiâ, 2 *Paral.* XXIX.4,5, & 25.

Neminem ad sua sacra cogere.

XXIII. Tertiò. Cavendum tamen hîc est Magistratui, ne potestatem suam ultra limites sibi à Deo concessos extendat; ac proinde subditos, si qui eorum sint qui religioni publicè à Magistratu receptæ acquiescere nequeunt, neutiquam cogere ad ejusdem secum religionis exercitium; sed liberum à suâ religione debet permittere dissensum, liberumque religionis, quam veram credunt, in privatis ædibus exercitium. Non enim potestas ipsis competit articulos fidei decidendi, quibus omnium conscientiæ sint alligatæ; sed solummodò quid in templis publicis, ipsorum arbitrio subjectis, doceri velint, statuendi; illis autem nullius conscientia est alligata. Ita pater familias præscribit, quid in suâ domo doceri velit, non tamen liberorum conscientiis leges dat, sed si dissentiant, persuadere conatur, alibique sua propugnandi libertatem non eripit.

Vetando liberum religionis exercitium, vim conscientiis infert.

XXIV. Aliàs Magistratus vim infert conscientiis, non tantum quando subditos ad suæ religionis exercitium cogit; sed & quando religionis, quam subditi veram credunt, exercitium prohibet, subditosque propterea vexat ipsisque molestiam facessit. Quod ut liqueat, distinguendum inter internum conscientiæ judicium, & externum factum, juxta conscientiæ internum judicium ab homine peragendum. Interno conscientiæ judicio nemo hominum vim inferre potest; nemo enim invitum me cogere potest, ut aliter judicem ac credam, quàm judico aut credo; stultusque foret hoc qui tentaret. At facta, quæ conscientia dictat aut omittenda aut præstanda esse, violentiæ humanæ subjici possunt. Ea autem duorum sunt generum: quædam conscientia dictat omninò esse facienda, neque sine peccato omitti posse; alia conscientia censet esse planè illicita, neque sine gravi peccato posse fieri. Conscientiis vim inferri, si adigantur homines ad ea quæ illicita credunt, videl. ad religionis quam falsam, superstitiosam, idololatricam credunt, professionem & exercitium, veritatisque de qua persuasi sunt condemnationem, ultrò multi concedunt. Addimus autem nos, quod illi negant, nec à vi conscientiis illatâ excusari posse, qui externâ vi homines cogunt, ut ea omittant, quæ conscientia ut Deo debitus honor præstetur omnimo facienda esse dictat: utrobique enim impedimentum objicitur, ne secundum conscientiæ dictamen Deus colatur. Tale erat edictum Darii, *Dan.* VI.8. & Antiochi 1 *Machab.* 1. 47, 48. &c. prohibentis ne sacrificia & suffitus Deo fierent; sine quibus cultus divinus consistere non poterat.

Quàm grave id sit crimen.

XXV. Quàm grave autem crimen sit aliorum conscientiis velle dominari, inde constat; quia solus Deus Dominusque noster Jesus Christus legislator noster est, cui soli conscientia subdita est. Qui itaque conscientiis dominari præsumit, jura Dei invadit, ejusque potestatem usurpat. Magistratus autem vicarius solummodò Dei est: si itaque vicarius vetet, quod rex præscribit, violatæ majestatis reus est, juraque regis sui invadit. Hinc meritissimè Stephani Regis Poloniæ sapientissimum celebratur dictum: ***Ego sum rex hominum, non conscientiarum. Hæc tria Deus solius suæ potestatis esse voluit? ex nihilo aliquid creare, futura prædicere, & conscientiis dominari.*** Hac etiam ratione libertas Christiana opprimitur, quæ exigit, ut omnia probemus, & quod bonum est retineamus, & inquiramus spiritus num ex Deo sint 1 *Thess.* V. 21. 1 *Joan.* IV. 1.

Et procurare pacem civilem: æquas condendo leges.

XXVI. Pacem ac tranquillitatem civilem Magistratus procurare debet: Primò. Æquas ac justas leges condendo, easque sanciendo pœnis delicto proportionatis. Hîc optandum, Magistratus Christianos memores semper esse mansuetudinis ac charitatis Christianæ; ac proinde quàm minimas pœnas esse capitales; sed quantum scelerum repressio tranquillitatisque publicæ tutamen permittit, consistere intra castigationes corporales; tum ut præter aliorum exemplum, etiam eorum qui puniuntur emendatio intendatur, tum etiam resipiscentiæ tempus ipsis non præcidatur. Illud saltem præcaveatur, ne delictis quibus-

dam ordinariis graviores constituantur pœnæ, quàm olim in Lege Mosaica. Licet enim lex illa speciatim politiam Israëlis spectaverit, nobisque norma non sit: videtur tamen in iis, quæ concernunt negotia terræ Canaan soli non alligata, eatenus nobis pro regula servire posse, ut leges nostræ civiles aliquatenus ad eam exigantur, pœnæque pro gravitate delicti, à Deo ipso æstimatâ, aut graviores aut leviores constituantur. Ex: gr: in Lege Mosis Deus adulterio pœnam capitalem constituit; furto verò, & quidem nocturno cum ædium effractione conjuncto, dupli vel quadrupli restitutionem: nunc vero ædium effractores nocturni suspendio solent necari; adulteri verò, quorum gravius Deus censuit peccatum, levi mulctâ pecuniariâ dimittuntur.

Ejus secundum illas administrando. XXVII. Secundò. Jus secundum leges legitimè, prudenter, & incorruptè administrando: ac proinde bonos remunerando, malos puniendo. Hinc *Rom.* XIII. 3, 4. dicitur, *non* esse *timori boni operis, sed mali, nec gladium sine causâ portare*; sed esse *Dei minister, vindex in iram ei, qui malum agit.* & 1 *Pet.* II. 14. esse *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Huc varia requiruntur. 1. Scientia legum, secundum quas judicium administrari, ac inter justum & injustum discerni debet. Hinc *Deut.* XVII. 18, 19. Deus voluit ut rex ipse librum Legis haberet ac legeret. 2. Notitia exacta facti quod in judicium venit, omniumque illius circumstantiarum: alias leges, id est, vel præmia vel pœnas legibus constitutas, non rectè applicabit. 3. Huc diligenti inquisitione est opus, quæ requirit ut utramque audiat partem; testiumque testimonia examinet ac inter se conferat, neque quicquam in alterutram partem statuat aut pronuntiet, nisi plenissimè instructus. 4 Quod ut præstet, opus est judicio, sapientiâ, prudentiâ, labore, vigilantiâ, maximaque animi attentione. Hinc Salomon eam à Deo petiit, 1 *Reg.* III. 9. 5. Debet esse liber ab omni affectu, irâ, odio, partium studio, qui affectus turbinum instar hominem sæpe à recto virtutis tramite abripere solent. Hinc Deus omnem personæ acceptionem in judicio severè prohibuit, *Levit.* XIX. 15. Inde & justitia solet depingi cæca. Sed nec minus requiritur ut sit liber ab avaritiâ, nec se muneribus corrumpi patiatur; solent enim ea judicum oculos excæcare, *Proverb.* XVII. 23. Cogitare debent, quod rex Josaphat judicibus dicebat, 2 *Chro.* XIX. 6, 7. *Videte quid faci tis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentiâ cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* 6. Denique magnâ animi fortitudine opus est, ut judicium secundum conscientiam pronuntiet, probumque ac innocentem absolvat, ac protegat; impium vero condemnet. *Qui* enim *justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum: Proverb.* XVII. 15. Contingit aliquando totum populum odio adversus quempiam esse incitatum, ejusque, licet innocentis, imo erga ipsos quam maximè benemeriti, supplicium, etiam adhibitis minis, exposcere; ut in Domino Jesu apparuit: Similiter tyrannos potestate suâ abutentes, ex ambitione aut avaritiâ innocentis cujusdam cædem cupere, judicibusque illius condemnationem mandare: ut in Jesabele erga Nabothum apparuit, 1 *Reg.* XIX. 8, 9. *& seqq.* Hic magnâ animi constantiâ ac fortitudine opus est, ne innocens occidatur, nec vulgi præcipitis furor, aut vultus instantis tyranni eum transversum abripiat. Damnatur factum Pilati, Jesum, judicio suo innocentem Judæorum furori & invidiæ concedentis. Contra laudatur Claudius Lysias, qui Paulum Judæorum furori exemit, *Act.* XXII. Et quam graviter Deus ejusmodi iniquitatem sit puniturus, docetur egregiè, *Psal.* LXXXII.

Subditos protegendo. XXVIII. Tertiò. Omnia sollicite providendo, ut subditorum, quantum fieri potest, inopiæ & calamitati succurratur, ipsique contra omnem externam vim protegantur. Quæ omnia quoniam sine magnis impensis perfici nequeunt, Magistratus est, tributo, pro impensarum ratione, à subditis exigere. Hic autem duo vitanda sunt. 1. Ne ex avaritiâ tributis immodicis ac non necessariis subditos gravet, *Proverb.* XXVIII. 15. 2. Ne iis abutatur ad luxum, ad bella injusta, multò minus in oppressionem innocentium, & veræ religionis exstirpationem.

Bono exemplo præeundo. XXIX. Quartò. Tandem officium Magistratus est, subditis bono exemplo præire, & ad legum observationem excitare. Ubi enim populus Magistratum præeuntem videt, facile sequitur: nec obedientiam detrectabit legibus, ubi videt ipsos earum conditores ultro sese iis subjicere.

Subditorum officium. 1. Obedientia. XXX. Subditorum officium est, 1. Obedientia. *Rom.* XIII. 1, 2. *&c. Tit.* III. 1. Estque id officium generale, omnes subditos, nemine excepto, obligans. Hinc *Rom.* XIII. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto.*

Papa potestas non est supra Magistratum. XXXI. Quod observandum, Primò: Contra Pontificios, qui Papam suum supra omnem Magistratum evehunt, omnesque Ecclesiasticos judicio Magistratus secularis eximunt. Excipiunt: *Rom.* XIII. 1. agi tantum de hominibus animalibus: ideoque dici, *omnis anima*, non verò omnis homo: se

se autem esse spirituales, de quibus dicitur, quòd omnia dijudicent, ipsi verò à nemine dijudicentur, 1 *Cor.* II. 15. Resp. 1. *Anima*, secundum ordinarium Scripturæ stylum, denotat hominem, ut *Actor* II. 41. 1 *Pet.* III. 20. 2. Locus, 1 *Corinth.* II. 15. non agit de clericis, uti vocantur, oppositè ad laicos; sed de quovis Christiano spiritu Dei illustrato, oppositè ad infideles & à spiritu Christi alienos, & nihil nisi vitam hanc animalem spirantes. Nec agit de judicio Magistratus, sed de judicio rerum veram hominis felicitatem concernentium, quæ homo animalis, terrena hæc tantum sapiens, dijudicare neutiquam potest. 3. Tantum autem abest, ut Ecclesiastici à subjectione Magistratus liberi sint, ut è contra videamus Pontifices in Veteri Testamento regibus fuisse subjectos; & in Novo Testamento Dominum Jesum tributa solvisse, *Matth.* XVII. 26. & *Act.* XXV. 10. 11. Paulum appellasse Cæsarem.

Nec ministrorum potestati Magistratui collateralis.

XXXII. Secundo: Adversus Reformatos quosdam, qui Ministris jurisdictionem quandam ecclesiasticam in templis publicis tribuunt, Magistratui neutiquam subjectam; atque ita reverà potestatum collateralitatem introducunt, imperiumque in imperio ædificant. Quod ut pateat, sciendum; potestatem in Ecclesia aliam esse internam & spiritualem, quæ per verbi ministerium peragitur; constatque solâ suasione, pœnæque divinæ erga immorigeros denuntiatione. Hæc soli Deo subest, illisque in officio continendis idonea, qui argumenta illa pœnæque denuntiationes divinas esse agnoscunt. Aliam autem esse externam, quæ externam Ecclesiæ regiminis formam spectat. Hæc Magistratui subjacet, quatenus regimen illud occupatur circa templa publica. Ratio est: Quia nisi hæc Magistratus potestas admittatur, statuendum, aut Ecclesiæ potestatem esse superiorem potestate Magistratus; quod est Pontificium, & (uti vidimus) *Rom.* XIII. 1. directè repugnat: aut collateralem: At hoc quammaximè est absurdum; bono enim ordini repugnat, duas esse supremas potestates sibi invicem coordinatas, alteramque alteri non subjectam: potestatis enim est, obligare ad obsequium: possunt autem duæ supremæ potestates sibi mutuò collaterales contraria, vel saltem diversa imperare. Utrisque autem illis obedientia exhiberi nequit. 2. Via est ad Papatum. Hinc enim sequitur, Ministris summum de religione sub Christo judicium competere, ac proinde Magistratum obligari ad sequendum Ministrorum judicia in externo regimine, Ministrorum decreta auctoritate suâ sanciendum, quæque hisce affinia sunt, ac subditos non obligari ad parendum Magistratui in rebus Ecclesiæ regimen spectantibus, si quid præcipiat contra Ministrorum judicium.

Occurritur objectioni.

XXXIII. Obj. Si Magistratui potestas hæc in Ministros & res Ecclesiasticas competat, aut illi competit quatenus est Magistratus, aut quatenus Christianus: Non quatenus Christianus; quia ut Christianus subest pastoribus: Non quatenus Magistratus; quia tum etiam competeret Magistratui Ethnico: quod absurdum. Resp. Competit illi quatenus est Magistratus: hinc & Magistratui Ethnico, si Ecclesiæ templa publica largiri, ac potestate hac uti vellet ad Ecclesiæ emolumentum, competeret. Sed si Magistratus Ecclesiæ sit persecutor, aut nullam illius rationem habeat, tum Ecclesiæ est partes illius in se suscipere. Requiritur ergo ut Magistratus sit Christianus, non ad requisitionem juris; sed ut jure suo rectè ac legitimè possit uti.

In omnibus est præstanda quæ non repugnant bona conscientia.

XXXIV. Præterea est officium hoc universale, nullius præcepti, quod bonæ conscientiæ studio atque honestati non repugnat, exceptionem admittens. Notandum hic præcepta quædam honestati repugnare dici posse duplici respectu: 1. Quæ injusta exigunt respectu præcipientis; obedienti verò non injusta nec inhonesta, sed gravia solummodò, molesta, ac damnosa. 2. Quæ exigunt etiam obedienti inhonesta, quibus proinde absque peccato bonæque conscientiæ læsione obtemperari nequit. Prioribus obtemperandum: sed si posterioris generis exigantur, cum Apostolis statuendum, Deo magis oportere obedire quàm hominibus.

XXXV. Quod ut clarius appareat, distinctius quædam de officio Subditorum, consentaneè iis, quæ de Magistratu dicta sunt, proponemus.

Eandem cum Magistratu religionem amplectentes in templis publicis, illius jussibus debent parere.

XXXVI. Duplicem Magistratui diximus incumbere curam salutis subditorum, spiritualis nim: ac civilis. Circa salutem spiritualem officium Magistratus occupari diximus templorum publicorum erectione, omniumque, quæ requiruntur ut religio salutaris purè in templis publicis doceatur, procuratione & administratione. Uniuscujusque ergo est, qui Religionem à Magistratu auctoritate publica susceptam ac defensam, ut veram ac salutarem agnoscit, publicæque Ecclesiæ seu Minister, seu membrum esse cupit, se legibus Magistratus subjicere.

Diversum sentientes modestè dissensum testari.

XXXVII. Quia tamen religio Deum concernit, conscientiamque obligat, quæ Deo immediatè subdita est, & in quam nulli hominum dominatus competit, Magistratus religionem quandam auctoritate suâ ut publicam religionis cui præest sanciens, auctoritatem non habet eam subditis pro imperio præscribendi, sed solummodo persuadendi per idoneos ministros; ac proinde si qui subditorum illi acquiescere non possunt, eò quod errores pietati ac saluti æternæ noxios tanquam necessarios urgeat; aut quod

actus lege divina vetitos exigat, aut dissentientium cædem ac persecutionem moliatur; à Magistratu ad communem ejusdem religionis professionem adigi nequeunt; & si Magistratus minas ac vim intentet, ingenuè, sed tamen modestè, Magistratui, utpote Dei tantum vicario, obedientia est deneganda; ut conscientia coram Deo, summo omnium arbitro, impolluta servetur.

Et religionem suam exercere in ædibus privatis.

XXXVIII. Quid igitur subditis tali casu faciendum? Resp. Non sunt invadenda templa publica: istud enim est seditiosum; templa enim publica non sunt privatorum, sed Magistratus: sed religio, quam subditi veram ac salutarem credunt, modestè est exercenda in ædibus & cœtibus privatis; in reliquis autem, quæ sine conscientiæ læsione præstari possunt, prompta Magistratibus obedientia est exhibenda; ut ita, juxta Servatoris præscriptum, *Matth.* XXII. 21. *quæ sunt Cæsaris reddamus Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

Quid faciendum, si Magistratus id edictis vetet.

XXXIX. Dices. Quid si Magistratus edictis severis ejusmodi segreges cœtus prohibeat; & in mandatis suis inobedientes rigidè animadvertat? Resp. Licet subditis Magistratui supplicare, ut edicta sua mitiget, libertatemque religionem exercendi concedat, neque conscientiis dominari ac vim inferre velit. Sed supplicationes esse debent modestæ, non minaces: nec supplicantes magno numero comparere debent; ne non tam supplicare, quàm libertatem magistratui violenter extorquere velle videantur. Si autem Magistratus sit inexorabilis, metu hominum omittendum non est, quod Deus præcipit, &c, ad Apostolorum exemplum, precibus ad Deum confugiendum est, ut Magistratibus mitiorem inspiret mentem, aut fidelibus constantiam ac animi fortitudinem, ne metu hominum officium Deo debitum negligant, aut intermittant.

Armis Magistratus non est resistendum.

XL. Dices: Sed quid si Magistratus degeneret in tyrannum, subditos cogat ad idololatriam, &c. an licet sese armis ejusmodi Magistratui opponere? Resp. Ita statuit *Paræus in Comment. in Epist. ad Rom. in cap.* XIII. Ita & Milleterius in libello, *Discours des vrayes raisons*, &c. *pag.* 83, 84. Inter alias hanc adhibens rationem: Quibus competit mori pro nomine Christi, iis etiam competit Ecclesiam suo sanguine defendere; imò ad id tenentur, si velint vitam ingredi; dicitque eos, qui in tam sancto bello occumbunt, coronæ martyrii participes fore. Verùm sententia hæc ab Academiâ Oxoniensi meritò condemnata est ut scandalosa ac seditiosa, quæ etiam Paræi Commentarium ad rogum damnavit. Academia autem Cantabrigienses eundem, una cum Locis Communibus Bucani, & Junii Bruti Vindiciis contra tyrannos, publice comburi jussit: Illa autem sententia, quia acrioribus verbis concepta fuit, in lucem emissa non est: Uti refert Dubletius in Epist. ad Vossium, in Oper. Vossii tom. IV. Epist. XLVIII. Hoc enim si concedatur, nihil erit tutum. Sceleratus quisque sub religionis prætextu rebellabit Magistratui, ut martyrii coronam obtineat. Euangelium non novit lupos, sed agnos martyres. Aliter præcipit Deus, *Deut.* XVII. 12. aliter Dominus Jesus Petro, *Matth.* XXVI. 52. & Apostolus Paulus fidelibus, *Rom.* XIII. 1. licet Magistratus tum quammaximè persequeretur Christianos. Aliter sensere primi Christiani, qui, licet gravissimè afflicti, non pugnando, sed patiendo fidem propagarunt. Vide insignem locum in Tertulliani Apologetico. Et usque adeo ab ejusmodi seditiosa sententia alieni sumus, ut cum Erasmo dicamus, etiam veritatem nobis displicere cum seditiosa est. Obj. Tales Magistratus abutuntur suâ potestate. Resp. Deo rationem reddent. Subdito autem fas non est in eum insurgere, ne ordinationi divinæ resistat: solummodò modestè obedientiam præceptis legi divinæ repugnantibus detrectare, paratusque esse debet ad acerba quævis potius perferendum, quam quicquam bonæ conscientiæ adversum perpetrandum.

Alius casus.

XLI. Idem faciendum, quando Magistratus alio in casu quid præcipit, quod absque peccato præstari nequit. Ità à gravissimo peccato excusari nequeunt seniores illi, qui, mandato Jesabelis reginæ obsequentes Nabothum, per falsos ac subordinatos testes accusatum, lapidibus obruerunt, 1 *Reg.* XXI. 11, 12, 13.

In civilibus Magistratui obediendum in omnibus, etiam molestis.

XLII. In reliquis verò, quæ tranquillitatem ac salutem solummodò concernunt civilem, Magistratui sine ullâ exceptione obedientia est præstanda, etiamsi gravia imperet ac dura. Judici sententiam ferenti nostro judicio iniquam obtemperandum est. Potissimum id locum habet in pendendis vectigalibus & tributis; *Rom.* XIII. 6, 7. nullo enim prætextu ea Magistratibus, quando exiguntur, denegare licet: etiam cum Magistratus tributis gravioribus subditos exhaurit. Licet quidem ex regione ejusmodi discedere, & alias sedes quærere: sed quamdiu Magistratui illi subjecti sumus, sine obluctatione tributa solvenda sunt. Si gravia nimis sunt, licitum est supplicare Magistratui, ut eorum partem remittat: si verò immobilis sit, non licet rebellare, aut alios ad rebellionem concitare: imò præstat graviorum tributorum solutione ad paupertatem redigi, quàm rebellare; potest nimirum Deus variis modis nos ad paupertatem redigere; & aliquando per duros Magistratus peccata luxuriæ aliaque, quæ d-

vitia.

vitiarum solent esse comites, castigare. Nec hic inquirendum, in quem finem tributa à Magistratu impendantur. Subditorum est ea, tanquam Magistratibus debita, dare: Magistratuum est, ea rectè administrare. Tributorum solutio signum quidem est subjectionis, non autem approbationis omnium quæ Magistratus facit: Deo ille suæ administrationis rationem reddet.

2. Officium timor. XLIII. Secundum officium est timor, *Rom.* XIII. 7. nempe quo Magistratum, tanquam vindicem malorum, utpote gladium non frustra gestantem, metuunt, metuque illo cohibentur ab omni legum transgressione: uti *vers.* 3, 4. *cap.* XIII. *ad Rom.* videre est.

3. Honor. XLIV. Tertium est honor: *Rom.* XIII. 7. 1 *Pet.* II. 17. Qui in se omnia reverentiæ signa complectitur, exigitque ut de ipsis non nisi reverenter loquamur; & potissimum ut preces ac supplicationes pro ipsis ad Deum, tanquam pro communibus patriæ nostræ patribus, fundamus, 1 *Tim.* II. 1, 2. non tantum privatim, sed & publicè in cœtibus; neque tantum pro piis & æquis, sed & pro impiis ac duris; tum quia in ipsorum bono subditorum bonum continetur: *Jerem* XXIX. 7. *Quærite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci; & orate pro eâ ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis.* 1 *Tim* II. 3. jubemur supplicationes ad Deum facere pro regibus, &c. *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* Tum etiam, quia eminentia ac potestas Magistratus speciatim Dei imaginem refert, honorque ipsis debitus officium hoc à subditis exigit.

Huic repugnat, temerarium de Magistratu judicium. XLV. Honori huic repugnat, primò: Temerarium de ipsorum administratione judicium ferre. Repugnat id, 1. Candori, omnibus, maximè ergo Magistratui imperium in nos habenti, debito: maxima quippe difficultas est, negotiorum publicorum fontes explorandi, & de eorum æquitate aut iniquitate certi quid statuendi. 2. Moderationi, quæ leves infirmitates tolerare, & communi tranquillitati condonare jubet. Negotiorum publicorum moles ipsis incumbens sæpe eos distrahit, ne omnibus aptè expediendis sint pares; negotia quædam obscura sunt ac perplexa, ut difficulter expediri possint; ac tandem errare ac labi humanum est.

Ipsi maledicere. XLVI. Secundò: Ipsis maledicere, *Exod.* XXII. 28. *Actor.* XXIII. 5. Hinc 2 *Pet* II. 10. & *Jud. vers.* 8. inter falsorum doctorum signa etiam hæc ponuntur; quod *dominationem spernunt, & majestatem blasphemant.* Eorum actiones calumniari & acerbè traducere. E contra subditorum est, vitia eorum, si quæ commiserint, tegere; aut si monendi sunt, privatim eos monere. Videmus quibusdam in more esse, Magistratum publicè in suggestu coram plebe traducere, vitiaque ejus, quæ ipsi imputant, exaggerare. Atqui seditionem istud sapit, magistratusque auctoritatem minuit; tantundem enim est, ac si quis parentem præsentibus liberis suis objurget, ejusque vitia redarguat. Davidem peccantem Nathan non traduxit apud plebem, sed privatim Dei nomine objurgavit, 2 *Sam.* XII. Imò licet Saul peccavisset, ipsumque Deus a regno propter peccatum suum rejecisset, tamen cum honorat Samuel coram populo: 1 *Sam.* XV. 30.

XLVII. Tertiò: Ipsis rebellare, & adversus statum ipsorum conspirare; perinde uti Corah, Dathan & Abiran, contra Mosem & Aaronem, *Num.* XVI. Absolon contra patrem suum Davidem, 2 *Sam.* XV. ac potissimum ipsis violentas manus injicere, eosque occidere. Summus ille impietatis gradus est, honorique Magistratui debito gravissimè repugnat. David, licet gravissimam à Saule persecutionem sustineret, eum tamen cum posset occidere noluit, quia unctus Domini erat, 1 *Sam.* XXIV. 5, 6, 7. XXVI. 8, 9. *Ipsi rebellare.*

CAPUT LXIV.

De Officio Divitum ac Pauperum.

I. Antequam de officiis divitum ac pauperum dicamus, quædam de divitiis ipsis ac paupertate præmittenda sunt, unde constabit, quatenus hi status Christianis conveniant.

II. Divitiæ absolutè & in se consideratæ, nec bonæ sunt nec malæ, sed indifferentes, quibus homo & abuti potest, & rectè ad Dei gloriam uti. Quia tamen naturâ suâ ordinatæ sunt ad bonum usum, variaque nobis hujus vitæ commoda adferre possunt, etiam inter bona utilia, benedictionesque divinas numerandæ sunt: *Deut.* XXX. 8, 9. *Job.* I. 10. XLII. 12 *Proverb.* X. 22. Etiam in Novo Testamento, 2 *Cor.* IX. 8. ubi per *omnem gratiam*, intelligenda est affluens benedictione divinâ rerum copia, quâ instructi sint fideles ad aliis benefaciendum. Hinc si contingant homini pio & prudenti, instrumenta esse possunt variarum virtutum, liberalitatis, continentiæ, modestiæ, gratitudinis erga Deum, aliasque illius virtutes illustriores reddere. *Divitiæ sunt bona utilia.*

III. Interim ratione infirmitatis humanæ maximo cum periculo divitiarum possessio conjuncta est, & in se gravissimum tentationis malum continent, adeo ut diviti difficile sit intrare in regnum cœlorum, *Matth.* XIX. 23. Hinc comparantur spinis, quibus verbi divini semen suffocatur, *Matth.* XIII. 22. & laqueo, cui qui ditescere volunt irretiuntur, 1 *Tim.* VI. 9. Adeò ut sæpe gladii *Sed cum maximo tentationis periculo conjuncta.*

instar sint in manu furiosi. Non ergo absolutè sunt expetendæ; sed si sapienti providentiæ divinæ directione affluant, hæreditate nim: aut Deo honestis nostris laboribus benedicente, nobis obtingant, rectè iis est utendum.

Paupertas vel est simulata. IV. Paupertas alia est simulata, alia vera. Simulata est, quando homo paupertatem præ se fert, cum reverâ divitiis abundat. Qualis est plurimæ partis Monachorum, qui voce & habitu profitentur paupertatem, reipsâ autem sunt ditissimi, & amplissimos possident reditus. Facultates nimirum suas in commune conferunt; licet itaque nihil soli & privatim possideant, quoniam tamen tota ipsorum Societas divitiis abundat, sequitur nulla societatis illius membra paupertate premi. Hæc paupertas in vitio est. Est enim ingratitudo erga Deum, cujus benedictio abnegatur. 2. Est injuria erga homines: quia aliis auxilium debitum, paupertatis prætextu, denegatur; aliique propter eos tributis exactionibusque magis onerantur.

Vel vera. Eaque vel voluntaria. V. Vera paupertas vel est directè expetita, vel necessaria. Prior vocatur voluntaria, & nullâ necessitate cogente accersitur. Talem dicunt esse suam Monachi quidam mendicantes, qui reditus & possessiones non habent, sed in diem victum mendicant. Attamen illa vera paupertas non est propriè, quia satis norunt neminem ipsis mendicantibus denegaturum, aut si deneget, impunè non facturum. Illa esset vera paupertas, si quis sponte omnes divitias abdicaret, nihilque nec solus, nec in communi, unde viveret, retineret.

Monachorum paupertas. VI Quæritur, an ejusmodi spontaneam paupertatem eligere, sit actus religionis? Pontificii statuunt paupertatem illam Monachalem esse actum perfectionis & meritorium, referuntque inter consilia Euangelica, quæ omnibus non præcepta sunt, sed iis tantum, qui ad perfectionem majusque in vita æterna præmium aspirent, consuluntur; de quibus postea. Inde & natum votum eorum paupertatis.

Ea non est vera, nec laudanda. VII. Nos ut de votis (de quibus in sequentibus) jam nihil dicamus, de ipso statu paupertatis sententiam nostram dicemus. 1. Ergo dicimus, paupertatem illam Monachalem non esse veram paupertatem, sed fictam & simulatam; norunt enim ac certi sunt, quotidie sibi abundè de omnibus prospectum iri; inde securè vivunt, aliorumque labore fruuntur; quin & opes, quas in commune conjunctas sibi habent, absque sollicitudine possident. Secundò. Pone esse veram paupertatem; eam dicimus, perinde uti divitias, rem esse indifferentem, ac proinde posse hominem illa non tantum uti ad virtutes quasdam exercendum; sed & abuti ad malas artes. 3. Gravis est tentatio Dei; est enim paupertas in se status calamitosus, & in se spectata res fugienda, ob multa sibi conjuncta incommoda, quibus ferendis homines sæpe non sunt pares: numeratur inter pœnas legis transgressoribus à Deo constitutas, *Deut.* XXVIII. 22. Davidque eam tanquam gravissimum malum imprecatur inimicis suis, *Psal.* CIX. 10. Quin & sæpe est occasio gravis peccati, *Proverb.* XXX. 9. *Mendicitatem ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* In hæc itaque pericula sponte se conjicere temeritate non vacat, ac inter tentationes Dei jure meritò numeratur. 4. Quid quod homo se inhabilem reddat ad officia multa, proximo ab iis, qui facultates possident, debita. Ac tandem, bona abjicere sine ratione, degeneris est animi; tantundem enim est, atque manum sibi amputare, aut oculum eruere, ne eo abutaris. Virtutis est, etiam cum materia peccandi est, rectè agere. Si quis tamen divitias abdicet, ut tantò solutior à curis hujus mundi cultui divino vacet, rem facit non in se, sed finis gratiâ, quem intendit, bonam.

VIII. In contrarium objicitur, quòd Dominus Jesus, *Matth.* XIX. 21. juveni, qui jam omnia mandata ad vitam consequendum requisita observaverat, dicit: *Unum tibi deest: si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me.* Resp. Non tam mandatur actualis venditio, quam abdicatio bonorum, quæ toto animo erat facienda; ut ita à curis divitiarum solutus Dominum expeditè sequeretur. Estque id officium omni omnino Christiano simili in casu præscriptum. Hæc autem abdicatio datâ occasione, & cum res exigit, opere ipso est testanda. Hîc jam juveni occasio ista offerebatur. Amor divitiarum ipsum retinebat, quò minus Dominum sequeretur, & liber à curis hujus seculi totus vacaret cultui divino: Dominus itaque præcipit, ut curam illam abjiciat, idque opere ipso testatum faciat, vendendo bona sua eaque erogando in pauperes. Nihil itaque hîc speciale præcipitur, aut tanquam consilium perfectionis traditur, sed generale officium præscribitur, omnibus in simili casu præstandum. Quod itaque Dominus dicit, *Si vis perfectus esse*, non significat, si vis majorem perfectionem eâ, quæ ut vitam obtineas necessaria est, & si ad majorem gloriæ gradum in vita æterna adspires, consulo tibi, ut vendas quæ habes: Nequaquam: Sed: Si vis te perfectè tradere in meam disciplinam, & a me perfectè discere quid requiram, ut vitam æternam consequaris, idque opere ipso promptè & alacriter præstare: Age, animum tuum curis hujus vitæ & amore divitiarum exsolve; utque eo plene solutum ostendas, Vade, vende quæ habes & da pauperibus, & sequere me: Et sic habebis *Solvitur, objectio ex Matth. XIX. 21.*

bis thesaurum in cælo. Animus enim, amore divitiarum hujus mundi occupatus, ad cœlestia se attollere nequit, neque doctrinam meam, quæ præsentia spe cœlestium ac futurorum abnegare jubet, sincerâ fide ampleçti.

Item Matth. v. 3. IX. At *Matth.* v. 3. Dominus beatos pronuntiat *pauperes spiritu*. Resp. *Pauperes spiritu* non sunt, qui ad promerendum regnum Dei sponte suâ paupertatem eligunt; sed qui spiritu pauperes sunt; id est, quorum spiritus divitiarum amore non est repletus, sed qui divitiarum cupiditatem exuit; qui, si divitias non habent, anxiè eas non appetunt; aut si habent, cor iis non apponunt; sed sive adsint, sive absint, æquo semper animo sunt. Hi meritò *pauperes spiritu* dicuntur, quoniam spiritus, sive animus ipsorum cupiditate divitiarum est destitutus & quasi vacuus.

Et ex Luc. xii. 33. X. At *Luc.* xii. 33. Dominus præcipit; *Vendite possessiones*, τὰ ὑπάρχοντα, *& date pauperibus, &c.* Resp. Nullum hîc est consilium, sed præceptum omnibus datum: Nempe, non tantum è reditibus annuis in pauperes erogandum esse, quemadmodum quis ex allato divitis exemplo, *vers.* 17. &c. forte posset existimare; sed &, antequam immisericordes sint, etiam ipsa ὑπάρχοντα, ipsam substantiam, unde annui reditus proveniunt, vendenda, & in pauperes distribuenda esse: præstat enim aliquam diviti substantiæ portionem decedere, quàm ut homo quispiam inopiâ pereat.

Et ab exemplo Apostolorum. XI. Objici præterea solet Apostolorum exemplum, quos Dominus ad prædicandum Euangelium missurus, præcipit, *Matth.* x. 9, 10. *Nolite aurum possidere, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, &c. Quique juxta illud præceptum *omnia se reliquisse* dicunt, *cap.* xix. 27. Et speciatim Apostoli Pauli, 1 *Corinth.* ix. 12, 15, 18. qui dicit, se potestate qua posset usum non fuisse, ut nimirum stipendio frueretur, sed Euangelium sine sumtu posuisse.

Sensus Matth. x. 9. 10. XII. Resp. Nihil ex illis locis pro paupertatis spontaneæ merito concludi potest. *Matth.* x 9, 10. agitur de speciali legatione Apostolorum, in qua celeritate opus erat, & in qua experimentum erat capiendum providentiæ divinæ, ut tantò promtiores postea essent in ministerio suo obeundo: uti id Dominus Jesus huc applicat, *Luc.* xxii. 35. 2. Nec erat id consilium, in Apostolorum arbitrio positum, sed præceptum, cui nisi paruissent, peccavissent. 3. Extra hunc specialem legationis casum in communi suas possessiones habuerunt, *Joan.* xii. 6. xiii. 29.

Matth. xix 27. XIII. Vox *relinquere*, *Matth* xix. 27. aliud nihil denotat, quàm bonorum suorum curâ non angi afficique, sed ea possidere ac si non possideas, ut Apostolus præcipit, 1 *Cor.* vii. 29. Quod ex eo patet, quia etiam dicuntur reliquisse parentes: deinde & ex reipsa; servarunt enim navigia & retia sua, & subinde occasione ferente ad ea reversi fuere, quin & Joannes τὰ ἴδια habuit, *Joan;* xix. 27.

XIV. Exemplum Pauli, 1 *Cor.* ix. alterius planè est generis. Non enim repugnat, *1 Cor ix. 12, 15, 18.* opus aliquod in se esse indifferens, quod tamen per accidens, respectu specialium circumstantiarum, & Deo gratum & homini salutare est. Id hîc locum habet. Nam cum impedimento Euangelii Apostolus hîc potestate suâ usus fuisset; occasionem criminandi aliis dedisset, quod compendii tantum sui causâ se Apostolum mentitus esset, & gentibus libertatem à jugo ceremoniarum Legis indulsisset, ut tanto liberalius ipsi suppeditarent. Tali autem casu potestate illâ uti, esset eadem abuti, *vers.* 18. talique casu res in se indifferens redditur aliquo modo necessaria.

XV. Alia est paupertas necessaria, non *Vel paupertas est necessaria.* studio quæsita (non enim de eorum agimus paupertate, qui prodigalitate aut luxu sibi ipsis paupertatem conciliarunt, aut ob scelera sua bonorum privatione mulctati sunt, hæc enim magis ad voluntariam saltem in causa sua, referenda est) & plerumque cum aliquo defectu & infirmitate conjuncta est, quo pauper se non potest sustinere labore suo: eaque vel malum est hæreditarium, quod homo è parentibus pauperibus prognatus sit, vel aliquando piis à Deo immittitur ob peccata, estque castigatio; vel ad experimentum fidei ac constantiæ ipsorum: estque exploratio & tentatio: ut *Job.* 1. vel aliquando est utrumque. Hæc nihil habet vitii; attamen est status maximè calamitosus & miserabilis in hac vita; &, perinde ut divitiæ, ex eorum numero est, quibus homines tam ad gloriam Dei uti, quàm ad suam perniciem abuti possunt.

XVI. Officia divitum sunt. Primum. *Officia divitum. Primum.* Divitiis suis non efferri nec superbire; 1 *Tim.* vi. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere.* Solent enim divitiæ animos addere; *Proverb.* xviii. 23. *Cum obsecrationibus loquetur pauper, & dives effabitur rigidè.* Nec etiam pauperes despicere: *Qui enim despicit pauperem, exprobrat factori ejus*, *Proverb* xvii. 5. & *Jacob.* ii, 3, 4. sed è contra, *glorietur dives in humilitate sua*, *Jacob.* 1. 10. Quia pauperi à Deo est æquatus respectu possessionis vitæ æternæ, ad quam obtinendum nullum habent momentum divitiæ, imò oneri sunt & impedimento, *Matth.* xix. 23.

XVII. Secundum. In divitiis fiduciam *Secundum.* suam non collocare, uti dives ille, *Luc.* xii. 17, 18. *&c.* sed in Deo vivo: 1 *Tim.* vi. 17. Unde *Psal* lxii. 11. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Rationes hujus officii sunt. 1. Quia divitiæ sunt incertæ, & momen-

momento pereunt: 1 *Timoth.* VI. 17. 2. Quia vitam hominis prorogare nequeunt, *Luc.* XII. 15. & egregiè exemplo divitis illustratur, *vers.* 19, 20. qui omnibus suis divitiis vitam ne unâ quidem nocte prorogare potuit. Econtra, Deus est *vivus*, id est, permanens ac æternus, ac proinde ad omnia sufficiens; præstatque nobis omnia abunde ad fruendum. Tandem fiducia hæc idololatriæ species est, *Eph.* v. 5.

Tertium. XVIII. Tertium. Divitiis non abuti ad luxum, uti dives ille epulo, *Luc.* XVI. 19. qui *induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Non enim quicquid per divitias possunt, licitum est: sed memores semper oportet esse & gravitatis & temperantiæ Christianæ.

Quartum. XIX. Quartum. Erga pauperes liberales esse, 1 *Tim.* VI. 18. cujus impedimentum solet esse luxus; uti in divite epulone apparet, qui quotidie lautè vivens pauperem Lazarum negligebat, *Luc.* XVI. 20. quicquid enim in luxum impenditur pauperibus distribui nequit. Commendatur hoc officium, *Luc.* XII. 33. *Vendite quæ possidetis, & date pauperibus.* 1 *Joan.* III. 17. *Si quis habuerit substantiam mundi hujus, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* & *Jacob.* II. 15, 16. Ratio est; quia non proprietarii sunt divitiarum, sed tantum illarum dispensatores, *Luc.* XVI. 1. *& seqq.* Et liberali distributione imitatores Dei sunt, qui beneficus est erga omnes, *Luc.* VI. 36. tandemque amplissimum liberalitatis suæ fructum à Deo reportabunt: 1 *Tim.* VI. 19. *Luc.* XII. 33. & XVI. 9.

Non tenentur divites omnia sua in commune conferre. XX. Sed an non tenentur divites omnes suas divitias in commune conferre, ad exemplum Ecclesiæ primæ Hierosolymitanæ, *Act.* II. 44, 45. & IV. 34, 35? Resp. Ex iis, quæ de paupertate spontaneâ dicta sunt, liquet, id divitibus præscriptum neutiquam esse. Exemplum illud Ecclesiæ Hierosolymitanæ fuit eximius quidam caritatis actus, pro constitutione Ecclesiæ illius à fidelibus tunc præstitus non ex vi præcepti alicujus: quod ex verbis Petri ad Ananiam liquet, *Act.* v. 4. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Nusquam etiam ejusmodi præceptum divitibus datum legitur. Sufficit ut pauperibus de necessariis prospiciant.

Quintum XXI. Quintum. Divitiis uti ad honorem Dei, in pios usus, & ad promotionem veræ religionis, atque ita eas convertere in instrumenta pietatis.

Pauperum officia Primum. XXII. Pauperum officia sunt. Primum. Honesto labore sibi victum comparare, 2 *Thess.* III. 12. *Ut cum silentio operantes, suum panem manducent.*

Secundum. XXIII. Secundum. Animum non nimis despondere, si Deus honesto ipsorum labori non videatur benedicere, nec murmurare adversus providentiam divinam; sed credere suas Deo constare rationes, paupertatemque hanc sibi à Deo immitti, aut ut irritamenta & illecebræ peccatorum sibi eripiantur, in quæ alias forte inciderent; aut ad fidei ac constantiæ suæ explorationem, uti Jobo immissa fuit, *Job.* I. & Paulo, 1 *Cor.* IV. 11. & 2 *Cor.* XI. 27. aut in castigationem, ut ita excitentur ad majorem pietatem & ardorem precum: cogitantes cum Lazaro, *Luc.* XVI. sibi amplissimam in cœlo reservari gloriam.

XXIV. Tertium. Non invidi esse erga divites, quasi æqualem sui Deus curam non habeat: nec etiam nimis affligi, etiamsi a divitibus vilipendantur; sed potius *gloriari in suâ exaltatione*, *Jacob.* I. 9. Quoniam ratione salutis æternæ divitibus à Deo sunt æquati; imò ad eam quærendam divitibus multo expeditiores, utpote divitiis non irretiti, neque iis tanquam pondere aliquo terræ affixi. Hinc Deus dicitur, *Jacob.* II 5. *pauperes in hoc mundo elegisse divites in fide.* *Tertium.*

XXV. Quartum. Non credere, divites, quoniam divitiarum tantum sunt dispensatores, sibi omnia debere, seque non teneri gratiam referre divitibus fideliter divitias suas distribuentibus. Imò potius, quia per divites tanquam suos dispensatores Deus dona sua ipsis communicare vult, etiam ut iis pro fideli dispensatione grati sint, tacite præcipere credendus est. *Quartum.*

XXVI. Quintum. Tandem, egestatem majorem non simulare, ut lautiores à divitibus eliciant eleëmosynas: species enim est fraudis. Nec eleëmosynis abuti ad intemperantiam: sic enim nullum paupertatis sentiunt levamen, sed mox in easdem se præcipitant angustias; & quod ad vitæ sustentationem est concessum, luxuriæ impenditur. *Quintum.*

CAPUT LXV.

De officio Sanorum & Ægrorum.

I. SAnorum peculiare officium est, vitæ sanctitatem non differre usque ad tempus morbi. *Ecclesf.* XVIII. 21. *Ante languorem humilia te*, &c. Primò. Quia incertum, utrum non subitâ sint exstinguendi morte. Secundò. Quia fieri potest, ut corripiantur morbo, qui omnem intellectûs usum exstinguit. Quorum alterutrum si contingat, ipsos in peccatis sine ulla pœnitentia mori necesse est, maximo cum salutis æternæ periculo. *Sanorum officium, vitæ sanctitatem non differre usque ad tempus morbi.*

II. Tertiò. Quia vix credibile est, hominem longâ consuetudine peccandi jam in malo obduratum, sese posse sincerè ac seriò convertere instante morte. Si enim grave fuit sancti- *Difficultas exuendi in ore vitatem peccati.*

consuetudinem. sanctitati operam dare, antequam peccatum altas egit radices; quæ spes peccati jugum excutiendi, quando homo longâ assuetudine tantum non in malo obduratus est? Inde inter miracula censetur, peccandi consuetudinem exuere, *Jerem.* XIII. 23. *Si potest Æthyops mutare pellem, & pardus maculas; & vos poteritis bene agere, qui assueti estis male agere.* Credimusne autem instante morte nobis ejusmodi miraculum faciendi facultatem superesse? Morbo gravati, nullam artem addiscere possumus: credimusne nos bene moriendi artem, nobilissimam ac difficillimam omnium, morte instante addiscere posse, quando sani ac mentis compotes debitâ operâ eam neglegimus? Et licet quis tempore morbi peccata sua defleat, & commissa doleat; rarò ejusmodi lachrymæ animi peccata sua verè detestantis indicia sunt; sed plerumque effecta conscientiæ accusantis, tribunalque divinum ac scelerum pœnam horrentis: lachrymæ istæ sunt Esavi lachrymarum similes, qui ejulabat, non quia gulæ suæ indulgens jus primogenituræ vendiderat: sed quia jam serò animadvertebat, sibi etiam benedictione divinâ esse carendum, *Gen.* XXVII. 34. & *seqq. Hebr.* XII. 17 Illiusque manifestum indicium est, quod si præter spem ejusmodi convalescere contingat, plerumque videamus eos ad eandem, imò majorem vitæ profanitatem relabi. Inde rectè; Pœnitentia sera, rarò vera.

Pœnitentia sera vix à Deo pro vera agnoscitur. III. Tandem incertum, utrum Deus seram ejusmodi resipiscentiam pro vera ac salutari agnitura sit. Si Euangelii leges consideremus, salutaris non est: exigit enim Euangelium novam creaturam, quæ exutionem veteris & indutionem novi hominis in se comprehendit; neque tantùm de peccatis dolorem, aut vitæ emendandæ propositum, sed & fructus resipiscentiâ dignos, voluntatis divinæ præstationem, sanctimoniam, atque ambulationem in luce, producit: *Eph.* IV. 22, 23, 24. *Matth.* III. 8. VII. 21. *Hebr.* XII. 14. 1 *Joan.* I. 7. Nec etiam, si pœnitentiæ illius naturam consideremus, ut pro verâ ac salutari agnoscatur æquitas jubet. Peccato enim, quousque gratum erat, illecebrisque suis animum sollicitabat, indultum est; in morbo autem, quando voluptate suâ hominem amplius allicere nequit, omnique seducendi vi destitutum est, de eo deserendo cogitationes suscipiuntur: hæc autem vera obedientia non est, quæ peccati, carni grati, abnegationem requirit: tales non dicuntur peccatum deserere, sed à peccato deseri; id est, non peccare, non quia amore Dei concupiscentias carnis coërcent, sed quia peccandi occasione & facultate carent. Iniquum autem est, ejusmodi pœnitentiam pro vera ac salutari agnosci. Iniquum est, florem vitæ diabolo consecrare, stipulam autem offerre velle Deo.

IV. Atqui dici solet, *Matth.* XX. 9. qui horâ undecimâ vocati sunt æquali cum vocatis horâ primâ donati sunt præmio. Resp. Qui à Deo horâ primâ vocati voci ejus obedire noluerunt, hor que demum undecimâ se ad laborem accingere parant (quales sunt omnes Christiani qui pœnitentiæ tempus ad vitæ finem differunt) cum vocatis horâ undecimâ neutiquam conferri possunt; sed similes sunt illis, de quibus Deus *Esa.* LXV. 2. conqueritur; *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas.* *Expenditur Matth. XX. 9.*

V Dices: Attamen, *Luc.* XXIII. 43. Dominus Jesus latroni se in cruce convertenti promittit, ipsum illo eodem die secum futurum in paradiso. Resp. Nihil est in hoc exemplo, cui ejusmodi resipiscentiæ suæ procrastinatores tutò inniti possunt. 1. Incertum est, utrum latro eo demum die conversus sit; an non potius antea doctrinâ & miraculis Jesu Christi convictus seriò de peccatis suis doluerit; nunc autem resipiscentiam suam apertè testandi primam nactus sit occasionem. Videtur id arguere ingenua ac rotunda ejus de regno Jesu Christi, cujus tum in cruce pendentis nulla apparebant documenta, professio. 2. Esto, eo demum die conversus fuerit: incertum an antea occasio se convertendi ipsi oblata fuerit; an non hic primus fuerit dies, quo ipsi salutaris Dei gratia apparuit? Quid ergo exemplum hoc commune habet cum iis, qui gratiam Dei sibi oblatam diu spreverunt? 3. Extraordinaria ejus fuit fides, cui similem jam in mundo non reperias. Aliud est credere in Jesum Christum, è mortuis suscitatum, in cœlos ad dextram Dei exaltatum, Dominumque ac caput omnium constitutum; aliud credere in eundem ut blasphemum condemnatum ac cruci affixum. Apostoli cum deseruerant, ipse Petrus ter eum abnegaverat; latro tamen eum agnoscit regem cœlestem. Mirumne ergo extraordinariæ isti fidei etiam extraordinariam concessam gratiam? 4. Tandem, supponamus omnia esse similia, non exemplis quibusdam extraordinariis, sed præceptis ac promissis Dei claris, quibus Novi Fœderis conditiones continentur, standum est. Quoniam autem nullum ejusmodi promissum exstat, quo in fine vitæ se convertentibus paradisus perinde ac latroni huic promittitur, periculosum valdè est, exemplo isti extraordinario confidere. Quomodo tamen æger ad Deum se convertens exemplo illo sustentari possit adversus desperationem, in sequentibus dicemus: nunc tantum sanis officium suum præscribimus. *Et exemplum latronis in cruce. Luc. XXIII. 43.*

VI. Ægris officium præscribit Apostolus Jacobus, *cap.* V. 14, 15. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:* &c. *Ægrorum officium.*

&c. innuens, illorum officium esse, precibus ad Deum confugere, aliorumque, imprimis Ecclesiæ presbyterorum preces pro se requirere. Peccant ergo, qui ad illicitas artes confugiunt, in iisque spem quandam repositam habent; qui figurarum quarundam magicarum ope, aut verborum nullum in se sensum intelligibilem continentium pronuntiatione, à morbis liberationem quærunt. Præterquam enim quod ea sit species superstitionis ac impietatis, in cultum Deo debitum directè impingens, uti antea ostendimus: etiam maximæ impatientiæ signum est; quòd homo, licitis ac honestis mediis morbi liberationem à Deo non obtinens, ad illicita se convertat.

Varia ægrorum distinctio.

VII. Sed ut distinctius ægrorum officia explicemus, ante omnia observandum, maximum esse officiorum discrimen, pro ratione vitæ quàm homo duxit. Vel enim fuit verè pius ac Dei timens; aut non admodum pius, nec tamen prorsus impius; vel planè à pietate alienus, sive impius.

Omnium commune officium, sui examen.

VIII. Homo itaque Christianam religionem profitens si in morbum incidat, accuratè animum suum explorare debet, vitamque anteactam examinare, ut exinde de statu suo certior reddatur. Examen hoc videtur duobus hisce absolvi posse. I. Utrum conscientiam suam rectè informare studuerit assiduâ lectione & meditatione verbi divini, adeo ut nullâ suâ culpâ ullius præcepti divini, ad salutem consequendum observatu necessarii, ignarus sit. 2. Utrum juxta conscientiæ ita ex verbo divino informatæ dictamen vitam instituerit, adeò ut conscientia peccatis voluntariis conscientiamque bonam vastantibus gravata non sit: an præterea imperfectiones & infirmitates suas seriò ac pro viribus emendare ac superare studuerit: an conscientiæ suæ testimonio plenè acquiescat in Deo, in cujus viis sincero corde ambulare studuerit. Estque hæc exploratio sui, non perfunctoriè, sed seriò & exactè, tanquam coram oculis Dei, omnia videntis intimosque cordis recessus rimantis, instituenda. *Hebr* IV. 13. *Jerem.* XVII. 9, 10.

Vere pii materiam habent consolationis.

IX. Si post accuratam sui explorationem æger se veræ pietati ex animo studuisse deprehendat, materiam veræ consolationis habet. Licet enim necesse habeamus orare semper, remitte nobis debita nostra; & cum Paulo dicere, 1 *Corinth.* IV. 4. *Nullius mihi conscius sum, sed hoc non sum justificatus; qui enim judicat me Dominus est:* tamen etiam cum Apostolo Joanne dicere possumus, 1 *Epist.* III. 21, 22. *Si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus ad Deum, & quic quid petierimus accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Forum officium primum patientia.

X. Officia itaque ejusmodi ægrorum sunt: Primò: Patienter ferre quicquid sibi à Deo immittitur. Sive enim causam efficientem, sive causam impulsivam respiciant, patientiæ suæ testandæ solidum habent fundamentum.

Respiciendo ad morbi causam efficientem.

XI. Causam efficientem norunt esse Deum, qui jure suo sanitatem potest eripere, quibus & quando vult: imò etiamsi promisisset se non erepturum, posset tamen extra ordinem eripere in bonum suorum. Omnia enim vitæ hujus promissa in Novo Testamento cum hac limitatione sunt accipienda, si eorum adeptio non officiat saluti nostræ æternæ. Deo itaque tanquam proprietario redditur depositum, quod ad tempus tantum nobis credidit. 2. Qui nusquam promisit se non erepturum, aut eam perpetuò conservaturum in piis. 1. Qui non obscurè significavit, se per variam crucem suos exercere velle, aut probandæ eorum patientiæ, aut eam coram aliis demonstrandæ, causâ: ut in Jobo apparet; aut etiam eos præmuniendi ne in peccatum incidant. Sic 2 *Cor.* XII. 7. Paulo datus dicitur angelus Satanæ qui ipsum colaphizet, ne se donorum excellentiâ efferret; qui nihil aliud fuisse videtur, nisi morbus quidam molestus â satana ipsi immissus. Vel etiam, ipsos erudiendi, vitam ipsorum fragilem esse ac caducam, floris instar; & umbræ ac vaporis, *Psalm.* CIII. 15, 16. *Job.* XIV. 1, 2. *Esa.* XL. 6, 7. *Jac.* IV. 14. &c. ac proinde illi nequaquam esse fidendum. Vel etiam vanitatem omnium quæ in mundo sunt clarè demonstrandi; constituendo ipsos ejusmodi in statu, in quo etsi omnibus mundi hujus voluptatibus abundarent, nullam ex ipsis delectationem percipere possent; imò quæ quantò majori aliàs sunt delectamento, tantò majori nunc sunt fastidio. Vel etiam tandem paulatim destruendæ eorum vitæ; uti enim omnibus constituit semel mori, *Hebr.* IX. 27. mortemque ultimum in hac vitâ relinquere hostem; ita mortis anteambulones, morbos, præcedere voluit.

Et impulsivam.

XII. Si impulsivam causam videant, ea erit, aut voluntas Dei: aut peccata ipsorum. Si voluntas Dei: Illa semper tendit in salutem nostram: Sed & sufficiens patientiæ testandæ fundamentum est, ita placere summo rerum arbitro, cujus nos in solidum sumus: illius voluntati non acquiescere, est ipsius imperium quasi limitare ac circumscribere velle. Vide exemplum Jobi, *Cap.* 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Davidis, *Psal.* XXXIX. 10. *Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Apostoli Pauli, 2 *Cor.* XII. 8, 9. Quin & ipsius Servatoris nostri, ita Patrem suum orantis, *Matth.* XXVI. 39, 40. *Si possibile est, transeat à me calix iste; non autem sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Si peccata ipsorum: Ea si sibi remissa esse sciunt,

sciunt, uti scire eos suppono, quia de verè fidelibus nobis sermo est, pro correctione divinâ morbos ex manu Dei accipiunt, 1 *Cor.* XI. 30, 31, 32. ac proinde amoris divini signo, *Apoc.* III. 19. *Hebr.* XII. 5, 6, 7, 8.

Patientia in doloribus. XIII. Dices: At sæpe doloribus multis longisque cruciantur. Resp. Esto; sed nunquam supra vires; 1 *Cor.* X. 13. Si sint graviores, Deus eos contrahet, ne sint diuturniores; si sint diuturniores, Deus eos mitigabit ne sint vehementiores. 1. In ipsis doloribus spiritus eorum pius precatur & intercedit pro iis, *Rom.* VIII. 26, 27. 3. Spe certâ gloriæ sustentantur, cum qua dolores hi nullo modo comparari possunt, *Rom.* VIII. 18. 2 *Cor.* IV. 16, 17, 18. 4. Prioris vitæ & pietatis recordatio iis magnum ad patientiam calcar est. 5. Tandem, exemplis sanctorum, qui gravioribus multò ærumnis ac doloribus exerciti fuerunt, quin & ipsius Servatoris Jesu Christi, per omnia tentati, ad patientiam excitari possunt.

Secundum, preces. XIV. Secundum officium est, ardentibus ad Deum precibus confugere, eumque delictorum veniam, & à morbis ac doloribus liberationem orare: *Jacob.* V. 13. *Phil.* IV. 6, 7.

Tertium, vitæ emendatio. XV. Tertium. Castigatione aut exploratione hac divinâ uti in sui emendationem, majoremque in fide ac pietate confirmationem: *Apoc.* III. 19. *Jacob.* I. 4. 1 *Petr.* I. 7. 1 *Cor.* XI. 30, 31, 32.

Officia moriturorum. 1. Orare delictorum veniam. XVI. Si verò videant statutum Deo esse, vitæ ipsorum finem imponere, officium ipsorum est se ad mortem præparare. Huc requiritur: Primò. Ut Deum orent omnium delictorum veniam, quibus humana nostra infirmitas facile obruitur; *Psal.* XIX. 13. & ut ad finem usque sibi Deus adsit gratiâ & auxilio Spiritus sui Sancti, ita ut, licet destruatur externus homo, interior tamen magis magisque renovetur, 2 *Corinth.* IV. 17.

2. Offensas aliis condonare. XVII. Secundò. Ut ex animo condonent aliis omnes offensas, cogitando quid & quantum ipsis remissurus sit Deus si salvi futuri sint: *Eph.* IV. 31, 32. *Coloss.* III. 12, 13. Sic Dominus oravit pro crucifigentibus se, *Luc* XXIII. 34. & Stephanus protomartyr ad exemplum Domini sui, *Act.* VII. 58.

3. Libere se ad mortem componere. XVIII. Tertium. Ut non inviti, sed sponte ac liberè ad mortem se componant, voluntatique divinæ se submittent. 1. Quia mors est naturæ depositum: *Hebr.* IX. 27. Hinc rectè *Syrach.* XIV. 12, 18, 19. 2. Ex hac lachrymarum valle eripiuntur, & à multis ac magnis periculis, quibus humana nostra sors subjecta est, multò autem magis fideles, liberabuntur: ac multa forte mala non videbunt, quæ eventura sunt bonis púsque in generali quâdam populi alicujus punitione: *Esa.* LVII. 1, 2. Exemplum habemus in filio Jeroboami, 1 *Reg.* XIV. 13. & in Josiâ rege, 1 *Chron.* XXXIV. 27, 28. 3. Quia ab omnibus hujus vitæ laboribus quiescunt, à certamine contra peccatum & diabolum, Deusque gratiosè ipsorum labori, approbato ut fideli, finem imponet, & ab omni seductionis periculo liberabit, cui, quamdiu vivunt, obnoxii sunt: *Apoc.* XIV. 13. *Requiescunt à laboribus suis.* Vide *Sapient.* IV. 10, 11, 12, 13, 14, 15. Et imprimis liberantur à gravibus illis tentationibus, quibus Deus martyres suos sæpe tentavit & exploravit, & ab afflictionibus, quas omnibus in genere discipulis suis prædixit: *Actor.* XIV. 22. 2 *Tim.* III. 12. 4. Quia quamdiu hic degunt peregrini sunt extra patriam suam, *Phil.* III. 20. *Hebr.* XIII. 14. 5. Quia spe beatæ resurrectionis sustentantur, adeo ut mortem non apprehendant ut malum, nec ut vitæ terminum; sed somnum placidum, ex quo ultimo die in gloriam suscitabuntur: tempusque resurrectionis, tanquam tempus mortem immediatè consequens, intermedium verò tanquam momentum apprehendunt; in morte enim, sicut in somno, non est duratio, aut apprehensio durationis brevis aut longæ: hinc conjunguntur, *Hebr.* IX. 27. Et quia in resurrectione nulla erit miseria, sed perfecta beatitudo, *Apoc.* XXI. 4. hinc fideles mortem, cujus aculeus nunc est extinctus, 1 *Corinth.* XV. 55. non horrent, sed liberationem è corpore servitutis desiderant, *Rom.* VIII. 22, 23. 2 *Cor.* V. 1, 2, 3, 4. *&c.* Inde & Paulus ait, *Phil.* I. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Atque ita spe gloriæ pleni in præmium sibi destinatum defixi hærent: ad exemplum Apostoli, 2 *Tim.* IV. 6, 7, 8.

XIX. Dices. Interim sæpe luctantur cum incertitudine salutis. Resp. Esto: aliud est incertum esse, aliud desperare. Nunquam desperant. Incerti verò esse possunt ex pio quodam affectu; quia fortasse non satis adhuc exploratum habent animum suum, an Deo credituri & firmiter adhæsuri fuissent, si extremis malis tentare eos voluisset: an præcepta Dei eâ fide, eo zelo, eâ curâ quâ par est observaverint, considerantes & dignitatem Dei quem colere tenentur, & vitæ æternæ ipsis promissæ præstantiam ac magnitudinem, an solidè & ardenter satis divinæ voluntatis cognitionem scrutati fuerint, &c. Unde fieri potest, ut cum Apostolo dicant; *Nullius rei mihi conscius sum, in hoc tamen non sum justificatus*, 1 *Cor.* IV. 4. Aliud autem est, nullius sibi mali, aliud omnis boni conscium esse. Hæ itaque cogitationes sæpe animi pii ac devoti sunt indicia, atque incitamentum esse possunt ad alacrius in sanctitatis curriculo pergendum; cùm persuasio perfectionis ingens *Quomodo sit superanda incertitudo salutis.*

gens ad eam sit impedimentum; quoniam nemo ad id aspirabit, quod se jam assecutum credit. Inde est, quòd fideles in media hac incertitudine semper pendeant à misericordia divina, eamque implorare non desinant, cum certa spe ac fiducia exauditionis. Ut autem eam planè superent, cogitandum ipsis est, se non subjectos rigidæ legi operum, sed fœderi gratioso sanguine Jesu Christi Servatoris, in remissionem peccatorum effuso, confirmato: in quo Deus patris instar (qui ad multa in liberis suis connivet modò promptus in ipsis paratusque animus sit ad ipsi obediendum) maximè respicit ad sinceritatem animi, & imperfectiones, si non adsit destinata malitia, libens condonat; obedientiamque exigit, viribus, à se gratiosè concessis, respondentem; eamque, licet nondum ad summum perfectionis gradum pervenerit, salutis æternæ præmio gratiosè est remuneraturus.

4. Curam suorum Deo committere.

XX. Quartò. Curam suorum, siquidem forte illa anxios eos habeat ac sollicitos, Deo committere debent, patrono orphanorum ac viduarum, qui & curam suorum gerit, judicatque præstare ipsos mori. Cura enim ipsis non demandatur, nisi durante hac vitâ animali. Cura ergo liberorum, quæ post mortem extenditur, non est necessaria. Imò eâ ipsâ curâ mortem fortassè præmaturam sunt redditurі; & sic, dum curare liberos volunt post mortem, non curant eos dum vivunt. Ac tandem, pone cura ista ipsis committatur, procul dubio eam prorogari vellent in nepotes & pronepotes, &c. at sic infinita erit. Interim monitis gravibus ad pietatem mutuamque concordiam suos exhortari debent; quæ plerumque tanquam ultimæ morientium voces, magno in pretio esse solent.

5. Animas suas Deo commendare.

XXI. Quintò Tandem spe resurrectionis pleni, animas suas Deo ut fideli creatori commendare debent, tanquam depositum in diem resurrectionis reservandum, rursumque corpori uniendum, 1 *Pet.* IV. 19. Juxta exemplum Servatoris, *Luc.* XXIII. 46. qui sicut in omni vita bene vivendi, ita & speciatim in morte nobis bene moriendi exemplar fuit: & Stephani protomartyris, *Act.* VII, 59. *Domine suscipe spiritum meum.* & Pauli, 2 *Tim* I. 12. *Scio cui credidi, & certus sum; quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

Æ. ri non vere pii officium.

XXII. Si verò æger vitam sectatus non sit verè Christianam, sed aut planè impiam, aut si non prorsus impiam, virtutibus tamen, quæ Christianam vitam à civili distinguunt, destitutam, ac quorundam peccatorum, quæ vitæ æternæ spem intercludunt, longâ assuetudine vitiatam, alia planè ejus sunt officia: materiam enim consolandi se non habet, sed dolendi; ac tantò quidem majorem, quantò longius à verâ pietate abest. Promissa enim salutis neutiquam sibi applicare potest. *Rom.* I. 18. II. 8, 2. VI. 23. VIII. 12, 13. 1 *Cor.* VI. 9, 10. & alibi..

XXIII. Quid ergo, dices, an de salute desperabit? Resp. Nequaquam. Multæ & magnæ sunt miserationes divinæ: extra ordinem aliquando concedit veniam & remissionem, fœderi suo non inclusam. Id videtur patere exemplo latronis in cruce se convertentis. Verum est, vidimus in hoc exemplo multa esse incerta & dissimilia: attamen frustra non videtur Spiritus Sanctus exemplum hoc conscribi voluisse; sed ut documentum nobis esset, Deum aliquando extra ordinem gratiam concedere in extremo vitæ articulo seriò se convertentibus, quæ tamen fœderi suo inclusa non est. Ad hanc confugere debet sincero corde. *Confugere ad misericordiam divinam.*

XXIV. Ut autem illius particeps esse, atque ita consolationem aliquam divinam ad se derivare possit, faciendum ipsi, quicquid in hoc suo statu potest. Ad id morbus ipse, tanquam apparitor divinus, ipsum vocat. Potest ergo & debet hæc facere. 1. Seriò ipsi deplorandum est, quod Deo non magis placere studuerit, dum potuit, dum occasiones varias habuit, dum sanitas, tempus, doctores, monitores, consultores, non defuerunt. 2. Propositum concipiendum est sanctum, sincerum ac firmum, coram oculis Dei jamjam ipsum judicaturi de mutando in totum vitæ genere, si vita prorsus impia fuerit; aut de emendandis vitiis assuetis, animoque hujus seculi amore plane exsolvendo, ut promptus atque expeditus sit ad sectandum cœlestia, siquidem vita & valetudo ipsi restituatur à Deo. Ut autem propositum sanctum & firmum sit, cogitandum. 1. Cui voveat; Deo nimirum, cordium & renum scrutatori, quique se derideri non patitur, *Gal.* VI. 7. 2. Quid voveat: rem satis arduam ac difficilem: seipsum enim & affectus suos vincere magnæ & excellentis virtutis est, præsertim postquam jam longâ assuetudine in peccato obduratus est. 3. Quo tempore votum illud concipiat; nim: quando mortem sibi instare credit, & post mortem horrendum Dei judicium. Inquirendum ergo seriò, an dolor ille reverâ non sit magis terror conscientiæ condemnantis, iratumque judicem timentis, quàm tristitia secundum Deum, peccatum tanquam rem Deo ingratam, exitiique causam, detestantis, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur. *Quid faciendum, ut illius particeps esse possit.*

XXV. Hisce bene expensis & examinatis, seriis & ardentibus precibus ad extraordinariam illam Dei gratiam confugiendum est, ab eâque unâ auxilium petendum, idque assiduè quantum morbi vis permittit: interimque omnia illa officia sunt præstanda, quæ in hoc suo statu ab ipso præstari possunt. *Et ut vere ad eam confugere possit.*

1. Po-

1. Piorum omnium preces sunt ambiendæ; juxta *Jacob.* v. 14, 15. 2. Promittenda vitæ in melius commutatio, si convalescat; & eum solummodò in finem sanitatis restitutio est ambienda, ut, quemadmodum antea vitâ profanâ ac impiâ nomen Dei contumeliâ affecit, aliisque scandalo fuit, ita nunc zelo ac pietate nomen Dei glorificet, aliisque exemplar sit sanctitatis ac caritatis. 3. Interim propositum hoc demonstrandum est omnibus quibus fieri potest modis, si forte Deo non videatur ipsi sanitatem restituere: Verbi divini audiendi desiderio: operibus caritatis; eleëmosynis in pauperes, si dives sit; misericordiâ erga eos qui injuriam intulerunt, cogitando, quantum sibi à Deo condonari necesse sit, siquidem salutem sit adepturus; veniæ postulatione ab omnibus quibus injuriam intulit, eâque sincerâ & ex animo profectâ: & tandem patienter ferendo omnes morbos, omnes dolores quos Deo ipsi immittere placitum, eam solum ob causam, quod sentiat ac fateatur graviora ac plura se meritum; si forte hac ratione Deum ad amorem ac misericordiam flectat: & potius clamandum cum Augustino, *ure, seca, hic me Domine, dummodo parcas mihi in futuro*; quàm dolendum, nedum murmurandum.

Quanta talis hominis esse possit fiducia.

XXVI. Dices. An hic animus, hoc propositum sufficit, ut fidere possit, se salutis æternæ fore participem, si forte moriatur? Resp. Sufficit ut non desperet, sed contra ut sperare & bono animo esse possit; præsertim cùm Deus promittat, justificare se velle credentes in Filium suum; cum primùm vid: accedunt ad religionem Christi, & propositum suum de religione Jesu Christi sectandâ testantur, etiam si nondum ex præscripto illius vixerint. Huc servire potest parabola de vocatis undecimâ horâ, *Matth.* xx. quia talium animus per spirituale Dei verbum est renovatus, pœnitentiæque opera edidissent, si Deus longiorem concessisset vitam. Verum quidem est, hoc esse discrimen inter hos, & illum, quod hi emendandi propositum concipiunt ante contemtam, ille vero post contemtam, aut saltem neglectam gratiam: hi sani & sponte, ille verò æger & quasi morbo coactus; ac proinde promissionem fœderis, quâ hi salvantur, illum propriè ac directè non respicere. Attamen summa illa Dei benignitas & misericordia erigere ipsum potest, ut similiter sperare possit, Deum extra ordinem & præter fœderis sui conditiones, sincerum ipsius propositum, non aliter atque actum obedientiæ ipsum coronaturum. Et licet spes illa tanta ac tam certa non sit, quàm eorum, qui piè secundum Euangelii præscriptum vixerunt; illi tamen proxima est, sufficitque ne in desperationem incidat.

CAPUT LXVI.

De Præceptis Jesu Christi ceremonialibus, seu Sacramentis.

Ceremonia a Christo instituta.

I. HActenus de virtutibus morum, quibus Christianæ vitæ sanctitas continetur. Restat, ut totam obedientiæ Christianæ rationem plenè tradamus, quædam addamus de ceremoniis, quas Dominus præceptis morum adjunxit. Quanquam enim cultus in Novo testamento nobis præscriptus sit cultus spiritualis, *Joan.* iv. 23, 24. *Rom.* xii. 1. oppositè ad cultum illum externum ritualem, in Lege olim institutum, cujus respectu *lex carnalis mandati* vocatur, *Hebr.* vii. 16. Placuit tamen Deo paucissimas quasdam ceremonias instituere, per quas fideles, tanquam visibilibus signis quibusdam, à sua parte ad cultum ac obsequium Dei obligarentur; & Deus à sua parte gratiam ac promissa sua tanquam sigillo quodam obsignaret; sicque tesseræ instar essent mutuæ inter Deum ac homines confœderationis.

Solent vocari Sacramenta.

II. Ritus hi communiter Sacramenta appellari solent: voce diu quidem in Ecclesiâ receptâ, Sacris tamen Scriptoribus incognitâ; & quæ, licet sano ac commodo sensu accipi possit, multis tamen disputationibus occasionem dedit, & superstitioni ac idololatriæ paulatim introducendæ inserviit. Progressu enim temporis disputari cœptum est de materia & forma horum Sacramentorum, de illorum effectu, de ministro Sacramenti administrandi, de convenientiâ & discrimine Sacramentorum Veteris & Novi Fœderis, aliisque: ac paulatim tantâ in veneratione haberi cœpta, tanquam si per excellentiam sacra essent, & vasorum instar sacra Ecclesiæ continerent, & tanquam instrumenta gratiam Dei conferant.

Vox ea non est à S. Scriptoribus usurpata.

III. Vocem Sacramentum, quæ Latina est, ab ipsis Sacris Scriptoribus, qui Græcè libros Novi Testamenti conscripserunt, non fuisse usitatam, res ipsa docet. Sed quæritur, an non in Novo Testamento occurrat vox Græca, huic æquipollens, quæque rectè ritibus hisce sacris designandis adhibeatur? Communis opinio est, talem exstare; nimirum μυστήριον. De utraque itaque voce videamus, an sint nempe æquipollentes, & an rectè ritibus hisce designandis adhiberi possint.

Quid significet μυστήριον.

IV. Μυστήριον propriè significat *rem arcanam*, à μύω claudo: Vel ab Hebræo מסתרים *latibula*, *absconsiones*, à סתר, *abscondit*, *occultavit*. Quod quidam varias hujus vocis significationes venentur, quia aliquando vox hæc attribuitur rebus profanis, aliquando sacris, aliquando etiam symbolicis, id planè

præter rationem est. Omnes enim illæ res ob unam eandemque rationem vocantur μυστήρια, quia sunt arcanæ seu absconditæ; sine ullo respectu, an sint profanæ, an vero sacræ. Quoniam itaque fieri potest, ut res quædam arcanæ sint etiam res sacræ, etiam res symbolicæ; sane ineptum videtur inde specialem hujus vocabuli formare significationem: sic enim omnia vocabula, præsertim adjectiva, pro diversis objectis seu substantivis quibus adjunguntur, quibusque communia sunt, multiplices sortirentur significationes: quod ineptum planè est.

Quid Sacramentum.

V. Sacramentum veteribus Latinis Scriptoribus longè aliud quid sonat, quàm vulgò Theologis hodiernis. Varroni Sacramentum significat oppignorationem pecuniæ à litigantibus factam in loco sacro, eâ conditione, ut victor pecuniam suam auferret, victus apud Pontificem relinqueret. Apud Festum, aliosque, significat juramentum militare, per sacrum quoddam. Deducitur à supino sacratum, uti à juratum, juramentum; & ratione illius etymologiæ significaret rem sacram, vel sacrantem, seu consecrantem. Theologi verò hodierni significationem aliam, ex antiquis illis aliquatenus deductam, sed & multum ab illis recedentem, excogitarunt. Reformati quidem per Sacramentum communiter intelligunt, rem arcanam sacram symbolicam, gratiam spiritualem signantem, & efficaciter obsignantem: Pontificii verò, ceremoniam initiantem & consecrantem hominem Deo; sive, signum rei sacræ sacrantis & initiantis hominem.

Non sunt voces æquipollentes.

VI. Ex hisce clarè patet, non esse æquipollentis significationis vocem μυστήριον & Sacramentum; & licet fieri possit, unam eandemque rem duobus hisce nominibus exprimi; longè tamen aliam ob rationem vocari Mysterium, quàm Sacramentum. Mysterium enim vocatur non aliam ob causam, quàm quia est arcana, sine ullo alio respectu ad alias quascunque ejus rei qualitates; uti ex omnibus Sacræ Scripturæ locis, ubi vox hæc occurrit, constat: Sacramentum autem vocatur, quia est res sacra, sine ullo respectu, utrum arcana, an revelata ac clara sit.

Voci Sacramenti nemo alligari debet.

VII. Nec admodum commodè vocibus his ritus hosce sacros exprimi, saltem neminem iis in doctrinæ Christianæ explicatione alligatum esse debere, constat. De voce Sacramenti dubitari non debet, quia jam ostendimus, eam non æquipollere voci μυστήριε, proinde Scriptoribus Sacris esse incognitam.

Vox μυστήριον nunquam in Scriptura de ritibus

VIII. Vox μυστήριον occurrit quidem in Sacris Literis; nunquam tamen ad ritus illos sacros indigetandos usurpata reperietur; sed semper applicatur rebus arcanis & occultis. Sic *Eph.* I. 9. *Coloss.* I. 27. *Rom.* XVI. 25. 1 *Tim.* III. 16. gentium vocatio *mysterium* vocatur præcedentibus seculis absconditum, quia Deus consilium suum de gentibus vocandis præcedentibus seculis non clare patefecerat. *Matth.* XIII. 11. vocantur parabolæ nondum explicatæ *mysteria*. 1 *Cor.* XV. 51. vocatur *mysterium*, quod non omnes dormiemus, sed omnes mutabimur; quia doctrina illa à nemine erat proposita, sed primùm per Paulum revelata. *Eph.* V. 31. conjunctio viri & mulieris in matrimonio vocatur *mysterium*; quia illud antea occultum fuerat, Deum per illam conjunctionem adumbrare voluisse intimam Christi conjunctionem cum Ecclesia. 2 *Thess.* II. 7. dicitur Antichristus jam tum operari *mysterium iniquitatis*; quia iniquitatem suam occultè operabatur. *Apoc.* XVII. 7. mentio fit *mysterii mulieris & bestiæ*; quia occultum erat, quid per mulierem & bestiam Deus designari voluerit. Atque ita omnibus aliis in locis, ubi vox hæc occurrit. Cùm itaque Dei solius sit, nomina rebus divinis imponere, neque Deus ritibus hisce nomen hoc imposuerit, sanè, qui religione quâdam ducti, ad evitandas multiplices, quæ inde exortæ sunt lites & contentiones, à voce *Sacramenti* & *Mysterii* abstinent, non sunt exagitandi tanquam importunè & præposterè religiosi; illi potius, qui alios vocibus istis ab hominibus aut excogitatis, aut saltem ad ritus hosce designandos absque prævio Spiritus Sancti ductu adhibitis, adstringere volunt, usurpatæ in conscientias aliorum dominationis reos se constituunt.

sacris accipitur.

Illique impropriè mysteria vocantur.

IX. Quin & impropriè admodum ritus hi sacri μυστήρια vocantur. Nihil enim in illis arcanum est. Aliud quidem sensibus exhibent, aliud menti repræsentant: sed illud semper in rituum horum administratione explicatur, adeo ut de eorum significatione nemo ambigere possit. Et fortassè appellatio illa *mysterii* occasionem dedit, ritus hosce adeo simplices ac planos variorum rituum & mysticarum significationum additione ita intricandi & obscurandi, ut jam in Ecclesia Pontificia nihil fermè cum primæva sua simplici institutione commune habeant. Quia enim nihil in illis videbant arcanum, & tamen nomen *mysterii*, procul dubio à sacris gentilium desumtum, ipsis imposuerunt, multa addenda fuerunt, & mysteria quædam conquirenda, ut nomen hoc aptè illis convenire possit. Id videre est in Baptismo, & præsertim in Sacra Cœna, prout hodie in Ecclesia Romana administratur. In Baptismo, adhiberi cœptæ sunt exorcizationes, aliaque Scripturæ incognita, ipseque pro instrumento regenerationis haberi. In Cœna, verba gratiarum actionis mutata sunt in verba consecrationis, quibus panis & vinum, miraculo inaudito, mutantur in ipsum Jesum Christum:

stum: ipsa Cœna, quæ quasi sacrificium est eucharisticum, quo nos Deo gratias agimus pro beneficiis nobis morte Christi partis, mutatur in sacrificium propitiatorium, quo Christi sacrificium quotidie repetitur, pro vivis simul ac mortuis: & tantâ in veneratione habetur, ut pretiosissimè ornetur, in templis ac thecis collocetur, quin & religiosissimè adoretur, &c. Hi sunt fructus, quando res externas nimiâ veneratione extollimus, illisque impositio nominum nimis augustorum sæpe occasionem præbet.

Quo sensu vox Sacramenti ut applicari possit.

X. Non tamen hæc dicimus, quasi nefas putemus voce Sacramenti uti. Nequaquam. Sed ut præmoneamus, vocem hanc non esse adeò commodam, uti plerisque creditur: & ne temerè condemnemus eos, qui religione quâdam ab eâ malunt abstinere. Interim appellatione illius vocis libenter utimur; significatione potissimùm desumtâ à militari jurejurando, quia sunt signa & quasi tesseræ quibus Deus promissionem suam, & Christiani obedientiam ac obedientiæ suæ professionem significant & testatam faciunt. Hanc esse propriam illorum naturam, ex eorum institutione & causis propter quas instituta sunt patebit.

Tria de Sacramentis tractanda.

XI. Multa de Sacramentis disputari solent. Nos omnem nostram dissertationem trium harum quæstionum ambitu concludemus. 1. De eorum origine, & causâ cur instituta sint. 2. De eorum naturâ, materia scilicet & forma. 3. De eorum efficaciâ.

1. Eorum ortus à sanctione fœderum.

XII. Sacramenta, uti diximus, sunt fœderis divini cum hominibus signa, ac veluti sigilla. Ut ergo eorum origo inspiciatur, sciendum, in fœderibus, quæ inter homines sanciuntur, olim adhiberi solitas ceremonias quasdam cum verbis solennibus. Sic à Romanis porcus est silice percussus. Apud Polybium, fecialis, sumto in manibus lapide, invocat, ut quomodo lapis ille ex ejus manibus decidit, sic ipse pereat, si quid in fœdere agat dolo malo, aut animo fallendi. Sic & Abrahamus cum Deo fœdus facit dissectis pecudibus, *Genes.* xv. 10. Ita & partes contrahentes fœderum tabulas utrimque sigillis suis communire solent. Id etiam obtinet in fœderibus privatis, præsertim quæ sunt majoris momenti & diuturniora, ut matrimonium, ad reciprocas promissiones & conventiones, quibus fœdera propriè continentur, accedere solet mutua pariter & reciproca fidei testificatio signo aliquo externo declarata; ut, traditio annuli, dextrarum junctio, &c.

Natura signorum quibus fœdera confirmantur.

XIII. Fœderum autem, & signorum ad eorum confirmationem adhibitorum natura talis est, ut partim inter se sint similia, partim dissimilia. Similia sunt: quia in unum eundemque scopum tendunt; nimirum, ut partium, inter quas fœdus initur, voluntates affectæ maneant inter se invicem convenienter conditionibus fœderis; atque partibus utrinque constet, reciprocas promissiones sincerè & ex animo esse factas, cum proposito præstandi, ut ita utrimque omnis dubitatio & fluctuatio contrahentium animis eximatur. Dissimilia sunt: quòd promissiones adhibentur ad fœdera contrahenda, & ultrò citròque conditionatè proponuntur, donec utrimque conventum sit; Signa autem non adhibentur, nisi fœdere jam confecto, & postquam de fœderis conditionibus conventum est, ut persuasio, quæ de utriusque partis voluntate promissionibus in fœdere generata est, additione signorum magis ac magis roboretur.

Fœdus novum cum hominibus.

XIV. Eandem rationem Deus in fœderibus suis secutus videtur. Ut de aliis fœderibus jam taceamus, de solo Novo Fœdere, per Dominum nostrum Jesum Christum sancito, dicemus. Fœdus ipsum constat stipulatione officii ab homine, & promissione Dei, quâ Deus, ex sublimi majestatis suæ fastigio quasi descendens ad homines, illis se obligat: & vicissim hominis restipulatione, quâ promisso divino fidem adhibet, seque obstringit ad officium à Deo stipulatum præstandum, ut promissionis divinæ particeps fiat. Hæc fœderis divini cum homine est formula. Officium, quod ab homine Deus exigit, est fides in Jesum Christum, & vitæ in melius emendatio, cum perpetuo studio sanctitatis. Promissio, quâ se Deus homini obligavit, est concessio gratiæ ad obediendum Deo sufficientis; &, si gratiâ illâ rectè utatur debitumque Deo officium præstet, remissio peccatorum, resuscitatio ex morte, & vita æterna.

Signa quibus id confirmatur.

XV. Ut autem infirmitati hominum occurreret Deus, voluit morem in fœderibus humanis usitatum quasi imitari. Instituit nempe ritus quosdam, ut sint tanquam signa visibilia, quibus homines de fœderis conditionibus confirmarentur. Nam à parte Dei sunt quasi pignora, quibus testatum facit, se gratiam, quam in fœdere promisit, non minus certò exhibiturum, quàm signum illud visibile administrari curat: ex parte hominum rationem habent novæ cujusdam obligationis, quâ officii vinculum promissione colligatum arctius adstringitur. Unde & pars sunt officii humani; quia Deus ad cultum spiritualem, quem in fœdere exigit, etiam hanc obligationis testificationem per ritus hosce adjungi præscribit.

2. Materia Sacramentorum, res visibilis.

XVI. Materia Sacramentorum est res sensibilis. Sunt enim Sacramenta quasi pignora, quibus Deus nos de promissorum suorum præstatione confirmatiores reddit. Quoniam autem bona à Deo promissa, quæ fide apprehenduntur, sunt res invisibiles; requi-

requiritur ut pignora illa, per quæ Deus promissa hæc nobis adumbraturus est in majorem fidei nostræ confirmationem, sint res visibiles: præsertim cum ea sit natura humana, ut nihil ferè quicquam in mentes nostras insinuetur, nisi ope & interventu sensuum externorum. Et quia res invisibiles, quæ fidei objectum sunt, nisi continuâ mentis intentione repræsententur, facile in oblivionem abeunt, & vim movendi quam habent amittunt: hinc per signa visibilia & in sensus incurrentia, continuò eorum memoria renovari ac confirmari debet.

Res illa sunt signa ex instituto.

XVII. Signa autem alia sunt à naturâ, alia ex instituto. Priora non sunt hujus loci. Quæ verò ex instituto ad rem aliquam significandum adhiberi solent, duplicia sunt. Vel habent cum eâ naturalem aliquam analogiam, ita ut ab ipsâ rerum naturâ videatur quædam ex similitudine facta esse connexio: vel sunt ad id repræsentandum omninò à naturâ indeterminata. Priora expressiùs significant & luculentiùs repræsentant rem, quàm posteriora; quia ob similitudinem, quam cum re habent, aliquatenus à naturâ ad ejusmodi significationem videntur esse destinata. Deus itaque, qui per Sacramenta rem spiritualem plenissimè adumbrare voluit, etiam ejusmodi signa in Sacramentis adhibuit; quia quanto plura in signo sunt ad rem repræsentandum, tanto signum melius est & convenientius ad significandum: illaque inter rem & signum analogum convenientia, non tantum est ex mero instituto; sed ab ipsâ naturâ videtur ex similitudine illâ quædam facta esse connexio, quæ suadet hoc signum præ alio eligendum fuisse.

Et forma vis significativa.

XVIII. Forma Sacramentorum consistit in vi significativa. Nam licet inter signum & rem signatam sit analogia quædam naturalis, ea tamen vaga est & indeterminata, & nunquam rem illam significasset, nisi Deus signum illud instituisset, ut ejusmodi designationem haberet. Aliàs multa essent in rerum naturâ sacramenta, quæ similiter, si Deo placuisset ea adhibere, eandem cum re significatâ analogiam habuissent. Forma itaque Sacramenti est, quod ex instituto divino significationem habeat rem, cujus id signum Deus esse voluit, significandi. Signa autem alia sunt *μνημονευτικά*, alia *σημαντικά*, alia *ἐπισφραγιστικά*. In Sacramentis omnia hæc observanda sunt: redigunt enim nobis in memoriam rem præteritam, ut Cœna: designant rem futuram, aut etiam præsentem; sed spiritualem & oculorum aciem fugientem; ut Baptismus; & rem quam indicant obsignant à Deo datam & dandam, officiumque, quod eò testamur, à nobis, implendum, vel jam impletum & porrò implendum: ut utrumque.

Figurata locutiones.

XIX. Ex arctissimâ hac signi cum signato (quæ ex analogiâ & significandi vi existit) conjunctione, variæ sunt in Scripturâ & Sacramentis usitatæ figuratæ locutiones; ut cum nomen rei signatæ signo tribuitur; ut *Matth.* xxvi. 26. & alibi. De quibus plenius in sequentibus dicetur.

Forma non sunt certa quadam verba consecrantia.

XX. Notandum autem hîc contra Pontificios, formam Sacramentorum non esse certa quædam & determinata verba, quæ non tam instruant circumstantes, quàm consecrent & sanctificent elementum: ut in Baptismo: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* In Cœna: *Hoc enim est corpus meum.* Nam 1. Nusquam Dominus Jesus nos horum verborum usui in Sacramentorum administratione alligavit, aut præcisum horum verborum usum præscripsit. 2. Non sunt ea verba consecrantia elementum, sed commemorantia tantum, ad circumstantium institutionem, quem in finem ritus ille adhibeatur, & à Deo institutus sit. Si tamen quis id consecrationem velit appellare, quia per verba illa, res per se vaga & indeterminata, declaratur esse signum rei quam Deus per illam adumbrare voluit, nihil repugnabimus, neque de voce contendemus; modò ne verborum illorum usurpationi virtutem aliquam propriè dictam in ipsum elementum, illud transmutandi, aut vim aliquam spiritualem communicandi, uti in Ecclesia Pontificia fit, adscribamus.

3. Efficacia. De eo sententia Pontificiorum.

XXI. Quod Sacramentorum Efficaciam attinet, de eâ magna & acris Pontificios inter & Reformatos quæstio est. Statuunt Pontificii Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, id est, vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo ad id institutæ, non ex merito agentis & suscipientis: adeò quidem, ut voluntas, fides, & pœnitentia in suscipiente adulto necessariò requirantur ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causæ activæ: non enim fides & pœnitentia, secundum ipsos, efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam sacramento; sed tollunt tantum obstacula, quæ impedirent, ne Sacramenta suam efficaciam exercere possent: prout hæc explicat Bellarminus *lib.* 2. *de Sacram: cap.* 1. Ut autem sententia hæc melius percipiatur, inspiciendum quod dicit *cap.* 8. Duplicia esse signa; quædam theorica, in nullum alium finem instituta, quàm ad significandum: alia practica, ad significandum & efficiendum aliquid. Hæc autem differre; quod priora nihil immediatè & vi sua operentur, sed solùm repræsentent objectum; & si forte sequatur effectus aliquis, is non sequatur ex vi illius signi, sed aliunde: posteriora vero immediatè operentur & sua virtute; uti sigillum; quod non tantum repræsentat imaginem, sed etiam imprimit ceræ. 2. Priora

ra adhibeantur non nisi intelligentibus: posteriora etiam rebus inanimis & non intelligentibus; ut Josua *cap.* x. soli imperavit; Dominus etiam morbis, mari, ventis, &c. Posterioris generis signa dicit esse Sacramenta.

Illa refutatur. XXII. At sententia hæc quam maximè est absurda, & Scripturæ Sacræ adversa. 1. Hinc enim sequetur, Sacramenta immediata sua vi in nobis operari & efficere, tanquam instrumenta, justificationem. Atqui Scriptura nunquam id tribuit Sacramentis, sed semper fidei & sanctimoniæ, uti passim videre est. Non quod fides & sanctimonia justificationem operentur, ea enim Dei actus est; sed conditio sint quam Deus ab homine stipulatur, & quâ præstitâ justitiam homini imputat: hinc est quod per fidem justificari passim dicamur. Nusquam autem affectus iste Sacramentis adscribitur. Quin imo negat expressis verbis Petrus, 1 *Epist.* III. 21. externum Baptismum nos salvare, sed interrogationem bonæ conscientiæ, per Baptismum adumbratam, per quam appropinquamus Deo. 2. Sacramenta rectè adhiberentur non intelligentibus; quod Bellarminus concedit, imò urget, dicens, ritè baptizari infantes, surdos, amentes, dormientes, &c. Quin & rebus inanimatis; quod etiam Ecclesiæ Romanæ praxis confirmat, in qua campanas baptizari, & per baptismum consecrari, usitatum est. De infantium baptismo postea dicemus. Quod de amentibus & dormientibus addit, ineptum est. Campanarum verò aliarumque rerum inanimatarum baptismus insulsus est & profanus: uti plenius constabit, quando Baptismi naturam sumus explicaturi. 3. Fieri non potest ut Sacramenta, quæ sunt res crassæ & materiales, ad animum penetrent, ibique quasi creando ingenerent divinam & supernaturalem virtutem, idque momento: neque intelligi potest, qualis ista Sacramenti virtus esset, aut in quâ ejus parte hæreret, aut quando operaretur. Similitudo, quam à sigillo Bellarminus ducit, planè præter scopum est. Nam sigillum ipsum, quod imaginem ceræ imprimit, non est munimentum diplomatis regii, neque signum, sed ipsa imago per sigillum ceræ impressa: illa autem aliud menti nostræ repræsentat, quam oculis exhibet, confirmationem nimirum diplomatis regii. Est ergo ex Bellarmini sententiâ signum theoricum. Signa, quæ adhibita dicit rebus non intelligentibus, similiter theorica fuere in gratiam intelligentium adhibita, ut de missione divinâ Jesu Christi certiores redderentur. 4. Omnes illi, qui nullâ sua culpâ Sacramento carent, ut infantes qui absque baptismo moriuntur, aut fideles adulti qui inter infideles degunt, & facultate Sacramentis utendi sunt destituti, tanquam non justificati in æternum essent damnandi: quod absurdissimum est, & ab omni ratione alienum.

XXIII. In contrarium tamen quædam ex Scriptura objicere solent. Ac primò quidem, quod Joannes dicat, *Matth.* III. 11. Dominum *baptizaturum in Spiritu Sancto & igne.* Resp. Non loquitur Joannes de externo baptismo aquæ, sed de effusione Spiritus Sancti in Apostolos, quæ, quia copiosa admodum fuit, per assimilationem baptismus vocatur. Interpretationis hujus veritatem evincunt ipsa Domini verba, *Act.* I. 5. ubi Apostolis Spiritum Sanctum promittens, eadem hæc verba usurpat: *Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Uti & *cap.* XI. 26. *Refutatio objectionis ex Matth. III. 11.*

XXIV. Secundò objiciunt verba Domini, *Marc.* XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvabitur.* Fidem itaque non sufficere ad salutem, nisi accedat baptismus. Resp. Ex sequentibus patet, baptismum non ejusdem esse necessitatis atque fidem; quia additur, *Qui verò non crediderit, condemnabitur:* nullâ omissionis baptismi mentione factâ. Quod vero baptismus fidei adjungatur, non est, quia ipsa sua susceptione gratiam quandam spiritualem in homine operetur, aut eum regeneret: sed quia officii nostri est, fidem nostram susceptione baptismi, ex mandato divino, testari. Adeò ut baptismus hîc externam fidei professionem denotet, baptismo, tanquam signo solenni ac conspicuo, testatam. Docet itaque Dominus, ad salutem non tantum fidem, sed & ejus professionem præcepto divino consentaneam, & ritu divinitus ad id instituto expressam, requiri. *Ex Marc. XVI. 16.*

XXV. Tertiò. *Joan.* III. 5. dicitur, *Nisi quis renatus sit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.* Resp. Non est ibi sermo de baptismo, sed de regeneratione. Illa autem dicitur fieri *ex aqua & spiritu*, figura loquendi ἓν διὰ δυοῖν dicta: ita ut *aqua & spiritus* sit aqua spiritualis, vel potius spiritus, qui aquæ instar nos à peccatorum sordibus purgat: *vers.* enim 8. solius spiritus, ex quo homo natus sit, mentionem facit. Et alibi per aquam spiritus & spiritualis doctrina intelligitur; *Joan.* IV. 10, 14. VII. 38, 39. *Ex Joan. III. 5.*

XXVI. Quartò. *Tit.* III. 5. baptismus vocatur *lavacrum regenerationis.* Resp. 1. Posito Apostolum hic respicere baptismum, non tamen sequeretur, baptismum regenerationem in nobis efficere: sed figurata foret locutio, qua signatum ponitur pro signo, propter arctissimam inter utrumque connexionem: Baptismus itaque hoc sensu vocaretur *lavacrum regenerationis*, quia Baptismi lavacro regeneratio adumbratur & signifi- *Ex Tit. III. 5.*

gnificatur. 2. Negamus de Baptismo sermonem esse; sed de ipsâ regeneratione. *Lavacrum* itaque *regenerationis* ipsam denotat regenerationem quæ lavacri instar est; eâdem phrasi, quâ *corona gloriæ*, *corona vitæ*, &c. vocatur gloria ac vita quæ coronæ instar fidelibus in futuro seculo dabitur. Vocatur autem regeneratio lavacrum, quia lavacri instar nos à peccatorum sordibus purgat. Eodem modo & *Eph*. v. 26. dicitur Dominus Ecclesiam suam *Mundare lavacro aquæ in verbo vitæ*: quia eam per verbum vitæ à peccatorum sordibus purgat, non aliter atque corporis sordes lavacro aquæ mundari solent.

Ex Act. 11.11. XXVII. Quintò. *Act.* II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: Cui similis est *cap*. XXII. 16. Utroque in loco remissio & ablutio peccatorum Baptismo adscribitur. Resp. Id non fit, quia Baptismus instrumentum est, quo Deus remissionem peccatorum confert; sed quia homines per Baptismum fidem suam & resipiscentiam testantur, ut remissionem peccatorum consequantur. Remissio enim peccatorum in sententia Dei condonantis consistit; neque tribui potest externæ alicui ceremoniæ, nisi sub ratione signi externi, remissionem illam adumbrantis. Baptizamini ergo in remissionem peccatorum, tantumdem est, atque recipite Baptismum quo Deus remissionem peccatorum obsignat; & persuasi estote, vos per pænitentiam & fidem in Jesum Christum tam certò remissionem peccatorum consecuturos, quàm aquâ corpus vestrum abluitur.

Et ex 1 Cor. X. 17. XXVIII. Sextò. I *Cor*. x. 17. *Unum corpus multi sumus; omnes enim de una pane participamus*. Resp. Non dicitur quòd panis nos, qui multi sumus, unum facit; sed quia per fidem in Christo capite nostro uniti unum sumus, in unitatis illius testificationem unius panis participes sumus. Non itaque panis est causa unionis nostræ spiritualis; sed unio spiritualis causa est, quod unius panis participes sumus, &, hac participatione unionem nostram testamur.

Sententia Contraremonstrantium. XXIX. Contraremonstrantes autem, qui hanc Pontificiorum sententiam rejiciunt, valdè etiam intricatè sententiam suam proponunt, nec distinctè satis concipi potest, quid sibi velint. Ajunt, Sacramenta esse signa visibilia externa, quæ ex instituto Dei non tantum significant, sed & exhibent & obsignant promissa divina, & quidem modo relativo & sacramentali, quo tamen res ipsæ verè exhibentur & obsignantur fidelibus, sed modo spirituali percipiendæ.

Ea expenditur. XXX. Verum explicari non potest, quis sit ille modus relativus sacramentalis spiritualis, distinctus à significatione, tum physica, qualis est signorum quæ practica Bellarminus vocat: tum morali, qualis est theoricorum, & quæ oritur ex sola significativa virtute Sacramentorum. 2. Signum, quà tale, non potest fieri instrumentum, seu medium, exhibens rem signatam, nisi vi suæ significationis quam habet. 3. Qui signa illa usurpant, jam antea de gratia promissa apud animum suum sunt persuasissimi; imò idcirco signa illa usurpant, quia persuasi sunt; & nisi persuasissimi essent, signa illa nec usurpare vellent, nec legitimè possent: Ergo non concurrunt ut instrumenta exhibitiva gratiæ illius.

XXXI. Restat ergo, ut dicamus, Deum gratiam suam per Sacramenta nobis exhibere, non eam actu per illa conferendo; sed per illa tanquam signa clara ac evidentia eam repræsentando & ob oculos ponendo: non eminus aut sub figuris quibusdam, tanquam multo post futuram, sed tanquam præsentem: ut ita in signis istis, tanquam in speculo quodam, exhibitionem illam gratiæ, quam Deus nobis concessit, quasi conspiciamus. Estque hæc efficacia nulla alia quam objectiva, quæ requirit facultatem cognitivam ritè dispositam, ut apprehendere possit illud, quod signum objectivè menti offert. *Vera eorum efficacia.*

XXXII. Hinc videmus, quomodo Sacramenta in nobis operentur, nimirum tanquam signa repræsentantia menti nostræ rem cujus signa sunt. Neque alia in illis quæri debet efficacia. Sic Sacramentum confirmat fidem; quia magis persuadet veram esse promissionem, cui confirmandæ comparatum est: quia sigilli instar est, quo Deus promissum suum verbo testatum visibili quodam signo confirmat, nosque certos reddit, se nos fœdere suo comprehendisse; seque à sua parte promissis staturum, si nos officio nostro non desimus. Nam licet in Sacramento res quæ promittitur futura spectetur, promissum tamen est præsens, & res futura ita spectatur, ut Sacramentum fermè eam repræsentet. Sic & pignoribus & arrhis apud homines etiam rerum ipsarum aliqualis traditio fieri censetur. Præterea à parte nostra fovent pietatem erga Deum, quia est obligatio, ad officium faciendum, & instar militaris juramenti. Est itaque obligatio quædam voti & jurisjurandi, quæ accessit stipulationi quæ per verbum fit; ac proinde arctius stringit ad officium faciendum: quia pœnæ metus longè major & præsentior esse debet, si quis jusjurandum & sacramenti vim dissolvat, quàm si nudam officii sponsionem obliviscatur. *Quà ratione in nobis operentur.*

XXXIII. Hinc intelligi facile potest, quid judicandum sit de charactere illo, quem Pontificii quorundam Sacramentorum, Baptismi sc: Confirmationis, & Ordinis, effectum constituunt. Sanè si illarum virtutum habitum, quæ in recipiente Sacramentum requiruntur, & in quarum amore legi- *Excutitur sententia Pontificiorum, de charactere indelebili.*

tima

tima Sacramentorum usurpatione confirmamur, characterem appellare velint, non multum repugnabimus. Maximum enim est inter eos, qui fœdere divino continentur, & eos exclusi sunt, discrimen. Secundò; aptos idoneosque reddunt in amore Dei magis proficiendi, quia gratiæ divinæ participes facti, illiusque sigillo quasi obsignati, & in militiam Jesu Christi jurejurando quasi militari adscripti, promptiores & alacriores redduntur ad officium, Sacramento tanquam visibili quadam tessera ipsis promissionem quasi continuò repræsentante ejusque memoriam iterante, atque ita ad officium extimulante. Postremò ritus hi externi altè inhærent animæ facultatibus, neque facile eorum memoria obliteratur. Sed verò ineptum est Sacramentis tribuere vim imprimendi animæ signum aliquod spirituale, quod character appellatur, qui non sit relatio, sed absoluta qualitas, & indelebilis, cujusque officium sit, aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo, & distinguere ab aliis. Nam animæ substantiæ nihil indi potest, nisi interventu facultatum: Atqui per Sacramenta nihil animæ facultatibus indi potest, nisi id, cujus significandi vim Sacramenta habent. Tum, quæri potest, si Sacramenta ejusmodi characterem imprimant, cur ille trium tantum Sacramentorum, non omnium effectum sit? Fatetur Bellarminus, difficile esse à priore illius reddere rationem; & rationes quas allegat futiles sunt, & nullius momenti, ideoque liquet, id tantum pro arbitrio effictum esse; quia nempe decreverunt ejusmodi Sacramentorum repetitionem non posse fieri, etiam illis characterem indelebilem imprimendi vim attribuerunt.

Occurritur objectioni. XXXIV. Eum tamen ex Scriptura probare contendunt: quia dicimur obsignati Spiritu promissionis Sancto, 2 *Cor.* I. 22. *Eph.* I. 13, 14. IV. 30. Verum non respicit ibi Apostolus Baptismum, aut alium ritum quemcunque externum; sed agit de obsignatione per Spiritum Sanctum, qua Deus nos, sincerè in Filium ejus Jesum Christum credentes ipsique obedientes, Spiritu Sancto tanquam pignore & arrhâ de promissorum suorum impletione certos reddit, promissaque sua validissimè obsignat. Sensus itaque est: Vos, postquam credidistis, Spiritu Sancto intus signati estis, eoque Deus vos certos ac persuasos reddit de promissorum suorum impletione, & futura ex morte liberatione in vitam æternam. Non est autem ille character indelebilis; sed sicut fidelibus conceditur; ita, si deficiant & ad impietatem relabantur, eo rursus privantur: ideo monet Apostolus, *Eph.* IV. 30. *Ne contristamini Spiritum Dei Sanctum quo obsignati estis:* docens, fieri posse ut homo eum contristet, atque ita ab homine recedat.

XXXV. Non necesse arbitramur prolixè hic de Sacramentorum numero disputare. Quoniam enim per Sacramenta intelligimus ritus quosdam externos à Domino Jesu institutos, quibus tanquam sigillis & signis visibilibus fœdus novum obsignat, manifestum est, alia non esse Sacramenta, præter ritus, quos Dominus in Ecclesia observari præcepit. Illi autem sunt duo, Baptismus & Sacra Cœna: de quibus jam dicturi sumus. Quod alia Sacramenta à Pontificiis efficta attinet, ea à Domino non instituta, sed præcepta esse merè humana, inanemque redolere superstitionem, in sequentibus ostendemus. *Sacramenta sunt duo.*

CAPUT LXVII.

De Baptismo.

I. Ritus à Domino Jesu instituti, seu Sacramenta, duo sunt, Baptismus & Sacra Cœna. In horum rituum externorum institutione Dominus Jesus rationem habuisse videtur moris inter Judæos & Gentes usitati. Nam, ut rectè quidam observant, nullum novum ritum Dominus Jesus instituit, sed ritus jam usitatos aliquantum mutavit, & ad religionem suam accommodavit. Quod in utroque, Baptismo vid: & Cœna, videre est. *Ritus sacri instituti sunt ad morem jam olim receptum.*

II. Moris erat Judæis, eos, qui falsorum Deorum cultu deserto ad cultum unius veri Dei accedebant, ita tamen ut non circumciderentur, æquâ abluere: per hunc ritum testantes, se relictis idolis Deo vero velle servire secundum leges divinas Noacho & toti humano generi datas. Quod si & populo Israëlis inseri vellent, & Legis Mosaicæ esse observatores, fruique privilegiis populo illi peculiaribus, circumcidebantur: sed si ab idolis convertebantur, etiam aquâ lavabantur. Idemque mos & hodie inter ipsos obtinere dicitur, si quis à Persis, Ismaëlitis, aut Turcis ad ipsos accedat. Inter gentes etiam obtinuit, ut qui initiari vellent toto corpore abluerentur: hoc ritu procul dubio testantes propositum innocentiæ. Ad istum modum & Joannes Baptista jussu divino ritum hunc administravit inter Judæos, ut ostenderet ipsos moribus esse corruptissimos, vitæque emendatione non minus egere, quàm profanas gentes & idololatras. Postea & Dominus Jesus eodem fine eum usurpavit, & usurpari voluit, tam inter Judæos, quam Gentes: sed addit & nominis sui, & Spiritus Sancti professionem. *Quod ostenditur de Baptismo;*

III. Eadem est ratio institutionis Sacræ Cœnæ. Mos erat Hebræis diebus festis invitare propinquos aut vicinos, supra decem, infra viginti. In cœnæ fine panis melior ac fractu facilis adferebatur: eum convivator frangebat, *Et Cœnâ.*

gebat, ac particulas distribuebat convivis. Adferebatur & calix, ex quo omnes, convivatore præeunte, bibebant: addebantur & verba, quibus Deo gratiæ agebantur, quòd creasset panem ex terra, & fructum vitis: præterea historiæ diéi solemnitati respondentis grata commemoratio, ac tandem hymnus in laudem Dei; in Paschate pro liberatione ex Ægypto; in Pentecoste pro data Lege; in festo Tabernaculorum pro alimentis & ductu per desertum. Dominus Jesus, Cœnam instituens, etiam ritus hosce observasse videtur, sed adjecit mortis suæ cruentæ commemorationem: & postea ritus ille ab Apostolis usurpatus est aliquamdiu, ut primò convivia, quæ agapas vocabant, præmitterentur, in quibus ante commemorationem mortis Christi Deo etiam gratiæ agebantur pro creatione mundi.

Rituum similitudo cum Circumcisione & Agno Paschali. IV. Ex quibus liquere videtur, ritum Baptismatis aliqualem cum Circumcisione, & ritum Cœnæ cum agni Paschalis comestione analogiam habere. Non tamen Circumcisionis ritus statim fuit abolitus; sed in populo Judaïco aliquamdiu adhuc usurpatus & toleratus; donec destructo populo & regione Judaicâ etiam de Legis Mosaicæ abrogatione sufficienter populus instructus esset. Inter gentes verò, quæ nunquam ceremoniis Legis Mosaicæ fuere adstrictæ, solus Baptismus administratus semper fuit.

Quid sit baptismus. V. Baptismus itaque est ritus Novi Testamenti, quo fideles immersione in aquam, tanquam sacrâ tesserâ, confirmantur de gratiosa Dei erga ipsos voluntate, remissione peccatorum ac vita æterna; seque ad vitæ emendationem præceptorumque divinorum obedientiam obstringunt.

Aqua baptismus à Domino Jesu est præceptus. VI. De hoc primò quæritur, an Dominus Jesus externum illum aquæ Baptismum instituerit, seu in Ecclesia sua observari præceperit? Et, si instituerit, an præceptum istud aquâ baptizandi etiam hodie Christianos obliget? Negativam tuetur Faustus Socinus, edito speciali tractatu de Baptismo aquæ: Nos utriusque quæstionis affirmativam.

Id probatur ex Matth. XXVIII. 19. VII. Quod itaque primam quæstionem attinet, Baptismum aquæ à Domino Jesu esse præceptum, probamus. 1. Expressum aqua baptizandi exstat præceptum, *Matth.* XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Excipitur, *Baptizare* ibi non significare aqua abluere; sed, initiare in doctrina, & mysteria salutis docere. Resp. Coacta est hæc expositio, & textui non conveniens. Sic enim Dominus Jesus ineptâ quadam tautologiâ ter idem dixisset: Docete omnes gentes, bapitizate, id est, initiate eas in Doctrina & docete mysteria salutis: & tandem, docete eas observare quæcunque præcepi vobis. Dices. Nulla est tautologia: quia μαθητεύειν non est propriè docere, sed discipulos facere; quodque primò unicâ voce generali Dominus comprehendit, postea duabus distinctè & per partes proponit: Discipulos facite, & quidem hac ratione; docete eos mysteria salutis (quod est *baptizate*) & præcepta vitæ. Resp. Non poterant discipulos facere, nisi docendo. 2. Per institutionem illam discipuli ad fidem adducebantur, antequam baptizarentur; *Marc.* XVI. 15, 16 Hinc & *Joan.* IV. 1. Dominus faciebat discipulos, & tum baptizabat, non quidem ipse, sed per discipulos suos. 3. Nusquam in Scriptura Baptismus doctrinam significat. Obj. Joannis doctrina vocatur *baptisma*, *Act.* XVIII. 25. XIX. 3. Resp. Doctrina Joannis baptisma vocata fuit, cum respectu ad externum aquæ baptismum, quia adjunctum sibi habebat baptizandi ritum, quo tota Joannis doctrina plenissimè adumbrabatur. erat enim doctrina resipiscentiæ ad consequendum remissionem peccatorum. Hinc & ipse Joannes Baptista vocatus. Absque illo respectu nulla foret causa, cur doctrina ac ministerium Joannis baptisma vocaretur. Obj. *Tit.* III. 5. doctrina regenerationis vocatur *lavacrum regenerationis*, & *Eph.* V. 26. ipsa pœnitentia *lavacrum aquæ*. Resp. Nullo modo: nam *Tit.* III. 5. per *lavacrum regenerationis* non intelligitur doctrina regenerationis; sed ipsa regeneratio, quæ lavacri instar est. *Eph.* V. 26. per *lavacrum aquæ* non intelligitur pœnitentia, sed ablutio purissima, qualis per aquam mundam fieri solet: perinde ut & *Hebr.* X. 22, 23. Sensus est: Purgavit Ecclesiam suam à peccatis, non aliter quàm aquâ omnia purgari solent: Ut sit ἔλλειψις particulæ ὡς, quæ infrequens non est Sacris Scriptoribus. Vide 1 *Pet.* III. 20. 2 *Pet.* III. 4. *Psal.* XI. 1. XXI. 14.

VIII. Secundò. Idem confirmat praxis Apostolorum, qui plurimis in locis, tam in Actis, quàm Epistolis, fideles, quos per verbum Euangelii ad fidem in Jesum Christum converterant, aquâ baptizasse leguntur. Vide inter alia *Act.* II. 38, 41. VIII. 12, 13, 38. X. 47. IX. 18. & XXII. 16. XVI. 15 & 33. XVIII. 8. XIX. 4. *Rom.* VI. 3. 1 *Cor.* I. 13. XII. 13. Quod non, nisi reverentiâ præcepti Domini, *Matth.* XXVIII. 19. eos fecisse, credi potest. Dices. Alium longè hunc esse baptismum ab eo quem Christus præscripsit; quia Apostoli tantum baptizarunt in nomen Christi, *Act.* II. 38. VIII. 16. X. 48. XIX. 5. XXII. 16. cum Christus jubeat baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Ergo non fuit hæc executio præcepti Dominici; sed ritus, ab Apostolis in initio Ecclesiæ ad tempus usurpatus, ad consulendum populorum ruditati in ipsis externis ritibus educatorum *Et ex praxi Apostolorum.*

& jam

& jam planè consenescentium. *Resp.* Non continetur illo præcepto præcisa quædam verborum formula, quâ utendum sit in administratione Baptismi; sed tantum res ipsa in quam respiciendum est. Ea autem est eadem, sive dicas in nomen Christi, sive Patris, Filii & Spiritus Sancti. Nam in nomen alicujus baptizari, est, ei se auctorare ac devovere, & de illius nomine nominari velle. Qui autem baptizabantur in nomen Christi, se etiam Patri & Spiritui Sancto auctorabant: quia Jesum esse Messiam, seu Christum, confirmatum fuerat trium testimoniis: Patris: *Matth.* III. 17. XVII. 5. 2 *Petr.* I. 16, 17. & *Joan.* XII. 28. Filii ipsius Jesu, *Joan.* VIII. 12, 13. *& seqq.* X. 36. & Spiritus Sancti in Apostolos effusi, *Act.* V. 32. Qui itaque Christum agnoscebant pro Messia, etiam se totos devovebant Patri & Spiritui Sancto. Et nemo poterat doctrinam Christi pro divina habere, nisi à Deo Patre profectam crederet: & nemo hoc credidisset, nisi Spiritu Dei, id est, vi miraculorum antea inauditorum, virtute Spritus Sancti effectorum, confirmata fuisset.

Refutatur objectio ex 1 Cor. 1. 17.

IX. Objicitur, Paulum, 1 *Cor.* I. 17. dicere, se non esse missum à Christo ad baptizandum, sed Euangelium prædicandum. *Resp.* 1. Quia Apostolus de se solo loquitur, non dicens, *nos*, quemadmodum Apostoli, *Act.* VI. 2., sed *me*, speciale suum privilegium eo denotare videtur: quod nempe ipse speciali privilegio à baptizandi onere sit immunis. 2. Non dicit se nullo modo ad baptizandum missum; sed baptizandi curam sibi non demandatam ut principalem, sed tantum ut accessoriam: eadem phrasi quæ exstat, *Jerem.* VII. 21. & *Ose.* VI. 6. *Misericordiam volui, non sacrificium.* 3. Dici potest, Paulum hîc loqui, non de intentione & consilio Dei, quasi Deus noluerit ut baptizaret; sed tantum de eventu. Quia enim semper docendo erat occupatus, ita ut otii nihil superfuerit ad baptizandum; hinc collegerit, se non ad baptizandum, sed ad euangelizandum missum esse.

Et ab exemplo discipulorum.

X. Dices. Multi tamen in Christum crediderunt, qui tamen baptizati non sunt: ut duodecim Apostoli, & septuaginta Discipuli: item illi centum & viginti, de quibus *Act.* I. 15. & quingenti illi, 1 *Cor.* XV. 6. *Resp.* 1. Nulla est consequentia, non leguntur baptizati, ergo non sunt baptizati. Multa enim facta sunt, quæ historiâ sacrâ non exstant. 2. Quidam eorum leguntur baptizati à Joanne: *Joan.* I. 37, 41. Unde colligimus, credibile esse, & reliquos baptizatos. 3. Esto, baptizati non sint: Alia est ratio eorum, qui à Domino Jesu immediatè mittuntur ad baptizandum, uti & Joannes, *Joan* I. 33. qui tamen à nemine baptizatus legitur: alia eorum, ad quos baptizandum illi mittuntur.

XI. Sed jam secundò quæritur: An hoc præceptum aquâ baptizandi etiam hodie Christianos obliget; Existimat enim Socinus, dato, verbis Christi præceptum contineri de baptizando aquâ, illud tantum respicere Apostolos, aut ejusmodi ministrós, qui mittuntur ad Judæos, aut homines incredulos, qui, desertâ patriâ religione, ad Christum transeunt: non autem ad illos, qui ex Christianis parentibus nati, & a teneris in Christiana religione instituti sunt. Verùm antequam de hac quæstione sententiam nostram dicamus, de Baptismo ipso, ejusque natura plenius disserendum est.

Consistit baptismus in immersione corporis in aquam.

XII. Consistit itaque Baptismus in ablutione, vel potius immersione totius corporis in aquam. Olim enim baptizandi toto corpore aquæ immergi solebant: uti ex *Matth.* III. 6. & 16. *Joan.* III. 23. *Actor.* VIII. 38. aliisque locis liquere potest. Ritu hoc adumbrabatur resipiscentiæ à peccatis propositum; Deumque peccata resipiscentibus gratiosè remittere, virtutemque spiritualem, quâ se à peccatis exsolvere possent, non aliter atque sordes corporis aquâ mundari solent, concedere velle. Unde vocatus fuit Baptismus resipiscentiæ in remissionem peccatorum. Dominus Jesus ritui huic, jam à Joanne Baptista usitato, aliam addidit significationem, nominis nimirum sui professionem, doctrinæque à se prædicatæ tanquam divinæ publicam receptionem. Hinc Baptismum administrari jussit *in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: Matth.* XXVIII. 19. Ut ita Baptismum recipientes Patri, Filio ac Spiritui Sancto auctorarentur, seque discipulos profiterentur doctrinæ à Deo Patre originem habentis, à Filio revelatæ ac prædicatæ, & à Spiritu Sancto variis miraculis, signis, prodigiis ac donorum distributionibus confirmatæ. Ita ut Baptismi receptio publica doctrinæ Jesu Christi professio fuerit. Hinc & in nomen Christi fideles baptizati passim dicuntur: hoc est, baptismi susceptione professi se doctrinam ejus recipere ut divinam, & de nomine ipsius, tanquam magistri cœlestis ac unici Salvatoris, nominari velle. Addidere Apostoli aliam allusionem, quæ in priore fundata est, seu plenior & expressior illius accommodatio; quòd sit adumbratio mortis spiritualis, quâ peccato morimur, ac resurrectionis, quâ resurgimus in novitatem vitæ. *Rom.* VI. 3, 4. *An ignoratis, quia quicunque in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Vide & *Coloss.* II. 12. Utque id plenius adumbraretur, moris fuit in initio, ut baptizati aliquantulum sub aquâ morarentur, tanquam mortui & quasi

sepulti; tum subitò inde emergerent, quasi in novam vitam, ablutis prioribus sordibus, resurgentes.

Rite tamen peragitur aspersione. XIII. Quæritur, an hæc immersio adeo sit necessaria, ut sine ea non sit Baptismus? Resp. Non videtur. Quia enim Baptismus ritus tantum est externus, actionem internam spiritualem adumbrans, videtur ejusmodi actio sufficere, quâ interna illa actio sufficienter & Baptismi institutioni accommodatè adumbrari potest. Ob graves itaque rationes quandoque immutatio quædam adhiberi posse videtur; præsertim in regionibus frigidis & septentrionalibus; & quidem maximè, postquam infantium Baptismus in usu esse cœpit: tenella enim illa corpuscula immersione in aquam frigidam facillimè læderentur. Hæc causa est, quòd immersionis loco introducta sit aspersio, quæ hodie, in Ecclesiis præsertim Occidentalibus, in usu est. Quidam illam ex Scriptura elicere conantur; quia *Actor.* II. 41. tria millia baptizata dicuntur; item alii in domibus privatis, *Actor.* XVI. 15. *&* 33. I *Corinth.* I. 15 16. ubi aquam, cui immergerentur, ad manum fuisse credibile non est. Atqui hæc incertâ solummodò conjecturâ nituntur. Nihil enim vetat, quin omnes illi aquæ immersi sint. Neque credibile est, ceremoniam illam in initio nascentis Ecclesiæ, & quidem in regionibus calidioribus, ubi immersio illa sine ullo baptizandorum incommodo facile peragi poterat, tam subitò immutatam fuisse, præsertim cùm ex antiquorum monumentis constet, eam aliquot etiam seculis fuisse in usu. Interim licet aspersio ex Scriptura adstrui non possit, & aliquatenus à primæva Baptismi institutione deflectat, credimus tamen Baptismi ritum, postquam aspergendi usus invaluit, legitimè aspersione administrari. Licet enim in illa non ita clarè appareat analogia inter Baptismum, & mortem spiritualem, quâ peccato morimur & resurrectionem in vitam spiritualem: sufficiens tamen in ea analogia est, tum ut adumbret baptizatorum professionem, eorumque in doctrinâ Christi initiationem, & propositum puros se in posterum à peccatis conservandi, in quorum sordibus hactenus vixerunt; tum & gratiam Dei, quâ peccata resipiscentibus condonare & quasi aquâ mundâ abluere cupit.

An ea trina esse debeat; XIV. An immersio hæc sive aspersio trina esse debeat, an vero unica, nullum de eo extat in Scriptura præceptum. Solet quidem concludi ex verbis institutionis Batismi; sed absque solido fundamento: potest siquidem Baptismus administrari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti unica immersione vel adspersione. Attamen quoniam ter immergendi, & postea, adspergendi, usus jam ab initio in omnibus fermè Ecclesiis est receptus; & in hodiernum usque diem constantissimè observatus, omnino si quis eum immutatum cupiat, contra prudentiam ac charitatem Christianam peccaturus est, seque gravis scandali reum constituet.

XV. Quod Baptismi formulam attinet, nullam à Domino Jesu præcisè præscriptam credimus. Quamvis enim præceperit baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, non tamen alligavit nos verborum illorum pronuntiationi necessariò semper in Baptismi administratione usurpandæ, Ego te baptizo in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Nec etiam certa ab Apostolis usurpata formula legitur: imò non fuisse usurpatam, probabiliter colligitur, ex I *Cor.* I. 14, 15. Quomodo enim quis potuisset dicere, Paulum in suum nomen baptizasse, si formulæ certæ Baptismi administratio alligata fuisset? *Nulla certa formula baptizandi est præscripta.*

XVI. Quæres. An ergo licet baptizare in nomen Christi? Resp. Per se si consideretur, quid ni? Cum revera conveniat cum baptismo in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, uti paulò ante ostendimus. Quin & legimus idem ab Apostolis factum. An verò verba hæc usurpaverint, Baptizo te in nomine Christi, incertum. Sed tamen per accidens illicitum esse potest, quando aliquis in nomen Christi vult baptizare, præter morem & formulam in Ecclesia receptam. Nullam enim facti sui rationem allegare potest, præter novitatis studium. Non enim illicita est formula ordinaria, jam à multis seculis, & forte ab initio recepta, hodieque in omnibus Ecclesiis Christianis usitata; nec aliquid continet absurdi aut indecori. Si dicat, se niti exemplo Apostolorum: regeri potest, non constare. Apostolos hac usos formulâ: tum, si velimus ex verbis illis formulam rectè inferri, addi potest, Ecclesiam niti institutione & præcepto Jesu Christi; & utriusque formulæ eundem esse sensum. Quia itaque nec præcepto, nec exemplo divino ut ita faciat cogitur, sanè non sine scandalo eâ formulâ, ubi altera in usu est, uti potest: ac proinde apertè peccat in charitatem. *An liceat baptizare in nomen Christi.*

CAPUT LXVIII.

De subjecto Baptismi, ac speciatim Baptismo Infantium.

I. Subjectum Baptismi, cui Baptismus administrandus est, est homo fidelis verâ in Jesum Christum fide præditus, delictorumque præcedentium seria pœnitentiâ tactus. Est enim Baptismus institutus, tum, ut tessera sit ac nota Christianismi; tum, ut sigillum sit fœderis à Deo cum hominibus per Jesum Christum contracti. *Subjectum Baptismi, homo fidelis & pœnitens.*

tracti. Fœderis autem hujus conditiones sunt, ut homo in Jesum Christum credat, peccatorum pœnitentiam agat, & in futurum ex præscripto doctrinæ Jesu Christi sanctitati operam det; sicque à Deo remissionem peccatorum vitamque æternam, juxta promissionem divinam, certa fide exspectet. Externæ autem professioni, & quidem signo à Deo ipso instituto solenniter testatæ, animus ut respondeat necesse est. Ita videmus fidem ac resipiscentiam passim requiri ante Baptismum: *Marc.* XVI. 16. *Act.* II. 38. 41. VIII. 37. & passim alibi.

Primarium, deserta falsa religione in Christum credens.

II. Exinde sequitur, præcipuum ac primarium Baptismi subjectum esse homines fideles, qui, desertâ falsâ religione vitâque impiâ, in Jesum Christum credunt, vitamque ex præscripto ejus emendare seriò proposuerunt. Illis enim ceremonia hæc in latissima suâ significatione applicatur. Illis enim susceptione non tantum fidem suam in Christum testantur, seque illi, desertâ priore religione, totos devovent; sed & à peccatorum sordibus purgationem profitentur: Deusque sacro hoc lavacro peccatorum antea commissorum gratiosam remissionem obsignat: quæ maximè propria ceremoniæ hujus significatio est. Hinc & Dominus prius homines doceri & ad fidem suam perduci, dein baptizari jubet: *Matth.* XXVIII. 18, 19. *Marc.* XVI. 15, 16. Et Baptismum recipientes resipiscentiam testabantur: *Act.* II. 38, 41. & alibi.

Minus primarium, ex parentibus fidelibus natus.

III Minus primarium, sed tamen verum ac genuinum Baptismi subjectum sunt homines fideles, qui ex parentibus Christianis nati, & à teneris in religione Christiana educati, solenni Baptismi susceptione fidem suam in Jesum Christum, & obedientiæ Christianæ propositum testantur. Licet enim præcipuè Baptismus respiciat eos, qui, desertâ falsâ religione vitâque prorsus impiâ, se ad Christum convertunt; ac proinde in initio, cum gentes ad Christum erant convertendæ, præcipuè administrari debuerit: tamen, si præcepti natura penitius inspiciatur, apparebit Baptismi præceptum esse perpetuum, omnesque, qui Christo nomen dant, etiam à parentibus Christianis ortos, concernere.

Quod adstruitur ex natura baptismi.

IV. Potest enim Baptismus considerari, tanquam tessera publicæ professionis quòd Christiani sumus: Atque ita consideratus, indubium est quin omnes qui se Christo in disciplinam tradunt spectet. Potest etiam considerari tanquam sigillum resipiscentiæ & remissionis peccatorum ante eum commissorum. Sic consideratus, primariò spectat eos, qui desertis falsis religionibus Christo nomen dabant: Secundariò autem etiam eos, qui ex parentibus Christianis nati, & ab infantia in religione Christi educati sunt, quatenus non omnium omninò peccatorum expertes vixerunt. Ad pœnitentiam enim, & proinde Baptismi legitimam susceptionem, non necessariò requiritur transitus in novæ religionis professionem, sed tantum vitæ in melius mutatio: uti ex Joannis baptismo constat, qui baptizabat Judæos, non religionis professionem mutantes, sed vitæ solummodò in melius mutationem profitentes. Imò potest Baptismus designare serium sanctitatis studium, absque resipiscentia, si administretur illi qui nunquam peccavit: uti hoc in Servatore nostro Jesu Christo, qui solus absque peccato vixit, manifestum est. In peccatore autem una cum sanctimoniæ studio designat resipiscentiam; quia non aliter ad sanctitatem quàm per resipiscentiam tendere potest. Si qui ergo Baptismum hodie non amplius legitimè administrari urgent, hoc argumento convinci possunt: Alterutrum nimirum eligendum: aut homines è parentibus Christianis natos planè immunes à peccatis vivere: quod planè falsum est: Aut variorum peccatorum, dicet non adeò enormium quam gentiles, perpetratione se inquinasse, à quibus mundari debent. Si prius statuant: baptizentur juxta exemplum Jesu Christi, ut impleant omnem justitiam. Si posterius; baptizentur juxta exemplum Judæorum à Joanne baptizatorum.

Baptismi primarius usus etiam hodie durat.

V. Sed, inquiunt, nullus amplius est Baptismi usus: ineptum autem est & superstitiosum, usurpare ceremoniam nulli usui inservientem. *Resp.* Imo primarius Baptismi usus etiamnum durat, homines, tanquam visibile quoddam signum, ad cultum unius veri Dei & quem misit, Jesu Christi, obligandi. Nuspiam enim docetur, licet baptizandi præcipiantur qui falsis religionibus relictis Christo se dabant, eos solos baptismatis aquâ esse tingendos. Nusquam etiam nec apertè dicitur, nec obscure innuitur, Baptismum post omnem gentium in Ecclesiam ingressum abolendum. Dices. Ex Baptismi usu & fine id colligi potest: perinde uti ex usu & fine ceremoniarum Legis evidenter concluditur, eas sub Christo abrogari debuisse. *Resp.* Aliam longè esse rationem. Deus enim manifestè testatus est, ceremonias illas tanquam typos inserviisse adumbrando Christo ejusque doctrinæ, tanquam corpori & veritati: ac proinde corpore adveniente typos cessare debuisse; & per Apostolos rituum illorum abolitionem prædicari curavit. Baptismum autem in Ecclesiâ Christiana instituit, non tanquam typum cultus perfectioris postea introducendi; sed tanquam tesseram visibilem homines Christo initiandi, arctiusque ad officium suum vitæque sanctitatem obstringendi: cujus itaque principalis usus

etiamnum durat: nulloque, ne levissimo quidem, indicio, testatum reliquit, Baptismum aut abolendum, aut intermitti tutò posse, & non nisi superstitiosè usurpari, quando omnes ac universi illius usus, qui in initio Ecclesiæ, cùm gentes ad Christum erant convertendæ, locum habebant, eo amplius adumbrari nequeunt. Adeò ut nulla hic nitantur voluntatis divinæ revelatione, sed mera tantum conjectura ac ratione fallaci.

Peccant, qui hodie baptizari nolunt.

VI. Quapropter à peccato excusari nequeunt. 1. Quia Baptismum omittunt non ex fide, id est, certâ animi persuasione suam Baptismi omissionem Deo gratam, aut saltem non ingratam esse: Atqui *quod ex fide non fit peccatum est*: *Rom.* x. v. 23. Deinde & in prudentiam & charitatem Christianam peccare censendi sunt, qui hodie, etiam cum Ecclesiæ in qua vivunt scandalo, baptizari nolunt. Non enim ritum esse illicitum, utpote ab Apostolis ipsis usurpatum, statuere possunt: neque (uti vidimus) ullo præcepto aut concessione Dei, aut Apostoli exemplo, se tueri possunt. Et licet non necessarium credant Baptismum, caveant ne suâ, quam sibi vindicant, scientiâ aliis sint offendiculo, neve ipsi Dei Ecclesiam perturbent. Baptizentur igitur aquâ, etiamsi ab eo Baptismo se absque peccato abstinere posse credant. Dices. Libertas Christiana aliquando asserenda est. Sic Apostoli, qui multa tolerarunt pacis causa, ceremonias tamen Legis Mosaicæ gentibus imponi nunquam passi sunt. Resp. Ceremoniæ Legis nunquam gentibus à Deo fuere imperatæ, sicut aquæ Baptismus Christianis. 2. Apostoli divinitus erant persuasi ceremonias Legis abrogandas, nec gentibus imponendas. Si eadem ipsis à Deo contigerit persuasio, Baptismum non esse usurpandum, rectè faciunt: jam autem conjectura tantum verisimili nituntur, & se Apostolorum totiusque Ecclesiæ praxi opponunt.

An sine Baptismo nemo salvari possit.

VII. Quæres. Si ergo Baptismus sit præceptum, etiam hodie quemvis Christianum obligans, an ergo nemo Baptismum absque salutis jacturа carere potest? Resp. Præceptum Baptismi esse præceptum externum & rituale: Susceptio itaque Baptismi non est propriè actus sanctitatis; sed externa sanctitatis professio. Non ergo Baptismus est recipiendus quasi per se ad salutem ducat, sed reverentiâ divini præcepti. Fieri ergo posset, ut quis Baptismo careat absque ullâ suâ culpâ, ac proinde absque salutis suæ jacturâ; veluti infantes, aut fidelis inter infideles versans, omni Baptismum recipiendi occasione destitutus. Non enim nulla Baptismi carentia, sed ejus contemptus nos peccati reos facit. Contemptus autem ille in iis conspicitur, qui cùm in animo suo persuasi sunt, præcepto divino nos constringi ad recipiendum Baptismum, nec occasione destituuntur idoneâ ut baptizentur, tamen eum recipere aut non curant, aut studio quasi negligunt. Alia est ratio eorum, qui errore quodam inducti, externum aquæ Baptismum à Christo præceptum non credunt: in illis enim directus ille præcepti divini contemtus deprehendi non potest. Monendos tamen existimo, ne se temerè subducant ritui, ab Apostolis ipsis, & jam inde ab Apostolorum ævo ad nos usque in omnibus Ecclesiis Christianis usitato; neve in prudentiam & charitatem Christianam peccent.

De baptismo infantium.

VIII. Sed alia hic occurrit quæstio, quid de infantium, qui nec fide in Christum præditi sunt, nec resipiscentiæ aut sanctitatis propositum testari possunt, Baptismo sit statuendum? Antequam nostram de ea sententiam tradamus, diversas aliorum sententias proponemus, paucisque expendemus. Maxima enim hic sententiarum discrepantia est: aliis infantium Baptismum necessarium urgentibus; aliis eum ut illicitum, aut saltem ineptum ac superstitiosum, rejicientibus.

Sententia Pontificiorum & Lutheranorum.

IX. Qui Pædobaptismi necessitatem urgent, in diversas abeunt partes, neque uno nituntur omnes fundamento. Pontificii & Lutherani urgent, Baptismum esse lavacrum regenerationis, & medium quo Deus regenerationem hominibus confert. Quia autem omnes, etiam infantes, peccato originali sunt inquinati, nemo autem nisi regenitus salutem adipisci potest; hinc concludunt, Baptismum parvulorum esse necessarium, ut regenerentur, & salutem consequantur: Adeò quidem, ut si qui absque Baptismo decedant, tanquam non regeniti æternum à salute sint excludendi. Lutherani autem, licet Baptismum regenerationis medium statuant, non tamen propterea omnes infantes non baptizatos cœlo excludunt; sed si baptizandi commoditate destituantur, eos extraordinariè à Deo & sine medio regenerari, atque ita æternæ salutis compotes reddi docent. Interest etiam inter Pontificiorum & Lutheranorum sententiam hoc discriminis; quòd Lutherani credant, infantes actu fidei esse præditos; non quòd intelligant & sentiant motus fidei; sed quod in iis sit actio quædam Spiritus Sancti, quæ facit ut regnum cœlorum, quod ipsis in Baptismo offertur, accipere possint. Et quia Scriptura medium illud, quo regnum Dei accipitur, vocat fidem, & hæc actio medium sit quo infantes regnum cœlorum accipiunt, dicuntur habere fidem. Pontificii vero statuunt, per ipsum Baptismum infundi habitum fidei, & Baptismum ex opere operato delere omnia peccata Baptismum præcedentia.

X. Ba-

Baptismus non est lavacrum regenerationis.

X. Baptismum non esse lavacrum regenerationis, satis ex iis, quæ antea de Sacramentorum efficacia disputavimus, constare potest. Hisce nunc addimus. Si Baptismus sit lavacrum regenerationis, Paulus jure dicere non potuisset 1 *Cor*. I. 17. se *non esse missum ad baptizandum, sed ad euangelizandum*: nec *vers*. 14. *Deo gratias agere*, quod Corinthi *neminem baptizasset præter Crispum & Gajum, & Stephanæ domum*; & tamen postea addere, se esse *patrem ipsorum spiritualem, qui ipsos in Christo genuit*, 1 *Cor*. IV. 15, 16. Quomodo enim eos in Christo genuit, si regenerationis instrumentum non adhibuit? Adde, quòd Dominus noster Jesus Christus, spiritualis regenerationis auctor, non minus aquâ baptizasset, quàm per spiritum docuisset: legimus autem, non ipsum baptizasse, sed discipulos ejus; *Joan*. IV. 1.

Refutatio sententiæ Pontificiæ; Quod baptismus non infundat habitum fidei.

XI. Quod verò speciatim sententiam Pontificiorum attinet, fidei habitum infantibus per Baptismum infundi, ineptum planè est. Ridiculum quippe meritò censeri debet, externâ quâdam ceremoniâ supernaturalem virtutem, & quidem momento, in anima produci; nec concipi potest, qualis iste fidei habitus sit, aut quid in infantibus producat. Dices. Efficit ut in infantibus sit conditio ad salutem requisita: *sine fide* enim *impossibile est placere Deo*, *Hebr*. XI. 6. &, *Qui credit in Filium salvabitur*: *qui verò Filio inobediens est condemnabitur*, *Joan*. III. 36. Resp. Hæc est conditio in solis adultis requisita, non autem in infantibus nondum fidei capacibus. Nec iis in locis de habitu tantum fidei, sed & de illius actu sermo est: Actualis enim fides ad salutem requiritur. Quòd si tamen omnia adultorum propria in infantibus requiri credant ut salute donentur, addam, & infantium esse fidem confiteri: quia *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, *Rom*. X. 10. Concludo ergo, sicut infantes nec incredulitatis, ita nec fidei capaces esse. Salvantur tamen gratiâ divinâ per Jesum Christum, quia fœdere gratioso, quod Deus in Christo Jesu cum toto genere humano pepigit, & Baptismo veluti sigillo obsignavit, comprehensi sunt. Addimus, etiam fidelium liberos è statu parentum suorum censeri: sicut in omnibus fœderibus mos est, infantes fœderibus cum parentibus initis comprehendi, eosque iisdem cum parentibus privilegiis gaudere, nisi novâ inobedientiâ iis se indignos reddant; quod in infantes non cadit. Idem autem in fœdere divino locum habere, facile colligitur ex 1 *Corinth*. VII. 14. ubi *liberi in parentibus fidelibus*, imò altero tantum parente fideli, *sanctificari* dicuntur; id est, in illo populo censeri, cui Deus ex fœdere certa quædam beneficia destinavit, qualiacunque ea demum sint. Non enim salutem æternam illic propriè respici exinde colligi videtur, quod & maritus infidelis in uxore fideli, & vice versa, uxor infidelis in marito fideli, sanctificari dicatur: nemo autem adultus ex aliena fide salutem æternam consequitur. Imo & *Matth*. XIX. 13, 14. Dominus non tantum infantibus benedicit, sed & eorum esse regnum cœlorum pronuntiat.

Nec præcedentia peccata deleat.

XII. Non minori laborat absurditate, quòd externam Baptismi ceremoniam omnia peccata præcedentia delere & actu tollere statuant. Præterquam enim quòd in infantibus nullum propriè dictum sit peccatum (uti antea fusè ostendimus cum de peccato originis egimus) ineptum etiam est, remissionem peccatorum, quæ passim fidei & resipiscentiæ attribuitur, externo ritui, qui sine ullo bono motu suscipi potest, & infantibus sine ullo bono ipsorum motu administratur, adscribere. Dices. Baptismo tamen passim adscribitur ablutio peccatorum nostrorum; *Actor*. XXII. 16. *Rom*. VI. 4. Resp. Propter arctissimam inter signum & rem signatam connexionem, per figuratum loquendi modum signatum de signo enuntiatur. Quia enim Baptismus signum est ablutionis peccatorum, Baptismoque testamur nos peccatis valedicere, Deusque, se ea nobis remittere; hinc ipsa peccatorum mundatio Baptismo attribuitur. Quales figuratæ locutiones in omni sermone, & de quovis negotio, usitatissimæ sunt.

Refutatio sententiæ Lutheranæ.

XIII. Lutheranorum sententia, infantes actu fidei esse præditos, non minore laborat absurditate. In infantibus enim recens natis non esse fidem res ipsa loquitur; non enim in iis ulla est cognitio, aut aptitudo ut instituantur, aut objecta credenda percipiant ac dijudicent, sine quibus nulla esse fides potest. Unde & *Rom*. X. 17. *fides* dicitur esse *ex auditu*. Dices. Servator tamen ait, *Marc*. X. 15. *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud*. & *Matth*. XVIII. 6. mentionem facit *parvulorum qui in se credunt*. Resp. *Marc*. X. non agitur de fide sed de humilitate, quæ infantibus naturalis est, statimque, quamprimum infantes ulla cognitionis specimina edunt, in ipsorum actionibus sese prodit; sed quæ adultis præscribitur. tanquam virtus, & officium, sine cujus præstatione in regnum cœlorum recipi nequeunt. *Matthæi* vero *cap*. XVIII. 6. non loquitur Dominus de parvulis ætate, sed fide: quia dicuntur verbis & factis pravis posse scandalizari: quod in parvulos ætate neutiquam quadrat.

Sententia Contraremonstrantium, sibi non consentanea.

XIV. Contraremonstrantes, licet fateantur Baptismum non esse lavacrum regenerationis, ideoque non eandem cum Pontificiis ac Lutheranis Pædo-baptismi necessitatis rationem urgere possint, quia

tamen sigillum est fœderis divini, infantes baptizandos esse contendunt. Non audent quidem damnare infantes sine Baptismo mortuos, tamen ut fœderi divino inclusos necessariò baptizari debere contendunt. Attamen si propius doctrinæ ipsorum genius inspiciatur, nullo fundamento hæc ipsorum assertio niti videtur, imo directè in quædam ipsorum placita incurrere. Non enim omnes Baptismo tinctos fœderi divino inseri asserere audent. Cùm enim Ecclesia visibilis ex electis & reprobis collecta sit, reprobique secundum ipsos semper fœdere divino fuerint exclusi; fide divinâ ac indubitatâ affirmare non audent, omnes fidelium liberos fœdere divino comprehendi, & per Baptismum fœderis divini sigillo obsignari; sed solos electos. Hinc affirmare non dubitant, infantes fidelium baptizatos, si progressu ætatis impiâ ac profanâ vitâ suâ ostendant, se non habere spiritum regenerationis, eum non amisisse, sed nunquam habuisse: baptizari autem, quia ex judicio charitatis pro fœderatis habendi sunt. Quâ suâ doctrinâ reverâ Pædobaptismi necessitatem evertunt, utpote qui fallax tantum fœderis divini signum sit. Quodque gravius est; doctrina hæc maximâ cum Dei injuriâ conjuncta est. Quia enim Baptismus, ut fœderis divini sigillum, solemniter administratur in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti; Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus invocantur tanquam testes in testimonium quod dubium, incertum ac fallax est, multorumque respectu falsum. Hinc Zanchius, ut incommodum istud vitet, consentaneè doctrinæ suæ docuit, baptismum non esse administrandum, nisi sub hac conditione, si electi sunt; neminemque Baptizandum, nisi hac particulâ vel expressâ vel subintellectâ; *Ego, ô Deus, hunc baptizo secundum electionem & propositum divinæ voluntatis tuæ.*

Pædobaptismum non esse necessarium, ratio prima.

XV. Sed omissâ disquisitione, utrum Contraremonstrantes consentaneè doctrinæ suæ de prædestinatione Pædobaptismi necessitatem ritè urgeant, rem ipsam inquiramus, utrum infantium Baptismus necessarius sit. Nos quod attinet, eum necessarium neutiquam credimus. Primò. Quia nullum illius exstat in Scriptura mandatum. Imò omnia loca, quibus baptizandi mandatum continetur, directè adultos respiciunt: quoniam prius doceri jubentur, fidesque tanquam conditio necessaria in ipsis prærequiritur: quæ solorum adultorum propria sunt. Vide *Matth.* XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 16. *Actor.* II. 37, 38. & alibi passim. Quod ingenuè agnoscunt Pontificii Doctores, qui ut Scripturæ imperfectionem, & traditionum non scriptarum necessitatem contra Reformatos adstruant, Pædobaptismum inter traditiones recensere solent, & ex Scripturis probari posse negant. Vide inter alios Bellarminum, *lib.* IV. *de Verbo Dei, cap.* IV. *Baptisma infantum contra Anabaptistas ex Scripturis Lutherani probare non possunt; Catholici non solent.*

Secundò.

XVI. Secundò. Nullum exemplum, unde indubitatò constet ab Apostolis infantem ullum fuisse baptizatum, ex Scriptura produci potest. Dices. Leguntur tamen integræ familiæ fuisse baptizatæ, *Actor.* XVI. 15, 33. I *Cor.* I. 15, 16. in quibus procul dubiò aliqui fuere infantes. Resp. Me quod attinet, libens concedam etiam infantes familiis illis fuisse comprehensos; nullum tamen solidum historia sacra mihi suppeditat argumentum, quo id contra aliquem id negantem aut in dubium vocantem evidenter demonstrem. Non enim expressè indicat, aliquos in illis familiis fuisse infantes. Et licet concedamus infantes in familiis illis exstitisse, non narrat historia illos simul cum parentibus baptizatos: e contra, omnes baptizati dicuntur Deo gratias egisse; quod in infantes non cadit. Adeò ut hæc argumentatio ultra verisimile non concludat Dices. *Act.* II. 38, 39. Petrus Judæos oratione suâ ad fidem conversos hortans ut baptismum suscipiant, hac utitur ratione, *Vobis enim est repromissio & liberis vestris.* Resp. Per *filios* seu *liberos* illic intelligi infantes nullâ ratione probari potest; intelliguntur autem, phrasi loquendi usitatissimâ, posteri: uti *Actor.* XIII. 32, 33. ubi manifestè de adultis, ad quos Paulus verba faciebat, accipiendum est. Similiter & *Gal.* IV. 25, 27, 28, 31. *Tit.* I 6. & alibi.

Tertiò.

XVII. Tertiò: Nullum exstitit Concilium ante seculum quartum, in quo Pædobaptismi necessitas adserta legitur. Constat quidem, antiquum hunc fuisse ritum, & multis seculis in Ecclesia Christi, præsertim in Africa, usitatum: sed receptus tantum fuit, ut ritus qui legitimè & cum ædificatione in Ecclesia administrari poterat, absque necessitatis opinione Unde & Patres quidam dissensum suum, salvo fraternitatis vinculo, testati sunt; ut Tertullianus, qui Baptismum infantibus non administrari, & Gregorius Nazianzenus, qui eum ad tertium vel quartum ætatis annum, quia tum mystici quid audire & respondere possunt, differri voluit. Primum omnium Pædobaptismi necessitatem sancivit Concilium Carthaginense, Milevitanum vulgò vocatum, celebratum anno Christi CCCCXVIII. Cùm verò nullum in Antiquitate ante hoc Concilium necessitatis Pædobaptismi reperiatur indicium, nulla est ratio; cur eum hodie necessarium pronuntiemus.

An successerit in locum circumcisionis.

XVIII. At, inquiunt, Baptismus successit in locum Circumcisionis; illa autem infantibus administrata fuit, & administrari debuit

debuit. Resp. Dato id esse verum; quanquam Scriptura nusquam id affirmet: exinde neutiquam sequitur, omnes in Circumcisione præceptas circumstantias etiam in Baptismo observari debere. Nam 1. Nusquam infantium Baptismus præcisè mandatus est, perinde uti Circumcisio. 2. Exinde sequeretur, infantes præcisè octavo die baptizandos, aut aliàs è populo Dei exterminandos. 3. Imò statim à nativitate baptizandos: quia enim nullus infantium baptismo præstitutus est dies, & mox à nativitate infantibus absque ulla noxia administrari potest, infantes verò statim atque nati sunt mori possunt; nulla reddi ratio potest, cur vel ad unum diem differatur. Tandem, hæc consequentia si valeret, eodem modo & mihi concludere fas esset; soli pueri olim circumcisi sunt; ergo & nunc puellas baptizare nefas est. Quod cum absurdum esse quivis videat, non eandem per omnia, ratione externarum circumstantiarum, Circumcisionis & Baptismi esse rationem manifestum est; & quibus tam circumcisio quàm baptismus sit administrandus ex utriusque institutione ac natura definiendum est.

Contra Anabaptistas adstruitur, pædobaptismum non esse illicitum. Ratio prima.

XIX Alii, ut Anabaptistæ, infantium Baptismum rejiciunt ut illicitum, vel saltem ut ineptum ac superstitiosum. Hi nimium in alteram partem peccant; & definiunt, quod Scriptura indefinitum reliquit. Fatemur quidem, nullum in Sacra Scriptura exstare nec præceptum, nec indubitatum exemplum Baptismi infantium: id tamen non sufficit ut illicitus habeatur. Si enim illicitus est, aut oportet expressè à Deo esse vetitum: aut, etiamsi expressè vetitus non sit, talem tamen, vel adeo absurdum, ineptum & irrationalem esse ritum naturâ suâ, ut cum religione Jesu Christi componi neutiquam possit, & sic vetito similis censeri debeat. Prius dici nequit: Quia nusquam prohibitus legitur. Dices. In terminis quidem vetitus non reperitur: tamen penè in terminis vetitus videri debet, quia adultorum Baptismus expressè mandatus legitur. Resp. Nulla hîc est consequentia. In initio enim, cùm Ecclesia adhuc erat colligenda, adultorum Baptismus expressè præceptus est, quia homines, ut in Ecclesiam colligerentur, Christoque auctorarentur, necessariò instituendi erant in fide, antequam Baptismo tingi possent aut vellent: nullis itaque tum administrari poterat, nisi adultis. Exinde tamen nulla solida consequentia deducitur, postquam jam Ecclesia collecta est, infantesque, è parentibus Christianis nati, jam statim ab ipso vitæ exordio Christo consecrantur, illicitum esse infantes aquâ Baptismi tingere, nisi baptizandi mandatum aut expressè infantes excludat; quod nusquam apparet, aut ejusmodi quædam contineat, quæ infantes excludi debere, aut saltem includi non posse, arguunt. Hoc autem coincidit cum secundo, de quo jam videamus.

Ratio secunda.

XX. Non esse Baptismum infantium adeò absurdum, ut cum Religione Christi componi non possit, facile probatur. Potest enim Baptismus considerari tanquam tessera quòd simus Christiani, & obsignatio a Dei parte, quòd fœderis ipsius simus participes. Spectat ergo ita consideratus ad omnes fœdere comprehensos nemine excepto: ergo & ad fidelium liberos, quos eodem cum parentibus fœdere comprehensos censeri jam ante ostendimus. Potest etiam Baptismus considerari tanquam sigillum pœnitentiæ & remissionis peccatorum ante ejus susceptionem commissorum. Hoc sensu non videtur applicari posse infantibus. Et hinc potissimum argumentari solent contra Pædobaptismum. 1. Ineptum est, baptizare eos, qui doceri non possunt. 2. In pœnitentiam & remissionem peccatorum baptizare eos, qui non peccarunt. 3. Baptizare eos in nomen Christi, seu Patris, Filii, & Spiritus Sancti, qui non possunt profiteri doctrinam Christi, & promittere vitæ emendationem. Hæc primâ quidem fronte magnam habere speciem videntur. Sed cum baptizantur infantes, alium Baptismi illius finem intendi atque assignari non posse, atque adeò non debere, quid est quod cogit? Nulla horum in Christi Baptismo locum habuere, & tamen ipse à Joanne baptizari voluit. Quare ut hæc rectè percipiantur, explicatius quædam de fine Baptismi dicenda sunt.

Proprie baptismus convenit peccatori resipiscenti.

XXI Baptismus ex primæva sua origine ac institutione denotat professionem nominis Jesu Christi, propositumque resipiscentiæ à parte hominis, remissionemque peccatorum ante Baptismum commissorum, à parte Dei. Quia autem resipiscentiæ terminus est vitæ sanctimonia, remissionisque peccatorum vita æterna; inde est, quod ultimus Baptismi finis est sanctitatis professio, vitæque æternæ confirmatio. Inde liquet, Baptismum propriissimè & secundum omnes suos usus administrari peccatoribus, qui, seria præcedentium peccatorum pœnitentiâ tacti, resipiscentiæ propositum remissionisque peccatorum spem conceperunt; quia ad vitæ sanctimoniam contendere nequeunt, nisi per resipiscentiam; neque vitæ æternæ spem concipere, nisi interveniente remissione peccatorum: Idque optimè ablutione aquæ & in aquam immersione, ex eaque subita emersione, adumbrari ante ostendimus.

Sed & rectè administrari non peccatori pro-

XXII. At si contingat, Baptismum administrari homini non peccatori; non resipiscentiam, sed vitæ innocentiam ac sanctitatem, nec remissionem peccatorum, sed jus

ad

batur exemplo Jesu Christi.

ad vitam æternam obsignabit. Neque frustra & inutiliter tali Baptismum administrari quis dicat; præcipuus enim ac ultimus finis Baptismi in ipso complementum habiturus est. Quòd autem resipiscentiam remissionemque peccatorum Baptismus significet, ex conditione subjecti peccato inquitati procedit. Hac ratione legitimè Baptismum administrari posse, indubitatò ex Servatoris nostri Jesu Christi Baptismo colligimus: Qui quoniam ἀναμάρτητος fuit peccatumque non novit, nec resipiscentiâ, nec remissione peccatorum opus habuit; à Joanne tamen, Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum administrante, baptizari voluit, additâ hac ratione, ut *omnem justitiam impleret*; hoc est, omnibus præceptis divinis se subjiceret; omniaque à Deo præscripta observaret. Alterutrum ergo dicendum, aut Joannis Baptismo non ita necessariò adhæsisse resipiscentiæ ac remissionis peccatorum significationem, quin ab eo discerni, solamque vitæ innocentiam ac integritatem, jusque ad vitam æternam designare potuerit; aut eundum planè præter rationem contraque suum finem ac usum à Domino Jesu susceptum. At cum hoc dici nequeat, neque cum verbis Domini, *ita oportet nos implere omnem justitiam*, conciliari possit, necesse est ut prius dicamus. Dices. Dominus Jesus hoc suo Baptismo tantum Joannis Baptismum, tanquam divinum, confirmavit, seque, utpote sub lege natum, omnibus externis ceremoniis Legis subjectum esse debere, ostendere voluit. Resp. 1. Joannis Baptismus non fuit ceremonia Lege Mosaicâ præscripta, sed pio quodam usu inter Judæos recepta, ad eos, qui idolis desertis cultui unius Dei se consecrabant, tingendum; & à Joanne, jussu divino, administrata Judæis peccatoribus, ut vitæ emendationem denotaret; non ut ceremonia, ad quam ex præscripto Legis Mosaicæ obstricti erant, sed ad quam administrandum speciatim à Deo missus fuit. 2. Ceremoniæ legales non denotabant resipiscentiam nec remissionem peccatorum; ideoque facile à Jesu Christo peccatorum experte observari poterant: Baptismus autem, juxta ipsos, sine hac denotatione administrari nequit. Hinc infero: Licet Dominus Jesus exemplo suo Joannis Baptismum, ut divinum, confirmare voluerit, non tamen legitimè eum suscipere potuisse, si resipiscentiam ac remissionis peccatorum notatio indivulso nexu ei adhæsit. E contra concludo, quoniam Dominus Jesus à Joanne baptizari voluit, Baptismum vitæ innocentiam, & jus ad vitam æternam denotare posse, sine significatione resipiscentiæ ac remissionis peccatorum.

Quo sensu infantibus administretur.

XXIII. Ut itaque tandem hæc infantium Baptismo applicemus: Dico eodem modo illum obligationem esse ad vitæ sanctimoniam, jusque ad vitam æternam infantibus obsignare, licet propter statum ipsorum, peccati propriè dicti expertem, resipiscentiam propriè denotare non possit, nec etiam remissionem peccatorum: quanquam aliquid remissioni peccatorum analogum obsignet: quatenus infantes, utpote ex Adamo peccatore, & propter peccatum moriendi necessitate punito, prognati, etiam necessariæ morti obnoxii sunt; neque ex morte nisi gratiâ divinâ per Jesum Christum liberari possunt: hocque gratiosum Dei propositum per Baptismum, ipsis, ut eidem fœderi divino cum parentibus inclusis, obsignatur.

Etiamsi infantes vitæ sanctimoniam profiteri nequeant.

XXIV. Dices: Infantes tamen vitæ sanctimoniam profiteri non possunt. Resp. Baptismus infantium non propriè est professio sanctitatis vitæ; sed obligatio ad sanctitatem: quatenus ipsis ritus ille administratur, cujus susceptione cultui divino consecrantur. Dices. Quâ ratione parentes infantes inscios ac ignorantes ad cultum Dei obligare possunt? Resp. Eodem modo, quo parentes, fœdera cum aliis contrahentes, non tantum se sed & liberos totamque adeò posteritatem obligant ad fœderis conditiones servandum. Idque in hoc negotio multò magis valere debet, quoniam parentes obligati sunt filios in timore Domini educare; liberique, quamprimum usu rationis pollent, Deo ejusque cultui totos se dare. Rectè ergo parentes susceptione ritus cujusdam sacri liberos Deo consecrare, & ad cultum divinum obstringere possunt; liberorumque est, quamprimum ad annos discretionis pervenerunt, eo se ritu Deo consecratos credere. Posse autem in negotio religionis liberos à parentibus obligari ad Deo serviendum, manifestissimè ex Circumcisionis ritu liquere videtur. Erat enim illa ritus ad Legis Mosaicæ observationem obligans, *Gal.* v. 3. *Testifi or omni homini qui circumciditur, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Et tamen cum parentes ex mandato divino infantibus administrarunt. Quibus adde: Infantes, quando jam adoleverunt, publicâ fidei professione propositum sanctè vivendi, ad quod per Baptismum in infantia susceptum obligati sunt, confirmare. Quantulum autem illud est discrimen, quod intercedit inter publicam fidei professionem, quam adulti Baptismum suscipientes edunt; & inter illam, quam edunt fideles in infantia baptizati, & quidem cum respectu ad Baptismum in infantia sibi administratum, quando coram toto mundo confitentur, operibusque suis testatum faciunt, se Dominum Jesum pro præceptore unico agnoscere, ex ejusque præscripto vitam componere paratos esse: præsertim cum professionem illam Cœnæ Dominicæ usu solemniter confirmant? Me quod attinet, exiguum inter utramque discrimen deprehendo.

XXV.

Libertas hic unicuique concedenda. XXV. Ut ergo concludam, ita statuo: Quoniam aquæ Baptismus propriè sanctitatis Christianæ pars non est, neque intus animum hominis purificat; sed externus tantum ritus, cujus susceptione homo se Christi discipulum Christianæque sanctitatis sectatorem profitetur; fœderisque divini omniumque fœdere divino promissorum bonorum esse consors obsignatur; unicuique libertatem concedendam credo, eum, prout se fines illos aptissimè consequi posse credit, suscipiendi, neque propter externam ceremoniam quempiam esse condemnandum, aut à communione fraterna arcendum. Si quis infantes Baptismo offerat, baptizandos censeo; quia Pædobaptismus nihil in se continet genio religionis Christianæ adversum, sed ex eo optime fluit, & jam tot seculis ubique in omnibus Ecclesiis Christianis usitatus fuit; cui usui universali, præsertim quando absque Ecclesiæ in qua vivimus scandalo fieri nequit, se opponere æquum non est. Si verò quis adultorum Baptismum religionis Christianæ genio magis congruere, hominesque arctius ad sanctimoniam obligare credit, quando ipsi præcedente solenni promissione Baptismum suscipiunt, ac propterea liberorum suorum Baptismum ad adultam usque ætatem differt; & illi hac in parte libertatem concedendam censeo: certus, nullius apud Deum esse momenti, utrum in infantia, an in adulta ætate sacro Baptismi ritu in nomen ipsius tincti simus; sed utrum convenienter professioni quam in Baptismo edimus vitam instituerimus: memores semper dicti Apostolici, 1 *Pet.* III. 21. *Baptismus nos salvos facit; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.*

Res inanimatæ non sunt baptizandæ. XXVI. Ex iis, quæ de usu ac fine Baptismi prolixè disputavimus, evidens est, profanum esse Baptismi abusum, quando rebus inanimatis, veluti campanis, uti in Ecclesia Pontificia fit, administratur, quasi eæ per Baptismum consecrarentur, ut apta sint cultus divini instrumenta. Sed turpis ille abusus ex ingenti illa ceremoniarum copia, quibus Pontificii Baptismum augustiorem reddere voluerunt, ortus videtur; quales sunt, exsufflatio, exorcismus, unctio, aquæ benedictio, aliæque plures; quibus ceremoniam hanc adeo simplicem ac nudam ita obscurarunt, ut nihil cum primæva ac simplice sua institutione commune habere videatur. Per hæc enim Baptismo, externæ solummodò ceremoniæ, majestas quæsita, quasi vis alias res consecrandi ac augustiores reddendi illi inesset.

CAPUT LXIX.

De variis Baptismi circumstantiis, & speciatim de illius Iteratione.

I. HActenus de Baptismi subjecto. Sequitur ut quasdam Baptismi circumstantias consideremus.

Locus baptismi. II. Ac 1. quidem, Baptismi locum quod attinet, decorum omnino est, ut Baptismus administretur in Ecclesia. 1. Quia per Baptismum initiamur Christo, & introducimur in Ecclesiam. Conveniens ergo est, ut illa initiationi membri, quod in se admittit, præsens adsit. 2. Quia Baptismus tessera est Christianismi: consentaneum ergo, ut administretur coram illis, qui eâdem tesserâ ab aliis hominibus sunt discriminati. 3. Quia oportet Baptismo adjungi preces; illæ autem sunt efficaciores, si à pluribus in nomine Christi congregatis fundantur. Non tamen necesse est, ut solummodò pro concione, & statis quibusdam diebus, administretur. Licet enim caritatis & prudentiæ Christianæ sit ordinem in Ecclesia receptum sine scrupulo sequi: attamen ejusmodi possunt incidere circumstantiæ, quæ suadeant eum administrari extra cœtum publicum: ex: gr: in illis Ecclesiis in quibus infantium Baptismus urgetur ut necessarius, si contingat infantem in morbum incidere lethalem, vixque ad diem illum, quo ordinariè Baptismus in Ecclesia administratur, supervicturus credatur. Quare mirari satis nequeo institutum illorum, qui, necessitatem Pædobaptismi urgentes, tamen eum extra templum, in quo statis diebus conciones habentur, administrari nolunt. Quid enim, si infans interea temporis moriatur? Ajunt: Deus tum totam actionem internam sibi reservat sine instrumentis. Atqui, quæro ego, unde id constat? Ubi ejusmodi promissum divinum reperitur? Imò dubitari posset, an non Baptismi contemtum sapiat, Pædobaptismum necessarium definire, atque interim certum diem, extra quem Baptismum administrari non vis, instituere; interimque permittere, ut multi infantes absque Baptismo decedant, quorum baptizandorum luculenta fuerat occasio. Alibi tamen quàm in cœtu aliquo, sive parvo, sive exiguo, fieri decenter non credimus, in locis ubi Ecclesiæ Christianæ, in quarum communionem baptizatus admittendus est, reperiuntur. Aliàs si quis in loco solitario à fideli conversatur, potest nemine alio præsente ab ipso legitimè baptizari, ad exemplum eunuchi à Philippo baptizati, *Act.* VIII. 37, 38.

Minister baptismi. III. De Ministro Baptismum administra-

ſtraturo variæ fuere contentiones. Ordinis & εὐταξίας ratio requirit, ut ab ordinario Eccleſiæ miniſtro adminiſtretur. Ubi itaque Eccleſia aliqua eſt conſtituta, eum à puero aut laico adminiſtrari, præter decorum eſt: à fœminis verò, etiam ſuperſtitioſum. Quod ſi non adſit ordinarius Eccleſiæ miniſter, ſicut cujuſque fidelis eſt, verbum ſalutis proximi annuntiare; ita & per verbi annuntiationem converſo ac fideli Baptiſmum adminiſtrare poteſt.

Susceptione baptismi non editur confeſſio particularium ſecta cujuſdam dogmatum.

IV. Sed hic quæſtio occurrit, quæ expendi meretur: Quoniam multæ ſunt inter diſcrepantes Chriſtianorum ſententias ſectæ, utrum is, qui à miniſtro ſectæ cujuſpiam baptizatur, Baptiſmi ſuſceptione etiam particularium dogmatum, in ſecta illa receptorum, confeſſionem edat? Reſp. Nequaquam: Baptiſmus enim in nomen Jeſu Chriſti, ſeu Patris, Filii, & Spiritus Sancti adminiſtratus, hominem Jeſu Chriſto conſecrat, illiuſque diſciplinæ devovet; nullius autem hominis placitis adſtringit. Turpiſque eſt & inexcuſabilis Baptiſmi abuſus, eum in teſſeram privatæ cujuſpiam doctrinæ convertere; parumque abeſt à crimine, cujus ſe immunem profitetur Apoſtolus, in nomen aliquod humanum baptizandi, 1 *Cor.* I. 13, 15. Per Baptiſmum enim doctrinæ cuipiam humanæ hominem adſtringere, licet formulâ quâdam ſpeciali non adhibitâ, tantumdem revera eſt, atque in hominis illius nomen baptizare, aliumque præter Jeſum Chriſtum, unicum noſtrum præceptorem, *Matth.* XXIII. 8 ſibi magiſtrum fidei ſalutiſque ducem eligere. Dices. Non eligitur alius fidei magiſter: quia verbis Jeſu Chriſti inhæret. Reſp. Suæ verborum Chriſti interpretationi alios alligatos cupit; & ſic revera ſe ſalutis magiſtrum conſtituit, ſuam interpretationem, cui ab aliis contradicitur, verbis Jeſu Chriſti æquans, & in unam partem decidens, quod ipſe Jeſus Chriſtus, utpote clarè non deciſum, fidelium piæ inquiſitioni commiſit. Legitimus itaque Baptiſmum adminiſtrandi modus eſt, homines ſoli Chriſto auctorare, & ad fidem in Jeſum Chriſtum, obſervationemque ejus mandatorum, juxta divinam regulam Scripturis Sacris clarè expreſſam, obſtringere. Aliàs Baptiſmus vexillum eſt ſchiſmatis ac divulſionis Eccleſiæ Chriſtianæ. Quique illum ita uſurpant, manifeſtè impingunt in verba Apoſtoli, *Eph.* IV. 6. *unum* eſſe *baptiſma* aſſerentis, quod. nimi: uni nos Domino conſecrat, & à quocunque adminiſtretur, in unum illum ac eundem finem tendere debet.

Origo anabaptiſmi: qui refellitur.

V. Et huic fonti error de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis ortum ſuum debere videtur. Quoniam enim hæreticos à fidei integritate deſciviſſe creditum, etiam eorum Baptiſmus, utpote dogmatibus eorum corruptis hominem initians, ut vitioſus rejectus, ab iiſque baptizati Catholicis ſe applicantes, quorundam judicio rebaptizari debuerunt. Verùm error ille ex dictis nullo negotio refellitur, quia Baptiſmus tam apud hæreticos, quàm orthodoxos, in eundem finem tendit, homin. s nimirum Jeſu Chriſto ejuſque doctrinæ devovendi. Si qui novæ cujuſdam & à Domino non præceptæ obligationis additione à primæva ejus inſtitutione deſciverunt; non videtur id additamentum Baptiſmi eſſentiam deſtruere; non enim ut humanus, ſed ut divinus ritus ſuſcipitur: quapropter nec profeſſio, quâ ſeſe doctrinæ & explicationi humanæ addixit, melius edoctum obligare poteſt. Iterandus ergo non videtur Baptiſmus, quia per priorem jam Chriſto conſecratus eſt homo; ſolummodò arctior illa obligatio, quâ ſe etiam humanæ explicationi obligavit, utpote vitioſa & Baptiſmo divino non incluſa, ſponte ceſſat & evaneſcit. Interim omnium officium eſſe exiſtimo, nulli ſe doctrinæ obligare niſi quatenus Scripturis Veteris & Novi Teſtamenti comprehenſa eſt.

Explicatio Act. XIX. *5. & ſeqq.*

VI. Dices. Videntur tamen à Joanne baptizati ab Apoſtolis denuò eſſe baptizati. *Act.* XIX. 5. *& ſeqq.* Reſp. Noſtra ſententia omninò credibile eſt diſcipulos illos, qui in Joannis baptiſmate erant baptizati, denuò aut à Paulo, aut Pauli juſſu baptizatos eſſe. Nam quod quidam verba hæc *verſ.* 5. *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu*, verba eſſe, non Lucæ narrantis, quid juſſu Pauli diſcipulis his factum ſit, ſed Pauli enarrantis & explicantis rationem Baptiſmi Joannis, quòd ille in nomen Jeſu Chriſti baptizaverit, violentum planè eſt, & verbis textus contrarium. Non enim legitur Joannes baptizaſſe in nomen Jeſu Chriſti; ſed disertè dicitur baptizaſſe Baptiſmum pœnitentiæ, & monuiſſe, ut in eum qui venturus eſſet poſt ipſum crederent, hoc eſt, in Jeſum. Nec etiam veriſimile eſt ingente illo trium millium numero, qui die Pentecoſtes baptizati fuerunt, neminem à Joanne baptizatum (qui totam fermè Judæam baptizaverat, *Matth.* III. 5, 6). fuiſſe comprehenſum: aut Apoſtolos curioſè inquiſiviſſe quinam à Joanne baptizati forent, eoſque à reliquis ſecreviſſe, ut jam baptizatos, nec novo Baptiſmo indigentes.

Ex eo nihil pro anabaptiſmo concludi poteſt.

VII. Interim id nihil eorum cauſam juvat. Non enim eadem ratio eſt baptizatorum à Joanne, cum baptizatis a Chriſtianis diverſum ſentientibus. Non enim Baptiſmus Joannis per omnia cum Baptiſmo Chriſti conveniſſe videtur: quod quia inter Pontificios & Reformatos controvertitur, nos bre-

breviter sententiam nostram interponemus. Videtur ergo nobis lis ista facile componi posse, si dicamus, Baptismum Joannis partim eundem, partim diversum fuisse à Baptismo Christi. Idem fuit, quatenus non minus fuit Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quàm Baptismus Christi. Diversus fuit, quatenus Joannes non baptizavit in nomen Jesu Christi, seu Patris, Filii & Spiritus Sancti: sed tantum quos baptizabat monuit, ut crederent in eum qui post se venturus esset: Quæ duo in hoc differunt; quòd Joannes doctrinâ suâ & Baptismo homines præparavit ad Christi doctrinam recipiendum; Christus verò jam in se credentes sibi auctorari voluit, per Baptismum in nomen suum, quem instituit publicam fidei obedientiæque professionem. Non mirum itaque si Apostoli à Joanne baptizatos, cùm ad fidem in Christum fuere conversi, denuò baptizarunt, illoque Baptismo doctrinæ Christi jam vera fide recepta initiarunt. Baptizati autem à Christianis, diversum licet sentientibus, jam doctrinæ Christi initiati sunt, ac proinde Baptismi iteratione non indigent.

Nusquam ille est præceptus.

VIII. Quæres. An ergo nullo in casu Baptismum iterari fas est? Resp. Baptismi repetitionem, utpote nuspiam præceptam, necessariam non esse, perinde uti Cœnæ dominicæ usum; cujus crebra iteratio clarè præscribi videtur, 1 *Cor.* XI. 25. *Quotiescunque biberitis calicem hunc*, &c. Et rationem reddunt doctores non ineptam; semel tantum opus esse initiatione in doctrina Jesu Christi; perinde uti semel homo generatur, ita & semel eum renasci; unum ergo Baptismum, quo nova illa nativitas & ex morte spirituali resurrectio adumbratur, sufficere: sæpius autem ut vita conservetur alimentum repetendum: Cœnam ergo, quâ spirituale animæ nostræ alimentum adumbratur, sæpius etiam repetendam. Dices. Sed quid si Baptismus prior legitimè administratus non sit, an eum repetere nefas est? tum enim non tam repetitur Baptismus, quàm de novo legitimè administratur. Resp. Ex dictis liquet, licet aliqua Baptismi integritati desint, aut sinceritati ejus addita, non tamen pro illegitimo eum habendum, ac proinde nullam eum iterandi esse causam.

Refutatio erroris Anabaptistarum.

IX. Credunt Anabaptistæ, Baptismum in infantia susceptum reverà esse nullum, ac proinde adultum, utpote non baptizatum super fidei suæ professione, uti loqui amant, denuò baptizandum esse. Nos verò cùm antea fusè ostenderimus, infantium Baptismum doctrinæ Jesu Christi genio optimè convenire, ususque salutares quos Baptismus denotat continere, nullam iterandi Baptismi causam videmus: sed oportere credimus Christianum in Baptismo in infantia administrato acquiescere. Si quis tamen Baptismum in infantia susceptum repeti velit, melius instruendum censeo; si non acquiescat, illos adeat necesse est, qui in infantia baptizatos iteratò baptizare non gravantur, ut ita conscientiæ suæ, erranti licet, satisfaciat. Gravius illi ex Anabaptistarum numero errant, qui in adulta ætate baptizatos, sed extra cœtum suum; quando ipsorum se adjungunt communioni; rebaptizant; imò aliquoties baptizatos, semper, utpote antea non verè fideles, rebaptizant. Tales, uti antea monuimus, Baptismum in schismatis vexillum convertunt; seque temerariæ condemnationis reos faciunt, quasi nulli extra suum cœtum speranda sit salus: cùm sæpe ob exigui admodum momenti opiniones, imò ob lites privatas, ob res nihili ac ridiculas, in partes abierint, solaque paucorum quorundam morositas, aliorumque temerarius ac scientiâ destitutus zelus, schisma invexerit.

Post lapsum in grave delictum non requiritur iteratio baptismi.

X. Dices. Quid si homo post acceptum Baptismum in grave aliquod delictum incidat, an non iterari debet Baptismus; cùm obsignet tantum remissionem peccatorum ante ipsum susceptum commissorum? Resp. Baptismus totum novum fœdus obsignat. Cùm autem in sequentibus fusius ostensuri simus, lapsis post acceptam gratiam & Spiritum Sanctum, ac proinde post Baptismum, juxta divini fœderis formulas veniæ spem superesse, Deumque resipiscentibus ea propter Jesum Christum gratiosè condonare velle, Baptismi iteratio ad singulos lapsus nullo modo necessaria videtur. Licet enim Baptismus propriè peccatorum antea commissorum remissionem obsignet, hominemque fœderi divino, hac conditione sancito, initiet, tamen quoniam fœdus Dei etiam peccatorum sequentium, in quæ humana infirmitas aliquando labitur, modò non adsit pervicacia, sed seria sequatur pœnitentia, condonationem promittit; ex vi generalis obsignationis, quâ Baptismus totius fœderis est sigillum, etiam horum peccatorum remissionem obsignare credendus est.

An possit iterari, si post totalem apostasiam resipiscentia sequatur.

XI. Quod si quis tamen à Religione Christiana planè desciverit, professionemque nominis Christiani penitus abjecerit, seque gentilismo aut Judaismo totum dederit; illius aliam esse rationem censemus. Quamvis enim ejusmodi difficulter admodum ad priorem fidei statum se convertere possint, juxta *Hebr.* VI. 4, 5, 6. ut tamen planè impossibile ipsis sit, affirmare non audemus. Si ergo abundantiore gratiâ divinâ eos respiciente perfidiam suam abjurent, seque iterum Ecclesiæ Christi adjungere studeant, iterum baptizari posse non abnuerim: quoniam priorem suam generationem spiritualem non vitiarunt tantum aut macularunt, sed planè exstinxerunt,

runt, opusque habuerunt de novo quasi renasci, totique renovari. Potest itaque tota hæc renovatio iterationem Baptismi, velut signo ac sigillo quodam, adumbrari ac obsignari. Si quis tamen credat, in priore Baptismo, utpote semel legitimè suscepto, acquiescendum esse, cum eo pedem non strinxerim, neque ob ceremoniam externam litem ullam movendam, sed aliorum infirmitati omnia esse concedenda censeo, pacique ac ædificationi aliorum omnia postponenda.

CAPUT LXX.

De Cœnâ Domini: ac primò expenditur Sententia Pontificiorum, de verbis Institutionis Cœnæ.

Cœna Domini.

I. Cœna Domini est alter Novi Testamenti ritus, quo fideles in Jesum Christum credentes, & ex fide vitam secundum ejus præcepta instituentes, esu panis fracti & potu vini effusi, mortem Servatoris Jesu Christi gratâ mente commemorant, seque vera ac viva ejus membra esse profitentur, qui corpore ac sanguine ejus spiritualiter, non aliter ac corpora nostra pane ac vino, aluntur: seque invicem tanquam unius corporis membra verâ in Christo charitate complectuntur.

Est præceptum divinum.

II. Ritum hunc præcepti esse divini, liquet ex ejus institutione, *Matth.* XXVI. 26, 27, 28. *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait; accipite & comedite, hoc est corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit; & dedit illis; dicens: bibite ex hoc omnes. Hic enim est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Nec est quòd quis dicat, Dominum Jesum hoc tantum mandasse Apostolis, ac proinde nos non respicere: ratio enim addita, *Luc.* XXII. 19. *quod pro vobis datur*; & hic, *qui pro multis effunditur*, &c. non solos Apostolos, sed omnes in Jesum Christum credentes respicit. Quorum ergo est mortem Domini gratâ memoriâ celebrare, eorum est ritum hunc sacrum observare. 2. Apostolus Paulus 1 *Cor.* XI. 23. *& seqq.* Cœnæ institutionem commemorans, omnibus illius observationem præscribit, *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c. Secundò: Idem evidentissimè colligitur ex sollicita illa Apostoli Pauli cautione, 1 *Cor.* XI. 27, 28, 29. quâ præscribit, ut homo antequam de pane hoc edat & poculo bibat, seipsum exploret; additâ hac denuntiatione, quod *si quis indignè edat & bibat, reus sit corporis ac sanguinis Domini, sibique judicium edat.* Supervacanea autem esset ea cautio, si ritus hic præceptus non foret. Si enim esset ritus arbitrarius, quemque absque peccato intermittere liceret, indigno autem ejus usu homo sibi accersat judicium, utpote non discernens corpus Domini; unusquisque, ne in periculum incidat judicium sibi indigno esu accersendi, ritum hunc omitteret: atque ita Apostolus hac suâ cautelâ omnes ab ejus celebratione deterruisset.

Sensus 1 Cor. XI. 26.

III. Dices. Videtur tamen ritus esse arbitrarius, 1 *Cor.* XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Resp. Hisce verbis Apostolus ritus hujus celebrationem non permittit arbitrio fidelium; quasi dicat, quotiescunque vobis libuerit ad panem hunc manducandum convenire, celebrate mortem Domini: sed docet, quâ ratione ritum à Domino præscriptum legitimè & fini suo convenienter usurpare debeant. Sensus ergo est: Ex vi præcepti divini convenite ad panis hujus manducationem, &c. & quotiescunque eum manducatis, (ut legitimè id à vobis fiat) mortem Domini annuntiate. Quin & ex verbis hisce evidens colligitur argumentum, non esse præceptum hoc ad tempus solummodò datum, sed perpetuum, quod observari debet, usque dum Dominus veniat.

In quo ritus hic consistat.

IV. Consistit hic ritus in esu panis à ministro publicè coram toto cœtu fracti, & potu vini publicè effusi, cum fide, precibus & gratiarum actione. Utrum panis ille sit azymus, an fermentatus, indifferens est. Certum est Dominum Jesum, juxta legis Mosaicæ præscriptum, quod Pascha pane fermentato edere nefas, pane azymo usum; nos tamen illi superstitiosè alligatos noluit. Sufficit panem frangi, qualiscunque sit, hoc est, quicquid ad frangendum, & corpus alendum aptum est.

Symbola ejus sunt panis & vinum.

V. Symbola itaque, quibus ritus hic constat, sunt panis & vinum, quibus corpus Jesu Christi fractum, & sanguis ejus pro nobis effusus, adumbratur. Idque innuunt verba institutionis, quibus panis corpus Jesu Christi, vinum verò ejus sanguis appellatur. Sed quoniam de symbolis hisce maxima inter Christianos est controversia, antequam explicemus quâ ratione symbola hæc corporis ac sanguinis Dominici signa sint, ritusque hic legitimè administrari debeat, errores contrarii refellendi sunt.

Sententia Pontificiorum de verbis institutionis

VI. Primò ergo occurrit sententia Pontificiorum. Hi verbis institutionis. *Hoc est corpus meum*; *Hoc poculum est sanguis Novi Testamenti*, præcisè inhærentes, neque ullum figuratum loquendi modum admittentes, panem & vinum per transsubstantiationem, uti loquuntur, in corpus ac sanguinem Jesu Christi mutari ajunt; ita ut substantia panis & vini destructa in illius locum succedat substantia & corporis & sanguinis Jesu Christi. Seu, ut ipsa Synodus Tridentina definivit, in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis

& vini

& vini consecrationem, Dominus noster Jesus Christus, verus Deus atque homo, verè, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium continetur: declaratque per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.

Ea refellitur. VII. Verùm hæc sententia est quàm maximè absurda; manifestumque est panem, nullamque aliam substantiam, Apostolos ex manu Domini accepisse & comedisse. Quod ita probamus.

Ratio prima. VIII. Primò. Quod Christus accepit in manus, etiam tradidit discipulis: Accepit autem in manus panem; ut disertè narrant Euangelistæ, illumque dicitur fregisse, & discipulis dedisse. Dices. Mutatus est per verba consecrationis in substantiam corporis Christi. Resp. 1. Non esse hæc propriè verba consecrationis, sed institutionis, antea cùm de Sacramentis in genere ageremus, ostensum fuit 2. Fieri non potest, ut per illorum verborum pronuntiationem substantia panis in substantiam corporis Dominici mutata sit. Aut enim sunt pronuntiata postquam Dominus panem dedit: at sic panem tradidit discipulis, & comedere præcepit; quia comedere præcepit quod tradidit; aut si panem non comederunt discipuli, non comederunt quod ipsis Dominus tradidit, & comedere præcepit, additâ particulâ rationali *enim*, *hoc enim est corpus meum*. Aut pronuntiata sunt antequam panem tradidit; at tum verba malè cohærerent: hæc enim posteriora, *hoc enim est corpus meum*, ratio sunt præcepti præcedentis, *accipite & comedite*: at illius ratio esse non possunt, si ante panis traditionem pronuntiata sunt. Si enim panem nondum acceperint, quomodo hæc verba tanquam ratio, cur panem acceptum comedere debeant, adhiberi potuerunt? Aut inter tradendum dicta sunt: Atqui verba *accipite & comedite*, aut respiciunt substantiam corporis Christi; sed id verum esse nequit, quia tum nondum verba consecrationis, per quæ transubstantiationem fieri docent, erant prontmtiata: aut substantiam panis; at tum aliud præcepisset edere, quàm dederit, aut à discipulis edi potuerit, præcepisset nempe panem edere, & dedisset discipulis corpus suum. Quæ omnia sunt absurda.

Secunda. IX. Secundò. Si corpus Christi comedatur in Cœna, oportet ut sit corpus Christi ante hæc verba; quia de eo quod non est, non potest dici quod sit. Si autem corpus Christi fuerit ante hæc verba; aut per hæc verba panis in Christi corpus fuit mutatus; sed si jam ante hæc verba mutatio facta est, per eorum pronuntiationem fieri non potuit: Aut per alia verba: Atqui hoc non concedent; quia cum ea ignota sint, nunc panis in corpus Christi mutari non posset. Dices. Incepit esse corpus Christi per hæc verba. Resp. Per quodnam horum? nulli enim singularis vis inest ad hoc efficiendum, magis quàm alteri. 2. Dicendum tum fuisset, non, *hoc est corpus meum*; sed, hoc sit, vel fiat corpus meum; perinde uti Deus, *Genes.* 1. *fiat lux*: Dominusque Jesus miracula sua faciens, semper loquitur in imperativo modo. 3. Si ejusmodi miraculum Dominus Jesus vellet efficere in pane, oporteret ut alloquutur panem, non discipulos.

X. Tertiò. Etiam post hæc verba pronuntiata vocatur panis, ut 1 *Corinth* x. 17. xi. 26, 27, 28. quibus in locis dicimur manducare panem; non autem manducatur, nisi post horum verborum pronuntiationem; ergo reverâ est & manet panis. Nulla enim est ratio, ob quam Scriptura corpus Domini vocet panem. Dices: Vocatur panis quia fuit panis; perinde uti *Exod.* vii. 12. virga Aaronis in serpentem jam mutata, vocatur virga. Resp. Corpus Christi nunquam fuit panis, sed semper caro. Dices. Vocatur panis ob speciem ac similitudinem; perinde uti *Actor.* ii. 3. species linguarum Apostolorum capitibus insidentes vocantur linguæ ob similitudinem. Resp. 1. Non fuerunt species linguarum, sed veræ linguæ; non tamen carneæ, sed igneæ. 2. Corpus Christi nunquam habuit speciem aut similitudinem panis: sed semper fuit caro, pani admodum dissimilis. *Tertia.*

XI. Quarto. Omnes sensus nostri repugnant, qui unanimiter testantur, hic non esse corpus Christi, sed panem. Si verò sensibus rectè se habentibus non sit habenda fides, nulla erit Religionis Christianæ certitudo. Credenda quidem sunt multa sensibus non percepta, non verò, quæ sensuum indicio falsa esse deprehendimus. Tota resurrectionis Dominicæ certitudo, quæ nostræ resurrectionis totiusque religionis Christianæ fundamentum est, nititur testimonio sensuum tanquam certissimo, & cui contradici nequit: 1 *Joan.* 1. 1. 2 *Pet.* 1. 16. Hoc verò si fallax sit, nulla nobis superest certitudo, potuitque Thomas, licet sensuum suorum experientiâ convictus, non credere resurrectionem Domini. Sed verò sanius eum hisce Theologis argumentatum legimus; statim enim se convictum fatetur, *Joan.* xx. 28. dicens, *Dominus meus & Deus meus.* *Quarta.*

XII. Quintò. Nihil mutari potest in id, quod jam est, nec unquam esse desiit; sed solummodò in id quod non est: alias simul esset & non esset: quod ipsi Pontificii contradictorium statuunt. Esset enim, quia esse supponitur: non esset, quia ex alterius *Quinta.*

 sub-

substantiae mutatione fieri adhuc deberet. Cùm ergo corpus Christi jam exsisteret, panis in id mutari non potuit.

Sexta. XIII. Sextò. Tandem infinita alia naturæ corporis directè adversantia hinc sequentur absurda. 1. Duo essent Christi, alter ex virgine natus, alter ex pane formatus; alter fractus & esus, alter non fractus nec ejus, &c. 2. Essent accidentia sine subjecto; remanent enim accidentia panis & vini: illa autem nec pani ac vino inhærent, utpote jam in substantiam corporis ac sanguinis Christi transsubstantiatis; nec corpori Christi; quia tum forent accidentia corporis Christi; at sunt accidentia panis. 3. Lateret substantia propriis accidentibus prædita, sub accidentibus alienis; ita tamen, ut nec per propria nec per aliena accidentia in sensus incurrere posset. 4. Corpus Christi existeret gloriosum in cœlis, & esset corruptibile, imò mortuum in terrâ. 5. Illius esset extensionis in Eucharistia, cujus naturaliter est in cœlo, & in cœlo spatium occuparet, in Eucharistia non. 6. Esset pluribus in locis simul, diversis ac contrariis motibus simul moveretur, in orientem & occidentem, sibi ipsi obviam veniret. 7. Christus accubuisset unà cum discipulis, seque ipsum discipulis manducandum dedisset, & à discipulis manducatus fuisset, & tamen ipsis distribuisset poculum; imo si ipse Cœnæ particeps fuit, seipsum comedit, habuitque non os in capite, sed caput in ore. Ut alia non addamus: quæ omnia portenta sunt ac monstra absurditatum.

Refutatio objectionum. XIV. Ad incrustandum tamen absurdam adeò sententiam, multa solent congerere argumenta; omnia autem adeò elumbia & imbellia, ut numero potius quàm robore argumentorum pugnare velle videantur.

Prima, desumta à figuris V. Test. XV. Primum argumentum desumunt ex figuris Veteris Testamenti quas Eucharistiam adumbrasse dicunt, quæ sunt tres præcipuæ, agnus Paschalis, sanguis Veteris Testamenti cujus mentio fit *Exod.* xxiv. 8. *Hebr.* ix. 20, 21. & Manna. Figuræ autem debent esse viliores re figuratâ; quia sunt umbræ, res verò figurata corpus: Hæ autem figuræ sunt præstantiores pane: ergo in Eucharistia non est panis, sed corpus ipsum Christi.

Refellitur. XVI. Resp. 1. Non sunt illæ figuræ Eucharistiæ, sed ipsius Jesu Christi, sicut omnes Veteris Testamenti figuræ, *Coloss.* ii. 17. Sic agnus Paschalis repræsentat Christum verum nostrum Pascha, 1 *Cor.* v. 7. Manna similiter, *Joan.* vi. Quòd verò Bellarminus sanguinem Veteris Testamenti non ipsum Christi sanguinem, sed Eucharistiam adumbrare dicit, pudendum est; caputque ix. *ad Hebr.* evidentissimè contrarium docet. 2. Absurdum etiam est figurarum figuras fingere: figuræ enim rem ipsam repræsentant, non figuram. Dices: 1 *Pet.* iii. 21. dicuntur aquæ diluvii adumbrasse Baptismum. Resp. 1. Vox ἀντίτυπον latè illic accipitur, designatque id quod aliquam habet similitudinem, reique non ex propria Dei intentione aut juxta providentiæ ipsius administrationem, sed per accommodationem quandam comparatur: quod hic manifestè locum habet. Non enim sicut per Baptismum homines servari ajunt, etiam per diluvii aquas olim servabantur; sed per arcam quæ ferebatur super diluvii aquis. 2. Non hîc loquitur Apostolus de externo Baptismo aquæ, sed de spirituali purgatione à peccatis, per externum aquæ Baptismum adumbratâ. Tandem: figurarum dignitas non dependet à materia, sed à significatione: horum autem significatio multò est illustrior, quàm figurarum Veteris Testamenti. Panis enim & vinum in Eucharistia, seu potius tota illa actio, quæ circa panem & vinum peragitur, non repræsentant nobis corpus Christi frangendum, sed jam fractum, additâ clarâ Domini nostri explicatione, ritum hunc hanc habere significationem. Figuræ autem Veteris Testamenti corpus adhuc frangendum, & non nisi à longè repræsentabant; & obscurè potius erat olim insinuatum quàm revelatum, Deum Filii sui mortem illis adumbrare velle: erant ergo figuræ obscuræ & inevidentes. Et si Eucharistiæ tantum figuræ fuerunt, mortem Christi obscurius adhuc adumbrarunt; quoniam non nisi mediante aliquâ figurâ propriore, proinde quæ clarioris ac evidentioris est significationis, eam repræsentarunt. Licet ergo agnus, utpote caro, potuisset distinctius carnem Christi repræsentare, licet dignior si pane; tamen cùm Deò non placuerit agno, sed pani hanc attribuere significationem, agnum esse respectu significationis pane inferiorem esse fatendum est.

XVII. Alterum argumentum desumitur ex promissione, quam Dominus Jesus fecerit de Eucharistia, *Joan.* vi. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* *Secunda Ex Joan. vi. 52.* Resp. 1. Multi ex Pontificiis agnoscunt illic non agi de Eucharistia; inter alios Cardinalis Cajetanus. 2. Inversa est locutio, & directè contraria illi, quæ occurrit in institutione: illic enim de pane dicitur, *Hoc est corpus meum*: hîc verò de carne Domini, quòd sit panis. Si ergo verborum institutionis Cœnæ mens est, quòd panis sit mutatus in corpus Domini; dicendum verborum promissionis sensum esse, quòd corpus Domini sit mutandum in panem: quod absurdum est. 3. Quoniam *vers.* 54. Dominus inquit, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis*

bebitis vitam in vobis: concludendum, & Laïcis porrigendum calicem, & infantibus Cœnam: perinde uti illi ex *Joan.* III. 5. infantibus Baptismum esse administrandum contendunt. At hoc non concedunt. 4. Nec Apostoli tum habuissent vitam in seipsis, quia nondum Cœnæ participaverant. Loquitur ergo Dominus de spirituali esu per fidem, qui qualis sit in sequentibus ostendemus. Imò ipsi Pontificii fatentur, prima hujus versus verba de Cœna non esse accipienda: cur itaque non & posteriora? Dicunt: Christus expressè loquitur in futuro, non dicens, do, sed *dabo*. Resp. Quia respexit, non ad Eucharistiam, sed mortem suam adhuc futuram, sine qua non erat panis salutaris. Pergunt. Attamen diserte suam actionem à Patris actione separat: de Patre enim dicit, *dat vers.* 32. Resp. Quia Pater ipsum jam in mundum miserat: ipse autem se nondum tradiderat in mortem.

Diluuntur instantiæ quædam.

XVIII. Dices: Cùm Judæi litigabant, *vers.* 53. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum;* Dominus, si de manducatione per fidem egisset, uno aut altero verbo mentem suam explicuisset. Resp. Et *vers.* 41. juxta Pontificios nondum de Eucharistia locutus fuerat Dominus, & tamen Judæi leguntur murmurasse, nec Dominus dilucidius postea iis loquitur, aut verba sua clarius explicat. Nec *Joan.* II. cùm Judæi ea, quæ Dominus de templo corporis sui dixerat, de templo lapideo accipiebant, clarius se explicuit. Nec semper parabolarum sensum tradit, sed aliquando per parabolas loquitur, ut auditorum suorum animos detegat, impietatemque in animo latentem in apertum producat, ipsique occasionem habeant, si velint, in malitia sua magis magisque se indurandi, ut audientes audiant & non intelligant. Dominus hac figuratâ loquendi ratione hic est usus, quia allusit ad Manna. Interim tamen addit *vers.* 64. *Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt.* Dices. Respicit hæc disputatio miraculum de panum multiplicatione, quæ Eucharistiæ fuit figura. Resp. Maxime inter hæc duo est diversitas: non enim illa panum erat conversio in substantiam ante existentem, sed multiplicatio; quæ licet omnem naturæ vim superet, nihil tamen in illa panum naturæ contradictorium peractum est: transsubstantiatio verò cum corporis Christi natura consistere nequit. 2. Inter panum multiplicationem & hanc disputationem intercessit mentio de Manna; quæ hæc duo ita distraxit, ut nihil inter se commune habeant. Dices. Dominus *vers.* 63. miraculum hoc probat, majori miraculo adducto, adscensione sua nim: in cœlum; quod opus non fuisset, nisi de miraculosa carnis suæ exhibitione locutus fuisset. Resp. Adscensio in cœlum majus miraculum non est transsubstantiatione: illa enim unum tantum fuit miraculum, hæc multiplex: illa non sustulit naturam corporis Christi; hæc eam penitus tollit, variaque contradictoria involvit

Tertia, ex verbis institutionis.

XIX. Tertium argumentum petunt ex verbis institutionis, *Accipite, edite, hoc enim est corpus meum.* &c. Ac primò quidem in genere probare conantur hîc nullum esse tropum. 1. Quia Sacramenta non instituuntur verbis metaphoricis, sed propriis. Resp. Contrarium patet ex institutione Circumcisionis, *Genes.* XVII. 10. & agni Paschalis esu, *Exod.* XII. 11. quæ tamen ipsi Sacramenta esse contendunt. Excipiunt. Circumcisio non fuit signum fœderis, sed verè fœdus. Resp. Ridicula illa est assertio: fœdus enim jam inter Deum & Abrahamum contractum fuerat ante Circumcisionem: voluit autem Deus, ut Circumcisio externum fœderis illius foret signum, ut expressè dicitur *vers.* 11. & *Rom.* VI. 11. Quatenus verò præceptum est, non negamus partem fuisse obsequii ab Israëlitis, tanquam Dei fœderatis, observandi. Similiter excipiunt de agno Paschali, quòd ille non vocetur transitus: verba enim illa, *est enim Phase, seu transitus, Domini*, non ad præcedentia, ubi agni mentio fit, esse referenda, sed ad sequentia: præterea, quod agnus non significaverit transitum, sed Dominum Jesum verum agnum. Resp. Nos facile concedere, sicut liberatio ex Ægypto fuit figura liberationis per Christum, ita etiam agnum fuisse figuram Christi. Inde tamen neutiquam sequitur, non etiam agnum fuisse signum transitus Domini: nempe, non agnum ipsum in se spectatum, sed totam illam ceremoniam, quæ circa agnum peragenda erat. Eâ siquidem quam appositissimè adumbrabatur transitus Dei, quo omnium ædes, quarum postes sanguine agni erant conspersi, præteriit. Quin etiam in institutione Cœnæ poculum vocatur *novum fœdus*, *Luc.* XXII. 20. quod non nisi per tropum explicari potest. Illiusque significationis ratio est analogia inter signum & rem signatam. 2. In lingua Hebræa & Syra *esse* non denotat propriè esse reale, sed potissimum esse repræsentativum; adeò ut *esse* tantumdem sit atque significare.

Probatur in iis esse tropum.

Non condidit hîc Dominus testamentum.

XX. Secundò. Dicunt, in testamentis non solere adhiberi tropos; quia maxima in iis requiritur perspicuitas, ne lis oriatur de mente testatoris. Resp. 1. Tropi aliquando sunt clariores verbis propriis. 2. Magnus est error, Dominum Jesum hic condidisse testamentum suum, & Ecclesiæ legasse aliquod spirituale bonum quod per Apostolos, eorumque (ut vocant) successores, ipsi distribueretur: mandatum solummodò dedit Eccle-

Ecclesiæ, ritus cujusdam sacri celebrationem peragendi in mortis suæ commemorationem.

Occurritur quibusdam exceptionibus. XXI. Obj. Christus tamen semper parabolas & tropos, si quas adhibuit, explicuit. Resp. 1. Non semper; ut quando se vocat *pastorem*, *vitam*, *viam*, *vitem*; &c. 2. Opus hîc non erat explicatione, quia verba sunt clara. Obj. Non est discedendum à verborum proprietate, nisi cogamur ab alia Scriptura, aut articulo fidei. Resp. Utrumque hîc cogit: Scriptura enim vocat panem, etiam post consecrationem; uti ex 1 *Cor.* x. 17. xi. 26, 27, 28. vidimus. Articuli fidei docent, Jesum Christum in cœlos adscendisse, indeque ultimo die reversurum ad judicium. Quin & repugnat recta ratio, quæ plurima absurda ac contradictoria in propriâ verborum acceptione deprehendit, ac proinde figuram admittere cogit.

Quo sensu Dominus dicatur benedixisse. XXII. Obj. Dominus nunquam legitur benedixisse, nisi cum grande quid patraturus; ut cum panes esset multiplicaturus, *Matth.* xv. 26 *Joan.* vi. 11. & alibi simili in casu. Resp. Vocem εὐλογεῖν æquipollere voci ευχαριστεῖν, quâ Lucas utitur; quæ non denotat actionem quandam, quâ Christus propriè circa panem occupatus fuit, sed gratiarum actionem Deo præstitam: hinc Paulus 1 *Cor.* xi. 24. solummodò dicit εὐχαριστήσας, nullâ factâ mentione panis aut poculi. Ignominiosum autem est Domino Jesu, dicere illum non nisi rarò Deo gratias egisse: minus ergò quid egerit quàm Judæi, quibus quotidianum erat in cibi sumtione Deo gratias agere, quo facto cibus consecrari credebatur, ut sine peccato assumi posset.

Quid significet, τοῦτο. XXIII. Hisce argumentationibus generalibus præmissis, porrò ex ipsis institutionis verbis sententiam suam adstruere conantur. Ac primò argutantur in voce *hoc*, τοῦτο quod inquiunt, non potest denotare panem, quia tum dicendum foret *hic*, seu οὗτος: ergo denotat corpus Domini. Resp. Est usitatus loquendi modus, ac tantumdem valet, atque hæc res. In omnibus linguis modus ille loquendi locum habet. Similis locutio etiam exstat, 1 *Cor.* x. 28. *Si quis dicat, hoc est immolatum idolis*. Nec vocula *hoc* respicere potest corpus Domini, utpote tum nondum ex pane mutatum. Procul dubio ergo significavit id quod Dominus in manus accepit; uti 1 *Cor.* x. 28. quod digito demonstratur. Dices. *Hoc* tamen in altera Cœnæ parte non significat vinum, sed poculum; *Luc.* xxii 20. dicitur τὸ ποτήριον &c. ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον; illud ἐκχυνόμενον, non referri potest ad αἵματι, sed ad ποτήριον; denotat ergo poculum, non vini, sed sanguinis. Resp. 1. Ridiculam faciunt Domini orationem; hoc poculum sanguinis mei, est Novum Testamentum in sanguine meo, &c. 2. Quod constructionem Grammaticam attinet, est constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον, quia enim idem est αἷμα τῆς διαθήκης, & διαθήκη ἐν αἵματι, dicitur ἐκχυνόμενον, & ad αἷμα quod intelligitur refertur: aliàs tropus in Lucæ verbis erit agnoscendus. Vide simile exemplum, *Matth.* xxviii. 19. durior adhuc constructio reperitur, *Apoc.* i. 5, 9.

XXIV. Secundò argutantur in voce *est*, quam non aliâ dicunt accipi significatione, quàm propriâ. Resp. In contrarium sunt infinita testimonia; *Genes.* xl. 12, 18. xli. 26, 27. xvii. 10. *Exod.* xii. 11. *Can.* ii. 38. Apud Joannem passim, ubi Dominus seipsum vocat pastorem, ostium, viam, vitam, vitem, Patrem suum vinitorem, discipulos palmites, oves, &c. & *Apoc.* i. *ult.* Estque hæc significatio adeo usitata, ut observatum sit, vocem *esse* in lingua Hebræa & Syra non tantum esse reale, sed & potissimum esse repræsentativum denotare, ac tantumdem valere atque significare, ut jam diximus. *Quid denotet vocula Est.*

XXV. Quartò tandem idem ex usu Cœnæ liquere contendunt. Primò ex 1 *Corinth.* x. 16 ubi *calix cui benedicimus*, vocatur *communicatio sanguinis Christi*, & *panis quem frangimus participatio corporis Domini*. Resp. Diguntur & ibidem qui idolothyta comedunt idolis communicare, & qui hostiæ participant, altaris esse participes. Sicut ergo exinde concludi nequit, idolothyta in dæmones aut hostias in altare esse transsubstantiata: ita neque exinde concludi potest, panem & vinum in corpus & sanguinem Domini esse transsubstantiata. Communio itaque hic significat testificationem communionis: sensusque est, fideles hac actione publicè testari, se cum carne & sanguine Christi communionem habere; perinde ut is, qui idolothyta comedit, aut hostiæ particeps est, hac suâ actione testatum reddit, se cum dæmonibus aut cum altari communionem habere. Eodem modo dicuntur fideles *per Baptismum cum Christo esse sepulti*, *Rom.* vi. 4. quia id Baptismi susceptione testantur. Similiter *Gal.* iii. 27. in Baptismo *Christum induisse*. *Quartò, ex 1 Cor. x. 16.*

XXVI. Secundò proferunt, 1 *Cor.* xi. 28. ubi qui Cœnam indignè edit & bibit sibi judicium edere & bibere dicitur, utpote *non dijudicans corpus Domini*. Resp. Dicitur non dijudicare corpus Domini, quia panem hunc, sanctificatum ut corpus Domini adumbret, non distinguit à communi pane; ac proinde irreverenter eum comedens revera reus est corporis Domini depreciati & vilis habiti; perinde ac si quis regis statuam non discerneret à vulgari ligno, eamque irreverenter tractaret, non dijudicaret majestatem regis, reusque foret majestatis regiæ contemtæ. *Ex 1 Cor. xi. 28.*

XXVII.

Ultima, à miraculis. XXVII. Tandem ajunt, veritatem corporis Domini in Cœna variis fuisse miraculis comprobatum. Resp. 1. Inutilia sunt illa miracula, quæ ad sui confirmationem aliis indigent miraculis. 2. Miraculum non debet credi, sed sensibus percipi, ut rei non visæ fidem ingeneret. 3. Suspecta sunt ea miracula, & fabulosa, atque ab hominibus otiosis efficta, plurimam partem etiam inepta & ridicula.

CAPUT LXXI.

Expenditur sententia Lutheranorum & Contraremonstrantium.

Refutatio sententiæ Lutheranæ. I. ALtera est Lutheri & Lutheranorum sententia: Panis nimirum & vini substantiam in Cœna quidem remanere: sed quoniam Dominus dixit, *Hoc est corpus meum*, statuunt, & corpus Christi in, cum, vel sub pane verè ac realiter præsens esse, & communicantibus tradi, & ab ipsis ore verè manducari. Quomodo autem corpus Christi illic verè adsit, dicunt esse rationi nostræ imperscrutabile, & pertinere ad arcanos sapientiæ & omnipotentiæ divinæ thesauros. At sententia hæc planè est incomprehensibilis. Pugnat enim cum veritate corporis Christi, quod certo aliquo in loco, secundum naturam omnium corporum, circumscriptum & definitum est. Illud autem est in cœlo. Ergo realiter in Cœna adesse nequit.

Origo sententiæ de Ubiquitate. II. Huic argumento duplex solutio quæri solet. Lutherus siquidem, ut argumenti hujus vim elideret, æstu disputationis abreptus, contendit corpus Christi per sessionem ad dexteram Dei ubique adesse, quia dextera Dei ubique est. Videtur autem Ubiquitatis dogma mutuatus à Jacobo Fabro Stapulensi, qui, docente doctissimo Georgio Calixto, primum illud orbi Christiano propinavit, cùm ante eum ne auditum quidem fuisset in Ecclesia Christi. Postea tamen Lutherus dogma Ubiquitatis missum fecisse videtur, & præsentiam corporis Domini in Cœna fundasse super verbis Institutionis, uti plerique postea Lutherani; nisi quod postea, annitentibus præsertim Joanne Brentio & Jacobo Andreæ, id in varias Lutheranorum Ecclesias revocatum sit, non sine gravi motu ac tumultu: cui tamen à multis semper contradictum fuit. Atqui Ubiquitas corporis Christi magnis laborat difficultatibus. Præterquam enim quòd naturæ corporis repugnet, ubique esse; Corpus, quod ubique est, moveri non poterit de loco in locum: Imò, quod rationi magis adversatur, dabitur penetratio dimensionum: Corpora enim nostra, quæ alicubi sunt, necesse est ut penetrent corpus illud quod ubique est.

III. Excipiunt: Duplicem esse modum præsentiæ corporis Christi; unum circumscriptivum & localem; alium cœlestem, supernaturalem, & divinum, ad quam caro Christi ad dextram Dei collocata, communicatione virtutis divinæ evecta est. Resp. *Per sessionem ad dexteram Dei corpus Christi non est ubique.* 1. Duplex ille præsentiæ modus merum est quid contradictorium seipsum evertens: alter quippe alterum destruit: circumscriptivus nempe ac localis, cœlestem illum qui Ubiquitas esse dicitur. Objiciunt. Habet Deus infinitos modos, quibus corpus aliquod nobis præsens exhibere potest, præter illum physicum, visibilem & circumscriptum. Resp. Non est Deo adscribendum, ut quicquam faciat circa corpus, quod cum natura corporis pugnat: Atqui ut Deus corpori duplicem ejusmodi præsentiæ modum conferat, cum natura corporis pugnaret. Non itaque negamus hanc corporis Christi præsentiam, eò quòd omnipotentiam divinam in dubium vocemus; absit: sed quia hæc contradictionem implicant; adeoque ejus sunt conditionis, ut natura corporis ea non admittat. Deus enim id efficiens faceret corpus esse non corpus. Sed dicunt, nos modum nolumus definire. Resp. Imò cùm dicunt esse præsentiam veram ac realem, jam modum definiunt. Modum autem quo corpus Christi in Cœna realiter præsens sit, mirum non est ipsos definire non posse, cum fateantur, illum rationi humanæ repugnare, & simplici fide recipiendum dicant. Nec mirum: Ratio enim humana eum absurdum ac impossibilem judicat. Et reverâ, absurdus adeo est, ut nec ipsos sententiæ hujus auctores sensum intelligibilem verborum suorum concipere posse credam. 2. Respondemus: Licet per exaltationem ad dexteram Dei humanæ Jesu Christi naturæ multa concessa sint dona, non tamen natura corporis ipsius destructa est. Aliæ nimirum sunt proprietates naturæ essentiales, quibus destructis natura humana desinit esse humana; hujusmodi respectu corporis sunt, finitum & certo sibi commensurato loco circumscriptum esse: Aliæ sunt accidentariæ, quæ naturam non constituunt, nec ejus constitutionem necessariò consequuntur, sed absque naturæ destructione abesse possunt. Harum aliæ sunt infirmitatis, ut esurire, sitire, tristari, &c. aliæ perfectionis, ut robur, agilitas, sapientia, &c. Essentiales Christus etiam in exaltatione sua retinet. Accidentarias, quæ sunt infirmitatis, in glorificatione omnes deposuit. Quæ autem perfectionis sunt, earum summum in glorificatione accepit incrementum. 3. Si præsentiæ ille modus ex sessione Christi ad dexteram Dei derivandus sit, ergo Christus in prima Cœna ejusque institutione, utpote nondum ad dextram Dei exaltatus, corpus

ſuum non dedit. Quod ſi verum eſt, nullum ex verbis inſtitutionis pro reali ac vera corporis Chriſti in Cœna præſentia argumentum peti poteſt.

Nec per unionem duarum naturarum.

IV. Quidam ex rigidioribus Ubiquitariis, ut ictum hunc declinent, Ubiquitatis fundamentum non in exaltatione Chriſti ad dexteram Dei quærunt, ſed in unione duarum in Chriſto naturarum, divinæ ac humanæ, per quam humana natura jam ſtatim à primo conceptionis momenti ad ſummam dignitatem, ſit evecta. Ajunt enim, quòd dextera Dei ſit omnipotentia Dei, adeoque ipſe Deus: Ergo cum corpus Chriſti jam in utero matris ſit Deo unitum, apparet non potuiſſe poſtea magis exaltari. Sed ne jam multis ſententiam hanc convincamus; unum tantum dicemus: Quòd directè Scripturæ Sacræ contradicat; illa enim expreſsè affirmat, Dominum Jeſum demum poſt paſſionem ſuam exaltatum, & ad majeſtatis divinæ dextram collocatum: *Luc.* XXIV. 26. *Act.* II. 33. v. 31. *Phil.* II. 8, 9, 10, 11. aliiſque pluribus locis.

Non poteſt eſſe corpus quod non occupet locum.

V. Alii verò è Lutheri ſequacibus, quibus Ubiquitatis dogma non probatur, cum Pontificiis excipiunt, poſſe corpus per omnipotentiam divinam eſſe præſens, ut tamen nullum repleat locum. Poſſe quippe virtute divinâ fieri, quæcunque non involvunt contradictionem: Corpus verò locum non occupare, ſine contradictione dici poſſe. Sed verò, quis, præjudicii expers, hic non manifeſtam deprehendit contradictionem, corpus, quod eſt ſubſtantia extenſa & impenetrabilis, poſſe exiſtere, ita tamen, ut non repleat locum extenſioni ſuæ commenſuratum? Sic enim concipitur extenſum non extenſum; quod contradictorium eſt. Hic diſtinguunt inter extenſionem in ſe conſideratam, & conſideratam cum reſpectu ad locum. Extenſionem corporis, & quicquid eſt de eſſentia magnitudinis, ſc. extendi in ſe, habere partem extra partem, & proinde ſitum quendam & diſpoſitionem earum intrinſecam, atque naturaliter aptum eſſe locum replere, loco commenſurari, & ex loco aliud corpus expellere, prius quid eſſe ipſo Ubi. At ſitum habere extrinſecum in ordine ad locum, & ipſo actu coëxtendi ſive commenſurari loco, ipſum replere, & per hoc aliud expellere, eſſe quiddam poſterius vel ſimul cum ipſo Ubi. Prius illud, ſeu naturalem illam ad commenſurationem cum loco aptitudinem, à corpore ſeparari non poſſe, & in corpore Chriſti etiam in cœna manere ſalvam: ſolum autem poſterius, ſive commenſurationem ipſam quam ad locum habet, à corpore divinâ virtute removeri abſque repugnantia dici poſſe. *Reſp.* Quis in hac reſponſione non animadvertit manifeſtam contradictionem? Extenſum enim eſſe, & partem habere extra partem, & tamen non coëxtendi loco ſive ſpatio, ſunt contradictoria: cùm extenſum non niſi in ſpatio aliquo extenſum eſſe poſſit. Imò, ſi accuratè loqui velimus, locus corporis internus reverâ ab ipſo corpore non differt, ſed modo tantum conſiderandi. Dicere ergo, corpus extenſum poſſe exiſtere, ut non coëxtendatur loco ſuo, reverâ eſt negare, corpus extenſum eſſe extenſum. Objiciunt. Locum replere non eſt de eſſentia corporis, ſed eſſentiam ejus ſequi. *Reſp.* 1. Si locus corporis internus reipsâ non differt à corpore, non minus eſt de eſſentia corporis locum replere, quàm eſſe extenſum. 2. Eſto, non ſit de eſſentia corporis, ita tamen cum exiſtentia ejus cohæret, ut ne cogitatione quidem concipi poſſit corpus exiſtens, & nullum tamen occupans locum. Perinde ſicut corpus nullum exiſtens concipi poteſt, quin ſit in tempore; etſi tempus de eſſentia corporis non ſit. Quare & hæc exceptio non minus evidenti quam præcedens contradictione gravatur.

In verbis inſtitutionis eſt tropus.

VI. Pro ſententia autem ſua ſola producunt verba Inſtitutionis Cœnæ. Dominus, inquiunt, dixit, *Manducate, hoc enim eſt corpus meum.* Atqui ille mentiri eſt neſcius. *Reſp.* Non dubitatur de veritate verborum Domini, ſed de vero illorum ſenſu diſputatur. Illa autem propriè non poſſe accipi, prout κατὰ ῥητὸν ſonant, jam fusè probatum eſt. Sunt itaque accipienda figuratè, & quidem figurâ uſitatiſſimâ, qua ſignum ſumitur pro re ſignata, propter arctiſſimam quæ inter ea intercedit conjunctionem: uti in ſequentibus oſtendemus.

Occurritur aliquot exceptionibus.

VII. Excipiunt. In teſtamentis verba proprio ſenſu ſunt accipienda, aliàs nulla eorum eſſet certitudo. *Reſp.* 1. Antea nos oſtendimus, Dominum hic non condidiſſe teſtamentum ſuum, neque Eccleſiæ corpus ſuum, hic in terris perpetuò in Cœna ſumendum, legaſſe: ſed aliquid Eccleſiæ mandaſſe, quod in memoriam carnis ſuæ fractæ, & ſanguinis pro ipſa effuſi, ab ea præſtari vult. Excipiunt. Dogmata & præcepta, præſertim nova, & alibi non propoſita, verbis quam fieri poteſt maximè propriis Scriptura tradit ſemper. *Reſp.* 1. Nulla hîc eſt in verbis, quibus præceptum continetur, ambiguitas. Verba enim, *accipite, edite, bibite ex hoc omnes, facite hoc in mei commemorationem*, nullam admittunt ambiguitatem. Diſputatur ſolummodò de verbis, *hoc eſt corpus meum*, quæ non ipſum præceptum continent, ſed tantum rationem, cur Dominus ritum hunc obſervari præceperit. Quocunque autem ſenſu verba illa accipiantur, præceptum Domini legitimè obſervari poteſt, ſi ea præſtentur, quæ Dominus obſervari expreſsè præcepit, quæque verbis claris, non figuratis enuntiavit. 2. Figuratæ

guratæ locutiones aliquando magis sunt perspicuæ, quàm propriæ: saltem in hac figura, quæ & in Scriptura, & in communi sermone, frequentissima est, nulla est obscuritas. Ajunt, se simplici fide recipere verba Domini. Resp. Non sunt recipienda verba Domini sensu absurdo, & qui seipsum destruit: aliàs, si semper verba velimus sumere sensu proprio, prout simpliciter secundum literam sonant, prætextu simplicis fidei, omnia absurdissima & contradictoria colligentur ex Scriptura; ut, Deum habere corpus, Dominum Jesum esse vitem, nos palmites, aliaque plura. Fides nostra debet esse rationalis, nec repugnare rationi à Deo nobis inditæ. 3. Et ipsi in verbis Domini tropum agnoscunt: quia panis, ex ipsorum sententia, non est corpus Christi; nec poculum est sanguis ex ipsorum sententia, sed illud quod in poculo est: seu potius, cum vino quod in poculo est, datur sanguis, & cum pane, corpus Christi. Ajunt: Locutionem esse similem, ac si quis vitrum habens plenum vini, dicat, hoc est rubrum vel album vinum: cùm enim duæ res simul exhibentur, notum est, præstantius solummodò nominari. Resp. Ergo agnoscunt tropum, metonymiam nempe quo continens sumitur pro contento. Cur autem & hoc non credunt simplici fide? Et si tropus admittendus est, cur non illum admittunt, qui sanum in se sensum continet, præ illo, qui rationi rectæ è diametro repugnat?

Et objectioni à natura Sacramenti desumta. VIII. Objiciunt præterea: Sacramenta constare re terrenâ ac cœlesti: Nisi autem propriè verba Domini accipiamus, nulla in Sacramento hoc erit res cœlestis. Resp. 1. Quisque Sacramenti definitionem procudit pro arbitrio suo, & opinioni suæ convenientem, ex eaque argumenta depromit contra adversarios, & responsiones quibus eorum objectiones diluat. Cùm itaque in Sacramenti definitione convenire nequeunt, exinde, tanquam veritate utrinque concessâ, responsiones peti non possunt. Et fortasse præstitisset voce illâ, quæ tot litium materia est, abstinuisse, & adhuc abstinere; ut simul ac semel omnes illæ contentiones de voce, quæ in Scriptura Sacra non reperitur, præcidantur. 2. Esto, Sacramenta constent re terrenâ ac cœlesti, non tamen utraque verè ac realiter præsente, sed tantum signo ac signato: signato absente, & per signum præsens adumbrato.

Sententia Contraremonstrantium. IX. Tertia Contraremonstrantium sententia est: In Cœna Domini verum dari panem ac vinum, eaque esse symbola ac signa corporis Jesu Christi pro nobis fracti, ac sanguinis pro nobis effusi. Hæc fuit sententia Zuinglii. Sed Bucerus, Calvinus, eorumque sequaces, postea addiderunt: Licet panis & vinum accipiantur membris & sensibus corporis, ipsum tamen corpus & ipsum sanguinem Christi verè illic esse præsens & exhiberi, ac recipi fide. Videtur illud excogitatum à Bucero, qui pacis studio, ut Lutheranos & Zuinglianos inter se conciliaret, excogitavit modos loquendi ambiguos, quibus utraque pars subscribere posset, salvâ unicuique suâ sententiâ: sed conatus ille male cessit. Conqueruntur enim Lutherani de fraude Reformatorum, qui quod unâ manu porrigunt, alterâ rursus auferunt. Et revera ut pax & concordia obtineatur, præstat propriè absque ambiguitate loqui, ac qui intercedit dissensum fateri, interimque illius momentum inquirere, quò pateat, tantum id non esse, ut propterea in partes abire oporteat; quàm verbis generalibus ac ambiguis dissensum dissimulare, atque interim peculiari ac diversâ verborum acceptione rursus dissensum suum prodere. Reformati quippe dicunt, contentionem inter se & Lutheranos esse de modo. Verum id quidem est; sed modus ille magnum sententiarum discrimen facit. Lutherani quippe Eucharistiæ essentiam in eo collocant, quod corpus Christi in ea verè ac substantialiter adsit, ideoque & à communicantibus ore sumatur: Reformati autem, verè quidem adesse ajunt, sed non substantialiter, ideoque non corporibus nostris, sed fidei solummodo adesse, & ab ea verè, tanquam ore spirituali, assumi: Modum autem illum, quo Christi corpus nobis in Cœna adest, adeò esse admirabilem, *ut mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse possit*; uti Calvinus ait, *Instit lib.* IV. *cap.* XVII. §. 7.

Ea expenditur. X. Fatemur nos, alibi, præsertim *Joan.* VI. de spirituali manducatione corporis ac sanguinis Domini sermonem esse, quæ aliud nihil est, quàm confirmatio in fide per mortem Christi, in doctrinæ suæ testimonium, & pro salute nostra toleratam: sed ad eam non respicitur in Cœna; nec ex ipsorum sententia respici potest; quia in Cœna esse volunt communionem cum physica corporis Christi substantia, quod verè, licet non substantialiter, ibi præsens adesse docent. Atqui sententia illa non minore, quàm Lutheranorum, absurditate laborat. Quia illa communio eum substantia corporis Christi, vel est communio cum corpore Christi ut in cœlis manente, aut in terra & in ipso Cœnæ usu reipsa præsente. Si posterius dicant, ubiquitas corporis Christi est admittenda, & apertè in castra Lutheranorum transeundum. Si prius; repugnantia dicunt. Quomodo enim possibile est, corpus Christi, quod in cœlo est, & non alibi, nobis, qui in terra sumus & non alibi (uti Beza loquitur) verè communicari & in cibum cedere? Ajunt: Conjunctionem nostri cum corpore Christi

fieri per fidem, quasi per os spirituale, quâ multa absentia nobis præsentia sistere possumus. Resp. 1. Conjunctio per fidem cum Christo usum Cœnæ præcedere debet; aliàs homo indignus qui Cœnam celebret; ejus enim celebratione se jam illam communionem habere testatur. 2. Unionem illam, quæ per fidem fit, expressè distinctam cupiunt ab illa unione quæ fit in Cœna, quam sublimius & expressius quid continere volunt. 3. Unio illa non est incomprehensibilis. 4. Nec fides res absentes verè præsentes facit; sed sibi solummodò tanquam præsentes repræsentat, cùm tamen verè absentes sint; est enim ὑπόστασις ἐλπιζομένων: *Hebr.* XI. 1. Deinde: Nullum fructum spiritualem anima nostra percipere potest ex communione cum ipsa corporis physici ac sanguinis Christi substantia, præsertim cum fit communio cum corpore mortuo, sanguine effuso, prout in Cœna repræsentatur, & ipsi exhiberi credunt.

Occurritur objectioni ex 1 Cor. X. 16.

XI. Sed pro sententia sua objiciunt, quod 1 *Cor.* X. 16. *Panis quem frangimus* vocetur *communio corporis Christi*, & *Poculum quod bibimus*, *communio sanguinis Christi*. Sed jam in præcedentibus adversus Pontificios respondimus, non posse hæc verba propriè accipi, neque exinde deduci, corporis Christi communionem revera exhiberi in Cœna: sed designari testificationem communionis nostræ cum Christo: esu scilicet panis, & potu vini publicè testamur, nos cum corpore & sanguine Christi communionem habere: perinde atque illi, qui mensis idolorum participabant, testatum faciebant se cum dæmonibus habere communionem. Et hac ratione, ut maximè valida ac efficaci, Apostolus Corinthios dehortatur, ne mensis idolorum participent: quia istâ participatione ostendunt, se cum dæmonibus communionem habere: Atqui indignum est, ut illi, qui esu panis & potu vini in Cœna communionem suam cum Christo testantur, etiam cum dæmonibus communionem habeant: Ideo ait *vers.* 20. 21. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.*

Et ex 1 Cor. XII. 13.

XII. Præterea pugnant verbis in eadem epistola, *cap.* XII. 13. *Et omnes unâ potatione potati sumus in unum spiritum.* Sed quid in verbis hisce est, quod aliquatenus sententiæ huic favere possit? In toto hoc capite ne unum quidem verbum de Cœna Dominica occurrit. Unde ergo probabunt hîc de potatione quæ in Cœna fit sermonem esse? Disserit hîc Apostolus de liberali donorum Spiritus Sancti distributione, qua fideles diversimodè à Deo & Christo perfunduntur, ut fiant unus spiritus; hoc est, ita inter sese uniantur, non aliter ac si sint unum corpus & anima una. Docet nempe Deum non omnibus eadem, sed singulis diversa dona pro arbitrio suo distribuisse; idque eo fine, ut istis veluti spiritualibus vinculis inter se colligarentur, ut alii aliorum commodis studerent: non aliter atque unius ejusdemque corporis diversa membra, uno spiritu inter se colligata, singula pro dignitatis suæ ratione sibi invicem usui sunt, & altera alterorum incolumitati inserviunt. Spiritus ergo unus, in quem fideles potati dicuntur, non est Spiritus, qui ipsos cum Jesu Christo unum facit, (quod licet verum sit, de eo tamen nihil in hoc loco dicitur) multò minus in Cœna, sed inter se invicem tanquam unius corporis membra conjunctos reddit. Et hunc sensum totus verborum Apostoli contextus manifestissimè evincit.

Et ex conjunctione quam habemus cum Christo.

XIII. Atqui, inquiunt, Scriptura passim testatur intimam esse inter Christum & fideles communionem, eamque variis conjunctionibus, ut membrorum unius corporis, &c. assimilat. Resp. Fatemur: sed conjunctio illa non fit in Cœna, nec cum corpore Jesu Christi; sed ante Cœnam per fidem, estque spiritualis conjunctio cum Christo omnibusque ipsius beneficiis; & conditio requisita, ut quis dignè Cœnæ communicare possit; adeò ut, si quis per fidem Christo verè conjunctus non sit, nec is legitimè Cœnæ participare possit. Attamen, inquiunt, Cœna hujus cum Christo conjunctionis tessera est. Agnoscimus: atqui exinde concludimus, conjunctionem nostram cum Christo Cœnæ participationem præcedere; tessera enim rem confirmans & obsignans nulla esse potest, nisi res jam existat; aliàs falsa esset, utpote rem quasi jam existentem obsignans, quæ nondum existit, sed quæ demum actu, qui tessera est obsignans, acquiritur. Quod planè absurdum est. At, inquiunt, nisi ejusmodi cum corpore Christi in Cœna conjunctionem admittamus, à Cœna omnia excluduntur mysteria. Resp. Mysteria nulla in Cœna sunt quærenda extra Scripturam: illa autem nobis explicat, quid fractione & esu panis, ac effusione & potu vini, seu totâ illâ actione, quæ in Cœna peragitur, designari Dominus voluerit: Illa autem ita clarè in Scriptura sunt tradita, ut nobis amplius mysteria non sint. Si qui præter hæc mysteria quædam fingere velint, ii periculosè errant, & occasionem incautis præbent ritum hunc nimis exaltandi, quasi præcipua cultus Christiani pars sit, ac proinde in ritus externi sollicita observatione fiduciam collocandi.

Quo sensu panis & vinum vocentur corpus & sanguis Domini.

XIV. Dicendum ergo, quod nobis in Cœna datur esse merum panem & vinum; ea autem esse signa corporis ac sanguinis Christi; quia ceremoniâ illâ fractionis panis & effusionis vini adumbratur, qua ratione corpus Christi pro nobis sit fractum, & sanguis effu-

effusus. Quia autem per istam actionem maxima apparet esse similitudo inter panem ac corpus Christi, & inter vinum ac sanguinem Christi; hinc panis & vinum usitato loquendi modo solent corpus & sanguis Domini appellari. Aliud mysterium in ritu hoc, qui maximè simplex est, quæri non debet.

CAPUT LXXII.

De Fine Cœnæ Domini, & legitimo illius usu.

Finis Cœnæ triplex. I. UT autem sacri hujus ritus natura, & qua ratione panis & vinum symbola sint corporis ac sanguinis Jesu Christi, distinctius percipiatur, finis Cœnæ considerandus est. Est is triplex.

Primus, commemoratio mortis Christi. II. Primus ac principalis Cœnæ finis est commemoratio cruentæ mortis Jesu Christi; quæ optimè adumbratur fractione panis, & effusione vini; illâ enim repræsentatur, quomodo Jesu Christi corpus fractum sit, non tantum in flagellatione, spineæ coronæ impositione, crucifixione, sed potissimum in morte, quæ disertè fractio appellatur, *Joan.* II. 19. ac quomodo Jesu Christi sanguis sit effusus & è vulneribus ipsius effluxerit. Indeque apparet, ad ritus hujus integritatem pertinere, ut panis frangatur, & vinum seorsim à pane effundatur; eumque aliquatenus mutilari, quando loco panis fracti, tenuia crustula, quæ frangi nequeunt, aut saltem non franguntur, integra fidelibus distribuuntur. Non enim tam ipsa substantia panis & vini, quàm integra illa quæ circa panem & vinum peragitur actio, figura sunt corporis Domini, nobisque quasi in pictura repræsentant, quid corpori Jesu Christi evenerit.

Quomodo eum indicent verba institutionis. III. Adeò ut finis hujus respectu, sensus verborum Domini, *hoc est corpus meum*, sit, hæc actio, quam nunc instituo, vobis repræsentat, quomodo corpus meum pro vobis frangendum, sanguisque meus pro vobis effundendus sit. Scriptura Sacra plena est ejusmodi loquendi modis. Ne ea repetamus, quæ antea contra Pontificios allegata sunt, vide insignem locum *Ezech.* V. 1. *& seqq.* Jubetur Ezechiel gladio caput radere, pilosque abscissos in tres dividere partes; tertiam partem igne comburere, alteram partem gladio concidere in circuitu ejus, tertiam verò aliam dispergere in ventum, &c. additurque *vers.* 5. *Ista est Jerusalem*; id est, ista est figura Jerusalem, seu ista actio, quam tibi præcipio circa capitis tui pilos, repræsentat quâ ratione ego acturus sim cum Jerusalem; quod & toto illo capite prolixius docetur. Similiter apud eundem Prophetam, *cap.* XXXVII. 1. *& seqq.* Propheta spiritu Domini ducitur in campum ossibus repletum, quæ ad se invicem accesserunt, & nervis ac carne superinductis spiritus in ea ingressus est, ac vixerunt: additurque *vers.* 11. *Ossa hæc universa domus Israël est*: hoc est, uti toto illo capite fusius explicatur, eodem modo ego filios Israël in captivitate, mortuorum instar in sepulchris, detentos, ex captivitate eruam & quasi in vitam reducam. Eundem planè ad modum, *Dan.* II. 38. dicit Daniel Regi Nebucadnezari, *Tu es caput illud aureum.* & *cap.* VII. 25. *Cornua decem decem reges sunt. Apoc.* XVII. passim. *Septem capita septem montes, & septem reges sunt, vers.* 9. *Decem cornua decem reges sunt, vers.* 12. *Aquæ ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ, vers.* 15. *Mulier est civitas magna quæ habet regnum super reges terræ, vers.* 18. Alibique passim.

IV. Hanc cruentæ mortis Jesu Christi commemorationem comitatur gratiarum actio pro beneficiis morte Jesu Christi partis. Hinc tota hæc actio vocari solet Eucharistia, quasi tota in gratiarum actione occupetur. Quæ hîc exhibetur speciatim Deo Patri. Est enim omnium maximum divinæ erga nos caritatis argumentum, quod pro peccatoribus suisque inimicis Filium unigenitum dederit in mortem. Hinc *Rom.* VIII. 32. dicitur Deus *proprio Filio non pepercisse, sed eum pro nobis tradidisse in mortem*; tanquam qui excellentissimus esset amoris actus, cum quo nullus comparari possit. Præterea exhibetur speciatim Jesu Christo Mediatori nostro; quoniam excellentissimum est amoris Jesu Christi erga nos documentum, quod mortem cruentam & ignominiosam ultrò susceperit nostro bono, ut nos à peccatorum reatu soluti remissionem peccatorum & vitam æternam consequamur. Ita ipse ait, *Joan.* XV. 13. *Majorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam quis ponat pro amicis suis*: Dominus autem animam pro peccatoribus, suis Patrisque sui inimicis, posuit. Et quia in ea maximus caritatis apex elucet, hinc & tota nostra salus uni sæpe Christi morti adscribitur. *Illi juncta est gratiarum actio.*

V. Alter finis est, publica testificatio nos reverâ communionem habere cum Christo. Hinc 1 *Cor.* X. 16. vocatur *communicatio corporis & sanguinis Jesu Christi.* Hanc autem Cœnæ usu, panis nempe esu & potu vini, testamur. An receptio hæc ex ministri manu ore, an verò manu fieri, totaque hæc actio peragi debeat sedendo, an stando, an genu flectendo, indifferens est, modò ablit superstitio, nimiaque symbolorum horum externorum veneratione via non sternatur ad idololatriam; præsertim cum Apostoli in prima Cœnæ institutione genua flexisse non legantur. In externis illis circum- *Secundus, testificatio communionis cum Christo.*

cumstantiis hærendum non est; res ipsa est spectanda.

Ea requirit, fidem & sanctitatem.

VI. Testificatio autem communionis nostræ cum Christo requirit, ut verâ ac vivâ in ipsum fide simus prædici, eâque vel majore seu firmiore, vel infirmiore, verâ tamen ac sincerâ, pro ratione profectuum nostrorum in fide. Per fidem enim Christo inserimur, ac vera vivaque ejus efficimur membra: *Joan.* XV. 5. *Rom.* XI 20, 21. Hinc & *per fidem in nobis habitare* dicitur, *Eph.* III. 17. *Gal.* II. 20. Hæcque fides efficit, ut in crucifixione ejus gloriemur, 1 *Cor* II. 2. *Gal.* VI. 14. licet Christus crucifixus Judæis sit scandalum & gentibus stultitia; quia in eo agnoscimus summam potentiam ac sapientiam Dei, 1 *Cor.* 1. 23. Quo & fit, ut reconciliationem nostram non quæramus, nisi in Christo crucifixo, cujus mors fuit oblatio pro peccatis nostris, *Eph.* V. 2. cujusque sanguis nos ab omni purgat peccato, 1 *Joan.* 1. 7. 2. Requirit, ut sanctè juxta præcepta Jesu Christi vitam instituamus; sine sanctitate enim nulla cum Christo communio est, *Matth.* VII. 23. Hinc & requiritur tanquam conditio necessaria in eo qui Christi particeps est, *Gal.* V. 24. 1 *Joan.* II. 3, 4. Imo signum esse dicitur, unde quis genuinus Dei cognoscatur filius, 1 *Joan.* III. 10.

Utramque nobis inesse usu Cœnæ testamur.

VII. Hanc autem nobis inesse conditionem usu Cœnæ publicè profitemur, quando panem fractum edentes, vinumque effusum bibentes, testamur, corpus Christi fractum, sanguinemque ejus effusum, pane & vino adumbratum, spiritualem esse animorum nostrorum cibum, quo aluntur in vitam æternam: perinde uti Dominus dicit, *Joan.* VI. 56. *Caro mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus.* Quia enim carne fractâ & sanguine effuso doctrinæ suæ divinitatem validissimè confirmavit, reverâ etiam spiritualis animæ nostræ sunt cibus, quatenus animus noster cruentæ ipsius mortis intuitu magis in fide doctrinæ Jesu Christi confirmatur. Et quoniam mors ritus hujus sacri celebratione adumbratur & coram oculis nostris quasi depingitur, hinc & ritus hic ipse ut mortis Jesu Christi signum, etiam in fidei nostræ confirmationem cedit.

Tertius, publica fraternæ charitatis professio.

VIII. Tertius finis est publica fraternæ charitatis professio, quâ fideles mutuam charitatem & communionem, veluti membra unius corporis spiritualis, sub uno capite Jesu Christo, unius panis communione testantur: 1 *Cor.* X. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de una pane participamus.* Veluti enim ex multis granis unus conficitur panis, & ex multis uvis unum exprimitur vinum; ita etiam testamur nos, multos licet, unum tantum esse corpus in Jesu Christo, ac proinde invicem, prout unius corporis membra decet, sincerâ in Christo caritate complecti.

Ea colenda cum omnibus genuinis Jesu Christi membris.

IX. Hæc fraternæ charitatis testificatio fieri debet cum omnibus, qui juxta verbi divini regulam pro veris ac genuinis Jesu Christi membris agnoscendi sunt; quales sunt omnes, qui, fundamentis salutis arctè adhærentes, vitam ex præscripto Jesu Christi sincerè, quantum quidem humana nostra imbecillitas permittit, instituunt, erroribus licet, etiam variis ac gravioribus, fundamenta tamen salutis non destruentibus, obnoxii: hoc est, non tantum qui unico fundamento Jesu Christo, aurum, argentum aut lapides pretiosos, sed & qui lignum, fœnum & stipulas superædificant: ne fraternitate nostrâ excludamus, extraque Christi communionem pronuntiemus eos, quos Christus ipse communione suâ dignatur, ac temerarii in conservos nostros judicii arguamur rei. Quicunque id audent, tesseram hanc charitatis ac fraternitatis in schismatis vexillum convertunt, corpusque Christi indivisum, quantum in se, dilacerant ac divellunt. Christiani est, à talium communione sollicitè sibi cavere, ne hac suâ communione illam judicandi temeritatem approbet, ejusdemque se criminis coram Deo reum faciat.

Quo casu aliquando separatam liceat Cœnam celebrare.

X. Quòd si aliorum rigor, verè fidelium, licet opinione suâ errantium, communionem respuat, coguntur fideles ad communionis suæ fraternæ testificationem, separatim ritum hunc sacrum celebrare; non ut hac sua actione reliquos à fraternitate suâ excludant, atque ita eodem se crimine quod in aliis damnant polluant; sed ut eum sincerè, primæque suæ institutioni convenienter, celebrent, suamque cum omnibus à Christianæ fidei fundamentis non recedentibus, communionem testentur; sollicitè caventes, ne cuiquam ob opinionum diversitatem anathema dicant; sed publicè profiteantur, separatam hanc Cœnæ celebrationem à se non fieri, quòd alios Christianâ communione indignos judicent, sed quòd ab aliis indignè sint rejecti, salvâque conscientiâ ritum hunc cum iis, qui eo ut schismatis vexillo abutuntur, celebrare nequeunt: Nec se intra cœtum suum fraternam communionem terminare velle; sed Ecclesiam erigere verè Christianam, quæ omnes, fidem salutarem profitentes, vitamque à sceleribus puram conservantes, prout Christianos decet, pro fratribus agnoscit, & ad communionem suam invitat; quin & se cum iis, à quibus sunt rejecti, modò rigorem illum non Christianum deponant, fraternitatem ejusdem Cœnæ communione colere & testari paratos esse. Ita se à schismatis crimine immunes conservant, rituque hoc testantur, se, sicut unius panis sunt participes, ita etiam unum esse corpus

pus in Christo; & licet aliorum rigor non permittat, ut unius Cœnæ celebratione unionem hanc Christianam perficiant, animo tamen ac publicâ professione eam testatam reddunt.

Præparatio requisita ut dignè celebretur Cœna.

XI. Ex hisce jam liquet, quæ, ut dignè ritus hic celebretur, requiratur in Christiano dispositio, vita nimirum professioni quæ in Cœna fit respondens; alias *panem hunc edit & calicem bibit* indignè, *sibique edit ac bibit judicium*, 1 *Cor.* XI. 29. quia *non dijudicat corpus Domini*. Quia autem ritu hoc peculiari modo communionem nostram cum Christo omnibusque verè fidelibus testamur, etiam peculiaris quædam attentio animique devotio requiritur, ne criminis hujus, quòd corpus Domini non dijudicemus, hoc est, quòd panem hunc à vulgari pane non discernamus, & temerè absque reverentia ad eum tanquam ad vulgarem cibum ruamus, affines simus. Hæc tria speciatim concernit tempora. 1. Quod Cœnæ celebrationem proximè præcedit. 2. Quod in ipsa Cœnæ actione occupatur. 3. Quod eam immediatè consequitur.

Proxime ante Cœnæ usum.

XII. Primò. Paulò ante Cœnæ celebrationem requiritur animus non tantum à peccando alienus, & caritate fraternâ imbutus; sed & rerum vilium terrenarumve contemplationi non intentus; neque actionum, non quidem aliàs illicitarum, minus tamen gravium, exercitio distractus. Hæc enim devotam, quæ in Cœna requiritur, animi attentionem impediunt; neque rebus, vitam hanc animalem solummodò concernentibus, intentus animus subitò iis se expedire, & ad dignam cœlestium ac spiritualium contemplationem totum se erigere potest.

In ipso usu.

XIII. Secundò. In ipsa actione requiritur ut fines Cœnæ, jam à nobis indicatos, ritè expendamus, iisque convenienter nos componamus. Adesse ergò debet, 1. Religiosa mortis Christi pro nobis ultrò susceptæ meditatio, religiosa Dei Patris Christique pro ingenti hoc beneficio veneratio, quæ testanda est, tum interiore animi humiliatione, tum externâ corporis nostri veneratione, quantum absque superstitione fieri potest. Sicut enim in externis hisce nimium esse, superstitionem; ita omnibus externis devotionis signis destitutum esse profanitatem numinisque irreverentiam sapit. 2. Vera possessio illius, quod sacrâ hac actione nos habere profitemur, communio nim: cum Christo per veram ac vivam fidem; & sincera ac fraterna dilectio eorum, qui Cœnam nobiscum celebrant, & cum quibus, modò ipsi non renuant, Cœnam porrò celebrare parati sumus. 3. Ac tandem dijudicatio corporis Domini; ut ritum hunc ab aliis vulgaribus distinguamus, nosque reverenter adeò modestè ac devotè geramus, prout rebus adeò sacris dignum est. Adversus hoc officium gravissimè peccabant Corinthii, qui absque reverentia non aliter atque ad vulgarem cibum, ad sacrum hunc panem quasi proruebant; alius esuriebat, alius ebrius erat; eâque irreverentiâ Apostolus ait, ipsos se reos reddidisse corporis ac sanguinis Domini, 1 *Cor.* XI. 28. quatenus panem hunc & vinum sacrum, corpus ac sanguinem Domini repræsentans, communis instar cibi assumserint, atque sic ipsum Domini corpus vilipenderint. Quam irreverentiam Deus sibi displicuisse testatus est, morbos illis immittendo, & quosdam morte temporali puniendo: *Ideo enim*, inquit Apostolus, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, *vers.* 30.

Proxime post illius usum.

XIV. Tertiò. Tempus, quod Cœnam proximè sequitur, religiosam requirit meditationem, seriaque de beneficio hoc, cujus memoria celebrata est, colloquia; ne ad vulgares sermones & colloquia de rebus civilibus statim revertamur. Non enim altè animo infixa esse potest beneficii meditatio, quæ tam subitò sermonibus alienis excutitur; nec de beneficii magnitudine animos probè persuasus, cujus meditationem tam subitò deponit. Tandem per totam vitam requiritur mandatorum divinorum observatio, vitaque professioni tam sanctæ respondens.

Qua probatio hic requiratur.

XV. Ex hisce jam per se liquet, quæ sit probatio illa, quam Apostolus 1 *Cor.* XI. 27, 28. requirit, ut dignè Cœna celebretur; nempe, non tantum sollicita exploratio, quâ homo se vitamque suam diligenter expendit, utrum ad exemplar præceptorum Dei sit expressa; sed & quâ eam exploratione diligenti adhibitâ, ut regulæ suæ convenientem approbat, animumque suum ad rite Cœnam celebrandum dispositum deprehendit. Hoc sensu vox δοκιμάζειν usurpatur, *Gal.* VI. 4. *Opus autem suum probet unusquisque*, hoc est, approbet, seu probatione factâ approbandum esse deprehendat, *& sic in semetipso gloriam habebit.* Eodem sensu & legitur *Rom* XII. 2. *Ephes.* V. 10. Atque ita etiam hic accipiendum esse, ex ipsis Pauli verbis constat, quoniam probatione hac factâ vult ut homo de pane hoc edat & de poculo bibat; quod dignè fieri nequit, nisi facta ut divini verbi regulæ consentanea approbentur.

Quid faciendum homini, qui se peccatis inquinatum deprehendit.

XVI. Dices. Quid si homo, exploratione hac factâ, vitam professioni non respondentem, sed variis inquinatam peccatis deprehendat, an nihilominus ad mensam Domini accedet? Resp. Peccatorum quædam distinctio est facienda. Quædam enim sunt manifesta & scandalosa, alia sunt occulta. Si manifesta sint, aliisque præbeant scandalum, ac præsertim si sint recentia, eorumque infamiam nec temporis lon-

longinquitas, nec ulla Ecclesiæ censura deleverit, ad tempus aliquod à Cœnæ usu abstinendum est; interimque seriæ resipiscentiæ signis, vitæque sanctioris exemplo scandalum antea datum reparari debet, animusque hac ratione ad dignam Cœnæ communionem præparari. Si peccata sint occulta: ea rursum dupliciter considerari possunt. Vel quòd grave aliquod peccatum ritus hujus celebrationem exiguo tantum tempore antecesserit, ita ut conscientia vixdum à peccato illo respiraverit. Hoc casu à Cœna abstinere præstat, pœnitentiamque agere, seque præparare in sequens tempus; quàm cum conscientia adeo polluta ad mensam Domini accedere, ac sibi ipsi indigno esu nocere. Vel quòd antehac tempore Cœnæ non ita propinquo homo in peccatis vixerit. Hîc examinare se debet homo, an in peccato isto adhuc perseveret. Si sic; indignus est qui accedat; peccati enim habitus ante omnia exuendus est, antequam dignè quis Cœnæ communicare possit. An verò se ex toto corde ad Deum convertere constituerit, illiusque propositi jam fructus aliquos pœnitentiâ dignos ediderit. Si aliquamdiu peccatorum pœnitentiam egerit, aliquosque jam in sanctitatis studio progressus fecerit, tranquillâ conscientiâ accedere potest. Si verò non diu à peccato se averterit, ex animo tamen ei valedicere proposuerit, idque propositum serium deprehendat & efficax, etiam accedere potest cum fiducia Deo placendi; quia in tali proposito propriè mentis nostræ renovatio consistit, idque bona opera producit.

XVII. Hinc jam liquet, quem in finem Apostolus explorationem illam commendet: ut vel homo opera sua, utpote voluntati divinæ consentanea, approbet; vel ut Deo adversa condemnet, & emendet; & postea iis emendatis dignè ad Cœnæ participationem accedat.

An infirmitatis metu liceat ritum hunc omittere.

XVIII. Quæres. Quid ergo de iis dicendum, qui infirmitatis cujusdam metu ritum hunc omittunt, existimantes nimiam quandam sanctitatem requiri, ut dignè ritus hic celebretur, quâ si quis sit destitutus reus fiat corporis ac sanguinis Domini? Resp. Metus is est vanus; quia frustra obtenditur metus, qui excuset ab observatione præcepti divini; præcepta enim Dei gravia non sunt, 1 *Joan.* v. 3. nullumque inter præcepta divina minus est grave quàm hoc. Alia sunt graviora, ut abnegationis nostri, & crucifixionis carnis nostræ: illis tamen frustra metus ille obtenditur; quia sine his ne Christiani quidem esse possumus, *Matth.* XVI. 24. *Gal.* v. 24. Sane ad preces ritè fundendas eadem requiruntur; quæ ad ritum hunc dignè celebrandum; quia potissima ejus pars est Eucharistia seu gratiarum actio; at illa tantum precationis pars est; nemo autem infirmitatem obtendit ut Deum precetur.

Exploratio qualis hic sit adhibenda.

XIX. Diligenter autem animus explorandus est, an non metus ille prætendatur tantum, reverà autem homo laborem sese explorandi defugiat, seque explorato, peccatisque conscientiam vastantibus deprehensis, iis sese exsolvere, utpote carni suæ gratis, reformidet. Isque dupliciter se, qui ritum hunc celebret, indignum reddit: primò quidem, quòd vitam ducit non Christianam; plurisque facit peccati delicias, quàm vitæ æternæ thesauros communionemque cum Deo: Secundò, quod impietati suæ, infirmitatis metum, animumque gloriæ divinæ studiosum hypocriticè prætendat. Quòd si tamen vanus non sit pretextus, uti in quibusdam vanus non est, sed ex errore mentis, nimiam ac hyperbolicam quandam sanctitatem huc requiri existimantis, ortum habeat, vel etiam ex conscientia infirmitatum quarundam, quas homo etiamnum in se deprehendit, & à quibus se purum esse debere credit, antequam dignè communicare possit; cogitet serio, an non hoc suo metu alios, qui ritum hunc usurpant, præsumtionis, tanquam excellentioris pietatis sibi conscios, tacitè insimulet; alios etiam à ritu hoc absterreat, tanquam eximiâ illâ sanctitate destitutos, ac proinde non rectè dispositos. Certum etiam est, multos neglecti hujus officii serò pœnituisse.

Peccant qui infirmitatis metu abstinent.

XX. Quæres. Quinam ergo tutius faciunt, qui ad ritum hunc celebrandum accedunt, quàm qui metu infirmitatis abstinent? Resp. Tutius multò illos facere, qui nondum perfectè sancti, sed variis adhuc infirmitatibus obnoxii, modò absit animus erga ritum hunc irreligiosus, ad Cœnæ celebrationem accedunt, quàm qui abstinent: quia si forte non dignè satis accedant, reos se quidem reddunt corporis ac sanguinis Domini non satis dignè habiti; ita tamen, ut incurrant tantum judicium aliquod Dei temporale: ita 1 *Cor.* XI. 30, 31. dicuntur quidam ob irreverentem Cœnæ usum esse *infirmi*, quidam verò etiam *dormire*; quo non mors æterna, quæ nunquam somno comparatur, sed temporalis, ex quâ veluti ex somno excitamur, intelligenda est. Qui verò non accedit, præcepto divino inobediens est; eaque inobedientia gravi pœnâ est digna. Præsertim cùm variæ in hoc præcepto occurrant circumstantiæ, quæ ejus neglectum minus excusabilem reddant. Est enim præceptum facile observatu, cujusque neglecti, cùm in aliis Deo obedimus, nullam adferre possumus rationem; à Domino Jesu paulò ante mortem, eâque quâ proditus est nocte præscriptum, adeoque ultimum quod ante mortem præcepit; & quidem in memoriam maximi beneficii, cujus per totam vitam memo-

memores nos esse oportet, mortis nimirum suæ cruentæ in salutem nostram ultrò susceptæ, remissionisque peccatorum nostrorum per eam partæ.

Gravius autem, qui negligunt, quia ritus ist vilis. XXI. Gravius autem illi peccant; qui ritum hunc, eò quod vilis sit, nullisque ceremoniis augustus, negligendum putant. Nihil enim à Deo præceptum vile videri debet; & licet forte Cœna, solummodò ut ritus externus considerata, vilior cuipiam videri possit: quod ritu illo adumbratur vile neutiquam est. Vilem procul dubio Deus instituit, ne in externis homo defixus nimium hæreret, neglecto cultu interno ac spirituali. Tandemque si vilis sit, facilius præstari potest, tantòque major est inobedientia Deo hic morem non gerere. Valeat hic, quod Naamanis Syri, indignè ferentis, quòd Propheta ut à lepra purgetur rem non magnam, sed vilem, lotionem septenam in aquis Jordanis præceperat, servi domino suo dicebant, 2 *Reg.* v. 13. *Pater, & si rem grandem dixiss.t tibi Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis?*

An illius observatio sit necessaria ad salutem. XXII. Quæres. An ergo si quis non usurpet ritum hunc servari non potest? Resp. Insulsam esse & indecoram quæstionem. Dici communiter solet, non carentiam Sacramenti, sed ejus contemtum damnare. Omnium hic non æquè grave est peccatum. Minus sunt excusabiles, qui Cœnam ut ceremoniam vilem contemnunt, quam qui mentis quodam errore inducti, rem sibi præceptam observare reformidant. In prioribus enim manifesta se erga Deum prodit contumacia: quam quanti Deus sit æstimaturus nostrum non est determinare. Et pone ea hominem non damnet, ingens tamen erga Deum est inobedientia ac ingratitudo, rem præstitu facilem in memoriam maximi beneficii observare nolle, nisi severam hanc comminationem, privationem illius beneficii, adnexam habeat. Contumax sane foret filius, qui patris sui præcepta negligat, quia iis non observatis, nihilominus se patris fore hæredem persuasum habet.

An liceat abstinere, quia alii indigne accedunt. XXIII. Quæst. Quid si quis non communicet, quia alios indignè accedentes videt, metuitque ne per communionem cum ipsis, etiam aliorum peccatis communicet? Resp. Si cœtus integer peccati, quod cum vitæ æternæ spe consistere nequit, reus sit, aliquotiesque monitus peccatum suum emendare recuset, cum illo communio per Cœnam celebrari nequit: privati autem aliquod peccatum, præsertim si publicum non sit, cœtum illius ignarum contaminare nequit; multò ergo minus privatum cœtus illius membrum; non enim cum membro hoc vitioso, sed cum cœtu integro communionem suam testatur. Nos ipsos explorare jubemur, non autem alios. 2. Lyncei sæpe in aliorum vitiis sumus, in nostris talpæ; virtutes, aut saltem res indifferentes, quandoque vitia vocamus, aut odio in personam; aut cœco erga privatas quasdam opiniones amore. 3. Imò sæpius, si accuratius examines, privatæ quædam esse deprehendentur inimicitiæ, quandoque ob res exigui momenti, quàm peccata irâ divinâ digna. Indigniores ergo sæpe eos reddit animus implacabilis, quàm alios peccatum quod se arguere credunt. Concludimus, nullam esse causam ob alterius peccatum officium nobis à Deo præscriptum intermittendi.

CAPUT LXXIII.

Graviores quidam Pontificiorum circa Sacram Cœnam abusus notantur.

I. Hisce breviter de cujusque Christiani officio circa Cœnæ celebrationem observatis, restat tandem, ut materiam hanc concludamus, ut graviores quosdam Pontificiorum abusus, quibus ritus hujus integritatem, totamque adeo ejus essentiam fœdè vitiarunt, seque pudendæ idololatriæ reos constituerunt, paucis refutemus. *Abusus Pontificiorum.*

Primus: calicis ereptio Laicis. II. Primus est: Quòd usum calicis Laicis, ita vulgò dictis, & Clericis non consecrantibus, eripiunt. Decretum id in Synodo Constantiensi, & repetitum in Synodo Tridentina. Contra quem fœdum Cœnæ abusum nos statuimus, omnibus omnino Christianis, sive seculares sint, sive Ecclesiastici, nisi forte per naturam impediantur, Eucharistiam integram sub utraque specie celebrandam esse. Sententia nostra his confirmatur rationibus. 1. Dominus Jesus Cœnam instituit sub utraque specie, & utramque speciem omnibus communicantibus distribuit, imo jussit ut omnes non tantum panem ederent, sed & ex poculo biberent: *Matth.* XXVI. 26. *& seqq.* Excipiunt: Quòd Christus Cœnam distribuerit solis Apostolis. Resp. Apostoli hic non considerantur ut Ecclesiæ doctores, oppositè ad fideles; sed simpliciter ut fideles, & membra Jesu Christi. 1. Quia privati erant ubicunque Christus docebat. 2. Ratio addita, *qui pro vobis funditur*, &c. arguit calicem hic Apostolis distributum, non quatenus Apostolis aut Doctoribus, sed quà fidelibus simpliciter; ac proinde ab omnibus etiam fidelibus bibendum, quia sanguis Christi pro omnibus effusus est. 2. Ex 1 *Cor.* X. & XI. clarè satis liquet, Apostolos utriusque speciei usum etiam in Ecclesiis instituisse; præsertim *cap.* XI. 27, 28. ubi Apostolus disertè præcipit, ut homo qui

se exploravit non tantum de pane edat, sed & de poculo bibat. Quibus verbis præceptum contineri antea ostendimus. 3. Finis Eucharistiæ est grata recordatio mortis Christi per ceremoniam hanc adumbratæ: Ea autem non rectè nec plenè adumbratur pane solo; sed pane fracto, ad designandum fractionem corporis; & simul vino seorsim effuso, ad designandum effusionem sanguinis: alterutrum si desit, adumbratio hæc erit mutila: quia adumbratio esse debet mortis Christi cruentæ, in qua sanguis effusus & à corpore separatus fuit. 4. Ipsi Pontificii urgent *Joan.* VI. Dominum loqui de Cœna: Atqui illic Dominus disertis verbis ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: *vers.* 53. Denegantes ergo Laicis calicem, quo, juxta ipsos, sanguis Domini continetur, ipsos privant medio, sine quo vitam in se habere non possunt. 5. Nulla mutilationis hujus legitima causa adferri potest. Quas enim Bellarminus allegat, futiles eæ sunt, & refutatione indignæ: ut, quòd impossibile sit hoc observare ubi populus est valdè numerosus, & unus tantum sacerdos; item, hoc fieri, ne Sacramentum irreverenter tractetur: quòd multi sint abstemii; in quibusdam locis penuria vini: aliæque hisce similes.

Refutatio præcipuarum objectionum Pontificiorum. III. In contrarium tamen Pontificii varia pro se afferre solent: sed adeò frivola, ut vix refutationem mereantur. Nos præcipua breviter attingemus. Primò ergo ajunt; sub utraque specie Christus est totus, propter naturalem concomitantiam partium ipsius seu naturarum, ex quibus integra Christi persona constituitur. Resp. 1. Illud nititur falsa hypothesi transsubstantiationis, quam jam antea refutavimus. 2. In Cœna corpus Christi repræsentatur mortuum, à quo sanguis est separatus: unde & vinum seorsim à pane effunditur, ad id repræsentandum. II. Inquiunt; *Joan.* VI. quater dicit Christus, *qui manducat me vivet propter me*, &c. non autem editur nisi in specie panis. Resp. 1. Dicit etiam *vers.* 51, 52. *Nisi manducaveritis & biberitis*, &c. ita ut, quando de manducatione sola loquitur, non excludat potum sanguinis, sed eum includat. 2. Antea ostendimus, hîc non de Cœna, sed de spirituali carnis & sanguinis Christi manducatione & potu sermonem esse. III. Tota ratio & essentia Eucharistiæ est in una specie. Resp. Contrarium jam ante evidenter satis docuimus. Non enim, licet transsubstantiatio admitteretur, in corpore mortuo est sanguis, qui jam per vulnera effluxit. IV. Multæ figuræ Veteris Testamenti sunt tantum de una specie: ut arbor vitæ, *Gen.* II. Agnus Paschalis, *Exod.* XII. Manna, *Exod.* XVI. Resp. 1. Unde quæso Pontificii probabunt, has fuisse Eucharistiæ figuras? 2. Licet id ipsis absque probatione concederetur, nulla tamen argumenti est sequela: quia Christus nihilominus institutione suâ voluit, ut sub utraque specie sumeretur Eucharistia. V. Christus discipulis in Emmaus Eucharistiam distribuit sub una tantum specie. *Luc.* XXIV. 30. Resp. Non agitur illic de Eucharistia, sed tantum de vulgari cibi distributione: discipuli enim Eucharistiam non accepissent ab homine ignoto, quæ, si iis credimus, non poterat celebrari nisi à sacerdote. VI. Exemplum Apostolorum *Act.* II. 46. arguit sub una tantum specie Eucharistiam celebrari solitam: quia dicuntur juxta domos panem fregisse, non autem vinum bibisse. Resp. 1. Probari nequit, per fractionem panis Cœnam esse intelligendam: potest enim commodissimè de communi cibi sumtione accipi. 2. Quia aliis in locis etiam potus vini disertè præcipitur, dicendum, si hîc de Cœna agatur, per communicationem fractionis panis etiam synecdochicè effusionem & potum vini intelligendum. Objiciunt. Nonnulli erant Nazaræi, non bibentes vinum. Resp. 1. Plurimi voto illo non fuerunt obstricti. 2. Pauci procul dubio ex illis conversi. 3. Si quidam conversi, intellexerunt se per fidem Christi voti religione solutos. 4. Propter paucos, qui voto suo impediebantur, ceremonia à Christo instituta mutilari non debuit, nec proinde calix voto illo non obstrictis denegari.

Secundus, Mutatio Cœnæ in sacrificium Missæ. IV. Alter abusus est, quod Cœnam converterint in sacrificium Missæ: de quo ita sentiunt Pontificii: Corpus & sanguinem Domini, tanquam sub speciebus panis & vini verè præsentia, Deo Patri substantialiter seu realiter pro peccatis nostris in sacrificium verè propitiatorium offerri. Nos autem statuimus, Cœnam esse officium, quod nos Deo Patri & Domino nostro Jesu Christo exhibemus, ut gratitudinem nostram pro beneficio morte Christi nobis acquisito testemur. Si itaque per analogiam quandam id sacrificium vocare quis velit, non erit propitiatorium dicendum, quo nos Christum pro peccatis nostris offerimus; sed Eucharisticum, quo nos ipsos Deo ac Jesu Christo tanquam hostias sanctas Deoque beneplacentes, fructumque laborum nostrorum nomini ejus confitentium, ut hostiam laudis, offerimus. Argumenta, quibus Pontificiorum sententiam impugnamus, præcipua sunt hæc.

Illa refutatur. V. Primò. *Hebr.* VII. 24. dicitur Christus esse Sacerdos in æternum, qui habet sacerdotium ἀπαράβατον: Ergo nullus jam est in terris Sacerdos, qui Christum offerat. Hinc & ministri Novi Testamenti nunquam vocantur Sacerdotes. Secundò, *Hebr.* VIII. 4. negat Divus Scriptor Christum,

ſtum, ſi in terris eſſet, Sacerdotem eſſe poſſe. Ergo Novi Teſtamenti ſacerdotium jam in terris amplius peragi nequit. Tertiò. *Hebr.* IX. & X. ſæpiſſimè docetur, Chriſtum ſemel tantum oblatum, & unicâ oblatione in perpetuum omnes fideles expiatos eſſe à peccatis ſuis. Atque hoc reſpectu ipſius ſacrificium opponitur ſacrificiis Veteris Teſtamenti quæ Apoſtolus ex iteratione colligit inefficacia fuiſſe. Excipiunt: Miſſam non eſſe novum aut aliud ſacrificium, ſed tantum repræſentationem & applicationem ſacrificii Chriſti. *Reſp.* Chriſtus unicà continuatione oblationis ſuæ in cœlo, quæ in perpetuum fit, ſeipſum continuò Patri repræſentat & ſacrificii ſui fructum nobis applicat: ita ut aliam ſacrificii ipſius repræſentationem & applicationem hic in terris fingere, ad ſummam oblationis ipſius quæ in cœlo fit ignominiam tendat, eamque inſufficientiæ arguat: perinde ac ſi quotidiana iteratione ad remiſſionem peccatorum fidelibus applicandam indigeret: cùm Apoſtolus *Hebr* X. 2, 11, 12. *&c.* doceat ubi ſemel parta eſt plena peccatorum remiſſio, ibi non amplius requiri oblationem expiatoriam pro peccato 2. Inepta etiam eſt hæc exceptio; tantumdem enim valet, ac ſi dicerem, ſatisfactionem applicari per ſatisfactionem, ſeu ejus repræſentationem. Excipiunt, *Hebr.* IX. 23. dici, neceſſe eſſe cœleſtia *melioribus hoſtiis* mundari, quàm exemplaria: ubi Apoſtolus, de ſacrificio Chriſti loquens, utitur numero plurali, *melioribus hoſtiis*: at id verum eſſe non poteſt, niſi reſpectu repetitionis ſacrificii Chriſti in Miſſa. *Reſp.* Utitur Apoſtolus numero plurali, 1. propter elegantiam oppoſitionis, quà ſacrificium Chriſti ſacrificiis legalibus opponit: quia enim hæc numero plurali expreſſerat, etiam de ſacrificio Chriſti loquens utitur numero plurali. 2. Quia in ſacrificio Chriſti omnes oblationes & victimæ Veteris Teſtamenti tanquam ejus figuræ impletæ ſunt: Atque ita Chriſti ſacrificium, licet unicum, reſpectu ſuarum figurarum quibus adumbratum fuit, virtute quaſi multæ hoſtiæ eſt. Quartò. *Hebr.* IX. docetur, abſque vera paſſione, morte, & ſanguine, ſacrificium Chriſti propitiatorium perfici non potuiſſe. 1. Ex typis ſacrificiorum Veteris Teſtamenti; quia ſine ſanguinis effuſione nulla fiebat remiſſio. 2. Quia mors intercedere debuit teſtatoris. 3. Quia, ſi ſæpius Chriſtus debuiſſet offerri, etiam ſæpius debuiſſet mori. Cùm ergo Chriſtus jam amplius non moriatur nec mori poſſit, nec etiam offerri poteſt. Quintò. Sacrificium Miſſæ multa continet inter ſe pugnantia. Dicitur à Pontificiis externum ſacrificium, & quidem viſibile; cùm hoſtia, id eſt, corpus Chriſti viſibiliter non adſit. Dicitur idem ſacrificium cum ſacrificio crucis; non tamen adeſt idem ſacerdos, nec eadem hoſtia, nec eadem paſſio: vocatur ſacrificium, & tamen incruentum: ne jam alia plura addamus.

VI. Rationes Pontificiorum omnes, quibus ſuam ſententiam propugnare nituntur, non expendemus; ſed eas ſolummodò, quæ præcipui videntur momenti, quibuſque refutatis ad alias facile reſponderi poteſt. *Reſponſio ad Pontificiorum objectiones.*

VII. Objiciunt ergo 1. Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec; Melchiſedecum autem obtuliſſe Deo panem & vinum, *Geneſ.* XIV. 18. Chriſtum ergo, ut ſecundum ejus ordinem ſacerdos ſit, ſeipſum offerre ſpecie panis & vini. *Reſp.* 1. Melchiſedec non dicitur panem & vinum obtuliſſe ut ſacerdos, ſed protuliſſe; nim: ut Abrahami amicus & rex opulentus, ad reficiendum Abrahamum ejuſque comites. Non enim textus Hebræus, perinde uti Vulgata, habet *nam ipſe*, ſed והוא *& ipſe*. 2. Chriſtus non obtulit panem & vinum, ſed ſeipſum. 3. Apoſtolus in *Epiſt. ad Hebr.* qui accuratè Melchiſedeci typum cum Chriſto contulit, omneſque circumſtantias quibus Chriſtum adumbravit recenſet, nullam tamen hujus typi mentionem facit; quem tamen minimè, utpote præcipuum, ſiquidem verus foret, omittere debuiſſet. Ajunt; Nullus eſſe poteſt ſacerdos, niſi quid habeat quod offerat; in ſacerdotio ergo præcipuè reſpiciendum ad victimam quæ oblata fuit. Melchiſedecus autem nihil præter panem & vinum obtuliſſe legitur. *Reſp.* Si id præcipuum ſit quod in typo Melchiſedeci obſervandum ſit, an cuiquam ſanæ mentis credibile videri poteſt, Apoſtolum, qui in *Epiſt. ad Hebr.* tam prolixè typum Melchiſedeci Chriſto applicat, circumſtantias minoris momenti ſollicitè excutere & Chriſto applicare, præcipuum vero omnium omittere, & ne verbo quidem indicare voluiſſe? *Ad primam.*

VIII. Secundò. *Malach.* I. 11. prædicitur; *in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda:* Quod de alia oblatione quam quæ in Miſſa fit, accipi non poſſe contendunt. *Reſp.* Per *oblationem mundam* intelligit Propheta cultum noſtrum ſpiritualem, qui in Novo Teſtamento Deo offertur. Solenne hoc eſt ſacris ſcriptoribus, cultum ſpiritualem externo Legis ritu deſignare: ut *Rom.* XII. 1. *Pſal.* LI. 19. & alibi. Quia enim ritus hi erant notiores & in oculos incurrebant, per eos Deus cultum ſpiritualem, ut magis reconditum, adumbrare voluit. Et quia ritus illos obſervari voluit, donec perfectior cultus per Chriſtum eſſet introductus, eum ſub rituum illorum figura prædici voluit, ne Iſraëlitæ cultum ritualem negligerent, antequam tempus quo ceſſare debuit advenieſſet. *Ad ſecundam.*

Ad tertiam. IX. Tertio. Christus jussit *Matth.* XXVI. & *Marc.* XIV. nos facere, quod ipse prior fecerat: atqui se illic obtulit, quia loquitur in præsenti, *quod pro vobis frangitur*; &c. Resp. 1. Ineptum est dicere, Christum se in Cœna obtulisse: cùm oblatio ejus, uti passim docetur in Scriptura, demum in cruce inceperit, & in cœlo continuetur: obtulit ergo seipsum antequam se obtulit: quod contradictorium est. 2. Præsens hic sumitur pro futuro jam jam instanti. 3. Dominum corpus suum tunc non distribuisse antea ostendimus. Jubet ergo Dominus, ut ritum, quem tunc instituit, observemus in mortis ipsius commemorationem, atque ita imitemur, quod ille tunc primus fecit: idque convenit cum dictis Apostoli, 1 *Cor.* XI. 26.

Ad quartam. X. Quartò. *Act.* XIII. 2. dicuntur Prophetæ & Doctores *ministrasse Domino*: illud autem ministerium aliud non est quàm sacrificium: usurpatur enim vox λειτουργεῖν, quæ non tantum significat ministerium publicum; sed &, cùm absolutè ponitur in Scripturis, ubique accipitur pro ministerio sacrificii; ut *Luc.* 1. 23. *Hebr.* VIII. 2, 6. IX. 21. X. 11. Unde & Græci voce λειτουργίας Missam designant. Resp. Vox λειτουργία designat quemlibet cultum publicum qui Deo exhibetur; imo quodvis ministerium; 2 *Cor.* IX. 12. *Phil.* II. 17, 30. uti & vox λειτουργία, *Rom.* XV. 27. & λειτουργὸς, *Rom.* XIII. 6. XV. 16. *Phil.* II. 25. *Hebr.* 1. 7. Quin & adjectivum, λειτουργικὸς, *Hebr.* 1. 14. Nihil itaque aliud indicatur, quam Prophetas & Doctores publico cultu Dei fuisse occupatos. Quis verò ac qualis publicus ille cultus fuerit, non ex vi vocis λειτουργεῖν, quæ generalis admodum est, & ex se nullam certam cultus speciem designat, derivandum est, sed ex natura cultus ipsius colligendum. Quia itaque vox λειτουργεῖν, quæ externum cultum designat, cultui Veteris Testamenti applicata, qui externis peragebatur sacrificiis, etiam sacrificia designat; inde nullatenus inferri potest, quando de cultu externo Novi Testamenti, in quo nulla externa sacrificia sunt præcepta, enunciatur, etiam necessariò sacrificia significare; sed illum cultum externum, qui Novo Testamento est conveniens. Voces enim generales semper ex applicatione ad particulares actiones suæ significationis determinationem accipiunt: non verò particulares actiones ad certam quandam significationem determinant. Cùm itaque Novi Testamenti cultus sit doctrina, prophetia, & preces publicæ, ea etiam hic intelligenda sunt. Objiciunt. Illa non ministrantur Deo, sed hominibus: hic autem dicuntur ministrasse Domino. Resp. 1. Preces publicæ non ministrantur hominibus, sed Deo. Imò totus ille fidelium conventus tendit ad Dei gloriam, & nominis ipsius confessionem. 2. Doctrina & prophetia etiam Domino rectè ministrari dici possunt; quia hominibus juxtà Domini mandatum administrantur: & quia per eam Ecclesia Domino colligitur, hominesque ad obsequium Domini adducuntur: eodem sensu, quo servi dominis suis ex animo obsequentes dicuntur Domino servire: *Eph.* VI. 5, 6. & *Coloss.* III. 23.

Ad quintam. XI. Quintò. 1 *Corinth.* X. 18. *& seqq.* mensa Domini cum altari gentium & altari Hebræorum, in quo immolabantur Deo sacrificia, confertur: Unde sequitur, mensam Domini etiam quoddam esse altare, & proinde Eucharistiam esse sacrificium. Resp. Non confertur mensa Domini cum altari gentium; sed tantum illorum, qui mensæ Domini participes sunt, actio confertur cum actione illorum, qui participes sunt altaris: quia utrique hâc suâ actione testantur, se communionem habere cum illa religione, quæ in illa mensa & illo altari exercetur. Excipiunt. Comparatio hæc non potest esse legitima, nisi & illi, qui participant mensæ Domini, communionem habeant cum sacrificio, perinde atque illi, qui altari idolorum participant, cum sacrificio communionem habent. Resp. Nullam esse consequentiam: in similitudine enim non requiritur ut omnia exactè sint similia, sed ut similitudo sit inter ea, ad quæ præcipuè in similitudine respicitur. Potest ergo utrorumque actio aptè inter se comparari, licet alter participet cum sacrificio, alter non, modò uterque reverà communionem habeat cum illa re cum qua participat. Aliàs si in similitudine omnes, etiam minutissimas circumstantias applicare velimus, quævis absurda ex Scriptura concludentur.

Ad sextam. XII. Sextò. Nulla unquam religio fuit sine externo & visibili sacrificio: Ergo nunc quoque ejusmodi exstare debet. Resp. 1. Malè ex conditione aliarum religionum, quæ externis constabant ceremoniis, consequentia ducitur ad religionem Christianam, quæ spiritualis est: aliàs omnes Veteris Testamenti ritus reduci deberent; qui tamen cum religione Christiana nihil commune habent, utpote typi, qui destruuntur accedente corpore & veritate. 2. Sacrificium Novi Testamenti est Jesus Christus, qui seipsum semel pro nobis obtulit. Excipiunt: Christi sacrificium cruentum jam dudum desiit. Resp. 1. Nec ipsorum Missa est sacrificium cruentum. 2. Vi cruenti sui sacrificii jam seipsum in cœlis in æternum perpetuò offert, comparetque coram facie Patris pro nobis, *Hebr.* IX. 24, 25, 26. illiusque sacrificii virtus in perpetuum durat: adeo ut illius iteratio superflua sit, imò sine ejus injuria fieri nequeat.

Tertius, adoratio XIII. Tertius, isque gravissimus, est abusus, quod Sacramentum Eucharistiæ ado-

uchari-stia. adorant, & quidem cultu latrias: quo facto se reverâ idololatriæ reos constituunt, qui crustulum panis, tanquam verum Deum adorant. Sed ut appareat nos non sine ratione ipsos propter Eucharistiæ adorationem idololatriæ reos facere, propius paulò ipsorum sententia explicanda est.

Ostenditur esse specium idololatria. XIV. Dicunt itaque ipsum substantiale Eucharistiæ suppositum, sive ipsum per se Sacramentum verè adorandum esse, & quidem cultu latriæ, sive divino, quia materialiter saltem, si non formaliter, est ipse Christus, Deus & Servator noster: hunc autem omnes adorare tenentur. Quæ illatio nititur falsâ hypothesi de transsubstantiatione, quam jam ante abundè refutavimus. Cùm itaque constet, panem non esse mutatum in ipsum Christum, reverâ panem ut Deum summum adorant. Quod enim ajunt, quæstionem hîc tantum esse, utrum Christus divino cultu sit adorandus; falsum est. Quæstio est, utrum divinus iste cultus ad Eucharistiæ Sacramentum sit dirigendus, quod Pontificii volunt non esse panem, sed ipsum Christum; sola tantum in eo accidentia panis remanere: quia itaque in ipso Christum sub accidentibus panis præsentem esse credunt, ad ipsum Sacramentum latriæ cultum esse dirigendum docent, propter arctissimam inter Sacramentum ipsumque Christum communionem: cùm tamen nulla communio esse possit inter accidentia panis & Christum. Adeò ut manifestum sit, ipsos creaturam inanimem ut summum Deum adorare; quæ turpissima idololatria est.

Idque confirmatur. XV. Quod enim dicunt, se non panem sed Christum adorare, verum non est: dirigunt quidem preces ad Christum, sed tanquam in Sacramento substantialiter præsentem; ita ut preces ipsorum ad ipsum Sacramentum dirigantur. Nec refert, quod non panem, sed solum Christum illic præsentem statuant: non enim ex ipsorum opinione, sed ex veritate rei de ipsorum facto est judicandum. Fatemur intentionem ejusmodi aliquatenus peccati culpam imminuere, non tamen planè ab idololatriæ crimine excusare; præsertim cùm error sit adeò crassus, ut homini & ratio & experientia sensuum ejuranda sit, antequam in eum induci possit.

Etiam ex quibusdam Pontificiorum principiis. XVI. Magisque in justissima hac idololatriæ accusatione confirmamur, quòd inter Pontificios non pauci fateantur, si verum Christi corpus in Eucharistia non continetur, nullam fœdiorem fore idololatriam eâ quam Ecclesia Romana committeret. Ipsi autem certi esse nequeunt, ex fidei suæ principiis, verum Christi corpus in Eucharistia contineri. Ad transsubstantiationem enim, sicut ad omnium Sacramentorum essentiam, requirunt Sacramentum administrantis intentionem, faciendi nim: quod Ecclesia facit; illa si absit, Sacramentum non efficitur. Cum itaque nulli liomini sacerdotis consecrantis intentio cognita sit, etiam de transsubstantiatione eos incertos esse necesse est. Sicque cultus ille procedere non potest ex fide, seque in manifestissimum conjiciunt periculum faciendi, quod Ecclesiæ suæ decretis consentaneè pro gravissima idololatria haberi debet.

XVII. Tandem, licet concederemus, quod tamen neutiquam concedi potest nec debet, ab idololatriæ crimine excusari posse, qui crasso hoc errore decepti ipsum Iesum Christum se veneratione Eucharistiæ adorare credunt, illicitum tamen est homini Christiano, de vero verborum Domini sensu rectius instructo, communione ritus hujus suam cum Ecclesia Romana communionem testari: ille enim ritum hunc absque gravissimo idololatriæ crimine exercere nequit, adorans, & quidem divino cultu, quod sibi panem, creaturam inanimem, esse persuasus est. Idololatria enim, uti ante vidimus, non in animo solum, quo quis creaturam pro Deo agnoscit, consistit, sed & potissimum in actibus externis; adeò ut si quis actus ejusmodi externos cultui divino proprios creaturæ exhibeat, eam eo ipso pro Deo habere censeatur. *Maximè verò, si adoratio fiat ab homine ab ipsis dissentiente.*

XVIII. Quæres. Cùm constet, Christum in Eucharistia cultu latriæ esse adorandum, actusque sit indifferens, utrum stando, an sedendo, an genu flectendo Eucharistia sumatur; num actus ille per se indifferens pro illicito sit habendus, propter interpretationem quam Ecclesiæ præsules illi actui dederunt; puta quod actus ille objectum habeat Christum, ut sub panis accidentibus præsentem, aut ipsa etiam signa visibilia? Resp. Si decretum illud Ecclesiæ præsulum dissentientibus libertatem adimat apertè dissensum suum testandi, tacitam interpretationis illius falsæ approbationem, aut saltem approbationis testificationem includit: atque ita hominem criminis illius, quod revera actu illo committitur, reum facit; adeò ut si non directè, interpretativè saltem idololatriam committat. Si verò dissentientibus facultatem concedat, liberè dissensum suum testandi, apertèque contra transsubstantiationis dogma protestandi, ac profitendi, se nullo modo adorationem suam ad symbola panis ac vini dirigere, sed solum Christum Dominum suum ac Salvatorem adorare; Sacramentum verò, sive id sit panis & vinum, sive eorum accidentia, tantum pro præsentiæ divinæ signo habere, sicut olim arca fœderis præsentiæ divinæ signum erat; non video tali actu idololatriam committi. Et si Ecclesia Romana hanc adhiberet protestationem, idololatriæ rea ex hoc dogmate peragi non posset. *Quousque tolerari possit.*

possit. Interim ea superest difficultas: Quoniam illi solummodò, qui hac se protestatione tuentur, ab idololatriæ crimine se immunes præstant, utrum illi cum aliis Ecclesiæ illius doctoribus, qui hanc protestationem rejiciunt, ac proinde veri sunt idololatræ, communionem ejusdem Cœnæ usu habere possint: esse enim id cum idololatris communicare. Me quod attinet, qui pacis Ecclesiasticæ causâ multa condonanda puto, ego rem variis difficultatibus, quæ accuratiorem requirunt inquisitionem, implicitam credo: vixque tutum ac licitum arbitror Ecclesiæ pacem durâ hac conditione redimere. Quia cùm Ecclesiæ Romanæ liberum permittitur cultus Sacramenti exercitium, nosque ab ipsis dissentientes adorationem, licet protestatione solenni adhibitâ, non panem, sed ipsum Christum nos respicere, unà cum ipsis adhibemus; quoniam in externis plerumque homines sunt defixi, neglecto cultu interno & principali, facillimus in idem, quod jam in Ecclesia Romana reprehendimus, idololatriæ crimen esset relapsus, tandemque illa protestatio in desuetudinem abiret, aut Romanorum præsulum auctoritate abrogaretur.

Pompaticus Eucharistiæ cultus.

XIX. Minus autem excusari potest pompaticus ille & verè idololatricus Eucharistiæ extra ipsum Sacramenti usum, cultus, qui ubique in Ecclesia Romana obtinet: qui in variis consistit; Quòd Eucharistia in thecis & capsis, pretiosissimè ornatis, reponatur, quod publicas instituerint processiones, in quibus religiosè circumgestatur, & adoratur, quin adeo festum corporis Christi institutum sit, anno nimirum Christi CIↃCCLXIV. ab Urbano IV. hortatu cujusdam monialis Evæ reclusæ in Ecclesia Sancti Martini Leodii, quæ à duabus fœminis, Juliana & Isabella, excitata fuerat. Illi enim actus ab idololatriæ crimine excusari neutiquam possunt. Prætextus enim ille, qui in Cœnæ usu prætendi potest, hic locum habere nequit. Non enim extra Cœnæ usum corporis Christi figura est, sed vulgaris tantum panis; quia, ut antea monuimus, non tam panis & vinum, quàm tota illa actio quæ circa panem & vinum exercetur, nobis corpus & sanguinem Christi repræsentant. Omnis ergo cultus, qui illi extra Cœnæ usum exhibetur, in nudum panem tendit, ac proinde idololatria est.

Vindicatur Scripturæ perspicuitas.

XX. Hîc autem quæri posset; cùm hæc Pontificiorum idololatria pravâ verborum Domini, *hoc est corpus meum*, interpretatione nitatur, quomodo itaque salva esse possit doctrina nostra de Scripturæ Sacræ in omnibus ad salutem necessariis perspicuitate; Resp. Optimè. Non enim veram verborum Christi interpretationem urgemus ad salutem necessariam; sed idololatriæ crimen, falsæ isti interpretationi superstructum, salutis spem impedire credimus: quamvis enim fateamur, erroneam illam verborum Christi interpretationem idololatriæ huic occasionem dedisse, non tamen ex ea necessariò fluit, uti ex Lutheranorum exemplo constat. Distinguenda ergo est erronea Scripturæ interpretatio, à dogmate, quod homines ex proprio cerebro præter omnem Scripturam postea illi inædificarunt, atque ita Scripturis in proprium exitium abusi sunt, uti Petrus ait, 2 *Epist.* III. 16.

CAPUT LXXIV.

De Operibus merè externis, ac præceptis humanis.

Liberi sumus a ceremoniarum jugo.

I. PRæter duo hæc præcepta ceremonialia, nullos ritus ceremoniasve Dominus noster Jesus Christus ut observatu necessarias nobis præscripsit. A gravi enim ceremoniarum jugo nos liberavit, & in libertatem asseruit; cultum ergo externum ac ceremonialem reducere velle, tantumdem est atque libertatem per ipsum introductam abnegare; *Gal.* V. 1. *State ergo in libertate, in qua vocati estis, & nolite iterum jugo servitutis contineri.*

Cultus noster est spiritualis.

II. Cultus nempe, à Jesu Christo præscriptus, est spiritualis, *Joan.* IV. 23, 24. ubi veri adoratores Deum adoraturi dicuntur *in spiritu & veritate. Gal.* V. 5. *Spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus.* Quibus in locis, per *spiritum* spiritualis ille Deum colendi modus intelligitur, qui à spiritu præcipue provenit, & non sine spiritu perfici potest; oppositus carnali & externo illi cultui, qui totus per carnem perficitur. Non quòd externa facta ad cultum nostrum non pertineant; è contra, non tantum anima sed & corpus Deo subditum esse, gloriamque divinam promptâ obedientiâ illustrare debet; *Matth.* V. 16. 1 *Pet.* II. 12. *Rom.* VI. 11, 12. 1 *Cor.* VI. *ult. Phil.* I. 15. 1 *Thess.* V. 23. ejusmodi nimirum factis, quæ, licet externis corporis membris peragantur, à corpore solo non proveniunt, sed spiritum concupiscentias carnis crucifigentem auctorem habent. Sed quòd cultus nostri pars non sint opera merè externa, quæ solâ carne, absque ullo bono motu spiritus perfici possunt. Notum quippe est, externa hæc magna cum devotionis zelique divini specie perfici posse, diligentemque eorum observationem sæpe tegere animum profanum & hypocritam. Hinc est quod Deus ejusmodi cultum sibi placere posse neget, *Esa.* XXIX. 13. *Matth.* XV. 8. Ideo & cultus noster vocatur *rationalis*, *Rom.* XII. 1. utpote in ipsa honestate ac convenienti decoro fundatus; ad distinctionem cultus ceremonialis, qui, nul-

lâ

là honestate naturali subnixus, carni magis placet quàm spiritui.

Ceremoniæ sunt elementa mundi.

III. Sed & ceremoniæ ad prima mundi elementa pertinent, quæ infantibus tradi solent, *Gal.* IV. 3. *Ita & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes*; & *vers.* 9. vocantur *infirma & egena elementa*. *Coloss.* II. 20. *elementa hujus mundi*. Quia instar elementorum sunt, quibus sicut infantes ad altiorem disciplinam, ita etiam homines rudiores ad perfectiorem cultum præparantur. Nunc autem in Christo adulti sumus, filii ac hæredes, *Gal.* IV. I. *&c.* Hinc *cap.* III. 24. lex; nim: ceremonialis, *pædagogus noster* fuisse dicitur *ad Christum*; qui nim: pædagogi instar sub elementorum disciplina nos cohibuit, donec fides revelata esset. Indecorum autem est, adultos ad prima elementa redire, filiumque ad maturitatem provectum rursum prædagogi disciplinæ committere. Ideo vocantur *infirma*, quòd nullas ad hominem Deo commendandum aut justificationem obtinendum vires haberent: & *egena*, quia nihil in illis erat solidi, sed meræ tantum umbræ: imò nullius etiam pretii; quia licet externam quamdam sanctitatis speciem exhibeant, animum tamen à vitiis purgare nequeunt, quia spectant solummodò exercitium carnis, *Coloss.* II. 23. *Matth.* XV. 11, 17, 18, 19, 20. Vocantur etiam *mundi* elementa, quia gentibus cum Judæis communes erant; non quòd eædem illæ ceremoniæ, quæ à Deo Judæis erant præscriptæ à gentibus observabantur: sed quòd eorum religio variis etiam externis ritibus, alterius licet generis, constabat, atque ita ritualis fuit cultus.

Et figura cultus spiritualis.

IV. Porrò, ceremoniæ illæ figura sunt spiritualis cultus à Christo instituendi, quem mysticè adumbrarunt; corpus verò est Christi, *Coloss.* II. 17. *Hebr.* VIII. 5. X. I. Atqui accedente corpore cessat umbra, perinde uti antitypo typus; hinc dicuntur *usque ad tempus correctionis imposita*, *Hebr.* IX. 10. & hoc respectu *Joan.* IV. 23. religio Christi vocatur *veritas*.

Et notæ distinctionis populorum.

V. Quin & ritus hi fuerunt notæ professionis: signa & distinctiones populi Israëlitici & politiæ ejus Ecclesiasticæ ab aliis gentibus, *Genes.* XVII. 10. *&c.* *Deut.* IV. 8. Hinc vocantur *paries intergerinus* Judæos à gentibus separans, *Eph.* II. 14. Nunc autem & Judæos & gentes in unum populum colligens Dominus, etiam maceria hæc tolli, aut saltem desinere debet, nullusque amplius ceremoniarum externarum est usus: *Joan.* X 16. *Rom.* X. 12. *Gal.* III. 28. *Coloss.* III. 11. hinc Apostolus id egregiè deducit, *Eph.* II. 14, 15. *&c.*

Reductio ceremoniarum in Ecclesiam à Pontificiis.

VI. Hinc videri licet, quàm graviter erga libertatem hanc, quam per Christum obtinemus, peccent Pontificii, qui nobis cultum externum & ceremonialem reduxerunt in Ecclesiam Christi, eumque partem aliquam divini cultus, imo bonum & meritorium asserere non dubitant: *Bellarm. lib.* II. *de Sacram. cap.* XXX. Totam enim ipsorum religionem si inspicias, merè externam deprehendes, & in externarum ceremoniarum observatione magna cum devotione, aut saltem devotionis specie, occupatam: quales sunt ipsorum diës festi, ornatus & consecrationes templorum, jejunia, abstinentia à carnibus certis diebus, flagellatio corporis, demurmurationes precum ad rosaria sua crebrò iteratæ, peregrinatio ad certa templa, omnesque illæ ac ferè infinitæ ceremoniæ, quæ in ipsorum Sacramentis usurpantur.

Adversa est religionis Christianæ genio.

VII. At quid hoc aliud est, quàm typum reducere, præsente jam antitypo? Quod ajunt, auferre se significationem illam typicam; non sufficit: rituum enim illorum natura in typica adumbratione consistit: illam si tollas, & ipsos ritus tolli necesse est; religioque per typos adumbrata rituum illorum præsentiam non fert. Repugnant etiam perfectioni Euangelii; remittuntur enim adulti ad prima elementa, reducitur tutor, jam filio sui juris facto. Quin & non rarò cultus hic veræ pietati noxius est, facillimè enim eò homines delabuntur, ut in externis hisce potissimam sanctimoniæ partem collocent, usque corpus suum exercentes, animæ exercitium omittant. Ita enim ferè cum hominibus est comparatum, ut circa externas & in oculos incurrentes ceremonias, Deo cultuique ejus destinatas, defixi hæreant, easque admirari, ac tandem supra omnia alia extollere incipiant. Hinc fit ut homo, inani sanctitatis specie deceptus, animi explorationem omittat; seque jam summum sanctitatis apicem consecutum credat, cum in medio vitiorum luto adhuc hæreat. Memorabile est, quod Erasmus de Monachis quibusdam scribit, *Enarratione in Psal.* XXXIII. *Operum tom.* V. *pag.* 342. *Legimus olim Monachos in desertis agentes, precibus, jejuniis, vilitate vestitus ac ciborum, chameuniis, & æstus frigorisque patientiâ inter se decertasse: quosdam produxisse inediam in quartum diem, alios in septimum, nonnullos etiam diutius, adeo ut fuerint, quorum è dentibus scaterent vermes ob inediam: atque his rebus magnam sibi sanctitatis opinionem conciliabant apud vulgus. Et tamen ex his sanctis qui vocabantur ad munus Episcopi, lacessiti contumeliis, vexati injuriis, prorsus (ut inquit Chrysostomus) furiosi reperiebantur, ac ne levibus quidem injuriis ferendis pares.*

Criminis hujus Pontificii argumentum.

VIII. Eodem vitio Ecclesiam Romanam laborare (quicquid Bellarminus reclamet, Ecclesiæque suæ falsò impingi criminetur, quod præcipuum Dei cultum in hisce ceremoniis

moniis consistere doceat, anteponatque præceptis divinis) praxis ipsorum abundè docet. Ut sanctissimum enim venerantur, non qui veræ pietatis opera exercet, sed qui jejunat, carnem flagellat, ad divos peregrinationem instituit, &c. ut scelestissimum horrent, non qui operibus carnis in Scriptura vetitis indulget; sed ceremonias ipsorum non observat: scortator, adulter, perjurus facillimè peccati sui remissionem obtinebit, nec illius familiaritatem Pontificius defugiet: si quis die Veneris carnem edat, aut aliam quamcunque traditionem Ecclesiasticam vilipendat, cum omnes horrent. non aliter ac si bidental calcasset, vixque ulla crimen hoc eluat ætas. Quin & Sanctorum vitam si legas, præcipua illorum sanctitas in externis hisce occupatur.

Traditiones hominum quo sensu sint illicitæ. IX. Quæres. Nullasne ergo in Ecclesia usurpare licet ceremonias? Resp. Cum distinctione. Ceremoniæ, instituta, & traditiones, quæ fundamentum habent in persuasione merè humana, & quæ neque tacitè præceptæ, neque ullam cum virtutum à Deo præscriptarum officii communionem habent, sunt superstitiosi ritus; neque Christianus, qui libertatem per Christum à ceremoniis consecutus est, illis adstringi debet. Si etiam vera in iis pietas collocetur, si ut necessariæ ad salutem suscipiantur, alii ob eas contemnantur, aut per eas verus Dei cultus irritus reddatur, vitiosæ sunt omninò & illicitæ, illisque applicari debet, quod inquit Dominus, *Matth.* xv. 8. ex *Esa.* xxix. 13. *Frustra me colunt mandatis hominum*, &c. Est enim ἐθελοθρησκεία, quæ Deo placere nequit: *Coloss.* II. 18, 23.

Quæ instituta licita sint. X. Alia est ratio institutorum, quæ in ratione naturali fundata sunt, & cum virtutibus in Scriptura expressis communionem habent; præterea quæ ordinis & decori causâ instituuntur, qualia sunt præcepta de circumstantiis cultus, ut de tempore & modo conveniendi; modò ritus sint decori, non repugnantes verbo Dei; præterea liberi, sine ulla opinione cultus aut meriti, & multitudine suâ observatores non gravent, neque nimiâ & inani pompâ observentur. Cujusmodi sunt:

Præcepta bene vivendi. XI. Primò. Omnia illa quibus manifesta ratio subest. Ut sunt bene vivendi præcepta, & leges, ac monita politica. Licet enim verbum Dei sit perfectum, cui quicquam addere vel demere sit nefas; tamen tradit ut plurimum generalia præcepta; multa boni viri arbitrio decidenda relinquit, tam in moribus, quàm diversis vitæ institutis, de quibus nullæ aut rarissimæ in Euangelio leges exstant.

Quæ ordinem ac decorum spectant. XII. Secundò. Quæ spectant ordinem & decorum sive in familia, sive in Ecclesia, sive in Politia servandum, modò observentur non ut actus veræ pietatis, aut ut necessaria ad salutem, sed ordinis tantum causâ, quia omnia ordinatè fieri debent in Ecclesia, 1 *Cor.* XIV. 40. Tale est, quòd David cantores instituit, aliaque ad ordinem in cultu externo servandum disposuit, 1 *Paral.* xxv. Talis apud nos est consuetudo Psalmos ante & post concionem cantandi, caputque inter cantandum & precandum aperiendi; aliaque externam liturgiam concernentia: quæ in se indifferentia ordinis servandi confusionisque vitandæ causâ tantum observanda sunt. Deque his ubi communi consensu introducta sunt, pertinaciter contendere velle, hominis est contentiosi. Sufficit illi reponere illud Apostoli, 1 *Cor.* XI. 16. *Si quis vult contentiosus esse, nos cum Ecclesia Dei ejusmodi consuetudinem*, quam nim: ille vult introducere, *non habemus*.

XIII. Tertiò. Quæ licet à Deo præcepta non sint, tacitè tamen quasi præcepta videri debent, cultusque ratio à Deo præscripta à nobis exigere videtur. Tale est illud Davidis, qui in animo habebat Deo templum ædificare: id enim legalis cultus ratio, quæ externam majestatem requirebat; ab eo qui id præstare posset, populi nimirum rege, exigere videbatur: obstabat solummodò quædam circumstantia Davidi ignota, nimirum, multa quæ gesserat bella. Tantum autem abest ut malum aut ingratum Deo fuerit hoc Davidis propositum, ut è contra David propterea laudetur, 2 *Sam.* VII. 5. 1 *Paral.* XVII. Quin & Nathan antea id etiam probaverat, *vers.* 3. *Quæ tacitè præcepta videri debent.*

XIV. Quartò. Omnia illa quæ cum virtute nobis præscripta conjunctionem aliquam habent, & ad ejus perfectionem faciunt, & eo solum fine suscipiuntur, ut aptiores & promtiores simus ad colendum Deum; non autem ut in illis ipsis sanctitas quædam collocetur, ut jejunium & vigiliæ, ut tanto ardentius oremus & carnem subigamus, perpetua virginitas, & cœlibatus (purus nimirum & castus) ut tanto expeditiores simus in opere Domini, neque hujus seculi curis distrahamur. Tantum enim abest ut talia superstitiosa sint, ut aliquo modo ad vitæ Christianæ perfectionem faciant. *Quæ cum virtutibus conjunctionem habent.*

CAPUT LXXV.

De Jejunio.

I. INter omnia quæ externum cultum concernunt opera maximè eminet Jejunium, de quo tam multa in Scripturis mentio. In Veteri Testamento Deus Judæis per Mosen solenne & anniversarium præcepit jejunium, *Num.* XXIX. 7. *Levit.* XVI. 31 XXIII. 27, 29. decimo die mensis septimi, circa expiationis festum. Non tantum multorum piorum ac fidelium jejunantium exstant in Scriptura exempla, sed & sæpissimè commendatur: *Joel.* I. 14. II. 12, 15. & in Novo Testamento *Jejunium approbationem habet divinam.*

ſtamento *Matth.* XVII. 20. 1 *Cor.* VII. 5. quin & ritè jejunandi leges præſcribuntur, *Eſa.* LVIII. 5, 6. *&c. Matth.* VI. 16 quibuſdam jejunantibus dona quædam gratiæ eximia à Deo conceſſa ſunt, *Actor.* IX. 9. XIII. 2. Hinc jejunium in genere ſumtum, ſi non divinum præceptum, ejus ſaltem approbationem habere dicendum eſt. Ortum ſuum videtur debere hominibus peccatorum conſcientiâ gravatis, iramque divinam extimeſcentibus; qui, ut externo aliquo ſigno, corpori ſuo gravi ac ingrato, animi ſui ob peccata contritionem humiliationemque teſtatam redderent, jejunium ſibi ipſis præſcripſere, quod Deus poſtea ſibi gratum eſſe teſtatus eſt, quamvis de tempore ac ratione jejunii aliiſque circumſtantiis nihil certi præſcripſerit; ſolummodò opera veræ pietatis, ut jejunium ſibi gratum ſit, exegerit.

2. Non tamen per ſe Deo eſt gratum.

II. Non tamen ex eorum genere eſt jejunium, quæ ex ſe & ſuâ natura Deo grata ſunt, ſed, uti omnia externa, finis causâ cujus gratia ſuſcipitur. Non enim jejunium ſibi Deus placere teſtatur operibus veræ ſanctitatis deſtitutum, *Eſa.* LVIII. 5, 6. *&c.*

3. Quid ſit jejunium.

III. Eſt Jejunium in genere abſtinentia quædam à cibo. Græce vocatur νηστεία, à νὴ ἐσθίειν, non comedere. Vox Hebræa תענית denotat *afflictionem*; quia eo ſpectat jejunium, ut corpus affligatur. Diſtiguendum eſt à fame. quam quis, inopiâ preſſus, neceſſitate quâdam tolerat: Jejunium enim religioſum, de quo nunc agimus, voluntariam à cibo abſtinentiam deſignat. Etiam à Sobrietate aut Temperantia: illa enim perpetua eſſe debet; jejunium vero eſt quid extraordinarium ac ſingulare. Temperantia eſt virtus per ſe Deo placens, Jejunium finis tantum causâ.

Fines jejunii.

IV. Fines autem, qui jejunium commendant, varii ſunt. Primus eſt: Ut carnis petulantia ac luxuria coërceatur: corpus etiam ſi quotidie molliter ac delicatè habeatur, ex alimenti copia laſcivire ſolet, ſeque voluptatibus carnis capi permittit; dumque terrenarum voluptatum amore occupatur, ad contemplanda & ſectanda cœleſtiâ animum ineptum reddit, & in diverſa diſtrahit: propter arctiſſimum enim inter corpus & animam vinculum ſumma eſt inter utrumque συμπάθεια, animuſque vix ac ne vix, dum corpus voluptatibus delinitur, eorum amorem ac contemplationem deponere poteſt. Hinc per jejunium nimia illa alimenti copia ſubtrahi debet, ut ita voluptatum carnalium fomite remoto animus liberius ad cœleſtium contemplationem exſpatietur. Alter eſt, ut homo ad ardentiores preces concipiendas diſponatur. Corpore enim alimento copioſo, quod voluptates provocare ſolet, evacuato, animus excitatur ad majorem precum ardorem; nimia autem repletio ſicut vigilias, ita & ardorem precum ſolet exſtinguere: hinc & cum precibus commendari ſolet jejunium, *Luc.* XXI. 36. *Matth.* XVII. 20. *Joel* I. 14. nec enim tam facile diſſipantur cogitationes, ſed firmius hærent, & acrius intenduntur. Tertius eſt, ut animi noſtri humiliationem coram Deo teſtatam reddamus, noſque pœnam meritos hoc noſtro actu coram Deo teſtemur; quia nos alimento nobis aliàs grato cum moleſtia carnis noſtræ privamus. Et ut id tantò evidentius teſtemur, geſtus adhibere ſoliti, quibus hæc animi humiliatio quàm maximè teſtata redditur: quales ſunt dilaceratio veſtium, amictus in ſacco & cilicio, conſperſio capitis cinere: cujus moris mentio fit, *Jerem.* VI. 26. *Joel* II. 12, 13. *Matth.* XI. 21. Quibus deſignare voluerunt, partim, ſe omnem corporis cultum abjicere & de anima tantum purganda eſſe ſollicitos; partim, animi humilitatem, cordiſque ſui contritionem ac ſpiritum fractum declarare. Inde eſt, quòd aliquando in publico luctu & jejunio non tantum parvulos, *Joel.* II. 16. ſed & jumenta ad jejunii communionem adigebant: hoc ſuo facto procul dubio teſtatum facientes, ſeveriſſimam Dei iram ſe commeritos; Dominumque rogantes, ut ſaltem innoxiorum infantium, quin & brutorum causâ, quibus hæc ob peccata ſua afflictio erat ferenda, eodemque ſecum exitio eſſent involvenda, pœnam peccatis condignam auferre velit; ſicut & Deus eò ſe reſpexiſſe innuere videtur, *Jonæ* IV. 11.

Converſio jejunii in abſtinentiam à certo ciborum genere.

V. Quemadmodum autem nulla eſt ceremonia nulluſque externus ritus, quin aſtu ac malitiâ hominum corrumpi ac depravari poſſit; ita etiam variæ circa jejunium depravationes, veram ejus naturam deſtruentes, in Eccleſia Pontificia exortæ ſunt. Primum enim ipſa jejunii, ut ſic dicam, eſſentia tantum non ſublata eſt. Cùm enim, uti diximus, jejunium & ad corporis luxuriam coërcendam, animique noſtri humiliationem teſtandum introductum ſit, factum eſt, ut Pontificii jejunium in abſtinentiam quandam, non ab omni cibo, ſed à certo quodam ciborum genere, commutaverint, à carnibus nimirum & omnibus quæ ad carnem pertinere putantur; concedentes interim immoderatam omnium ciborum, etiam deliciarum & lautitiarum ingurgitationem, modò nihil cum carne commune habeant; imò videas quoſdam adeo ſuperſtitioſos, ut ſi jejunii tempore forte gutta juſculi carnis in cibum inciderit, eum ne guſtaturi quidem ſint; interim ſecurè ventrem omni delicatiſſimorum piſcium aliorumque ciborum genere, nec non immodico generoſi vini hauſtu, non tantum replentes, ſed & onerantes.

Non eſt verum je-

VI. Ejuſmodi jejunium non eſt verum, ſed

junium. Distinctio jejunii.

sed simulatum tantum ac histrionium jejunium. Quod ut evidentius appareat, distinctio quædam jejunii observanda est. Aliud nempe est jejunium singulare, unius aut paucorum aliquot diërum; biduanum nempe aut triduanum. Illud requirit abstinentiam ab omni cibo. Tale fuit jejunium Estheris & Mordochai ac Judæorum, *Est.* IV. 16. ac Ninivitarum, *Jon.* III. 8 Aliud est continuatum plurium dierum; hoc ab omni cibo abstinentiam non requirit; eam enim naturæ nostræ infirmitas per plures dies non fert: sed exigit ut semel tantum de diē, vesperi nempe post absoluta exercitia pietatis, quorum causâ instituitur, cibus sumatur: *Judic.* XX. 26. 2 *Sam.* I. 12. III. 35. neque ut corpus cibo, perinde uti aliis diebus, repleatur, sed parcior assumatur copia, quanta sanitati tuendæ viribusque corporis necessariis conservandis sufficit: tandemque cibus non sit delicatus, sed tenuior & vulgaris. Tale fuit jejunium incolarum Jabes in Gilead per septem dies, 1 *Sam.* XXXI. 13. Item Danielis, *Cap.* X. 2, 3. *Ego Daniel lugebam tribus hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum.* Quâ in re tamen uniuscujusque prudentiæ & pietati aliquid committendum est.

Superstitio Pontificiorum circa jejunium.

VII. Inde apparet Pontificiorum circa jejunium superstitio. Permittunt pluries in die cibum sumere; meridie prandere, vesperi collationem sumere, uti vocant: magnam ciborum copiam, & quasvis delicias concedunt, modò abstineatur à carne, omnibusque quæ quocunque modo ad carnem pertinent. Non poterat, inquiunt, certa & communis regula constitui circa quantitatem cibi sumendi, vel circa lautitias & condimenta ciborum; hæc enim infinitis modis variantur, & quod uni est multum, alteri est parum; quod uni est lautum, alteri non est lautum; debuit igitur constitui regula penes abstinentiam ab aliquo cibi genere, qui ex genere suo & ut plurimum magis nutrit & magis delectat, qualem esse carnem pecorum & avium omnes concedunt. Nec liquidum jejunium solvere ajunt, quia per se non refertur ad corpus alendum, sed ad juvandam cibi digestionem. Unde quis meritò concludat, nec ebrietatem jejunium solvere. Quæ omnia jejunii rationi è diametro adversantur. Non enim hoc est jejunium, sed lautitiarum tantum permutatio. Sive autem hoc sive alio lautitiarum genere cibique ingurgitatione jejunium solvas, perinde est. 2. Nec hac ratione jejunii finis, qui est carnis lasciviam domare, obtinetur. Magis enim cum fine jejunii pugnat, delicatis piscibus, oleribus ac aromatis corpus suum replere, quàm exiguum carnis fumo induratæ, aut casei non admodum grati, comedere. Dicunt, per accidens illud esse. Resp. Nequaquam: repletio enim, quæ fit piscibus & vino, per se magis corpori confert alimentum, magisque excitat ad luxuriam, quàm si exiguam carnis portionem edas. 2. Incertum est, utrum non sint pisces qui copiosius suppeditant alimentum, ac proinde luxuriam magis excitent, quàm carnes quædam. Vinum saltem, quod jejunium non solvere Pontificii volunt, illius fini directè adversum est, voluptatesque carnis quàm maximè incendit. Scriptura nullum ciborum discrimen agnoscit, *Matth.* XV. 11. 1 *Tim.* IV. 4. sed in jejunio veram carnis macerationem requirit.

Occurritur objectioni, à statu ante diluvium.

VIII. Objiciunt tamen, in statu integritatis & ante diluvium carnium esum permissum non fuisse. Resp. non quia aliquatenus impurus erat, aliàs ejus usum Deus statim post diluvium non concessisset, nec sancti carnem edissent, Deusque Paschatis celebrationem esu agni non instituisset: nec etiam ut abstinentia hæc à carnibus typus foret jejunii postmodum in Ecclesiæ observandi: sed quia ob corporum firmitudinem, & terræ vigorem solidiores tunc fructus proferentis, isto sustentaculo non indigebat.

Et ex Proverb. XXIII. 20. & Rom. XIV. 21.

IX. Objiciunt porrò: *Proverb.* XXIII. 20. dici, *Noli esse in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt:* & *Rom.* XIV. 21. *Bonum est non manducare carnem:* Resp. Utroque loco turpiter abutuntur; nihil enim in illis est, quod abstinentiam à carnibus tempore jejunii commendet. Salomon agit de hominibus gulosis, qui carne intemperanter abutuntur; illisque jungit vini potatores; non tamen tempore jejunii vinum respuunt Pontificii. Pauli locus alterâ sui parte truncatur: carnem non manducare bonum esse dicit, quando fratri carnis esus scandalo est; aliàs extra illum casum *nihil pollutum* dicit, *nisi ei qui pollutum credit*, *vers.* 14. Nec pro ipsis ex hoc loco quicquam produci posse, argumento est, quod addat, *nec vinum bibere;* cujus tamen usum jejunii tempore permittunt.

Nulli cibi sunt immundi.

X. Peccant ergo, qui certos quosdam cibos per se immundos credunt, ideoque ab iis abstinent. Illos reprehendit Paulus, *Coloss.* II. 20, 21, 22, 23. & 1 *Tim.* IV. 4. Tales olim aliqui creduntur fuisse hæretici, Ebionitæ, Encratitæ, Manichæi, &c. Ab illorum errore non multum recedere Pontificios, ex antedictis liquet. Licet enim cibos per se immundos non statuant, eorum tamen usum, etiam exiguum, certis quibusdam diebus adeo horrent, ac si planè immundos crederent.

Abutuntur jejunio, qui jejunant ut ab hominibus videantur.

XI. Sed & cum jejunium institutum sit ad carnis macerationem, nosque melius ad cultum Dei præparandum, gravius peccare censendi sunt, qui jejunant ut ab hominibus videantur, *Matth.* VI. 18. Fine enim jejunii neglecto, solum jejunium spectant, neque

neque Deo, sed hominibus placere student, ut fictâ quâdam specie sancti appareant, reipsâ scelerati dum sunt: quæ detestanda est hyprocrisis. Hisce annumerandi sunt, qui ex consuetudine tantum, nullo cum respectu ad jejunii finem, jejunant, sine precibus, aut humiliatione, aut carnis suæ fræno: prout plerumque à Pontificiis jejunium observari solet. Doctrina quidem ipsorum huic vitio adversa est; at praxis doctrinæ non consona, in qua & ipsorum præsules populum acquiescere permittunt, arguit jejunium fermè pro opere operato haberi, uti & reliquas carnis macerationes, quas satisfactiones vocant; illis enim peractis, de peccatis commissis securi sunt; iterumque peccatorum luto se involvunt, certi se jejunio aliisque corporis afflictionibus ea expiare posse.

Et qui vim satisfactionis & meriti illi tribuunt.

XII. Tandem maximus est jejunii abusus, credere quòd sit utile ad satisfaciendum Deo, eique intrinsecam quandam dignitatem, vimque satisfactionis & meriti tribuere: cùm omnis, uti vidimus, jejunii dignitas à fine ejus procedat. Nihil propriè homo apud Deum mereri potest, neque pro delicto aut temporali delicti pœna apud Deum satisfacere: Deus nihilominus aliquando ad opera pietatis humanæ gratiosè respicit; non quia illis homo Deo satisfacit, sed quia Deo grata sunt, nec sine illis Deus remissionem concedere vult. Tale autem non est jejunium per se consideratum, utpote opus quod solâ carne, sine ullo bono motu spiritus, peragi potest; sed solummodò cum fine suo legitimè conjunctum. Deus itaque, ad quorundam hominum jejunia respiciens, magis ad internam animi humiliationem, cum jejunio conjunctam & jejunio testatam, respicit, illamque gratam habet: ita *Jon.* III. *ult.* 1 *Reg.* XXI. *ult. Dan.* X. 12. Quibus omnibus in locis jejunium ut humiliationis internæ effectum consideratur: idemque sensus est verborum *Tobiæ* XII. 8. *Bona est oratio cum jejunio.* Non quòd jejunium omni efficaciâ destitutum velimus; si enim ex sincero ac pietatis studioso humilique ac fracto animo procedat, precibus vigorem addit, facitque ut promtius exaudiantur: sed vim intrinsecam illi denegamus, dignitatemque Deo pro peccatis satisfaciendi.

Solvitur objectio à facto Rechabitarum.

XIII. Objici solet exemplum Rechabitarum, *Jerem.* XXXV. 18., 19. quorum jejunium Deo adeo gratum fuit, ut eos propterea communi Judæorum exitio, in Hierosolymæ excidio, exemerit. *Resp.* 1. Rechabitarum factum nullam cum jejunio communionem habuit; fuit enim abstinentia à vino, quod Pontificii jejunii tempore non refugiunt; & possessiones sibi non comparatunt. 2. Grata fuit Deo horum obedientia, patris sui mandatis exhibita; quam & alibi Deus sibi gratam testatur promisso vitæ longævæ. 3. In mandato illo Jonadabi aliquid videtur fuisse ab instinctu spiritus prophetici profectum, quo ille futuram populi captivitatem prævidit; noluit ergo liberos suos possessionem sibi in terra illa habere, ne terræ illi nimis essent affixi, utque calamitates ejus expeditius effugere possent.

Et ex Matth. VI. 18.

XIV. Objicitur porrò, quòd *Matth.* VI. 18. jejunio promittitur retributio à Deo. *Resp.* 1. Retributio illa non denotat meritum. 2. Non soli jejunio retributio illa promittitur, sed si omnia quæ jejunium commendant adsint. Non autem intrinsecam jejunio dignitatem competere, clarè evincunt verba, *Esa.* LVIII. 5. *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam; numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere; numquid istud vocabis jejunium & diem acceptabilem Domino?*

Jejunium est vel privatum, vel publicum.

XV. Restat nunc, ut varias jejunii distinctiones consideremus. Primò: Jejunium distinguitur, quod aliud sit privatum, aliud publicum. Privatum est quod privata de causa, vel sui vel suorum causâ aliquis suscipit: 2 *Cor.* VII. 5. vel quod aliquis sponte etiam publica de causa suscipit, quale jejunium fuit Danielis, *cap.* IX. 3. X. 1. Publicum est, quod ab aliquo potestatem habente, & publicam ob causam indicitur: uti *Joel.* I. 14 Tale etiam fuit Ecclesiæ Judaicæ jejunium, *Sachar.* VIII. 19. ubi legimus quatuor ab ipsis instituta fuisse jejunia, decimi mensis in memoriam obsessæ, quarti in memoriam expugnatæ, quinti in memoriam desolatæ urbis Hierusalem, septimi in memoriam cædis Godoliæ, quam multæ calamitates sunt consecutæ: uti in Jeremia legere est.

Cujus sit publicum indicere.

XVI. Quæritur cujus sit jejunium publicum indicere, utrum Magistratus politici, an verò Ecclesiæ? Causa dubitandi est, quia videmus in vetere Ecclesia Judaica modò à Magistratu indicta esse jejunia, ut 2 *Chron.* XX. 3. à rege Josaphat; *Esth.* IV. ab Esthere & Mardochæo; quin & 1 *Reg.* XXI. 9. ab impia regina Jesabel & impia de causa: Aliquando autem ab Ecclesia, ut *Sachar.* VIII. 19. in captivitate. Pontificii auctoritatem hanc Ecclesiæ, aut potius Pontifici Romano adscribunt. Sed sine ullo fundamento, nititurque hæc assertio doctrinâ de capite Ecclesiæ, quam postea excutiemus. Nobis ambiguitas hæc facile conciliari posse videtur, si modò distinctio quædam adhibeatur. Hoc modo. Si Magistratus sit Christianus, Ecclesiæque curam in se suscipiat, illius esse, sicuti omnia quæ Ecclesiæ regimen concernunt dirigere, ita etiam jejunia publica indicere. Si verò sit infidelis, & Ecclesiam persequatur, aut illius curam negligat, penes Ecclesiam

clesiam est urgente ac imminente quâdam calamitate, sibi ipsi jejunium indicere, ut à Deo vel bonum aliquod precetur, vel malum deprecetur. Perinde uti Ecclesia Judaica sub regibus constituta jejunia à regibus sibi indicta observavit; in captivitate verò infidelium regum jugo pressa sibi jejunia præscripsit.

Est vel nulli, vel certo tempori adstrictum.

XVII. Secundò. Jejunium aliud est nulli certo tempori adstrictum, sed quod vel privatus quisque ut se coram Deo humiliet sibi imponit; vel quod Magistratus pro certo tempore ob imminentes aut incumbentes toti populo calamitates indicit; qualia sunt, 1 *Cor.* VII. 5. *Joel.* I. 14. Aliud quod stato quoque tempore recurrit; quale nullum divino jussu institutum, præter unicum illud, quod quotannis diè decimo mensis septimi circa expiationis festum observandum erat; sunt tamen alia à Judæis sibi ipsis præscripta, *Zachar.* VIII. 19.

Jejunium Quadragesimæ.

XVIII. Varia ejusmodi stata jejunia etiam observant Pontificii, sed omnia superstitiosa. Primum & celeberrimum est jejunium Quadragesimæ, ita vocatum, quia per quadraginta dies ante festum Paschatis observatur abstinentiâ à carnibus, ovis & lacticiniis. Sed præterquam quod non sit verum jejunium, sed deliciarum tantum mutatio, uti antea copiosè ostendimus, non esse illud institutionis Apostolicæ, argumento est maxima in illo observando semper deprehensa diversitas: alii enim per tres, alii per sex, alii per septem hebdomadas jejunium hoc observarunt. Et conciliationes, quas hic excogitant Pontificii, illud non institutionis Apostolicæ, sed inventi merè humani esse, arguunt. Piâ quâdam intentione videtur excogitatum, ut hominibus aliquod saltem tempus præscriberetur, quo se per carnis macerationem à peccatis recolligerent. Sed lapsu temporis in superstitionem degeneravit, quia jejunii loco deliciarum tantum mutatio introducta est. Quodque pessimum est, omnemque usum, cujus gratiâ institutum est, tollit, præcedit summa quidvis faciendi licentia; quod tempus meritò bacchanalia vocatur: & quod maximè improbandum, jejunii tempus determinatum habet initium, licentiæ non item, sed determinatum tantum finem, primum nempe Quadragesimæ diem: ante illum autem summa est licentia, eaque tantò dissolutior, quantò magis abstinentiâ illâ tempore Quadragesimæ pro peccatis præcedentibus Deo se satisfacere posse confidunt. Dicunt, jejunium hoc institutum esse ad imitationem miraculosi illius jejunii quadraginta dierum Mosis, Eliæ, & Servatoris nostri Jesu Christi. Verùm assertio illa ridicula est: illa enim jejunia imitari nequeunt: nec etiam usquam Judæis aut Christianis præceptum reperitur, ut ad illius jejunii aliqualem imitationem quadragesimale jejunium observent: nec ab Apostolis *Act.* XV. ubi gentibus externa quædam observanda præscribuntur, id mandatum est.

Jejunia quatuor temporum.

XIX. Secundò: Sunt jejunia quatuor temporum, quorum celeberrimum observatur mense Decembri, quia tunc Ordines conferri solent, & ante manuum impositionem præcedere solet jejunium. Huc referunt quod legitur, *Act.* XXVII. 9. quod *non tuta esset navigatio, eò quod jam jejunium prætiriisset.* Sed unusquisque facilè videt, ibi non de Christianorum, sed Judæorum jejunio, decimo mense observari solito, sermonem esse. Nec refert, quod Lucas hæc non Judæis, sed Christianis scribat. Quia ex consuetudine Judæorum recepta notissimum id inter omnes erat jejunium; perinde uti hodie jejunium Quadragesimæ, quod soli Pontificii observant, ubique notissimum est. Et tantumdem id est, ac si quis ex eo, quod Reformatus ad Reformatos scribens mentionem faciat Quadragesimæ, concludat etiam Reformatos Quadragesimæ jejunium observare. Reliqua trium temporum jejunia recentioris sunt institutionis, causæque, quas recensent cur instituta sint, sunt frivolæ, & indigna quæ commemorentur.

Jejunium feria quarta & sexta, &c.

XX. Tertiò. Jejunium habent singulis hebdomadis recurrens, quo à carnibus abstinent. Solebat id observari quartâ & sextâ feriâ, in memoriam captivitatis & mortis Domini Jesu; sed postea quartæ feriæ in sabbathi jejunium conversum est, quia Dominus Jesus diè sabbathi in sepulchro fuit. Nos hanc præcisam jejunandi legem in Scriptura non reperimus. Si quis sibi eam imponere velit, ut carnem maceret, seque ad pietatis opera exerceat, nos factum illius non damnamus, modò verè jejunet, neque in jejunio illo, tanquam parte divini cultus, fiduciam collocet, aut eò superbiat perinde ut Pharisæus ille, *Luc.* XVIII. 12. qui se bis in sabbatho jejunare gloriabatur, eoque se supra alios efferebat.

CAPUT LXXVI.

De Votis, ac speciatim Monasticis.

I. AD cultum Dei etiam pertinent Vota: *Votum.* de iis ergo etiam quædam dicenda. Votum Hebræis vocatur נֶדֶר. Græcis vocatur εὐχὴ, ab εὔχεσθαι. Illud autem tria significat: *Optare* seu vehementer cupere, *Rom.* IX 3. 2 *Cor.* XIII. 7, 9. *Precari*, *Jacob.* V. 16. nti & εὐχὴ, *precationem*, *vers.* 15. tandem *Vovere*, sicut εὐχὴ *votum*, *Act.* XVIII. 18. XXI. 23. Eodem modo & Latinis Votum denotat desiderium, ut cum aliquis voti compos, aut alicui omnia ex vo-

to

to fluere dicitur; precationem, & votum propriè dictum.

Quatuor videnda. II. Hic considerandum. 1. Quid sit Votum. 2. Quas ob causas concipi possit & soleat. 3. Quæ requirantur ut Votum legitimum sit; ac tandem 4. Quæ sit Voti obligatio.

1. Quid sit Votum. III. Votum est solennis ac spontanea Deo facta promissio, quâ nosmet ipsi adstringimus, ac peculiari modo obligamus. Fitque vel absolutè, quale videtur fuisse cujus mentio fit, *Jon.* I. 16. vel conditionatè: tale fuit votum Jacobi, *Genes.* XXVIII. 20, 21, 22, 23. Annæ matris Samuelis, 1 *Sam.* I. 11. & Jephthæ, *Judic.* XI. 30.

Vel est generale. IV. Votum Deo factum vel est generale, quo nos omniaque nostra fincero ac pio effectu Deo vovemus & addicimus, ut de iis pro arbitrio statuat. Talis erat prior pars voti Jacobi, *Genes.* XXVIII. 22. quod ***Jehova ipsi futurus esset Deus***: ac tale est omnium Christianorum votum in Baptismo, cujus susceptione se peculiari quâdam ratione Deo consecrant; quod votum etiam usu Cœnæ continuò iteratur. Licet enim ad officium illud etiam ante Baptismum obligati simus, Votum verò, si propriè loqui velimus, videatur rei esse indebitæ: tamen quoniam Deo placuit eò usque se versus homines demittere, ut fœdus cum iis quasi contrahat, etiam certo modo loquendi, respectu habito ad gratiosam illam Dei *συγκατάβασιν*, Votum locum habere potest circa officium ad quod nos fœdere contracto obstringimus.

Vel speciale. V. Speciale est, cùm aliquid Deo singulariter ac speciali quâdam ratione vovetur. Omnia quidem nostra Dei sunt, & ad quævis pietatis officia etiam ante votum obligati sumus; attamen Deo quædam speciali ratione voveri possunt, quæ verbo ejus expressa non est. Talis fuit postrema pars voti Jacobi, *Genes.* XXVIII. 23. Tale est, si quis voveat, se pauperes aliquot vestiturum, aut certam iis summam singulis mensibus largiturum. Quamvis enim verbum Dei eleemosynam præscribat, non tantum specialem illum modum expressit.

In voto nullus est Dei cultus. VI. In ipso Voto nullus est Dei cultus; vovetur enim (in votis nimirum specialibus) ad quod homo ante votum non obstringebatur, *Deut.* XXIII. 22. Hinc nullum de Voto concipiendo exstat præceptum; imò omnia loca in quibus Voti mentio fit, illud spontaneum arguunt; sollummodò Votum, Nazareatus lege suâ Deus dirigit, ejus rationem, modum ac ritum determinando, si quando homo se voto illo obstrinxisset; *Num.* VI. Fuerunt autem in Lege duorum generum vota: unum simplex votum, quod נדר dicebatur, in quo res devota pretio redimi, vel in aliam commutari poterat: *Levit.* XXVII. 2. *& seqq.* Alterum fiebat cum devotione & execratione aliqua, חרם appellatum, à quo nulla dabatur redemtio, sed sanctum erat Domino, & si vivens erat, debebat mori, *Levit.* XXVII. 28, 29. Non fuere Vota propriè auctaria Legis, sed incitamenta & adjumenta ad promptius obsequium Legis. Neque ad Legem sollummodò vota spectarunt, sed & sub Evangelio vota obtinuerunt; ita votum habemus Zacchæi, *Luc.* XIX. 8. Pauli, *Actor.* XVIII. 18. trium fidelium, *Actor.* XXI. 23.

VII. Etsi autem in Voto nullus consistat Dei cultus, licitè tamen fieri potest, estque majus ad Deo serviendum incitamentum. Obligationi enim si specialis obstrictio ex voluntaria promissione accedat, studium eam implendi ut excitetur necesse est. *Licitum tamen est.*

VIII. Secundò. Votum legitimum quatuor potissimum ob causas concipi solet. 1. Ex metu aut sensu alicujus mali, quod à Deo deprecamur. 2. Ut bonum aliquod à Deo obtineatur; tale fuit votum Annæ, 1 *Sam.* I. 11. Jephthæ; *Judic.* XI. 30. 3. Ad testandum gratiarum actionem ob beneficium acceptum; *Jon.* I. 16. 4. Ad castigandum carnem, & vitandas tentationes; uti si quis intemperantior & ad libidinem proclivior abstinentiam à certo quodam cibi genere, quo incitari potest, aut ebriosus, ut peccatum suum emendet, ab omni omninò vini usu abstinentiam voveat. *2. Ob quas causas votum concipi soleat.*

IX. Tertio. Ut votum legitimum sit, seu sine peccato concipiatur, voventemque obstringat, hæc requiruntur. *3. Requisita in voto.*

X. Primò. Ut voveatur Deo; *Psal.* L. 14. LXXVI. 12. Non ergo vota nuncupanda sunt Sanctis; quia voto divinum illi cui votum nuncupamus adscribimus honorem: est enim invocationis quædam species, quâ opem auxiliumque ejus imploramus, & quandoque in se imprecationem pœnæ continet si votum non solvamus: fiduciæ ergo collocationem includit, quæ nemini præter Deum solum debetur. Possunt etiam aliquando vota solâ cogitatione concipi, quæ à solo Deo, nullis Sanctis, cognosci possunt. *Primum.*

XI. Secundò. Debent fieri sponte & à personis sui juris. Sponte, quia votum debet esse liberum, & res quæ vovetur debitum propriè esse nequit, nimirum eo respectû quo vovetur. Licet enim res ipsa debitum sit; omnia quippe nostra officia Deo debentur; modus tamen ille peculiaris qui voto exprimitur est arbitrarius. A personis sui juris: quia vovere debemus quod nostrum est, qui autem non sunt sui juris, nihil habent suum. *Num.* XXX. 6, 9. pater filiæ & maritus uxoris votum rescindere poterat. Contra hanc legem peccant, qui filios & filias impuberes seducunt, invitisque parentibus solli- *Secundum.*

follicitant & admittunt ad vitæ monasticæ vota, eaque rata esse volunt. Dices. Interno spiritus instinctu ad vota illa incitantur. Resp. Spiritus divini instinctus præceptis divinis adversari nequit: hic autem instinctus præcepto de honorandis parentibus adversus est, docetque liberos parentibus desertis vitam amplecti desidiosam: Est ergo instinctus humanus à monachis eorumque fautoribus inspiratus.

Tertium. XII. Tertiò. Res quæ voventur tales esse debent, ut legitimè voveri possint. Debent voveri possibilia, non inepta & inutilia, nec necessaria & inevitabilia; illa enim cum naturâ voti pugnant; multò minus quæ nos avocant à melioribus; uti si quis voveat, quòd sine muneris sui neglectu observare nequit. Tale erat Saulis votum I *Sam.* XIV. 24. quo exercitum suum ineptum reddidit, ad persequendum hostes. Minimè omnium voveri debent scelera, quibus Deus nobis non conciliatur, sed irritatur. Tale fuit votum quadraginta illorum virorum, *Actor.* XXIII. 12. qui se devoverant nihil se esuros nec bibituros priusquam Paulum interemissent.

Quartum. XIII. Quartò. Tandem vota non debent esse temeraria, quale fuit votum Jephthæ, *Judic.* XI. 30. Tale foret ejus, qui se voto ad quippiam obstrinxit, nondum seipso explorato, utrum id quod vovet præstare possit.

4. Voti obligatio. XIV. Votum concipere arbitrarium est; Votum autem conceptum præstare necessarium; obligant enim vota conscientias, & sine peccato eorum impletio omitti nequit. Vota communia conscientias obligare, indubium est; nec ullo prætextu ab iis resilire licet. Vota singularia obligant, si & quamdiu omnia in legitimo voto requisita adsunt. Mala non obligant nec implenda sunt; non enim vincula esse possunt iniquitatis. Ita male implevit Herodes promissum suum, quod sine peccato impleri non potuit, *Matth.* XIV. Quæ processu temporis noxia fiunt, tum aliorum ædificationi, tum nostræ valetudini, aut etiam impossibilia, impleri non debent. Extra hos casus, votum quodlibet obligat. Sic Israelitæ ad voti impletionem præcepto divino obstringebantur, *Deut.* XXIII. 21. Hinc & *Psal.* L. 14. *Redde Altissimo vota tua. Eccles.* V. 3, 4.

Vota Pontificiorum Monastica. XV. Hinc facilè judicium fieri potest, quid de Votis Pontificiorum Monasticis sit statuendum. Tria nempe vovent; Continentiam, quæ potius cœlibatus est, quàm pura & casta continentia: Paupertatem, quam in eo collocant, ut homo nihil sibi proprium possideat, sed omnia cum aliis possideat in commune: & Obedientiam, quâ Præposito suo, Generali, Abbati aut Priori obsequium spondent in omnibus quæ præcipit; quam Jesuitæ eò usque exaggerant, ut eam velint planè esse cœcam, abnegando seipsos perfectè, & omnibus in rebus subjiciendo judicium & voluntatem suam alterius judicio & voluntati; ita ut in justitiam aut æquitatem præcepti à Præposito mandati inquirere illicitum sit.

Ea dicunt esse consilia. Quid consilium sit. XVI Hæc autem tria præcepta divina esse non volunt, sed Consilia perfectionis. Consilium autem vocant opus, quod a Christo non imperatum sed demonstratum, non mandatum sed commendatum est; voluntque à præcepto differre quatuor modis. 1. Materiâ, quæ in Consilio est difficilior, in Præcepto facilior; in Præcepto est bona, in Consilio melior, sc. secundum eandem materiam. 2. Subjecto: Præceptum est omnium: Consilium eorum tantum qui capere possunt. 3. Formâ: Præceptum vi suâ obligat; Consilium in arbitrio hominis positum est. 4. Fine: Præceptum observatum habet præmium, non observatum pœnam: Consilium si non servetur nullam habet pœnam, si servetur, majus habet præmium. *Bellarm. tom.* 2. *de Monachis lib.* 2. *cap.* 7, 8

Apparet ea non esse à Deo. XVII. Ex hac Consiliorum descriptione nos colligimus, Vota Monastica non esse à Deo; utpote nuncupantia res, quas Deus nullo præcepto, fatentibus ipsis Pontificiis sibi gratas declaravit. Dices. Consulit tamen eas ut perfectius quid. Resp. Nulla ejusmodi Consiliorum in Scripturis mentio est. Fatemur quidem in Scripturis aliquando consilia quædam proponi, quæ à præceptis necessario observandis distinguenda sunt, eorum tamen observationem prout in se nudè spectantur indifferentem esse: posse autem ejusmodi incidere speciales circumstantias, quæ consilium mutant in præceptum, & rem alioquin naturâ suâ liberam necessariam faciunt; ut 1 *Cor.* VII. nihil autem hoc cum Consiliis, quorum observatio majorem gloriæ gradum mereri dicitur, commune habet.

Explicatur Luc XVII. 10. XVIII. Imò ejusmodi Consilia Euangelium respuit, dicente Domino, *Luc.* XVII. 10. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.* Dices. Ex textu liquere videtur, servum illum inutilem tantum esse, quando præstitit solummodò quod præceptum ipsi est: posse autem plus præstare, & tum inutilem non fore. Resp. Nullo modo: scopus enim verborum, totiusque parabolæ est, ostendere, nunquam nos ab officio cessare debere, prætextu inani, quod jam præceptis Domini nostri satisfecerimus: quemadmodum servo illi ab opere domum redeunti etiam præcipitur, para quod cœnem & ministra mihi. Dicimur ergo inutiles, quia omnis nostra obedientia inutilis est ad nos exsolvendum obli-

obligatione in posterum Domino ministrandi; perinde uti nullus labor, nullum promtissimum obsequium servum ab obedientia heri sui exsolvere potest. Cùm ergo ejusmodi Consilia à Deo non sint, nec, fatentibus ipsis Pontificiis, hæc opera Monastica ullo divino præcepto sint mandata, apparet ea à Deo non esse.

Sunt temeraria. XIX Secundo. Sunt temeraria. Quod de singulis votis facile est ostendere. Votum per quod laqueus injicitur nostræ libertati, quod incerti sumus utrum in nostra sit potestate implere, est temerarium. Talia sunt vota Monastica.

Id ostenditur de voto perpetuæ Continentiæ. XX. Ac primò quidem votum perpetuæ Continentiæ: dicitur enim illud donum *omnibus non esse datum*, *Matth.* XIX. 11. 1 *Cor.* VII. 7. Non autem vovendum est impossibile quid. Quid enim si post votum homo non valeat perpetuam servare continentiam, an non laqueum sibi ipsi injecit? Orandum est, inquiunt, & jejunandum. Sed pone id faciat homo, & tamen non sit sufficiens ad se continendum, aut saltem variis cogitationibus & cupiditatibus distrahatur, quid tum? An non dicit Apostolus, *præstare nubere quàm uri?* 1 *Cor.* VII. 9. & *verf.* 2. *Propter fornicationem unusquisque vir propriam uxorem habeat, & unaquæque mulier proprium maritum.* Orationem nostram exaudiet Deus, *si precemur juxta ejus voluntatem*, 1 *Joan.* V. 14. id est, præceptis & promissis ejus consentaneè; sed in externis hisce Deus ejusmodi legem nobis non præscripsit: illum itaque statum vovendo, in quo continentiæ dono indigemus, incerti sumus utrum Deus nos illud donum petentes sit exauditurus. Si quis firmiter proponat in cœlibatu & castitate vivere, ut Deo expeditius serviat, Deumque ob spiritum oret, ut propositum illud exsequi possit, sperare ille precum suarum exauditionem potest; sed perpetuam vovere continentiam nequit, nisi qui post accuratam sui explorationem compertum habet se continentiæ dono præditum, & semper præditum fore: quod cum nemo esse queat, neque tale votum præstare potest; temerè enim se in periculum voti violandi conjicit. Id donum se multis jejuniis & maceratione carnis non potuisse consequi fatetur Hieronymus, epistolâ ad Eustochium. 1 *Tim.* V. 9, 11. vult Apostolus eligi tantum diaconissas sexagenarias, juniores autem nubere. Licet ergo concederetur, quod concedendum tamen non est, votum continentiæ ipsas præstitisse; exinde concluderetur, illos tantum posse vovere, qui extra periculum sunt incontinentiæ. Dices. Dicuntur tamen *verf.* 12. *primam fidem irritam fecisse*. Resp. Per *primam fidem* non intelligitur continentiæ votum, sed promissio Ecclesiæ facta de vacando perpetuò curæ pauperum: inde autem eas avocabat matrimonium. Erat quidem in illis non nubendi propositum, non autem votum. Et pone votum fuisse; Apostolus nihilominus vult ut nubant; ergo & tale ab iis votum nec exigendum, nec vovendum esse.

De voto Paupertatis. XXI. Quod spontaneæ Paupertatis votum attinet, similiter Deus per id tentari potest, homoque se variis peccandi periculis temerè exponit, diffidentiæ, injustitiæ, aliarumque artium malarum, *Proverb.* XXX. 9. præsertim cùm paupertas in se spectata sit res fugienda, multa hujus vitæ habeat incommoda, quibus tolerandis an par sit futurus homo ignorat, numereturque inter pœnas improbis à Deo constitutas, *Deut.* XXVIII. 48. *Psal.* CIX. 10. Ut jam non dicamus votum illud Monachorum omninò esse hypocriticum; licet enim omnem privatam possessionem abjiciant, amplas tamen in commune acquirunt possessiones, unde in diem securè & quietè vivant ex communi ærario & proventu, cui nihil quicquam defuturum certi sunt. Plus ergo acquirunt quàm abjiciunt.

De voto Obedientia. XXII. Obedientiæ votum eos hominum mancipia facit, spoliatque libertate, quam in Christo adepti sumus, 1 *Cor.* VII. 23. Et turpe omninò est, ita se totum subjicere alterius hominis non errori tantum obnoxii, sed & potestate suâ nonnunquam turpiter abutentis, arbitrio ac nutui, ut non liceat in præceptorum ipsius æquitatem ac justitiam, etiam cùm honestati è diametro repugnant, inquirere, aut illi obedientiam detrectare. Quid enim est rationem ejurare, seque hominum servum facere, si hoc non est? Dices: Præcipitur tamen *Hebr.* XIII. 17. ut *obediamus præpositis nostris*. Resp. Illa tantum intelliguntur, quæ verbo Dei convenienter præcipiunt, licet sint carni ingrata, ac proinde molesta ac dura. Quod & ratio addita docet: *Vigilant enim pro animabus vestris*; Vigilum est, pericula indicare, & monere quid faciendum sit. Nihil hic pro cœca obedientia, quæ soli Deo, absoluto domino ac legislatori nostro præstanda est.

Sunt & noxia. Votum Continentia. XXIII. Tandem etiam noxia sunt illa vota. Ex Continentiæ voto promiscuo variæ ortæ sunt hominum, qui se non explorarunt, votoque servando impares se deprehendunt, spurcitiæ & lasciviæ, castitati repugnantes. Dices. Non esse hoc voti vitium, sed voventium. Resp. Imo & voti. 1. Quia plerique se non tam continentiam quàm cœlibatum vovere credunt; nihil ergo se voto suo contrarium facere, licet in spurcitiis illis sese temere volutent: cui errori depravatissima in Romana Ecclesia praxis, quæ ad spurcitias illas connivere solet, imò & aliquando ad eas tantum non incitare, plurimum favet. Vide in *Fascic.*

rerum

rerum expetend. & fugiend. fol. 185. *verso. Germaniæ nationis Gravam.* LXXV. & XCI. 2. Per votum illud se conjiciunt in sordium illarum necessitatem inevitabilem, si naturæ sint incontinentioris: omnem enim sibi matrimonii spem præscindentes, non aliud incontinentiæ suæ remedium nisi in spurcitiis hisce reperire possunt.

Paupertatis. XXIV. Fictæ Paupertatis votum, multos introduxit otiosos ventres, validos ac valentes, delicatè ex aliorum liberalitate viventes, qui populum multitudine suâ gravant, eleëmosynas intervertunt, quæque veris pauperibus debebantur in otio & deliciis consumunt.

Obedientia. XXV. Ex Obedientiæ voto multa sunt exorta scelera, cædes Imperatorum & Regum; dum Præposito cædem mandanti cœcâ obedientiâ parere sit necesse, neque ullo prætextu obedientiam desugere liceat: quod tristis aliquot seculorum experientia comprobavit.

CAPUT LXXVII.

De Quinque falsis Pontificiorum Sacramentis.

Quinque falsa Pontificiorum Sacramenta. I. INter opera externa & ἐθελοθρησκείας meritò etiam numeramus quinque Pontificiorum Sacramenta, quæ duobus à Domino institutis, Baptismo & Cœnæ superaddiderunt. Non negamus quosdam illorum ritus piè & utiliter usurpari posse, modò absit superstitio & opinio cultus; alios autem asserimus fictitios esse, & ab hominibus excogitatos ad superstitionem fulciendam; omnibus autem falsò nomen Sacramenti inditum, perinde ac si singulari modo gratiam Dei conferant. Nimirum decepit incautos Vulgatus interpres, qui vocem μυστηρίυ frequentius reddit per *Sacramentum*; unde & quoslibet sacros ritus, quibus mysterii quid inesse putabant, in Sacramenta converterunt: nonnunquam ex metaphoris Scripturæ Sacræ male secundum literam acceptis ritus & Sacramenta procuderunt; tandemque quæ ab Apostolis miraculosè facta legimus, ipsi imitari volentes, & Ecclesiæ perpetua esse cupientes, loco miraculi, quo ritus suos destitui viderunt, mysterium aliquod excogitarunt, ne temerè adhibiti crederentur. Ex singulorum consideratione id manifestum fiet.

Confirmatio, & quid sit. II. Primum horum est Confirmatio, quæ Baptismum sequitur. Ejus ritus in hisce consistit. Baptizatus ab Episcopo inungitur sacro chrismate, quod Sacramenti hujus materia est, conficiturque ex oleo admixto balsamo consecrato ac benedicto; additis hisce verbis, quæ Sacramenti forma sunt, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Præterea Episcopus alapam infligit, & pacem confirmato precatur. In hoc à Baptismo differt, quòd per Baptismum homines in novam vitam gignantur; per Confirmationem verò qui jam geniti sunt viri evadant. Conferre ergo dicunt novam virtutem nisi aliud Sacramenti efficientiam impediat. Hinc, licet statim post Baptismum conferri possit, differendum tamen statuunt, usque ad annos in quibus pueri rationis usum habeant, nimirum vel duodecimum, vel septimum saltem annum. Hucque referre solent, quæ de spiritus effusione ac impositione manuum in Scriptura occurrunt; nempe quòd Dominus Spiritum Sanctum promittit, *Joan.* XIV. 16. XV. 26. XVI. 13. *Actor.* I. 5. Quòd Spiritu Sancto fideles unxerit, 2 *Cor.* I. 21. 1 *Joan.* II. 27. impositioque manuum ab Apostolis facta externum ejus ac visibile signum fuerit, quo adhibito Spiritus etiam datus fuit. *Act.* VIII. 17. & XIX. 6.

III. Nos quod attinet, postquam Pædobaptismi usus invaluit, ritum quendam piè usurpari posse, qui sit publica quædam professio coram Ecclesiâ, quâ Baptismum, parentum curâ in infantia nobis administratum, ratum habemus, obligationisque ad præceptorum Jesu Christi observationem renovatio solennis, ultrò concedimus; adminiculis enim quibusdam externis infirmitas nostra indiget, quibus ad Officium spirituale excitetur. Illi autem ritui specialem quandam sanctitatem, aut virtutem spiritualem adscribere, vel etiam novum ex eo conficere Sacramentum, à Baptismo distinctum, superstitionem sapit. *Quo sensu possit admitti.*

IV. Promissa Spiritus Sancti, quæ ex Joanne & Actis proferuntur, solos concernunt Apostolos, & singularem ac visibilem illam Spiritus Sancti missionem die Pentecostes factam; ex qua generale promissum procudi nequit. Sed nec diffitemur, alibi promissum generale contineri Spiritus Sancti, ut illius virtute spirituali contra diabolum certamine fideles subsistant; sed precibus non externo chrismate obtinendum. *Luc.* XI. 13. 2 *Cor.* I. 21. manifestè agitur de obsignatione per Spiritum Sanctum; quâ fideles postquam ritè officio suo functi sunt, de æterna salute & paterno erga se Dei affectu certi redduntur, non quà ad pietatem demum præparentur. Quod manifestè liquet ex *Ephes.* I. 13, 14. ubi dicuntur *obsignati postquam crediderunt*; spiritusque ille dicitur pignus & *arrhabo promissionis* divinæ de salute æterna. 1 *Joan.* II. 27. non agitur de externa unctione, quæ oleo fit; illa enim scientiam conferre nequit; sed de veritate divina clarè per verbum revelata, cordibusque fidelium impressa; quæ unctioni sive unguento comparatur; *Sensus promissi de Spiritu Sancto.*

tur; quia donum eſt pretioſiſſimum, illoque imbuti inſidias & laqueos ſibi ab Antichriſtis præparatos facile evitare poterant, perinde uti oleo & unguento illiti expeditiores erant in palæſtra faciliuſque eorum quibuſcum luctabantur manibus elabi poterant.

Quid confert impoſitio manuum.

V. Signum impoſitionis manuum in uſu quidem fuit Apoſtolis; non autem ut inſtrumentum Spiritum Sanctum ex opere operato conferens; dabatur quippe ſemper Spiritus ſanctus ſecundum ſapientem diſpenſationem Dei. Et quoniam nunc viſibilis illa Spiritus Sancti donorum collatio ceſſat, ritum hunc tanquam illius ſignum ac inſtrumentum adhuc uſurpare velle ridiculum eſt. Superſtitio ſi abſit, quâ donum Dei externo ritui alligatum creditur, ordinis & *εὐταξίας* gratiâ obſervari poteſt, ut ſignum externum, perſonam quam precibus Deo commendamus, cuique benedictionem divinam precamur, deſignans: quo ſenſu & veteres, etiam ſub Veteri Teſtamento eum uſurpaſſe, dubitandum non eſt.

Pœnitentia.

VI. Alterum fictitium Sacramentum eſt Pœnitentia; quam dupliciter conſiderare ſolent Pontificii Doctores, vel prout eſt virtus, & tum multa egregia & non contemnenda de ea ſolet docere; vel prout eſt Sacramentum: atque ita eam conſiderantes, vix quicquam quod ad pietatem ducit de ea docent, ſed mirum in modum ſalutarem de Pœnitentia doctrinam invertere ſolent. Nos antea, præcepta Jeſu Chriſti tradentes, etiam Pœnitentiæ officia conſideravimus. Nunc Pontificiorum de Pœnitentiæ Sacramento errores refutabimus. Ante omnia autem ritè eorum ſententiam percipere oportet, quâ bene perceptâ nullo negotio refutari potuerit.

De eâ ſententia Pontificiorum.

VII. Dicunt ergo, quòd Pœnitentia (hac enim voce hîc uti malunt quàm Reſipiſcentiâ) ſignis externis declarata cum verbo abſolutionis ſit Sacramentum. Quod ut plenius percipiatur, diſtinctiùs illorum de pœnitentia ſententia explicanda eſt. Primò diſtinguunt inter pœnitentiam univerſalem, quâ peccator ad Chriſtum convertitur; & pœnitentiam particularem, quâ homo jam ad Chriſtum converſus & poſt converſionem in peccatum aliquod incidens, illius pœnitentiam agit: quam diſtinctionem & nos antea probavimus: Generalem autem pœnitentiam Sacramentum eſſe negant, ſed tantummodò ſpecialem, quâ peccator in priorem gratiæ ſtatum reſtituitur. Duas illas conſtituunt partes: materiam, cujus rurſus tres faciunt partes, Contritionem, auricularem Confeſſionem, & Satisfactionem; & formam, quæ eſt abſolutio Sacerdotis per ſolennia verba facta, *Ego te abſolvo.* Singula paucis excutiemus.

Quid errent circa Contritionem.

VIII. Contritionem, ſive ſerium de peccatis admiſſis dolorem, requiri, nemo eſt qui neget. Abſurdum autem eſt, quod appretiativam proportionem inter peccatum & dolorem, cum tamen nec intenſiva nec extenſiva ſecundum ipſos æqualitas ſit, requirant. Toto quidem corde ad Deum nos convertere debemus; ſed & Scriptura remiſſionem peccatorum gratis à Deo nobis obtingere docet. Sed & hoc improbandum, quòd Contritionis, quamtumvis ſeriæ, effectum, remiſſionem nempe peccatorum, ab abſolutione ſacerdotali, aut ejus ſaltem voto, ſuſpendant.

Auricularis confeſſio refellitur.

IX. Quod Confeſſionem attinet, fatemur peccatorum coram Deo confeſſionem requiſitum neceſſarium eſſe in pœnitentia; delictorum etiam erga proximos commiſſorum coram ipſis confeſſionem requiri; poſſe etiam generalem peccatorum confeſſionem coram piis hominibus, Eccleſiæ miniſtris aliiſve, piè fieri, ut pro nobis precibus ſuis apud Deum intercedant. Sed præter haſce Pontificii requirunt particularem omnium delictorum apud Sacerdotem enumerationem, quæ ad eorum remiſſionem obtinendam neceſſaria ſit. Hæc autem merum eſt inventum humanum, nuſquam in Scriptura mandata, aut à Domino Jeſu aut Apoſtolis introducta; tum & ad ſecuritatem carnalem alendum, peccati licentiam augendam, & ad Sacerdotum avaritiam & ambitionem explendam tota maximo cum artificio comparata. Securè enim peccatis, quorum tam facilis obtineri poteſt remiſſio, homines indulgent: ſecuritatemque hanc proprii compendii cauſâ fovent Sacerdotes, quibus non exiguum ex peccatorum remiſſione & indulgentiis lucrum accedit; quique homines, quorum intima & ſecretiſſima per confeſſionem cognita habent, ſibi habent obnoxios.

Solvitur objectio ex Jacob. v. 16. & 1 Joan. i. 9.

X. Illam tamen & Scripturæ locis aliquot, & ratione adſtruere conantur. *Jacob.* v. 16. inquit, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; & 1 *Joan.* i. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut nobis ea remittat.* Sed in neutro loco quicquam pro auriculari confeſſione eſt præſidii. Prior enim agit de mutua confeſſione peccatorum, quibus alter alteri injuriam fecit; uti & de precibus mutuis quibus alter pro altero apud Deum intercedere jubetur. Poſterior de peccatorum confeſſione, quæ coram Deo fit.

Et ab utilitate confeſſionis.

XI. Adducunt rationem, ab utilitate Confeſſionis deſumtam, quòd ſit validiſſimum, quo hominis à peccato abſterrentur, frænum, quia abſque maximo confitentium pudore fieri nequit; ut ergo illum declinent, etiam homines peccata ſollicitè vitaturos. Reſp. Negari quidem id planè nequit. Attamen 1. non ideo tanquam neceſſaria ad ſalutem introducenda eſt confeſſio, nec à Do-

mino Jesu, nec ab Apostolis uspiam præscripta. 2. Mala, quæ Confessionem comitantur, statim à nobis enumerata, graviora multò sunt, quàm ut cum hisce utilitas hæc conferri aliquatenus possit. 3. Qui Dei metu à peccatis non abstinet, hominum reverentiâ non continebitur in officio; & licet quosdam externos peccatorum actus vitet, verè tamen & ex animo Deum non colet. Tandem, pudor ille, licet in initio hominem coërceat, postea, quando consuetudo confitendi pudorem hunc sensim abolevit, ad hominem retinendum in officio inefficax est.

Et, quod necessaria sit, ut Sacerdos peccatorem absolvat. Explicatio Matth. XVIII. 18. XII. Dices. Requiritur hæc confessio, ut Sacerdos peccatorem absolvere possit; non enim remittere potest peccata nisi ipsi sint cognita: potestatem autem hanc peccata remittendi Dominus Jesus Ecclesiæ suæ concessit *Matth.* XVIII. 18. *Quicquid ligaveritis in terra erit etiam ligatum in cœlo: & quicquid solveritis in terra erit etiam solutum in cœlo.* & *Joan.* XX. 23. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Sed neuter locus probat Sacerdotibus peccata remittendi potestatem à Domino Jesu concessam. Prior manifestè totam respicit Ecclesiam, quatenus constat ex cœtu plurium fidelium, & opposita est duobus aut tribus testibus, coram quibus frater peccans prius est conveniendus. Tum, locus ille manifestè agit solummodò de eo, qui convictus de injuria fratri illata in peccato suo perseverat, ligando, id est, declarando quod æternæ damnationis sit reus futurus; quæ declaratio, utpote voluntati divinæ conformis, etiam rata sit futura: Sicuti ab altera parte, si peccator resipiscentiam egerit, solutio Ecclesiæ, seu, declaratio quod peccati illius veniam & remissionem obtinebit, etiam apud Deum rata erit.

Et Joan. XX. 23. XIII. Locus alter, *Joan.* XX. 23. non continet generale promissum omnibus Ecclesiæ doctoribus factum, sed speciale Apostolorum. Nec conceditur ipsis potestas peccata propriè remittendi: illud enim solius Dei est, *Jacob.* IV. 12. *Apoc.* III. 7. *Rom.* VIII. 33. sed homines à peccatorum reatu absolutos pronuntiandi. Cùm autem pœnæ ac miseriæ, quibus Deus peccata punit, vel sint æternæ ac futuri seculi, vel temporales ac hujus vitæ, respectu ambarum singularis quædam Apostolis potestas conceditur. Respectu quidem pœnæ æternæ: Dominus eis confert potestatem annuntiandi verbum salutis, ac declarandi, quinam & quales à Deo in æternum propter peccata non sint puniendi, quinam verò peccatorum reatu nunquam sint exsolvendi: dicitque verbum illud ipsorum fore ratum, Deumque id judicii sui executione comprobaturum: adeo ut ab ipsorum ore ratio salutis obtinendæ & damnationis effugiendæ exspectanda sit. Verum est, habent hoc cum omnibus Doctoribus, etiam hodiernis, commune, quòd verbum salutis annuntient. Ingens tamen inter utrosque est discrimen, non tantum quòd Apostoli primi verbi illius fuere præcones; sed & maximè, quòd per Spiritum Sanctum ducti fuerint in omnem veritatem. Respectu pœnæ temporalis, ipsis potestas conceditur quoscunque volunt homines à morbis ac infirmitatibus, quibus ob peccata obnoxii sunt, liberandi: quod & eventus comprobavit. Hoc sensu phrasis hæc accipitur, *Matth.* IX. 6. *Marc.* II. 5. *Luc.* V. 20. ubi Dominus Jesus paralyticum sanaturus, illi ait, *remittuntur tibi peccata tua*: uti ex sequentibus liquet, quòd populus Deum laudabat, qui tantam hominibus potestatem dederit. Ab altera parte, pœnas impiis ob peccata immittendi, vel à Deo immissas retinendi. Quarum exempla vide *Act.* V. in Anania & Sapphira. *Cap.* XIII. in Elyma: & nominatim in traditione in potestatem Satanæ, 1 *Cor.* V. 5. 1 *Tim.* I. 19, 20. Quia autem peccata remittere non poterant, nisi de corde pœnitentium certi, etiam ipsis promittitur revelatio & cognitio, per quam aliorum corda essent perspecta habituri: ut *Actor.* V. circa Ananiam & Sapphiram, & *Cap.* VIII. circa Simonem Magum, comprobatum est.

XIV. Satisfactionem urgent fieri pro pœnis temporalibus peccatorum. Ut autem eorum doctrina de Satisfactione rectè percipiatur, distinctius paulum proponenda est. Docent ergo, peccatorum alia esse mortalia, quæ merentur pœnam temporalem & æternam: alia venialia, quæ merentur solummodò pœnam temporalem, quamque homo necessariò sustinere debet, nisi remissionem illorum adeptus sit ante mortem. Remissionem æternæ pœnæ peccatorum ante Baptismum commissorum acquiriti docent per Baptismum: post Baptismum, verò commissorum per Pœnitentiam sive Contritionem: sed pro temporalibus pœnis, quarum reatus remissâ pœnâ æternâ remanet, vel quas per peccata venialia merentur, satisfacere debent operibus quibusdam molestis, jejuniis, oratione, eleëmosynis; tum & carnis castigatione, aliisque, quæ Confessarius ipsis imponit: aut persoluto pretio Indulgentias emere. Si moriantur ante Satisfactionem, aut adeptionem Indulgentiarum, satisfacere debent post mortem; id autem cum nec in cœlo nec in inferno fieri possit, necessario in Purgatorio fieri debet. Ut autem indulgentiæ concedi, & miseræ animæ ex igne purgatorio liberari possint, thesaurum habet Papa operum supererogatoriorum à multis Sanctis præstitorum; tum & passionum *Quid doceant de Satisfactione.*

Chri-

Christi, quas necesse non erat ipsum pati ut nos reconciliaret Patri; cujus Papa dispensator est, quique numeratâ pecuniâ Indulgentias concedit, quibus homines ab operibus satisfactoriis, & animæ è purgatorio liberentur. Nos singula breviter excutiemus, rejectâ solummodo disquisitione de Purgatorio in alium locum.

Refellitur Satisfactio.

XV. Primò ergo docent operibus quibusdam externis ac molestis à Confessario impositis satisfieri pro pœnis peccatorum temporalibus; hanc autem Satisfactionem docent esse veram, sufficientem, & propriè dictam coram Deo præstandam: non tamen perfectam pro recuperanda Dei amicitia, proque expianda universa culpa; sed tantum imperfectam, attamen veram, & suo modo condignam. Nos quod attinet, fatemur satisfactiones seu compensationes injuriarum inter homines locum habere: deinde, respectu Dei veros pœnitentiæ fructus requiri, sine quibus Deus remissionem concedere neutiquam vult: quos si quis metaphoricè satisfactiones vocare velit, posse id tolerari; simili sirè loquendi ratione, quâ Daniel regi Nebucadnezari ait, *Cap.* IV. 24. *Peccatu tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Vera autem ac sufficiens satisfactio illis attribui non debet, seu pœnæ aut culpæ compensatio in judicio. 1. Quia Scriptura docet, omnia peccata nobis gratis à Deo esse remissa: *Psal.* XXXII. 5. *Rom.* III. 24. IV. 1. *& seqq.* V. passim *Ephes.* IV. 32. V. 1, 2. Et nominatim Daniel post verba mox citata subjungit; *Forsitan ignoscet* (Deus) *delictis tuis.* Quod quidem non fidei & resipiscentiæ conditionem, quam expressè Deus stipulatur, sed tamen satisfactionem, excludit. 2. Remissio hæc Dei gratuita, dicitur plena ac perfecta; *Matth.* XVIII 27. *&* 32. *Esa.* I. 17, 18. 1 *Joan.* I. 7. 3. Pœna non purgat peccatorem, neque à peccato emundat; non enim tollit delictum, sed meritum delicti supplicium est: multò minus meritum aut dignitatem aliquam confert. 4. Hæc doctrina apta est aut desperationem introducendi, in hominibus nimirum devotis, ac pietatis sinceræ studiosis, quando magnitudinem peccatorum suorum considerantes, vident se nunquam condignam pro iis satisfactionem facere posse: Aut in non admodum religiosis peccandi licentiam & hypocrisin, quando credent se levibus ejusmodi satisfactiunculis à peccatorum reatu absolvi posse; & in iis acquiescentes putabunt se coram Deo puros, cùm sint maculatissimi, & animum habeant peccatorum sordibus planè immersum. 5. Tandem absurdum est, credere, operibus quibusdam posse satisfieri pro delicto: quia opera nostra sunt debita, ad quæ jure creationis & redemtionis sumus obligati: *Luc.* XVII. 10. quomodo ergo iis satisfieri potest pro delicto? Aut dicendum, duplicem illis valorem inesse, officii nempe debiti, & satisfactionis. Atqui illa sese mutuò evertunt: nam ubi est officium, etiam ante peccati commissionem debitum, ibi excluditur satisfactio pro peccato: respicit quidem Deus ad resipiscentiam, ut peccata remittat, & vitam æternam largiatur; verùm non provocatus satisfactione aliquâ, sed ex mera gratia.

Remissâ pœna æternâ non semper restat temporalis luenda.

XVI. Sed & fundamenta, quibus Satisfactio hæc innititur, sunt ruinosa: vel etiam manifestè falsa. Quale est primò, quod, remissâ culpâ æternâ, restet pœna temporalis luenda: cùm, ut antea ostendimus, remissio peccatorum nostrorum sit plena & perfecta. Proferunt tamen ex Scriptura exempla quorundam, quibus post remissam culpam, pœna temporalis luenda fuit: nimirum Israëlitarum, *Exod.* XXXII. 34. Mirjam, *Numer.* XII. 10. *& seqq.* Davidis, 2 *Sam.* XII. 13, 14. Quin & ipsa mors temporalis pœnæ nomine quandoque fidelibus infligitur, 1 *Cor.* XI. 30 Resp. Non negamus, Deum, remissâ pœnâ æternâ, etiam peccatum quandoque in hoc seculo punire; nam & aliquando castigat suos Deus, ne in peccatum relabantur: aliquando in exemplum aliorum; ut videntes ejusmodi pios peccata sua non tulisse planè impunè, nec sibi si peccent spondeant impunitatem. Verùm hoc esse perpetuum, ut, remissâ pœnâ æternâ, Deus pœnas temporales infligat, ut sibi satisfiat, aut ab hominibus per opera quædam externa carni molesta satisfactionem sibi fieri postulet, ex Scriptura probari non potest.

Thesaurus operum supererogatoriorum est fictitius.

XVII. Alterum fundamentum, thesaurus nempe operum supererogatoriorum, non minus falsum est. Thesaurus enim ille est fictitius & imaginarius. Supponit enim, 1. posse aliquos non tantum operibus suis mereri vitam æternam; sed & iisdem operibus, quibus vitam æternam merentur, etiam pro aliorum peccatis satisfacere, & remissionem mereri: quosdam multo plura passos, quam ipsorum peccata merebantur. 2. Dominum Jesum Christum multo plura passum, quam ad humani generis redemtionem necesse erat. Primum enim manifestè contradicit verbis Jesu Christi, *Luc.* XVII. 10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Nec est quòd quis excipiat, quia servi inutiles sumus quando præstamus solummodò id quod nobis præceptum est, nos posse alia præstare nobis non præcepta, & per ea servos utiles fieri: servus enim semper ac totus domini sui est, & nullo tempore ac nullo casu sui juris. Nec quando Dominus inquit, *quando omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis*, innuit nos ultra ea quæ-

quædam nobis non præcepta posse præstare: sed quicquid præstamus & præstare possumus nobis præceptum esse; ac proinde indesinenter in officii nostri præstatione pergendum, neque cessandum ob id quod jam antehac officium nostrum præstiterimus; sed & eâdem sedulitate ac diligentiâ in eo quod restat pergendum. Uti totus parabolæ scopus evincit, & nos præcedente Capite ostendimus.

Nullius Sancti passiones alteri imputari possunt.

XVIII. Certum etiam est, piorum unum plus pati altero, pro libera Dei dispensatione. Si quis verò minus patiatur, id indicium non est ipsum rigidè loquendo id non esse meritum, sed Deum gratiosè cum ipso agere: Omnia enim nostra Deo debemus, &, uti diximus, nunquam plenè satisfecimus. Nullius itaque passiones, quantumvis sancti, alteri imputari possunt. Deus enim unumquemque non secundum alterius, sed sua opera judicaturus est, *Rom.* II. 6. XIV. 9, 10. 2 *Cor.* v. 10. *Gal.* VI. 5. 1 *Petr.* I. 17. Quæres. An ergo unius bona opera alteri prodesse nequeunt? Resp. Omninò, & quidem variis modis: 1. Exemplo: *Matth.* v. 16. 2. Adhortationibus & increpationibus suis eos retrahunt à peccatis; *Jacob.* v. *ult.* 3. Aliquando eorum pietas Deum movet, ut impiis parcat: *Genes.* XVIII. & XIX. 4. Aliquando propter pios impiis Deus benedicit in temporalibus: *Genes.* XXX. 27. & *seqq.* XXXIX. 2: & *seqq.* & *vers.* 21. & *seqq.* 5. Aliquando propter piorum preces impiis concedit Deus pœnitentiæ tempus. At hæc omnia nihil faciunt pro Satisfactionibus. Non enim opera aliorum bona aliis, multò minus in peccato perseverantibus, in satisfactionem pro ipsorum peccatis imputari possunt. Absurde etiam ac falsò dicitur, martyres plura passos quàm ipsorum peccata requirebant: quia nemo est sine peccato, 1 *Joan.* I. 8, 10. illius autem stipendium est mors: *Rom.* VI. 23. Nec etsi multò plura quàm revera passi sunt, sustinuissent, quicquam pro aliis mereri potuissent, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: Rom.* VIII. 18. Vide & 2 *Corinth.* IV. 16, 17, 18.

Nec Christus plura passus est, quàm Pater requisivit ad hominum redemtionem.

XIX. Dominum Jesum omnia, quæ Pater exegit ad nostri redemtionem, passum, suisque passionibus plenissimè voluntati divinæ satisfecisse, certissimum est. Sed unde ipsis constat, Christum plura perpessum quàm necesse erat, & unicam sanguinis ipsius guttulam suffecisse ad totius mundi redemtionem? Sanè Scriptura docet Christum patiendo Patri suo morigerum fuisse, ac proinde non alia passum, quàm quæ Pater ad humani generis redemtionem requirebat. *Hebr.* X. 5, 6, 7. *Phil.* II. 8. Quin & contradictoria sunt, Christum plus esse passum quàm necesse erat, & tamen martyrum requiri satisfactionem. Potest illius, pro quo Christus passus est, requiri resipiscentia, ut mortis Christi fructus ipsi applicetur: aliorum autem pro ipso satisfactio locum habere nequit. Objiciunt exemplum Apostoli Pauli, de seipso dicentis, *Coloss.* I. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Resp. Per *passiones Christi* non intelliguntur passiones quas ipse Christus in persona sua sustinuit, quasi illis aliquid desit. Absit. Sed passiones, quas Christus in membris suis, id est, fidelibus, sustinet: eodem sensu quo ipse Christus ait, *Actor.* IX. 4. *Saul, Saul, quid persequeris me?* Illis passionibus aliquid quasi desuisse dicitur: quia Christus Euangelium prædicavit Judæis tantum, non autem gentibus: Apostoli autem id gentibus prædicantes, & propterea à gentibus male multati, id implent, quod passionibus Jesu Christi deesse dici poterat. Id autem patiebantur pro Ecclesia, seu Ecclesiæ bono; ut fideles ipsorum constantiam videntes in fide Jesu Christi confirmarentur. Et hoc sensu dicuntur in fidelibus *abundare passiones Christi*, 2 *Cor.* I. 5. & fideles *communicnem habere cum passionibus Christi*, 1 *Pet.* IV. 13.

Nec Papa thesauri illius dispensator est.

XX. Cùm ergo thesaurus iste sit imaginarius; etiam thesauri illius dispensatorem esse imaginarium necesse est. Sed verò supponamus revera esse thesaurum istum, unde patet eum in potestate Papæ esse? Ajunt: non est credibile eum otiosum remanere. Esto. Ergo, inquiunt, oportet ut sit dispensator aliquis. Resp. Ille est Christus ipse, Dominus cœli ac terræ, qui habet claves Davidis, qui apperit & nemo claudit, &c. *Apoc.* III. 7. Ille autem beneficia sua ipse, & quidem gratis, dispensat, ne alius ea indignis dispenset: Papa verò multas dispensationes aliis concedit, graviores autem sibi reservat; easque non nisi numerata pecunia vendit. Et hæ sunt Indulgentiæ quæ conceduntur, & quarum negotiatio exercetur. Inde orta altaria privilegiata, privilegia vestis Franciscani, Jubilæa, aliæque superstitiones innumeræ.

Extrema Unctio.

XXI. Tertium fictitium Pontificiorum Sacramentum est extrema Unctio, quæ solummodò confertur ægrotis, iisque non omnibus, sed solummodo usque adeo periculosè ægrotantibus, ut, ne supremus vitæ dies illis instet, metuendum sit. Materia illius dicitur esse oleum ex olearum baccis expressum, & ab Episcopo consecratum. Partes corporis ungendæ sunt instrumenta sensuum, oculi, nares, aures, os, manus: renes etiam tanquam libidinis sedes (quod tamen honestatis causâ in fœminis omittitur) & pedes, qui nobis ingressus & ad locum nos movendi principium sunt, quandoque inungi solent. Forma constat certis quibusdam verbis, quæ Sacerdos ad singulas

gulas unctiones pronuntiare debet: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum, tactum. Amen.* Effecta ejus duo vel tria creduntur. 1. Sanitas corporis, si ita expediat saluti animæ. 2. Sublatio reliquiarum peccatorum; quales sunt, tum peccata relicta post alia Sacramenta, sive mortalia, sive venialia: tum mœror & anxietas, quæ ex peccato relinqui solet, & Satanæ tentamenta, quæ hominem morti vicinum maximè infestare possunt.

Everfolli- tur. XXII. Nos quod attinet, fatemur ritum aliquem ungendi ægrotos, qui miraculosæ sanationis signum quoddam ac quasi symbolum fuit, à Christo olim institutum, ab Apostolis usurpatum, & aliquamdiu in primitiva Ecclesia observatum fuisse: non ut Sacramentum, quod, ut Pontificii volunt, gratiam Dei spiritualem conferat; nec ut medium sanationem miraculosam efficiendi: sed ut signum externum in oculos incurrens miraculosam sanationem adumbrans. Quod ex *Marc.* VI. 12, 13. evidentissimè apparet; ubi de Apostolis dicitur: *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Cùm autem miraculosarum sanationum dona jam evanuerint, manifestum est symbolum hoc non amplius in Ecclesia necessariò observandum esse, imò non nisi superstitiosè observari. Auxilia verò contra mala spiritualia nusquam oleo, sed fidei & precationi ex fide in Scriptura passim adscribuntur, *Luc.* XI. 13. *Rom.* V. 1. *& seqq.* & alibi.

Sensus Jacob. V. 14, 15. XXIII. Palmarius, imò unicus, quo Unctio hæc nititur, locus est, *Jacob.* V. 14, 15. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Sed verò, quid officium, quod hic Apostolus ægrotis & Ecclesiæ Presbyteris præscribit, commune habet cum extrema Pontificiorum unctione? 1. Nullæ enim hîc ungendæ partes nominantur, nec ulla in unctione verborum formula adhibenda præscribitur. 2. Respicitur manifestè ad locum, *Marc.* VI. 13. vel saltem ad ritum loco illo expressum. At unctio ibi expressa, vel ipso Bellarmino judice, sacramentalis non est; sed miraculosæ sanationis symbolum. 3. Loquitur Apostolus de sanatione corporali: ea itaque cùm jam non perficiatur, ineptus est hic ritus. 4. Non oleo adscribit Apostolus sanitatem, sed orationi fidei. 5. Etiam Pontificiorum unctio directè huic unctioni adversatur: Jacobus quippe vult ægros ungi ut alleventur: Pontificii verò illos ungunt, quando jam nulla amplius sanitatis spes superest. Excipiunt; Non esse hîc promissionem sanitatis, sed remissionis peccatorum. *Resp.* Verum est, remissionem peccatorum potissimum respicere animum, & nullam concipi posse peccatorum remissionem absque ullo ad animum respectu. Attamen cùm peccatorum remissio malorum ac pœnarum, quibus homo ob peccata punitur, ablatio propriè sit; eaque vel animum, vel corpus hominis concernant; apparet alterutrius sublationem rectè peccatorum remissionem vocari. Sic Dominus Jesus, *Matth.* IX. 5, 6. in sublatione morborum corporis aliquam peccatorum remissionem collocat: & Apostolus se liberationem à morbo per eam intelligere manifestè satis indicat.

XXIV. Addunt Pontificii rationem, quâ Unctionem suam probent. *Solvitur objectio.* Cùm Dominus Sacramenta instituerit, quibus tanquam divinis subsidiis homines juvarentur, in ingressu Ecclesiæ, Baptismum nempe, & progressu, scilicet Cœnam; credibile non est, defuisse divinam ejus providentiam in egressu: præsertim cùm nunquam homo auxilio divino magis indigeat, quàm sub hora mortis. Non repetam hic, quod antea de Sacramentorum efficacia dictum est, & quo sensu dici possint nobis esse subsidia, quibus juvemur: quæ sanè in morientibus cessant. Supponam nunc, vim, quam Pontificii urgent, Baptismo & Cœnæ inesse: attamen collectio ipsorum frivola est & nullius momenti. 1. Nam nec in Veteri Testamento, ipsis fatentibus Pontificiis, pro egredientibus Sacramentum fuit. An verò illi minus indiguerunt auxilio divino, quàm fideles sub Novo Testamento? 2. Nec Pontificii Unctionem hanc omnibus morituris adhiberi volunt; scilicet non in naufragii periculo positis, à Magistratu morte plectendis, & prælium ingressuris. An hi satanæ tentationibus minus sunt expositi, aut contra mortis horrorem minus muniendi? 3. Egredientes satis firmum in sensu amoris divini ex promissis ejus percepto præsidium & solatium habent, 1. *Corinth.* X. 13. præsertim, 2 *Tim.* IV. 6, 7, 8. Hinc Petrus fidelibus pro nomine Domini patientibus præcipit, ut *fideli creatori commendent animas suas in benefactis:* 1 *Epist.* IV. 19. Et frustra ejusmodi ratiunculis certatur, ubi nulla exstat manifesta voluntatis divinæ declaratio.

XXV. Quartum Sacramentum est Ordinatio Ministrorum, seu Ordo. *Ordo.* Hunc Pontificii collocant in manuum impositione, quæ adhibetur in consecratione personarum ad Ecclesiæ ministerium, & in formulæ cujusdam pronuntiatione, ut ipsis gratia justificans & character indelebilis conferatur. Ordines autem ministrorum ordinariè statuuntur septem: quorum quatuor inferiores vocantur minores, & non

facri; nimirum Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, & Acolythi: tres superiores, majores & sacri: nimirum Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Quibus alii octavum adjungunt, Episcopos. Adeo ut Sacramentum hoc admodum sit fœcundum, septem vel octo in se Sacramenta includens. Singuli hi certis quibusdam ritibus ac distinctâ formulâ, cujusque muneri consentaneè, inaugurantur, de quibus vide ritualia Pontificiorum.

Quatenus admittendus, & quatenus sit superstitiosus.

XXVI. Nos fatemur quidem ritum illum impositionis manuum ordinis ac decori causâ posse observari; etiam Ministrorum ordinationem cum precibus quibus Deo commendantur rectè fieri: etiam manuum impositionem ritum esse valdè antiquum, & non tantum in patriarcharum benedictionibus, sed & ministrorum ordinatione, aut missione ad specialem muneris jam ante impositi partem obeundam, usurpari solitam; uti inter alia 1 *Timoth.* IV 14. 2 *Tim.* 1 6. *Act.* VI. 6. XI. I. 3. videre est. Fuit illa symbolum Spiritus Sancti, quo à Christo donabantur: ita videmus passim in Actis ad impositionem manuum Apostolorum Spiritum Sanctum fidelibus esse datum. Sed verò, licet Deus in vocationibus extraordinariis ejusmodi dona aliquando largitus sit; inde neutiquam colligi potest, etiam in vocatione ordinariâ dona illa semper concedi; cùm nullum illius donationis in Scriptura exstet promissum. Deus ministros extra ordinem vocans ipse immediatè aptos facit: sed in ordinaria vocatione qui apti sunt vocari debent. Fatemur quidem, ordinantium orationi Deum gratiam aliquam concedere: sed illa ritui huic alligata non est; multò minus per eum gratia confertur. Ideoque necessarius credi neutiquam debet, cùm à Christo aut Apostolis nusquam ut necessarius sit præceptus. Nullum ergo in hac ordinatione Sacramentum quærendum, quod gratiam Dei per signum aliquod visibile conferat aut obsignet: aut potestatem ac imperium ordinatis conferat, quâ supra alios emineant. Ad summum, hæc manuum impositio docendi auctoritatem confert in Ecclesia, quæ manuum impositione testatum facit, se illum, cui manus imponit, pro ministro ordinario eligere, munusque ordinariè in Ecclesia sua docendi imponere.

Matrimonium.

XXVII. Quintum Sacramentum est Matrimonium. De hoc Sacramento multiplex est inter ipsos Pontificios dissensus; alii siquidem negant esse Sacramentum: alii contendunt fidelibus esse proprium, alii & infidelibus commune. Communior tamen sententia obtinet, fidelibus tantum esse proprium. Alii urgent, etiam sub Veteri Testamento fidelibus fuisse Sacramentum: alii verò à Christo demum ad hanc dignitatem evectum contendunt.

Non est Sacramentum.

XXVIII. Matrimonium à Deo institutum, illique benedictionem additam, antea ostendimus. Quod verò Pontificii illud in Sacramentum convertant, ex prava Vulgatæ Versionis interpretatione loci, *Ephes.* V. 32. ortum est. Cùm enim in Græco legatur, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, illa habet, *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sed solenne est isti versioni vocem μυστήριον reddere per *Sacramentum*, ut 1 *Tim* III. 16. *Eph.* I. 9, 10. III. 3, 4, 5, 6. *Apoc.* XVII. 5, 7. Non tamen Pontificii res ibi commemoratas Sacramenta esse agnoscent. Sed verò, Apostolus *Ephes.* V. 32. matrimonium non vocat mysterium; sed adumbrationem arctæ illius conjunctionis quæ est inter Christum & Ecclesiam, per matrimonium, sive arctissimam quæ per matrimonii vinculum inter maritum & uxorem intercedit conjunctionem. Nec etiam in matrimonio reperiuntur, quæ illi in Sacramento requirunt. Non enim ibi est gratiæ salutaris obsignatio, aut collatio gratiæ ex opere operato. Illa sane ex similitudine cum Christo & Ecclesia non fluit: alioquin omnibus rebus quibus res cœlestes adumbrantur adesse deberet: & sic multa conficerentur Sacramenta. Quid quod contraria sibi invicem loquantur: solum enim fidelium matrimonium Sacramentum esse volunt. Atqui omnia, quæ in fidelium matrimonio observanda sunt, etiam in infidelium matrimonio locum habent: qualia sunt: similitudo cum unione Christi cum Ecclesia, amor conjugalis, consensus, verba consensum testantia, remedium contra concupiscentiam. Et tandem, quandoque non ita honorificè Pontificii de Matrimonio sentiunt, dum sanctioris vitæ homines, Sacerdotes aliosque Ecclesiasticos, inde arcent, votumque continentiæ opus perfectionis vocant.

CAPUT LXXVIII.

De Necessitate observationis mandatorum Jesu Christi.

Officii nostri affectiones.

I. HActenus mandata Servatoris nostri Jesu Christi, quibus officium nostrum continetur, expendimus. Restat ut quasdam officii nostri affectiones consideremus. Sunt illæ tres præcipuæ, Necessitas, Possibilitas, & Constantia seu Perseverantia. De singulis ordine dicemus.

Triplex mandata Christi observandi modus.

II. De Necessitate ut primo loco dicamus, res ipsa exigere videtur. Sine ea enim omnia frustranea ac irrita sunt quæ hactenus de præceptis divinis ac virtutibus Christianis disseruimus. Quid enim adeo sollicitè officia virtutum Christianorum inquirimus, si nulla earum præstandarum sit necessitas? Ut autem necessitas hæc rectè per-

percipiatur, distinctius ratio observationis mandatorum Jesu Christi explicanda est. Potest siquidem illa considerari tripliciter. 1. Secundum actum summè perfectum; ut homo, sive ab ineunte ætate, sive postquam per veram in Christum fidem peccatis seriam egit pœnitentiam, in nullum omninò, nec verbo, nec facto, quin & cogitatione, incidat peccatum; sed continuò nihil meditetur nisi sanctitatis studium, sepositis quibuscunque aliis studiis ac meditationibus, actuque semper in præcepta Dei feratur, ita ut in nullum, ne levissimum quidem peccatum incidat. Is obediendi modus a Domino Jesu Christo non exigitur, utpote nobis, dum in mortali hac vita degimus, impossibilis, solique naturæ Angelicæ, beatisque in futuro seculo, conveniens. 2. Juxta studium ac affectum, ut homo sincero studio feratur in præceptorum divinorum observationem, & licet multa meditetur, multaque faciat, etiam negotia hujus vitæ concernentia, nihil tamen meditetur aut faciat præceptis divinis repugnans. 3. Juxta habitum, ut homo habitu virtutis sit præditus, præceptorum divinorum observationi jam assueverit, eaque quàvis datâ occasione prompte observet. Uterque hic posterior observandi præcepta Jesu Christi modus à nobis necessarius agnoscitur.

Quo sensu observatio illa necessaria sit. III. Cùm autem virtuti nemo sincerè studeat, nisi peccatis ex animo valedicat, studium hoc habitusque virtutis requirit. 1. Ut homo ab omni habitu seu consuetudine peccandi liber sit: is enim cum virtutis habitu consistere nequit. Idque omnia illa loca innuunt, quibus jubemur *non secundum carnem ambulare*, *peccatum non facere*, *in tenebris non incedere*; *Rom.* VIII. 1, 12, 13. 1 *Joan.* 1. 9. & si quæ his sunt similia: omnes enim illæ locutiones habitum ac consuetudinem peccandi, quâ homo delectatur, designant. His adde loca, quibus peccatores singuli, nempe, ebriosi, avari, convitiatores, &c. è regno cœlorum excluduntur; ut 1 *Cor.* VI. 9, 10. illis enim vocibus non propriè qui semel ejusmodi peccatum committunt, sed qui illius habitu tenentur, designari solent. 2. Ut & quemvis peccati actum voluntarium, qui non ex incogitantia aut subita affectuum abreptione, sed deliberato animo fit, studiosè vitet. Deliberatus enim peccandi animus cum sincero studio ac habitu virtutis consistere non potest.

Necessitas illa adstruitur. IV. Hæc, prout nunc explicuimus, mandata Jesu Christi observandi Necessitas variis argumentis comprobatur. Ac 1. quidem expressis Sacræ Scripturæ testimoniis, in quibus nemo absque eorundem observatione salutem adepturus asseritur. *Matth.* V. 19, 20. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ubi particula exclusiva, *nisi*, omnimodam, si regni cœlestis consortes esse velimus, necessitatem indicat. Vide & *Matth.* VII. 21. *Rom.* VIII. 12, 13. & nominatim *Hebr.* XII. 14. *sine sanctimonia nemo visurus Dominum* dicitur. Quibus adde loca, quæ omnes mandatorum Jesu Christi transgressores salute exclusum iri pronuntiant. 1 *Cor.* VI. 9, 10. *Gal.* V. 19, 20, 21. *Apoc.* XXI. 27. XXII. 14, 15. 2. Quia Deus expressè dicitur judicaturus secundum opera nostra, & unicuique retributurus juxta opera quæ in corpore suo gessit, sive bona, sive mala. *Matth.* XVI. 27. XXV. 31. *& seqq.* *Rom.* 11. 6, 7, 8. *&c.* 2 *Cor.* V. 10. *Gal.* VI. 7, 8. 3. Quia sine mandatorum Jesu Christi observatione nullam cum Deo Patre Dominoque nostro Jesu Christo communionem habere possumus: 1 *Joan.* 1. 6, 7. *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si verò in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem*, &c. Nullos enim nisi sui similes Deus in sui societatem admittere vult: sanctus ergo cum sit, solos sanctos amat, omnesque impios detestatur. 2 *Cor.* VI. 14. 4. Quia non tantum fides, quæ mandatum Jesu Christi est, necessaria est ad salutem; sed & ipsa absque reliquorum mandatorum observatione non est sufficiens ad salutem, sed mortua & inefficax: disertè id testante Jacobo, *cap.* II. 14. *&* 26. Hinc *fides per charitatem* dicitur *efficax*, *Gal.* V. 6.

Varia doctrina necessitatem hanc evertentes. V. Hanc præceptis Jesu Christi obediendi necessitatem nemo apertè impugnat; neque facile doctrinæ suæ applausores invenerit, si quis apertè ac rotundè asserat atque urgeat, præceptorum divinorum observationem non esse necessariam ut quis æternæ salutis compos fiat. Interim multi doctrinis quibusdam erroneis eam reverâ, si illarum genius ritè ac legitimè observetur, evertunt. Nos tres quatuorve paucis indicabimus.

Prima. VI. Talis est primò: Doctrina illorum, qui urgent, bona opera non requiri ut cum Deo communionem habeamus, sed solummodò ut signa nostræ cum Deo communionis, per quæ de nostra cum Deo communione certi reddamur. Id enim si admittatur, statuendum nos jam in flagranti Dei gratia esse, ante ullum bonorum operum exercitium, imò dum adhuc sanctimoniâ destituti, ac proinde impii, sumus: quia rei nondum existentis signum, eam jam esse desi-

designans, dari nequit: falsum enim foret signum, utpote demonstrans rem esse quæ non sit. Atqui hoc omnem sanctimoniæ necessitatem tollit. Si enim sine sanctimonia jam cum Deo communionem habemus, quæ sanctimoniæ necessitas ut cum Deo uniamur?

Secunda. VII. Secundò. Qui doctrinam de absoluta Electione & Reprobatione ex mero beneplacito divino absque ullo ad fidem ac bona opera, aut infidelitatem ac impietatem, respectu, propugnant: quia, uti ante ostendimus, per eam omne studium pietatis sectandæ ac impietatis fugiendæ inutile ac frustraneum redditur: quia, posito tali decreto, homo sanctitatis studio nihilo magis ad salutis æternæ adeptionem proficere potest, quàm si staturæ suæ cubitum addere laboret.

Tertia. VIII. Tertiò. Qui docent verè fidelem ac regenitum, etiamsi in varia incidat peccata, nec totaliter nec finaliter à fide & salute excidere posse. Inde enim sequitur, fidelem non tantum quoad statum præsentem, sed & futurum, certum esse de salute sua, neque ulla peccata, quantumvis gravia, enormia ac diuturna, illius adeptioni obesse posse: ac proinde Deum procuraturum, ne incidat in peccata saluti suæ noxia: vel si in ea incidat, ne in iis possit mori; sed per gratiam suam efficacem ante vitæ finem resipiscentiam in ipso operaturum, ut ita plenam delictorum veniam consequatur. Sic nempe in omnipotente illa operatione divina securus poterit acquiescere, nec est cur se sanctitatis studio maceret.

Quarta. IX. Quartò. Qui hominem solâ fide absque operibus sanctitatis justificari docent; fidemque hanc in sola meritorum Jesu Christi applicatione collocant, quâ credunt Christum non tantum plenariè pro ipsorum peccatis satisfecisse, eorumque pœnam in se suscepisse; sed & legem Dei ipsorum loco implesse, justitiamque quam Christus præstitit, à Deo Patre sibi imputatam, non aliter ac si ipsi legem accuratè observassent. Illâ enim doctrinâ stante, omnis Deo obediendi necessitas ruit. Si enim Christus ita pro nobis satisfecit, sine propria sanctitate non tantum justificari, sed & salvari possumus: quoniam quod Christus nobis absolutè impetravit, nullo prætextu denegari nobis potest. Dices. Ingratitudo est, non obedire Deo qui nos redemit. Resp. An non & ingratitudo est peccatum? Si ergo Christus pro omni peccato satisfecit, etiam pro ingratitudine; nullaque necessitas superest gratitudinem hanc testandi. Fateor officii nostri remanere æquitatem; maximum enim illud beneficium grato animo agnosci æquum est: si verò nullo crimine amitti possit, officii necessitas nulla est.

Quinta. X. Quintò. Qui obedientiam nostram in hac vita semper imperfectam esse debere contendunt, eò quod impossibile sit mandata divina observare: nemo enim ad impossibile se obligatum credit; nullaque major ac justior excusandi causa est, quàm officii præscripti impossibilitas. Dices. Deus hanc in nobis imperfectionem vult, ut semper infirmitatis nostræ memores simus, neque nos meritorum nostrorum fiduciâ efferamus. Resp. 1. Ridiculum omnino, Deum peccato nostro indigere, ut nos à peccato præservet, nimirum superbiâ. 2. Hac ratione omnis obedientiæ necessitas tollitur. Quando enim homo in peccatum incidit, Deus obtinet scopum suum, illoque excideret, si homo à peccato abstineret.

Etiam inanis persuasio. XI. Tandem necessitatem hanc evertunt, quotquot, inani de immensa Dei misericordia persuasione decepti, sibi salutem adscribunt, licet sanctitati non studeant, vitamque in deliciis carnis transigant. Deum illi sibi concipiunt misericordem, sed ita, ut non sit justus simul peccatorum vindex. Deum autem Scriptura nobis depingit erga pœnitentes misericordem, erga contumaces ac præfractos severum ac justum. *Nemo vos seducat; propter hæc enim venit ira Dei in filios contumaciæ: Eph.* v. 6. Quæ verò major contumacia, quàm peccato indulgere velle, quia Deum misericordem credis? Et si nunquam peccatis hominum Dei misericordia expugnatur, quæ sanctimoniæ necessitas?

Opera nostra non sunt meritoria salutis. XII. Huic de obedientiæ seu bonorum operum Necessitate quæstioni alia adhæret, de bonorum operum Merito, utrum nimirum bona nostra opera mereantur vitam æternam? Quæstio hæc nobis intercedit cum Pontificiis, quibus solenne est bona nostra opera vocare Merita. Fatemur nos, * si, propriâ vocis Meriti significatione neglectâ, ampliorem & minus propriam illi tribuamus, posse bona fidelium opera catachresticè & in laxiori significatione Merita vocari, quoniam Deus ea vitâ æternâ remunerari gratiosè promisit, ac proinde ex promisso se eorum debitorem fœderis sui observatoribus constituisse aliquo sensu dici potest. Si itaque Meritum aliud non significet, nisi conditionem necessariam vitam æternam obtinendi, & ad cujus præsentiam Deus vitam æternam ut conditionis à se stipulatæ præmium largiturus est, concedimus bona opera Merita posse vocari. Et hoc sensu sæpe à Patribus Merita vocantur. Sed quia hæc est significatio vocis Meriti minus propria, & Pontificii in ea non acquiescunt, sed & opera nostra intrinseco suo valore vitam æternam mereri contendunt, præstat, nostro judicio, à voce Meriti abstinere, utpote quæ meritum propriè dictum involvere videatur: cum,

cum, si Meriti propriè dicti naturam inspiciamus, quæque ad meritum constituendum requirantur consideremus, manifestum futurum sit, ea omnia operibus nostris deësse, ac proinde opera nostra vitæ æternæ meritoria esse non posse.

Requisita in merito desunt operibus nostris.

XIII. In Merito siquidem requiritur ut sit opus indebitum; ut ad eum, apud quem meremur, aliqua ex opere nostro redundet utilitas; ut proportio aliqua sit inter opus & mercedem; & tandem ut opus sit perfectum. Atqui contraria omnia sunt in operibus nostris. Jam enim per beneficia Creationis ac Redemtionis Deo sumus obligati ad præstandum quicquid ipsi nobis præcipere placuit: *Luc.* XVII. 10. Nullum etiam ex nostris operibus ad Deum redundat emolumentum; cum ipse per se summè sit beatus: *Psal.* XVI. 2, 3. Nulla etiam inter opera nostra & illorum mercedem sive præmium, vitam nimirum æternam, est proportio: *Rom.* VIII. 18. 2 *Cor.* IV. 17, 18. Tum obedientia nostra non est perfecta, sed subinde peccatis quibusdam, sive ex incogitantia, sive ex infirmitate, sive ex alia culpabili causa, interrupta: *in multis* enim *labimur omnes*: *Jacob.* III. 2. Hinc est, quod Scriptura adeò disertè testetur, salutem nobis à Deo tribui ex gratia: *Rom.* VI. 23. XI. 6. *Eph.* II. 8, 9. Offertur enim homini peccatori & mortem commerito: talem autem è morte liberari absque gratia, impossibile est. Tum Deus nos, quibus ex gratia salutem offert, etiam gratià sua prævenit, & ad cultum suum aptos reddit: adeò ut obedientia nostra non tam sit opus nostrum nostris viribus productum, quàm Dei, qui eam virtute gratiæ suæ in nobis produxit: *Ipsius* enim *factura sumus*, *conditi in Christo Jesu ad bona opera*, *ut in iis ambulemus*, *Eph.* II. 10. Cùm itaque nihil de nostro afferre possimus, sed Deo tantum quod suum est reddimus, quodnam quæso erit meritum nostrum apud Deum?

Quo sensu vita æterna vocetur merces.

XIV. Objiciunt Pontificii, quòd vita æterna vocetur *merces*, *Matth.* V. 12. XX. 8. Si autem illa est merces, bona opera, quibus illa redditur, procul dubio sunt merita. Resp. Si vox Meriti laxiore significatione accipiatur pro mera retributione, nos concessisse, impropriè posse vocari merita: at Meritum propriè dictum ab operibus nostris abesse jam ostendimus. Merces ergo hìc non significat debitum, & quidem ex rigore, sed retributionem ex gratuita Dei promissione: hinc etiam duplicis mercedis mentio fit, *Rom.* IV. 4, 5 unius quæ ex debito, alterius quæ ex gratia imputetur. Eodem sensu Deus dicitur *non injustus ut obliviscatur operis nostri & dilectionis*, *Hebr.* VI. 10. Quia nimirum promisso suo gratuito se aliquatenus hominibus obligavit, ac proinde conditione quam exegit præstitâ, aliquo sensu se promissi implendi debitorem constituit, quod ut præstet justitia & fidelitas ejus exigit. Dices. Ipsa retributio, & quidem juxta opera, imò pro ratione operum diversa & inæqualis, quam Scriptura insinuat diversis locis, *Luc.* VI. 38. 1 *Corinth.* III. 8. *Gal.* VI. 7, 8. *Apoc.* XXII. 12. evidens est argumentum, in conferendo præmio, non haberi rationem solius promissionis & liberalitatis vel indulgentiæ Dei, sed etiam dignitatis & efficaciæ ipsorum operum. Resp. Nulla hic est consequentia. Nam sicut ipsa retributio in se considerata respectum habere potest ad promissionem Dei; ita etiam in inæquali præmiorum distributione respici potest ad promissionem divinam, quà inæqualibus operibus etiam inæqualia præmia constituta sunt. Tum, licet tota retributio fit ex gratia, ipsa tamen ratio dictare videtur, pro ratione inæqualitatis operum majus vel minus præmium distribuendum; ne gratia divina sit irrationalis & bruta, distribuens sine ulla proportione: ideo unicuique sua merces adsignabitur pro sapienti distributione Dei.

Quo sensu sancti ea digni dicantur digni.

XV. Objiciunt porrò verba Domini, *Apoc.* III. 4. *Ambulabunt mecum in albis*, *quia digni sunt*. Tum & alia loca in quibus dignitatis fit mentio: ut *Luc.* X. 7. XX. 35. 2 *Thess.* I. 5. *Sapient.* III. 5. Resp. Dignitas in se considerata est relatio mutua inter actum officii, & præmium. Hæc autem oritur vel ex intrinseca commensuratione & æqualitate, aut ab extrinseca remuneratoris æstimatione, eàque aliquando ex pura liberalitate. Cùm ergo prior dignitas, uti ex dictis liquet, hìc locum non habeat, nulla enim inter opera nostra & præmium proportio est, manifestum hìc posteriorem respici, quæ nihil facit ad comprobandum bonorum operum merita.

CAPUT LXXIX.

De Possibilitate observationis mandatorum Jesu Christi.

Possibilitas observationis mandatorum Christi.

I. NEcessitatem observationis mandatorum Jesu Christi excipit eorumdem observandorum Possibilitas: imò hanc Necessitas præsupponit: quia enim necessaria sunt observatu, sequitur etiam possibilia esse, cùm ad impossibile nemo obligetur. Ut autem quæstio hæc rectè tractetur, ante omnia status quæstionis ritè formandus est.

Triplex de ea sententia.

II. Triplex hodie de possibilitate observationis mandatorum Jesu Christi per gratiam Dei est inter Christianos sententia. Nam de sententia Pelagio adscripta, quòd propriis suis viribus homo legem Dei per-

fectè possit implere, quoniam hodie ab omnibus est explosa, neminemque quod sciam habet patronum, nihil dicemus. Prima est eorum, qui statuunt hominem eò usque posse pervenire per gratiam Dei, ut sine ullo, etiam primo concupiscentiæ motu ad peccandum sit, perinde quemadmodum Deus est: & sine ullo amore erga creaturam, vel erga omne quod Deus non est, ita ut Deum amet sui solius causâ, sine ullo ad præmium respectu. Secunda, eorum, qui docent, legem Dei ab homine exigere omni modo perfectam obedientiam, quoad partes, durationem, & gradum, cujus merito homo possit obtinere vitam æternam: hominem autem per primi hominis peccatum, quod omnium hominum per imputationem esse docent, impotentem redditum ad legem præstandum, ideoque in justitia Christi, qui pro se legem implevit, justitiam suam invenire. Non posse itaque hominem, etiam gratiâ Dei adjutum, & spiritu Christi regenitum, mandata Dei servare: sed omnem ejus perfectionem consistere, in complacentia & proposito perfectionis, & perpetuâ imperfectionis confessione, cum exspectatione perfectionis in futuro seculo. Media inter utramque hanc extremam est nostra: posse nimirùm hominem, gratiâ Dei adjutum, præcepta in Euangelio nobis mandata observare, eo modo eâque perfectionis mensurâ, quâ Deus eorum observationem sub æternæ condemnationis denuntiatione à nobis exigit. Duæ priores sententiæ sibi invicem directè contrariæ sunt. Primi viam ad cœlestem hæreditatem angustam nimis, secundi nimis latam, sibi faciunt. Primi perfectionem, quæ in futuro seculo demum locum habebit, hîc obtinere cupiunt: secundi, perfectionem, quæ hîc obtinere debet, in futuro demum seculo locum habituram contendunt.

Refutatio sententiæ primæ: quòd motus primo primi sint in nostra potestate.

III. Primam sententiam operosè refutare necesse non videtur: propriâ enim absurditate facile corruit. Duo imprimis in ea sunt culpanda. Primum, quod velint hominem planè immunem esse debere & posse etiam à minima ad peccatum concupiscentia. Quoniam per eam non intelligunt concupiscentiam jam formatam, nec eam quæ cum mora aliqua in nobis fovetur; sed primoprimos concupiscentiæ motus, qui ex objecti grati vel ingrati repræsentatione naturaliter in nobis excitantur. Atqui eos antea ostendimus non esse peccata: sed à Deo vim motus illos excitandi carni nostræ inditam, ut materia sint exercendæ virtutis. Deinde, nihil magis à vero alienum est, quàm hominem hosce primoprimos concupiscentiæ motus ita posse cohibere, ut nunquam ad objecti carni grati vel ingrati præsentiam excitentur. Naturale enim homini est appetere sibi grata, aversari ingrata: Naturam autem exuere nequit. Potest motus excitatos cohibere, ne cum mora illarum meditationi inhæreat, turpemque ex illis delectationem percipiat: At impedire ne excitentur planè, neutiquam in ipsius potestate est.

Et quod illicitum sit Deo obedire spe præmii.

IV. Alterum est, quòd illicitum credant, spe præmii obedire Deo. Potest enim hoc ad desperationem adigere homines, præsertim in gravi tentatione constitutos, aut pro nomine Christi acerbissimos cruciatus mortemque dirissimam sustinentes. Quin & absque præmii spe non videmur obedientiam Deo, quam à nobis exigit, præstare posse. Amor enim boni alicujus evelli non potest, nisi per contrarii boni amorem: Igitur nec amor rerum terrenarum & corporearum animis nostris evelli potest, nisi per amorem rerum spiritualium & cœlestium. Unde & fides, quæ in Deum, ut se quærentium remuneratorem, respicit, totius nostræ religionis fundamentum vocatur, *Hebr.* XI. 6. Quid quòd ipse Deus non tantum spe vitæ æternæ nos ad obedientiam excitat, *Matth.* V. 10, 11. & alibi; sed disertè illos, qui ***per boni operis patientiam gloriam & honorem & incorruptionem quærunt***, vitam æternam adepturos pronuntiet, *Rom.* II. 7, 8. Ne jam adducamus exempla sanctissimorum: ut Abrahami, Mosis, aliorumque, *Hebr.* XI. Pauli, 2 *Cor.* IV. 18. quin & ipsius Jesu Christi, *Hebr.* XII. 2. qui spe gloriæ obtinendæ Deo obedivisse expressè dicuntur. Sed ajunt, jubemur nos ipsos abnegare, *Matth.* XVI. 24. Resp. Ita est. Atqui seipsum abnegare, non significat, spem boni à Deo promissi abnegare seu abjicere; sed, ut bono illo potiamur libenter renuntiare iis, quæ aliàs nobis grata essent futura. Pergunt. Quando Deo spe præmii obedimus, quærimus quæ nostra sunt: quod illicitum. Resp. Quærimus quod Deus nobis promisit; quod ergo Dei est, quodque Deus voluit nos tanquam nostrum quærere, etiam cum abnegatione eorum, quæ hîc in terris nostra creduntur, quæque non quærere jubemur. Verùm hæc obiter; in sequentibus prolixius quæstionem hanc excutiendi dabitur occasio.

Status controversiæ inter secundam & tertiam sententiam.

V. Restat itaque ut status quæstionis inter secundam & tertiam sententiam ritè formetur. Videtur integra hæc controversia duabus principalibus quæstionibus circumscribi. 1. An lex Dei, etiam in Euangelio, ab homine exigat perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam, ne minimo quidem lapsu interruptam? An verò Deus, ut benignus Pater, indulgentiâ quâdam utatur, & de rigore legis remittat? 2. Utrum homo legem divinam, prout in Euangelio exigitur, observare ac præstare possit? An verò exigua tantum possit præstare

stare initia obedientiæ, & regeneratio ejus in hac vita solummodo inchoëtur, in futura verò consummetur? Posterioris quæstionis decisio magnam partem ex priore dependet. Prout enim lex Dei vel strictam exigere obedientiam, vel indulgentiâ quâdam uti creditur, exinde promptum est colligere, utrum eam homo præstare possit, vel non?

Quatenus conveniant, & discrepent. VI. Et sanè, si utrumque quæstionis membrum consideremus, videtur inter oppositas hasce sententias non adeò magnum esse discrimen, idque occupari non tam circa rem ipsam, quam circa rei circumstantias. Si enim animo sedato ac à controversiis alieno expendamus, quid intersit, sive credamus Deum in lege sua perfectam ac omnibus modis absolutam exigere obedientiam, hominem verò non ita exactè eam posse præstare, quin aliquando labatur, ac proinde legem Dei non posse implere: sive credamus, Deum non rigidam exigere obedientiam operum, sed instar benigni patris de rigore suo remittere, & indulgentiâ quâdam uti, atque ad lapsus leviores connivere velle; hominem autem legem Dei cum hoc moderamine consideratam, posse implere; non magnam comperiemus sententiarum discrepantiam. Utrobique enim agnoscitur, non posse hominem præstare planè perfectam obedientiam, quæ nullo, ne minimo quidem peccato unquam interrupta sit. Sed verò, quoniam in hac quæstione sola omnis inter partes contendentes dissensio non terminatur, sed qui legem Dei homini observatu impossibilem urgent, etiam ex principio illo deducunt, Deum hominibus legem præscribere, non ut ab ipsis præstetur, sed ut ipsi impotentiam suam agnoscant; ac proinde ipsorum obedientiam magis esse agnitionem propriæ imperfectionis, & propositum ac conatum obediendi, quàm ipsum obedientiæ actum, imò ipsos fideles & regenitos quotidie sæpius & graviter peccare, ideoque in sola Christi justitia pro ipsis præstita justitiam ipsis quærendam: doctrina hæc, ex qua periculosa & pietati noxia consectaria deducuntur, accuratius refutanda est.

Non exigit rigidè Deus in Euangelio obedientiam omni ex parte perfectam. VII. Quod itaque primum membrum spectat, diximus nos Deum in Euangelio non exigere rigidam illam, perfectam, & numeris omnibus absolutam, nulloque unquam peccato interruptam obedientiam; adeò ut exitium & damnationem æternam comminetur omnibus qui vel in minimo deliquerint: sed benigni instar patris nobiscum agere, &, licet lapsus fidelium suorum non approbet, eos tamen sincerè ipsum quærentibus & peccatorum pœnitentiam agentibus, gratiosè condonare velle. Exigit enim Deus sub Novo Fœdere resipiscentiam, ac promittit remissionem peccatorum. In Fœdere Novo igitur Deus de jure suo recedit; totam quippe obedientiam nostram vult esse resipiscentiam à peccatis, ac continuum in ea progressum. At resipiscentia peccatum præsupponit; nec in posterum omnem peccati actum penitus excludit: quoniam peccandi habitus statim penitus evelli nequit: hinc aliquando facilis in id relapsus, præsertim in initio: contra quod si homo continuo studio depugnet, sensim id debellabit, & indies majores in sanctitate progressus faciet. Et hoc respectu Euangelium aliquoties vocatur gratia, opposite ad legem Mosis, in quâ rigor ille obtinuit; *Joan.* I. 17. & alibi: & resipiscentiam exigit, & peccatorum remissionem promittit: *Luc.* XXIV. 47. *Actor.* III. 19.

VIII. Varia tamen pro sua sententia nobis objicere solent. Ac pimò quidem, quod Deus sit perfectè justus, ac proinde nullam nisi omni modo perfectam justitiam admittere possit. *Resp.* 1. Justus est Deus, sed & absolutus Dominus, nullique superiori obnoxius; potest ergo de jure suo recedere, neque rigidè exigere omnia, quæ jure exigere posset; sed legem præscribere gratiâ & indulgentiâ quâdam temperatam. Est præterea æquus ac benignus, ut de jure suo recedere velit: quod & in Euangelio ostendit. 2. Obedientia, quam Deus sub æternæ pœnæ comminatione exigit, est perfecta; utpote respondens stipulationi fœdere divino contentæ, quam nisi homo præstet, salutem consequi neqnit: si verò ab homine præstita sit, Deus illi ut justus judex, absque justitiæ suæ violatione, salutem adjudicare potest, & reverà adjudicaturus est. *Responsio ad objectionem primam.*

IX. Secundò. Lex postulat obedientiam, quam homo debebat ante lapsum, id est, omni modo perfectam; quia exigit obedientiam ex omnibus viribus, nimirum quas homo habuit ante lapsum. *Resp.* Unde constat, Deum, quando obedientiam exigit ex omnibus viribus, eam exigere ex omnibus viribus quas homo habuit ante lapsum? Gratis hoc dicitur, & sine ulla probatione. Imò hoc foret à rectitudine & justitia Dei alienum, si ab homine exigeret obedientiam juxta vires quas primus ejus parens jam olim per peccatum amisit; imò quibus non tantum ipse, sed, juxta hos doctores, omnes illius posteri justâ Dei punitione propter peccatum ipsius privati sunt, quasque Deus nunquam illis restituere voluit. Perinde id esset, ac si princeps à nepote exigeret, ut reditibus suis milites aliquot alat, quibus jam avum ejus ob crimen commissum spoliavit. Unde sequitur, Deum obedientiam exigentem juxta vires, eam exigere juxta vires quas aut homo jam habet, aut quas homini, quando officium præscribit, concedit, & porrò, si oretur, beni- *Secundam.*

benignè largiri paratus est. Aliud justitia ejus non permittit.

Tertiam. X. Tertio. Lex vetat omne peccatum, quia peccatum est ἀνομία. Ergo exigit Deus obedientiam quæ excludit omne peccatum, omnesque motus repugnantes amori Dei. *Resp.* Concedimus legem, etiam Christi, vetare omne peccatum: nec ullum posse dari peccatum, quin legi divinæ sit adversum. At hoc inter nos noo controvertitur: sed, utrum lex Christi eo cum rigore omne vetet peccatum, ut non promittat veniam lapsuum intercurrentium, si eos sequatur pœnitentia, & homo sincerè in pietatis studio pergat? Hoc est quod nos urgemus. Sed instant: Ex remotione omnis gradus frigoris summus calor existit: ita etiam ex remotione odii Dei summus existit amoris gradus. Cùm ergo nullus sit gradus odii Dei, sive peccati, quem lex non condemnet, etiam summus amoris gradus exigitur. *Resp.* Eadem hic committitur ignoratio elenchi: non enim contendimus, an aliquod peccatum licitum sit, aut in aliquo amoris Dei gradu conquiescere liceat, ita ut ad ulteriorem non adspiremus: sed, utrum lex divina in Euangelio, nullâ erga sincerè Deo obedientes indulgentiâ utatur, modò malitia absit: imò & lapsuum graviorum remissionem, modo resipiscentia sequatur, polliceatur? Hoc ostendendum erat. Verùm hæ objectiones ex pravo conceptu de discrimine Legis & Euangelii oriuntur, quod cum antea sufficienter declaravimus, exinde harum objectionum solutio peti potest.

Quartam. XI. Sed objiciunt quartò: Christus jubet nos esse perfectos, sicut Pater noster in cœlis perfectus est. *Resp.* Ipsi non audent affirmare hîc æqualitatem, sed similitudinem tantum perfectionis præscribi; nempe ut sanctitati sincerè studeamus, & opera sancta præstemus; perinde uti Deus sanctus est omniaque ejus opera sancta. Quicunque igitur toto animo peccatis valedicit, paratusque est Deo in omnibus obedire quæ novit & nosse potest à Deo præcepta, perfectus est, uti Deus est perfectus: quia perfectè obedit Deo, quoniam ex toto corde obedientiam præstat. Quod adeò verum est, ut & illi, qui primum sincerè peccato valedicentes totos se studio sanctitatis tradunt, licet cum molestia ac gravi lucta peccato resistant, ejusque aculeos nonnunquam percipiant, perfecti esse dicendi sint; quia pro ratione status sui perfecti sunt. Voluntas enim ipsorum, quæ obedientiæ principium est, plena & perfecta est; licet ipsa actio non cum omni alacritate, imo & cum molestia, perficiatur.

Quintam. XII. Quintò. Christus venit in mundum, ut expenderet pro nobis, quod à nobis debebatur: cùm autem perfectam præsterit obedientiam, nos imperfectam non debuimus. *Resp.* 1. Non dicimus, nos debuisse aut debere imperfectam obedientiam: debemus talem, qualem Deus per Christum à nobis exigit: quam cum præstamus, perfectam præstamus. 2. Christus nusquam dicitur persolvisse quod nos debebamus; sed factus sacrificium, propitiatio, redemtionis pretium pro nobis. Persolvit ergo Christus, quod Deus Pater pro liberrimo & absoluto dominio ab ipso exegit ad generis humani redemtionem. Ex illius autem solutione colligi nequit, quid nos debuerimus; multò minus, illius justitiam nobis imputandam: sed quidem, Deum Patrem sacrificio Christi placatum, non rigidè sed gratiosè nobiscum agere velle. Atqui gratiosè agit, quando nostram obedientiam, licet non omni modo perfectum, tamen legi suæ congruentem, propter Christum pro plenaria ac perfecta gratiosè acceptare, vitæque æternæ præmio remunerari vult. Et Deum hoc modo in Christo nobiscum agere, fusius in doctrina de Justificatione docebimus.

XIII. Sextò. Doctrina hæc vitiis patrocinatur, & libidini, furto, &c. fenestram aperit. *Sextam.* Si enim, integrâ Dei obedientiâ, possumus habere motus & amores contrarios amori Dei, dummodò amor Dei prævaleat, fas erit amare scortationem & rapinam, dummodò hæc minus amentur Deo. *Resp.* Quis non miretur objectionis hujus insulsitatem? Vident hi homines & dolent, continuò sibi objici, doctrinam suam vitiis patrocinari, quia docent hominem non posse legi Dei obedire: unde consequi vident, necesse esse ut quandoque homo eam transgrediatur: hinc argumentum illud in nos retorquere student; sed vano ac irrito conatu. Non enim nos dicimus, licitum esse, ullum habere amorem amori divino contrarium. Absit. Dices: Nos tamen statuere, motus primo primos concupiscentiæ io nobis esse posse absque peccato. *Resp.* Fateor, modò non procedant ex peccandi habitu, sed motus sint naturales erga objectum amabile. Atqui isti motus primo primi non sunt objecti illius amor; sed naturalis tantum complacentia in re, quæ naturali nostro desiderio consentanea est. Quòd si motus illi foveantur, & homo cum mora aliqua iis inhæreat, gratamque ex objecti illiciti contemplatione delectationem percipiat, amorem erga illud concipit: ille verò est amori divino contrarius, lege Dei vetitus: eumque cohibere in potestate hominis est. 2. Contradictio manifesta est in hac objectione. Impossibile enim est ut duo amores contrarii in uno eodemque homine simul locum habeant. Amor Dei cum amore

re mundi, scortationis aut rapinæ, consistere nequit, sed unus expellit alterum, disertè id testante Domino Jesu, *Matth.* VI. 24. *Nemo potest duobus dominis simul servire*, &c.

Status controversiæ de possibilitate observationis præceptorum Christi.

XIV. Ita adstructo priore controversiæ membro, restat ut & alterum adstruamus. Ut itaque statum quæstionis ritè formemus, dicimus, eundem obedientiæ modum, quem ad salutem necessarium ostendimus, etiam homini fideli ac regenito esse possibilem; nimirum, non omni modo perfectam obedientiam, nulloque unquam ne minimo peccato interruptam; sed quæ studio sincero ac habitu sanctitatis constet, quæ omnem peccati habitum, actusque graviores ac præmeditatos excludat. Cùm autem tres sint regenitorum gradus, incipientium, qui peccato sincerè quidem valedicunt, sed cum molestia cum eo luctantur; proficientium, qui minore cum lucta & majore cum alacritate peccato resistunt; & adultorum, qui jam peccati habitum debellarunt, & cum voluptate virtutem exercent: distinctius paulum sententia nostra explicanda est. Certum est, necessarium esse omnibus, si salutis æternæ velint esse participes, ut saltem primum regenerationis gradum assequantur: sine illo enim nulla salus. Quòd si illum assecuti statim moriantur, nullum est dubium quin ex legis Evangelicæ formula salute sint donandi. Si verò vitam eorum continuet Deus, necesse est ut ad secundum adspirent, eumque consequantur. Quod si illum consecutis vita continuetur, similiter necesse est ut ad tertium contendant, eumque assequantur. Deus enim amorem sui exigit ex toto corde: is autem nuspiam subsistit, sed semper ulterius tendit. Ad hunc modum etiam dicimus hominem regenitum supremum regenerationis gradum consequi posse; ut nempe, postquam primum assecutus est, ad secundum atque ita porrò ad tertium ac supremum pervenire possit. Sententiam nostram his adstruimus argumentis.

Prota ratio prima.

XV. Primò. Deus mandatorum suorum obedientiam exigit, addito non tantum promisso salutis, sed & comminatione æterni supplicii, nisi præstetur: Ergo possibilis est. Aliàs Deus impossibile quid ab homine exigeret, & propter conditionem impossibilem non præstitam, eum æterno supplicio addiceret, quod ab omni justitiæ & æquitatis ratione est alienum. Excipiunt. Deus per peccatum hominis jus exigendi obedientiam debitam non amisit: fuit illa possibilis in Adamo. Resp. 1. Quoniam nos ad omne bonum impotentes nasci volunt, nec gratiâ divinâ impotentiam illam tolli, nunquam ea nobis possibilis fuit, licet Adamo possibilis fuerit. 2. Esto, ea etiam nobis in Adamo possibilis fuerit, cùm Adamus peccando propriè non abjecerit vires suas; sed impotentiâ obediendi à Deo punitus sit, & in eo omnes ipsius posteri, juxta ipsos: non ergo potest justè Deus exigere obedientiam, quæ per pœnam à se inflictam reddita est impossibilis.

Secunda.

XVI. Secundò. Mandata Dei tantum abest ut dicantur impossibilia, ut negentur esse gravia: 1 *Joan.* v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt.* & *Matth.* XI. 30. ipse Dominus ait; *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Dices. Occurrunt tamen varia in religione Christiana præcepta gravia, ac carni admodum dura; ut dilectio inimicorum, abnegatio sui ipsius, sublatio crucis, & gravissimorum pro nomine Christi dolorum toleratio. Resp. 1. Hæc in se spectata dura esse, nemo negabit. Sed Apostolus loquitur de homine fideli ac regenito, & gratiâ divinâ ac spe vitæ æternæ suffulto, cui aliàs dura ac impossibilia fides possibilia, imò facilia, reddit. Singula enim hæc præcepta si considerentur, tantum abest ut impossibilia sint, ut & quidam cum gaudio & alacritate mortem maximè horrendam ac dirissimos cruciatus sustinuerint. Imò expressè ait Apostolus, *Phil.* IV. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat. Ardua res est, fateor*, inquit Calvinus in Epist. ad Rom. XII. 14. (nimirum persequentibus benedicere (*& naturæ humanæ penitus contraria: sed, nihil tam arduum quod non virtute Dei superetur, qui nobis nunquam deërit, modo ne ipsum invocare negligamus.*

Tertia.

XVII. Tertiò. Apostolus Joannes docet, hominem regenitum eò usque pervenire, non tantum ut non peccet, 1 *Epist.* v. 18, sed & peccare non possit, *cap.* III. 9. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Excipiunt: Apostolum loqui de habitu peccati, seu peccato ad mortem, in quod regenitum incidere posse negat. Resp. Loquitur Apostolus de quovis peccato. Non autem mens ejus est, affirmare, fieri non posse ut regenitus unquam peccet, aut ad priorem vitæ profanitatem relabatur: contrarium in sequentibus ostendemus: sed, peccata regenerationi esse adversa; & hominem regenitum diuturnâ consuetudine eum sanctitatis assequi habitum, non quidem ut planè peccare non possit, sed ut planè alienus & aversus sit à peccato. Quo sensu phrasin, *non posse*, in Scriptura sæpius esse accipiendam, alibi probavimus.

Quarta.

XVIII. Quartò. Dicitur de quibusdam, quod sint perfecti: 1 *Cor.* II. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos. Phil.* III. 15. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Excipiunt: Apostolum loqui non de obedientia, sed ætate perfectis, quibus opponuntur infantes; ut *Hebr.* v. 13, 14. 1 *Cor.* III. 1.

Eph. IV. 13. aliàs Paulus de se inquit, *Phil.* III. 12. *Non quòd jam perceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.* Resp. Si textus singuli ab ipsis citati inspiciantur, manifestum est, in illis non de infantibus ætate, sed fide agi. Similiter circumstantiæ verborum à nobis citatorum, ut de perfectis ætate non autem fide accipiantur, non permittunt, ut unicuique inspicienti patebit. Esset enim inconcinna Apostoli locutio, si de ætate, non autem fide perfectis & infantibus loqueretur. Quod attinet *Phil.* III. 12. non negat Apostolus se perfectè Deo obedire; sed ait se nondum pervenisse ad beatam resurrectionem: itaque opus esse, ut continuo studio prout inceperat pergat: quia licet jam perfectus esset, non tamen extra omne peccandi periculum constitutus erat; ideo castigabat corpus suum & in servitutem redigebat; ne forte, cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, 1 *Cor.* IX. 27. Quando autem ad metam pervenisset, tum se extra omne periculum fore; juxta id quod ait, 2 *Tim.* IV. 6, 7, 8.

Quinta. XIX. Quintò. Ipsi Apostoli vovent sæpius in Epistolis suis, ut fideles perfectionem illam consequantur: 1 *Thess.* V. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; ut integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Vide & illustria vota, *Phil.* I. 9, 10, 11. *Coloss.* I. 9, 10, 11. *Hebr.* XIII. 20, 21. Atqui vota illa frustranea forent, si quid Apostoli voverent fidelibus impossibile. Imò ipse Dominus orare nos jubet Deum, *Fiat voluntas tua in terra, quemadmodum in cælo*; *Matth.* VI. 10. id est, simili cum alacritate ac promtitudine, quâ Angeli in cœlis eam præstant. Atqui Dominus impossibilia orare nos non jussit.

Sexta. XX. Sextò. Narrantur in Scriptura exempla eorum, qui Deum toto corde quæsierunt, & perfectè Deo obedierunt. Tales narrantur, David, 1 *Reg.* XI. 34. XIV. 8. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Asa, 1 *Reg.* XV. 11. *Fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus.* 2 *Chron.* XV. 17. *Cor Asæ erat perfectum cunctis diebus ejus.* Josias, 2 *Reg.* XXII. 2. 2 *Chron.* XXXIV. 2. *Fecit quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit ad dextram sive ad sinistram.* Zacharias & Elisabeth: *Luc.* I. 6. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querelâ.* Dices. De singulis tamen quædam peccata narrantur, de Davide adulterium & cædes Uriæ: de Asa, quod fiduciam collocaverit in rege Syriæ, & Prophetam ipsum ob id reprehendentem in carcerem conjecerit, & plurimos de populo interfecerit, 2 *Chron.* XVI. 10. De Zacharia, quòd sermoni Angeli non crediderit. Resp. Fateor. Nolumus autem hisce exemplis probare, hosce homines sine ullo omninò peccato vixisse; id unius Jesu Christi Servatoris nostri est, *Hebr.* IV. 15. 1 *Pet.* II. 21. sed tamen ad eam obedientiæ perfectionem in hac vita pervenisse, in qua Deus gratiosè acquiescit, & quam juxta gratiam fœderi novo alligatam salute æternâ remunerari decrevit: quoniam & à peccatis illis seriâ resipiscentiâ se converterunt; quod de Davide expresè narratur. Deo tamen peccatum ejus quammaximè displicuisse, inde manifestum est, quòd, cum pietas Davidis laudatur, ordinariè excipiatur factum Uriæ, 1 *Reg.* XV. 5. 2. Sicut sancti illi homines ab aliis peccatis abstinuerunt, etiam ab hisce, si omnem adhibuissent sibi possibilem cautelam & diligentiam, abstinere potuissent. Non enim in hisce evitandis, aut passionibus quibus ad specialia ista peccata alliciebantur coërcendis, major difficultas, quàm in aliis.

XXI. Septimò. Tandem sententia hæc *Septima.* quammaximè noxia est pietati, omnesque ad pietatem hortationes reddit inutiles, utpote quæ sit res homini præstitu impossibilis. Quis enim vires suas intendat, ut consequatur rem sibi impossibilem? Nullus impietati plausibilior est prætextus, quàm obediendi impotentia. Præsertim si addatur, Deum nolle ut perfectionem in hac vita consequamur, ne nos efferamus. Quis enim contendet, cui blanditur impietas, se voluntati isti divinæ irrito conatu opponere? Dices. Vult tamen Deus, ut, quantum in te est, allabores mandata ejus observare, si modò possis. Resp. Ergo quando allaboro & propositum obediendi concipio, sufficit. Agnoscam ergo impotentiam meam, & obedientiam ut impossibilem non præstabo. Atque ita omne obediendi studium exstinguetur. Legimus, quando exploratores reduces è terra Canaan populo Israëlis persuaserunt, fieri non posse ut terram Canaan occuparent, eò quod habitaretur à gigantibus, quibus ipsi comparati, instar locustarum essent; quod omnem in populo terram illam invadendi ardorem exstinxerint: *Num.* XIII. & XIV. Similis eventus exspectandus ex doctrina, quæ mandata Dei præstitu impossibilia docet.

XXII. Sed videamus, quid ad sententiam suam incrustandum adferre soleant. *Responsio ad objectionem primam.* Primò contendunt, in homine regenito etiam remanere partem irregenitam, carnem nempe & carnalem concupiscentiam, quæ actu semper concupiscat contra spiritum, hominemque subinde retrahat ad peccata.

cata. Verùm cum de Resipiscentia seu Regeneratione ageremus fusè illam sententiam refutavimus, ostendimusque Regenerationem non partem hominis tantum, sed integrum hominem renovare, secundum omnes ipsius facultates, adeo ut nulla remaneat facultas irregenita, sed spiritus dominium obtineat, & inordinatos concupiscentiæ motus cohibeat; idque perfectius, vel minus perfectè, pro diversis regenerationis gradibus.

Secundam. XXIII. Sed præterea aliis argumentis directè sententiam nostram impugnare conantur. Ac 1. quidem, quod nemo hominum legem Dei observet: ergo colligunt, ab homine non posse observari. Si enim observari posset, credibile non est, neminem repertum iri, qui eam observet. Neminem autem legem Dei observare, exinde colligunt, quòd Scriptura non uno in loco omnes homines pronuntiet peccatores: huic in finem citant verba Salomonis, 1 *Reg.* VIII. 46. *Non est homo qui non peccet:* & Joannis, 1 *Epist.* I. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Resp. Aliud est, peccatum habere, seu, à peccato non esse immunem; aliud, etiam post resipiscentiam sæpius, imò & quotidie, ut illi urgent, graviter peccare, & necessitate quâdam ad peccandum induci. Etiam qui ante resipiscentiam peccato indulserunt, à peccato non immunes rectè dicuntur: sed quotidie post resipiscentiam graviter peccare, regeneratio adversatur. Tum non urgemus, hominem planè ab omni peccato immunem vivere, aut vivere posse: id non permittit humana nostra infirmitas: tot undique nos circumstant objecta, quibus ac peccandum alliciamur, tot occurrunt peccandi occasiones, ut, nisi continuò vigilemus, sæpe æstu passionum nostrarum abripiamur. Verùm negamus, legem gratiæ sub Euangelio exigere sub comminatione æterni exitii ut ab omni ejusmodi lapsu simus immunes; sed ut in pietatis studio proficientes, lapsus illos emendemus, donec tandem ad perfectionem veniamus, atque ita ex gratia divina salutem æternam consequamur.

Tertiam. XXIV. Hisce adjungunt verba Jacobi, *Epist. Cap.* III. 2. *In multis offendimus omnes.* & Pauli, *Rom.* III. 4. *Omnis homo est mendax*: quia ex concupiscentia vitiosa omni homini inest generalis inclinatio ad mendacium. Resp Ne hîc repetamus mox dicta, quæ huc etiam applicari possunt: dicimus, Jacobum loqui de iis, qui magistri esse volunt, seque supra alios efferre; quibus lapsus admodum est facilis. Paulus verò non dicit, omnem hominem esse mendacem: sed, *esto omnis homo mendax*: hoc est, agnoscantur omnes esse mendaces. Unde liquet, eum non loqui de omnibus omnino hominibus; sed de mendacibus, qui incredulitate suâ putant se Dei fidem, id est, veras Dei promissiones, irritam & inanem reddere posse: uti totus verborum Apostoli contextus evidenter evincit. Tantum enim abesse docet, ut, quia aliqui Deo, ejusque legi, non crediderint & obedierint, dicendum sit, Deum in promissis suis, olim Abrahamo, & in Abrahamo populo suo ex illo orituro factis, præstandis fidelem non fuisse; ut contra potius dicendum sit, Deum veracem esse, nimirum in promissis suis præstandis & beneficiis conferendis; omnes autem homines, qui Deo verboque ejus increduli sunt, mendaces. Mendaces ergo non dicuntur omnes esse, quia omnes actu mentiuntur; sed omnes qui Deo promittenti fidem denegant, eo ipso arguuntur esse mendaces. Nec etiam indicat, ex concupiscentia vitiosa unicuique homini generalem inesse inclinationem ad mendacium. Nam eodem jure dicere potuisset, omnem hominem esse furem, adulterum, ebriosum, blasphemum, &c. quia innatam concupiscentiam hominem ad omne malum proclivem reddere docent: quod tamen nusquam legimus.

XXV. Addunt: Nos juberi quotidie orare, *Remitte nobis debita nostra*; quod necesse non esset, nisi quotidie peccaremus. Quartam. Resp. Nullo modo id sequi. Nam si hæc petitio concipiatur generalis, quâ omnes petere jubentur beneficium quo singuli opus habent, dicimus, jubere hic peti remissionem peccatorum quæ homines ante conversionem commiserunt; ea enim tanta ac talia sunt, ut, si rigidè cum illis Deus agere velit, æternum damnandi sint. Dices. Eorum remissionem jam consecuti sunt cum crediderunt. Resp. Ita est. Sed remissio peccatorum non est unicus & momentaneus Dei actus; sed continuus, qui tam diu continuatur, quamdiu homo in conditione requisita perseverat: abrumpitur verò tum, & toties, quoties committuntur ejusmodi actus, qui cum vera fide & sanctimonia consistere nequeunt; uti egregiè Servator docet in parabola, quæ legitur *Matth.* XVIII. Ideo & quotidie absque intermissione orare debemus, ut Deus ea nobis remittat. Quod si tamen velimus etiam respici peccata post conversionem commissa, uti & nos agnoscimus, eorum quædam distinctio facienda est. Alia enim committuntur ex infirmitate; ut *Galat.* VI. 1. qualibus omnes obnoxii sunt; ideoque & eorum veniam omnes orare tenemur: quamvis enim Deus ea verè resipiscentibus nolit imputare in condemnationem, tamen eorum venia est oranda, cum Davide, *Psal.* XIX. 14. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*: & contra ea pugnandum, ne crebriora sint. Alia autem

autem committuntur ex malitia, & deliberato consilio, vel saltem prævia scientia, & advertentia. Illa ab omnibus non committuntur; ideoque nec omnibus præcipitur, ut eorum veniam orent; sed illis tantum, quos in illa labi contingit. Quamvis enim ejusmodi peccata naturæ Novi Fœderis planè adversentur, ea tamen Deus ex superabundanti gratia remittere vult, modò homo seriam illorum resipiscentiam agat, & veniam humiliter oret: uti ex *Apoc.* II. 4, 5. aliisque argumentis colligere est.

Quintam. XXVI. Alio argumento idem comprobare nituntur: Quia Apostoli, qui inter omnes fideles maximè eximii fuerunt, exigua tantum spiritus dona habuerint, ac proinde & ipsorum obedientia admodum imperfecta fuerit, dicuntur enim accepisse *primitias spiritus*, *Rom.* VIII. 23. Atqui primitiæ exigua tantum totius massæ portio sunt. Resp. Primitias esse quidem portionem exiguam, si ad totam massam referantur; sed etiam totius massæ præstantissimam & maxime eximiam: ideo & Deus sub Veteri Testamento voluit sibi primitias offerri: ipse Dominus Jesus vocatur *primitiæ* resurgentium, I *Cor.* XV. 23. Non itaque ad Apostolorum extenuationem, sed commendationem dicitur quòd primitias spiritus acceperint. Deus Pater in Filium suum omnem Spiritus plenitudinem effudit, *Joan.* III. 34. Filius dona Spiritus fidelibus suis, pro sapienti sua administratione, diversimodè distribuit: Apostolis autem primitias, id est, prima ac præstantissima Spiritus dona, largiter donavit, & per eorum manus reliquis communicavit. Ipse etiam Apostolus, si connexio verborum ejus inspiciatur, non ad sui extenuationem sed eminentiam dicit, quòd acceperit cum reliquis Apostolis primitias spiritus. Scopus enim ejus est, ostendere, omnes Christianos subjectos esse miseriis & persecutionibus propter nomen Christi. Et ne quis cruce hac offendatur, addit, *& nos ipsi, qui primitias Spiritus habeamus, & ipsi intra nos gemimus*, &c. Quasi dicat; mirum nemini Christiano videri debere, quod crucem & afflictiones sustineat pro nomine Christi; cùm & ipsi Apostoli, qui primitias spiritus acceperint, & supra omnes emineant, sub cruce gemant. Quæ ratio Apostoli enervaretur, si hoc non ad sui excellentiam, sed extenuationem dixisset.

Sextam, XXVII. Objiciunt porrò, Deum exigere, ut ipsum amemus ex toto corde & ex omnibus viribus nostris. Atqui hoc à nobis præstari nequit. Resp. Quoniam Deus exigit ut ipsum amemus, non supra vires nostras, sed ex omnibus viribus nostris, liquet nihil vires nostras excedens à nobis exigi. Quod ut distinctius pateat, sciendum, dilectionem Dei esse obedientiam mandatorum ipsius, I *Joan.* V. 3. quia est dilectio Dei ut legislatoris. Itaque si mandatorum divinorum obedientia fiat ex toto corde, Deus etiam ex toto corde & omnibus viribus diligitur. Sinceritas itaque & integritas amoris propriè hîc præcipitur. Est autem amor sincerus & integer, qui ex corde non fucato procedit, & per peccata intercurrentia non dividitur aut abrumpitur. Atqui hoc præstare, extra hominis potestatem non est.

CAPUT LXXX.

De Perseverantia.

I. Tertia officii nostri affectio est Perseverantia. Hæc requirit, ut homo in officio suo ad vitæ usque finem perseveret. Est illa necessaria: 1. Quia salus nulli est promissa nisi perseveranti; *Matth.* XXIV. 13. *Qui perseveraverit ad finem usque salvus erit. Rom.* II. 7, 8. *Hebr.* III. 14. *Participes Christi effecti sumus; si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.* Vide & *cap.* VI. 11, 12. *Apoc.* II. 10. *Esto fidelis ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quod quidem proprie respicit afflictiones pro nomine Christi sustinendas; præcipitur quippe Angelo Ecclesiæ Smyrnensis, ut non tantum carceres, sed & ipsam mortem pro Christo toleret. Attamen quoniam non potest homo fidelitatem hanc ad mortem ostendere, nisi ad mortem usque in fide & sanctitate perseveret, rectè exinde concluditur, perseverantibus ad finem coronam vitæ esse promissam. Et *vers.* 26. *Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes.* 2. Deficientibus & ad pristinam vitæ profanitatem relabentibus Deus comminatur exitium: *Hebr.* X. 38. *Justus ex fide vivet: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Vide & *cap.* IV. 1. & præsertim 2 *Tim.* II. 11, 12 *Fidelis sermo; nam si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos.* & *Rom.* XI. 20, 21, 22. *Tu fide stas: Noli altum sapere, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* Imo etiamsi antea justi fuerint, nullam se prioris justitiæ rationem habiturum: *Ezech.* XVIII. 24. XXXIII. 13. *Si dixero justo quod vitâ vivat; & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem; omnes justitiæ illius oblivioni tradentur; & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* Nec mirum. Si enim ipse homo justitiæ suæ obliviscatur, & ad impietatem deflectat, quomodo spe-

Perseverantia est necessaria.

ret

ret Deum illius fore memorem? Itaque sicut resipiscentiâ omnia priora peccata in judicio divino delentur: ita & defectione omnes justitiæ obliterantur. Hinc nos Scriptura continuò hortatur ad constantiam: 1 *Cor.* XVI. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini.* Et *cap.* XV. 58. *Stabiles estote & immobiles; abundantes in opere Domini semper; scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Et monet ne deficiamus: *Hebr.* III. 12, 13. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo:* &c. & *cap.* X. 35, 36.

Est etiam possibilis. Ratio prima. II. Estque hæc Perseverantia homini fideli & regenito per Dei gratiam possibilis. 1. Quia necessaria est: Deus enim, qui eam exigit, etiam vires ad præstandum confert. Si enim per gratiam divinam possit homo regenerari, etiam potest perseverare. Ratio est, 1. Quia in regeneratione major lucta est superanda: consuetudo enim peccati, quâ homo velut morte spirituali obrutus erat, actum regenerationis reddidit maximè difficilem: in perseverantia verò minor est lucta; quia ut perseveres oportet tantum continuare in bono; & peccato, quod jam superatum est, cujusque vires sunt confractæ, resistere, ne denuò ab illo superêris. Si ergo gratia divina sufficiens fuit ad majorem luctam superandum, etiam erit ad minorem. Imò in adultis vix est lucta, sed ex operatione virtutis maxima percipitur voluptas; cui conjuncta est seria à peccato, utpote ingrato ob contrariam consuetudinem, aversio. Inde dicuntur tales regeniti *peccare non posse*, 1 *Joan.* III. 9. non tantum quia peccatum regenerationi adversatur; sed quia ipsi à peccato aversi sunt, ac proinde non nisi difficulter ad peccatum allici possunt. 2. Quia solet Deus gratiâ suâ bene utentibus eam largiore copiâ affundere, modò ipsum ob spiritum orent. Sic *Matth.* XXV. 29. *Habenti*, id est, eo quod habet rectè utenti, *dabitur & abundabit.* Vide & *Luc.* XI. 13. *Joan.* XIV. 23. Hinc Apostolus, *Phil.* IV. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Secunda. III. Secundò. Nulli sunt hostes spirituales, quin homo fidelis & regenitus virtute fidei & Spiritus Dei eos superare facile possit, omnesque ipsorum insultus retundere. Nihil enim, nisi per seductionem, in homine operari possunt: nullius verò seductio illius est efficaciæ, ut gratiæ divinæ ope, & virtute fidei, superari nequeat. Non diaboli: 1 *Petr.* V. 8. *Sobrii estote & vigilate: quoniam adversarius vester diabolus circumit tanquam leo rugiens quærens quem devoret: Cui resistite firmi in fide. Jacob.* IV. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Hinc *Eph.* VI. 15. Apostolus jubet nos armari *clypeo fidei, quo omnia ignita tela diaboli exstinguere possimus.* Non mundi; Quia, *Quicunque ex Deo natus est, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* 1 *Joan.* V. 4. Et *cap.* IV. dicitur, *qui in nobis est* spiritus *major* esse *quàm qui in mundo* est. Quia *mundus perit cum concupiscentia sua: qui autem Dei voluntatem facit, manet in æternum.* 1 *Joan.* II. 17. Nec ipsa mundi hujus adversa & gravissimæ afflictiones tantæ sunt, quin homo fidelis eas superare & ad mortem fidelis esse possit; quia non sunt comparandæ cum gloria quæ manifestabitur nobis: *Rom.* VIII. 18. quoniam sunt temporales & momentaneæ, gloria vero nobis reposita æterna, 2 *Cor.* IV. 17, 18. Unde & in omnibus illis dicimur esse superiores per Christum qui dilexit nos: *Rom.* VIII. 35, 36. *&c.* Nec etiam ipsa caro nostra, licet prosperis & adversis mundi, quibus maximè afficitur, undique cincta: quoniam *qui Christi sunt, carnem crucifixerunt, cum concupiscentiis ejus: Gal.* V. 24.

IV. Perseverantiæ opponitur Apostasia, per quam homo fidelis & regenitus à fide sua deficit, vitæque probitate relictâ ad pristinam improbitatem relabitur. Ea duplex est. Vel partialis, quâ homo in quædam peccata incidit; ita tamen, ut non omnem prorsus vitæ sanctitatem abjecerit, nec omnem pietatis amorem exuerit: Vel totalis, per quam excussâ bonâ conscientiâ in vitæ profanitatem delabitur, fideique naufragium facit. Rursus: Apostasia vel est ad tempus aliquod, per quam non penitus abrumpitur, sed ad tempus interciditur studium pietatis, & ex qua homo per singularem Dei gratiam ad vitæ emendationem renovatur; Vel est finalis, per quam homò in incredulitate sua vitæque profanitate ad finem usque vitæ pertinaciter perseverat ac moritur. *Illi opponitur Apostasia.*

V. Hominem fidelem ac regenitum in peccata, etiam gravia, incidere posse, nemo est qui ambigat; comprobante id quotidiana experientia. Verum controvertitur, utrum planè deficere possit, & in defectione ista ad finem usque vitæ perseverare: adeo ut, qui antea per fidem gratiæ divinæ consors fuit, rursus per incredulitatem eâ totaliter ac finaliter excidat? Nos quod attinet, statuimus in homine fideli ac regenito, licet gratiâ auxilioque divino fulciatur, libertatem remanere à fide ac pietate deficiendi: sive id fiat voluntate directâ, ut homo nolit perseverare, & sese convertat ad vitam profanam, carnisque cupiditatibus totum mancipet: sive indirectâ & interpretativâ, ita ut debitam ad perseverandum diligentiam non adhibeat. *Potest homo fidelis à fide deficere.*

VI. Attamen distinguendum hîc est inter varios fidelium & regenitorum gradus, juxta quos alii sunt incipientes, alii profi- *Qua ratione id contingere possit.*

 cien-

cientes, alii adulti seu perfecti. Incipientes facilius gravi quâdam oblatâ tentatione (nisi forte vehemens in iis sit fidei ardor) ad defectionem induci possunt; quia fides & pietas nondum altas in ipsorum animis egerunt radices; & peccatum ob diuturnam motus consuetudinem nondum exstinctam motus concupiscentiæ subinde concitat. Proficientes difficilius, adulti difficillimè inducuntur ut deficiant, quia aversi sunt à malo, & cum voluptate sanctitatis exercitio incumbunt: tum & consuetudinem abjicere ac mutare difficile est. Unde tales *non posse peccare* dicuntur, 1 *Joan.* III. 9. Interim sicut habituum natura est mutabilis, & prout crebris actionibus acquiruntur, ita etiam iisdem possunt amitti, statuimus, etiam sensim ejusmodi hominem peccati illecebris delinitum posse deficere: ita ut primo sanctitatis habitus infringatur actuum vitiosorum commissione, eorumque crebrâ iteratione planè exstinguatur; mox assensus veritati adhibitus debilitetur, ac sensim planè intereat: tandem si homo pertinaciter in impietate procedat, ipsa etiam notitia pereat, homoque tandem desideriis cordis sui & in reprobam mentem traditus, quasi obbrutescat.

Status controversiæ de possibilitate defectionis a fide.

VII. Contraremonstrantes docent, hominem fidelem, si respectu infirmitatis suæ humanæ consideretur, posse quidem ad pristinam vitæ profanitatem relabi; non verò respectu gratiæ divinæ per quam sustentatur: posse quidem incidere in gravia peccata, in iisque ad tempus aliquod hærere; non tamen fidem ac regenerationem penitus amittere, neque in impietate sua mori; id est, nec totaliter nec finaliter posse deficere & è gratiâ Dei excidere; sed habitum fidei ac regenerationis in ipso manere, licet ad tempus nullas exserat vires; instar ignis latentis sub cinere, & vitæ in arbore, tempore hyemis; quæ sicuti redeunte æstate se denuò prodit, & vires suas exerit; ita etiam fidem ante mortem denuò fore excitandam, & vires suas exertutam. Sed verò, ineptè admodum dicitur, fidelem respectu infirmitatis suæ humanæ posse relabi: quia, juxta ipsos, illo respectu fideles non tantum labi possunt, sed & necessariò labuntur. Deinde, quando quærimus, utrum fidelis à fide sua ac sanctitate deficere possit, non quærimus, an deficere possit, si Deus eum gratiâ suâ destituat; sed an in eo statu, in quo est, consideratus, deficere queat; hoc est, an gratia Dei eâ potentiâ illum conservet, ut deficere nequaquam possit; an verò, gratia divina facultatem quidem perseverandi tribuat, non verò eâ efficaeitate operetur, quin fideli libertatem relinquat, propriâ culpâ, per gratiæ illius neglectum aut contemtum à fide suâ deficiendi? Ut enim aliquis dici possit quidquam posse agere, non sufficit ut possit agere si circumstantia quædam absit; sed ut nulla circumstantia adsit, quæ actum impediat, aut si ea adsit, in potestate ipsius sit illam removere. Aliàs quæritur, non quid fidelis possit, sed quid posset, positâ nimirum ejusmodi circumstantiâ. Sic non rectè dicitur, quod ille possit ire, qui naturalem quidem eundi facultatem habet, sed ferreis constrictus est catenis, quæ eundi actum impediunt; sed quòd ire posset, nisi impedimento hoc prohiberetur: nec dici potest, posse cadere, qui summâ vi sustinetur, ac funi alligatus est. Nos itaque statuimus, non obstante gratiâ divinâ, per quam fidelis in fide sua potest perseverare, nihilominus in homine remanere potentiam deficiendi; ac proinde posse hominem fidelem fidem ac regenerationem suam penitus excutere, & in apostasia sua ad finem usque vitæ perseverare, atque ita in æternum perire; non defectu potentiæ divinæ, quasi Deus, si omnipotentiâ suâ uti vellet, non posset in homine fidem & regenerationem conservare; sed quia efficaci ejusmodi operatione, quæ liberam obedientiam, ac proinde deficiendi potentiam tollit, fidem in homine conservare non vult.

CAPUT LXXXI.

Hominem Fidelem ac Regenitum posse deficere, probatur testimoniis Sacræ Scripturæ.

I. SEntentiam nostram adstruimus primò testimoniis aliquot Sacræ Scripturæ. Inter ea meritò primum locum tribuimus verbis *Ezech.* XVIII. 24, 25, 26. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.* &c. Ex hisce verbis, & quæ *vers.* 26. adduntur, liquet justum deficere posse à justitia sua; injustum verò pœnitentiam injustitiæ agere posse, & ad justitiam converti. Præterea eum, qui nunc per justitiam est in statu vitæ, posse per injustitiam transscribi inter illos qui sunt in statu mortis: & vice versa, qui nune per injustitiam est in statu mortis, posse per justitiam obtinere statum vitæ.

II. Excipiunt: Enuntiationem esse hypotheticam, quæ nihil determinatè affirmet. *Resp.* Est quidem enuntiatio hypothetica, sed quæ supponit conditionem esse possibilem, & simul eventum, qui conditionis præstationem aut præsentiam consecuturus dicitur. Est enim comminatio conditionalis, & quidem opposita commonefactioni seriæ, quâ Deus Israëlitas officii sui admonet: Atqui illa ridicula est, si condi- *Responsio ad exceptionem primam.*

tio

tio & comminationis executio non sit possibilis. Affirmatio enim sub conditione impossibili, æquipollet negationi. Deus itaque, justo mortem comminans sub conditione impossibili aversionis à justitia sua, revera illi promitteret vitam.

Ad instantiam. III. Instant: Non esse argumenti nostri necessariam consequentiam; quia etiam Dominus Jesus conditionatè loquitur omnibus Apostolis, *Joan.* xv. 6. *Nisi quis in me manserit, abjectus extra, statim arescet.* Non tamen omnium Apostolorum defectio erat possibilis: quia Dominus addit, *vers.* 16. *Ego elegi vos, & constitui vos, ut abeuntes fructum feratis, & fructus vester maneat.* Resp. Conditionem, & illi innixam comminationem, in omnibus Apostolis non fuisse possibilem, nullâ ratione comprobari potest: quod enim in singulis possibile est, etiam in omnibus possibile censeri debet. In singulis autem possibile fuisse, evidenter comprobatur exemplo Apostoli Pauli, inter Apostolos non infimi, qui ipse de se affirmat, *Corinth.* IX. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quod verò Dominus dicat, se Apostolos *elegisse*, &c. id non de æterna absoluta & immutabili electione ad salutem, quâ Apostoli excidere non possent, intelligendum est: sed de electione ad munus Apostolicum, de qua sæpius illo capite loquitur; & verba ipsa ostendunt, *abeuntes fructum feratis*, id est, sermone Euangelii, cujus prædicationem vobis committo, multos convertatis ad salutem, qui conversi salutem obtineant sempiternam. Ad summum, de electione ad gratiam hæc sunt accipienda, quòd Dominus Jesus eos elegerit, & gratiæ Euangelicæ participes fecerit, ut fructus fidei ferant, & salventur. Atqui ajunt, huic explicationi obstant verba Domini, *Luc.* XXII. 29. *Ego paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum*, &c. Resp. Nequaquam. Non enim Dominus illic Apostolis regnum absolutè paciscitur; sed ipsis id addicit non aliâ conditione acquirendum, nisi per crucem & afflictiones, perinde uti Pater sibi id eâ conditione addixerat. Sic dicimur *Rom.* VIII. 29. *prædestinati ut simus conformes imagini Filii sui.* & 2 *Timoth.* II. 11, 12. *Si commortui sumus, & convivemus; si sustinebimus, & conregnabimus.* Eaque explicatio fluit ex præcedentibus, ubi Apostolos ab inani ambitione deterrere voluit. Nullum enim efficacius contra ambitionem remedium, quàm si Dominus doceat, per crucem & afflictiones regnum Dei obtineri debere. Nihil ergo hic est, pro absoluta illa ad gloriam electione.

Ad alteram instantiam. IV. Sed aliò modo instant. Posse nimirum ex hypothetica comminatione non magis concludi, justum quemvis à justitia sua posse deficere; quàm ex opposita hypothetica promissione concludi possit, quemvis impium ab impietate sua se convertere posse. Non autem id posse omnes impios, præsertim excæcatos & in reprobam mentem à Deo traditos. Resp. Ostium gratiæ ita in hoc seculo occludi, ut quibusdam peccatoribus, dum adhuc in vita hac conservantur, & monitiones ac comminationes divinæ ad eos instituuntur, omnis ad conversionem facultas sit adempta, nullâ solida ratione adstrui potest. Convenientius multò est gratiæ ac longanimitati divinæ, ut, dum Deus vitæ filum nondum abrumpit, nec omnem conversionis facultatem nec veniæ spem præcidat. Saltem, dum admonitionibus, promissionibus ac comminationibus adhuc circa eos utitur, penitus gratiæ ostium occlusisse dici non posse videtur. Quòd si forte aliquem eximiè peccatorem sine ulla veniæ spe à se rejicit, nec illis gratiæ suæ actibus circa eum amplius occupari videtur. Ita credunt docti quidam viri, in potestate Judæ fuisse, dum adhuc à Domino moneretur, & antequam Satan in ipsum ingrederetur, à concepto proditionis scelere desistere: postquam verò Satan in ipsum ingressus est, planè etiam à Deo fuisse desertum. Sed nec legimus post Satanæ ingressum ullam à Domino Jesu monitionem circa Judam esse adhibitam. 2. Non necesse est, ut peccatores post acceptam gratiam obstinati & pervicaces se convertere possint: sufficit ut omnes, quibus gratia offertur sub vitæ conditione, potentiam se convertendi habeant. Excipiunt. Eodem modo non necesse esse, ut omnes justi possint deficere: sufficere, illos tantum deficere posse, quorum justitia non est satis radicata. Resp. 1. Talium justitia non est ipsis vera justitia, nec promissionem vitæ habet: si ergo soli illi deficere possint, nulli justi deficere possunt. 2. Ex nostra responsione aliud nihil inferri potest, nisi, sicut sufficit ut omnes, quibus gratia offertur sub vitæ conditione, potentiam se convertendi habeant; ita etiam sufficere, ut illi, ad quos comminatio mortis instituitur si deficiant, etiam deficiendi potentiam habeant, eaque potentia in ipsis duret, quamdiu tales ad ipsos comminationes diriguntur: quod concedimus. Sed exinde jam ita porrò inferimus: Cùm eæ comminationes non tantum ad justos, quorum justitia non est satis radicata, sed & ad omnes generatim, qualescunque sint, justos dirigantur, etiam omnes deficere posse. 3. Generales locutiones restringendæ non sunt, nisi Scriptura ipsa restrictionem faciat. Sic quando dicitur *homini constitutum esse semel mori*, *Hebr.* IX. 27. id manifestè intelligendum est, cum exceptione eorum, quos ultimus judicii dies vivos deprehendet, juxta 1 *Cor.* XV. 51. Si itaque agnoscant, apostatas & induratos alibi in Scriptura dici se

ſe non poſſe convertere; ratio manifeſta eſt, cur generalis hæc locutio ſit reſtringenda. At ejuſmodi declaratio, de quibuſdam juſtis, quod deficere nequeant, in Scriptura non occurrit: ſaltem ipſe ſtatus quæſtionis eſt de quo controvertitur.

Ad exceptionem ſecundam. V. Excipiunt ſecundò. Non loqui Prophetam de verè juſtis & in Chriſtum credentibus, ſed de illis, qui externam juſtitiæ ſpeciem habent. Reſp. Effugium illud eſſe inane. 1. Quia de juſto hoc dicitur, quod juſtitia ejus ſuper ipſum erit: quod de hypocrita, externam tantum juſtitiæ ſpeciem habente, dici nequit. Ajunt: Vitam promitti juſtis ex hypotheſi, illâ ſcilicet quâ protervi Judæi ſe & alios decipiebant, dum allegabant ſe juſtos eſſe ex ſententia Legis. Reſp. Eſto; inde evidenter ſequitur, ſermonem eſſe non de eo, qui externam tantum juſtitiæ ſpeciem habet, ſed & qui verè juſtus eſt. Aut ſi exceptionis hujus hic ſit ſenſus: quod Judæi ſupponerent ſe eſſe juſtos ex ſententia Legis, cùm tamen non niſi externâ ſpecie juſti, revera autem impii eſſent; & ex illa hypotheſi ipſis promitti vitam. Tum dico, quòd nuſquam Deus vitam promittit impiis qui ſe juſtos ſupponunt, ſed verè juſtis qui legem obſervant: obſervationi enim legis vitæ promiſſum additum eſt. Cùm ergo hîc vitæ promiſſum exſtet, etiam verè juſti intelliguntur, non autem qui tales externa tantum ſpecie apparent. Dicunt: Non intelligitur hypocritica illa juſtitia, quæ tantum fingitur; ſed quæ gradum aliquem habet obedientiæ (quamvis non ſolidæ) & habetur tam ab illis quibus adhæret, quàm ab aliis, pro juſtitia perfecta, & verbo Dei congruente. Reſp. At gradus ille obedientiæ tantus eſt, ut vitæ promiſſum habeat: quia, ſecundum ipſos, juſtis, ex juſtitiæ illius hypotheſi, promittitur vita. Ergo non tantum falsò creditur, verbo Dei congruere, ſed & verè illi congruit. 2. Juſtus hic opponitur improbo, hypocrita non; ſed ipſe verè improbus eſt. Excipiunt hypocritam rectè opponi improbo manifeſto. Reſp. Hoſce duos opponi quidem, ut diverſæ ſpeciëi improbos; ſed non ut in contrario ſtatu coram Deo, alterum quidem in ſtatu vitæ, alterum in ſtatu mortis. 3. Juſtus hic dicitur juſtitiam ſuam deſerere, nempe, propter quam eſſet victurus, & ſe ad injuſtitiam convertere; quod de hypocrita falſum, qui larvam tantum deponit: & juſto, qui gradum tantum obedientiæ, qui ſalutaris non ſit, habet, accommodari nequit; quia ille nunquam in ſtatu vitæ obtinendæ fuit.

Ad exceptionem tertiam. VI. Excipiunt tertiò: Hæc omnia legali modo proponi ab Ezechiële ad perverſas querimonias eorum retundendas, qui ſe immeritò & injuſtè, propter aliorum peccata, plecti clamabant. Sed quidnam ſibi in hac reſponſione præſidii quærant, non video. An mens eorum eſt, aſſerere, tempore Ezechiëlis gratiam Euangelicam, qua homines ad vitam æternam immutabiliter ſint electi, & per fidem ac regenerationem certò ac inevitabiliter perducuntur, non habuiſſe locum, ac proinde nec Ezechiëlis verba iſti gratiæ poſſe applicari? Non id conſiſtere poteſt cum ipſorum doctrina, quâ docent, jam ab initio mundi & omnibus ætatibus Deum habuiſſe ſuos electos; gratiamque Dei convertentem, & in regeneratione ad finem uſque conſervantem, eos inevitabiliter ad ſalutem perduxiſſe. An verò volunt, Ezechielem oſtendere, quid poſſit fieri, ſiquidem Deus hominem ſub rigido Legis fœdere, gratia Euangelica planè deſtitutum, relinquat: non verò id ſub gratia Euangelica fieri poſſe? Ita colligi videtur ex ratione, quâ quidam exceptionem hanc fulcire conantur: quia *Jerem.* XXXI. 29, 30. eadem doctrina proponitur; ſed ſtatim *verſ.* 31. *& ſeqq.* Euangelicis promiſſionibus ita temperatur, quaſi cavere voluerit Spiritus Sanctus ne quod nos ex Ezechiëlis verbis colligimus, quiſquam inde colligere poſſet: & licet hæc Fœderis Novi ratio, *cap.* XVIII. Ezechiëlis taceatur, tamen alibi apud eum inculcari, *cap.* XI. 19. XVI. 60. XXXVI. 26. Reſp. 1. Juxta exceptionem hanc Deus non comminaretur quod comminatur. Senſus enim exceptionis hujus eſt, juxta ipſorum explicationem: Unumquemque juxta fœdus operum propter peccata ſua moriturum; ſed Deum declarare, ſe cum fidelibus acturum ſecundum ſœdus gratiæ, cujus promiſſum ſingulare eſt, quod fœderati à Deo non recedent. Deus ergo juſtis ſi deficiant comminans mortem, tantum enuntiaret, ſecundum ſœdus operum eos poſſe quidem deficere, & ſiquidem deficiant, eos fore reos mortis; ſed quia ſecundum fœdus gratiæ cum ipſis agere decrevit, eos nec deficere, nec mori poſſe, quod eſt affirmationem Dei in negationem convertere. 2. Nullum eſt in textu indicium, Deum hoc legali modo loqui, homineſque conſiderare ut omni gratia deſtitutos. Non enim Deus omni gratiâ homines unquam deſtitutos voluit: ſed jam ſtatim à lapſu gratiam homini fecit; ſed eam diverſimodè diſpenſavit; etiam ſub Lege indicia quædam gratiæ fuere, ſed obſcurius quàm in Euangelio diſpenſatæ, uti antea, cum de Lege Moſis ageremus, fuſius oſtendimus. Deum etiam hic à Legis rigore recedere, & gratiæ quandam moderationem adhibere, arguit promiſſum, quo impio reſipiſcenti vitam pollicetur: quod non rigidæ legis, ſed gratiæ eſt.

VII. Secundus locus eſt *Matth.* XIII. 20, 21. *Quod in terram petroſam ſeminatum eſt,* 21. *1. Ex Matth. XIII. 20, 21.*

est, hic est, qui sermonem illum audit, & statim cum gaudio illum accepit; non habet autem in se radicem; sed temporarius est: orta vero afflictione, aut persecutione propter sermonem illum statim offenditur. Quibus in verbis manifestè docetur, non tantum posse fideles à sua fide deficere, sed & non rarò contingere, ut aliqui actu ipso deficiant.

Occurritur exceptioni. VIII. Excipiunt: Non de verè credentibus loqui Dominum, sed de hypocritis, non qui fidem se habere simulant, qua se destitutos norunt; sed qui præ se ferunt quod non sunt aut habent, quamvis putent se illud esse aut habere, & habent etiam gradum aliquem dispositionis eò tendentem; hoc est, qui fidem tantum temporariam habent, non veram. Resp. 1. Non est nova fidei species, quæ temporaria sit, quæque essentiâ suâ à fide permanente, tanquam opposita species, distinguatur. Scripturæ ignota est fides temporaria: sed homines dicuntur temporarii, quia ad tempus credunt, & se tempori accommodant. 2. Perseverantia non est de essentia fidei, sed ejus consequens: Fides est vera, etiam in qua homo non perseverat; sicut herba in terra petrosa exorta vera est herba, licet æstu solis exarescat. Alioquin nemo fidelis dici posset ante mortem. Respondent: Licet non sit de natura ullius fidei, per se consideratæ, deficere; esse tamen de natura fidei illius quæ adhæret cordi petricoso, prout concretè spectatur in tali subjecto, deficere in hora tentationis. Resp. 1. Dominum Jesum nusquam hic nominare cor petricosum. Similitudines pro arbitrio nostro extendendæ non sunt præter mentem Domini. Voluit Dominus similitudine hac illustrare eventum diversum, quem verbum Euangelii in diversis hominibus producit; non autem, corda hominum, quibus verbum inseritur, per omnia esse similia terris quibus semen injicitur. Aliàs & mihi concludere liceret, terra, quæ fructus profert, fuit bona antequam semen in eam conjectum fuit; ergo & hominibus fuit cor bonum, antequam verbum Euangelii reciperent. Quam tamen similitudinis applicationem non admittent. 2. Esse de natura fidei illius, prout concretè in tali subjecto spectatur, deficere in hora tentationis, gratis dicitur. Non enim fides hæc specie distincta est à fide illorum, qui fructus ferunt; sed gradu. Quanquam itaque fides non satis radicata adversus persecutiones subsistere nequeat; potest tamen in eodem illo subjecto virtute verbi ac gratiæ divinæ magis magisque corroborari, ut persecutionibus non concutiatur. Altè enim, & non satis radicatum esse, non sunt distinctæ species, sed tantum distincti gradus.

Occurritur alteri exceptioni. IX. Dices. Attamen qui in terra petrosa seminati sunt, distinguuntur ab illis qui in terra bona sunt seminati. Resp. Non respectu fidei, sed respectu mercedis, solis perseverantibus promissæ. Dices. Imò distinguuntur respectu, tum causæ, quod non habent terram profundam: tum fructuum, quos ferunt. Resp. Causa illa, uti vidimus, non facit diversitatem speciei, sed tantum gradus. Fructum non ferre, non dicuntur quamdiu credunt; sed non in tolerantia, quia tempore persecutionis deficiunt: dicuntur enim sermonem Euangelii accipere, & quidem cum gaudio. Tum &, licet opera fidei sint fructus, tamen æternæ vitæ præmium illustrissimus ac genuinus fidei fructus est, adeò ut fides, quæ, licet maximè egregia produxerit pietatis opera, propter perseverantiæ defectum vitæ æternæ fructu destituta est, jure optimo infructuosa vocetur, quia fructum, ad quem destinata est, non produxit. Excipiunt. Deëst istis cor bonum & honestum; licet itaque centum alia verè fidelibus communia ipsis adessent, quamdiu cor hoc de illis degatur, nunquam arguerent fidem justificantem. Resp. Cor bonum illis defuisse Servator non dicit, sed, quòd sermonem Euangelii, perinde atque illi qui terræ bonæ comparentur, in corde bono non recondunt & observant; hoc est, fundamenta, quibus fides innitantur, ac vitæ æternæ certitudinem, non satis considerent, ut ita fides ipsorum contra persecutiones immota stare possit. Cor autem bonum in ipsis arguit ipsa fidei, & quidem periculosissimo illo persecutionum tempore, receptio ac professio: non enim verisimile est, quemquam illo tempore ad eredendum Euangelio permotum, nisi desiderio salutis. Objiciunt: Si omnes, qui cum tali desiderio assentiuntur verbo, sint verè fideles, inde sequi, neminem desiderium salutis retinentem posse fide & gratia excidere. Resp. Inepta est consequentia: solummodò sequitur, neminem, quamdiu cum tali desiderio verbo assentitur, fide, ac proinde gratia, excidere: sed quoniam desiderium illud inefficax esse potest etiam dum generare istud inefficax desiderium in eo est, fidem amittere & gratiâ excidere potest. Tandem, si non sit hæc vera ac salutaris fides, cur reprehenduntur, quod tempore persecutionis deficiant à fide sua? cùm, etsi perseverarent, ea neutiquam ipsis salutaris esse possit: sed nihilominus, perinde ac si defecissent, æternum ipsis pereundum foret.

X. Tertius locus est *Hebr.* VI. 4, 5, 6, 7, 8. *Nam fieri non potest, ut qui semel fuerunt illuminati, gustaveruntque donum illud cœleste, & participes facti fuerunt Spiritus Sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, prolabantur, denuò renoventur ad resipiscentiam; ut qui rursum sibi crucifigant Filium Dei, & ignominiæ exponant.* &c. Cui geminus est eâdem epistolâ, *Cap.* X. 26. 27. 28, 29. *3. Ex Hebr. VI. 4. 5. 6. 7. 8. & X. 26, 27, 28, 29.*

28, 29. Hiſce duobus locis monentur fideles, ne ad priſtinam vitæ profanitatem relabantur, hoc adhibito argumento, quòd impoſſibile ſit, ſi relabantur, ut ad reſipiſcentiam & priorem gratiæ ſtatum renoventur: quod fruſtra foret, ſi regenitus ac fidelis deficere non poſſit. Et cum divus Scriptor admodum patheticè & graviter argumentum hoc exaggeret, tantum non in terminis ſententiæ noſtræ veritatem aſſerere credendus eſt.

Exceptio, quod non agatur de vere fidelibus, refellitur. XI. Excipere ad hæc loca ſolent; Non agi in illis de verè fidelibus & piis, ſed de iis, qui gradum tantum aliquem habent diſpoſitionum tendentium ad fidem ac pietatem ſalutiferam. Sed verò contrarium conſtat, tum ex deſcriptione, quâ Apoſtolus illos deſcribit; tum ex aliis textuum horum circumſtantiis. Antequam ſingula deſcriptionis membra conſideremus, primo conſiderare oportet, eoſdem, qui hìc de non regenitis agi volunt, aſſerere, Apoſtolum *Rom.* VII. nobis deſcribere ſtatum hominis regeniti. At ſi utriuſque ſtatus, tum qui *Rom.* VII. tum qui hìc deſcribitur, collatio inſtituatur, comperiemus multò illuſtriora hic contineri, quàm illic.

Quid vocantur illuminati. XII. Primò enim dicuntur *illuminati*, quod verè fidelium epitheton eſt: *Hebr.* x. 32. 2 *Cor.* IV. 6. Sola quidem illuminatio, nudè & in ſe ſpectata, non ſufficit ad regenerationem; ſed Scriptura, quando elogium hoc hominibus attribuit, intelligit illuminationem cum effectu: eodem modo, *quo vocati* ſignificant fideles, in quibus vocatio effectum ſuum eſt ſortita: 1 *Cor.* I. 23. Unde & in loco parallelo, *Cap.* x. 26. qui hic vocantur *illuminati*, dicuntur *accepiſſe cognitionem veritatis*. Nec ullus profertur locus, in quo hoc epitheton aliis quàm verè fidelibus attribuatur.

Sanctificati ſanguine fœderis. XIII. Secundò. Dicuntur *ſanctificati ſanguine fœderis*; id eſt, adſperſione ſanguinis fœderis ſeparati ab omnibus fœdus hoc ſanguinemque reſpuentibus; ac proinde ſanguinis illius virtute ab inquinamentis mundi purgati: in eum namque finem ſanguinem ſuum fudit Chriſtus, *ut nos redimeret ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem ſtudioſum bonorum operum*, *Tit.* II. 14. Vide & *Hebr.* IX. 13, 14. Excipiunt; Sacramentaliter & viſibili ſpecie à mundo fuiſſe ſeparatos, quaſi à Chriſto ſint redemti. Sed verò, quid eſt effugia quærere, ſi hoc non eſt? quid enim eſt ſacramentaliter & viſibili ſpecie à mundo eſſe ſeparatum, aliud quàm membrum eſſe eccleſiæ viſibilis? An quis, juxta Scripturæ ſtylum, unquam vocatur ſanctificatus ſanguine fœderis, qui fœdere non comprehenditur, qui à ſanctificatione ſanguinis fœderalis antecedente Dei decreto eſt excluſus, ob nudam & externam cum Eccleſia viſibili communionem? Proferant vel unum locum. Sed verò quibus conſtitutum eſt θέσιν διαφυλάττειν ſubinde ad anguſtias redacti malunt frivolis exceptiunculis, ne videantur nihil dixiſſe, quam ingenuè manus dare veritati.

Guſtaſſe donum illud cœleſte. XIV. Tertiò. *Guſtaſſe donum illud cœleſte.* Excipiunt, *guſtare* eſſe tantum levem perceptionem & delibationem rei; ad regenerationem autem requiri edendi & bibendi, nec non concoquendi & digerendi actum. Reſp. Scriptura, quando *guſtandi* voce utitur, ſignificat omne id quod in edendi ac bibendi actu conſiderari poteſt, adeoque intimam ac ſolidam rei communionem. Sic *Luc.* XIV. 24. dicit Dominus, *quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* 1 *Pet.* II. 3. *Siquidem guſtaſtis quòd bonus ſit Dominus.* Excipiunt: *Guſtare* hìc deſignare initialem tantum actum infantium modò genitorum. Reſp. Nequaquam: Sed quia guſtarunt quòd Deus ſit bonus, ideo hortatur eos Apoſtolus, ut eodem ardore quo recens nati infantes lac maternum concupiſcere ſolent, concupiſcant verbum Dei, ut per illud magis magiſque in Chriſto creſcant. 2. Loquitur Petrus Apoſtolus de regenitis, *Cap.* I. 23. atqui ſtatum illum dicuntur hìc obtinuiſſe, quoniam *guſtarunt quod Dominus ſit bonus:* ergo guſtatio hæc eſt actus quo ſunt regeniti, ac proinde intimam ac ſolidam communionem deſignans. *Pſal.* XXXIV. 9. *Guſtate & videte bonum eſſe Jehovam.* Sic & *guſtare mortem*, *Matth.* XVI. 28. *Hebr.* II. 9. Vide & *Act.* X. 10. XX. 11. Præterea: vox hæc adducitur ad exaggerationem criminis deficientium, quòd deficiant poſtquam donum illud cœleſte guſtarunt. Atqui nulla exaggerationis ratio in eo foret, ſi leviter tantum illud deguſtaſſent, nec ſuavitatem ejus percepiſſent.

Participes facti Spiritus Sancti. XV. Quartò: Dicuntur *Participes facti Spiritus Sancti.* Atqui, ſecundum ipſos, nondum regeniti Spiritus Sancti participes non ſunt. Excipiunt: Participes facti ſunt Spiritus Sancti inchoativè, quoad illuminationem & diſpoſitiones tendentes ad fidem & pietatem ſalutiferam. Reſp. 1. Non poteſt hoc conſiſtere cum ipſorum principiis: quia regeneratio ſecundum ipſos eſt habitus infuſus, qui eſt actus momentaneus, qui ſucceſſivè non perficitur. Nec etiam homines, qui prolabi poſſunt ad apoſtaſiam, ipſis unquam fuere aut futuri ſunt regeniti; non ergo in ipſis ſunt diſpoſitiones ad ſolidam fidem ac pietatem tendentes: quia licet quammaximè ab ipſis excitarentur, nunquam tamen ad ſolidam fidem pervenire poſſent. Participes autem vocantur Spiritus Sancti, vel ob regenerationem per Spiritum Sanctum; vel quia Spiritu Sancto fuere obſignati: quod nullis niſi verè regenitis ac fidelibus contingit.

XVI.

Gustasse bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi.

XVI. Quintò. Tandem dicuntur *gustasse bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi.* *Bonum Dei verbum* significare videtur æterni præmii promissum, quod in verbo exstat. *Virtutes futuri seculi* vel videntur esse bona futuræ vitæ: vel pax conscientiæ, quæ gaudium, futuræ vitæ gaudio simile, & ad illam ducens, producit. Illa dicuntur *gustasse*: id est, virtutem eorum ac dulcedinem percepisse. *Gustare* enim non levem & superficiariam, sed plenam ac solidam perceptionem significare, jam ostendimus. Quid itaque his hominibus quod ad veram fidem ac pietatem requiritur deest?

Occurritur exceptioni.

XVII. Ajunt: Negari habuisse aures paratas mysteriis Christianæ Religionis audiendis, animos solidi cibi capaces, sensus exercitatos ad discretionem boni & mali, *Cap.* v. 11, 12, 13, 14. Nec protulisse fructus bonos Euangelio dignos. *Cap.* vi. 8. *Resp.* Dicuntur, postquam crediderunt, non eos quos oportebat in cognitione mysteriorum Religionis Christianæ & pietatis fecisse progressus: nec tribolos & spinas protulisse dicuntur; sed ostendit Apostolus, in quem statum sint prolapsuri, siquidem non eandem quam ab initio diligentiam adhibeant; ut ita metu periculi illius exterritis torpor ille spiritualis ipsis excutiatur. Quia expressè addit *vers.* 9. *se, licet ita loquatur, meliora de ipsis sperare, ac saluti viciniora.* Non ergo in ipsis erant dispositiones quædam ad fidem solidam tendentes, sed potius à fide solida ad defectionem tendentes. Adscribit quippe ipsis, quæ verè fidelium sunt: nempe opus & dilectionem, cujus Deus absque injustitia oblivisci non possit, *vers.* 10. Requirit solummodò, ut eandem, quam scilicet in initio, ostendant sollicitudinem, affirmatque quod expletionem seu πληροφορίας fidei ad finem usque, imò vitæ promissionem sint consecuturi; *vers.* 11, 12. Quod de aliis quàm verè fidelibus affirmari nequit. Excipiunt, Apostolum directè agere cum illis, qui vix noverant elementa initii eloquiorum Dei: sic tamen admonitionem suam voluisse temperare, ut omnes fideles excitaret ad curam perseverantiæ. Hinc descriptionem fidelium adhibet, quæ omnibus quidem Ecclesiæ membris tum temporis ferè conveniebat; sed alio modo iis qui gradum aliquem fecerant ad solidam fidem, alio iis qui in solida fide erant radicati. *Resp.* Hæc omnia nituntur non verbis Apostoli, sed præconceptâ opinione. Nullum enim illius diversitatis in Apostoli verbis est indicium: quin imo de iisdem illis, quibus denegantur sensus exercitati ad discretionem boni & mali, Apostolus non interruptâ oratione affirmat, quod, si eandem, quam ab initio adhibeant diligentiam, πληροφορίας fidei ad finem usque sint consecuturi. Tum *Cap.* x. 32. *&c.* ipsis attribuit, quod pro nomine Christi passi sint, imò *cum gaudio rapinam bonorum suorum susceperint, quia noverant meliorem se habere substantiam, manentem in cœlis.* Monetque *ne abjiciant confidentiam, quæ magnam habet remunerationem.* Non autem abjicere possunt, quod non habent. Sed & non rejiciendum; quòd agnoscant, hanc, quam Apostolus adhibet, esse descriptionem fidelium: quod unicum nos contra ipsos urgemus. Tandem, generalis illa Apostoli admonitio ita temperata, ut omnes fideles excitet ad curam perseverantiæ, manifestum est indicium, Apostolum credidisse de singulis, fieri posse, nisi curam illam adhibeant, ut deficiant, & damnationem graviorem sibi accersant: aliàs comminatio illa hypothetica ineptè circa omnes adhibita foret.

Idem evincitur ex circumstantiis textus.

XVIII. Sed & aliæ textus circumstantiæ idem evincunt. Quia si non sint verè fideles, nec unquam in statu salutis fuerunt: Unde ergo excident? Ajunt: Ex statu in quo sunt, & ab eo quod appropinquant esse. Sed verò, cum omnes irregeniti sint mortui in peccatis, & adeo ad bonum spirituale inhabiles, juxta ipsos, quàm mortui ad actiones vitales, quomodo dicuntur appropinquare, aut habere dispositiones appropinquantes fidei salutari? Mortuus enim nullas habet nec habere potest dispositiones appropinquantes vitæ. 2. Licet ad statum illum priorem renoventur, nihilominus salute destituentur; quia status ille prior non fuit status salutis. Quæ autem ratio, quòd non possent renovari per pœnitentiam ad statum qui non est salutaris? Et quid in eo momenti, si non possent renovari ad pœnitentiam, quæ ipsis salutaris esse non posset? 3. Nulla ratio justa est, cur prolapsi ab illo statu, tam graviter, atque Apostolus hic comminatur, sint puniendi; cùm gratiam salutarem, & per quam stare possint, nunquam habuerint. Tandem, non possunt rectè dici denuò renovari, qui renovati nunquam fuerunt, sed dispositionem tantum ad renovationem habuerunt.

XIX. Cùm ergo constet, de verè fidelibus ac regenitis hic sermonem esse, etiam sequitur eos à fide ac pietate sua deficere, & in statum priorem unde conversi fuerant, & in æternam condemnationem, incidere posse. Non enim de levibus, in quæ incidere poterant, peccatis, loquitur Apostolus; sed de iis, per quæ Filium Dei sibi denuò crucifigunt, & ob quæ comparantur terræ quæ spinas ac tribolos profert, quæ proxima est maledictioni, cujus consummatio in combustionem. In quæ ipsos incidere posse, arguit sollicita illa periculi & judicii divini exaggeratio, & seria Apostoli monitio quam illi superstruit.

4 Ex 2 Pet. II. 18, 19, &c.

XX. Quartus locus est 2 *Pet.* II. 18, 19, 20, 21, 22. *Nam prætumidam vanitatem loquendo,*

quendo, inescant eos per carnis cupiditates lascivas, qui verè effugerant eos, qui in errore versantur: Libertatem eis pollicendo, cum ipsi servi sint corruptelæ; siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus. Nam si, postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi effugerint, his rursum implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore. Satius enim fuisset eis, non cognovisse viam justitiæ, quam cognita illa regredi à sancto mandato sibi tradito. Sed accidit eis, quod vero proverbio dici solet; Canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni. Ut ex verbis hisce argumentum pro sententia nostra exstruatur magno ingenii acumine opus non est: ipsa quippe sententia nostra tantum non in terminis ab Apostolo enuniatur & asseritur.

Ex descriptione liquet, de vere fidelibus sermonem esse.

XXI. Ad hæc verba eadem excipiunt, quæ ad priora, nempe, non loqui Apostolum de verè fidelibus & regenitis, sed de iis, qui nunquam solidam fidem habuerunt. Sed exceptio hæc solidè diluitur descriptione horum hominum, quâ Apostolus utitur. Dicuntur enim *verè effugisse eos qui in errore versantur*: Atqui hoc non est eorum qui nunquam solidam fidem habuerunt. Imò, ajunt; quia ingressi sunt veram viam talia prorsus exuendi: quamvis ad illam perfectionem non pervenerint. Sed vitam tantum ingredi, quæ ducit ad exuendum peccata, non est peccata exuere. 2. Dicuntur *rursus inescari*: At qui semper irretiti fuerunt, rursus inescari dici nequeunt. Ajunt: A plerisque erroribus & inquinamentis mundi ad tempus fuerunt liberati. Resp. Mortui fuere in peccatis: itaque sub peccati dominio, à quo non nisi per regenerationem vindicari potuerunt. Quomodo ergo liberi ab inquinamentis mundi? 3. Dicuntur non tantum habuisse *agnitionem Servatoris Jesu Christi* sed & per eam *inquinamenta mundi effugisse*. Ergo non nudâ tantum ac sterili cognitione Domini fuere prædi; sed approbativa & practica, quæ *Joan.* XVII. 3. vita æterna appellatur. Excipiunt, *vers.* 14. eos, qui per falsos doctores decipiuntur, vocari *instabiles*. Resp. Non quia hoc est de essentia ipsorum fidei, ut sit instabilis; sed vel quia in illis ingenii quædam levitas est, quales facillimè decipiuntur; vel quia non satis sunt cauti, nec animum adversus impostorum technas præmuniunt. Vocantur ergo instabiles ab eventu. 4. Quæ causa, si deficiant, deterioris conditionis? non enim, si solidam fidem nunquam habuerunt, per defectionem suam sunt deteriores, quam simpliciter increduli Euangelio ipsis prædicato.

Alia id confirmatur ratione.

XXII. Tandem conclusionis loco addimus; præposteram esse Theologiam, docere; eos, qui semel crediderunt, in adulterium, homicidium, aliaque enormia peccata prolapsos, semper, etiam dum ista peccata committunt & in illis perseverant, verè fideles manere Deique filios; eos verò, qui verè effugerunt eos qui in errore versantur, quique per agnitionem Jesu Christi inquinamenta mundi effugerunt, etiam quamdiu in illo statu sunt, verè fidelium numero excludere. Dicunt, hoc non esse magis absurdum, quàm dicere hominem graviter vulneratum manere vivum; quamvis alius non ita vulneribus fœdatus, & vivus apparens, sit verè mortuus, non vivus. Sed verò hæc exceptio docet, credere eos sermonem esse de spiritualiter mortuis: At quæ in mortuo dispositio ad vitam? uti antea etiam objecimus. 2. Qui verè effugit eos, qui in errore versantur, non tantum apparet spiritualiter vivus, sed & edit actiones vitæ spiritualis. Est ergo quam maximè absurdum, dicere hominem lethaliter vulneratum manere vivum; alterum autem non vulneratum, aut vulneribus non ita fœdatum, & vitæ actiones edentem, vita destitutum. Quamvis enim lethaliter vulneratur nondum sit mortuus, est tamen morti proximus, nisi dextrè curetur. Alter autem vitâ fruitur.

CAPUT LXXXII.

Idem confirmatur exemplis ex Scriptura depromptis.

Exempla fidelium qui in gravia peccata inciderunt.

I. SEcundum pro sententia nostra argumentum desumimus ab exemplis sanctorum & verè fidelium virorum, qui in peccata gravia & conscientiam vastantia incidisse, quin & quidam penitus à fide defecisse, in Scriptura narrantur. Exinde enim, quod quidam à fide ac sanctitate defecerint, manifestissimè concluditur, deficere posse.

1. Davidis.

II. Verè fideles & regenitos in gravia peccata & conscientiam vastantia, deditâ operâ & deliberato consilio non ex infirmitate commissa, incidisse, & in iis aliquamdiu absque ullo resipiscentiæ motu perseverasse, probamus primò exemplo Davidis: quem verè regenitum & fidelem fuisse nemo est qui inficias eat. Incidit autem ille in adulterium & homicidium, non ex infirmitate, sed ex malitia & deliberato consilio, & in illo peccato aliquamdiu absque ullo resipiscentiæ motu perseveravit. Ad hoc exemplum varia excipiunt.

Responsio ad objectionem primam quod dedita opera non peccans.

III. Ac primò quidem: *Deditâ operâ peccare* dici propriè illum, qui dedit & addicit semetipsum in servitutem peccati, ita ut nullo modo studeat pietati: hoc non consistere cum fide & justitia vera: sed & datâ operâ peccare, qui qualicunque studio & consi-

consilio facit opus peccati. Hoc aliquando in fidelibus & justis ad tempus inveniri. Resp. Accipimus responsionem, quòd fideles qualicunque studio & consilio faciunt opus peccati. Inde enim in sequentibus ostendemus, eos sensim eò usque posse deficere, ut totos semet in servitutem peccato dent. Sed ajunt. 2. Non peccant deliberatione consilii perfectâ, omnibus rationibus distinctè perpensis & libratis; sed imperfectâ & perturbatâ. Resp. Si per perfectam consilii deliberationem intelligant ejusmodi deliberationem, quæ non tantum peccati circumstantias considerat, sed & dum peccatum decernit & committit actu cogitat de comminationibus divinis, omnipræsentiâ Dei, aliisque rationibus, quibus homo à peccato avocari possit; dico nec hoc in irregenitis locum habere; nisi forte in reprobam mentem traditis, qui omne ferè honesti ac turpis discrimen exstinxerunt. Aliàs in hominem non cadit, dum de Dei præsentia & pœna divina cogitat, peccare: quia unusquisque amat ut sibi bene sit.

Peccatum Davidis perfecta deliberatione consilii esse commissum.

IV. Si verò intelligant illam deliberationem, quâ homo non subitò abripitur æstu cupiditatis, sed deliberandi spatium habet, quin & facti sui circumstantias novit; quæ omnia sufficiunt ut peccatum deliberato consilio fiat, & verè voluntarium sit; dico Davidis peccatum deliberatione consilii, non imperfectâ & perturbatâ, sed perfectâ commissum esse. Cùm enim, oculis in Bethsabes pulchritudinem conjectis, inhonesto erga ipsam cupiditatis æstu flagraret, quærit, quæ esset illa mulier. Cumque responsum tulisset, esse uxorem Uriæ Hethitæ; statim cognovit, concubitum suum cum illâ fore adulterium. Nihilominus adulterium cum ea commisit. Aliquot elapsis diebus mulier Davidi nuntiari curat, se esse gravidam. Hic David, facti sui circumstantiis bene perpensis, deliberat, non quâ ratione coram Deo illius pœnitentiam sit editurus, sed adulterium suum hominibus occultaturus. Præcipit ergo Joabo ut ad se mittat Uriam, ut cùm ille cum uxore concubuisset, credi posset ex mariti concubitu uxorem concepisse. Verùm fidus ille regis servus ante portam domus regiæ dormivit. Hac cum non successisset viâ, aliâ eum aggressus est David. Vocat Uriam ad convivium, lautè excipit, & inebriat; ut ita cibo ac vino satiatus domum se conferat, & cum uxore concumbat. Sed nec copia cibi ac potus fidelem hunc regis servum à sedula officii sui præstatione dimovere potuit: etiam hac nocte ante regis portam dormivit. Quare ut scelus suum tegeret, aliud magis horrendum animo concepit: præcepit Joabo, ut urbem Ammonitarum oppugnari curet, Uriam ponat, ubi sciebat viros esse fortes, & in prælio eum derelinquat, ut occidatur; ipsumque Uriam literarum harum voluit esse latorem, tegens sub animo amico hostilem & truculentum. Occiso Uriâ David acquiescit & sibi eventum illum gratulatur. Quid ulterius requiri potest, ut peccatum deliberato consilio factum dici possit?

Ad secundum: Quod non peccent ex malitia mera.

V. Excipiunt. 2. Fideles non peccare ex malitia mera, aut ex odio boni; sed ex malitia generis cujusdam mixti, ita ut simul peccent ex malitia & ex infirmitate. Resp. Sed nec irregeniti ordinariè peccant ex malitia mera; hoc non nisi in pessimis locum habet. Dices. Peccant tamen irregeniti ex odio boni; quia dicuntur hostes Dei. *Rom.* v. 10. *Coloss.* I. 21. Resp. Vocantur inimici Dei, non quia in ipsis est directum odium boni; sed quia idem faciunt ac si directè bonum odissent, dicuntur interpretativè bonum odisse. Cum itaque fideles eadem committunt opera etiam interpretativè bonum odisse dici debent. Dices. Malitia illa ad tempus prævalet, non ex absentia, sed infirmitate contrariæ bonitatis. Resp. Ubi tam matura est peccati deliberatio, qualem ostendimus in Davide fuisse, reveraibi non est tantum infirmitas, sed & absentia bonitatis. Utrum malitia illa ad tempus tantum prævaleat, an verò in perpetuum, nihil refert; cum hic tantum peccati quod committitur naturam consideremus, utrum ex malitia procedat. Infirmitas conspicitur in peccatis, ad quæ homo subitò, vehementiâ quâdam cupiditatis & gravi tentatione abripitur, ut deliberandi spatium non habeat, sed antequam omnes facti sui circumstantias expendere possit, jam peccatum commisit: ejusque signum minime fallax est, prompta post facti considerationem resipiscentia. Sed nec hæc prompta in Davide fuit. Excipiunt; Actualis & peccato admisso condigna pœnitentia non adfuit: habuit tamen David in sese virtualem ejus dispositionem. Resp. 1. Etiam irregeniti, quando verbo divino quod vivum est & efficax, & regenerationis semen, 1 *Pet.* 1. 23. vocantur, habent virtualem sese convertendi dispositionem: non tamen omnes se convertunt. Sufficit nobis impræsentiarum ingenua hæc confessio, quòd actualis pœnitentia non adfuerit. Imo verò hæc in peccato continuatio ostendit carnem in Davide dominium habuisse.

Ad tertiam; Quod non peccent plenâ voluntate.

VI. Excipiunt 3. Verè fideles peccata non committere plenâ voluntate, nec in iis esse dominium carnis plenum, completum, perfectum, quale est in infidelibus, sed tantum ad tempus aliquod; & peccata ab ipsis committi cum renisu quodam spiritus. Resp. 1 Non est necesse ut dominium sit perfectum, & in summo gradu consummatum, antequam quis salvifica fide destitutus dici possit: sufficit dominium esse ejus modi-

modi, ut caro prævaleat spiritui. Varii sunt peccatorum gradus: non autem omnes, qui intra extremum malitiæ gradum consistunt, salutis erunt hæredes. Non enim sufficit ad salutem pessimum non esse; requiritur ut simus boni, omnisque animi malitia absit. II. Certum est peccata istiusmodi plenâ voluntate committi; non enim duplex & contraria voluntas, circa eundem actum, tum cum perpetratur, locum habere potest. Respondent, non esse duos voluntatis actus completos; sed unum esse completum, alterum incompletum. Fidelis volens peccat, quia ex prævalentia carnis semetipsum projicit in peccati abyssum, ut cupiditates suas explere possit: interim inefficacem voluntatem habet cupiditatibus illis renitentem, & gratiæ partibus faventem. Resp. 1. Inefficax voluntas non est voluntas absolutè, sed secundum quid, & nuda velleitas. Voluntas completa sola est voluntas, & actum determinat. Inde sequitur 2. Si voluntas peccandi sit completa, cupiditatibus autem carnis renitens incompleta & inefficax, ergo caro fortior est spiritu. Excipiunt. Carnem non esse simpliciter & absolute fortiorem spiritu; sed in illo actu tantum fortius aut vehementius agere. Sed quis non miretur tam misera effugia? Quid enim aliud est, carnem in homine fortiorem esse spiritu, nisi quod caro fortius aut vehementius hominem impellat ad agendum, quàm spiritus, homo magis se abripi patiatur illecebris carnis, quàm duci dictamine spiritus? Apage tam inepta effugia. III. Renisus conscientiæ etiam est in non credentibus. Respondent; Renisum conscientiæ in non credentibus esse tantum ex contrario judicio intellectus; sed renisum spiritus in fidelibus esse etiam ex contraria inclinatione voluntatis. Resp. Renisus in non credentibus contrariò judicio intellectus, etiam voluntatem afficit: non potest enim contrarium intellectus judicium, quin aliquatenus afficiat voluntatem; aliàs nullus esset renisus. Non ergo in eo quærendum discrimen, quòd renisus in non credentibus sit tantum intellectus, in credentibus, voluntatis; sed in utrisque est renisus voluntatis, verum inefficax; discrimen solummodò est in eo, quod in non credentibus renisus ille producatur à sana ratione; in credentibus à Spiritu, & verbo Evangeliis ipsis revelato, & fide recepto. IV. Tantum abest, ut renisus ille peccatum extenuet, aut faciat ut non fiat pleno consensu; ut potius illud aggravet, & ostendat quàm vehemens sit voluntatis consensus in peccatum. Renisus enim ille non facit, ut consensus sit aliquo modo minus plenus; sed ut sit directus & completus, utpote cum ne renisus Spiritus illum impedire potuerit. Si autem dicatur, Spiritum actu, etiam dum peccatum fit, reniti, gravitatem peccati auget; utpote signum evidens, carnis concupiscentiam etiam actuali renisui spiritus prævalere. Tandem, renisus à Spiritu productus peccatum reddit gravius, quàm à luce rationis productus. Cùm enim Spiritus operatio fortior sit quam rationis, manifestum est, peccatum quod renisum à fortiore principio productum superat, gravius esse eo, quod à minus forti principio renisum oppositum exstinguit. Peccati enim quantitas potissimum æstimatur ex corde & animo unde proficiscitur. Hine etiam est, quòd Deus peccata contra revelatam suam voluntatem commissa gravius puniat, quàm naturæ legi solummodò adversa: juxta *Luc.* XII. 47, 48.

Exinde concluditur, totaliter posse deficere. Ratio prima.

VII. Cum ergo clarè satis probatum est ex Davidis exemplo, fideles in gravia & enormia peccata deliberato consilio incidere posse, in iisque aliquamdiu absque ulla pœnitentia perseverare: inde jam porro concludimus, posse fideles totaliter à fide deficere, & salute excludi. 1. Quia ejusmodi peccata sunt opera carnis, & qui ea deditâ operâ committunt, secundum carnem ambulant, tales autem dicuntur regni Dei non futuri hæredes, *Gal.* v. 21. Excipiunt; Apostolum tantum dicere, viam carnis esse viam perditionis; sed non peremtoriè affirmare, omnes & singulos, qui opus aliquod carnis patrant, statim destitui omni fide & justitiâ verâ. Resp. 1. Nec nos affirmamus, unius peccati commissione statim omnes fidei actus, præsertim assensum ac notitiam, exstingui. Diximus ejusmodi peccatis actum fidei consequentem, obedientiam seu sanctitatem, perimi, assensu licet aliquali adhuc permanente: sed nisi peccatoris sequatur pœnitentia, illum etiam sensim minui, ac tandem penitus evanescere. Negari interim non potest, ejusmodi actus tendere ac destructionem habitus justitiæ; qui, si aliquoties iterentur, degenerabunt in habitum peccati, & justitiæ habitum abolebunt.

Secunda.

VIII. Secundò. Quia qui adhæresit scorto, dicitur tollere membrum Christi, & facere membrum scorti, 1 *Cor.* VI. 15, 16. At quid est tollere membrum Christi, nisi, facere, ut non amplius sit membrum Christi? Nam, ut rectè Ambrosius ad hunc locum, *Membra adhærentia meretrici desinunt esse membra Christi.* Excipere duo hic solent. Primò: Tollere aliquid, non semper esse, facere ut non sit id quod antea fuit. Qui jussi sunt à Domino tollere lectos suos, non faciebant ut amplius non essent lecti. Resp. Quid est in re seria nugari; & in summis angustiis effugia quærere, si hoc non sit? Ambiguitas vocis *tollendi*, quæ pro rebus quibus applicatur varias admittit significationes, unicum hic effugium

est.

est. Quæro an aliquis membrum Christi, quod spiritualem hominis cum Christo conjunctionem significat, hoc sensu tollere dici possit? Sed omittamus has ineptias. Secundò excipiunt: Apostolum docere, quid sit quod ex scortatione sequatur secundum naturam rei, & quid fieri soleat in iis qui à scortatione non desistunt: sed non statuit limites gratiæ & misericordiæ Dei, quasi per ipsam non possit aliquamdiu continuari conjunctio vel unio illius cum Christo, qui scorto sese adjunxit. Resp. 1. Docet Apostolus, quid scortationem actu & immediatè sequatur; quod homo desinat esse membrum Christi: de scortatore namque dicit, quod unum fiat cum scorto. Quod non dicit, fieri solere tantummodò, quando quis à scortatione non desistit; sed ipso actu scortationis; idque confirmat verbis Dei matrimonium instituentis, *Erunt duo in carne una*. Si autem maneat unum cum Christo, sequetur ipsum simul esse unum cum Christo & cum scorto, hoc est, simul cum luce & tenebris, cum justitia & injustitia. Quod horrendum. Qui unum fit cum scorto, desinit esse unum cum uxore; uti rectè Beza concludit de Polygamia: *Quia scortator cum scorto fit una caro, desinit esse uxoris caro.* Multò magis desinit unum esse cum Christo. 2. Non statuit Apostolus limites infinitæ gratiæ divinæ, quid absolutè possit; sed declarat quid secundum Euangelii formulam, & gratiæ inibi revelatæ leges, fiat & futurum sit. Et licet gratia divina captum nostrum superet, non tamen ad actus ejusmodi extendenda est, qui cum sanctitate ejus conciliari nequeunt: qualis esset, si illum, qui se scorti membrum constituit, adhuc Christo unitum conservaret.

Tertia. IX. Tertiò. Si David illo tempore fidelis manserit, non fuit ei resipiscentia necessaria ad salutem. Sed verò fuit necessaria. Consequentia probatur: quia si mansit fidelis, fuit etiam dum peccaret in statu salutis. Non ergo necesse erat, ut per resipiscentiam restitueretur in statum, ex quo per peccatum non exciderat. Quæro, si David illo tempore mortuus fuisset, quis futurus fuisset ejus status? Si dicant, damnationis: Ergo fide fuit destitutus. Si dicant, salutis: Ergo ad salutem resipiscentia illi necessaria non fuit. Dicent fortasse: Non potuisse Davidem eo tempore mori, quia Deus decreverat ipsum per pœnitentiam ad salutem ducere. Egregia verò ad immortalitatem via, peccare & peccato indulgere. Stante siquidem isto decreto, David quamdiu in peccato perseverabat mori non potuit. Quid ergo, si David non resipuisset, an immortalis fuisset? Dices. Deus, qui ipsum per resipiscentiam salvare decreverat, etiam resipiscentiam in ipso operatus fuisset. Atqui sic omnia tandem resolvuntur in omnipotentem Dei operationem, & Davidis officium hic est nullum.

X. Quartò. Fides vera ac salutaris se ostendit per bona opera, teste Jacobo, *cap.* 11. 14, 17, 18. Atqui Davidis fides cum peccaret, bona opera non produxit. *Quarta.* Excipiunt. Fideles, quando graviter & enormiter peccant, desinere quidem esse justos, sed non planè, quoad principium justitiæ; verùm ex parte tantum, quoad congruentem operationem & conscientiam ejus. Idque illustrant similitudine arboris, cujus vita tempore hyemis non destruitur, licet bonitatem suam per fructus ostendere nequeat. Resp. 1. Si per justitiæ principium intelligant habitum quendam spiritualem, qui nullo modò exstingui possit, sed necessariò se rursus per bona opera est manifestaturus, assumunt quod in quæstione est. Fatentur namque per ejusmodi peccata conscientiam vastari, & gratiæ operationem sisti. Unde nos concludimus; si gratiæ operatio per peccati seductionem potest sisti in eo, in quo hactenus virtutis habitus perfectus fuit: multò facilius, habitu jam per crebros peccati actus & aliquam in eo perseverantiam debilitato, penitus potest exstingui. Est enim ab una parte peccati seductio vehementior; dum enim dulcedine sua homini blanditur, ipsum continuâ de ejus dulcedine meditatione occupatum & defixum detinet, ut cogitationes suas ad Dei verbum non reflectat: Ab altera parte rationis ac gratiæ resistentia minor: utpote cujus operationem peccatum commissum sistit. Similitudo ab arbore tempore hyemali desumta frivola est. Antea enim probari debuisset, regenerationem nunquam posse aboleri. Deinde; ea est natura arborum, ut ipsarum vita ejusmodi reciprocationes admittat: Fidei autem vita exstincta est, quamprimum bona opera non producit. Tum & arbor tempore hyemis, licet fructus non proferat, facile dignosci potest ab arbore quæ exaruit. Inter hanc verò fidem, cujus sensus & conscientia per enormia peccata non percipitur, & ejus omnimodam absentiam, nemo, ne ipse quidem homo discrimen agnoscet.

XI. Objiciunt: Quod tamen David Deum oraverit: unde manifestò appareat, eum non planè ac penitus fuisse à Spiritu & gratia Dei derelictum. *Occurritur objectioni.* Resp 1. Nec nos id urgere, quod planè ac penitus à gratia Dei sit derelictus; nec id requiritur, ut David à fide salutari defecisse dicatur. Non enim qui à fide deficit, statim in eundem statum relabitur, in quo erat ante fidem: sensim enim, ut vidimus, defectio totalis fit à fide. Sufficit eum constitui extra statum salutis, adeo, nisi resipiscat, salutem nunquam sit consecuturus. Hinc est, quod David,

qui Deum oravit, ut *spiritum rectum innovet in visceribus ipsius*, *Psal.* LI. 12. simul *vers.* 13. oret, ne *Spiritum suum Sanctum à se auferat*: id est, reliquias donorum spiritus, nondum penitus exstinctas, plene auferat. Licet etiam fidei habitus nondum plenè sit exstinctus, inde colligere non licet, hominem in statu adhuc salutis esse. Quia enim per peccati enormis voluntariam commissionem, & aliquam in eo perseverantiam, habitum sanctitatis infregit, & peccati habitum sibi comparare cœpit; non ex habitus decrescentis reliquiis, sed ex novi increscentis initiis & progressu judicandus est: ad illum enim se omni studio componit, & à virtute confert ad peccatum. 2. Oravit Deum David, sed non prius quàm Nathan ad ipsum venisset, ejusque increpatione ad resipiscentiam fuisset excitatus. Excipiunt: Non tum demum incepisse resipiscere; peccatum enim ipsi fuit antea remissum, 2 *Sam.* XII. 13. sed tum primum resipiscentiam suam cœpisse manifestare. Resp. Contrarium historia testatur. Erat quippe David adeo fascinatus seductione peccati, ut quamdiu Nathan per parobalam ipsum alloquebatur, peccatum suum ne agnoverit quidem, neque ad illius agnitionem perduci potuerit, nisi postquam Nathan expressè peccatum ejus reprehendisset, ipsumque parabolâ suâ designari addidisset. Nec dicit Nathan, peccatum ipsi antea jam fuisse remissum; illa enim promissio facta est Davidi post peccati confessionem & coram Deo humiliationem. Hinc rectè Vatablus verba Nathanis, *Non morieris*, explicans, addit, *Quia agnovisti te peccasse*. Ita fusè omnibus ipsorum exceptionibus circa hoc exemplum expensis & refutatis, sequentia exempla compendiosius sumus consideraturi.

2. Exemplum Salomonis. XII. Secundum itaque exemplum habemus in Davidis filio, Salomone, quem verè fidelem & regenitum fuisse nemo est qui neget: ille tamen non ex infirmitate, sed immoderato mulierum idololatrarum amore allectus, in idololatriam incidit; cùm tamen bis ei Deus apparuerit, & sapientiâ, omnium hominum sapientiam superante, donaverit.

Responsio ad exceptionem primam. XIII. Ad hoc exemplum quidam excipiunt: Quòd non omnes, qui quocunque modo & gradu polluunt se idololatriâ, statim excidant penitus omni verâ fide. Idque confirmare nituntur exemplo Aaronis, qui in Israëlitarum gratiam vitulum fecit, *Exod.* XXXII. & Corinthiorum, qui idolothytorum esu dæmoniorum se consortes reddebant: 1 *Cor.* VIII. & X. Resp. Nihil illa exceptio ad rem facit. Non enim nos contendimus, omnes, qui quocunque modo se idololatriâ polluunt, hoc est, quicquam faciunt, quo aliquid idololatriæ affine committunt, atque ita aliqualem cum idololatria communionem habent, statim salutari, nedum penitus omni verâ, fide excidere. Aaronis peccatum, quem Moses acriter objurgavit, excusare nolumus. Veruntamen nec ipse vitulum adorasse legitur, & tumultuantis populi vociferationibus videtur impulsus, ut vitulum conficeret: *Exod.* XXXII. 22, 23. Quod licet grave crimen sit; tamen quòd timore subito correptus vitulum conflaverit, etiam aliquatenus delicti gravitatem minuit. Corinthii nimiâ, quam sibi tribuebant, scientiâ inflati, quia sciebant idolum nihil esse, temerè in idoleis idolothyta edebant: ignari hunc actum esse illicitum, aut ullam cum idololatria communionem habere. At postquam ipsos Apostolus docuit, eos hoc suo actu participes esse mensæ dæmoniorum, non constat ipsos in eo perseverasse. Quam hæc communionem habent cum Salomone, qui non metu, sed immodico mulierum amore inductus, commisit actum, non quem ignorabat illicitum aut idololatricum; sed quem idololatriam esse à Deo vetitam, probè noverat? Sed, dicunt, non introduxit aut admisit idola in domum Dei, neque adegit populum, ut vel Dei veri cultum desererent, vel colerent idola. Resp. Quasi non sit idololatra, nisi qui idolum in templum Dei introducat, aut populum ad eandem impietatem cogat. Quam hæc sunt pudenda, & Doctore Reformato indigna! Addunt: probari non posse, eum in sua propria persona idola coluisse; sed tantum in gratiam mulierum suarum fana idolorum construxisse; so divinitatis aliquid idolis tribuit. Resp. 1. Scriptura expressis verbis dicit; cum Salomon jam esset senex, *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos*, 1 *Reg.* XI. 4. Nec ad crimen idololatriæ necessariò requiritur, ut quicquam divinitatis eis tribuatur; sufficit coram iis exhiberi istiusmodi actus & gestus externos, quales ab iis, qui divinitatem iis inesse credunt, exhiberi solent, aut soli Deo vero exhiberi jubentur. Qui enim illos coram idolis exhibent, ii fiduciam in illis ponere, & pro Diis habere à Deo censentur. Uti de idololatria differentes contra Pontificios probavimus.

XIV. Alii excipiunt, Deum Davidi promisisse, se non amoturum benignitatem suam à Salomone, quemadmodum amoverat à Saule, 2 *Sam.* VII. 15. indeque colligunt, Salomonem fidem salutarem penitus non amisisse. Resp. Manifestè loquitur Deus de benignitate, quæ Sauli cum Salomone communis fuit. Hæc autem vel fuit salutaris ac regenerans; atqui tum & Saul verè regenitus fuit, & Deus gratiam illam rursus à Saule amovit: Aut alterius generis: at tum nihil ad rem facit. Sed verò ipse *Aliæ ... tandem.*

Deus

Deus planius hujus promissi sensum explicat, nempe, se non à familia Davidis & Salomonis ablaturum regnum, prout abstulerat à familia Saulis, & transtulerat in Davidem, verbis immediatè sequentibus: *Sed firma erit domus tua, & regnum tuum in seculum erit coram te: solium tuum erit stabile usque in seculum.*

3. Hymenaei & Alexandri.

XV. Tertium exemplum est Hymenaei & Alexandri, 1 *Tim.* I. 19, 20. *Retine fidem & bonam conscientiam: quâ expulsâ nonnulli naufragium fidei fecerunt: ex quibus Hymenaeus & Alexander, quos ego tradidi Satanae.* Cui similis est locus 2 *Tim.* II. 17, 18. *Sermo eorum depascet ut gangraena; ex quibus est Hymenaeus & Philetus, qui circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes, resurrectionem jam esse factam, & subvertunt quorundam fidem.* Hic dicuntur Hymenaeus, Alexander & Philetus bonam conscientiam rejicere, fidei naufragium facere, aberrare à veritate, &c. Ergo totaliter à fide defecerunt.

Occurritur exceptioni, quod agatur de doctrina fidei professione.

XVI. Excipiunt: Per *fidem* hoc in loco non intelligi salutiferam fiduciam, sed tantum puram fidei doctrinam, ejusque professionem. Resp. 1. Negari non potest fidem quandoque fidei doctrinam, aut ejus professionem, significare. Negamus autem ullum reperiri in Scriptura locum, ubi fides, hominibus tributa, solitariam fidei professionem, à fide vera separatam, significet. Nec uspiam reperiemus illos, qui aliquos verâ fide destitutos vel noverant vel suspicabantur, ipsis fidem adscripsisse. 2. Licet alibi forte hoc sensu *fidei* vox occurrat, rationes tamen sunt plures, quae evincunt hoc in loco eo sensu accipi non posse. 1. Quia agitur de illa fide, quam Timotheus habebat. Excipiunt: fidem, quam isti homines profitebantur, fuisse quidem veram: sed ea solidè ac verè recepta est à Timotheo, superficialiter tantum ab Hymenaeo. Resp. Fides, quam profitebantur, est doctrina fidei: non autem hîc disputamus, an objectum fidei fuerit verum; sed an assensus, quo doctrina fuit recepta, fuerit verus. Hoc contendimus ex exemplo Timothei, cui fides non fucata tribuitur, 2 *Tim.* I. 5. Hîc autem admonetur ut fidem illam retineat, & à defectione deterreatur exemplo Hymenaei & Alexandri, qui circa fidem naufragium fecerunt. Quae ratio nullius momenti foret, nisi Apostolus Hymenaeo perinde ac Timotheo sinceram fidem, seu doctrinae fidei receptionem adscriberet. An aequè solida fuerit in Hymenaeo ac Timotheo, necesse non est definiri: sufficit in utroque veram fuisse. 2. Agitur de fide, ex qua charitas fluit, 1 *Tim.* I. 5. At illa non fluit nisi ex fide vera, seu doctrina fidei sincerâ fide receptâ. 3. De illa fide, in cujus retentione bonae militiae militatio consistit. At illa non est doctrina fidei, aut ejus professio tantum externa: quia illa impiis & hypocritis cum piis est communis. Excipiunt. In decertando pro fide, quae semel tradita est sanctis, *Judae vers.* 3. militatio bonae militiae magna ex parte consistit. Atqui fides haec semel sanctis tradita est fidei doctrina. Resp. Decertatio pro doctrina fidei, non est ipsa fidei doctrina. Decertatio illa non potest fieri, absque vera ac solida doctrinae illius receptione. Non mirum itaque in illa decertatione bonam militiam magna ex parte consistere; quia in se includit veram fidem, & pro doctrina fidei decertationem ex fide vera procedentem. 4. De illa fide agitur, ad quam retinendam seriò admodum Apostolus Timotheum hortatur, *Cap.* VI. 11, 12. 13. Excipiunt: Apostolus ubique seriò hortatur, ad sanam doctrinam fidei retinendam. Resp. At doctrina fidei non potest retineri absque fide: ad retentionem ergo doctrinae hortans, etiam ad constantiam in fide hortatur. 5. Tandem, agitur de illa fide, quae adjunctam habet conscientiam bonam. Haec autem alia non est, quàm quae verâ verbi divini cognitione est imbuta, & juxta eam vitam instituit; uti de conscientia differentes, fusius ostendimus. Et hoc sensu semper accipitur in Scriptura: 1 *Tim.* I. 5. *Hebr.* XIII. 18. 1 *Pet.* III. 16. & 21. Excipiunt: Fidei hujus professionem adjunctam semper debere habere bonam conscientiam; sed neque semper habere, nec in Hymanaeo habuisse, nisi apparenter, ac fortasse inchoativè. Resp. 1. Ostendimus jam, non de externa fidei professione, sed de ipsa fide, agi. 2. Assumitur quod in quaestione est, imò quòd verbis textus manifestè repugnat. Dicitur enim Hymenaeus bonam conscientiam expulisse: Atqui quod quis apparenter tantum habet, reverâ eo caret, ac proinde expellere non potest. Nisi dicere velis, apparentiam tantum conscientiae bonae esse expulsam. Atqui istud tam enorme peccatum non est, externam tantum bonae conscientiae apparentiam expellere. Nec ullum propterea damnum tales incurrere possunt. Non enim per externam bonae conscientiae apparentiam, aut fidei professionem, in statu salutis fuerunt: quid itaque damni patiuntur, externam apparentiam deserentes? Eodem in statu damnationis, in quo antea fuerunt, manent.

Respondetur alteri objectioni.

XVII. Excipiunt porrò; Apostolum *vers.* 5. ejusdem Cap. distinctionem facere inter fidem *non fictam*, & fidem illam quam solam innuit fuisse in Hymenaeo, & similibus. Resp. Nullum illius *vers.* 5. est vestigium: sed hoc in loco Apostolus Hymenaeo eandem quam Timotheo fidem & bonam conscientiam adscribit: & Timotheum monet exemplo Hymenaei & Alexandri, qui

qui

qui excussâ bonâ conscientiâ fidei naufragium fecerunt, ut fidem & bonam conscientiam retineat. Quod exemplum nullius momenti foret, nisi & Hymenæus & Alexander veram fidem ac bonam conscientiam habuissent, perinde ac Timotheus. Si enim eorum non fuisset vera fides, ejus naturæ fuit, ut juxta Contraremonstrantes necessariò deficere debuerit. At quàm egregia fuisset hæc admonitio? Tu Timothée, cujus fides deficere nequit, stude retinere fidem & bonam conscientiam: respiciens ad exemplum Hymenæi & Alexandri, qui conscientiam apparenter tantum bonam excusserunt, & naufragium fidei, quæ necessariò deficere debebat, fecerunt.

Et tertia. XVIII. Addunt, 2 *Tim.* II. 16. Apostolum dicere, hanc defectionem Hymenæi fuisse ad majorem impietatem, à minore, quam dealbatam habuerunt forma pietatis, virtute ejus abnegata, *Cap.* III. 5. Resp. 1. Dicit Apostolus in genere, cavenda esse profana vaniloquia; quia solent proficere ad majorem impietatem: raro enim consistunt ubi cœperunt; sed ubi quis semel à veritate deflectere cœpit, sensim ad graviores errores delabitur; gangrenæ instar, quæ continuò serpit: donec tandem planè deficiat. Non ergo dicit, Hymenæum semper fuisse impium; sed postquam à veritate deflectere cœpit, ipsum continuò in pejus profecisse. 2. Impietas formâ pietatis dealbata, virtute ejus abnegatâ, non est minor impietas, sed pessima: quod *Cap.* III. inspicienti clarè liquet.

4. Exemplum Demæ. XIX. Quartum exemplum est Demæ, 2 *Tim.* IV. 10. *Demas me reliquit, postquam dilexit præsens hoc seculum.* Demam autem fuisse verè fidelem, negari nequit; quia ad *Philem. vers* 24. numeratur inter coadjutores Pauli: & *Coloss.* IV. 14 Eorum autem *nomina* Paulus dicit esse *scripta in libro vitæ*, *Phil.* IV. 3. Hic autem legitur præsens hoc seculum dilexisse, & illius amore Paulum deseruisse. Atqui præsentis seculi, seu mundi dilectio, cum amore quo Deum diligimus consistere nequit; 1 *Joan.* II. 15. *Math.* VI. 24. ac proinde nec cum amore, quo nos diligit Deus: quia *qui amicus vult esse mundi, inimicus*, hoc est, exosus *fit Deo*, *Jacob.* IV. 4. Excipiunt; Demam non planè dilexisse mundum, sed plus dilexisse, quàm decebat Christianum, præsertim verò inter illos Euangelistam: id est, hujus vitæ commodorum amore ductus, Apostolum Paulum, quando non oportuit, reliquit ad tempus; & abiit Thessalonicam, sive ut rebus privatis illic vacaret, sive ut à periculo imminente posset abesse. Resp. 1. Quando Paulus dicit, Demam se reliquisse, sensus ejus non est, Demam se ad tempus à consortio ipsius subduxisse; sed deseruisse munus coadjutoris ipsius. Crescens namque & Titus similiter discedebant; verum quia illi discedebant ut munere suo fungerentur, non dicit Apostolus se ab illis relictum. 2. *Præsens hoc seculum amare* semper in Scriptura significat, amore hujus seculi captum negligere cœlestia; non autem, imminens aliquod periculum vitare, aut ad tempus rebus quibusdam domesticis vacare. Adeo ut hæc explicatio sit quæsita, & ad tuendam thesin, quæ hoc exemplo evertitur, excogitata: Demam namque indicat Apostolus & metu persecutionum, & amore commodorum hujus vitæ, munus suum deseruisse, & se studio mundano tradidisse. Interim mirari subit hominum horum Theologiam. Illi, quibus Scriptura bonam tribuit conscientiam, ipsis bonâ conscientiâ sunt destituti, & habent conscientiam tantum apparenter bonam: qui verò præsens hoc seculum dilexisse dicuntur, illi mundum non diligunt, sed eo tantum tempore quo non oportet solummodò mundum plus diligunt quàm decet Euangelistam. Quid est causæ fervire, si hoc non est? Ex omnibus hisce colligimus, aliquos à fide & sanctitate defecisse, quorum exempla in Scriptura commemorantur; ac proinde, verè fideles & regenitos à fide ac sanctitate deficere posse.

CAPUT LXXXIII.

Idem probatur Adhortationibus, Comminationibus ac Promissionibus Dei.

I. Tertium nostrum argumentum desumimus à variis Dei adhortationibus ad sollicitudinem & perseverantiam, comminationibus æterni exitii si deficiamus, & promissionibus vitæ æternæ si perseveremus, quæ passim occurrunt in Scriptura. Adhortationes exstant, 1 *Cor.* XVI. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes.* 2 *Cor.* VI. 1. *Nos cooperantes, hortamur, ne gratiam Dei frustra acceperitis.* *Hebr* III. 12, 13. *Cavete fratres ne unquam sit in quoquam vestrum cor malum infidelitatis ad deficiendum à Deo vivo: Sed exhortamini vos ipsos quotidie, quoad appellatur hodie, ne quis ex vobis induretur fraude peccati.* Vide & *Cap.* IV. 1. X. 35. & 1 *Pet.* I. 17. 2 *Pet.* III. 17. Comminationes, *Rom.* XI. 20, 21, 22. *Tu fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Vide & 2 *Paral.* XV. 2. 1 *Paral.* XXVIII. 9. 2 *Timoth.* II. 12. & nominatim *Apoc.* II. 4, 5. *Habeo contra te, quod primam illam caritatem deserueris. Memento igitur unde excideris, &* Adhortationes, comminationes & promissiones Dei.

resi-

resipisce, & priora opera facito: sin minus, veniam adversus te cito, & movebo candelabrum tuum è loco suo nisi resipueris. Promissiones; *Matth.* XXIV. 13. *Qui perseveraverit in finem usque, salvus erit. Rom.* II. 7 Iis *qui per patientiam boni operis gloriam honorem & immortalitatem quærunt, Deus vitam æternam* reddet. *Apoc.* II. 10. *Esto fidelis ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Vide & *vers.* 26. & *cap.* III. 21. Et alibi passim. Illæ autem omnes, tam adhortationes, quàm comminationes & promissiones, frustranæ forent, nisi fideles possent à fide & sanctitate sua deficere.

Ex iis probatur fidelem deficere posse.

II. Adhortationes ad sollicitudinem, ut cum timore ambulemus coram Deo, ut videamus ne in nobis sit cor malum infidelitatis ad deficiendum à Deo vivo: Comminationes, quòd simus excindendi si non permanserimus in bonitate; quòd Deus nos sit abnegaturus si nos ipsum abnegaverimus; quòd in perpetuum nos sit rejecturus, si eum dereliquerimus: Promissiones, quòd salvi erimus si perseveravimus ad finem usque, &c. omnes eò tendunt, ut nobis periculum salute excidendi nisi perseveremus proponant; & consideratione illius periculi sollicitos reddant ad vigilandum & cum timore officio nostro incumbendum, ne forte ad defectionem alliciamur, atque ita salute excidamus. Atqui ubi ex vi decreti divini, & providentiæ illi innixæ, certa est ac necessaria fidelium perseverantia, adeo ut Deus ipsos sit præservaturus, ne in gravia incidant peccata; aut licet in gravia peccata incidant, certi sint illa tantum respectu ipsorum esse infirmitates & lapsus, Deumque illis non obstantibus perseverantiam, & à lapsibus illis resipiscentiam, virtute gratiæ suæ omnipotentis in ipsis operaturum, atque ita infallibiliter in salutem introductorum; ibi nullum sanctitatis plenè amittendæ, nec à salute excidendi est periculum: ac proinde nulla sollicitudo, nullus timor, locum habere potest. Cùm autem hæc omnia nullum alium in finem à Deo instituta dici possint, nisi ut piam in fidelibus sollicitudinem excitent, fatendum est, siquidem fideles deficere non possint, hæc omnia frustranea esse & nullius utilitatis.

Occurritur exceptioni primæ.

III. Excipiunt hic primò; falsò ipsis à nobis objici, quod statuant omnes verè fideles indubitatâ fidei certitudine certos ac persuasos esse de sua perseverantia; & quòd persuasio illa in eo consistat, quòd non possint per ulla atrocissima scelera deficere. Verùm nihil ipsis affingi, quod non apertè doceant, facile est ostendere. Docent siquidem, verè fideles deficere non posse: docent, unumquemque fidelem de fide sua, ac proinde perseverantiâ & salute, certum esse: idque consentaneè. Si enim fidelis certus est, verè fidelem deficere non posse; se autem esse fidelem: utique necesse est, ut certus sit se deficere non posse. Cùm autem contingat fideles in varia & atrocia peccata nonnunquam incidere, quod Davidis exemplo probatur, iique propterea gratiâ divinâ non excidant, sed nihilominus in fide conserventur à Deo; certum est, fideles etiam esse persuasos, licet contingat ut gravissimè peccent, se per peccata illa plene deficere non posse. Non quòd omnis eorum persuasio in eo solo consistat; sed in horum alterutro; aut quòd ipsos Deus ab atrocibus peccatis immunes sit conservaturus; aut si id non faciat, quòd ne per atrocissima quidem peccata à fide plenè deficere possint. Quæ certè nullo colore ab ipsis negari possunt.

Et secunda. Adhortationes media esse nequeunt producendi perseverantiam necessariam. Ratio prima.

IV. Excipiunt secundò. Media non repugnare, sed subordinata esse fini, eaque non enervari, sed stabiliri, per certitudinem finis per illa consequendi. Respondeo. Adhortationes, comminationes & promissiones, media esse non posse perseverantiam ejusmodi certam ac necessariam efficiendi: quia media non debent continere quicquam repugnans illi cui efficiendo destinata sunt. At adhortationes (de hisce enim primò id probabimus) continent contrarium promissioni de certa ac necessaria perseverantia. Naturâ enim suâ serviunt ad periculum indicandum, & ex indicato periculo metum ingenerandum. At ejusmodi promissio de perseverantiâ tollit omne periculum, ac proinde & metum. Excipiunt. Adhortationes, in natura sua simpliciter & nudè consideratas, prout homo hominem hortatur ad hoc aut illud faciendum, ignarus planè eventûs futuri, quidem indicare periculum & ingenerare metum: non vero adhortationes divinas, quæ subordinantur prædefinitioni & præscientiæ divinæ. Sed verò hac exceptione nihil ad rem respondent. Dicunt solummodò, respectu illius, qui adhortatione utitur, discrimen aliquod esse, si omnia prædefiniverit, adhortationem ipsi non indicare periculum nec ingenerare metum contrarii eventus; sed id solummodò contingere, quando de futuro eventu incertus est. Atqui nos loquimur de adhortatione respectu illius, apud quem illa instituitur. Dicimus nempe hanc esse naturam adhortationis, ut illi, apud quem instituitur, periculum indicet ni adhortationi pareat, & indicato periculo metum incutiat; neque hæc ullo respectu mutari potest. At illa adhortationis natura pugnat cum ejusmodi perseverantiæ promissione: quia promissio illa omne periculum excludit. Excipiunt: Promissionem perseverantiæ non tollere periculum illud dimicationis adversus hostes exitiales, quod solum contrariatur adhortationi; quamvis tollat periculum casuale incerti eventus illam dimicationem consecuturi. Resp. Si sit

pro-

promissio necessariæ perseverantiæ, revera tollitur periculum dimicationis adversus hostes exitiales: stante quippe illâ promissione, certi sunt fideles, aut hostes spirituales contra ipsos non prævalituros, aut, licet prævaleant, Deum non permissurum ut ad finem usque prævaleant, nec etiam id nociturum ipsorum saluti. Quodnam ergo hic remanet dimicationis periculum? At si statuamus, fidelem gratiæ divinæ ope, si vigilet & fortiter dimicet, contra hostes exitiales prævaliturum; si verò gratiam Dei negligat, & pugnam omittat, succubiturum, & salute privandum; ab una parte incertus, & casualis eventus tollitur; & ab altera, periculum dimicationis manet, & exhortationi sua vis constat.

Ratio secunda. V. Secundò. Si adhortationes istæ sint media ad perseverandum, tum vel necessariam habent efficientiam aut copulam in ordine ad perseverantiam, vel non habent. Si non habent; tum nomine tenus tantum sunt media. Si prius statuatur, tum fidelis quà talis certus esse non potest se perseveraturum, nisi adhortationibus pareat: atqui tum de perseverantia sua certus esse nequit, quia suspenditur à conditione mutabili. Aut dicendum, fidelem perseveraturum in fide, sive pareat adhortationibus, sive non pareat. At tum non sunt media. Excipiunt. Connexio & copula, quæ est inter exhortationes istas & perseverantiam, non pendet ex natura exhortationum in sese consideratarum, sed ex intentione & dispensatione Dei: & sic manet illa fidelium certitudo, quâ sperant & credunt Deum effecturum ut in adhortationibus parendo perseverent. Resp. Sic tota perseverantiæ effectio Deo adscribitur. At quomodo tum adhortationes media sunt ad perseverandum? Ajunt: Quia Deus eam efficit per exhortationes, & cum illis. Resp. At ea est natura adhortationum, ut eum, circa quem adhibentur, excitent ad operandum & cum sollicitudine officio suo invigilandum. Si itaque is, qui adhortationes adhibet, ipse id efficere velit, ad quod alium adhortatur, reverâ adhortatio inutilis est, neque medium ad efficiendum illud, ad quod adhibetur. Nonne ridiculus forem, si quem in loco sublimi ferreis catenis vinxissem, adeo ut impossibile esset eum cadere, eum postea hortarer, ut omni ope allaboret pedem suum rectè figere, ne forte cadat? Dicetne quis, adhortationem meam medium fuisse, quâ ego effeci, ne vir ille cadat, an potius arctum illud vinculum, quo eum constrictum tenui? Idem ergo de adhortationibus Dei dicamus, siquidem fideles ejusmodi operatione divina in fide conserventur, ut deficere non possint. Attamen, inquiunt, ex ipsis quas Deus adhibet adhortationibus liquet, eos media esse quibus in fidelibus perseverantiam operatur. Resp. Ex ipsa adhortationum natura, quam jam satis indicavimus & vindicavimus, manifeste liquet, quoniam Deus adhortationibus utitur, eum istiusmodi potentia perseverantiam in fidelibus non operari, ut deficere nequeant; sed posse fidelem, non adhibitâ quam oportet diligentiâ & cautelâ, gratiam Dei in vanum accipere, & à fide deficere. Aliàs tota Dei actio circa fidelem mera histrionia est.

VI. In contrarium allegari solent verba Pauli, *Act.* XXVII. qui postquam *vers.* 22. dixerat, *Amissio nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis*; nihilominus, cùm nautæ è navi aufugere vellent, dixit militibus; *Nisi hi in navi manserint, vos salvi esse non potestis*, *vers.* 31. Sed antea, cùm de Prædestinatione egimus, ostendimus promissionem hanc, quæ absolutè quidem est prolata, tacitam in se habuisse inclusam conditionem, siquidem consilio Pauli morem gerant: quia expressè dicitur *vers.* 24. *κεχάρισαί σοι*, *gratificatus est* Deus tibi omnes, id est, in gratiam tuam Deus omnes est servaturus. Neque hoc insolens est Scriptoribus Sacris, absolutè quid efferre, cùm tamen conditio sit subaudienda, tam in comminationibus quàm promissionibus Dei. Hoc agnovit ipse Calvinus, *Comment. in Joel.* II. 13. *Deus sæpe conditionaliter nobis minatur, & quanquam conditio non exprimitur, subaudienda tamen est.* *Solvitur objectio ex Actor. XXVII. 31.*

VII. Præterea opponunt exemplum Apostolorum, ex quibus Christus certò scivit neminem periturum, præter solum filium perditionis, & tamen hortatur eos passim ad perseverantiam, rogatque Patrem ut eos velit custodire, *Joan.* XVII. 11. Atqui probandum ipsis erat, non, Dominum Jesum præscivisse ipsos non perituros: sed certò ipsis promisisse, se eos ita in fide conservaturum, ut perire non possent. Atqui hoc nusquam in Scriptura docetur. Credimus Apostolos donis eximiis supra reliquos fideles donatos, adeo ut non facile in defectionis periculum incidere potuerint: eos tamen nullo modo deficere potuisse, non permittunt verba Pauli, de se dicentis, I *Cor.* IX. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cùm aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar.* *Et ab exemplo Apostolorum.*

VIII. Idem probatur de comminationibus mortis æternæ: illæ enim frustraneæ sunt, si fideles deficere non possint. Frustraneum quippe est, quod ineptum est ad efficiendum id ad quod natura sua comparatum est. At comminationes mortis æternæ naturâ suâ comparatæ sunt ad ingenerandum mortis æternæ metum. At ubi ejusmodi promissio est de perseverantia, ibi mortis æternæ metus nullus esse potest. Ergo ubi talis est promissio de perseverantia, ibi comminationes mortis æternæ sunt frustraneæ. Est enim *Idem evincunt comminationes.*

enim ibi certa persuasio, Deum malum quod comminatur infligere nolle. Unde nec sapientia Dei permittit, ut, posita ejusmodi promissione, comminationibus, quas fideles norunt nunquam executioni mandandas, utatur. Excipiunt. In fidelibus, etiam de perseverantia sua persuasis, vigere horrorem & fugam mortis æternæ, ad quam merita ipsorum tendunt. Resp. At hoc nihil est ad rem respondere. 1. Non enim quærimus, an horreant mortem æternam, quam ut malum summum nemo non potest quin horreat? Sed, an metuant, aut metuere possint, Deum permissurum, ut unquam in illam incidere possint? 2. Non quæritur, ad quid ipsorum merita tendant; sed, utrum Deus ad merita illa respicere velit, & non potius omnia eorum delicta, in quæ permissione ejus incidunt, condonare, ut ita necessario salventur? Hoc cùm statuant, manifestum est, nullum æternæ mortis metum in ipsis excitari posse.

Sensus Apoc. II. 4, 5. IX. Et præ aliis notanda est illa comminatio contra Angelum Ecclesiæ Ephesinæ, *Apoc.* II. 4, 5. ubi non tantum habemus comminationem exitii: sed & exemplum defectionis gravis. Reprehenditur angelus ille, quòd *priorem suam charitatem reliquerit;* admonetur, ut *meminerit unde exciderit, ut resipiscat, & priora opera faciat.* Fuit ergo verè fidelis & regenitus, & in statu salutis; aliàs inutile fuisset eum monere ut priora opera, nihil ipsi, si vere fidelis non fuerit, profutura, faciat. Sed additur comminatio, nisi id faciat, Dominum ipsi citò venturum, & candelabrum ejus è loco suo moturum; id est, Ecclesiam desertum, neque amplius pro Ecclesia agniturum. Ergo erat eo in statu, in quo si perseveraret, gratiâ divina & salute prorsus exclusus esset. Si autem in eo perseverare non posset, inutilis gravis illa ac seria comminatio fuisset, nec metum incutere, atque ita ad resipiscentiam excitare Angelum istum potuisset.

Et promissiones Dei. X. Ac tandem idem evincitur ex promissionibus Dei. Si enim fidelibus jam salus distinata est irrevocabiliter, antequam perseverent aut considerentur ut perseverantes in fide, & ex illo decreto illis perseverantia promissa; jam certi sunt de promisso bono tanquam suo, & de perseverantia futura; ac proinde illos argumentis, à boni illius promissione petitis, ad obedientiam moveri opus non est; imò nec moveri possunt; quia omne jus, quod per perseverantiam consequi possent, jam habent: non itaque præmii apud ipsos rationem habere potest. Atqui in eo omnis promissionis vis sita est. Quomodo enim tanquam præmium perseverantiæ promittetur vita æterna, quæ jam ante perseverantiam fidelibus irrevocabiliter destinata est? Sanè ad quod quis jam ante jus habet, illud ut præstandæ operæ præmium ipsi promitti, ipseque eo ad officium præstandum induci non potest.

XI. Huic argumento alterum adhæret: Quod per hanc doctrinam exstinguatur sollicita illa cura, passim fidelibus præscripta ad resistendum diabolo; *Eph.* VI. 12. 1 *Pet.* v. 8. & alibi passim. Certi quippe sunt, omnes Satanæ astus, fraudes ac machinamenta, contra se esse irrita, neque per ea se seduci posse ut in gravia incidant peccata; aut si in ea incidant, illa saluti suæ non obfutura, nec se in iis posse mori; sed Deum in se resipiscentiam irresistibili potentiâ operaturum ante mortem. Atqui sic loco sollicitæ istius curæ introducitur securitas carnalis, quâ homo mediis in peccatis de futura salute securus est. Excipiunt: Non magis per suam sententiam exstingui in fidelibus sollicitam illam curam, quam in Davide, per immotam promissionem successionis in regno Israelis exstincta est sollicita diligentia, quâ eum Spiritus Sanctus contra astus Saulis armavit. Resp. Davidi absoluta successionis promissio facta non est. Scriptura quippe passim testatur, Deum, offensum inobedientiâ Saulis, in electione Davidis ad regnum respexisse ad ipsius probitatem: 1 *Sam.* XV. 28. XIII. 14. ejusque preces in variis angustiis exaudivisse, *Psal.* LXVI. 18, 19, 20. sicut & regnum in familia ejus non nisi cum respectu ad Davidis pietatem conservavit, 1 *Reg.* XI. 12, 13, 34. XV. 4, 5. & alibi. Facta ergo est Davidi promissio, siquidem Deum timeret, seque in omnibus prudenter gereret, Deum ex omnibus periculis ipsum erepturum & ad promissam regni successionem perducturum: eodem modo atque fidelibus promissio facta est, siquidem vigilent, & adversus hostes spirituales fortiter pugnent, Deum gratiæ suæ auxilio semper ipsis præsto fore, ut victores sint, & promissam regni cœlestis hæreditatem consequantur. At quid hoc commune habet cum absoluta illa perseverantiæ promissione, quæ, ut vidimus, omnem vigilantiam & sollicitudinem exstinguit?

Doctrina de necessaria perseverantia securitatem arnalem introducit.

CAPUT LXXXIV.

Responsio ad Objectiones, quæ pro absoluta fidelium Perseverantia adferri solent

I. Restat nunc ut objectiones præcipuas, quæ in contrarium fieri solent, paucis expendamur.

II. Primò magnum nobis objiciunt catalogum textuum Scripturæ, in quibus promittit Deus se cum fidelibus *pacturum fœdus perpetuum*, *Jerem.* XXXII. 39, 40. Quod *benignitas* Dei sit futura *perpetua*, similiaque, *Esa.* LIV. 10. LIX. 21. *Hos.* II. 19. *Psal.* *Objectio prima; & ad illam generalis responsio.*

Psal. cxxv. 1. *Joan.* IV. 14. v. 24. VI. 35, 37, 39, 44, 56, 57 X. 27, 29. Quod *portæ inferorum adversus Ecclesiam non sint prævalituræ*, *Matth.* XVI. 18. Verum unicâ generali responsione ad omnia ista loca dicimus, illis non promitti fideles semper & in æternum in fide ac sanctimonia perseveraturos; sed, quam diu in officio suo ac fide perseverant, fœdus Dei ab ipsis non recessurum; quin imò, bona, fœdere Dei promissa, in æternum ab ipsis non auferenda. Quod ut evidentius pateat, duo aut tria præcipua loca specialius expendemus.

Sensus Jerem. XXXII. 39, 40. III. Nullam de absoluta perseverantia promissionem contineri *Jerem* XXXII. 39, 40. vel exinde constat, quod promissio fiat toti populo Israëlitico & quidem implenda demum post populi è captivitate Babylonica reductionem. Atqui omnes in populo illo non fuere electi: & gratia, qua fideles perseverant, juxta ipsos, non est specialis postremis illis temporibus; sed omni tempore obtinuit. Atqui, quomodo bonum, quod jam fideles habent, illis tanquam futurum promitti potest?

Occurritur exceptioni. IV. Excipiunt: Factam hanc promissionem toti populo Israëlis, quoad carnem & statum externum, sed typicè: factam autem electis vel vocandis secundum veritatem. *Resp.* Sic non tollitur difficultas: quia enim est promissio de futuro bono, sequitur nullos tum temporis, in quibus promissio hæc secundum veritatem implenda foret, exstitisse, ac proinde nullos tum in populo fuisse verè electos ac salvandos: aut, jam ante promissionem impletum fuisse, quod hîc ut demum implendum promittitur. 2. Illa promissio quoad statum populi externum non fuit separata à statu populi interno ac spirituali: sed beneficia corporalia populo illi facta etiam serviebant, ut in omnibus reverentia Dei & timor excitaretur. Quibuscunque ergo promissio secundum statum externum fuit facta, illis etiam secundum veritatem, & non secundum typum tantum facta fuit. Deus siquidem hic Judæis, post liberationem è septuaginta annorum captivitate, promittit insignia, excellentia & extraordinaria dona ac beneficia, quæ populo illi conferre volebat, ut sui amorem in ipsis produceret ipsosque ad obedientiam excitaret. Quia autem beneficia hæc adeò excellentia & multa essent futura, ut animi admodum præfracti ac obstinati esset futurus, quisquis iis ad obedientiam non permoveretur, ac proinde verisimile vix esset quemquam adeò futurum perversum, ut beneficia illa videns ac percipiens Deo promptam non esset præstiturus obedientiam; ideo Deus dicitur ipse in illis obedientiam effecturus, iisque cor unum & novum ad sui reverentiam inditurus, donec populum illum non amplius pro populo esset habiturus. Unde liquet, impletionem externam hujus promissionis non esse separatim considerandam, quasi Deus beneficia quædam externa populo huic conferre voluerit separata à beneficiis spiritualibus. Dederat quippe illis legem; & quia eam violaverant, per beneficiorum horum ingentium collationem ad resipiscentiam & sincerum sui amorem excitare voluit.

Quando prophetia hæc impleta sit. V. Unde facile explicari potest, quando promissio hæc impleta sit. Cœpta scilicet est impleri à tempore reductionis populi è captivitate, & continuata est, usque ad tempora rejectionis ejusdem: toto enim illo tempore Deus populum in terra sancta variis affecit beneficiis, quibus ad obedientiam adduci posset; sed illustrissimè id fecit tempore Messiæ, populum variis beneficiis, miraculisque innumeris ac nunquam antea auditis ac visis, ad se alliciens. Quia autem illa tanta futura essent ac talia, quæ non tantum amorem efficere possunt, sed & solent, & efficiunt; hinc est, quòd Deus, qui beneficia hæc populo esset communicaturus, ipse amorem sui in populo effecturus dicitur, licet fieri posset ut eventum non sortiretur Deus, imò nec in multis sortitus sit. Phrasi eâdem, quâ Deus alibi quid efficere dicitur, quando omnia facit, quæ ad illud efficiendum à parte Dei requiruntur, licet per malitiam hominum contingere possit, quod eventus non sequatur: ut *Ezech.* XXIV. 13 XI. 19, 20, 21. *Ose.* VII. 1. *Joan.* I. 9. 1 *Tim.* IV. 10. & alibi. Adeo ut verba, *ut timeant me universis diebus*; &, *ut non recedant à me*: non significent eventum, sed finem tantùm Dei, ipsorum obedientiam per beneficia sua intendentis; qui tamen eventu carere potuit. Quo sensu particulæ hæ leguntur, *Deut.* IV. 14 *Gen.* III. 11. *Deut.* XVII. 19, 20 Vide & *vers.* 12, 13.

Sensus Matth. XVI. 18. VI. Verbis *Matth.* XVI. 18. non promittitur, quòd Ecclesia nunquam à fide deficere, atque ita Ecclesia esse desinere possit: sed quod mors contra Ecclesiam non sit prævalitura, seu quòd fideles in morte non detinebuntur, sed ex morte rursus in vitam æternam excitabuntur. Dicitur nempe, *portas inferorum non prævalituras contra Ecclesiam.* Horum veborum sensus ut rectè percipiatur, ante omnia sciendum, quid per *inferorum portas* Dominus intelligat. Quidam per *portas inferorum* intelligunt tentationes diaboli, quas ex inferorum portis egredi dicunt. Sed verò, *portæ inferorum* manifestè ab eo quod ex portis egreditur distinctæ sunt. 2. Nusquam phraseos hujus explicatio hæc in Scriptura occurit. Nam ᾅδης, & Hebræum שְׁאוֹל, & πύλαι ᾅδου, nunquam significant locum damnatorum; & si significarent, nondum tamen probatum esset, fraudes diaboli significare: gratis quippe fingitur, diabolum

lum in inferno principatum obtinere; cùm infernus non sit locus regni, sed supplicii, in quo diabolus unà cum damnatis hominibus punietur: sed significat sepulchrum, seu statum mortis ac conditionem mortuorum in sepulchro: *Psal.* XVI. 10. *Actor* II. 27. *Esa.* XXVIII. 15. *Apoc.* XX. 13. & alibi. Πύλαι verò ᾅδου significant idem quod infernus ipse; perinde uti *portæ mortis* sunt mors ipsa, vel pericula morte ipsâ sæpe non minora, ut *Psal.* IX. 14. *Exaltas me de portis mortis.* CVII. 18. *Pervenerunt usque ad portas mortis.* Sic Esechias ait, *Esa.* XXXVIII. 10. *Vadam ad portas inferni.* Dicit ergo Dominus, mortem, seu sepulchrum, non prævaliturum contra Ecclesiam suam; hoc est, mortem non habituram vim perdendi fideles suos, ac impediendi quò minus æternâ secum gloriâ ac beatitudine fruantur; quia nimirum ipsos virtute suâ omnipotente ex morte in vitam immortalem sit resuscitaturus.

Sensus Joan. X. 27, 28, 29. VII. Idemque est verborum Domini sensus, *Joan.* X. 27, 28, 29. quòd *nemo oves suas è manu sua & Patris sui rapere possit.* Non enim mens Domini est, quòd qui oves ejus sunt, non possint propriâ culpâ desinere esse ipsius oves: sed quòd nemo, quamdiu oves ejus sunt & manent, eas de manu ipsius rapere possit, ac salutem earum per vim impedire: quia Pater, qui eas ipsi dedit, major omnibus est: ac proinde nulla vis, quantacunque sit, contra eum quicquam potest: imò licet oves ipsius occidantur, Pater tamen eas ex morte vindicabit, & salutis æternæ faciet participes.

Solutio objectionis secundæ, ex Matth. XXIV. 24. VIII. Secundò solent allegare verba Domini, *Matth.* XXIV. 24. *Excitabuntur pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant, si possibile, etiam ipsos electos.* Unde colligunt, impossibile esse electos seduci. Sed verò, nihil est in textu, cui consequentia ista superstrui possit. Non enim ea rectè infertur ex voce *electorum:* quippe jam ante ostendimus, & in sequentibus pluribus ostendemus, *electos* nunquam in Scriptura significare absolutè electos, sed fideles, in quibus vocatio seu electio Dei finem suum consecuta est. Nec etiam ex phrasi, *si possibile:* non enim ea semper significat absolutam impossibilitatem, sed sæpe, magnam rei difficultatem. Sic *Act.* XX. 16. dicitur Paulus festinare, ut *si possibile esset* diè pentecostes Hierosolymis esset. Si scivisset aut credidisset Apostolus, hoc sibi esse impossibile, non festinasset: sed quia festinabat, ut, si possibile esset, diè Pentecostes Hierosolymis esset, credidit impossibile non esse 2. Phrasis hæc significare potest, & hoc loco significat, si possibile est ipsis, sc. seductoribus: omnia nimirum consilia adhibebunt, omnes vires intendent, nec quicquam intentatum relinquent, ut seducant, si possint, ipsos electos. Hoc sensu phrasis hæc non tantum in communi loquendi usu sæpissimè usurpatur; sed & textus hujus circumstantiæ eum suadent: præsertim si cum verbis Matthæi verba Marci conferantur. Dicitur quippe pseudo-Christos signa & miracula facturos, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Marcus habet, πρὸς τὸ ἀποπλανᾷν, εἰ δυνατὸν καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Ubi vox activa, & phrasis πρὸς τὸ ἀποπλανᾷν, intentionem potius seductorum significat, quàm eventum. Unde & non incommodè colligi potest, verbum πλανῆσαι apud Matthæum, non passivæ sed etiam activæ significationis esse, ac proinde non seductionis eventum, sed conatum ac consilium seductorum denotare. Et hoc sensu phrasis hæc legitur, *Rom.* XII. 18. Idem etiam sensus est verborum, *Actor.* XX. 16. mox allegatorum, quibus, majoris evidentiæ causâ, additur, εἰ δυνατὸν αὐτῷ. Deinde, si phrasi hac omnimoda impossibilitas significetur, tota prædictionis & hortationis Jesu Christi necessitas & efficacia erit sublata: quia, qui electis persuasum vult, fieri non posse ut per ulla media, qualiacunque sint, seducantur; ille electos absque ullâ necessitate monet, ut sibi caveant ne seducantur: frustra enim homo cavere studet quod fieri nequit: ac proinde omnem hortationis suæ vim enervaret. Tandem, hoc ipso capite directè contrarium à Domino Jesu non semel affirmatum est: *vers.* 4, 5. *Videte ne quis vos seducat: multi enim venient sub nomine meo, dicentes, ego sum Christus ille, multosque seducent.* Et *vers.* 12. *Cum multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Ubi refrigeratio charitatis opponitur perseverantiæ ad finem usque, cui promittitur salus: talis ergo est refrigeratio, quæ salutis adeptionem impedit.

IX. Urgent præterea: Quod qui à fide, quam aliquamdiu professi sunt, deficiunt, nunquam verè fideles fuerunt. Inde colligunt, eos, qui verè fideles sunt, nunquam deficere. Antecedens argumenti hujus probare contendunt ex 1 *Joan.* II. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti fierent, quia non erant omnes ex nobis.* Resp. Nihil ex hoc loco concludi posse, nisi præsupponant, phrasin, *ex nobis esse*, significare, verè fidelem esse: *ex nobis non fuisse*, nunquam fuisse fidelem: *egredi ex nobis*, deserere cœtum Apostolorum, & Ecclesiam Jesu Christi: *permanere nobiscum*, permanere in fide, sicut Apostoli in fide permanebant. Atqui hæc non tantum incerta sunt, sed & variis argumentis refutantur. 1. Dicendum enim tum foret, Apostolum vel ex speciali reve- *Tertia, ex 1 Joan.* II. 19.

latione divinâ intellexisse, quod illi, qui hic discessisse dicuntur, nunquam fuerint verè fideles. Atqui hoc nemo probabit, neque ullo modo credibile est. Vel id collegisse ex discessione externa. At tum sequetur, eos, qui semel verè Christiani sunt facti, semper professione tales manere, neque sese posse separare, ne ad tempus quidem, à cœtu fidelium cui se adjunxerunt. At hoc falsum est, vel ipsis Contraremonstrantibus judicibus, qui concedunt verè fideles per varias causas adduci posse ut Christum abnegent, & Religionem Christianam profiteri nolint, absque fidei salutaris naufragio. Porrò, si fideles prolabi possunt in profanam vitam, & in ea aliquamdiu perseverare; cur non prolabi possent in externam fidei desertionem? quod reverà minus est. 2. Non dicitur, quòd nunquam fuerint fideles, aut quod si aliquando fideles fuissent, nunquam ab ipsis discessuri fuissent: sed tantum, quòd hi qui egressi dicuntur, & aliquamdiu cum Apostolis vixerunt, sincero animo inter eos versati non fuerint: quia si sincerè inter ipsos versati fuissent, nunquam ab ipsis discessissent, eò quòd nulla justa discedendi causa ab Apostolis data ipsis foret: sed Deum voluisse per ipsorum discessionem hypocrisin & improbitatem ipsorum detegere; prout constat ex verbis sequentibus, *ut patefierent non esse omnes ex nobis*. Dices. Exinde videri sequi, eum, qui verè fidelis est, semper manere talem; alioqui Apostoli argumentum non procederet. Resp. Nequaquam: sed tantum, fidelem, quamdiu fidelis est & manet, non deserturum cœtum ac societatem fidelium: quod si vero quidam mutata mente à fide deficiant, eos, antequam fidelium cœtum deserant, jam aliquamdiu animo non sincero in eorum societate vivere, donec discedendi occasionem nacti eam arripiant, animique sui improbitatem actu externo prodant. 3. Tandem; omnes illæ seriæ admonitiones, quibus Joannes fideles hortatur, ut sibi à seductoribus hisce caveant, frustraneæ forent, si ipsos eodem instanti docuisset, verè fideles à fide abduci non posse, & quotquot abducuntur à fidei professione, eos nunquam fuisse verè fideles.

Quarta, ex Rom. VIII. 35, 37, 38, 39. X. Tandem argumentum desumunt ex locis quibusdam Scripturæ, in quibus doceri putant, verè fideles ita à peccati jugo liberatos, ut ei amplius operam dare non possint, hostesque suos spirituales ita debellasse, ut ab illis amplius non superentur. Primò quidem pugnant verbis Apostoli Pauli, *Rom.* VIII. 35, 37, 38, 39. *Quis separabit nos à charitate Christi? Num afflictio?* &c. *Imò in his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam*, &c. *neque ullam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*. Resp. Locus hic docet solummodò, nulla adversa, imò ne mortem ipsam, fidelium salutem posse impedire. Loquitur enim Apostolus de charitate Dei, non quâ nos Deum diligimus, sed quâ Deus nos diligit. Id evincitur, 1. ex eo, quia voce *nos* jam supponit dilectionem nostram quâ Deum seu Christum diligimus; uti apparet ex *vers.* 28. 2. *vers.* 37. expressè dicitur, nos amplius quàm victores esse, *per eum qui dilexit nos*. 3. Amor, quo nos Deum complectimur, nunquam vocatur *charitas Dei quæ est in Christo Domino nostro*. Tandem ex toto contextu liquet, Apostolum hoc unicum fidelibus velle inculcare, quòd nulla adversa, quantumvis gravia, imò nec mors ipsa, fideles, qui in fide ac pietate constanter perseverant, & afflictionibus non succumbunt, possint à charitate Dei separare, ac eorum salutem impedire: quoniam Deus, conspecta eorum fide ac charitate, eos summoperè diligit, ex omnibus miseriis eruet, quin ex morte ipsa suscitabit, & vitâ æternâ donaturus est.

XI. Objiciunt: Apostolum etiam docere, quòd adversa illa, & quæcunque machinamenta diabolus adhibere potest, verum fidelem eousque in tentationem & peccatum inductura non sint, ut ejus vi à charitate Dei penitus separetur: dicit enim *vers.* 37. *In his omnibus amplius quam victores sumus per eum qui dilexit nos*. Resp. Verba hæc non significant, nunquam contingere aut contingere posse, ut is qui verè fidelis est aut fuit, adversorum gravitate fractus fidem abneget, atque ita à charitate Dei separetur; sed tantam esse Dei benignitatem, tam ingens vitæ æternæ præmium, quocum omnes vitæ hujus afflictiones nullo modo comparari possunt, ut fideles illius intuitu ac fide certa armati, non modò omnia adversa superare possint, sed & revera superent, atque ita in fide constantes æternam gloriam consequantur. *Occurritur exceptioni.* Quod adeò verum est, ut aliquando contingat fideles in mediis afflictionibus gaudere & exultare, Christoque hymnos canere, atque adeò, ut hîc dicitur, amplius quàm victores esse. Et hæc est causa, quòd Apostolus loquatur tantum de afflictionibus, non de peccatis: ea enim cum dilectione Dei, quæ verè fidelibus tribuitur, consistere non possunt, & hominem à Deo separant, *Esa.* LIX. 2. Objiciunt: Aliud non esse peccatum intelligendum, quàm quod cum fide consistere potest. Resp. Exinde sequi, quòd omnia peccata, ad quæ fideles per afflictiones aliasque Satanæ tentationes seducuntur, consistere possint cum fide. Cùm autem ad gravissima nonnunquam peccata

cata inducantur, ut adulterium, idololatriam, Christianæ religionis abnegationem, & similia, dicendum est, omnia illa peccata cum vera fide consistere posse. Quod antea ostendimus falsissimum esse.

Et ex 1 Joan. III. 9. XII. Idem adstruere conantur verbis Apostoli Joannis, 1 *Epist.* III. 9. *Quisquis ex Deo natus est, non facit peccatum, quoniam semen ejus manet in ipso; neque potest peccare, quia ex Deo natus est.* Resp. *Peccatum facere* propriè hic significat peccato operam dare, seu peccati consuetudine teneri, quo sensu communiter in hac epistola ab Apostolo accipitur; uti colligitur ex opposita phrasi, *justitiam facere*, quæ non significat, semel justum actum committere, sed crebrò ac ordinariè, seu justè agendi consuetudinem habere. Cùm autem Apostolus dicit, regenitum *non peccare*, nec *peccare posse*; sensus non est, quod fieri nequeat, ut regenitus, desertâ justè agendi consuetudine, sensim male agendi consuetudinem induat: contrarium enim experientia quotidiana evincit: sed, quod impiè agendi consuetudo cum regeneratione consistere nequeat. Usitatum siquidem est scriptoribus sacris, quandò subjectum qualitate aut habitu aliquo affectum describunt, & ab illo denominant, illud contrariæ qualitatis incapax dicere, quia qualitas illa, à qua subjectum denominatur, isti qualitati est contraria. Ita in communi sermone solemus dicere, hominem mansuetum non posse irasci, iracundum non posse placidè agere. Sic dicitur *animalis homo non posse percipere*, seu potius recipere, *ea quæ sunt spiritus Dei*, 1 *Cor.* II. 14. Quia quæ Spiritus Dei præscribit, directè adversantur vitæ animali. Ita hoc loco, *Qui ex Deo natus est, peccatum non facit, nec peccare potest*: quia nativitas ex Deo peccatorum consuetudini contraria est, nec cum ea consistere potest. Exinde autem non sequitur, etsi habitus ille cum contrario habitu consistere nequeat, quod desinere non possit in eo in quo est. Sic licet ego rectè dicam, aquam frigidam non posse calefacere; exinde rectè quis non concludat, aquam frigidam non posse calefieri: siquidem quotidie videmus aquam frigidam non tantum calofieri, sed & calefactam alia calefacere posse. Hoc autem rectè colligitur, habitum ejusmodi producere maximam animi ab actibus, & præsertim consuetudine illi contraria, aversionem, ac proinde difficulter ab illo ad contrariam consuetudinem transiri posse. Et hoc sensu phrasis *non posse* sæpè accipitur in Scriptura; quod vel unicus ille locus evincit, *Jerem.* XIII. 23. *Si potest Æthyops mutare cutem suam, & pardus maculas; vos etiam poteritis benefacere assueti male facere.* Consuetudo enim à contrario actu aversionem, ac proinde illius faciendi difficultatem introducit, non autem potentiam tollit. Videmus enim sensim per contrariæ consuetudinis introductionem priorem expelli. Hoc sensu phrasis hæc accipitur, *Matth.* XII. 34. *Joan.* VIII 43. & alibi. Sensus ergo verborum Apostoli est: Quod consuetudo peccati cum nativitate ex Deo consistere nequeat: ideoque in regenito summam à peccato esse aversionem, quæ faciat, ut difficile admodum ad pristinam peccati consuetudinem relabi possit.

XIII Sed ajunt quidam, quando regeniti dicuntur *non posse peccare*, sensus Apostoli est, quòd non possint peccare finaliter & ad mortem, id est, ita ut in peccatis moriantur. Resp Præterquam quòd hic pro concesso sumatur quod in quæstione est, quodque jam abundè refutavimus, nusquam *peccare* in Scriptura accipitur pro peccare ad mortem, seu finaliter: nec ullus poterit proferri textus, ubi *non posse peccare*, hoc sensu accipiatur. Contendunt tamen suam explicationem confirmari ratione adjuncta Apostoli, *quia semen Dei in eo manet.* Resp. Per *semen Dei* intelligi indolem divinam & divinum affectum, qui per nativitatem ex Deo in homine ortus est, & qui, quoniam Deum causam habet, à Deo esse dicitur. Quia autem affectus hic efficax est, potens ac actuosus, hominem ad sanctitatis opera exstimulans; ideo per metaphoram *semen* vocatur, quod actuosum, efficax, potens ac spirituosum est. Affectus hic, hominem regenitum ad officia sancta ac pia exstimulans, simul in ipso peccati odium producit; ideo, quamdiu semen, hoc est, affectus ille in regenito est, *peccare non posse* dicitur. Atqui, inquiunt, semen illud nunquam in regenito exstinguitur, quia dicitur in ipso *manere.* Resp. *Manendi* vocem hic non in propria significatione accipiendam, quatenus notat durationem & perseverantiam; sed impropriâ, ut nudam existentiam significet. Quo significatu passim ab Apostolo hoc accipitur: *Joan.* XIV. 17. *Vos nostis spiritum veritatis, quia apud vos manet, & in vobis erit.* Si enim *manet* ibi significet perseverantiam, superfluæ erunt voces ultimæ, *& in vobis erit.* 1 *Joan.* II. 4. 5, 6. *Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & veritas in eo non est. Qui autem servat*, &c. *Per hoc scimus nos in ipso esse.* Quibus immediatè subjungitur: *Qui dicit se in eo manere, debet, sicut ille incessit, incedere.* Ubi manifestum est, *manere* idem esse atque *esse.* Qui enim in Christo se esse dicit, ita incedere debet ut Christus; nec ad perseverantiam propriè respicitur, sed ad statum præsentem. Sic & *cap.* III. 14. *Qui non diligit fratrem manet in morte.* Atque ita apparet, nihil esse hoc in loco, unde probari possit, verè fidelem à fide sua ac vitæ sanctitate nec totaliter, nec finaliter, deficere posse.

Refutatio exceptionis, & instantiæ.

CAPUT LXXXV.

An peccantibus post acceptam gratiam, & à fide deficientibus, ulla veniæ spes superfit.

Status quæstionis. I. Restat, ut tractatum hunc de virtutibus Christianis concludamus, ut celebrem hanc quæstionem excutiamus; Si quis post acceptam fidem incidat in gravia peccata, imò ad pristinam vitæ profanitatem relabatur, an peccati hujus pœnitentiam agere, & per pœnitentiam in gratiam Dei restitui possit? Quæstio hæc olim acriter fuit agitata in Ecclesia Christiana à Novatiano, Ecclesiæ Romanæ presbytero, qui contendebat, lapsos non tantum non ad communionem, sed ne ad pœnitentiam quidem recipiendos.

Peccantibus post acceptam gratiam veniæ spem superesse. II. Certum est promissum remissionis, resipiscentibus in Novo Fœdere factum, propriè respicere peccata ante fidem & resipiscentiam commissa. Sunt tamen varia in Scriptura, quæ & remissionis spem superesse comprobant illis, qui post fidem & resipiscentiam in peccata quædam relabuntur, modò seriam eorum pœnitentiam agant. Primò enim etiam talibus præscribitur resipiscentia, ut *Apoc.* II. 4, 5. Angelo Ecclesiæ Ephesinæ, *Habeo contra te, quòd charitatem tuam primam reliqueris; Memento igitur unde excideris, & resipisce.* Quod frustra foret, si nec resipiscere, nec per resipiscentiam rursus divinæ gratiæ favorem consequi possent. 2. Id colligitur ex natura fœderis gratiosi, quod nititur, tum misericordiâ Dei, secundum quam homines tractare vult naturæ ipsorum convenienter: Atqui ea talis est, totque infirmitatibus obnoxia, ut facile per mundi hujus illecebras seducatur & in peccatum sollicitetur: tum sanguine misericordis Mediatoris, qui per omnia est tentatus, ut possit compati infirmitatibus nostris: *Hebr.* II. 17, 18. 3. Exstant varia in Scriptura promissa remissionis facta peccatoribus contra voluntatem Dei sibi jam revelatam peccantibus; quæ variis in locis in Prophetarum scriptis reperire licet; inter alia, *Esa.* I. 15, 16, 17, 18. *Jerem.* XVIII. 7, 8, 9, 10, 11. *Ezech.* XVIII. & XXXIII. Ex quibus meritò concludere licet, Deum sub novo fœdere non minore indulgentiâ ac benignitate usurum erga fideles, si in peccata incidant, eorumque pœnitentiam agant. Quod & colligitur ex I *Joan.* II. 1, 2. *Filioli, hæc scribo vobis, ne peccetis: Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* &c. 4. Habemus exempla eorum, qui post acceptam gratiam peccarunt, & peccatorum per seriam resipiscentiam veniam à Deo obtinuerunt; ut, Davidis, Petri, & incestuosi illius, quem Paulus, I *Cor.* V. Satanæ tradi jubet; eundemque, uti communis fert opinio, in gratiam recipi post resipiscentiam, 2 *Cor.* II. & septem Ecclesiarum Asiæ, quas postquam variorum peccatorum Dominus coarguit, ad resipiscentiam hortatur, spe vitæ æternæ propositâ vincenti, hoc est, peccatum superanti; *Apoc.* II. & III. Tandem nisi hoc statuamus, gravissima sequentur absurda. Aut enim in animis piorum orietur desperatio, quando videbunt se ab omni peccato non esse puros, ac proinde extra statum gratiæ: Aut in aliorum animis arrogantia; quoniam enim homo non facile sibi in animum inducit, se salutis spe prorsus destitutum, antequam se tali in statu esse credat, perfectam sibi sanctitatem adscribit, ut vitæ æternæ spe sibi blandire possit. Atqui dum in mediis peccatis sibi blanditur, ea non agnoscet, nec eorum pœnitentiâ ducetur, atque ita viam remissionem obtinendi sibi præcludit.

Nec Apostatis omnis veniæ spes præcisa videtur. III. Quod apostatas attinet, qui totam fidem abjecerunt, & ad pristinam vitæ profanitatem relabuntur, eorum fateor paulò aliam esse rationem: attamen ex rationibus allatis colligi potest, & talibus, si seriam Peccatorum pœnitentiam agant, non omnem veniæ spem præcisam esse. Et credibile nobis non est, Deum, dum hominibus vitam, valetudinem, ac ratiocinandi facultatem conservat, ita gratiæ ostium in hac vita claudere, ut omnem prorsus resipiscendi facultatem homini adimat. Difficilem esse, imò difficillimum, ad sanctitatem regressum, & veniam non nisi ægrè obtineri, non diffitemur; quod & mox ostendemus: sed ut prorsus impossibile sit, misericordia divina non permittit ut credamus; nec uspiam in Scriptura declaratum est.

Explicatio Hebr. VI. 4, 5, 6. IV. Objici tamen in contrarinm solent duo loca ex Epistola ad Hebræos. Prior exstat *cap.* VI. 4, 5, 6. ubi dicitur, *impossibile esse, ut qui semel sunt illuminati,* &c. *si prolapsi sint, rursus renoventur ad pœnitentiam,* &c. Resp. *Impossibile* non semper significare, quod planè fieri nequit, sed valdè difficile, præcedente capite ostendimus, ex *Jerem.* XIII. 23. aliisque locis. Dicitur autem *impossibile*, seu valdè difficile, quia cum ejusmodi apostasia ordinariè soleat esse conjuncta impœnitentia, ut mox videbimus. Non tamen prorsus impossibile esse, ut illius peccati pœnitentia agatur & remissio obtineatur, inde colligi potest: quod sola in Spiritum Sanctum blasphemia dicatur non remittenda: Hoc autem peccatum committitur directè in Filium, quem hi apostatæ dicuntur sibi ipsis denuò crucifigere, & ignominiâ afficere; quatenus nimirum hæc

suâ

suâ apostasiâ testatum faciunt, se Jesum credere non esse Prophetam à Deo missum, ac proinde impostorem, adeoque merito ut talem cruci affixum. Quod gravissimo crimine non vacat.

Ex Hebr. x. 26, 27. 28, 29,

V. Alter locus exstat *Cap.* x. 26, 27, 28, 29. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam cognitionem veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios*, &c. Resp. Hic non agi de totali apostasia; sed de peccatis quibusdam gravibus contra Religionem Christianam commissis; ita tamen ut omnis pietas non penitus abjiciatur, nec fides abnegetur, quidam colligunt ex voce *ἁμαρτάνειν*, *peccare*, quæ hic usurpatur; cùm de totali apostasia solet usurpari vox *παραπίπτειν*, *prolabi.* Deinde etiam ex adhortatione præcedente Apostoli, quâ fideles hortatur, ut alii alios considerent in provocationem charitatis & bonorum operum, cui hanc subjungit rationem: Quia si in hoc officio negligentes sint, facile fieri possit, ut in gravia quædam peccata incidant, atque ita se gravissimæ pœnæ reos faciant. Cùm autem adhortatio non soli apostasiæ totali, sed & omnibus peccatis, opponatur; etiam hic de quibusvis peccatis sermonem esse non absque fundamento contendunt. Dicit ergo divus scriptor, voluntariè peccantibus post acceptam cognitionem veritatis, non restare aliam hostiam, nobiliorem videlicet & magis efficacem, cujus virtute remissionem possint consequi; perinde uti ante fidem & conversionem refugium habebant ad Christum, hostiam vivam ac æternam, cujus virtute remissionem consequi poterant, etiam eorum peccatorum, à quibus per hostias legales non poterant liberari: sed peccata ejusmodi hominem naturâ suâ ducere ad mortem; & nullam pro tali peccatore spem esse remissionis, nisi seriò resipiscat. Non quòd mors semper cum ejusmodi peccato conjuncta sit, sed ordinariè: quia ejusmodi peccatores difficulter in priorem sanctitatis statum restitui possint. Nec est, quod quis excipiat, videri id impossibile, juxta rationem mox allegatam, quia hi peccatores dicuntur Spiritum Sanctum contumeliâ afficere, ac proinde Spiritum Sanctum peccare: Quia Spiritum Sanctum non directè contumeliâ afficiunt, sed indirectè & per consequens, quia testimonium perhibuit doctrinæ Jesu Christi, quam ut divinam in pretio non habent.

Varii defectionis gradus.

VI. Ut autem distinctius ostendamus, quantæ difficultatis sit ejusmodi peccatorum ac impietatis pœnitentiam agere, considerare oportet varios esse defectionis gradus pro diversis qui fidem integram ac salutarem constituunt actibus. Potest enim primò sanctitatis habitus exstingui, remanente assensu veritati adhibito. Potest porrò ipse assensus veritatis planè exstingui, remanente tamen notitiâ veritatis. Potest denique & ipsa veritatis notitia perire, ita ut homo tandem carnis suæ desideriis traditus quasi obbrutescat. Juxta diversos hosce apostasiæ gradus, statuimus etiam resipiscentiæ difficultatem vel esse majorem, vel minorem.

Difficultas resipiscentiæ in relapso ad vitæ profanitatem.

VII. Quod primos attinet, in quibus sanctitatis habitu exstincto remanet assensus veritatis; in iis remanet principium aliquod resipiscentiæ, quo excitari possint; licet difficulter admodum. Ratio difficultatis est: quia gratiam Dei, quâ conversi fuerant, sibi inutilem & inefficacem reddiderunt: in prima enim conversione omnem illius virtutem & efficaciam, quâ ex animalibus in spirituales convertuntur, agnoverunt: ab illa itaque deficientes, contra gratiæ divinæ virtutem à se agnitam animum suum obdurarunt, adeò ut jam, respectu illius indurationis, inefficax sit ad ipsos convertendum: nova enim illi virtus non accedit, quam prius non agnoverunt, & suâ impietate sibi irritam non reddiderunt. Hinc explicari potest phrasis, *Hebr.* VI. 4. *impossibile esse ut renoventur ad resipiscentiam*, quod per ordinariam Dei gratiam, quæ in Euangelio omnibus offertur, impossibile sit, quia illam sibi inefficacem reddiderunt: non possint autem restitui nisi per novam Dei gratiam, quam quidem Deus non expressè promisit, sed si ardentibus precibus eam peccator à Deo petat, convenienter naturæ Novi Fœderis, benignè largiturus est. Et sic intelligi possunt loca ubi talium conditio deterior dicitur, quàm nondum conversorum, *Matth.* XII. 43, 44, 45. 2 *Pet.* II. 20, 21, 22.

Major, in relapso etiam ad infidelitatem.

VIII. Secundi, in quibus præter sanctitatis habitum etiam assensus veritati adhibitus exstinctus est, multò difficilius restitui possunt. Principium enim illud, quo fidem adhibent præceptis, promissis ac comminationibus divinis, & cujus virtute ad resipiscentiam excitari debent, exstinctum est: quod resipiscendi difficultatem auget. Attamen quoniam notitia veritatis remanet, non quidem, qua cognoscunt verum esse id, quod antea crediderunt; sed id quod verum est, licet ut verum non recipiant; ea stimuli & calcaris instar esse potest, quo aliquando incitari possunt ad meliores animi motus, seu ad auxilium divinum implorandum: Deus autem, si seriò oretur, non dubitamus quin novas vires sit gratiosè largiturus, per quas homo excitatus denuò veritati assentiri, atque ita sensim ad meliorem frugem reverti possit.

Impotentia eorum, in quibus

IX. Quod postremos attinet, in quibus & ipsa veritatis notitia exstincta est, ii de-

spera-

& ipsa notitia veritatis exstincta est.

ſperatæ improbitatis ſunt, & vix hominum numero cenſendi, quos Deus in reprobam mentem tradidit, in quibus rectæ rationis uſus, & diſcrimen inter honeſtum & turpe non amplius ſupereſſe videtur. Itaque vix alio quàm brutorum irrationalium loco habendi ſunt, quorum impietate Deus aliquando abutitur in pœnam improborum, & in experimentum fidei ac conſtantiæ ſanctorum. Si qui eò uſque prolabantur, quod ſi fiat rariſſimè contingere credimus, affirmare non audemus, tales ad reſipiſcentiam reſtitui poſſe, quia nullum in illis principium remanet, quo excitari poſſint, non tantum ad actus reſipiſcentiæ, ſed nec ad auxilium divinum precibus implorandum; ſed brutorum inſtar ſunt ac inſanientium hominum, qui ſibi ipſis omnem reſipiſcendi facultatem exſtinxerunt.

Quâ ratione rela-

X. Quoniam autem ordinariè non contingit homines à fide ac ſanctitate totaliter deficere; ſed plerumque ſe peccatis quibuſdam ſpecialibus mancipare; ad eorum reſtitutionem non videtur totalis reſipiſcentia neceſſaria, qualis exigitur in prima converſione; ſed emendatio vitioſi illius habitus cui ſe applicuerunt. Hæc autem peragitur tribus illis actibus, qui Eccleſiæ Epheſinæ præſcribuntur, *Apoc.* 11. 5. cogitando unde exciderint, nimirum per prioris ſtatus revocationem in memoriam, ejuſque cum præſenti collationem; reſipiſcendo, per ſerium ob peccata dolorem, & efficax emendationis propoſitum; & priora opera faciendo. Illius autem fundamentum eſt ſpes veniæ à Deo obtinendæ, ſine qua nemo peccato aſſuetus, eique cum voluptate operam dans, ſeriò reſipiſcet; quoniam id ſine concupiſcentiæ carnis crucifixione, quæ moleſta admodum eſt, fieri nequit. Hine David *Pſal.* cxxx. 4. *Apud te eſt remiſſio ut timearis.*

pſo in peccatum pœnitentia ſit facienda.



THEO-

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

LIBER SEXTUS,

DE PROMISSIS ET MINIS NOVI FOEDERIS.

CAPUT I.

De Promissis & Comminationibus divinis in genere.

Promissa & minæ. I.  Hactenus primam fœderis divini partem, officium nempe quod ab homine Deus stipulatur, consideravimus. Restat ut alteram explicemus, Promissa nempe ac Minas, quibus Deus officii ab homine stipulationem, seu præcepta sua, sancivit. Quanquam enim Deus, tanquam absolutus & supremus Dominus, jure creationis, quodvis à nobis exigere possit obsequium, nulla propositâ spe mercedis; nosque tanquam ipsius opus, ad ministerium quodcunque obligati simus; & in officio negligentes pœnæ debitum contrahamus: placuit tamen benignissimo nostræque salutis amantissimo numini, ut nos ad pietatis studium acrius inflammaret, leges suas præstantissimis promissis ac dirissimis comminationibus sancire.

Eorum usus. II. Et sane sine his vix ulla legum, carni præsertim gravia ac dura præscribentium, obedientia exspectari potest. Hinc quidam recte promissa & minas nervos legum vocavit. Non videtur enim hominis concupiscentia, quæ magno ardore fertur in quæcunque carni suæ grata sunt, in ordinem posse cogi, nisi promisso boni melioris eo, quod carnis desideria crucifigendo abnegat; aut comminatione mali gravioris eo dolore, qui in abnegatione cupiditatum percipitur. Non enim amor erga bonum quoddam exstinguitur, nisi amore alterius boni, aut vere, aut saltem judicio nostro, melioris.

Licitum esse spe præmii Dei obedire. III. Sed hîc quæritur, an conveniens sit homini Christiano, quem Deus in filium adoptavit, spe præmii ad obedientiam Dei permoveri? Videtur enim mercenarium esse, mercedis intuitu officium facere: filiorum vero esse, solo patris sui amore incitari ad officium. Ita quidam argutantur. Sed sententiæ illius fundamentum quàm maxime est erroneum; nos nimirum jam à Deo electos & in filios adoptatos, antequam præcepta Jesu Christi observamus: ac proinde spe præmii ad obediendum non posse induci, cùm jam antea certa salus nobis destinata sit; sed omne nostrum officium tantum gratitudinem esse pro beneficiis in nos collatis. Quam sententiam & antehac refutavimus, & in sequentibus porro confutaturi sumus. Quia vero & alii, fundamento hoc repudiato, indecorum existimant homini Christiano spe mercedis ad obediendum induci, age sententiam illam validis aliquot argumentis convellamus.

Ratio prima. IV. Primò. Deus promisso præmii nos ad obedientiam adhortatur, illiusque magnitudine obedientiam in nobis excitat. Sic 1 *Tim.* IV 8. *pietas* dicitur *habere promissa hujus & futuræ vitæ*; & 1 *Joan.* II. 25. dicitur *vita æterna* Dei *promissio*. Talia promissa passim occurrunt, *Matth.* V. 10, 11, 12. *Rom.* VIII. 13. *Gal.* VI. 7, 8 & alibi. Atqui illicitum non est eo medio ad obedientiam permoveri, quo ipse Deus nos moveri vult. Dices. Merces seu præmium non est ratio principalis fideles ad obedientiam movens, sed tantum accessoria. *Resp.* 1. Hoc convenienter dici nequit illorum doctrinæ, qui statuunt electis jam ante fidem vitam æternam immutabiliter destinatam, imo sine ullo ad fidem aut obedientiam respectu: talibus enim nullo modo ratio ad obediendum esse potest. 2. Si sit ratio accessoria, ergo accessoriè erunt mercenarii qui eà tanquam ratione accessoriâ moventur. 3. An credibile est, Deum nos ratione illâ accessoriâ semper movere velle ad obedientiam, nunquam autem sine illa obedientiam nobis præscribere, aut nusquam indicare, ejusmodi obedientiam sibi esse ingratam, fidelibusque indignam?

Secunda. V. Secundò. Scriptura expresse jubet, ut ad vitæ æternæ præmium respiciamus, illudque per obedientiam Deo exhibitam quæramus. *Matth.* VI. 20. jubemur *thesauros colligere in cælis: vers* 33. *quærere regnum Dei. Luc.* XII. 33. *thesaurum non deficientem in cælis. Coloss.* III. 1, 2, *quæ sur-*

sum sunt, ubi Christus sedet ad dexteram Dei. 1 *Tim.* VI. 12. *apprehendere vitam æternam.* Imo disertè illi dicuntur vitam æternam adepturi, qui *per boni operis patientiam gloriam & honorem & incorruptionem quærunt. Rom.* II. 7, 8. Hinc & vita æterna passim *merces* vocatur, *Matth.* V. 12. *Luc.* VI. 23. *Apoc.* XI. 18. XXII. 12. ἀνταπόδοσις, *Coloss.* III. 24. diserte μισθαποδοσία, *Hebr.* X. 35. XI. 26. Dices. Figuratam eam esse locutionem, vitamque æternam proprie esse mercedem non posse, quia merces includit debitum, vita autem æterna ex gratia conceditur. Resp. Merces strictè accepta includit debitum, ea enim operi proportionata est; non autem merces quæ ex gratia imputatur, cujusque Apostolus meminit, *Rom.* IV. 4. quæ merces vocatur, non quia opus illam meretur; sed per analogiam quandam, quia Deo placuit gratiosè illam promittere, & non nisi præstitâ per gratiam suam obedientiâ, tanquam conditione ad eam obtinendam necessariâ, eam nobis donare; eaque præstitâ, illâ tanquam præmio obedientiam nostram remunerari.

Tertia. VI. Tertiò. Fides in Scriptura Sacra non accessoriè exigitur, sed principaliter, & tanquam totius obedientiæ nostræ fundamentum. At tota fidei essentia consistit in respectu ad præmium: *Accedentem quippe ad Deum oportet credere Deum esse, &* (NB) *præmii largiri quærentibus se*, *Hebr.* XI. 6. inde & *vers.* 1. *ejusd. Cap.* fides describitur, quod sit ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Non ergo licitum tantum est ad præmium respicere, sed & quædam officia sine respectu ad præmium præstari nequeunt, tolerantia nim: crucis, mortisque pro nomine Christi dirissimæ. Imo tantum abest, ut respectus ad præmium eo in casu tantum pro ratione accessoria sit habendus, ut si quis fine spe præmii eo in casu Deo obedieret, sed aliâ consideratione motus, illa non pro principali sed accessoria habenda foret. Hinc & tota Christiana lex vocatur *lex fidei*, totaque nostra obedientia *fides*; ipseque Servator noster Jesus Christus, *dux fidei*: *Hebr.* XII. 1, 2. Amor enim rationalis alicujus boni, qualis est amor vitæ eorumque quæ vitam hanc suavem faciunt, exstingui nequit nisi per contrarium amorem boni multo mjoris & excellentioris, cujus adeptionem minoris boni amor impedit. Duobus enim propositis bonis, amor erga minus bonum, amori erga majus cedat necesse est, siquidem rationi consentaneè homo agat. Sic & amor rerum terrenarum & corporearum non nisi per amorem rerum spiritualium, quem nobis ingenerat fides, exstingui potest. Estque hæc doctrina comparata ad tenellis animis desperationem ingenerandum, persecutionis præsertim tempore, aut in gravi aliqua tentatione constitutis, si persuadeantur, obedientiam cum respectu ad præmium, quo unose intentatione ac persecutione præcipue sustentant, præstitam, esse mercenariam Deoque ingratam. Quin & sententia hæc servire potest eorum errori incrustando, qui legem charitatis lege fidei perfectiorem statuunt, quasi non ex fide quæ præmium respicit, sed ex charitate Dei, tanquam entis summe pulchri ac perfecti, obediendum sit.

VII. Quartò. Optimi ac sanctissimi hac *Quarta.* consideratione ad obediendum Deo permoti fuerunt, imo fide remunerationis à Deo obtinendæ præcipua & optima eorum obedientia, quæ nobis in exemplum proponitur, nixa legitur: quod docetur passim *Hebr.* XI. in exemplo Abrahami, & Patriarcharum, præsertim Mosis, *vers.* 25. qui expressè dicitur *retributionem mercedis respexisse.* Idem de se testantur Apostoli, 2 *Cor.* IV. 16, 17, 18. & *Cap.* V. 8, 9, 10, 11. *Phil.* III. 10, 11, 12, 14. Quin & de ipso Servatore nostro Jesu Christo dicitur, *Hebr.* XII. 2. quod *pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemta, atque in dextera sedis Dei sedet.* Dicere ergo ita indistinctè, spe præmii Deo obedire mercenarium esse, est sanctissimos illos viros insimulare, quòd non sincere, sed mercenariorum instar Deo obediverint. Quòd absque blasphemia dici nequit. Dices. Non dicit textus, Christum respexisse ad præmium; sed ipsum loco præmii, quod in manibus habebat, elegisse crucem: huncque sensum patere ex vocula ἀντὶ, quæ permutationem denotet; ut *Matth.* V. 38. XX. 28. *Luc.* XI. 11. &c. Resp. Hanc expositionem esse violentam. 1. Quia non convenit cum verbis sequentibus; *sedet ad dexteram sedis Dei*; quæ plane aliena & superflua sunt, nisi verborum præcedentium sensus sit, quòd Christus ad gloriam respexerit, cum crucem ac ignominiam in se susciperet: docet enim Apostolus, Christum obtinuisse quod spectabat. 2. nec etiam convenit cum serie orationis Apostolicæ, quæ (uti ex antecedentibus & consequentibus manifestissimè liquet) tota occupatur in seria fidelium adhortatione ad patientiam crucis spe præmii cœlestis, allato exemplo Jesu Christi, qui ad præmium respexit, idque obtinuit. 3. Ipse Christus alibi testatur, se gloriam illam tempore passioins suæ respexisse; quoniam jam jam passurus, Patrem suum orat *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te. Joan.* XVII. 5. 4. Quod attinet vocem ἀντὶ, illa etiam significat ἕνεκα, ut inter se collatis locis *Matth.* XIX. 5. & *Eph.* V. 31. manifestum est. Et quando applicatur permutationibus, sæpe significat scopum, quem quis intendit, aut rem, quam sibi quis per permutationem quærit, & pro qua obtinenda quip-

quippiam facit aut expendit. Et hæc est valde communis particulæ ἀντὶ significatio. Sic hoc eodem *cap.* XII. *ad Hebr. vers.* 16. dicitur Esau ἀντὶ βρώσεως μιᾶς vendidisse primogenita sua: quod manifeste significat, hunc fuisse Esavo in vendendis primogenitis suis scopum, ut pro illis, seu illorum loco, uno illo cibo sibi grato frueretur. Sic Dominus Jesus dicitur animam suam dedisse λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *Matth.* XX. 28. id est, ut esset pretium quo multorum redemtionem obtineret. Atque hoc sensu hîc accipiendam esse rationes allatæ demonstrant. Adeo ut horum verborum hic sit sensus: Cùm Domino propositum esset gaudium, id est, summa in cælo dignitas adipiscenda, si crucem & ignominiam pro totius generis humani redemtione sustineret, quòd crucem & ignominiam illam in se susceperit, ut propositum illud gaudium adipisceretur: eumque id post crucem toleratam esse consecutum.

Responsio ad objectiones. VIII. In contrarium autem varia adferri solent; nullus tamen, quod mirandum, textus profertur, qui ejusmodi obedientiam improbet, aut tanquam mercenariam damnet: quod omnino in re tanti momenti, quæ totius vitæ directionem concernit, fieri oportebat; sed ratiunculæ quædam & consequentiæ ex quibusdam Scripturæ textibus deductæ proferuntur.

Ad primam. IX. Obj. 1. Etsi Deus nullum nobis promitteret præmium, tamen ipsum ipsiusque voluntatem agnoscentes obligati essemus ad eum colendum. Resp. Fateor: sed exinde non sequitur, illicitum esse etiam respicere ad præmium per sinceram obedientiam à Deo obtinendum; aut præmii considerationem, nullam posse esse quæ nos ad Deo obediendum excitet rationem, quando Deus illâ ratione nos potissimum movere vult.

Ad secundam. X. Obj. 2. Fideles vocantur *filii & hæredes Dei*: atqui filiorum est ex amore, non autem spe præmii aut mercedis patri suo obedire. Resp. Uti non per naturam, sed per fidem filii sunt, *Gal.* III. 26. ita & per eandem sunt hæredes, si ad finem usque in fide atque obedientia perseverent, *Hebr.* III. 14. Hinc vita æterna non tantum *hæreditas*, sed & (uti vidimus) *merces* & *retributio mercedis* vocatur. Est ergo hæreditas, quæ nobis non competit tanquam filiis naturalibus, sed quæ tanquam merces in præmium fidei & obedientiæ gratiosè nobis donabitur. Atque adeo ipsa adoptio in filios obedientiæ nostræ præmium est.

Ad tertiam. XI. Obj 3. Sincera obedientia fieri debet ex amore solius Dei, tanquam entis summe boni summeque pulchri. Resp. Fateor: sed quatenus nos in fruitione illius entis summam sumus consecuturi felicitatem: non autem, quatenus solummodo tanquam ens summe pulchrum spectatur; sine ullo ad fruitionem ejus respectu. Quæ enim ratio: Deus est summè pulcher & bonus; nulla tamen ex ejus bonitate ad me redundabit felicitas; ergo illum tanquam summum bonum amare, & ex illo amore illi obedire teneor? Ut hoc distinctius explicemus, considerandus Deus vel ut summum bonum simpliciter, vel ut legislator: carni nostræ ingrata ac dura præscribens. Priore modo consideratus, necessario amatur; omnes enim summum bonum amant, neque quisquam illud repudiare potest: amatur autem, non tanquam in se spectatus ut summum bonum, sine ullo quæ ab ipso ad nos redundabit felicitatis respectu; sed quatenus in illius fruitione summam consequimur felicitatem; bonum enim summum fieri nequit, quin appetamus, ut eo fruamur; in eaque fruitione beatitudo consistit. Posteriore modo si consideretur Deus, ut legeslator, Deum amare, est legibus ipsius obedire, ut *Joan.* XIV. 21. *Qui mandata mea habet, eaque observat, diligit me.* Hac ratione Deus non necessariò, sed liberè amatur, & ad illum amorem excitamur amore, quo Deum tanquam summum bonum diligimus, & spe certâ, si Deum tanquam legislatorem amemus, nos ipso tanquam summo bono, omnibusque ipsius bonis, fruituros esse. Nusquam autem dicitur, Deum nobis gravia præcipientem ut talem amari debere, id est, præceptis istis divinis maximâ cum molestiâ obediendum esse, solummodo quia Deus summè est pulcher & bonus, sine ullo ad præmium ab ipso obtinendum, seu beatitudinis ex ipsius fruitione in nos redundantis, respectu.

Ad quartam. XII. Obj. 4. Jubemur *Deum diligere ex omnibus viribus nostris*, id est, supra omnes res, & sui solius causâ. *Deut.* VI, 5. Resp. 1. *Deum diligere ex omnibus viribus*, significare, Deum diligere sui solius causâ, nec ex hoc, nec ex alio quocunque Scripturæ textu evincetur. Manifeste enim hæc expositio repugnat verbis, quæ leguntur *vers.* 2. *ut prolongentur dies tui.* & *Cap.* X. 12, 13. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum*, &c. *& diligas eum*, &c. *ut bene sit tibi.* & *Cap.* XXX. 6, 7, 8, 9, 10. Neque ullus ex Scriptura Sacra locus proferri potest, qui id innuat. Credibile autem non est, Deum, ratione principali omissâ & nunquam expressâ, nos ratione tantum accessoriâ velle perducere ad obediendum. 2. Si Deum amare sui solius causâ, significare velint, Deum tanquam summum bonum, quod propter se solum, & non propter aliud amatur, & in cujus fruitione summa consistit beatitudo, diligere; quanquam sensus ille locis istis non quadret, qui de dilectione Dei ut legislatoris agunt, concedimus tamen ita Deum sui solius

solius causâ amandum, ex eoque amore obedientiam ipsi præstandam, non autem nos alio bono majore extra & præter Deum ad eum amandum moveri debere.

Ad quintam. XIII. Obj. 5. Qui vitam æternam magis amat quàm Deum, Deo non est dignus; quia aliquid præ Deo amat. Resp. Qui vitam æternam, quam solus Deus dat & dare potest, amat, Deum magis amet necesse est. 2. Vitæ æternæ felicitas in Dei fruitione consistit; qui ergo eam amat, non quid à Deo diversum, sed ipsum Deum amat. Ratio illa procederet, si bonum, in cujus fruitione beatitudo consistit, esset diversum à Deo: nunc autem, cum sit ipse Deus, plane corruit. Qui enim in solo Deo suam quærit felicitatem nihil præ Deo amat; sed præ amore Dei, quem supra omnia amat, omnium aliorum, aliàs licet gratorum, amorem abjicit. Dices. Amat tamen Deum, ut per Dei fruitionem sibi bene sit. Resp. Ita est: neque aliter fieri potest, ut quis bonum amet, nisi ut per illius fruitionem sibi bene sit. Sed quia in Dei fruitione suum bene esse, seu beatitudinem, quærit, eo ipso ostendit, se nihil amare præ Deo.

Ad sextam. XIV. Obj. 6. Qui obediunt spe mercedis, obediunt ex amore erga seipsos, Deumque tantum tanquam plurima & maxima promittentem colunt; & si promissum abesset, amore justitiæ ad obsequium non perducerentur. Resp. 1. Deus ipse vult, ut ex fide obediamus; quæ fides, uti vidimus, promissa bona respicit. 2. Distinguendum inter bona temporalia & hujus vitæ, & bona spiritualia ac vitam æternam. Qui bona solummodo hujus vitæ spectant, illi non tam ex amore justitiæ ac Dei videntur obedire, quàm amore præmii à Deo plane diversi: qui vero vitæ æternæ (quæ in Dei fruitione consistit) amore obediunt, obediunt amore Dei ut summi boni, & justitiæ quæ Deum nobis conciliat. 3. Distinguendum inter virtutes, quas ipsa ratio lumine naturali præscribit præstandas, quales sunt, honestè esse vivendum, nulli innocenti injuriam inferendam, misero succurrendum, benefactori gratias esse habendas, &c. hæ præstandæ sunt, & præstari possunt solo justitiæ & virtutis amore. Et inter virtutes, quas ratio non dictat, imo quæ rationi videntur repugnare, sed quas Deus tanquam magis eximias à nobis exigit; quales sunt, seipsum abnegare, crucem suam tollere, inimicos diligere, &c. Hæ sine respectu ad præmium, & quidem majus atque excellentius eo bono quod abdicamus, præstari nequeunt. Hisque potissimum in Scriptura merces illa vitæ æternæ promittitur, reliquis tamen non exclusis, qualia sunt opera misericordiæ, *Matth.* XXV. aliæque virtutes Christianæ, *Matth.* V. 3. *& seqq.*

Ad septimam. XV. Obj. 7. Amor requirit solummodo affectum in personam, sine ullo respectu ad bonum nostrum quod ex illius fruitione exspectamus. Resp. 1. Distinguendum inter amorem benevolentiæ, qui tantum bonum alterius respicit, absque ulla cum eo unione; & inter amorem complacentiæ seu amicitiæ, qui unionem cum persona intendit: Deinde inter amorem, qui personæ exhibitus in ea non terminatur, sed ulterius respicit; & inter amorem qui in persona amata terminatur. Hisce præmissis, dico, amorem, non benevolentiæ, sed amicitiæ, de quo jam quæritur, quique in persona amata terminatur, semper respicere bonum nostrum, quod ex personæ illius fruitione nobis intendimus: quoniam amor est affectus unionis; nemo autem personæ uniri desiderat, nisi ex illa unione bonum aliquod sibi speret. Perinde uti odium affectus est seperationis; nemo autem se à persona separat, nisi quatenus unionem cum ipsa sibi experitur molestam. Neque ullum in contrarium proferri potest exemplum.

Ad instantias quasdam. XVI. Instant. *Cantic.* VI. 6, 7. dicitur, *dilectio fortis ut mors*; & *Job.* XIII. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Resp. Locus Cantici tantum docet, malle hominem mori, quàm re amatâ carere, non quia rem illam ipsius solius causâ diligit, sed quia summam ex illius fruitione voluptatem percipit, quâ carere morte gravius est. Sensus verborum Jobi est, etiamsi moriendum sibi esset, se tamen bonitati & justitiæ Dei fidere, sub spe certa, Deum patientem hanc suam obedientiam remuneraturum. Notandum etiam verba hæc a Vatablo longe aliter verti, *Si me occisurus esset, non exspectarem*, quæ sensum plane ab hac materia diversum continent. Addunt: Jubemur passim diligere inimicos nostros, *Matth.* V. 44. *&c.* & alibi. Resp. Inimicos nostros, qui nobis sine causa inimici, ac proinde homines improbi sunt, amore benevolentiæ, non amicitiæ, diligere jubemur: neque amor ille in inimicis, sed in Deo terminatur. Pergunt. Illicitum est rem creatam sui solius causâ amare; quia *mundus nobis per Christum est crucifixus*, *Gal* VI. 14. Christusque *se pro nobis dedit, ut nos ex hoc mundo erueret, ibid. cap.* 1. 4. Hinc & *qui uxores habent*, jubentur eas habere *ac si non habeant, qui emunt ac si non possideant*, &c. 1 *Cor*, VII. 29, 30, 31. Resp. Objectio hæc plane præter scopum & quæstionem est. Non enim quæritur, an licitum sit rem creatam sui tantum causâ amare, nullo ad Dei honorem respectu: sed utrum is, qui rem creatam ita amat, atque in eo amore acquiescit, in illum amorem induci possit aliâ consideratione, quàm propriæ voluptatis, quam ex personæ illius fruitione intendit? Perinde uti is, qui Deum ut summum bonum amat, cumque eo ut summo

bono

bono uniri optat, cujusque amor in Deo terminatur, propriæ beatitudinis consideratione, quam ex Dei fruitione sibi sperat, ad amorem illum excitatur. Hoc probandum erat.

Responsio ad exemplum Mosis Exod. XXXII. 32.

XVII. Tandem duo nobis objiciuntur exempla, ex quibus id evidenter concludi credunt: alterum Mosis, qui pro Israëlitis *deleri* voluit *ex libro vitæ*, *Exod.* XXXII. 32. Pauli alterum, qui pro Judæorum, suorum consanguineorum, salute voluit *anathema fieri à Christo*, *Rom.* IX. 2, 3. Nullam enim illi, qui sibi æternam imprecati sunt mortem, voluptatem aut beatitudinem in amore illo erga Israëlitas potuerunt proponere. Resp. Neutrum horum mortem æternam, quæ vel æternam à Deo separationem, vel unà æternam pœnæ dolorisque intensissimi inflictionem denotat, sibi optavisse; sed mortem tantum temporalem, cujus interventu æternam apud Deum consecuturi essent felicitatem. Per *deletionem ex libro vitæ*, quam Moses sibi optat, intelligitur mors temporalis, sicut & per *librum vitæ*, hæc vita quam hic vivimus aliquando intelligitur; ut *Psal.* LXIX. 29. *Deleantur de libro viventium.* Et sic etiam declaratur hoc Mosis votum; *Num.* XI. 15. *Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Orat ergo Moses, ut Deus potius ipsum occidat, quàm ut totius populi exitium videat; quia minus malum credidit mori, quàm populi exitium videre. Minus autem malum majore comparatum speciem boni habet.

Et Pauli, Rom. IX. 2, 3.

XVIII. Quod attinet exemplum Pauli, nec ille optavit æternum damnari, aut à Christo separari; sed tanquam homo devotus, & à Christo alienus, ab hominibus haberi, morteque cruentâ affici: Vel pro Christo tanquam anathema & homo devotus tractari; ut loco ἀπὸ Χριστοῦ, legatur ὑπὸ Χριστοῦ, ut hac ratione possit promovere fratrum suorum salutem; sciens sibi majorem in futurum repositam mercedem, 2 *Tim.* 1. 12. & *Cap.* II. 8, 10, 11. *&c.* Ratio est. I. Quia optare à Deo æternum separari, & in inferno æternum cruciari, votum est rei non tantum impossibilis, Deus enim seipsum abnegare nequit: sed & indecorum admodum. 1. Ratione Dei, ad cujus non honorem, sed ignominiam tenderet, in gratiam & pro salute hominum sceleratorum & in peccatis suis obduratorum, servum sibi fidelissimum æternum à se separare. 2. Ratione ipsius optantis, tanquam dilutum nimis amorem cum Deo perpetuum vivendi indicantis 3. Ratione eorum, pro quorum salute votum fit, quæ indecore promoveretur æterno tam fidelis præceptoris exitio. II. Esset amor Pauli erga Judæos ferventior amore Christi, qui non optavit æternum à Patre suo separari, sed *gloriâ, quam habuerit prius quam mundus esset*, *c.* *renari*, *Joan.* XVII. 5. Alii credunt, Paulum respicere ad ritum Excommunicationis Judæis usitatum, & à Judæis ad Christianos derivatum, quo excommunicatus ab hominum consortio arcebatur, nec nisi pœnitentiâ ac bonæ mentis professione absolutionem consequi poterat. Quasi Paulus dicat: Utinam ego ipse hæc pro illis omnibus seu eorum vice incommoda paterer, si modò sic redimi & Christiani fieri possent! Qui sensus commodus est, nihilque in se continet absurdi.

Servile non esse metu pœnæ æternæ Deo obedire.

XIX. Superest jam altera quæstio, utrum servile sit metu pœnæ æternæ, quam Deus comminatur, ad obediendum Deo promoveri? Fateor generosius esse spe præmii induci; quosdamque pios continuo virtutis habitu eò usque adscendere, ut solo vitæ æternæ amore Deo obediant. In initio tamen conversionis, quando gravi cum luctâ carnis concupiscentiæ edomandæ sunt, & postea gravi ingruente tentatione ac cruce, si quis ad comminationes divinas respiciat, earumque metu ductus Deo obediat, nequaquam servile quid, aut Christianâ professione indignum, facit. Non inficior, servile esse, metu pœnæ solummodo temporalis moveri; non vero pœnæ æternæ, ac æternæ à Deo separationis. Qui enim temporalis tantummodo pœnæ metu obedit, mala hujus vitæ pluris æstimat amore justitiæ ac vitæ æternæ: quod indecorum est & servile. Metu vero pœnæ æternæ Deo obedire servile neutiquam esse, hisce rationibus probamus.

Probatur aliquot rationibus.

XX. Primò. Quia Deus non tantum proposito præmio, sed & pœnâ, nos ad obediendum adhortatur: quod testantur omnes comminationes divinæ, passim per totam Scripturam Sacram sparsæ. Atqui indecens non est iis rationibus ad obedientiam permoveri, quibus Deus nos moveri vult, quæque à Deo eum in finem adhibentur, ut iis moveamur. Aliàs frustra essent propositæ. II. Ipsa Scriptura timorem illum præscribit, 1 *Petr.* 1. 17. *Si patrem invocatis, qui absque personarum acceptione judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. Hebr.* XII. 28, 29. *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam; per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentia: Etenim* (NB) *Deus noster ignis consumens est.* Imo illo metu Scriptura homines impellit ad Deo obediendum. *Act.* XVII. 30 31. *Deus nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant; eo quod statuit diem, in quo orbem judicaturus est in æquitate, &c.* 2 *Cor.* V. 11. *Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus. Apoc.* XIV. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem quia venit hora judicii ejus. Cap.* XV 3, 4. & alibi passim. III. Obedientia, quæ fit per fidem, est sincera ac laudanda. Atqui fides respicit non tantum promissa, sed & comminatio-

 nes

nes divinas; quia fides assentitur omnibus Dei enuntiatis. Qui itaque promissa sola admitteret, non minas, dimidiam tantum haberet fidem. Nam quod quidam putant, comminationes non respicere fideles, quia spectant tantum reprobos, neutiquam vero electos; vanum est, & falsâ de prædestinatione sententiâ nititur. Comminationes spectant omnes, quibus Euangelium revelatum est, sub conditione si præceptis divinis non obediant, aut ab eorum observatione deficiant. IV. Et sane si illicitum sit ac servile metu pœnæ ad divinorum præceptorum observationem moveri, quid ita semper in scriptis & concionibus suis homines metu pœnæ divinæ, etiam temporalis, à malo retrahere & ad pœnitentiam reducere conantur? Indecens quippe est, illicitis mediis homines movere.

Occurritur objectioni prima. XXI In contrarium tamen varia objici solent. Obj. 1. Vera fides pellit timorem. Resp. Vera fides non pellit timorem comminationum divinarum; quia illas respicit: sed humanarum, quæ Deo obsequentibus pœnas comminantur: imo illarum timor ratio est movens ad Deo obediendum, excusso omni mortis, quæ ab hominibus inferri potest, timore: & à Domino commendatur, *Matth*, x. 28. & *Luc.* xII. 4, 5. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennâ.* Fateor ex hisce locis non directe inferri Deo obediendum metu pœnæ; sed, obedientiam Dei non omittendam metu hominum, metumque hominum abigendum metu Dei; qui enim hominum metu à cultu divino desciscit, mali metu seduci declarat. Si ergo, inquit Dominus, metu mali cujusdam ducamini, illum metuere debetis, qui gravissimum malum infligere potest. Atqui exinde recte infertur, si metu gravioris mali à Deo infligendi, coërcendus sit metus hominum; non itaque illicitum esse, metu pœnæ à malo cohiberi.

Secunda. XXII. Obj. 2. *Luc.* I. 74, 75. dicitur Deus nobis dedisse liberationem, *ut sine timore serviamus illi.* Resp. manifeste agitur de timore hominum, à quorum manu nos Deus liberavit, ut & *vers.* 71. Sensusque est, Deum nos è manu inimicorum nostrorum liberasse, ut fine eorum metu, qui cultum nostrum impediverant, Deo serviamus.

Tertia. XXIII. Obj. 3. *Rom.* VIII. 15. dicimur accepisse *non spiritum servitutis iterum ad timorem, sed adoptionis filiorum*, &c. Resp. Agitur de anxia illa obediendi ratione, quæ sub Lege locum habebat, quæ populum Israëlis infantium instar tanquam pædagogus continebat, & ad Christum adducebat; infans autem, qui nondum ipsa bona sua administrare potest, tutore indiget cui subsit. Tum & de variarum ceremoniarum observatione, quâ tanquam jugo eum premi Deus volebat; in quibus transgressio admodum facilis erat. Tandem, quâ summum etiam ostendit rigorem & severitatem erga transgressores, omni transgressioni justâ mercedis retributione constitutâ, *Hebr.* II. 2. quæ omnia non nisi metum incutere poterant: obedientiamque magis exprimebant pœnæ metu, quàm spe hæreditatis apud Deum obtinendæ suadebant. Quæ omnia magis statum servilem quàm filialem repræsentant. Ab hoc statu fideles liberati sunt, à jugo ceremoniarum legali, à legis condemnatione, spesque remissionis ac gratiæ, quæ conscientiæ pacem producit, ipsis est facta. Non tamen immunes sunt à metu jus filiorum Dei amittendi, si à fide & pietate desciscant.

XXIV. Obj. 4. I *Joan.* IV. 18. *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet, qui autem timet non est perfectus in charitate.* *Quarta.* Resp. I. Per *timorem* hic intelligitur metus periculorum & malorum, quæ fidelibus in hac vitâ propter dilectionem divinam ab hominibus infligi possunt: illum perfecta Dei charitas excludit, uti jam vidimus: non autem intelligitur metus comminationum divinarum. Sensum hunc tantum non evincit versus præcedens; *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Non enim per *judicii diem* universalis judicii, in fine mundi exercendi, dies intelligitur; sed particularis, sc. miseriæ, calamitatis, crucis, quam Deus fidelibus suis in hoc mundo immittit, eodem sensu, quo, I *Petr.* IV. 17. dicitur, *Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei.* Sensus itaque est; nos perfecte Deum amare, quando cum fiducia & intrepide comparemus coram judiciis hominum, qui ob fidem nostram in Christum persecutiones adversus nos instituunt; omniaque illorum judicia subire malumus, quam amorem nostrum erga Deum, fideique professionem abnegare. Quem sensum & confirmant sequentia; *Quia sicut ille* (supple fuit) *& nos sumus in hoc mundo*, id est, hoc faciendo, Jesu Christi Domini nostri exemplum imitamur, qui *bonam confessionem edidit sub Pontio Pilato*, I *Tim.* VI. 13. Quibus subjungens, *metus non est in charitate*, &c. manifestum est, metum persecutionum intelligendum esse. 2. Si quis tamen velit de metu comminationum divinarum sermonem esse, acriter cum ipso digladiari nolumus; sed addimus, metum illum dupliciter accipi posse: vel ut sit metus condemnationis, qualis est in peccatore veniæ spe destituto, qui Deum iratum ac vindicem metuit, statumque suum sentit esse statum condemnationis: is metus cessat in dilectione divina: quoniam talibus nulla

la est condemnatio, *Rom.* VIII. 1. vel ut sit metus excidendi favore divino sub conditione, si deficiamus, aut in dilectione non persistamus. Hic exigitur à fidelibus, ut eo in officio contineantur, *Rom.* XI. 21, 22, 23. *Noli altum sapere, sed time*, &c. *Hebr.* IV. 1. isque metus etiam fuit in Paulo, qui *corpus suum castigabat, & in servitutem redigebat, ne cum aliis prædicasset, ipse reprobus fieret*, 1 *Cor.* IX. 27.

Quid sit servile. XXV. Servile ergo est, solummodo metu pœnæ, nullaque alia ratione moveri. Servile est, metu pœnæ quasi invitum constringi ad obediendum. Servile est, externam tantum obedientiam præstare metu pœnæ, non autem toto corde Deum colere. At metu comminationum Dei ad obedientiam permoveri, ne in ea negligentes æternum à Deo separemur, filiorum est, qui gravissimum existimant à cœlestis sui Patris visione separari; oriturque ex intenso erga Deum amore.

CAPUT II.

De promissis & minis N. Fœderis vitam hanc animalem concernentibus.

Promissa ac comminationes Novi Fœderis. I. CUm itaque constet, illicitum non esse homini Christiano spe præmii, aut metu pœnæ ad obediendum Deo permoveri; consequens est, ut ipsas Dei sub Novo Fœdere promissiones & minas specialius consideremus, ut cognoscamus quo præmio Deus nos ad obedientiam excitare, quàve pœnâ à peccato ac rebellione deterrere cupiat.

Alia respiciunt II. Promissa ac comminationes Religionis Christianæ, vel respiciunt vitam hanc animalem, vel spiritualem.

Vitam hanc animalem. III. Promissa vitam hanc animalem concernentia non sunt specialia, sicut in Veteri Testamento certa quædam ac distincta bona, fertilitatem, longævitatem, fœcunditatem aliasque in terra Canaan prosperitates addicentia; sed generalia tantum, vitæ scilicet hujus, eorumque quæ ad nostri sustentationem necessaria sunt. Sic 1 *Tim.* IV. 8. *Pietas habet promissa hujus & futuræ vitæ. Hebr.* XIII. 5, 6. *Contenti estote præsentibus; ipse enim dixit, non te deseram nec te derelinquam.* Sic & *Matth.* VI. 33. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Promissum illud minimum est in Religione Christianâ. IV. Ex quâ generali loquendi ratione apparet, 1. Hoc minimum esse in religione Christianâ promissum. 1 Quia vitæ æternæ bonum fidelibus proprie promissum est; estque illud speciale Novi Fœderis promissum, quod non generalibus verbis & sub generali *vitæ* nomine, perinde uti olim sub Veteri Testamento, comprehenditur, sed distincte ac claris verbis expressum est. Hinc *Hebr.* VIII. 6. fœdus novum *melioribus* dicitur *promissionibus sancitum*. 2. Quia piis passim crux & afflictio prædicitur in Euangelio, ac patientia tanquam virtus præstantissima passim commendatur; illa autem cum bonorum terrenorum affluentia ac jucunda & secura possessione consistere nequit.

V. Secundò. Non absolute piis promitti, sed sub conditione, si illa bonorum terrenorum affluentia nec honoris divini promotioni, nec ipsorum saluti, nec aliorum ædificationi obsit. Illis enim casibus crux prædicitur. Idque amori divino, quo æternam filiorum suorum salutem desiderat, conveniens est, ut bona terrena neget, quando eorum affluentiam principalis boni adeptioni obstituram novit. Verùm extra hos casus etiam quæ ad vitam hanc terrenam quiete & tranquille transigendum conducunt, generalibus illis nobis promissa credi debent. Quin & 1 *Pet.* III. 10, 11, 12. verba *Psal.* XXXIV. 13, 14. *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo*, &c statui Novi Fœderis applicantur. Indiget quippe fidelis, dum hic commoratur, domicilio quopiam omnibusque ad vitæ sustentationem necessariis: illorum curam in se suscipit Deus, *Matth.* VI. 30, 31, 32. Et Paulus jubet nos orare Deum *pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* Imo *Eph.* VI. 2, 3. promissum de longævitate super terra, etiam sub Novo Testamento applicatur filiis parentes suos honorantibus. *Et non absolute piis promittitur.*

VI. Sed hîc quæri posset, utrum longævitas sub Novo Testamento beneficium censeri possit? Cùm enim statuamus omnium infantium in infantia sua decedentium certam esse salutem, plurimi autem adultorum vitâ profanâ ac impiâ sibi damnationem accersant, ne salus ambigua sit, præstare videtur infantem decedere. *Resp.* Posse casus istiusmodi incidere, ut respectu miseriarum hujus vitæ præstet infantem decedere, quàm longævum illis involvi: ut apparet in filio Jeroboami: respectu verò salutis æternæ, etsi certam credamus infantium salutem, vitam nihilominus longæviorem, etsi mille peccandi atque ita pereundi periculis expositam, summum Dei ac verè optandum credimus beneficium. 1. Certi enim sunt fideles adulti auxilium divinum, cujus ope mandata divina præstare salutisque esse consortes possunt, sibi nunquam defuturum, modo seriis ac ardentibus precibus id à Deo efflagitent. Deinde. Nec minus certi sunt, hac suâ mandatis divinis præstitâ obedientiâ Dei gloriam illustrari, eamque proinde Deo multo gratiorem esse nudâ infantium innocentiâ: unde & spe salutis æternæ, quin & aliquando Spiritus Sancti corda ipsorum obsignantis testimonio, indeque orto gaudio ineffabili, con- *Longævitas etiam sub Novo Testamento est beneficium.*

confirmantur. Quibus tandem adde, quòd ipsorum obedientia, etiam gravissimis pietatis exercitiis præstita, multo majore gloriæ gradu coronabitur, quàm infantium innocentia: præterquam quod incertum plane sit, quem gloriæ gradum Deus infantibus, ante rationis usum exstinctis, attributurus sit.

Comminationes hanc vitam concernentes.

VII. Comminationes hanc vitam concernentes varias continent ærumnas, afflictiones, morbos, ac tandem etiam mortem. Ærumnas ac morbos, *Apoc.* 11. 22, 23. *Mulierem Jesabelem* Dominus *conjiciet in lectum; & qui cum ea mæchantur in tribulatione maxima erunt: & filios ejus interficiet in morte.* Sic & 1 *Corinth.* XI. 30. dicuntur quidam ob non dignum sacræ Cœnæ usum *infirmi & imbecilles*. Ita & aliquando piis, ob peccata sua, adversa, afflictiones & persecutiones immittuntur, ad castigationem *Hebr.* XII. 5, 6, 7, 8, 9. *Apoc.* III. 19.

Etiam mors temporalis.

VIII. Mors, quam Deus sub Novo Testamento comminatur, licet dubitandum non sit, quin præcipue æterna designetur, tamen & temporalem, quæ vitæ hujus præsentis finis est, denotat, quatenus initium est mortis æternæ impiis destinatæ. Imo & nonnunquam solam temporalem designat, quam Deus fidelibus, cætera quidem piis, sed in peccatum aliquod lapsis, quod Deus non quidem pœnâ æternâ punire, non tamen planè impunitum dimittere decrevit, in peccati illius pœnam immittit. Qualis est mors, quâ Deus Mosen, præ diffidentia aut iracundia petram bis virgâ suâ percutientem punivit, *Num.* XX. 12. & sub Novo Testamento quâ Corinthii ob non satis reverentem Cœnæ Dominicæ usum puniti sunt, 1 *Cor.* XI. 30. quo in loco temporalem duntaxat, non autem æternam designari mortem, argumento est vox *dormire*, quâ nunquam mors æterna, sed tantum temporalis, è qua tanquam è somno evigilaturi sumus, significatur.

Judicia Dei sunt vel visitationis, vel excidii.

IV. Ut autem distinctius paulum de comminationibus, ac pœnis hisce divinis dicamus, sciendum, judicia Dei, præsertim sub Novo Fœdere, distingui solere, quòd sint judicia vel visitationis seu castigationis, vel excidii. Priora locum habent in hac vita, posteriora sunt futuræ vitæ. Illa licet iræ sint indicia; tamen & cum amore, benevolentiæ nempe, conjuncta sunt, quatenus tendunt in emendationem illius qui castigatur; ut seria resipiscentia graviorem pœnam evitet, Deoque reconciliatus amicitiâ ejus fruatur. Hæc solummodo ex ira procedunt, hominique exitium nunquam eluctabile inferunt. Hinc David orat, *Psal.* VI. 2. ne Deus ipsum in ira sua corripiat. Priora judicia resipiscentiæ actibus suspendi & abrumpi possunt. Posteriora nequaquam, quia non, nisi longanimitatis divinæ tempore elapso, infliguntur. De prioribus sermo est, *Hebr.* XII. 5, 6, 7, 8. *Apoc.* III. 19. De posterioribus, *Joan.* III. 36. *Rom.* II. 5, 8, 9. 1 *Thess.* I. 10.

Vel in privatas personas, vel integrum populum.

X. Similiter pœnæ seu judicia hujus vitæ distingui possunt in pœnas privato cuipiam, & generales toti populo aut Ecclesiæ immissas. Pœnæ totius populi in hac vita sunt vel castigationes, vel excidia. Distinctionem hanc luculenter confirmat *Amos.* IV. 6, 7. & *seqq.* ubi post commemoratas varias Dei castigationes frustra populo Israëlis immissas, tandem Deus illi comminatur exitium: & 2 *Chronic.* XXXVI. 14. & *seqq.* narratur, quomodo Deus, post varias paternas castigationes frustra adhibitas, tandem populum Judæ è terra sua exciderit. Clarissimè verò omnium *Luc.* XIX. 43, 44. ubi Dominus Jesus flens Hierosolymæ exitium prædicit, (quod *cap.* XXI. 22. *dies ultionis* vocat) additâ hac ratione, *eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

Non certum est, semper per resipiscentiam exitium generale præveniri posse.

XI. In hisce judiciis benignitatem suam ostendit Deus, quòd nunquam populi, sceleratissimi licet, exitium præcipitet, sed non nisi castigationibus suis ingratissime contemtis ad vindictam se paret. Quia autem arbitrii divini est longanimitati suæ modum ponere, incertumque proinde est, Deo judicium in populum sceleratum, sæpius monitum & paterne castigatum, exercente, utrum castigationem an exitium intendat; hinc est quod Prophetæ, peccatores ad resipiscentiam adhortantes, non semper absolutam pœnæ remissionem annuntient, sed dubitanter aliquando loquantur; *Joel.* II. 13, 14. *Lacerate corda vestra, & non vestes*, &c. *Quis scit an revertatur & pœniteat ipsum, & relinquat post se benedictionem?* &c. *Amos.* V. 15. *Odio habete malum, & amate bonum, ac constituite in porta jus: fortasse gratiosus erit Jehova Deus exercituum reliquiis Josephi.* Innuere volentes, si quod placandæ iræ divinæ remedium sit, unicum illius esse resipiscentiam.

Excidiis generalibus castigationes erga pios immixtæ sunt.

XII. In generali autem populi totius excidio non omnes, qui illi involvuntur, etiam à Deo irato exscindi credi debent. Iram in totum populum, quatenus populum, Deus aliquando effundit; pios tamen, populi illius partem exiguam, exitio æterno eripit, aut pœnâ hac temporali castigat, ut peccati, quo adhuc tenentur, labe expurgatâ, ad majorem vitæ puritatem adspirent. Adeo ut judiciis Dei excidii seu vindictæ erga totum populum, etiam castigationes erga pios immixtæ sint. Discriminis hujus ratio exinde elucescit, quòd ut modo dicebamus, judicia castigationis proprie hanc vitam, excidii autem futuram vitam respiciant. Exinde consequitur, ubicumque exitium in futuro seculo locum habere potest, in hoc seculo tantum immitti castigationem: ubi autem

autem excidium non in futuro, sed in hoc solummodo seculo locum habet, ibi tam exitium quàm castigationem in hac vitâ immitti. Singulare uniuscujusque hominis exitium in futuro seculo locum habebit, quia singuli è mortuis suscitabuntur, & unusquisque pro se Deo factorum suorum rationem reddet: ideoque omnes pœnæ, omnia judicia hujus vitæ, quatenus singulos concernunt, vitæque filum non abrumpunt (alia enim in improbitate suâ exstinctorum ratio est) non alio quàm castigationum divinarum loco habendæ sunt. Populorum autem excidium, quatenus populorum, in futura vita locum habere nequit; non enim ut integri populi coram tribunali Christi comparebunt, sed singuli pro se. Itaque excidii totius populi judicia in hoc solummodo seculo locum habent. Taliaque judicia etiam sub Novo Testamento in populos sceleratos ac contumaces exercentur: sicut & populi Deo morem gerentes Deum experiuntur propitium ac benignum. Eadem circa integras Ecclesias locum habent. Earum, resipiscentiam non agentium, dispersionem ac excidium comminatur Dominus, *Apoc.* 11. 5. *Veniam adversum te cito, & movebo candelabrum tuum de loco suo nisi resipiscentiam egeris.* Verbum autem suum diligentibus ab exitio præservationem promittit, *Apoc.* 111. 10. *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.*

Hujus vitæ comminationes minimæ sunt minima sub Novo Testamento.

XIII. Ex dictis constat, hujus vitæ comminationes minimas esse sub Novo Fœdere: quæ vero vitam spiritualem, & exinde futuram concernunt, non tantum præcipuas esse, sed & vere ac proprie Christiano metuendas, utpote quæ hominem à Deo ac beata illius visione separent, ac exitio nunquam eluctabili involvant.

CAPUT III.

De Electione actuali fidelium, eorumque in filios Adoptione.

Alia respiciunt vitam spiritualem.

I. PRomissa & minæ Novi Fœderis vitam spiritualem concernentia, vel ejusmodi respiciunt actus divinos, qui in hac vita implentur, vel qui in futura demum vita complementum suum sunt habituri.

Quædam in hac vita locum habent.

II. Actus salutares, quos Deus in hac vita fidelibus confert, sunt Electio, Adoptio in filios, Justificatio, Sanctificatio, Obsignatio per Spiritum Sanctum. Actus pœnales, quos erga infideles ac impios in hac vita exercet, sunt tres potissimum, Reprobatio, Excæcatio & Induratio. Vocantur hi salutares & pœnales, quatenus instituuntur propter actus futuram vitam spectantes: priores enim salutares sunt, quatenus respiciunt vitam æternam, in quâ salus nostra consummatur: posteriores pœnales, quatenus hominem præparent ad pœnam æternam, quæ summa miseria est.

Quo ordine considerentur.

III. Non est facile dictu, quem ordinem Deus in actuum horum salutarium gratiosa applicatione observet; neque id necesse est accuratè inquirere; utrum sc. Justificatio Adoptionem præcedat, an vero sequatur. Sufficit scire, actus esse conjunctos; & fortasse aliqui eorum simul fidelibus applicantur. Nos quia omnes simul tradi nequeunt, eo ordine, quo à Theologis nostris considerari solent, trademus.

Electio.

IV. *Electio est actus Dei qui in tempore fit, quo fideles segregat ex impia pereuntium turba, & ex ordine damnandorum exemptos velut in peculium suum seponit, & ordini salvandorum inscribit.* Dicimus esse actum Dei *qui in tempore fit*; ut ostendamus eum non ab æterno esse factum, ut vulgo putatur. 2 Quo *fideles* segregat; ut ostendamus fidem non sequi electionem, sed præcedere; neque electionis esse effectum, sed conditionem prærequisitam ad electionem: objectum itaque electionis non esse nisi hominem fidelem.

Electio alia est ad gratiam.

V. Ut id pateat, sciendum, Electionem aliam esse ad Gratiam, aliam ad Gloriam. Quanquam enim phrases hæ ignotæ sint Sacris Scriptoribus, habent tamen fundamentum in Scriptura. Electio significat segregationem rei à re, seu personæ à personâ; sive in iis quid fit propter quod eliguntur, sive non fit: hoc enim electioni est extrinsecum. In Scriptura significat Electio actualem sequestrationem ad privilegium aliquod, quo cæteri carent: estque vel integri populi ad certam quandam supra alios prærogativam: ita Israëlitæ dicuntur *populus Dei electus, Deut.* v. 1. 6. xiv. 2. xxvi. 18. Vel particularium quorundam, 1. ad munus aliquod excellens; qualis fuit electio Saulis, Davidis, ad regnum, Aaronis ad sacerdotium: duodecim discipulorum ad Apostolatum, *Luc.* vi. 13. *Joan.* xv. 19. 2. Ad temporalem aliquam gratiam & privilegia eximia. Ita Jacob fuit electus præ fratre Esauo, *Rom.* ix. 11. cui adhæret electio posterorum Jacobi in populum Dei benedictum: hinc passim *populus electus* dicitur; & *Rom.* xi. 28. etiam propter contumaciam suam rejecti, dicuntur *secundum electionem charissimi propter Patres.* 3. Ad gratiam spiritualem & cœlestem: hoc sensu omnes vocantur electi, qui à Domino Jesu vel ipsius Apostolis vocabantur per Euangelium ad participationem salutis. Ei quidem duplici potissimum de causa. 1. Quia è communi hominum cœtu vocantur, & quasi segregantur ad Deo serviendum, aliis quibusdam certo consilio præteritis à Deo & relictis: ita 1 *Corinth.* 1. 27. dicitur *Deus quæ*

ſtulta ſunt mundi elegiſſe, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegiſſe, ut confundat fortia; &c. & ſic gentiles, Judæis ob incredulitatem rejectis, *electi* dicuntur. 2. Reſpectu ſtatus prioris indigni, ſine ulla ad alios homines relatione, niſi forte eos qui ſeculis præcedentibus vixerunt, quos Deus ambulare ſivit in viis ſuis; nunc autem omnibus annuntiat ut pœnitentiam agant; *Act.* XIV. 16, 17. XVII. 30. Hoc ſenſu ait Petrus, 1 *Epiſt.* II. 9, 10. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium*, &c. additque rationem horum elogiorum: *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

Alia ad gloriam.

VI. Sed quoniam Deus eos, quos vocat, ad certum aliquem finem vocat, quem ſine libera eorum obedientia non aſſequitur, fidem nempe, & per fidem ſalutem æternam; hinc illi, in quibus iſtum finem aſſequitur, vocantur propriiſſimè *electi*; 1 *Theſſ.* I. 4. *Scientes, fratres, dilecti à Deo, electionem veſtram.* Et *electi Dei*: *Rom.* VIII. 33. *Quis accuſabit electos Dei? Matth.* XXIV. 31. *Congregabunt electos ejus à quatuor ventis. Coloſſ.* III. 12. *Induite tanquam electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ*, &c. *Tit.* I. 1. *electi Dei.* Vel ſimpliciter *electi*: *Matth.* XXII. 14. *Multi vocati, pauci electi. Cap.* XXIV. 22. *Propter electos abbreviabuntur dies illi. verſ.* 24. *Seducent, ſi poſſibile, electos.* 2 *Tim.* II. 10. *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur. Apoc.* XVII. 14. *Qui cum agno ſunt vocati, electi, & fideles.* Eodem modo quo *vocati* aliquando deſignant eos qui vocationi obediunt; dicto *Apoc.* loco; & 1 *Corinth.* I. 24. *Vocatis Judæis atque Græcis prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Et *verſ.* 2. *Sanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis.* Hoc ſenſu undecim Apoſtoli dicuntur à Chriſto *electi*, *Joan.* XIII. 18. oppoſitè ad Judam; de quo tamen *cap.* VI. 70. dicitur, quod una cum aliis fuerit electus; *Nonne ego vos duodecim elegi*? Nempe ad Apoſtolatum. Sic qui in populo Iſraëlitico legi divinæ parebant *electus* Dei *populus* paſſim ſunt vocati, & peculium; licet id etiam de toto dicatur populo, etiam comprehenſis impiis. Et tales dicuntur *verbo legis ſtatuere*, *Deut.* XXVII. 26. *Jerem.* XXXV. 16. & ſic in Novo Teſtamento dicuntur *electionem ſuam firmam facere*, 2 *Pet.* I. 10. oppoſitè ad eos, qui *Hebr.* X. 28. dicuntur *irritam facere legem Moſis.* Eodem ferme ſenſu, *Joan.* III. 33. *qui teſtimonium Chriſti recipit*, dicitur *ſignaſſe quod Deus verax eſt.*

Fit ea in tempore.

VII. Electi ergo ad gloriam ſunt, quorum electio rata facta eſt per fidem; eaque fit in tempore, & ſequitur fidem noſtram, nec ullus in contrarium locus allegari poteſt, ubi dicitur ab æterno facta. *Eph.* I. 4. ubi dicimur *electi ante jacta mundi fundamenta*, manifeſtè agit de decreto electionis, & quidem ad participationem gratiæ Euangelicæ, non autem ad gloriam; quod evincunt verba, *ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, &c.* Ita ſæpius actiones Deo tribuuntur, quas apud ſe decrevit exſequi. Sic 2 *Tim.* I. 9. dicitur *gratia nobis in Chriſto Jeſu data ante tempora ſecularia. Rom.* VIII. 30. *Deus quos juſtificavit glorificavit. Eph.* II. 5, 6. *Convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu.* Quæ omnia de decreto divino accipienda eſſe manifeſtum eſt. Eodem modo & concedere poſſumus, Deum ante tempora ſecularia decreviſſe homines per gratiam ſuam ad fidem in Jeſum Chriſtum vocare, & fideles in Jeſum Chriſtum eligere ad ſalutem. Et hoc ſenſu piis gloria dicitur præparata ante jacta mundi fundamenta, *Matth.* XXV. 34. Ipſa autem electio in tempore fit.

Sequitur fidem noſtram.

VIII. Electionem autem ſequi fidem atque obedientiam noſtram, ipſumque adeo electionis objectum eſſe hominem fidelem, conſideratum ut talem, conſtat ex omnibus illis locis, in quibus fides & converſio requiruntur tanquam conditio ad ſalutem. Fides quidem: *Marc.* XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur: Qui vero non crediderit, damnabitur Joan.* III. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium ſuum unigenitum, ut quicunque in ipſum credit non pereat, ſed habeat vitam æternam. Cap.* VI. 40. *Hæc eſt voluntas qui miſit me Patris, ut qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Cap.* VIII. 24. *Rom.* X. 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Jeſum, & corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.* & alibi paſſim. Converſio & ſanctitas vitæ; *Matth.* V. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et *cap.* VI. 14. *Luc.* XIII. 3, 5. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis. Rom.* VIII. 13. *Si ſecundum carnem ambulaveritis, moriemini: ſi vero ſpiritu facta corporis mortificaveritis, vivetis.* Infinitiſque aliis locis. Quod autem in homine Deus requirit ut ipſi actu ſalutem conferat, idem etiam in ipſo exigit, ut ex hominum perditorum turba eum ſegreget, & in ſalvandorum numerum tranſcribat.

Reſponſio ad loca Scripturæ in contrarium afferri ſolita. Tit. I. 1.

IX. In contrarium tamen varia proferri ſolent; Et quidem 1. quod *Tit.* I. 1. dicatur, *fides electorum Dei.* Unde ſic colligunt: Si fides ſit electorum, ergo electio præcedit fidem. *Reſp.* Collectio admodum eſt inepta. 1. Enim *fides* hic non ipſum fidei actum, ſed metonymicè doctrinam fidei denotat: ut, *Actor.* VI. 7. *Rom.* I. 5. *Gal.* I. 23.

1. 23. III. 23, 25. 2. *Electi* non necessariò designant electos ad gloriam. Possunt enim per *electos* intelligi nominaliter, eximii; id est, dociles & probi; ut conveniat cum locis, *Joan.* VII. 17. VIII. 47. X. 26. Possunt etiam intelligi electi ad gratiam: non enim ulla hìc est nota, electos ad gloriam intelligendos evincens. 3. Sed esto, intelligendi sint electi ad gloriam; non magis ex phrasi hac, *fides electorum*, evinci potest, electionem præcedere fidem; quàm ex phrasi, *fides sanctorum*, *Apoc.* XIII. 10. & *fides semel tradita sanctis*, *Judæ vers.* 3. colligi potest, sanctitatem priorem esse fide. Sicut ergo *fides sanctorum* illis in locis est fides quam profitebantur, aut quâ præditi erant illi, qui postquam crediderunt sancti evasere; ita & hoc loco, *fides electorum*, significat fidem quam profitebantur ii, qui postquam crediderunt à Deo sunt electi.

Act. XIII. 48. X. Obj. 2. *Act.* XIII. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Resp. Non dicuntur à Deo ordinati, multo minus præordinati, ad vitam æternam; sed simpliciter τεταγμένοι: atqui illi aliquando apud Scriptores Græcos intransitivè seu absolutè, denotant dispositos ac aptos ad rem sive munus aliquod, sine ulla relatione ad alium à quo dispositi sunt. Quin & de quibusdam legitur, quod seipsos disposuerunt ad ministerium sanctorum, 1 *Cor.* XVI. 15. Τεταγμένοι ergo sunt dispositi seu apti ad vitam æternam, hoc est, fidem concipiendi, atque ita consequendi vitam æternam. Si verò hæc verba de præordinatione divina accipere velimus, multa consequuntur absurda, quæ aliàs fusè deduximus.

1 Pet. 1. 2. XI. Obj. 3. 1 *Pet.* 1. 2. dicuntur *electi secundum præcognitionem Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & adspersionem sanguinis Jesu Christi.* Resp. 1. Non dicuntur *electi secundum præcognitionem Patris*, multò minus *ad obedientiam*, &c. Sed verba, *secundum præcognitionem Patris*, connectanda sunt cum sequentibus, ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, & subintelligendum ὄντες, ut sensus sit; qui speciali beneplacito Patris per Spiritum Sanctum ab impio mundo sunt segregati, eo fine, ut Deo obediant, atque ita adspergantur sanguine Novi Fœderis. 2. Etsi admittatur ea lectio, potest accipi de electis ad gratiam, qui non propriâ suâ industriâ viam salutis sunt ingressi, sed à Deo ipso pro benevolo ipsius affectu vocati, absque ullo ad opera ipsorum respectu: perinde uti 2 *Timoth.* 1. 9. *Eph.* II. 3, 4, 5. Aliàs si hìc velimus intelligi electionem ad gloriam cujus effectum fuerit fides, dicendum, Petrum omnes ad quos scribebat pro electis habuisse: quod multiplici absurditate laborat. Nam id habuit, aut per revelationem aliquam; at tum omnes ipsius admonitiones ut solliciti sint & diligentes in studio sanctitatis frustraneæ fuissent: aut per judicium charitatis: at cui, qui sententiam illam amplectitur, verisimile erit, ignorasse Petrum, multos vocatos, paucos electos? Aut dicendum, quòd epistolam suam tantum ad nominatim electos direxerit. Atqui tum dicendum, revelatum ei fuisse, quosdam tales inter illos fuisse; & quæcunque scribit, ad illos solos pertinuisse. Quæ omnia absurda.

XII. Obj. 4. *Jacob.* II. 5. *Deus elegit pauperes hujus mundi, ut sint divites fide.* Resp. Non legitur, *ut sint divites fide*; sed solummodo, πλουσίους ἐν πίστει; quod melius suppletur, *qui sunt divites in fide*. Hancque explicationem scopus Apostoli evincit, qui est, docere, nullam habendam personarum acceptionem; quod confirmat exemplo Dei; qui nullum admittit discrimen inter divites & pauperes, modo sint divites in fide. Sed si legatur, *ut sint divites in fide*, manifesta erit personarum acceptio. Jacob. II. 5.

XIII. Obj. 5. *Rom.* VIII. 29, 30. *Quos Deus prædestinavit, eos vocavit.* Cùm itaque vocatio præcedit fidem, & prædestinatio vocationem, sequitur & prædestinationem præcedere fidem. Resp. Agitur illo in loco de proposito credentes salvandi, & quidem per crucem. Non itaque agitur de vocatione infidelium ad fidem; qui enim hìc vocantur, dicuntur *diligentes Deum*, *vers.* 28. sed de vocatione fidelium ad crucem, & per crucem ad salutem. Idque totus contextus docet, tam antecedentia quàm consequentia horum verborum. Scopus enim Apostoli est, fideles consolari contra gravissimas quas patiebantur persecutiones, hoc adhibito argumento, quòd Deus fideles suos destinaverit per crucem in gloriam introducere; dicens, *quos præcognovit, eos prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui*; &c. Quæ autem est illa imago? Eam ipse exprimit Dominus, *Luc.* XXIV. 26. *Nonne hæc oportuit Christum pati; atque ita intrare in gloriam suam?* Quos autem ad crucem prædestinavit, eos etiam ad crucem vocavit, eos justificavit, ac tandem æternâ gloriâ coronare decrevit. Nihil hìc de electione ad gloriam, quæ vocationem ad fidem præcedat. Rom. VIII. 29, 30.

XIV. Quod *caput* IX. *Epistolæ ad Rom.* aliaque loca attinet, cùm ea antea fusè excussa sint, quando de Prædestinatione diximus, non est quod iis examinandis hìc denuò immoremur.

XV. Sed verò, alia jam superest quæstio. Quoniam diximus, Deum neminem eligere ad salutem, nisi eum, in quo est conditio requisita ut actu salus ipsi conferatur; ulterius quæri potest; cùm conditio ad salutem requisita sit perseverantia ad finem usque; & nemo dici possit ad finem usque perseve- *Electio hæc est vera, sed accedente perseverantia fit peremtoria.*

rasse nisi qui in fide ac pietate obdormiverit: an itaque aliquis ante mortem dici possit electus? Verùm non est difficilis quæstionis hujus solutio. Cùm enim fides est conditio requisita ad salutem, sequitur, quàm primum quis fide in Christum vivâ ac efficaci est præditus, eum mox à Deo eligi ad salutem, & in salvandorum numerum transcribi: & quamdiu in fide illâ perseverat, in salvandorum numero censeri: si vero à fide suâ deficiens ad priorem infidelitatis ac impietatis statum relabatur, quoniam ipsi conditio ad salutem requisita deêst, non amplius electis & salvandis annumerari potest. Verè itaque electus est, quamprimum credit: attamen, nisi in fide perseveret, electio illa peremtoria non erit, nec actu ipsi salutem conferet; verum sicut à fide deficit, ita etiam electionem suam irritam reddit. Non enim, quia abrumpitur, credendum est veram illam non fuisse electionem: non enim veritas abruptioni opponitur, sed soli falsitati. Sicut itaque fides, quæ abjicitur, vera aliquando fuit fides, (uti in præcedentibus ostendimus) licet eam actu salus non consequatur: ita etiam electio ejusmodi fideli applicata vera fuit electio, licet ob sequentem infidelitatem fuerit abrupta, & fine suo, ad quem erat destinata, sc. salute, destituta. Dices: An non id in Deo mutationem arguit? Nequaquam; sed summam constantiam; mutatio autem quæ hîc est à solo procedit homine. Deus enim, uti in Cap. de Pœnitentia divina diximus, immutabili decreto constituit credentes salvare, incredulos damnare: illud vero suum decretum in tempore pro statu hominum diversimodè applicat: credentibus quidem decretum salvandi, infidelibus decretum damnandi. Si quis vero desertâ fide ad infidelitatem relabatur, non amplius illi decretum salvandi, quod solos complectitur fideles, applicari potest; sed sub opposito damnandi decreto comprehenditur; & pro diversa ipsius mutatione etiam applicatio decreti divini mutatur; quæ tantum abest ut in Deo mutationem arguat, ut constantiæ sit signum, & nisi Deus mutato homine decreti sui applicationem similiter mutaret, inconstantiæ in Deo futurum esset indicium, qua decretum suum, de fidelibus salvandis ac infidelibus damnandis, redditurus esset irritum.

Omnes per creationem sumus filii Dei. XVI. Electioni ad gloriam immediatè adhæret *Adoptio in filios*. Filii Dei dicimur non uno respectu. Certum est ratione creationis omnes nos vocari filios Dei. Ita Adam vocatur *filius Dei*, *Luc.* III. 38. & Deus hominum *pater*, *Malach.* I. 6. & homines *progenies Dei*, *Act.* XVII. 29. Eodem respectu & Angeli filii Dei dicuntur, quia à Deo creati. Isque est omnium omnino hominum status naturalis.

Tribus modis XVII. Sed verò, præter hunc statum naturalem homines diversimodè vocantur filii Dei, & per specialem Dei gratiam ex communi hominum statu exemti, ad filiorum Dei dignitatem eliguntur: ac quidem triplici potissimum respectu. 1. Ratione specialis cujusdam beneficii divini, externæ putà fœderationis, qua Deus aliquos in populum suum adoptat, cui singulatim benedicere, seque præ aliis beneficium ostendere cupit. Hoc sensu *adoptio* tribuitur Israëlitis, *Rom.* IX 4. quia benedictum illud semen Abrahæ erant: passimque *filii Dei*, & *primogenitus Dei filius* vocantur. *Ose* XI. 1. *Deut.* XXXII. 18. 2 Ratione regenerationis, quam Deus per verbum & spiritum suum in nobis operatur, per quam Deo similes sumus, ejusque, non aliter ac filius patris, indolem referimus. Hoc sensu fideles & pii passim in Novo Testamento *filii Dei* dicuntur. Eodem sensu & *novus* noster *homo creatus* dicitur *ad imaginem Dei in sanctitate, justitiâ & veritate*, *Eph.* IV. 22,23,24 *Coloss.* III. 9,10. 1 *Joan.* III. 10. 3. Ratione excellentis cujusdam dignitatis, ob nostram cum Deo similitudinem nobis a Deo gratiosè destinatæ; quâ nimirum nos in filios adoptat jusque cœlestis hæreditatis suo tempore adeundæ confert. *gratiâ divinâ dicimur filii Dei.*

XVIII. Hæcque propriè est adoptio illa in filios, quæ ut Novi fœderis promissum nunc à nobis consideratur, & ut beneficium fidelibus vitæque sanctitate Dei indolem referentibus promittitur, & non nisi cum respectu ad fidem confertur. *Joan.* I. 12. *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* *Rom.* VIII. 14. *Quicunque spiritu Dei aguntur, illi sunt filii Dei.* *Gal.* III. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Vide & *cap.* IV. 5. Adoptioni huic in filios connexa est hæreditas; sunt enim filii bonorum paternorum hæredes. *Rom.* VIII. 17. *Si filii, etiam hæredes: hæredes Dei & cohæredes Jesu Christi.* His adde 2 *Cor.* VI. 18. 1 *Joan.* III. 1,2. *Quo sensu hic accipiatur.*

XIX. Patetque hîc summa benignitas divina, quod fideles, nullis suis operibus vitam æternam merentes, gratiosè in filios adoptat; atque ita præmium illud eximium per speciem hæreditatis ipsis confert; ut ita planissime constet, illud non meritis deberi, sed gratuitum esse. Inde & 1 *Joan.* III. 1. Hæc adoptio amori divino adscribitur. *Non tribuitur merito, sed gratiæ.*

XX. Cùm autem Adoptio in filios sit per fidem, concipi non potest, quomodo non & electio sit per fidem. Eodem enim modo, quo Deus homines in familiam suam adoptat, etiam in salvandorum numerum segregat: Quia salvandi, revera sunt familia & filii Dei. Ita ut hic vix diversas actiones, ob arctissimum nexum, concipere queamus: saltem non adeo divulsas, ut E- *Sicut Adoptio per fidem, ita & Electio.*

lectio

lectio facta dici possit non tantum ante fidem, sed & sine ullo ad fidem respectu: Adoptio autem in filios, non nisi per fidem, & cum respectu ad fidem. Ita enim essent duæ actiones diversæ, vix quicquam inter se commune habentes.

CAPUT IV.

De Justificatione.

Tres justificationis significationes. I. Tertius salutaris actus, qui in hoc seculo confertur, est Justificatio. De hac dicturi, ante omnia vocis ambiguitas ut tollatur necesse est. *Justificatio* quippe, ut & *justitia*, varias in Scriptura admittit, significationes; ac quidem tres præcipuè. I. Significat ipsam legem Dei quæ justitiam docet. *Psal.* CXIX. passim; *vers.* 5, 8, 16, 20. &c. II. Justitiæ acquisitionem, per quam is qui antea fuit injustus, reverà fit justus. Hoc sensu legitur, 1 *Corinth.* VI. 11. *Hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Et *Apoc.* XXII. 11. *Qui in sordibus est sordescat adhuc, & qui justus est, justificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc.* III. Sensu forensi denotat justitiæ declarationem, seu absolutionem à reatu, & tractationem instar justi. Ita *Proverb* XVII. 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. Esa.* V. 23. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* Vide & *Luc.* X. 29

Figurata acceptio. II. De impropriis vocis *justificandi* significationibus, quæ ex hac propria oriuntur, jam non dicemus: ut quod metonymicè dicatur justificare, quod aliquo modo in causa est, cur justus quisquam pronuntietur: quo sensu *fides* nos *justificare* dicitur, aut nos *justificari per fidem*: *Rom.* V. 1. imo & aliquando id quod in causa est, cur aliquis non absolutè, sed tantum comparatè justificetur, eum justificare dicitur. Sic *Jerem.* III. 11. & *Ezech.* XVI. 51, 52. dicitur Jerusalem Sodomam & Samariam justificare; committendo nim: peccata multo graviora, ita ut illæ cum Jerusalem collatæ comparativè justæ vocari possint.

Sententia Pontificiorum. III. Quæritur, quo sensu vox hæc in negotio Justificationis accipienda sit? Pontificii volunt eam sensu secundo accipi; nos sensu tertio. Quod ut rectè percipiatur, sciendum Pontificios non excludere tertium sensum; dicunt enim absolutionem à reatu consequi Justificationem, locumque habituram in futuro seculo: verùm ipsam Justificationem, quâ Deus nos in hoc seculo justificare dicitur, esse justitiæ infusionem, quâ Deus homines ex injustis facit justos, quemadmodum dicitur, quòd *Deus justificet impium*, *Rom.* IV. 5. id est, secundum ipsos, justum faciat. Distinguunt autem justificationem in primam, quâ homo per justitiæ infusionem fit justus, per justitiæ habitum, propter meritum Christi fide apprehensum, & legitimam Sacramentorum usurpationem: & secundam, quâ homo gratiæ & justitiæ infusæ cooperatur, & meretur majorem justificationem. De prima agi volunt in *Epistola ad Rom.* De secunda in *Epist. Jacob. cap.* 11. Adeo ut reverâ Justificationem cum regeneratione confundere videantur.

IV. Nos ultrò agnoscimus, ad Justificationem etiam requiri, non tantum fidem, sed & alias virtutes ex fide profluentes, quas illi dispositiones bonas solent vocare: fatemur similiter, fidem corda nostra purgare à peccatis; atque hoc sensu nos etiam dici posse per fidem justificari, id est, justos effici, quatenus fides nos à peccato alienos reddit, virtutisque amore inflammat. Nam *quicunque hanc spem habet in ipsum* (fore nim: ut sit filius Dei) *purificat seipsum, quemadmodum ipse purus est:* 1 *Joan* III. 3. & *Cap.* V. 4. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* Interim credimus actum ipsum justificandi, quatenus Dei actus est, esse actum judicialem. Neque rectè concipi potest, quomodo fides, aliæque virtutes ex fide profluentes, dispositiones sint justitiæ habitum præcedentes; cum reverâ actus sint justitiæ, ac proinde hominem jam ante infusum illum habitum justum esse demonstrent. *Verior sententia.*

V. Justificationem autem esse actum Dei judicialem, hisce argumentis evincimus. Primò. Justificatio coincidit cum remissione peccatorum, quæ actus judicialis est. Id evincitur *Act.* XIII. 38, 39. *Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur; & ab omnibus quibus non potuistis in lege Mosis justificari, in hoc omnis qui credit justificatur* Nec est quod quis excipiat, duo hic tradi beneficia diversa, remissionem nim: peccatorum, & justificationem, seu purgationem à peccatis: cùm res ipsa doceat, posterius exegesin esse prioris; quasi dicat Apostolus: Non confertur tantum vobis remissio peccatorum, quibus expiandis Lex sacrificia præscripsit; sed & eorum, à quibus per Legem non poteratis justificari, id est, quorum remissionem per Legem non poteratis consequi: & violentum plane est, hæc à se invicem divellere. *Justificatio est actus Dei judicialis. Ratio prima,*

VI. Secundò. Justificatio opponitur condemnationi; 1 *Reg.* VIII. 32 *Judicabis servos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, & retribuens ei secundum justitiam suam. Rom.* VIII. 33. *Deus est qui justificat, quis est qui condemnet?* Condemnare autem non est nocentem facere, sed pronuntiare, & ut nocentem tractare: Ergo &, ex lege oppositionis, justificare est justum pronuntiare seu absolvere, & ut justum tractare. *Secunda.*

Tertia. VII. Tertiò. Idem docent omnes illæ phrases, quibus dicitur *fides imputari in justitiam*, id est, hominem, propter fidem à Deo censeri ut justum, *Rom.* IV. 5. Frustra hic excipitur, phrasin hanc aliud nihil denotare, quàm fidem à Deo censeri pro re bona. Contrarium enim evidenter docent verba sequentia, *vers.* 6, 7, 8. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam absque operibus:* quod sanè de inhærente justitia, quæ operibus constat, dici nequit. Item: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Ex quibus liquet, *in justitiam imputare, remittere iniquitates, tegere peccata, non imputare peccatum*, esse æquipollentia. Et ex *Jacob.* II. 23. ubi additur, *& amicus Dei nuncupatus est.*

Solutio objectionis primæ. VIII. In contrarium tamen objici solent varia. Ac primo quidem, quod *Rom.* IV. 5. Deus dicitur *justificare impium*; quod de absolutione diei nequit; non enim impios absolvit. Resp. Intelligitur impius ab impietate suâ conversus, seu qui impius fuit; perinde ut *Matth.* XI. 5. XXI. 31. ut in sequentibus fusius ostendemus: talem autem à Deo absolvi, naturæ & benignitati divinæ omninò consentaneum est.

Secunda. IX. Ob 2. *Rom.* V. 5. dicitur *charitas Dei effusa in cordibus nostris*: justitia autem est charitas Dei. Resp. Agitur illic de charitate Dei activa, non passivâ; id est, de eâ, non quâ nos diligimus Deum, sed quâ Deus diligit nos: illaque per Dei spiritum in cordibus nostris effusa dicitur, quia Dei spiritus in cordibus nostris effusus nos de charitate divina persuasos reddit. Adduntur enim hæc verba, tanquam ratio ad probandum spem non confundere, quia nempe ipse Deus per Spiritum Sanctum charitatem suam obsignavit in cordibus nostris. Atque ita etiam aptè cohærent cum sequentibus.

Tertia. X. Obj. 3. *Rom.* V. 19. dicitur, *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* Resp. *Justum constitui* hic non significat justum effici, sed tanquam justum tractari. Quod patet ex contrario, *peccatores constitui*; quod non significat revera peccatorem effici (non enim homines per Adami peccatum peccatores sunt) sed tanquam peccatorem tractari, seu *condemnari*, ut est *vers.* 18. id est, morte affici. Et hoc sensu phrasis hæc occurrit, *Genes.* XLIII. 9. XLIV. 32. 1 *Reg.* I. 21.

Quarta. XI. Obj. 4. *Tit.* III. 4, 5, 6. dicitur *gratia Dei salutaris apparuisse*, &c. *ut justificati gratiâ ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Resp. *Gratiâ Dei justificari*, non est, justificari per justitiam gratiosè à Deo infusam; sed justum à Deo pronuntiari, cum tamen id meriti non eramus, si Deus rigidè nobiscum agere velit: quoniam (uti *vers.* 3. docet) antea viximus in iniquitate & peccatis.

XII. Ita ut concludamus, Justificationem Deo in Scripturis passim attributam esse ut actionem forensem, quâ Deus eos quos justificat absolvit, & tanquam justos tractat. Interim si λογομαχία absit, fatendum in Pontificiorum sententiâ multa esse non improbanda; & si hoc corrigatur, justitiam esse habitum infusum, meritumque omne abnegetur, omnino cum ipsis statuendum videtur, justitiam inhærentem requiri, ut remissionem peccatorum, seu justificationem à Deo consequamur. Quod in sequentibus pluribus ostendemus. *Quid in sententiâ Pontificiorum sit probandum.*

XIII. Duplex autem est ratio seu modus justificandi. 1. Quando homo nunquam peccavit, sed in se planè justus & innocens est, proinde à Deo etiam ut talis habetur ac tractatur. Hæc rigida est & legalis, soletque vocari operum: constatque eâ neminem coram Deo justificari: quia, ut dicitur *Rom.* III. 23. *Omnes peccarunt, & destituuntur gloriâ Dei.* 1 *Joan.* I. 8, 9, 10. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, veritas in nobis non est*, &c. Altera est gratiosa, quâ Deus hominem, licet peccatorem, sed tamen resipiscentem, reputare vult & tractare tanquam justum, condemnando nim: omnia ipsius peccata, & assignando præmium justitiæ Hæc est fidei, & Euangelica, diciturque fieri *gratis*, *Rom.* III. 24. *ex gratiâ*, *Rom.* XI. 6. *Ephes.* II. 8. 2 *Timoth.* I. 9. *Tit.* III. 5. Et de hac porro dicturi simus. *Justificatio est vel legalis, vel euangelica.*

XIV. Justificatio hæc est misericors ac gratiosa actio Dei, quâ peccatorem verè resipiscentem ac credentem, per & propter Jesum Christum verâ fide apprehensum plenè ab omni reatu absolvit; sive, gratis peccata propter fidem in Jesum Christum remittit, ipsamque fidem in justitiam gratiosè imputat. *Hujus definitio.*

XV. Ex descriptione hac patet, Justificationis duas esse quasi partes, nim: remissionem peccatorum, & imputationem justitiæ: quanquam si rigidè eas examinare velimus, utraque sub remissione peccatorum comprehendi posset. Sed quia Spiritui Sancto ea aliquando distinctè libuit proferre, nosque distinctis conceptibus apprehendere possumus liberationem à pœna, & assignationem præmii, etiam majoris distinctionis gratiâ hæc distinctè considerabimus. *Duæ ejus quasi partes.*

XVI. Remissio peccatorum aliud nihil est, quàm pœnæ peccatis promeritæ non inflictio; aut potius voluntas non infligendi pœnam quam peccata promeruerunt. Sæpissimè ea promittitur in Actis: eamque profitemur in Symbolo, *Credo remissionem peccatorum.* Quod additum videtur adversus Novatianos, qui post Baptismum in grave aliquod peccatum lapsis nullam remissionem *Remissio peccatorum.*

sionem superesse contendebant. Beneficii hujus quantitas apparet ex quantitate pœnæ, per peccata à nobis commeritæ; quæ est *mors*, *Rom.* VI 23. *conjectio in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium, Matth.* VIII. 12. *in ignem æternum*, &c. *Matth.* XXV. 41, 46.

Et imputatio justitiæ. XVII. Imputatio justitiæ, est gratiosa mentis divinæ æstimatio, quâ credentem in Filium suum, licet antea peccatorem & impium, nunc autem resipiscentem, & per fidem opera pœnitentiâ digna producentem, eo loco reputat, ac si perfectè justus esset, & legi ac voluntati ipsius per omnia semper paruisset: ac proinde eum ut talem tractare vult; id est, præmio justitiæ perfectæ donare, sc. vitâ æternâ; quæ vocatur *corona justitiæ*, 2 *Tim.* IV. 8. & *justitia*, 2 *Pet.* III. 13. Hanc designat Scriptura, quando dicit Deum fidem imputare in justitiam, *Rom.* IV. 3, 5, 22. *Jacob.* II. 23. Et de hac Justificatione prolixe disserit Apostolus, *Rom.* V. 15, 16. *& seqq.*

Quæ illa justitia sit. XVIII. Hæc autem, quæ nobis imputatur, non est Christi justitia, nusquam enim Scriptura docet, Christi justitiam nobis imputari; sed tantum, fidem nobis imputari in justitiam, & quidem propter Christum. Adeo ut inepti sint illi, qui acriter hic digladiantur, an sola Christi justitia passiva, an verò etiam activa, nobis imputetur, cùm de ea Scriptura ne verbum quidem proferat. Sed est gratiosa æstimatio, seu potius acceptatio justitiæ nostræ imperfectæ (quæ, si Deus rigidè nobiscum agere vellet, in judicio Dei nequaquam consistere posset) pro perfectâ, propter Jesum Christum.

Fons Justificationis, XIX. Quod ut melius pateat, inquiremus fontem hujus justificationis, & media quæ Deus adhiberi vult, ut justificationem hanc consequamur.

Misericordia Dei. XX. Fons est misericordia & benignitas Dei. Quoniam enim omnes peccatores eramus, & pœnæ rei, nemo, si Deus rigidè nobiscum agere velit, in judicio Dei subsistere posset. *Rom.* III. 23, 24. *Eph.* II. 3, 4, 8, 9. 2 *Tim.* I. 9. *Tit.* III 3, 4, 5, 6

Medium extra nos, sacrificium Christi. XXI. Sed licet Deus ex pura misericordia nos justificet, media tamen quædam intervenire vult, sine quorum interventu justificationem nobis neutiquam concessurus est. Horum unum extra nos, alterum in nobis est. Medium extra nos Deus ipse nobis per gratiam suam procurat, λύτρον Jesu Christi. *Rom.* III. 24, 25. *Gratis justificamur per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguinem ipsius*, &c. Et *cap* IV. 25. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Et prolixè *cap.* V. 17, 18, 19. Unde passim in Scriptura occurrunt formulæ istæ, nos *per Christum habere aditum*, vel *accessum*, *ad gratiam Dei*, adeoque *per Christum ad Deum adduci*, *Rom.* V. 2. & II. *Eph.* II. 18. I *Petr.* III. 18. Item: *per Christum reconciliatos nos esse Deo, peccata propter ipsum nobis remissa esse, sanguinem ejus nos ab omni peccato purgare*: aliæque similes, quæ passim occurrunt, quasque de sacerdotio Christi differentes fusius in medium produximus.

XXII. Medium in nobis Deus à nobis tanquam conditionem ad Justificationem requisitam exigit, estque fides in Jesum Christum: *Actor.* XIII. 39. *Ab omnibus à quibus non potestis justificari per legem Mosis, in hoc omnis qui credit justificatur. Rom.* III. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. vers.* 28. *Concludimus ergo hominem justificari fide absque operibus legis. Cap.* IV. 5. *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. Cap.* V. I. *Justificati ex fide pacem habemus cum Deo. Galat.* II. 16. *Scientes quòd non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* *In nobis, fides.*

XXIII. De hac autem fidei duo quæruntur. I. Quodnam ejus sit objectum: 2. Quid ipsa sit.

XXIV. Objectum ejus quidam statuunt, Meritum Christi, sive specialem Dei misericordiam electis in Christo exhibitam; quâ nim: Deus ipsos ab æterno sine ullo respectu ad fidem aut bona opera, ex mero beneplacito irrevocabiliter ad salutem elegit, & ex vi illius decreti in tempore Christum ipsis destinavit in Servatorem, qui pro ipsis legem Dei perfectè implevit, & morte suâ pro ipsorum peccatis Deo Patri plenissimè satisfecit. Fidem autem esse apprehensionem illius justitiæ, seu ipsam illam Christi justitiam quatenus fide apprehensa est (fide metonymicè hic acceptâ pro objecto suo, intricatè enim hic loquuntur) quæ per fidem illam nostra fit; adeo ut justitiâ Christi vestiti ac tecti benedictionem à Deo consequamur; perinde uti Jacob indutus veste fratris sui primogeniti Esau benedictionem à patre Isaac consecutus est. *Objectum fidei à quibusdam statuitur justitia Christi, seu specialis misericordia.*

XXV. Hæc autem sententia planè absurda est. Nam quod fidei justificantis objectum attinet: I. nusquam docet Scriptura, justitiam Christi nobis imputari. Mirum autem meritò videri debet, fidei justificantis objectum nusquam esse in Scriptura expressum. Imo justitia Christi nobis imputari non potest. Potest quidem creditor debitori imputare solutionem alterius, sed illi totum hoc accensere; quod alius pro ipso persolvit. Sed diversa hic est ratio. Nihil enim refert, quis pecuniam annumeret, modo creditori satisfiat. At unius justitia alteri imputari nequit. Tota enim justitiæ natura & laus in eo sita est, ut quis liberè & alacri animo eam præstet: *Id refellitur.*

præstet: illam autem perire necesse est, quamprimum imputatur illi, qui eam non præstitit. Nec transferri potest ab uno in alium, ne ipso quidem conceptu mentis, si verus ille conceptus sit futurus. 2. Talis specialis misericordia in Deo non est: promissio enim salutis est universalis, & quidem sub conditione fidei & sanctimoniæ. *Joan.* III. 16. *Marc.* XVI. 16. 1 *Joan.* I. 7. & alibi passim. 3. Non posset Deus, salva justitiâ & sinceritate suâ, fidem exigere ab omnibus quibus Euangelium prædicatur. Quibus enim specialis hæc misericordia non est destinata, quales sunt omnes reprobi, omnes falsum credere juberentur. 4. Tandem nec specialis illa misericordia promitti potest; quia ante promissionem ex vi decreti divini absoluti electorum propria est. Nec ea propter Christum, sed propter illam Christus electis contingit. Unde nec per fidem applicari potest. Quomodo enim per fidem applicari potest, cùm electi jam habeant, quod per fiduciam istam consequi dicuntur? 3. Quid necesse est applicationem illam fieri? Non enim necessaria est, aut tanquam causa efficiens, aut tanquam conditio; quia tum specialis misericordia non foret objectum applicationis, sed ejus effectum.

Unde error is originem habeat. XXVI. Et hic error ex aliis originem suam habet; quod statuatur, Christum pro omnibus electorum peccatis justitiæ divinæ vindicativæ plenè satisfecisse, pœnasque ipsis debitas ipsorum loco tulisse, legem pro ipsis implesse; Euangelium nulla continere præcepta, sed respectu electorum mera promissa, quid Deus in ipsis operaturus sit, aliaque his affinia. Quæ cum in præcedentibus satis sint refutata, necesse non est ut diutius hisce immoremur.

Sensus loci Rom. v.18,19. XXVII. In contrarium tamen solent quædam Scripturæ loca objicere. Ac 1 quidem, *Rom.* v. 18, 19. ubi *per unius obedientiam* dicuntur *justi constituti multi*. Resp. Non dicitur, unius obedientiam multis esse imputatam; sed per unius obedientiam multos esse constitutos justos. Quorum verborum sensus est; nos, licet perfectè non fuerimus justi, tamen à Deo gratiosè reputandos pro justis, ac vitæ æternæ præmio decorandos, propter Christum, qui perfectè justus fuit, & ex quo spiritualiter regeniti sumus: perinde uti illi, qui ex Adamo geniti fuerunt, & usque ad legem vixerunt, fuere reputati ut trangressores & morte puniti, licet non tam perfectè ut Adam, qui expressam Dei legem trangressus fuerat, peccassent: Adeo ut sicut hi peccatores quidem erant, sed morte affecti sunt potissimum ob respectum ad Adami, legis expressæ transgressoris, peccatum, ex quo originem trahebant: ita & nos, observatores quidem legis divinæ, sed imperfecti, & longè infra perfectam Christi obedientiam, justitiæ præmium consequemur, non tam ob nostram justitiam, quàm propter Jesum Christum, perfectamque ejus justitiam; ad quam Deus respiciens, justitiam nostram, qui in ipsum credimus, gratiosè ac si perfecta esset acceptare, præmioque perfectæ justitiæ honorare vult. Hunc verborum horum esse sensum, alibi evicimus.

XXVIII. Objiciunt 2. 1 *Cor.* I. 30. *Christus* dicitur *nobis à Deo factus justitia*. Resp. *Et 1 Cor. 1. 30.* Non dicitur Christi justitia nobis imputata; sed effectum hîc sumitur metonymicè pro causâ; diciturque *Christus nobis à Deo factus sapientia*, *justitia*, *sanctitas*, *& liberatio*, quia causa est, quod à Deo consequamur sapientiam, justitiam, sanctitatem, & liberationem à morte æterna: perinde uti *Eph.* II. 14. vocatur *pax nostra*, idest, causa pacis: quod ibidem explicatur, quod *utraque*, sc. Ecclesiam ex Judæis, & alteram ex Gentibus, *fecerit unum*. Vide similem locutionem *Mich.* v. 5. *Et erit ille pax*, idest, causa pacis, uti totus contextus evincit. Sensus hic evincitur. 1 Quia alias concipi nequit, quomodo Christus nobis sit factus sapientia, & liberatio. An dicent Christi sapientiam & liberationem per imputationem nostram esse factam? Nugæ. 2. Ex antecedentibus, in quibus non tantum docetur, quòd Christus vocatis Judæis atque Græcis sit Dei virtus & Dei sapientia, *vers.* 24. quia nim: Deus coram vocatis suis ac fidelibus summam suam potentiam summamque sapientiam in Christo concupiscendam dedit; sed & ostenditur, omnem hominum sapientiam, quantacunque sit, meram esse stultitiam, collatam cum sapientiâ illa, quam Deus per Christum nobis confert. Quibus hæc verba subjungens, inconcinnè adhiberet rationem, quod Christi justitia nobis à Deo imputetur; sed optimè omnia fluunt & connectuntur, si Christus dicatur causa quòd sapientiam, justitiam, &c. à Deo consequamur.

XXIX. Objectum itaque fidei hujus dicimus esse totum Jesum Christum, tanquam *Objectum ejus est Christus.* Prophetam, Sacerdotem, & Regem; non tantum ipsius propitiationem, sed & præcepta, promissa, & minas; quâ itaque totum Christum, integramque ejus annuntiationem omniaque beneficia salutaria amplectimur, in illum tanquam Prophetam, Sacerdotem, & Regem credimus, ipsius doctrinam tanquam divinam recipimus, in ipsum spem ac fiduciam nostram collocamus, & ab eo tanquam unico nostro redemptore vitam æternam ea ratione ac conditione, quâ nobis eam promisit, sine ulla dubitatione exspectamus. Ita passim fidei objectum nobis describitur, *Joan.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Act.* XVI.

XVI. 31. *Crede in Dominum Christum, & salvus eris tu, & domus tua. Rom.* X. 9. & alibi.

Fides est actus obedientia nostra.

XXX. Fides autem ipsa est actus obedientiæ nostræ, quem Deus nobis præscribit, & quem liberrimè Deo præstamus, quique obedientiam omnium Dei præceptorum ex se producit. Esse actum obedientiæ nostræ, patet. 1. Quia à Deo nobis præcipitur; sic 1 *Joan.* III. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Additurque promissum salutis credenti: *Rom.* X. 9. *Si ore tuo confessus fueris Dominum Jesum, & corde credideris quod Deus ipsum ex mortuis suscitaverit, salvus eris.* Et comminatio damnationis incredulo, *Joan.* III. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui vero incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eo.* 2. Secundum Scripturæ stylum etiam rationem habet obedientiæ, quia qui non credunt, dicuntur *credere* aut *venire nolle*, *Joan.* V. 40. *Matth.* XXIII. 37. & qui credunt laudantur, qui non credunt reprehenduntur: *Actor.* XIII. 46, 47. XVI. 31. & alibi. Et sanè concipi non potest, quid fides sit, si non sit actus obedientiæ nostræ. Nam quod dicunt, fidem in negotio justificationis non tantum opponi omni alii operi, sed & ipsi fidei quatenus est opus, ridiculum planè est, neque ab ipsis intelligibiliter exponi potest, quid ejusmodi fides sit. Volunt esse apprehensionem justitiæ Christi. Sed explicent, quomodo illa Christi justitia apprehendatur, ita tamen ut illa apprehensio non sit opus hominis apprehendentis. Nisi forte dicant, esse actum quem Deus in nobis sine nobis operatur, cujusque respectu nos passivè solummodo nos habemus. Sed tum omnia in omnipotentem illam Dei actionem resolvuntur, & concipi nequit, quomodo nos dicamur apprehendere, cum solummodò impellamur, nihilque planè nostri ad actum illum conferamus.

Non tamen est meritorius.

XXXI. Cùm autem dicimus fidem esse opus nostrum, tale non esse volumus opus, cui aut ex dignitate, aut ex merito ullo suo, aut denique ex intrinseca quadam efficacia, remissio peccatorum, & justitiæ imputatio debeatur, quique justitia nostra formalis sit, quæ in judicio Dei per se subsistere possit. Malè enim fides vocatur formalis justificationis causa; cùm talis propriè non detur; quia justificatio est actus mentis divinæ purus putus, qua Deus nos habet pro justis. Sed fides est conditio in nobis & à nobis requisita ut justificationem consequamur. Est itaque talis actus, qui, licet in se spectatus perfectus nequaquam sit, sed in multis deficiens, tamen à Deo, gratiosa & liberrima voluntate, pro pleno & perfecto acceptatur, & propter quem Deus homini gratiosè remissionem peccatorum & vitæ æternæ præmium conferre vult.

Fides non excludit opera qua producit.

XXXII. Quod ut melius percipiatur, sciendum, quando dicimus, nos fide justificari, nos non excludere opera, quæ fides exigit & tanquam fœcunda mater producit; sed ea includere. *Gal.* V. 6. *In Christo Jesu nihil valet, nisi fides per charitatem efficax. Jacob.* II. 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* 1 *Joan.* III. 7. *Filioli, nemo vos seducat: Qui facit justitiam justus est, sicut ille justus est.* Sine operibus autem fides mortua & ad justificationem inefficax est. *Jacob.* II. 14. *Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* 1 *Cor.* XIII. 2. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Sed opera Legis.

XXXIII In contrarium hic nobis objicitur Apostolus Paulus, qui in Epistola *ad Rom.* & *Gal.* passim acriter urget, hominem solâ fide justificari, absque operibus Legis, *Rom.* III. 28. & IV. & *Gal.* II. 16. & alibi.

Controversia Apostolorum cum Judais & gentibus.

XXXIV. Sed sciendum, Apostolum non omnia opera excludere, sed solummodò *opera legis*, uti disertè semper vocem illam exprimit. Quid autem per *opera legis* intelligat, operæ pretium est accuratius inquirere. Ut id distinctè percipiamus, ante omnia necesse est cognoscere, quænam Apostolis cum aliis hominibus intercesserint controversiæ; illis probe perspectis, sensum verborum quibus adversarios confutant rectè dijudicare possimus. Prima atque principalis Apostolis controversia fuit cum Judæis ac Gentibus, utrum Religio Christiana, seu fides in Jesum Christum, sit medium perveniendi ad salutem; an vero Lex; sive illa sit lex Mosis, quam urgebant Judæi; sive alia quæcunque inter Gentes obtinens, quæ verè lex erat, & fidei opponebatur; quatenus non, instar fidei, remissionem peccatorum promittebat; sed rigidam exigebat obedientiam, ac transgressores sub maledictione concludebat. Hanc controversiam Apostolus fusè tractat in Epistolâ ad Romanos, docetque, quia omnes, tam Judæi quàm Gentiles, peccarunt, gloriaque divinâ destituuntur, neminem per opera Legis justificari; sed unicum justificationem obtinendi medium esse fidem in Jesum Christum.

Cum zelatoribus Legis ad fidem conversis.

XXXV. Hac principali quæstione concessâ, alia restabat, cum quibusdam legis zelatoribus, ad fidem Jesu Christi conversis: Utrum nim: sola fides in Jesum Christum ad justificationem & salutem requiratur, an vero illi adjungenda sit Lex, ceremoniæque legales? Sic videmur *Actor.* XV. 1. quosdam de Judæâ descendentes fratres docuisse, *nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salvari.* Hisce acriter se

 opponit

opponit Apostolus *ad Gal.* docetque Mosem cum Christo non esse conjungendum, nec opera legis cum fide: fidem quippe solam nos justificare; adeo quidem, ut si quis illi adjungere velit circumcisionem, eo ipso gratiâ Christi quæ est per fidem exciderit, *Gal.* v. 2, 3, 4.

Quid sint opera Legis.

XXXVI. Ex hisce jam facile liquet, quid per *opera legis*, quid per *fidem* intelligat Apostolus. Per *opera legis* intelligit, aut opera legis ceremonialia, quæ jam abrogata sunt, nihilque amplius coram Deo valent, juxta, 1 *Cor.* VII. 19. *Circumcisio nihil est, præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei. Gal.* VI. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Olim quidem ad justificationem carnis quicquam conferebant; nunc autem inutilia sunt, quia Deus exigit cultum spiritualem, *Joan.* IV. 23, 24 *Rom.* XII. 1, 2. Hinc & inutilia esse passim docentur, *Galat.* IV. 9, 10, 11. *Coloss.* II. 16, 17. &c. Vel intelligendus est modus obediendi qualis in Lege exigebatur, id est, perfecta nulloque peccato interrupta obedientia; *Gal.* III. 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Qualisque in omnibus religionibus, utpote remissione peccatorum destitutis, exigebatur; cuique merces applicatur ex debito, non ex gratia, *Rom.* IV. 4.

Fides est tota obedientia fidei.

XXXVII. Inde apparet, per *fidem*, hisce operibus oppositam, non intelligendam esse nudam fidem, contradistinctè ab operibus quæ fides producit; sed unà cum fide omnem illam obedientiam quam Deus in Novo Fœdere præscribit, quæque per fidem in Jesum Christum præstatur. Quæ rectè opponitur operibus Legis; quatenus cultum continet spiritualem, abrogatis omnibus externis ceremoniis Legis; nec rigidam exigit obedientiam, sed benignam ac gratiosam, ac cujusque viribus attemperatam: præscribit enim resipiscentiam, promittitque remissionem peccatorum: exigit obedientiam fidei (vocatur enim *lex fidei*, *Rom.* III. 27.) hoc est, non rigidam & ab omnibus æqualem, prout exigebat Lex; sed tantam, quantam fides, id est, certa de divinis promissionibus persuasio, in unoquoque efficere potest; in qua etiam Deus multas imperfectiones & lapsus condonat, modo animo sincero præceptorum ipsius observationi incumbamus, & continuò in eadem proficere studeamus.

Non opponitur operibus quæ producit.

XXXVIII. Pessimè ergo Apostoli verba interpretantur, qui ea, quæ Paulus de fide dicit, oppositè ad opera Legis, accipiunt de fide, quatenus opponitur seu potius contradistinguitur fructibus suis seu operibus quæ producit; cùm Apostolus ea nusquam excludat, sed disertè fidei includat; quando docet, *fidem per charitatem efficacem in Christo valere*, *Galat.* v. 6. & *novam creaturam*, *Cap.* VI. 15. & *observationem mandatorum Dei*, 1 *Cor.* VII. 19. Nec fides rectè operibus suis opponitur: distingui quidem potest operibus, non autem illis opponi.

Quomodo fides imputetur in justitiam.

XXXIX. Ex hisce jam intelligitur, quo modo fides nobis imputetur in justitiam: quia obedientiam nostram, quam ex fide præstamus, quæque imperfecta est, Deus gratiosè propter Christum æstimare vult ac si perfecta esset: veluti si creditor debitori, qui mille florenos debet, & centum solvendo tantum est, reliquum condonet, & partem hanc solutionis gratiosè imputet in totam solutionem. Et cur de operibus Legis dici nequeat, quod imputentur in justitiam; quia qui totum debitum solvit, illi non potest dici suam solutionem imputari in solutionem: quia totum solvit, nihilque restat quod illi imputetur. Similiter, cur non rectè dicatur, justitiam Christi nobis imputari; sed fidem, seu obedientiam ex fide, nobis imputari in justitiam, propter Christum.

Consensus Pauli cum Jacobo.

XL. Atque hac ratione discrepantia, quæ videtur intercedere inter Paulum & Jacobum, concilianda est. Paulus contendit solam fidem, seu obedientiam fidei, nos justificare; contra eos qui vel Legem solam, vel Legem unà cum Euangelio urgebant. Jacobus docet, fidem non solam, operibus bonis vacuam, justificare; sed per bona opera vivam & efficacem; contra eos, qui nudam fidem seu assensum verbis divinis adhibitum sine sanctimoniæ studio sufficere contendebant. In quo Paulum sibi habet consentientem. Dices. Jacobus agit de Justificationis declaratione coram hominibus, Paulus de ipsâ Justificatione coram Deo. Resp. 1. Jacobus de illa Justificatione agit, per quam quis amicus Dei reputatur, uti ex *vers.* 23. 2. Ineptum est, dicere, Jacobum de Justificationis declaratione coram hominibus agere. Quis enim adeo demens fuerit, ut contendere voluerit, hominem solâ fide absque operibus coram hominibus justum declarari; cùm fides in mente sit, eaque à nullo homine videri possit?

Occurritur objectioni.

XLI. Contra sententiam autem nostram objicitur, quod Deus justitiam nostram imperfectam ex fide profluentem non habeat pro perfectâ; quia judicium Dei est secundum veritatem: At sic Deus perfectam judicaret justitiam, quæ perfecta non est. Resp. 1. Retorqueri potest hoc argumentum: Judicium Dei est secundum veritatem, non ergo hominibus imputare potest justitiam Christi, quia sic judicaret hominis esse justitiam, quæ Jesu Christi est. 2. Deus non judicat hominum justitiam esse perfectam, imo eam judicat esse imperfectam; sed

sed justitiam, quam imperfectam judicat, gratiosè accipit ac si perfecta esset.

Item alteri.

XLII. Ad ostendendum autem per opera Legis, non omnimodam ac perfectam obedientiam, sed quæcunque opera intelligi, quæ Apostolus à Justificatione excludat; ita objiciunt: Quod perfecta ejusmodi obedientia nunquam obtinuit nec obtinere potest in mundo; quid ergo necesse erat Apostolum eam excludere? Resp. Necesse erat eam excludere, propter opinionem Judæorum, qui credebant se per opera Legis posse justificari, & justificandos. Apostolus contra ipsos docet, Legem omni modo perfectam obedientiam exigere; quæ cùm à nemine præstetur, impossibile esse per Legem justificari; ut ita Judæos convincat, & necessitatem amplectendæ fidei ipsis persuadeat.

Opera fidei à justificatione non excludi.

XLIII. Opera autem à Justificatione non excludi, manifestum est. 1. Quia remissio peccatorum non tantum adscribitur fidei, sed & operibus. *Matth* VI. 14, 15. *Si hominibus peccata remiseritis, etiam Pater vester cœlestis nobis remittet; Si vero hominibus non remiseritis, nec Pater vester cœlestis remittet vobis.* Cui parallelus est. *Marc.* XI. 25. *Act.* III. 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et *Luc.* XXIV. 47. Dominus dicit, *in nomine suo prædicandum resipiscentiam & remissionem peccatorum.* Quin & remissio peccatorum jam concessa revocanda dicitur, nisi aliis peccata erga nos commissa condonemus, *Matth.* XVIII. 33, 34, 35. 2. Incredulitas, causa condemnationis, consideratur semper tanquam opus inobedientiæ, & causa omnium malorum operum. *Joan.* III. 19, 20, 21. *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.* Et *vers.* 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam,* &c. *Rom.* II. 8 *Iis qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* 3 Ultimum judicium, in quo sententiæ justificationis & condemnationis executio locum habebit, pronuntiabitur non tantum secundum fidem, sed & secundum opera; *Matth.* VII. 21. XVI. 27. *Rom.* II. 3, 4. *& seqq.* 2 *Cor.* V. 10. 1. *Petr.* I. 17 Hinc & *pietas promissa hujus & futuræ vitæ habere* dicitur, 1 *Tim.* IV. 8. *Nemoque absque sanctimonia visurus Dominum, Hebr.* XII. 14. aut *ingressurus in regnum cœlorum, Matth.* V. 20. Atqui executio sententiæ ejus conceptui repugnare non debet: repugnaret autem, si sententia conciperetur non secundum opera, pronuntiaretur autem secundum opera. His adde. 4 Quod aliàs sequeretur, hominem justificari impium, imoquatenus impium adhuc consideratum. Si enim omnia opera à Justificatione excludantur, imo & ipsa fides quatenus est opus, necesse est hominem justificandum considerari absque omni opere bono, ac proinde adhuc impium. Quanquam concipi non potest, quomodo hoc statuentes, tamen fateantur fidem vivam ad Justificationem requiri. Sed hic manifestissimâ veritate convincuntur, & ut nihilominus thesin suam tueantur, parum consentaneè loquuntur, aut verborum ambiguitate sententiam suam tegunt.

Sensus Rom. IV 5.

XLIV. Objiciunt, *Rom.* IV. 5. dici, Deum *justificare impium.* Resp. Non in impietate sua perseverantem, aut adhuc dum justificatur consideratum ut impium, sed resipiscentem & conversum. Eâdem phrasi, quâ *Matth.* XI. 5. dicuntur *cœci videre, surdi audire, claudi ambulare,* &c. & *cap.* XXI. 31. *meretrices & publicani* Pharisæos præituri in regnum cœlorum; qui nimirum tales fuerunt. Itque hujus loci sensus esse evincitur. 1. Quia impii excluduntur è regno cœlorum, 1 *Cor.* VI. 9, 10. *Gal.* V. 19. 20, 21. Non ergo justificantur. 2. Credens dicitur justificari: atqui credens impius non est; aut dicendum fidem veram & salutarem cum impietate consistere posse. Dices. Si Apostolus loquitur de impio qui impius fuit, nihil singulare dicit, eum justificari; cum tamen ex verbis liqueat, ipsum hic singulare quid dicere. Resp. Omninò singulare quid dicit; remissionem nempe peccatorum nunc concedi à Deo, etiam impio, id est, qui non tantum minoribus peccatis, pro quibus Lex sacrificia admittebat, sed & gravioribus, à quibus impius meritò vocatur, se contaminavit, modo resipiscat: quod per Legem præstari non poterat; quæ ejusmodi transgressoribus mortem sine ulla misericordia comminabatur. Adeo ut sensu conveniat cum *Act.* XIII. 38, 39. *Ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis Justificari, in hoc omnis qui credit justificatur.*

Et Phil. III. 9.

XLV. Objiciunt secundò, verba Apostoli *Phil.* III. 9. *Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide.* Resp. Hic non intelligi nudam fidem sine operibus, patet ex iis quæ Apostolus alibi sibi tribuit. 1 *Cor.* IX. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 2 *Tim.* IV. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Imo hoc ipso *cap. vers.* 17. *Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui*

qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Et quæ in quovis Christiano exigit, *Eph.* IV. 24. Inquirendum itaque quid per *justitiam ex lege*, & *suam*, intelligat, quid per *justitiam ex Deo*, & *ex fide Christi Jesu*. Per *justitiam ex lege* intelligit justitiam secundum legem, Mosis nim: quam describit *vers.* 5. quod fuerit *circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis*, &c. Eam vocat *suam*; quia illam non habebat per specialem aliquam gratiam, sed tanquam naturâ Judæus, in Lege enutritus: per quam quidem irreprehensibilis erat secundum legem, ita tamen, ut simul esset blasphemus, persecutor, &c. & peccatorum maximus, ut alibi loquitur. Eodem sensu, quo *Rom.* x. 3. de Judæis dicit, quod *ignorantes justitiam Dei, suam quæsiverint statuere.* Rectè quippe eam vocat justitiam Judæorum, quia illi contra expressam Dei voluntatem, justificari volebant per obedientiam Legis, cùm tamen Deus eam abrogasset, & fidem in Jesum Christum instituisset. Simili phrasi, quâ *Matth.* VII. 15. fructus pseudo-Prophetarum vocantur opera illa quæ consentaneè & juxta doctrinæ suæ genium faciunt: & *ca.* XXIII. 3 Scribarum & Pharisæorum opera, quæ ipsi præter legem Mosis excogitaverant, aliisque facienda imposuerant. Huic opponit Apostolus *justitiam ex Deo*, quam jam consecutus erat. Eamque vocat *ex Deo*, quia Deus eam Judæis manifestaverat, modumque justitiam hanc consequendi annuntiaverat, *Rom* I. 17. *Gal.* II. 16. Eam tamen non poterat adipisci, nisi per fidem in Jesum Christum, vivam sc. operaque veræ pietatis producentem, q. d. Omnia privilegia, quæ ut Judæus habebam, sponte abdicavi, volens à Deo justificari, non secundum justitiam quæ ex Lege est, sed quam Deus promisit omnibus qui ex fide in Christum justè ambulant. Adeo ut nec ex hoc loco ulla cum specie concludi possit, opera ad Justificationem non requiri.

An fides, quæ viva, an quâ viva justificet, inutile est inquirere.

XLVI. Acriter autem hic contendere, an fides quæ viva, an vero quatenus viva est, nos justificet; sive, an opera ad Justificationem requirantur necessitate solum præsentiæ, an vero etiam efficientiæ, inutile judicamus; dummodo utrinque in confesso est, Deum ad Justificationem exigere fidem vivam; fidemque non esse vivam, nisi per bona opera; neminemque Justificationem consecuturum, nisi vivâ fide præditum. Quod quomodo ab hisce auctoribus consentaneè suis principiis dici possit, non adeo clarè liquet. Et præterea mirum videri jure potest, Deum fidem bonis operibus fœcundam exigere ad Justificationem, & tamen ad opera non respicere. Nisi fidei vivæ naturam aliter definiant, velintque fidem vocari vivam, non quia opera producit, quo respectu Jacobus eam vivam vocat; sed quia illius est naturæ, ut opera producere apta sit; & justificet ante ullius operis productionem: quod quidam innuunt hoc enuntiato: Fides fœta bonis operibus, justificat ante partum. Hoc sensu fide vivâ acceptâ, fatendum sententiam posteriorem, quæ fidem quatenus vivam requiri ait, bonorum operum necessitatem multò efficacius adstruere; quia secundum illam aliquid ad Justificationem conferunt; secundum priorem vero, nihil.

Objectum Justificationis sunt credentes.

XLVII. Ex hisce satis liquet, quinam Justificationis hujus sint objectum; sc. omnes verè credentes, & ex fide Deo obedientes, quicunque illi sint, nemine excepto, sive Judæus sit, sive Gentilis. *Rom.* III. 28, 29, 30. *Concludimus justificari hominem fide, absque operibus legis. An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Imo & Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat cirumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Finis, est demonstratio justitiæ Dei.

XLVIII. Finis Justificationis est demonstratio justitiæ Dei. *Rom.* III. 25, 26. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Quæritur quænam illa justitia sit, quam Deus in Justificatione demonstravit? Quidam per eam intelligunt justitiam Dei vindicativam, quam Deo essentialem statuunt, quæque non permittat ullum à Deo peccatum impunitum dimitti absque satisfactione: adeo ut hæc cum misericordia consistere nullo modo possit. Hanc autem Deum in eo demonstrasse volunt, quòd à Christo plenam pro peccatis electorum satisfactionem exegerit, illamque ipsis imputet, ita ut simul justitiæ illi satisfecerit, & electos à peccatis absolverit. Sed quoniam hæc in præcedentibus fusè sunt refutata, illis jam non immorabimur.

Quâ ratione ea demonstrata sit.

XLIX. Per justitiam ergo Dei vel intelligenda est ejus fidelitas, æquitas & benignitas; uti hoc sensu accipitur, *Psal.* XXV. 5. CXLV. 17. XXXVI. 6, 7. 1 *Joan.* I. 9. Vel etiam amor erga justitiam, & odium erga peccatum: quo sensu legitur, *Hebr.* I. 9. Illam Deus dupliciter in hoc negotio demonstrat. 1. Quatenus se veracem & fidelem ostendit in servandis promissis, quæ de Christo nobis donando, deque peccatis nostris in ipso condonandis, aliquoties in Veteri Testamento proposuit: *Rom.* XV. 8. *Christus Jesus minister circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.* 2. Quatenus, adhibitâ singulari æquitate, nihil aliud à nobis, qui tantæ ipsius misericordiæ fructum percipere volu-

volumus, requirit; quàm æquissimam fidei in Christum conditionem, *Rom* III. 26, 28. *Gal.* II. 16. & alibi. Quæ quam æqua ac facilis sit conditio, antea dictum. Hanc demonstrat, quia peccata remittere noluit, nobisque justitiam imputare, nisi intercedente cruento pro peccatis nostris sacrificio Christi: 2 *Cor.* V 21. *Deus Christum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* neque illius sacrificii fructum nobis imputare, nisi intercedente sanctitate vitæ. *Si* enim *in luce ambulamus, quemadmodum ipse in luce est, communionem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato*, 1 *Joan.* I. 7.

Effectus, est pax cum Deo. L. Effectum justificationis est pax cum Deo, tanquam cum patre benevolo & amico, qui deletis peccatis nostris præteritis nobiscum reconciliatus est. *Rom* V. 1. *Justificati per fidem, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* & 1 *Joan.* I. 7. dicimur *communionem habere ad invicem.* Quæ pax includit conscientiæ securitatem, velut à condemnationis metu liberatæ, & acquiescentiam in favore divino, 1 *Joan* III. 19. *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.* Et confidentiam accedendi ad Deum, & quidvis salutare ab ipso petendi, & sine ulla hæsitatione exspectandi. *Rom* V. 2. *Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hebr.* X. 22. 23. & 1 *Joan.* III. 21, 22. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

CAPUT V.

De Sanctificatione.

Sanctificare est segregare. I. Justificationem excipit *Sanctificatio. Sanctificare*, ut ab etymo vocis exordiamur, propriè est præparare, & à communi usu segregare, ac speciatim, dicare cultui divino. Hinc personæ cultui divino destinatæ sanctæ vocantur. Sic Aaron dicitur *sanctificatus* vestibus suis Sacerdotalibus, quibus ministret Domino, *Exod.* XXVIII. 3. Sic templum, vasa, aliaque instrumenta cultus divini vocabantur *sancta:* quin & ipsa urbs Jerusalem, *sancta civitas*; quia hanc Deus elegerat cultus sui sedem, & ab aliis segregaverat. Sic & Deus dicitur *sanctificasse diem Sabbathi*, *Exod.* XX. 11. quia ipsum cultui suo speciatim dicavit. Ita jubet *sanctificari jejunium*, *Joel.* I. 14. II. 15. Sic & totus populus vocatur *populus sanctus*, quia *Deus ipsum elegit, ut sit ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Deut.* VII. 6. XIV. 2. & præsertim *Cap.* XXVI. 17, 18, 19. Hoc sensu & Christiani vocantur *populus sanctus*, & *genus electum*, 1 *Pet.* II. 9. Et spiritus, per quem Christus ex mortuis est suscitatus, *spiritus sanctificationis*, *Rom.* I. 4. quia Christum ex mortuis suscitando eum sanctificavit, id est, segregavit à falsis prophetis, & ostendit esse Dei Filium.

Sanctum esse, sanctè vivere. II. Sed verò, quia illa segregatio fiebat eum in finem, ut Deo viverent, & vitâ suâ, ad legis divinæ normam expressâ, separarentur à profana hominum turba; hinc *sanctum esse* significat sanctè vivere: & sic Sanctificatio denotat ipsam regenerationem. Sic 1 *Cor.* I. 2. fideles vocantur, *sanctificati in Christo Jesu, vocati sancti.* & *Cap.* VI. 11. *Et hæc quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*, &c. Hæc est latior vocis hujus significatio.

Strictior Sanctificationis acceptio. III. Hæc autem Sanctificatio, de quâ hîc agimus, specialiter sic dicta confertur illis qui jam regenerati sunt per fidem, & ex fide sanctè vivunt; estque perfectior quædam & continuò augescens filiorum Dei ab hoc impuro mundo separatio. Respicit partim intellectum, partim voluntatem: intellectum quidem, ut tanto certius voluntatem dirigat; notitia enim lucis instar est, quæ actiones dirigit.

Respicit intellectum. IV. Respectu intellectus est uberior ac plenior in divinæ veritatis cognitione illustratio, seu plenior perceptio sensuum verbo divino contentorum; adeo ut Deus fidelium mentes aperiat, ut omnia, quæ ad majorem in promissis divinis confirmationem & in pietate profectum ipsos excitare possunt, clarè ac evidenter percipiant, elucidando objecta obscura, removendo impedimenta, offerendo novas species, & suppeditando media ad species istas firmandas. Hoc promittit Christus *Joan.* XIV. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quo in loco non agit Dominus Jesus de prima voluntatis suæ manifestatione, quæ ad regenerationem necessaria est: est enim promissio facta fideli & obedienti; sed de secunda, eâque majore & illustriori, quæ primâ rectè utentibus conferri solet; juxta dictum Servatoris, *Matth.* XXV. 29. *Habenti*, id est, eo quod habet rectè utenti, *dabitur, & abundavit.* Illam orat David sæpius, *Psal.* CXIX 18 34, 35. &c. petens sibi à Deo illuminari intellectum, quomodo videlicet cum promissis divinis conveniat, impiis hic bene esse, piis vero male: ut hoc mysterio bene perspecto tanto alacrius Dei legem custodiat. Hanc Apostolus precatur fidelibus, *Eph.* I. 17, 18, 19. *Coloss.* I. 9, 10. ut cognoscant, quam sapienter omnia

omnia à Deo ſint decreta ad ipſorum ſalutem.

Et voluntatem. V. Reſpectu voluntatis duas continet quaſi partes: averſionem ab omni malo, quæ peccati odium ſub ſe continet; & ardens ſtudium in bonum. Quia enim animus hominis, cognitione Dei magis magiſque imbutus, majore erga Deum amore, ac flagrantiore ſalutis deſiderio accenditur; etiam ſummo erga peccatum (quod ſaluti ſuæ obeſſe novit) odio accenditur: & ad virtutem quotidie alacrior redditur. Nam 2 *Tim.* 11. 21. *Si quis ſe mundaverit ab iſtis, erit vas in honorem, ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Hanc ſanctificationem Apoſtolus precatur fidelibus, 1 *Theſſ.* v. 23. *Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus, ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* & *Phil.* 1. 9, 10. 11.

Quomodo eam Deus homini conferat. VI. Deus eam homini confert, ſubminiſtrando auxilium ſpiritus ſui, quo hominem ita corroborat, & in bono confirmat, ut occaſiones ad peccandum ſibi objici nequaquam patiatur, vel ſi in illas incidat, eas facile ſuperet, nam *major eſt qui in nobis, quam qui in mundo eſt* 1 *Joan.* iv. 4. Maximum itaque ſuis Deus auxilium confert, illuſtrat mentem, dirigit voluntatem, regit externa membra corporis ne ſint arma injuſtitiæ. Illud ſolummodo cavendum, ne Deus irreſiſtibili vi, quæ cum obedientia libera conſiſtere nequit, hunc ardorem in fidelibus ſuis efficere ſtatuatur.

CAPUT VI.

De Obſignatione per Spiritum Sanctum.

I. TAndem reſtat ultimum Dei beneficium, quod in hac vitâ impletur, Obſignatio vid. per Spiritum Sanctum.

Spiritus S. ſignificat ipſum Deum. II. Spiritus Sanctus varia in Scriptura deſignat. Primo: Ipſum Deum qui ſpiritus eſt: cujuſque ſpiritus eſt Spiritus Sanctus, qui & aliquando anima Dei vocatur: vide *Jerem.* L. 1. 14. *Amoſ.* vi. 8. *Juravit Deus per animam ſuam*, id eſt, per ſeipſum. Hoc ſenſu legitur, *Eſa.* LXIII, 10 *Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sanctum ejus; & converſus eſt eis in inimicum*, &c.

Eſſentialem Dei virtutem. III. Secundò. Spiritum Dei, qui à Deo procedit, tanquam eſſentialis ipſius virtus, idemque eſſentiâ, per quem Deus Pater omnia efficit, præſertim quæ ad ſanctificandos homines faciunt: qui etiam à Filio mittitur: *Joan.* xv. 26. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* 1 *Cor.* XII. 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* De hoc dicitur quod *omnia ſcrutetur, etiam profunditates Dei*; 1 *Cor.* 11. 1.

Dona Spiritus. IV. Tertiò. Dona Spiritus Sancti, quæ Deus per Spiritum illum hominibus communicat; *Act.* 11. 4. XIX. 2, 6. 1 *Cor.* XII. Quæ aliquando ſimpliciter vocantur Spiritus Sanctus: aliquando Spiritus, cum expreſſione doni illius quod operatur; veluti Spiritus prophetiæ, linguarum, diſcretionis ſpirituum, &c.

Ea vel dantur ſolis Dei legatis. V. Dona autem hæc fuere varia. Quædam ſolummodo legatis Dei, quos ad homines mittit, ſunt propria: quædam omnibus verè fidelibus communia. Dona legatis Dei propria rurſus duum ſunt generum. Alia legatis ipſis neceſſaria ſunt, non tantum ut munere ſuo ritè fungantur, ſed & ipſi de mente divina plenè ſint perſuaſi; veluti illuminatio intellectus, & quidem ejuſmodi rerum, quæ aliàs in æternum abſconditæ manſiſſent; 1 *Cor.* 11. 7 & 10. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram*; &c. *nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.*

Et eorum quædam in uſum aliorum hominum. VI. Sed quia Deus miniſtros hoſce mittit aliorum gratiâ, ideo & donum hoc tribus aliis donis ornat, quæ aliorum cauſa ipſis neceſſaria ſunt. 1. Dono linguarum, ut ſapientiam ipſis revelatam aliis prædicent; hoc enim eſt officium linguæ. Idque donum Dominus die Pentecoſtes effudit in Apoſtolos ſuos, *Act.* 11. 2. Dono alia miracula patrandi, quibus miſſionem ſuam confirmarent, hominibuſque fidem facerent annuntiationem ſuam inſtinctu divino fieri. 3. Virtute dona hæc communicandi iis, qui religionem Chriſtianam amplectebantur. Ita videmus paſſim in actis, per impoſitionem manuum Apoſtolorum Spiritum Sanctum fidelibus fuiſſe communicatum.

Vel ſunt omnibus fidelibus communia. VII. Dona omnibus & ſolis Chriſti fidelibus communia, ſive doctores ſint, ſive diſcipuli, generali nomine Spiritus Sancti appellantur *Luc.* XI. 14. *Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater noſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Conſtantque partim illuminatione intellectus, quæ quidem maximam partem ex verbo habetur, ſed cujus ſenſum ſpiritus menti magis illuſtrat ac revelat: quo ſenſu dicitur, 1 *Cor* XII. 3. *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*: partim excitatione voluntatis ad omne bonum, præſertim per promiſſa verbo contenta, quibus ineſt vis ac efficacia, quâ homo veluti ſpiritu quodam ſancto afflatur ad alacriter virtutis ſtadium decurrendum, quæque ipſa reverà non niſi ſpiritus ſunt. Hoc ſenſu ordinariè vox *ſpiritus* accipitur, quando dicimur *ſecundum ſpiritum ambulare, ſpiritu facta corporis mortificare*, &c.

VIII.

Quid per obsignationem Spiritus intelligi possit.

VIII. Quæritur, quale donum Spiritus Sancti sit, quo fideles obsignantur? Credunt quidam, per Spiritum Sanctum significari dona illa Spiritus, quæ in initio Euangelii fidelibus dabantur, quæque nos vocavimus extraordinaria: illaque dona vocari Obsignationem, quoniam quibuscunque ea dabantur, illis ea erant quasi sigillum ac confirmatio, quod gratioso fœderi divino sint inserti, ipsisque jus sit acquisitum æternæ hæreditatis. Hoc sensu explicant verba Apostoli, *Rom.* VIII. 15. *Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater*, &c. Quibus doceri credunt, Spiritum non dari servis: eumque certissimum esse signum, gentes à Deo in populum adscitas; & ne tam momentosa veritas, quod gentes etiam in populum à Deo sint adscitæ, solo Apostoli testimonio niteretur, spiritum id in eorum cordibus testari. Eundem putant esse sensum *Eph.* I. 13, 14. & 2 *Cor.* I. 21, 22. Et sanè, si loca hæc attentè considerentur, negari nequit, sensum esse verbis apprimè convenientem, & qui nihil analogiæ fidei contrarium continet. Attamen videtur & aliud donum per Obsignationem Spiritus designari, neque illud ad sola illa prima Euangelii tempora restringi. Obsignatio enim ita explicata, non solum iis, quibus Spiritus datus fuit, certiorandis inserviit, sed generatim gentibus, quod in fœdus Dei sint adscitæ. Quicunque ergo credebant ex gentibus, poterant ex Spiritu, non sibi sed aliis è gente suâ dato confirmari, quod promissa divina etiam se spectabant; ac proinde per Spiritum non sibi sed aliis datum obsignabantur, quatenus ille aliquibus è gentibus datus generatim obsignabat, fœdus Dei etiam ad gentes pertinere: quod quidem negari nequit. Verùm videtur addendum, etiam per Spiritum Sanctum fidelibus datum eos quibus dabatur speciatim fuisse obsignatos de salute & hæreditate cœlesti: ideoque non fuisse donum extraordinarium, sed & quovis tempore, pro sapienti directione divinâ, concedi.

Quale donum proprie sit.

IX. Videtur ergo dicendum, aliud esse donum Spiritus Sancti, quod jam fidelibus, & ex fide obedientibus & spe salutis ex verbo divino conceptæ jam confirmatis, conceditur in præmium obedientiæ, arrhabonis instar, quo certi redduntur de flagranti Dei erga se amore. Differtque hoc donum à donis illis Spiritus Sancti miraculosis, in initio Euangelii præconibus concessis: quia illa solummodo inserviebant confirmationi doctrinæ Euangelicæ, demonstrabantque hominem iis ornatum præconem esse divinum, doctrinamque ab ipso annuntiatam ut divinam esse recipiendam; *Hebr.* II. 3, 4 Non autem pietatis favorisque divini indubium erant argumentum; quia aliquando concessa fuere hominibus, qui impii fuere, & Deo nequaquam placuerunt: ut Judæ proditori, *Luc.* X. 17. Hoc verò donum nullis nisi verè fidelibus ac piis conceditur, in confirmationem amoris Dei, pietatem ipsorum approbantis.

Quo sensu vocetur Obsignatio.

X. *Obsignatio* itaque *per Spiritum Sanctum* nobis est certior ac solidior de vita æterna ac favore divino confirmatio, per Spiritum Sanctum pignoris instar & arrhabonis in cordibus fidelium effusum, & de favore divino testimonium perhibentem. Deus quippe per Spiritum suum promissa sua verbo contenta in fidelium animis confirmat, & spem vitæ cœlestis, ex verbo conceptam, fortius animis illorum imprimit, testaturque se eos adoptasse in filios, & hæredes scripsisse bonorum suorum cœlestium; atque interim, dum promissa adhuc implenda sunt, vitaque æterna expectatur, ne animo deficiant, aut dubitent, spiritum suum ipsis dat, pignoris instar, quo promissum suum obsignat ac confirmat, suosque de secutura gloria certos reddit; non aliter ac si quis alicui literas sigillo munitas concedat, quibus de promissi fide certus ac securus sit. *Rom.* V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* *Cap.* VIII. 15, 16. *Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum*, &c. *Ille Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filii Dei: Si autem filii, & hæredes.* &c. 2 *Cor.* I. 22. *Deus nos signavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* & *Cap.* V. 5. *Eph.* I. 13, 14. *In quo & credentes, signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemtionem acquisitionis.* *Cap.* IV. 30. dicimur *per Spiritum Dei Sanctum obsignati in diem redemtionis.* 1 *Joan.* III. 24. *In hoc scimus quoniam manet in nobis, ex spiritu quem dedit nobis.* Videturque donum illud exprimi *Apoc.* II. 17. per *calculum album, nomenque novum illi inscriptum*, quod vincenti Dominus se daturum pollicetur. *Calculus* quippe *albus* absolutionem à reatu denotare videtur, significatione à more inter antiquos usitato desumtâ, qui calculis albis solebant absolvere, nigris vero condemnare reos. Per *novum* autem *nomen*, nomen filii Dei ac hæredis vitæ æternæ intelligendum est. Sensus itaque est; Dominum vincenti daturum Spiritum Sanctum quo confirmetur de absolutione à reatu, & hæreditate vitæ æternæ. Nomenque hoc nemo intelligere dicitur nisi qui accipit; quia nemo gaudium ex salutis certitudine conceptum cognoscere potest, nisi qui ejusdem factus est particeps.

Quid proprie sit.

XI. Qualis autem hæc operatio Dei sit, difficile dictu est; quia Spiritus eam operatur modo incomprehensibili, cognoscimus quidem

quidem nos illam adeptos, sed non sentimus quando aut quomodo adipiscamur. Nostro judicio, est solidior promissionum divinorum, aut potius spei ex promissis divinis conceptæ, in animo fidelis facta impressio; per quam de salute æterna adeo persuasus redditur, non aliter ac si eam præsens quodammodò contemplaretur, similemque ex confirmatâ hac spe delectationem percipit, cum eâ quam ex præsenti salutis fruitione percepturus est. Non itaque est, sensus verbo non contenti in animo fidelis facta impressio: sed sensus jam ex verbo percepti solidior confirmatio, & continuata per Spiritum Dei suggestio. Quare examinandum semper est donum istum ad Scripturam, unicam cujuscunque spiritus explorandi normam. Hucque etiam applicari potest illud Joannis, 1 *Epist.* IV. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint.* Statuendumque nulli concedi nisi fideli, & ex fide Deum Christumque colenti.

Non videtur omnibus fidelibus concedi. XII. Quæst. An omnibus verè fidelibus conceditur? Resp. Non videtur; nec etiam necesse est; quia consertur ut certos reddat de salute. Atqui etiam illa certitudo hauriri potest ex verbo Dei, & claris illo contentis promissis, quæ homo fidelis certò sibi applicare potest; 2 *Tim.* IV. 6, 7, 8. 1 *Joan.* III. 21, 22. Illaque certitudo ordinariè videtur sufficere.

Sed in casu necessitatis. XIII. Interim illi casus possunt incidere, ut Deus, si serio & ardentibus precibus rogetur, ad majorem spei ex promissis suis conceptæ confirmationem spiritum suum largiatur. Dices, si oretur ob spiritum; agnosci quippe vult doni tam salutaris auctor: ita *Luc.* XI. 13. *Jacob.* I. 5. Quando videlicet homo gravi aliquâ calamitate aut persecutione pressus, aut gravi tentatione sollicitatus, cui facile succumberet, Deum orat, solet Deus donum hoc concedere, quo hominem in spe vitæ æternæ confirmat, ejusque magnitudinem ac gloriam ob oculos ponit, & quasi præsentem sistit: quò ita gloriæ illius desiderio accensus, alacriter in stadio pietatis pergat, omniaque mundi hujus oblectamenta & præsentis seculi desideria, quæ inde abducere eum possint, rejiciat ac contemnat. Hæc est, *pax* illa *Dei*, *Phil.* IV. 7. quâ armati, non tantum in adversitatibus, licet difficillimis, fideles æquam servant mentem, sed & in iisdem ad mortem usque gaudent & gloriantur, *Rom.* V. 2. Idque variorum martyrum exempla docent, qui cantantes & psallentes gravissimos cruciatus, mortesque crudelissimas perpessi sunt. Illa autem confirmatio alia non videtur esse, quàm hæc obsignatio per Spiritum Sanctum.

Et à Deo in fidelibus conservatur. XIV. Sicut autem Deus hanc obsignationem concedit fidelibus, ita etiam illam in ipsis conservaturus est ad finem usque, si in fide perseverent. Hinc dicitur nos obsignare, *usque in diem redemptionis*, *Ephes.* IV. 30. quanquam & verba ita explicari possint, ut sensus sit, nos per Spiritum Sanctum obsignari, certò tandem adfuturum diem liberationis, quo ex omnibus, quæ nos hic premunt, miseriis liberati, consequemur libertatem gloriæ filiorum Dei.

CAPUT VII.

De Certitudine Salutis.

Sententiarum diversitas. I. Ex iis, quæ de actibus hisce salutaribus dicta sunt, facile est colligere, quid de Certitudine salutis, quæ fidelibus in hac vitâ competit, statuendum sit. Sed quoniam hic maximum occurrit sententiarum discrimen, operæ pretium est quæstionem hanc accuratius expendere. Primò & ante omnia inquirendum, quid propriè sit certitudo, ut terminis illis rectè explicatis, nulla in disputatione ambiguitas reliqua sit; & quæstionis status ritè formari possit. Conqueruntur enim tam Pontificii quàm Reformati, utrimque quæstionis statum perverti, sententiamque adversam odiosè proponi. Nos sincerè sententias singulorum ex ipsorum scriptis inquiremus, nihilque cuiquam tribuemus, quod non libenter sibi tributum velit.

Quid sit certitudo & variæ illius species. II. Bellarminus *lib* 3. *de Justificatione cap.* 2. varias certitudinis species recenset. Nos illas tantum delibabimus, quæ propositæ quæstioni explicandæ & enodandæ inserviunt. Certitudo designat firmam & fixam mentis nostræ de rei alicujus sive veritate, sive bonitate, sive necessitate persuasionem; quam & aliquando dicit non niti certâ ratione, imo & falsam esse posse, & oriri ex infirmitate judicii, aut etiam impetu affectuum: qualis sæpissimè in vulgo obtinet: eamque impropriè certitudinem dici vult, ex parte nimirum cognoscentis. Sed vero, nullo modo certitudo dici potest; assensus enim adhibitus rei alicui, certâ ratione non nixus, licet indubitatus, non certitudo, sed opinio est; falsus autem, est error. Propriè autem designat certitudo firmum assensum, qui solido judicio & ratione infallibili subnixus, omnem prorsus justam dubitandi aut oppositum formidandi causam, adhibito diligenti omnium circumstantiarum examine, excludit. Estque vel evidens, orta ex ipsius subjecti manifesta evidentia, qualis est, principiorum primorum, conclusionum ex principiis immediatè deductarum, & rerum sensibilium quæ in sensus incurrunt, qui bene dispositi circa objecta sua errare nequeunt. Vel est paulò obscurior, orta ex ipsarum rerum tam clarâ propositione & confirmatione, ut omnibus bene expensis & examinatis,

natis, nulla justa & solida ratio in contrarium opponi possit, cur quis certus esse non possit, eâ certitudine quæ rei illi inesse potest. Hæc est certitudo fidei, infra scientiam, supra opinionem, quæ omnem dubitationem & formidinem in contrarium excludit, præsertim certitudo fidei divinæ. Et de hac certitudine propriè sermo est, utrum nempe fidelis certitudine fidei divinæ, cui subesse non potest falsum, certus esse queat sibi à Deo remissa esse peccata, seque in statu salutis esse.

Duplex de certitudine salutis controversia.

III. Sed verò duplex hic de certitudine salutis oritur controversia. Vel enim quæritur, an fidelis in statu suo præsenti certus esse possit statum suum esse statum salutis: vel, an fidelis certus esse possit, non tantum de statu præsenti, sed & de futuro, se nim: semper ad finem usque in statu salutis perseveraturum?

Status controversiæ inter nos & Pontificios.

IV. Quod priorem quæstionem attinet, dupliciter ea intelligi potest. 1. Quod fidelis de salute sua certus esse possit sub conditione aliqua, si nim: Euangelio Jesu Christi credat, & piè secundum ejus præcepta vivat. De hac certitudine nulla est controversia. 2. Absolutè, quod certus esse possit in eo statu, in quo est, sibi remissa esse à Deo sua peccata, seque in statu salutis collocatum, ac proinde si in eo statu perseveret ad finem usque, se indubiè salutem consecuturum. Posterius hoc negant Pontificii; nos unà cum Reformatis omnibus contra eos asserimus.

Ejus elucidatio.

V. Distinguendum tamen hic est; nim: nos non admittere sententiam illorum, qui statuunt fidem justificantem in eo sitam, ut credamus nobis remissa esse peccata nostra: illud enim antea refutavimus; & exinde sequeretur, remissionem peccatorum, non tantum naturæ ordine, sed & tempore præcedere nostram fidem & conversionem: quod falsum est, & Scripturæ Sacræ contrarium: sed statuere, hominem qui jam in Christum credit, & ex fide illa Deo obedit, posse certum esse de Justificatione sua, statumque suum esse statum salutis. Quæstio itaque est (uti eam format Bellarminus) *utrum debeat aut possit aliquis, sine speciali revelatione, certus esse, certitudine fidei divinæ, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata?*

Fidelem posse esse certum, se esse in statu salutis.

VI. Dicimus nos, fidelem non tantum de statu suo, quod sit status salutis, certum esse posse, sed fieri aliter non posse quin certus sit, si ratione & judicio utatur. Si enim certus esse nequeat, alterutrum in causa est; Aut quod scire non possit, qualis debeat esse status ejus qui salvandus est; ac proinde an suus in quo versatur sit justitiæ ac salutis status: atqui hoc absurdum est; quia perspicue in Euangelio describitur; neque negari potest ab eo, qui concedit fidelem hanc habere certitudinem conditionatam, se salvum fore, si Euangelio Jesu Christi credat, ejusque præceptis obediat: Aut licet hoc sciat, tamen hominem in statu salutis positum scire non posse, quod in statu illo jam versetur. At tum sequeretur hominem seipsum nosse non posse. At verò illud non tantum est possibile, sed & facile, modo quis animum advertat, debitumque instituat examen. Intima enim animi sui perspecta habere potest; sicut enim nemo novit quæ sunt hominis, ita ea novit spiritus qui in homine est; 1 *Corinth.* II. 10. Alterius animum explorare difficile est, suum vero promptum ac facile. Explorato autem animo suo, eumque cum præceptis divinis conferendo statim agnoscet, quousque actiones suæ præcepto divino consentaneæ sint, atque ita quousque promissa divina sibi applicare debeat; & sic porro, si se ex animo præcepta divina observasse deprehendit, de salute sua certus esse potest. Applicatio enim promissorum divinorum, facta animo de officio suo rite præstito sibi conscio, absque salutis certitudine esse nequit; cum certitudo salutis aliud nihil sit nisi promissi divini ex præstiti officii conscientia facta persuasio. Hinc 1 *Joan.* III. 14. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Vers.* 19. *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.* His adde *vers.* 21, 22. *Hebr.* VI. II. *Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostendere solicitudinem ad plenam certitudinem spei usque in finem.* Hinc & *Rom.* V. 1, 2, 3, 4. dicitur *spes*, quam patientia operatur, *non confundere.* & *Phil.* IV. 7. *Pax Dei quæ omnem exuperat sensum, corda nostra custodire in Christo Jesu.* Eodem ergò modo fidelis, diligenti actionum suarum examine instituto, argumentari potest, quo Apostolus 2 *Tim.* IV. 6, 7, 8. *Tempus resolutionis meæ instat; bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, justus judex.* Neque in hac argumentatione ullo modo falli potest.

Etiam per obsignationem Spiritus.

VII. Hisce si accedat Obsignatio per Spiritum Sanctum quam cap. præced. Deum benignè fidelibus aliquando concedere ostendimus, quæ major certitudo excogitari aut requiri possit, non video.

Occurritur objectioni.

VIII. Dices. Ad certitudinem remissionis peccatorum requiritur, ut perfectè Deum amemus & præcepta ejus observemus; quia jubemus *Deum diligere ex toto corde, & ex omnibus viribus nostris, Luc.* X. 27. Hoc autem in hac vita locum non habet: ergo nec certitudo quæ isti amori inniti debet. *Resp.* Verum est, hominem pium in hac vita non ita perfectè Deum amare,

quin ulterius proficere possit, & prout in cœlo Deum amaturus est: sed nec talis amor in hac vita exigitur. Sed phrasi illâ, *ex toto corde*, &c. denotatur sinceritas amoris divini, seu obedientiæ præceptorum ejus; firmumque ac efficax propositum Deo obtemperandi in omnibus quæ homo novit ac nosse potest à Deo sibi præcepta, studiumque continuò in hisce proficiendi, prout illud antea fusius, cum de necessitate ac possibilitate observationis mandatorum Dei ageremus, adstruximus. Utrum verò homo sincerè & secundum vires suas Deo obediat, ipse facile examine adhibito nosse potest. Si quis tamen scrupulosè incedens, se nunquam officio suo satisfecisse credat, ut vitæ æternæ præmium certò sibi adscribere possit vel audeat, nihilominus cum salvari posse credimus. Illa enim certitudo non est fides ipsa, sed aliquid fidem, imo & Justificationem, consequens: *Justificati enim ex fide, pacem habemus cum Deo*, *Rom.* v. 1. Estque illa certitudo specialis applicatio promissi fidelibus in genere facti. Certitudo autem ad salutem consequendum præscripta non est, sed fides & obedientia.

Explicatur Ecclef. IX. 1. IX. Objiciunt quod legimus, *Ecclef.* IX 1. *Nescit homo an amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Resp. In Hebræo legitur: *Etiam amorem etiam odium nescit homo; omnia ad facies eorum.* Non loquitur Ecclesiastes de conscientia ejusque testimonio; nec de statu vitæ spiritualis: aliàs dicendum foret, nec hominem scire posse se odio Dei dignum, quantumvis sceleratè vivat: quod absurdissimum: sed de amore & odio respectu vitæ animalis. Ex illius felici statu ait non posse hominem concludere se in amore Dei esse, nec ex ejus miseria aut rebus adversis, se Deo exosum; quin hi status communes sunt impris ac piis. Isque sensus congruit toti scopo auctoris.

1 Corinth. IV. 4. X. Addunt; 1 *Cor.* IV. 4. ipse Apostolus Paulus, licet nullius sibi criminis conscius, hanc sibi certitudinem adscribere non audet; dicens: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est.* Resp. Apostolum ibi non agere de fide sua, quâ tanquam Christianus coram Deo justificatur, liquidò constat ex 2 *Tim.* IV. 6, 7, 8. & *cap.* I. 12. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* & *Rom.* VIII. 38, 39. *Persuasus sum quod nec mors, nec vita*, &c. *nos potest separare à charitate Dei quæ est in Christo Jesu.* Sed agit de speciali functione muneris sui, seque contra malignos quosdam obtrectatores defendit. Dicit itaque fidum se fuisse Domino, nulliusque criminis sibi conscium; ideoque nullius judicium curare, quia Domini sui minister est, cui soli de se competit judicium. Etiamsi autem nullius sibi criminis sit conscius, nondum tamen certum esse se rectè officio suo functum, antequam ipse Dominus fidum ipsum pronuntiaverit.

XI Tandem dicunt; *Phil.* II. 12. & 1 *Pet.* I. 17 jubemur hic *cum timore ac tremore* incedere; cum tamen *perfecta charitas pellat timorem*, 1 *Joan.* IV. 18. Resp. Antea ostendimus, Joannem loqui, aut de timore crucis temporariæ; aut de timore pœnæ divinæ ex mala conscientia orto, quo metuimus Deum iratum peccatorum nostrorum vindicem; non autem de illo timore, quo metuimus nos, nisi pietati continuò incumbamus, obnoxios fore iræ divinæ: aut quo metuimus, ne in futurum deficientes, gratiâ illâ, cujus jam sumus participes, excidamus. Ejusmodi timorem piamque sollicitudinem exegit Petrus & Paulus, eaque perfectæ charitati tantum abest ut repugnet, ut illius manifestum sit indicium. *Phil. II 12. 1 Pet. I. 17. 1 Joan. IV 18.*

Status controversiæ inter nos & Contramonstrantes. XII. Sed jam altera superest quæstio: Quoniam salus promissa est perseveranti, ac proinde nemo certus esse potest de salute sua nisi ad finem usque perseveraverit; an fidelis absolutè & simpliciter certus sit, se in vera fide perseveraturum, aut saltem moriturum; atque ita salvandum? Dicimus nos: Fidelis certus esse potest ex divino promisso, se in gratia Dei permansurum, & vitam æternam consecuturum, si in fide & obedientia mandatorum Dei perseveret. 2. Certus esse potest, se in eo statu esse, in quo si perseveret, æternum salvandus sit. 3. Certus esse potest, se in eo statu per gratiam Dei perseverare posse; ita quidem ut nulla vis, nulla tentatio tanta esse possit, cui resistere nequeat per gratiam Dei, ipsi aut jam concessam, aut quam Deus porro concedere paratus est, si ardentibus illam precibus expetat. At ut absolutè certus esse possit se in fide ac gratia divina ad finem usque perseveraturum, negamus.

Fidelis absolutè non est certus, se ad finem usque perseveraturum. XIII. Rationes nostræ sunt. 1. Quia nusquam talis perseverantia fideli est promissa. 2. Quia cum tali certitudine consistere non possunt omnes istæ seriæ adhortationes, *ut cum tremore operemur salutem nostram*, *ut caveamus ne in nobis sit cor pravum impœnitens*, &c. aliæque plures, quæ passim occurrunt. Cui enim fini hæc adhibentur apud eum, qui certus est cor illud in se existere nequaquam posse? 3. Multa inde sequentur absurda: qualia sunt inter alia. 1. Fidelem certum esse, se non posse labi in peccata, quæ cum fide & bona conscientia consistere nequeunt; aut si in ea labatur, qualia sunt adulterium, homicidium, idololatria, illa saluti non obesse. Ac proinde 2. Ipsum in illis non posse mori; aut saltem non moriturum; sed ante finem vitæ, in ultimo licet vitæ articulo, per gratiam divinam certissimè ad pœnitentiam renovandum iri.

3. Etiamsi

3. Etiamsi contingat ut sensus illius certitudinis per peccata quædam gravia intercipiatur, ipsum tamen sensum illum ante mortem recuperaturum. Quæ omnia sunt absurda & Scripturæ directè contraria. 1. Scriptura enim gratiam Dei & salutem nullis addicit nisi fidelibus, piis, & secundum spiritum viventibus: *Rom.* VIII. 9, 10, 14. 1 *Joan.* 1. 5, 6, 7. & *cap.* III. 7, 8, 9, 10. 2. Conscientia sicut excusat ob benefacta, ita condemnat ob peccata, *Rom.* II. 15. Atqui per hanc doctrinam homo contra conscientiæ suæ dictamen de salute sua certus foret.

Actus Dei salutares possunt abrumpi.

XIV. At dicunt. Actus Dei salutares, Electio, Adoptio, Justificatio, Sanctificatio, & præsertim Obsignatio per Spiritum Sanctum hominem de secutura gloria certum reddunt. Resp. Non sunt actus instantanei, qui unico momento perficiuntur, & semel perfecti nunquam mutantur; sed continui, qui tam diu durant, quamdiu conditionis requisitæ præsentia durat; & toties abrumpuntur, quoties homo derelictâ vitâ Christianâ committit actus ejusmodi, qui cum vera sanctitate consistere nequeunt. Quod de omnibus hisce actibus ex Scriptura manifestum est. De Electione quidem, 2 *Pet.* 1. 10. *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* De Adoptione: *Rom.* XI. 19, 20, 21, 22. *Dices ergo; fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: Noli altum sapere, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt severitatem; in te autem bonitatem si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* De Justificatione, *Matth.* XVIII. ubi Dominus, adhibitâ parabolâ servi duri & immisericordis, cui ingens à domino suo debitum erat remissum, docet, remissionem peccatorum jam à Deo concessam revocandam, nisi & aliis offensas condonemus. Quod verò Obsignationem per Spiritum Sanctum attinet, constat donum illud divinum posse contemni, ac tandem per varios gradus penitus amitti ac exstingui. Potest enim homo contumaciâ suâ *Spiritui Sancto resistere, Act.* VII 51. *Spiritum Sanctum contristare, Eph.* IV. 30. *ad iracundiam provocare, Esa.* LXIII 10. *contumeliâ afficere, Hebr.* X. 29. ac tandem *exstinguere*, 1 *Thess.* V. 19.

Quomodo nos Spiritus obsignet in diem redemtionis.

XV. Dices. Attamen Spiritus Sanctus nos obsignat *in diem usque redemtionis, Eph.* IV. 30. Resp. Verum est; sed eodem modo ac eadem conditione, quâ Deus nobis redemtionem ex morte in vitam æternam promisit, si nempe ad finem usque in fide perseveremus. Obsignatio enim exactè respondere debet contractui, cui obsignando adhibetur. Sicut ergo Deus nusquam fidelibus promisit, quod ad finem sint perseveraturi; sed si perseverent, quod salutem æternam sint consecuturi: Ita etiam Spiritus Sanctus, qui ad obsignanda promissa divina nobis datur, non confirmat nos semper in fide permansuros; sed quamdiu in ea permanemus de favore divino persuasos reddit. Hinc & monet Apostolus, ne Spiritum contristemus.

Sensus Rom. XI. 29.

XVI Addunt: *Rom.* XI. 29. dicitur, *Sine pœnitentiâ sunt dona & vocatio Dei.* Resp. Dona Dei duum sunt generum: quædam à sola Dei voluntate dependent, hominique à Deo conferuntur, nulla intercedente ejus voluntate, aut officio quod Deus ab homine stipulatur. Talia sunt, missio Christi in mundi Servatorem, vocatio ad participationem gratiæ cœlestis, & similia. Alia à voluntate quidem Dei pendent, sed quæ Deus homini dare non vult, nisi intercedente libera ejus obedientia, tanquam conditione prærequisita ad bona ista obtinendum. Talia sunt, Adoptio in filios, remissio peccatorum, vita æterna, omniaque illa beneficia, quæ Deus in præmium obedientiæ homini promisit. Priora sunt absque pœnitentia, & de iis agitur *Rom.* XI. 29. nempe vel de gratioso & indebito favore, quo Deus olim Judæorum patres complexus est, ipsos ipsorumque posteros in populum suum eligendo, cujusque respectu adhuc delecti dicuntur propter Patres; quia licet eos aliquando ob peccata graviter puniat, nunquam tamen futurum est, ut amorem suum in totum exuat, nec ita funditus eos exstirpet, ut non aliquando posteris eorum iterum velit beneficia sua offerre. Vel de beneficiis vocationis gratiosæ ad participationem gratiæ Euangelicæ, ad quam Gentes nunc vocat, & Judæos suo tempore denuo vocaturus est. Posteriora verò, quorum impletioni conditio aliqua affixa est, non sunt absque pœnitentia, & continuantur, quamdiu conditio requisita præstatur; illa autem deficiente, & beneficia ipsa abrumpi æquum est.

Non in incerto vacillat salus nostra.

XVII. Dices. Atqui sic certitudo gratiæ Dei & salutis nititur instabili conditione observationis mandatorum Dei. Resp. Deus aliud certitudinis nostræ fundamentum non largitus est, neque salvâ manente ratione fœderis sui concedere potest, quod nititur stipulatione officii & promisso præmii: non enim certus esse potest homo de præmio, nisi quatenus & quamdiu officio suo ritè fungitur. Absoluta autem illa certitudo rationi fœderis contraria est, hominem, etiam in mediis sceleribus, securum reddens; qui ex vi fœderis condemnationis reus est. Est illa instar securitatis liberorum prodigorum, de paterna hæreditate planè securorum: contra expressum Dei verbum, *Ezech.* XVIII. 24. & alibi.

alibi. Interim salus nostra in incerto non vacillat. Licet enim voluntas hominis mutabilis sit, nec ad bonum necessitetur; certus tamen est homo, se per gratiam divinam, quam precibus à Deo impetrare potest, in statu suo posse persistere, ac proinde non nisi propriâ ac evitabili culpâ è salute posse excidere.

CAPUT VIII.

De Reprobatione actuali infidelium.

I. ACtus, quibus Deus versatur circa peccatores impœnitentes in hoc seculo, sunt contrarii plane illis, quibus occupatur circa fideles & officium suum sedulo facientes. Primus est.

Reprobatio. II. *Reprobatio*, quæ est actus Dei judicialis, quo homines impios ac incredulos à se abjecit, ac propter contumaciam suam exitio æterno destinat; & si in impietate sua perseverent, æternum à se abjecturus, ac puniturus est.

Est actus Dei judicialis. III. Esse Reprobationem actum Dei judicialem ex divina legislatione constat. Cum enim Deus hominibus leges præscripsit, easque sancivit promisso præmio, ac comminatione pœnæ, liquet Deum judicis instar cum genere humano agere velle, præsertim in negotio illo maximo salutis ac damnationis æternæ. Pœnam enim nocenti irrogare, actus judicialis est. Ipse Deus se actionum humanarum judicem profitetur, *Jer.* XVII. 10. & Jesum Christum universalem hominum constituit judicem, qui in illustri illo judicii die unicuique secundum opera retributurus est, *Act.* XVII. 31. 2 *Thess.* I. 6, 7. idque potissimum in pœnarum irrogatione locum habet. Cum itaque ipsa actualis condemnatio improborum sit actus Dei judicialis; manifestum est & reprobationem, quæ est destinatio ad pœnam, esse actum Dei judicialem.

Non absoluti domini. IV. Quod autem quidam existimant, Reprobationem esse actum absoluti dominii, non autem judicii divini; in eo vehementer falluntur. Non enim dominium Dei à justitiâ ejus separari debet, aut potest. Et licet aliquando Deus domini instar absoluti cum hominibus agat, ut in legibus ferendis, piis exercendis, aliisque operibus, quibus Deus summum hominis bonum intendit; nunquam tamen, ubi de æterna hominum condemnatione agitur, domini instar absoluti, seposito omni actu judiciali, agere se velle testatur: sed omnes illius actus sunt judiciales, & justæ peccatorum retributionis rationem habent.

Male hic distinguitur inter condemnationem & reprobationem. V. Dices. Ipsam quidem condemnationem esse actum Dei judicialem, non autem reprobationem: quia arbitrii tantum sit divini, quosnam reprobare velit, pro absoluto suo beneplacito. *Resp.* Si condemnatio actus sit judicialis, sequitur & reprobationem actum esse judicialem; cum enim ipsa punitio actus sit judicialis, quomodo destinatio ad pœnam non sit actio judicis, concipi nequit. Dices. Reprobatio non est destinatio ad pœnam, sed nuda præteritio, seu non electio ad gloriam. Deus autem pro beneplacito eligit ad salutem & præterit quos vult. *Resp.* 1. Illud excipi non posse ab illis, qui reprobationem destinationem ad exitium æternum definiunt. 2. Licet alii mollioribus utantur verbis, reverâ tamen cum prioribus consentiunt; quia illa præteritio seu non electio, non minus quàm positiva destinatio, causa est damnationis; illius enim actus sunt, peccati primi efficax permissio, ut vocant, sed reverâ procuratio, illiusque peccati imputatio, non redemtio, non vocatio, saltem non efficax vocatio, non datio fidei, peccati permissio & derelictio in eo, & peccatorum non remissio; quæ omnia causa inevitabilis damnationis sunt.

Non sunt duo actus in reprobatione considerandi. VI. Dices. Duo sunt reprobationis divinæ actus, unus de fine, alter de mediis ad finem ducentibus. Prior est destinatio hominis ad exercitium justitiæ divinæ; ita ut finis Dei propriè non sit perditio creaturæ, sed manifestatio justitiæ Dei, quæ in merita creaturæ perditione elucet; alter est destinatio ejus ad damnationem. Prior est actus dominii, posterior actus judicialis. *Resp.* 1. Inepta est exceptio, finem Dei reprobantis non esse propriè perditionem creaturæ; modo constet Deum creaturæ perditionem destinasse ad ultimum suum finem propriè intentum, manifestationem videl. justitiæ suæ, obtinendum; illud enim medium fini connexum est sine ullâ intercedente actione hominis. Si itaque destinatio ad damnationem actus sit Dei judicialis, concipi nequit, quâ ratione non & destinatio ad exercitium justitiæ, quod sine actuali damnatione, quæque illius necessarium est consequens, obtineri nequit, non sit actus judicialis. 2. Nec concipi potest, quomodo justitia Dei manifestari possit per actum non justitiæ, sed absoluti dominii. Verum est: actum dominii posse etiam esse actum justitiæ divinæ, atque ita per eundem justitiam divinam manifestari: sed ut justitia divina manifestetur per actum, qui non est justitiæ, sed privativè dominii actus, impossibile est. 3. Ut jam non dicamus, destinationem ad damnationem, quæ consequens est destinationis ad exercitium justitiæ, non rectè justitiæ actum posse vocari; si destinatio ad exercitium justitiæ non sit actus justitiæ, sed dominii. Quia Deus hominem ad damnationem destinat, in cujus perditione jam antea destinavit gloriam justitiæ suæ manifestare; cujus itaque perditio

tio & causæ perditionis à primo decreto divino inevitabiliter dependent. Damnare autem hominem, cujus perditionem, causasque perditionis Deus ipse destinavit, actus justitiæ non est: cum justitia non assignet perditionem, nisi ob peccata liberâ & propriâ voluntate commissa.

Sensus Rom. IX. 20,21, 22,23

VII. Dices: Apostolus tamen indicat reprobationem esse actum dominii Dei, *Rom.* IX. 20 21, 22, 23. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere quidem aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum?* &c. Resp. Nihil est in hoc textu, quod reprobationem actum non justitiæ, sed dominii divini arguat. Non enim, uti ex totius capitis scopo liquet, Apostolus hîc agit de æterna quorundam hominum ad damnationem reprobatione; sed contra Judæos ostendit, Deum, licet antea Abrahamum & posteros ejus elegisset ex reliquo genere humano ut genus electum, cui terram Canaan cum omnibus benedictionibus in possessionem dare, legemque suam credere vellet, nihilominus jus habere gentes ad gratiæ suæ participationem vocandi, fidelesque in populum suum recipiendi, & Judæos incredulos ac rebelles à gratia sua rejiciendi; non minus atque figulus in argillam jus habet, ex eadem massa faciendi aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; ut ita ostendat, omnis salutis fontem esse in Deo, hominem vero miseriæ suæ fabrum esse. Sensus ille exinde evincitur. 1. Quia si Apostolus voluisset dicere, Deum hîc tantum pro absoluto suo jure agere, non obturasset os Judæis, qui objiciebant verbum Dei, quo se Abrahamo obstrinxerat, excidisse, si rejectis Judæis gentes assumeret. Posito enim jus Dei eousque extendi, ut pro mero beneplacito homines abjiciat ad manifestationem justitiæ suæ (cujus contrarium antea ostendimus) potuisset quidem Apostolus inferre, Deum Judæis nullam facere injuriam, quod pro absoluto jure suo illos reprobaret: non autem, quod pacto suo cum Abrahamo sancito staret; illo enim declaraverat, se jure isto absoluto contra Judæos Abrahami semen uti nolle. Sed si dicamus Deum, Judæis incredulis ob incredulitatem suam rejectis, gentes fideles in eorum locum assumsisse, Judæorum objectio validissimè diluitur. Quia enim Deus jus sibi reservavit designandi quos & quales pro posteris Abrahami, quibus promissio facta est, habere velit, uti in exemplo Ismaëlis & Isaaci, Esavi & Jacobi ostendit; nullam facit injuriam Judæis, nec ullo modo fœderi suo derogat, si nunc declaret, se fideles in Jesum Christum, qui vestigiis fidei Abrahæ insistunt, pro semine benedicto habere; ac proinde Judæos incredulos justè rejicere, gentesque fideles in ipsorum locum assumere. 2. Verba sequentia manifestè arguunt, Deum hic non absoluti domini, sed justi judicis partes agere; quia dicitur Deus *multa patientia tolerasse vasa iræ, coagmentata ad interitum*: qui enim peccatores multâ patientiâ tolerat, antequam eos puniat, ostendit se non absolutum dominium ex mero beneplacito exercere velle; sed judicis partes agere, pœnamque non nisi juxta peccatorum merita infligere velle. Nec verba, *coagmentata ad interitum*, arguunt, à Deo coagmentata esse: nullo modo. De vasis misericordiæ quidem dicitur, quod *Deus ea ad gloriam præparaverit*, sed de vasis iræ solummodò, quòd sint *coagmentata ad interitum*; nempe sicut peccatis suis se vasa iræ reddiderunt, quia *propter hæc venit ira Dei in filios contumaciæ*, *Ephes.* v. 6. ita etiam se ipsos coagmentarunt ad interitum: perinde ut *Act.* XIII. 46.

Objectum, sunt impii & increduli.

VIII. Ex hisce liquet, quoniam Reprobatio est actus Dei judicialis, illius objectum alios non esse, quàm impios & incredulos: circa alios enim justa punitio divina occupari nequit. Solis etiam incredulis ac impiis Deus damnationem denuntiat, *Joan.* III. 17, 18, 19, 36. *Marc.* XVI. 16. *Rom.* II. 8, 9. 1 *Corinth.* VI. 9, 10. aliisque pluribus locis. Ergo & illos solos damnare constituit. Estque hæc actualis Reprobatio reverâ aliud nihil, quàm decreti generalis, de infidelibus damnandis, specialis in tempore facta applicatio, quâ Deus quemcunque infidelem & impium in numero damnandorum habet, quemque, nisi resipiscat, reverâ damnaturus est.

Quinam per illos intelligantur.

IX. Per *impios* autem ac *incredulos* intelligimus, qui divinæ gratiæ operationibus resistunt, quales sunt vocatio, monitio, reprehensio, castigatio, aliæque plures, quas Deus ad hominum conversionem adhibere solet, seu qui ea committunt, quibus æternæ salutis spes intercipitur. Non quod velimus Ethnicos, omnesque, quibus Euangelii lux nunquam affulsit, Reprobatione divinâ nullatenus contineri, impios licet ac sceleratos: sed quoniam de Reprobatione agimus, quatenus est comminatio fœderi Euangelico annexa, solummodò illi qui ex vi fœderis novi Reprobationis objectum sunt, à nobis considerari possunt. Ethnicos, qui extra fœdus sunt, Dei judicio committimus; certi, eos *qui sine lege peccarunt, sine lege judicandos*: docente Apostolo, *Rom.* II. 12.

In quo reprobatio consistat.

X. Actus itaque Reprobationis in eo consistit, quòd Deus contumaces peccatores non amplius pro populo suo agnoscit; seu quemcunque pertinacem peccatorem (ne quis hic cavilletur nullam nos statuere singula-

gularium reprobationem) non amplius censere velit in illo populo cui salutem destinavit, sed damnandorum numero inserat. Ita respectu abjectionis à benedictionibus temporalibus dicitur Deus Israëli contumaci dedisse libellum repudii, *Jerem.* III. 8. & *Osé.* I. 9. non amplius habere pro populo suo. & *cap.* II. 2. Et respectu abjectionis à beneficiis spiritualibus, *Rom.* XI 22. *Nisi permanseris in bonitate, & tu excideris. Apoc.* II. 5. *Movebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris.* Ubi per *motionem candelabri* intelligitur reprobatio Ecclesiæ. *Matth.* VIII. 12. *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores.*

Quos actus sæpe conjunctos habeat. XI. Hæc Reprobatio conjunctos sæpe habet secum actus pœnales, iræque ac vindictæ divinæ indices. 1. Oblivionem præcedentium officiorum, *Ezech.* XVIII. 24. 2. Gratiæ denegationem, quæ præcipuè consistit in ablatione verbi, quo converti debent; ita Deus minatur, *Amos.* VIII. 11, 12. se verbi divini famem immissurum in terram: & *Matth.* XXI. 43. regnum Dei à Judæis propter diuturnam ipsorum rebellionem auferendum. *Regnum* enim *Dei* illic denotat Euangelium, seu statum illum felicem, qui hominibus per Euangelii prædicationem obtingit. *Luc.* XIII. 24, 25. dicitur pater familias surrecturus, ostiumque gratiæ occlusurus: quod licet maximè implendum sit in futuro seculo, tamen etiam aliquatenus respectum habet ad judicia Dei severa, quæ nonnunquam in hoc seculo exercentur. Vide & *Joan.* XII. 35. *Act.* XIII. 46 Sine his autem nec fidelis nec Ecclesia esse potest. Quibus conjuncta est denegatio mediorum ejusmodi externorum, per quæ converti debent; verorum scilicet pastorum, & monitorum: *Psal.* LXXIV. 9. 3 Ablationem spei, ad tempus saltem, vocationis & gratiæ redintegrandæ: *Osé.* I. 6. *Rom.* XI. per totum.

Non tamen illi semper conjuncti sunt. XII. Hi sunt actus Dei pœnales, qui Reprobationem consequi solent; non tamen semper; adeo ut colligere liceat, quando Deus ejusmodi actus pœnales erga homines exercet, eos ob peccata sua justè à Deo esse reprobatos: non autem, eos à Deo nondum esse abjectos, quamdiu omnibus illis actibus pœnalibus circa eos non versatur. Nam & obstinatis peccatoribus gratiæque suæ præfractis contemtoribus verbi sui lucem nonnunquàm fulgere curat, si forte ad emendationem adducantur; quod tamen, nisi resipiscant, eos minus excusabiles, gravioresque pœnæ reos faciet. Pro arbitrio quippe suo Deus actibus ejusmodi pœnalibus, qui Reprobationi adhærent, uti solet; neque semper merita hominum respicit; sed & aliquando à graviora commeritis gratiam suam non plenè aufert, ut tanto magis gloriam suam illustret.

CAPUT IX.

De Excæcatione & Induratione.

I. Secundus actus est *Excæcatio*, qui oritur ex priore, quando peccatores ita reprobati, Dei permissione & judicio profundis ignorantiis implicantur; sublato enim verbo Dei, vastities doctrinæ sequitur, & succedit verbum diaboli, quod est verbum seductionis & mendacii. Illam comminatur Deus, *Esa.* VI. 9, 10. & juxta hanc comminationem etiam contigit Judæis contumacibus, *Joan.* XII. 40. *Act.* XXVIII. 26. Sic & *Esa.* XXIX. 9, 10, 11, 12, 13, 14. *Rom.* XI. 8, 9, 10. *Excæcatio.*

II. Illi intime connexa est *Induratio*, quæ est actus Dei, quo homines impios & à se reprobatos impuris suis concupiscentiis tradit. *Rom.* I. 24, 26, 28. dicitur Deus illos *tradere in desideria cordis eorum in immunditiam; in passiones ignominiæ; in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Differtque ab Excæcatione, quod ea propriè resideat in intellectu hominis: Induratio vero in voluntate. Imo solent ferè sese mutuo producere; excæcationem enim intellectus solet ordinariè sequi induratio voluntatis; exstincto enim lumine, introducto errore, sequitur vitæ profanitas: sequitur enim ferè voluntas intellectum ut ducem; qui si malè ducat, voluntatem in præcipitia abducit. Rursus induratio voluntatis producit excæcationem intellectus: voluntate enim induratâ, & in pravum detortâ, excitantur affectus pravi, qui nebularum instar lucem intellectus tanquam solem obscurant. *Induratio.*

III. Illa autem Excæcatio & Induratio Dei, non est causa per se, quòd homo necessariò erroribus illis implicetur, aut in peccata ruat; sed occasionalis tantum; quatenus homo pro malitia cordis sui illâ abutitur ad majorem sui excæcationem & indurationem: cùm potius punitio hæc divina per se eo tendat, ut homo, sentiens iram ac pœnam Dei, ad pœnitentiam convertatur, veniamque peccatorum à Deo petat. Quod ut melius pateat, sciendum non soli Deo, sed & homini ac diabolo tam Excæcationem, quàm Indurationem attribui. *Non est peccati causa per se, sed occasionalis tantum.*

IV. Homini attribuitur Excæcatio, *Ezech.* XII. 2. *Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt; quia domus exasperans est.* Induratio, *Jerem.* V. 3. *Domine oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram & noluerunt reverti. Sachar.* VII. 11, 12. *Noluerunt attendere*, *Tribuitur ipsi homini, & diabolo.*

dere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt ne audirent: & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, &c. Pharao ter dicitur se indurasse, *Exod.* VII. 13, 14. VIII. 15. IX. 34. Diabolo: Excoecatio quidem, 2 *Cor.* IV. 3, 4. ubi dicitur tanquam seculi hujus Deus *excaecare mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii gloriae Christi.* Induratio: *Eph.* II. 2. dicitur *efficaciter operari in filiis contumaciae.*

Quâ ratione homo seipsum induret. V. Homo seipsum excoecat & indurat, cùm verbum sibi annuntiatum audire & intelligere non vult, aut illi obedire; sed rationes conquirit, quibus verbi auctoritatem elevet, vel quo ita illud contemnat ac spernat. Idque vel è pura animi malitia, *Jerem.* II. 20. V. 2. VI. 10, 16. XLIV. 16, 17. *Ezech.* XII. 2. vel affectu aliquo vehementi abreptus; puta rei alicujus amore: voluptatis nempe, utilitatis, aut vitiorum assuetorum; illa enim hominem abducere solent quasi captivum. Hinc monemur, ne *seductione peccati induremur*, *Hebr.* III. 13 *Ose.* IV. II. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor.* Solent enim vehementes affectus aciem intellectus exstinguere; nihilque efficacius hominem indurat, quàm vehemens in rem aliquam amor. Quae amamus, illicita non credimus; & licet obstet divinum interdictum, clarissima illius verba detorquemus, ipsisque sensum affectui nostro blandientem aptamus; atque ità à propria nostra cupiditate inescati miserè seductione peccati induramur.

Quâ ratione diabolus. VI. Diabolus ut carnifex excoecat hominum mentes, non coecitatem infundendo, aut duritiem in cordibus ipsorum efficiendo; id enim extra potestatem ejus est; sed suadendo, incitando, media affectui ciendo idonea offerendo, etiam spirituum animalium concitatione ideas peccati in cerebro excitando, & objecta peccandi validè repraesentando: quae tamen omnia non nisi moralem movendi vim habent, quibus homo gratiae divinae ope, quam ardentibus à Deo precibus obtinere potest, facilè resistit.

Quâ ratione Deus. VII. Deus vero ut judex iratus hominem ob praecedentia, vel etiam praesentia, peccata excoecat & indurat; non coecitatem operando, nec malitiam infundendo, aut hominem physicè indurando, ita ut homo non possit quin peccet; ita enim Deus peccati auctor foret, quod sanctitati ejus adversum est: sed gratiam suam miris modis administrando, & judicia severa exercendo; unde homo pro malitia sua occasionem se indurandi arripit; cum tamen, si pietatis studiosus foret, ex eâdem illa Dei actione occasionem se convertendi arrepturus esset. Atqui hic ira Dei sese conspiciendam dat, quod media haec, quae alias sanando homini inserviunt, circa illum adhibet, quando pro cordis sui malitiâ illis verisimiliter ad sui majorem indurationem abusurus est. Hinc videmus Deum hoc actu poenali non nisi erga contumaces & praefractè improbos, ac tantum non insanabiles, uti solere. Sic Deus induravit Pharaonem: At qualem? tyrannum, crudelem, injustè populum Dei affligentem, & refractarium, seque contra tot praecepta divina per Mosen sibi annuntiata, tot miracula ac prodigia, indurantem. Induravit autem plagarum levitate ac brevitate, quae cum deberent cor ejus emollire, ipse ex illis occasionem populum retinendi seque indurandi arripuit. Quod exinde manifestum est; quia postea nullâ majore gratia divinâ adjutus, sed primogenitorum caede territus, statim se voci divinae morigerum ostendit, populumque dimisit. Sic *Esa.* VI. 9, 10. jubet Deus Prophetam *excaecare cor populi*, &c. sed illius, quem *cap.* V. descripserat, quòd omnia beneficia sua contempserit, & qui, cùm exspectasset ut proferret uvas, protulerit labruscas. *Cap.* XXIX. 9, 10. *&c.* excoecat populum, sed hypocritam ac rebellem, qui labiis suis Domino appropinquabat, corde autem suo ab ipso recedebat. *Matth.* XIII. 10. *&c Joan.* XII. 37. *&c. Act.* XXVIII. 25, 26. indurat Judaeos, sed ob incredulitatem, tot ac tam mirabilium signorum contemtum, Euangeliique praefractam rejectionem. Gentes *tradidit in reprobum sensum*, *Rom.* I. 28. ob idololatriam, aliaque peccata nefanda: iisque *qui amorem veritatis non receperunt ne salvi fierent, immisit efficaciam erroris, ut credant mendacio*, 2 *Thess.* II. 10, 11.

Actus quibus Deum ordinarie peccatores excaecat & indurat. VIII. Idque clarius liquebit, si actus, quibus Excoecatio haec atque Induratio perfici solent, singulatim considerentur. Actus autem illi sunt varii: praeter illos enim, quos diximus saepe reprobationem divinam solere consequi, Deus hisce actibus peccatores excoecare & indurare solet.

Primus. IX. Primò. Tollit obstacula, per quae antea cohibiti fuerunt, ne tam praecipites ad quaevis scelera ruerent; indeque occasionem sumunt in peccatis suis perseverandi. *Actor.* XIV. 16. *Praeteritis seculis sivit gentes ambulare in viis suis.*

Secundus. X. Secundò. Verbum suum aliquando obscurius, per parabolas & aenigmata, aut sub figuris, proponi curat, ita ut nisi attentè considerent, animumque docilem adferant, ejus intelligentiam assecuturi non sint: unde maligni homines occasiones sese indurandi arripiunt. Sic Judaei *Matth.* XIII. 10. &c Haecque etiam causa indurationis fuit, quod adeo praefractè Jesum pro Christo recipere recusarint; quia prophetias secundum literam accipiendo, sensum illarum mysticum ac spiritualem non cognoverunt.

Unde-

Unde Christi crux ipsis scandalum fuit, 1 *Cor.* 1. 23. uti & status ejus humilis & abjectus, *Marc.* vi. 3. *Joan.* vii. 41. Unde & *Luc.* 11. 34. dicitur *positus in ruinam & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur.*

Tertius. XI. Tertiò. Tradit tentationibus Satanæ, illique omnem suam vim omnesque adstutias adhibere permittit: 2 *Corinth.* iv. 4. *Ephes.* ii. 2. Quanta autem illius seductionis efficacia sit, non tantum ex supradictis liquet: sed & quod fideles jubeantur tam sollicitè contra ipsum vigilare, 1 *Pet.* v. 8. & orare ne in tentationem incidant, *Matth.* vi. 13. xxvi. 41. & omnem Dei armaturam induere, ut contra ipsum subsistant; *Ephes.* vi. 11, 12. *&c.* Quod si tantum fidelibus cum ipso intercedat certamen, quid fiet illis, quos jam gratia Dei deserit, itaque divina omni diabolicæ operationi exponit?

Quartus. XII. Quartò. Occasiones errandi & peccandi multiplices ipsis objicit; permittendo nimirum ut falsi inter ipsos existent Prophetæ & doctores; 1 *Reg.* xxii. 19, 20 *&c. Ezech* xiv. 5, 9, 10. Sic 2 *Thess.* ii. 10, 11. *Immittit efficaciam erroris*, id est, seductionem quæ effectum habitura est, ita *ut credant mendacio*: quæ itaque vitio illorum qui seducuntur efficax futura erit; quoniam secundum satanæ operationem est, qui mediis tantum moralibus homines seducere potest; falsos doctores excitando, mendaciumque signis quibusdam fallacibus confirmando; doctrinamque hominum, qui veritatis amorem rejecerunt, desideriis respondentem proponendo. Quærunt quippe illi, quod carni suæ gratum est: Deus permittit, tales ipsis proponi doctrinas, quæ liberum libidinum carnalium usum ipsis indulgent; quæ adeo speciosè ipsis proponuntur, ut tandem illecti iis capiantur, atque sic inveniant quod quærunt: quoniam sanctæ doctrinæ ac miraculis confirmatæ noluerunt credere, qui libidini ipsorum impuræ adversa est, credunt doctrinæ impuræ, ac falsis miraculis utcunque suffultæ. Atque ita eo tandem prolabuntur, ut credant illicitum non esse, quod carni suæ gratum est. Ideo dicuntur *tenebris obscuratum* habere *intellectum*, *Eph.* iv. 18.

Quintus. XIII. Quintò. Permittit ipsorum consilia, etiam improba, ad tempus felici successu fluere, indemagis magisque in peccatis indurantur, externam illam felicitatem amoris divini argumentum ducentes; atque ita quammaxime implicantur cupiditatibus mundanis; *Psal.* lxxiii. 8. Vel si quando eos punire decrevit, pœnas adhibet leviores, aut plagas subitò aufert: ita Pharaonem Deus induravit: Aut diu ac magna cum patientia in impietate ipsos tolerat, *Rom.* ii. 4, 5.

Sextus. XIV. Sextò. Non procurat ut conscientiæ ipsorum remorsu aliquo exstimulentur ad pœnitentiam: hinc *Eph.* iv. 19. dicuntur ἀπηλγηκότες, quasi nullum amplius morsum sentientes conscientiæ, & *Rom.* xi. 8 illis immissus *spiritus soporis*. Vel etiam eos in desperationem incidere sinit, adeo ut angore conscientiæ continuò torqueantur, neque de resipiscentia cogitent, quia de gratia divina desperant. Qui status omnium miserrimus est: hominemque vel in perpetua anxietate detinet, ut Cainum, *Gen.* iv. 13. vel violentas sibi manus inferre suadet, ut conscientiæ stimulos effugiat; ut Judæ, *Matth.* xxvii 5.

Nulli horum per se operantur in homine malitiam. XV. Ex omnibus hisce Excœcationis & Indurationis divinæ actibus liquet, nullum esse qui malitiam in hominibus per se operatur, sed homines malos iis ad sui majorem indurationem abuti, cum pœna eos longanimitate Dei moniti ad pœnitentiam converti deberent. Pro diversa quippe dispositione hominis eadem Dei operatio diversum sortitur effectum. *Christus crucifixus*, qui *Judæis* est *scandalum*, *& gentibus stultitia*, *vocatis sanctis* est *potentia & sapientia Dei*, 1 *Cor.* i. 23, 24. Euangelium, quod est, verbum salutis, huic est *odor vitæ in vitam*, illi *odor mortis in mortem*, 2 *Cor.* ii. 16. Non quòd aliam planè vim exserat erga hunc quàm illum; sed quòd eàdem vi operando in animis diversimodè affectis & dispositis, dissimilem ac planè contrarium sortiatur effectum. Perinde uti in rebus naturalibus videmus, ob diversam partium constitutionem, ceram liquefieri, cœnam indurari ab eodem calore solis; & ex luto gravissimum fœtorem, & floribus & aromatibus fragrantissimum odorem excitari ab eodem sole; eundum cibum huic exitialem, alteri salutarem esse. Eodem modo & longanimitas ac patientia Dei, quæ eo tendit, ut peccatorem ad pœnitentiam ducat, & quâ homines non præfracti ad pœnitentiam adduci solent, oblata homini perverso ac distorto, arripitur ut occasio magis se indurandi; *Rom.* ii. 4, 5. Hoc solummodò est discrimen, quod in rebus naturalibus hæc dispositio fit à natura, in moribus à prava consuetudine; quam sicut liberâ electione homo sibi comparavit, ita & rursus per gratiam divinam, modo sibi ipse non desit, exuere potest.

Quo sensu Reprobatio vocetur punitio temporalis. XVI. Hæ omnes punitiones vocantur temporales, quia licet æternæ damnationis prænuntiæ sint, & si contingat hominem ad finem usque vitæ iis implicari, hominem exitio æterno inevitabiliter sint traditurae; fieri tamen potest, ut homo, tandem ad pœnitentiam adductus, illis punitionibus rursus eximatur, & ex reproborum numero exemptus propter fidem & conversionem electorum numero inseratur, atque ita punitionem

tionem æternam evadat. Æquè enim, uti de Electione diximus, Reprobatio est actus non instantaneus & immutabilis; sed continuus, qui durante improbitate hominis continuatur; ea autem per seriam pœnitentiam emendata abrumpitur. Idque ex natura decreti divini de salute ac damnatione hominum, & fœderis ipsius, evidentissimè liquet. Cùm enim decrevit fidelibus ac conversis salutem dare, infideles verò ac impios damnare; ex vi decreti illius hominem in tempore infidelem ac impium in damnandorum numero habet atque à se rejicit; eundem verò resipiscentem, ex ejusdem decreti vi, non amplius damnandorum numero accensere potest, sed in electorum ac salvandorum numerum transfert.

Quo sensu, Excæcatio & induratio.

XVII. Circa Excæcationem & Indurationem major videtur esse difficultas. Vix enim hominibus eò usque prolapsis, ut in reprobum sensum sint traditi, facultas ad resipiscendum superesse videtur. Nos autem non credimus, Deum in hoc seculo, quamdiu vita homini est superstes, ostium gratiæ adeo arctè concludere, ut resipiscentiæ, ac per consequens veniæ spes nulla superstit. Licet enim excæcatis & induratis difficile admodum sit converti, impossibile tamen esse non ausumus affirmare; ne Deus sequentium peccatorum, in induratione commissorum, auctor statuatur. Nisi fortasse cum quibusdam statuamus, per punitionem illam divinam peccatores brutorum instar ac ferarum in quodcunque libidinis ac sceleris genus proclives ruere; ipsorumque actiones, licet in se spectatas sceleratissimas, non pro peccatis propriè dictis, quibus volentes ac scientes legi divinæ rebellant, suamque damnationem aggravant, sed pro actibus ferarum ac brutorum habendas, quibus Deus & pios suos castigare, & impios quasi in severitatis suæ exemplum aliis proponere decrevit. Quin Deus jure illud facere possit, nemini dubium esse debet. Potest enim peccatori è vestigio vitam, potest illi sanam mentem eripere; ut Ananiæ, ut Nebucadnezari: potest itaque & omnem rectæ rationis usum in eo exstinguere, ut quasi obrutescat, & bruti instar sese cupiditatibus fœdis mancipet, sine ulla resipiscentiæ spe: modò actiones illæ non considerentur ut actiones hominis, & peccata propriè dicta; sed bruti cujusdam irrationalis, quo Deus ut iræ suæ instrumento in exercendis judiciis suis uti decrevit.

Quam deplorandus sit induratorum status.

XVIII. Nobis tamen prior sententia magis arridet. Fatemur quidem, induratorum statum ejusmodi esse, ut destituti sint mediis, quibus ad salutem perduci possint; ac proinde statum admodum esse deplorandum; non tamen privati sunt omnibus mediis, quibus rursus ad gratiæ salutaris consecutionem sensim reduci possint. Possunt quippe consideratione status sui deplorati, ac fastidio turpissimæ suæ vitæ, eò adduci ut seriis & assiduis precibus à Deo essflagitent gratiam, qui ex animo ipsum invocantibus illam non denegabit: atque ita per assiduas preces denuò à Deo consequentes gratiam salutarem, possunt illius ope seriò resipiscere, & peccatorum præcedentium remissionem consequi. Idque clarè videtur docere *Cap.* XI. *ad Rom.* in quo Judæi ob incredulitatem dicuntur indurati; nihilominus omnis in integrum restitutionis spes ipsis erepta non videtur. 1. Quia dicitur per eorum ruinam gentibus salus facta, ut ipsi ad æmulationem provocentur: quomodo ad æmulationem provocari possunt, quibus omnis se convertendi facultas adempta est? imo addit Apostolus *vers.* 14. *si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.* 2. Quia *vers.* 23. dicuntur rursus insertum iri, qui in infidelitate sua non permanserint; additurque: *Potens est enim Deus iterum inserere illos.*

XIX. Si verò in infidelitate & impietate homo ad finem usque vitæ sine resipiscentia perseveret, atque in impietate suâ moriatur, æterna ac peremtoria est illius reprobatio, eamque æterna condemnatio inevitabiliter consequetur. *Quis status ad finem usque infidelium.*

XX. Finis Dei in hisce actibus est gloriam suam ostendere, in demonstratione justitiæ suæ, quæ in justa peccatorum punitione elucet. *Rom.* 11. 5. & XI. 27. dicitur Deus severitatem suam ostendere: & justitiam, *Apoc.* XV. 3, 4. *Finis Dei in hisce.*

CAPUT X.

De statu animarum post mortem, & speciatim de Purgatorio.

I. Atque hæ quidem sunt punitiones divinæ, quæ in hoc seculo locum habent. Restaret jam ut ad considerationem promissorum ac comminationum divinarum, quatenus futuræ vitæ statum concernunt, nos conferamus; sed quia inter hanc & futuram vitam medius intercedit status animæ separatæ, de eo quædam præmittenda erunt. Ac licet forte tutius sit de eo silere; quoniam pauca de eo in Scriptura nobis traduntur; ac proinde temerarium sit audacter hic multa velle definire: tamen ut errores quidam crassi ac noxii caveantur, quædam Scripturâ duce de eo explicanda sunt. *Status animarum post mortem.*

II. Primo. Statuendum, animam non interire cum corpore, sed superstitem manere. Quanquam id rationibus philosophicis validè satis adstrui possit; nos tamen iis nunc prætermissis, claris ac indubitatis Scripturæ testimoniis veritatem illam asseremus. *Eccles.* XII. 7. *Pulvis redit ad terram, ut fuerat;* *Animæ non intereunt cum corpore.*

rat; & spiritus redit ad Deum qui dedit illum. Matth. x. 28. *Ne timete eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. 2 Cor.* v. 8. *Gratius est nobis potius abesse à corpore, & adesse apud Dominum. Phil.* 1. 23. *Cupio dissolvi* (seu ut alii migrare) *& esse cum Christo.* Hisce adde loca, quibus fideles morientes animas suas Deo commendare dicuntur. *Actor.* VII. 59. Stephanus inquit, *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* & Petrus 1 *Epist.* IV. 19. præcipit iis *qui patiuntur secundum voluntatem Dei,* ut *fideli Creatori animas suas commendent in benefactis.* Quorsum enim Deo commendabitur quod interit, nec amplius existit? His adde 2 *Tim.* 1. 12. *Scio cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Illic enim, & *vers.* 14. duplicis depositi Apostolus mentionem facit; *vers.* quidem 14. depositi Dei apud nos, præceptorum nimirum divinorum; *vers.* autem 12. depositi nostri apud Deum, nempe animæ nostræ; quam fideles morientes ut pretiosissimum depositum Deo creatori commendant, asservandum in ultimum usque resurrectionis diem, atque tunc corpori rursus uniendum, ut simul cum corpore beatâ fruatur immortalitate.

Animæ superstites non dormiunt.

III. Secundò. Animam corpori superstitem non dormire, omnique cogitatione carere; qui status somni annihilationi proximus est. *Apoc.* VI. 10. introducuntur animæ sub altari jacentes, clamantes, *Usquequo Domine* (*sanctus & verus*) *non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra. Cap.* XIV. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Quæ quanquam parabolica sint, ita tamen interpretanda sunt, ut animabus aliquid analogum tribuatur. Nec videtur consistere posse cum natura spiritus, cujus essentiâ absque cogitatione vix concipi potest, ut dormiat. Operationes quidem, ad quas ministerio corporis indiget, exercere nequid; ideoque experimentalem cognitionem acquirere non posse videtur; & huc loca ea referenda videntur, quæ mortuorum cogitationes perire ajunt; nempe ejusmodi rerum, ad quarum cognitionem anima corporis ministerio indiget, puta rerum quæ hic sub sole geruntur. Animam autem nullis in seipsa frui cogitationibus, neutiquam concedendum est, nec cum animæ existentia conciliari posse videtur.

Nec plenè triumphant in cœlo.

IV. Tertiò. Animas piorum non plenè triumphare in cœlo, nec frui beatâ visione Dei; uti nec impiorum animas propriè igne infernali torqueri, ante ultimum judicii diem. Animas piorum esse in statu quodam securo, & pro ratione conditionis suæ beato, interneoque frui gaudio, quod quasi initium est & præludium futuri triumphi gaudiique cœlestis, ac certâ illius exspectatione nititur, mihi extra dubium est. Plenus autem triumphus locum demum habebit in ultimo judicii die, quando ultimus hostis mors destruetur, 1 *Cor.* XV. 26. animæque corporibus suis è sepulchro excitatis restituentur: nondum enim omnibus hostibus debellatis plenus esse triumphus potest: hinc in ultimum usque diem passim triumphus & gloriæ corona differtur; ut 2 *Timoth.* IV. 8. 2 *Thess.* 1. 6, 7. 1 *Pet.* 1. 6. 7. & alibi.

Sensus Luc. XXIII. 43. *&c. Phil* 1. 23.

V. Dices. Attamen inquit Dominus latroni, *Luc.* XXIII. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Apostolus *Phil.* 1. 23 optat *dissolvi, & esse cum Christo. Eccles.* XII. 7. dicitur *spiritus redire ad Deum, qui dedit illum.* Resp. *Cum Deo & Christo, in paradiso esse,* non necessariò significat, plenâ illâ gloriâ ac beatâ Dei visione frui in cœlis; sed esse in statu quodam sereno, & pro ratione conditionis suæ beato, in eoque à Deo ita conservari, ut à nemine inde deturbari queas, aut ullo modo felicitas tua interturbari, aut secutura gloria impediri possit. Sunt itaque animæ piorum cum Christo, quæ ab ipso conservantur in spe resurrectionis, & tandem ultimo die rursus corporibus suis unientur.

Sensus 2 *Cor.* v. 1.

VI. Dices 2 *Cor.* v 1. ait Apostolus, *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam in cœlis.* Resp. Non loqui Apostolum de statu animæ separatæ; sed de statu corporis nostri gloriosi, quo nos Dominus in resurrectione donaturus est; uti ostendit antithesis conditionis corporum præsentis, cum conditione futura; nunc est corpus mortale & brevi dissolvendum, in resurrectione erit corpus immortale & glorificatum ac æternum. Loquitur autem in præsenti, ob summam certitudinem, more sacris scriptoribus usitato: ut *Joan.* III. 18. v. 24.

Nec statim igne infernali torquentur.

VII. Similiter impiorum animas non statim à morte infernali igne torqueri, attamen caliginis tenebris vinctas in judicii diem asservari, interimque horrore & angore, qui pœnæ infernalis initium est, angi ac agitari, maximè probabile nobis videtur. Parabola divitis epulonis, *Luc.* XVI. qui post mortem repræsentatur in inferno oculos attollere, non evincit, pœnas infernales statim à morte inchoari. Non enim omnes parabolæ partes exactè applicandæ sunt; sed illæ tantum, quæ scopum parabolæ concernunt. Beza certè per ᾅδην hic sepulchrum intelligi credit *Opusc. Theol. part.* 1. *pag.* 461. ad defensiones & reprehensiones S. Castellionis: ita scribens: *Quasi verò singulæ illius similitudinis partes spectandæ sint,*

ac

ac non potius ipse Christi scopus: Ita alioqui nobis etiam quaerendum erit quomodo loquantur mortui, & an habeant oculos, linguam, & digitos in illo erebo. Sufficit ergo intelligere, Christum nobis sub illis figuris quasi tabulam depinxisse, quae futurae vitae statum nobis pro modulo nostro repraesentet; atque ideo nobis ipsum divitis sepulchrum quasi in mediis flammis constituere, veluti si in eo non sit mortuum cadaver, sed vivus homo.

Quo sensu mortui dormire dicuntur.

VIII. Totum hoc negotium mihi commodissimè illustrari videtur similitudine somni, quâ Scriptura aliquoties utitur. Nihil quippe in Scriptura frequentius est, quàm piorum mortem vocare somnum; quoniam ex ea, perinde uti ex somno, dabitur resuscitatio. Status somni applicetur morti, aut potius status dormientium mortuis, & res elucescet. In somno homo totus dormit, ita ut nullas species externè advenientes percipiat: anima autem non dormit, nec internis suis functionibus prorsus est destituta: quod vel somnia subinde nobis occurrentia evidenter demonstrant. Ita & in morte homo totus mortuus est, ita ut nullas extrinsecus advenientes species percipiat, aut operationes, ad quas corporis ministerio indiget, exerceat: anima tamen superstes non interiit, nec dormit; sed internas cogitandi functiones exercet. Unde nec animae, sed homines ipsi, mori & dormire dicuntur. Deinde, somniorum alia sunt blanda, nos reficiunt, & gratâ quâdam contemplatione detinent: alia horrida, terribilia, quaevis mala repraesentantia, quibus non aliter ac praesentibus afficimur & terremur. Ita & duplex animarum separatarum conditio est. Fidelium ac piorum animae cogitationibus blandis, jucundis, ex certa ac proxima felicitatis instantis spe, demulcentur; & pro ratione status sui felicitatis spiritualis participes sunt. Impiorum verò ac infidelium animae instantis supplicii atrocitate continuò terrentur, poenamque ut mox instantem, ac jam jam praesentem, cum dolore ac angustia horrent. Tandem, homine expergefacto quaevis operationes vitales denuò exercentur, animaque corpore organico instructa quasvis extrinsecus advenientes ideas percipit: Ita & hominibus ex morte resuscitatis redibunt totius hominis operationes: & quidem pro duplici hominum statu valdè diversae. Quando fidelium animae corporibus glorificatis erunt unitae, plena erit beatorum felicitas, gaudiique coelestis perceptio, ac solidus triumphus: Impiorum autem ac damnatorum animae suis corporibus redditae unà cum illis in infernum praecipitabuntur, ut dignum sceleribus suis supplicium luant. Haec sententia naturae tum animae separatae, tum ultimi judicii, tum testimoniis Scripturae Sacrae, in quibus hominum defunctorum, seu animae separatae mentio fit, maximè est consentanea: fuitque ea communis Patrum sententia, Irenaei, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Augustini, aliorumque; quorum licet phrasiologia sit diversa, dum alii animas in coelo collocant alii in inferno, in re ipsa summus est consensus: animas nimpiorum esse in statu securo ac felici, ac proxima felicitatis promissae contemplatione frui; non tamen plenè esse consummatas; sed in resurrectione plenam promissi praemii consecuturas consummationem.

IX. Si quis tamen contendere velit, gloriam coelestem à morte piorum inchoari, impiosque ex hac vita decedentes statim in infernalem ignem abire, cum eo pedem acriter struere nolumus. Dicimus solummodò, quid nobis, Scripturam & rationem ultimi judicii considerantibus, maximè probabile videatur.

Sententia Pontificiorum de Purgatorio.

X. Periculosus verò ac noxius est error Pontificiorum, qui non tantum carceres quosdam subterraneos excogitarunt, in quorum uno animae fidelium Veteris Testamenti asservatae sint usque ad mortem Jesu Christi descensumque ejus ad inferos; in altero vero etiamnum animae infantium absque Baptismo decedentium, propter peccati originis reatum, asserventur, & in aeternam mansurae sint inclusae; sed & ignem quendam purgatorium effinxerunt, proximè adjacentem igni infernali, qui ipsis in terrae meditullio est, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animae, quae in hac non plenè purgatae fuerunt, ut nimirum sic purgatae in coelum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum. Ita ut triplicem animarum post mortem statum constituant; infernum, coelum, ac purgatorium, in quae animae, pro diverso suo statu, statim à morte hominis recipiantur. In Purgatorium quidem recipi animas Catholicorum, qui absque satisfactione in hac vita peracta, aut sine adeptione indulgentiarum pro poenis temporalibus peccatorum tam mortalium quàm venialium, moriuntur; quas in coelum recipi non posse volunt, nisi satisfactione, quae hîc neglecta est, in purgatorio peractâ.

Nulla illius mentio est in Scriptura.

XI. Verùm figmenti hujus absurditas patet. Primò: Quod nulla Purgatorii hujus ignis mentio in Scriptura Sacra occurrat. 1. Vox ipsa Purgatorii nusquam in Scriptura reperitur. 2. Nullus in Scriptura exstat apex, qui purgationem animarum post mortem innuat. 3. Nusquam legitur de igne animas post mortem purgante, aut de poena quadam post mortem, quâ pro peccatorum venialium culpa satisfit. 4 Nec ulla mentio est sacrificiorum aut intercessionum, quae pro mortuis è purgatorio igne liberandis peragendae sunt Si enim illorum mentionem Scriptura facere voluisset, id procul dubio

dubio illis fecisset locis, in quibus agitur de obitu fidelium, de variis sacrificiorum generibus, precibusque quas alii pro aliis fundere jubentur. Verum in omnibus illis ne γρῦ quidem de commentitio hoc igne reperitur. Ac proinde dicendum foret, Scripturam nos rectam viam ad cœlum non docuisse; præsertim cum doceant Pontificii, Purgatoriorum dogma esse fidei, adeo ut qui non credit Purgatorium esse, ad illud nunquam sit perventurus, sed in gehennâ æterno incendio cruciandus. 2. Nos non instruxisse, quomodo ignem hunc evitaturi, aut si in eum conjiciendi sumus, quomodo ex eo emersuri simus 3. Nec etiam quomodo erga defunctos amicos officia charitatis, precibus, eleëmosynis, sacrificiis, peregrinationibus, præstare possimus.

Varia illi repugnantia continet Scriptura. Primum. XII. Secundò. Imo Scriptura multa habet, quæ cum igne hoc conciliari neutiquam possunt. 1. Quòd fideles post mortem *adsint apud Dominum*, 2 *Corinth* v. 8. quod *abeant in pace, & requiescant in cubilibus suis*, *Esa.* LVII. 2. quod *requiescant a laboribus suis, & opera sequantur eos*, *Apoc.* XIV. 13. Ubi dolor est, & quidem adeo intensus, ut dolori infernali proximus sit, nulla illic est quies. Nec hic agitur de martyribus, quos martyrio suo omnes peccatorum venialium maculas eluere, & rectè in cœlum evolare ajunt; sed de iis, qui *in Domino*, id est, qui ut veri Christiani, facientes quod Deo gratum est, moriuntur.

Secundum. XIII. Deinde: Sanctorum morientium exempla reclamant. Stephanus moriens animam suam commendat Domino Jesu, *Act.* VII. 59. convenienter monitioni Petri, 1 *Epist.* IV. 19. Simeon dicebat se à Domino dimitti in pace, *Luc* II 29. His adde exemplum Lazari, *Luc* XVI. 22. & præsertim latronis in cruce, quem Dominus eodem illo die secum fore dixit in paradiso, *Luc.* XXIII. 43. Excipiunt fortasse, quædam horum contigisse ante mortem Christi, ac proinde pertinere ad statum patrum sub Veteri Testamento; alia agere de martyribus, qui martyrio culpas veniales eluunt. Sed ne jam repetamus argumenta, quibus antea limbum illum patrum evertimus; neque dicamus gratis ab ipsis fingi, ad vim argumentorum eludendam, martyrum hanc prærogativam, quam nusquam Scriptura indicat, cùm alia martyrum privilegia distinctè recenseat: nec latronem martyrem fuisse; Addimus,

Tertium. XIV Fideles in Domino morientes plenam habere omnium peccatorum remissionem per Christum. Sic 1 *Joan.* I. 7. dicitur *sanguis Christi, si in luce ambulemus, nos purgare ab omni peccato.* *Act.* XIII. 38, 39. *Nos per fidem in Christum remissionem peccatorum consequi ab omnibus, à quibus non potuimus in lege Mosis justificari*: & *Rom.* V. 1 *justificatos per fidem pacem habere cum Deo per Dominum Jesum Christum*. & alibi Dicere autem Deum peccatum remittere, & tamen punire, est absurdum. Dices Deus remittit quidem pœnam æternam, sed retinet temporalem: idque patere in Davide, cui Deus remisit peccatum, & tamen ejus infantem mori voluit, 2 *Sam.* XII. 13, 14. Resp. 1. Davidi peccatum plenè non remittitur, sicut fidelibus per Christum, sed mutatur pœna; cùm ipse mori debuisset, Deus procurat ut infans ejus moriatur. 2. Non hæc fuit pœna ad satisfaciendum pro peccati hujus culpa temporali; sed castigatio divina; ut imposterum majore cum cura peccata evitet, & cum timore ac tremore salutem suam operetur.

XV. Tertiò. Repugnat etiam rationi ignis ille Purgatorius. Non enim per peccatum macula imprimitur animæ, substantiæ spiritualis ac incorporeæ; sed tantum reatus contrahitur. Neque etiam peccati impuritas per pœnam tollitur; aliàs fur, postquam virgis cæsus est, aut cauterio inustus, sanctior, quam ante inflictam pœnam, esset habendus. *Etiam repugnat rationi.*

XVI Videtur ergo Purgatorium hoc primò ab Origine è Philosophia Platonica in Ecclesiam traductum; qui tamen ignis longè diversus erat à Pontificiorum igne. Illum secuti Patres, non tam Pontificiorum purgatorium ignem docuerunt, quàm alium in mundi fine accendendum, quo tam ipse mundus quàm homines purgandi sunt. Sensim verò quæstus gratia Pontificiorum ille ignis excogitatus, & effictæ indulgentiæ, quas Papa numeratâ pecuniâ vendit ad miseras animas è Purgatorio liberandum. Utque speciem aliquam habeat fraus, loca quædam Scripturæ aliò spectantia fuere conquisita, hucque per vim contra Sacrorum Scriptorum mentem tracta: Rationesque excogitatæ, quibus fictitius ille ignis credulis mentibus utcunque persuaderi possit. Nos præcipua quæ proferri solent Scripturæ loca breviter examinabimus. *Origo sententiæ de Purgatorio.*

XVII. Primus ac præcipuus, quem ad adstruendum Purgatorium proferre solent, locus, exstat 2 *Machab.* XII. 40. *& seqq.* ubi narratur factum Judæ Machabæi, qui sacrificium offerri curavit pro mortuis, in prælio Jamniensi interfectis, in quorum tunicis donaria idolorum erant: additurque *vers.* 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Verùm antea ostendimus, librum hunc esse Apocryphum, proinde ejus auctoritatem ad probandum dogma controversum nihil quicquam valere. 2. Ipsa hujus facti narratio auctorem hunc non fuisse spiritu divino afflatum manifestè evincit: quia hoc Judæ factum, quod laudat, legi divinæ consentaneum non est. 1. Quia hi homines in peccato mortali, idololatriæ nim: mortui erant. At pro ejusmodi peccato nullum in *Ecclesiast. Machab.* XII. 40. *& seqq.*

Lege

Lege erat sacrificium. 2. Quomodo de talibus sperari potest, ipsos resurrecturos? 3. Quomodo illi dici possunt, *piè obdormivisse?* Dices: Credibile est, ipsos resipuisse. Resp. Nullus in textu est apex qui id innuat: imo contrarium liquere videtur, quia dicitur, omnibus manifestum fuisse eos ob hanc causam corruisse. 4. In Lege, cùm tamen omnia sacrificia tam sollicite enumerentur, nusquam sacrificii pro mortuis mentio fit. Sed esto, auctor fuerit Propheta, & liber hic Canonicus: nulla hîc fit mentio Purgatorii; sed solummodò orationis pro mortuis. Potuit Judas cum multis veteribus credidisse, ipsos fuisse in loco quodam doloris & ignis experte. 2. Homines hi mortui erant in peccato mortali. At Purgatorium pro iis tantum est, qui cum venialibus culpis moriuntur: *Bellarm. lib.* 2. *cap.* 1. in fine. 3. Dicitur Judas cogitasse de resurrectione. At qui in Purgatorio sunt certo certiùs resurgent. Si itaque credidisset in Purgatorio illos esse, debuisset cogitare quomodo ex eo liberandi essent: illaque sola & unica est Pontificiorum cogitatio, quando pro mortuis orant. Videtur ergo auctor hîc existimasse, preces potuisse defunctis prodesse, ut beatæ resurrectionis, ultimo demum die futuræ, participes sint. Alii autem existimant, postrema verba non esse ipsius auctoris, sed ab aliquo in margine annotata, quæ postea librariorum incuriâ in textum irrepserint.

Matth. XII. 32. XVIII. Secundus locus exstat *Matth.* XIII. 32. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro* Inde colligunt, peccata quædam, quæ in hoc seculo non remittuntur, in futuro seculo remitti: Atqui in inferno non remittuntur: ergò in Purgatorio. Resp. 1. Nulla est ratiocinii hujus major consequentia, quàm si dicam, credenti sua peccata non imputantur nec in hoc, nec in futuro seculo; inde autem quis inferat: Ergo quædam peccata, quæ hîc non imputantur, in futuro seculo imputabuntur. 2. Fatemur, peccata quædam in futuro seculo remitti, nempe quæ hîc remittuntur, & quorum Deus in æternum recordari non vult. Et ita hoc explicatur, *Marc.* III. 29. *Non habebit remissionem in æternum. Luc.* XII. 10. simpliciter dicitur, *ei non remittetur.* 3. In Purgatorio non remittuntur peccata, sed severè puniuntur, & satisfit pro peccatis. 4. *Futurum seculum* non designat tempus inter mortem & resurrectionem intermedium; sed quod resurrectionem sequitur: vide *Marc.* x. 30. *Luc.* XX 34. tum autem nullum erit Purgatorium. 5. Remissio peccatorum in futuro seculo significat plenariam pœnæ sublationem: ea autem est mors, non tantum æterna, sed & temporalis, 1 *Cor.* XV. 26. Atqui pœna non aufertur in Purgatorio: quin imo animæ luunt ibi pœnam peccati, jam in hac vita remissi. Verus itaque loci hujus sensus est. Si quis blasphemiam dixerit in Spiritum Sanctum, & in hac & post hanc vitam punietur, sive in æternum pœnis temporalibus & æternis. Sunt nempe peccata, quæ Deus punit in hac vita tantum, non post hanc vitam: 1 *Cor.* XI. 30. Alia post hanc vitam, non in hac vita: tandem alia quæ & in hac & post hanc vitam puniuntur. Hujus generis est blasphemia in Spiritum Sanctum.

XIX. Tertius locus est, 1 *Cor.* III. 10, 11, 12, 13, 14, 15. *Secundum gratiam, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen, quasi per ignem.* *1 Corinth. III. 10, 11. & seqq.* Hoc in loco, inquiunt, loquitur Apostolus de igne, qui uniuscujusque opus probabit; ipse verò homo salvus erit, sic tamen ut per ignem. Bellarminus dicit, hunc locum esse unum ex difficillimis & utilissimis totius Scripturæ; nam ex eo statuunt Catholici duo Ecclesiastica dogmata, Purgatorium, & venialia peccata. Mirum sanè duo dogmata tanti momenti superstrui loco adeò difficili & obscuro. Cùm enim propius & attentius consideratur, nihil in eo quod alterutri dogmati faveat comperiemus. Nos hoc solummodò nunc de Purgatorio ostendemus. 1. Ipse Apostolus indicat, se non intelligere ignem propriè dictum, cùm ait, *ipse salvabitur, sic tamen, ut per ignem.* 2. Hic agitur de igne, qui *uniuscujusque opus probabit*, an ab igne consumendum sit, an verò ignis violentiæ possit resistere. Atqui in Purgatorio opus non probatur utrum bonum sit; sed quia malum est, punitur. 3. In igne hoc non tantum *fænum & stipulæ*, id est, doctrinæ inanes, seu ut Pontificii volunt, peccata venialia; sed & *aurum, argentum, lapides pretiosi*, id est, vel doctrinæ veræ & salutares, vel opera bona, probantur: Ergo omnes, etiam maximè pii, etiam martyres, igne hoc probabuntur. Secus docent Pontificii de suo Purgatorio. 4. Per hunc ignem non probantur personæ, sed ipsorum opera: At in Purgatorio non probantur opera, sed puniuntur personæ. 5. Hic agitur de igne, qui *cujus-*

 que

quæ opus manifestabit: id non fit in Purgatorio: & *dies* dicitur id *manifestaturus*: in Purgatorio autem nullus est dies. Nec vocatur *dies Domini*, ut Vulgata habet, sed solummodò *dies*. 6. Hic agitur de igne per quem opus comburitur, ille autem cujus opus est damnum patitur. At quodnam anima damnum patitur, quando impuritas peccatorum comburitur, ipsaque apta redditur, ut cœlum ingredi possit? 7. Nullum in toto textu est indicium, hanc probationem fieri post hanc vitam: nullo fit mentio tormentorum, multò minus eorum quibus sola anima affligitur.

XX. Verus itaque loci hujus scopus ac sensus est: Nullam esse causam, cur ministros Euangelii habeamus pro aliis, quàm ministris Dei: nec ullam esse rationem, cur Doctores sese efferant, supra quam oportet: quia uniuscujusque opus probabitur, sive primi annuntiarint Euangelium, sive alii doctrinæ ipsorum superædificaverint: fieri enim potest, ut hi posteriores, retento fundamento, illi etiam superædificent doctrinas veras ac præstantes, quæ firmos, stabiles ac solidos reddunt discipulos, quæ comparantur auro, argento, & lapidibus pretiosis: vel etiam doctrinas inanes & inefficaces, quæ instabiles reddunt discipulos, comparatas ligno, fœno, ac stipulis. Utrisque incumbere, ut sedulo ad opus suum attendant, quia probabitur & severè explorabitur in die quodam, quem Deo prædefinire placuerit, qui uniuscujusque opus ita conspiciendum dabit, perinde atque per ignem conspicimus ac deprehendimus quid aurum, quid fœnum vel stipula sit. Cujus opus post adhibitam probationem manserit, illud approbabitur, ipseque operis sui præmium accipiet. Cujus opus probationi huic sustinendæ non sufficit, ille damnum patietur, id est, omnem operis sui fructum perdet, nullumque ejus habebit præmium, ipse quidem servabitur, quia à fundamento non recessit: ita tamen, perinde ut is, qui in domo undique igne conflagrante constitutus exinde egredi non potest nisi omnibus relictis, adeo ut nudus & omnium jacturam passus inde egrediatur. Nihil itaque hic occurrit, quod aliquomodò ignem purgatorium sapiat.

1 Cor. xv. 29. XXI. Quartus locus est, 1 *Cor.* xv. 29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* Resp. Quid in hoc loco pro Purgatorio? Nihil aliud dicitur, quàm mortuos resurrecturos, sive illos qui baptizantur, sive illos mortuos pro quibus baptizantur. An necesse est, quando credimus mortuos resurrecturos, credere eos esse in Purgatorio? Possent esse in aqua, aut alibi. Sed verò, sunt in manu Dei, & à Deo asservantur in diem resurrectionis. Dices. Verborum horum sensus est: Quid facient qui orant, jejunant, gemunt, se affligunt pro mortuis, si mortui non resurgent? Resp. Baptismus quidem aliquando sumitur pro afflictione, sed qua alii nos affligunt, ut *Marc.* x. 38. nunquam autem pro afflictione quam quis sibi ipsi infert. Quis etiam unquam audivit, *baptizari pro alio*, esse, pro alio jejunare, orare? &c. Fateor locum esse valdè obscurum & difficilem, cujusque diversæ admodum apud interpretes occurrunt explicationes. Alii verba hæc sumentes prout sonant, credunt Apostolum respicere ad morem inter primarios quosdam Corinthiorum, quique magnæ in Ecclesia erant auctoritatis, receptum, qui, si quis sine Baptismo mortuus fuisset, illius loco Baptismum suscipiebant, ne defuncto obesset Baptismo caruisse. Indeque Apostolum argumentum sumere (non è veritate rei, quasi Baptismus ita suscipi deberet, atque ita susceptus mortuis prodesset; sed ex opinione eorum qui eum suscipiebant) frustra illum suscipi, si mortui non resurgent. Sed verò, præterquam quòd non constet, morem illum in Ecclesia Corinthiorum receptum fuisse, credibile vix est, Apostolum ex more isto inutili prorsus & superstitioso argumentum voluisse desumere, nec verbo uno aut altero superstitionem illam reprehendisse. Alii itaque quærunt hic significationem impropriam. Quidam hæc accipiunt de baptismo clinicorum. Durum autem est, *pro mortuis*, interpretari, morti vicinos. Durius adhuc, cum aliis, baptizari pro fide illa, in qua alii mortui sunt. Alii alias quærunt interpretationes, ut commodum sensum eliciant. Nobis non displicet illa, quâ verba, *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* explicantur hoc modo; Qui quando baptizantur declarant separatos esse mortuorum instar in mundo hoc vivere, hoc est, mundo mori, novamque vitam vivere, cum abnegatione mundi cupiditatumque mundanarum, seque cruci submittere justitiæ causâ. Omninò enim *baptizari pro mortuis* videtur actionem quandam molestam ac difficilem, aut saltem professionem promptitudinis ad subeundum ejusmodi actionem, designare in illo qui baptizatur. Agi ergo videtur de molestia ac cruce quam quis suscipiebat, ut ipse beatæ resurrectionis foret compos. Quicquid autem sit de genuino loci hujus obscurissimi sensu, nihil hic est quod Purgatorio faveat.

XXII. Quintus locus est *Matth.* v. 25, 26. & *Luc.* xii. 58, 59. *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Hic, inquiunt, agitur de carcere unde liberatio datur, postquam Matt. v. 25, 26.

quem pœna, id est, debitum persolutum est ad ultimum quadrantem: Non ergo de inferno, unde nulla datur liberatio, sed de Purgatorio Resp. Non dicemus jam, multos Pontificiorum & Patrum locum hunc accipere de pœnis inferni: sed evidentibus rationibus ostendemus nihil hîc esse pro Purgatorio. I. Non dicitur, exitum esse ex illo carcere; hoc enim non sequitur ex vi voculæ *donec*: illa quippe sæpissimè usurpatur, ad designandum rem aliquam nunquam futuram; nim: quando res illa, cui particula *donec* apponitur, impossibilis habetur: ut *Matth*. v. 18. *Job*. xiv, 12. sic 2 *Sam*. vi. 23. *Esa*. xxii. 14. & clarissimè *Matt*. xviii. 34. ***Et iratus Dominus*** servi ***tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum***: summa enim decem millium talentorum nunquam à servo persolvi poterat. II. Agitur hîc de homine, qui sine contritione in peccato mortali mortuus est, nempe qui injuriâ affecit fratrem suum, & in via, id est, in hac vita nondum ei reconciliatus est. Illud autem esse peccatum mortale, patet ex *vers*. 22. *& seqq*. 2 Quia fratri, qui nos injuriâ affecit, non remittere, est peccatum mortale, *Matth*. vi. 15. xviii. 23. *& seqq*. ergo multò magis, non reconciliare te illi, quem injuriâ affeceris. 3. Si sit peccatum veniale, tota vis feriæ hujus monitionis Domini Jesu perit. III. Cum solutione ultimi quadrantis non possunt consistere indulgentiæ. Verus loci sensus ergo hic est. Esto benevolus adversario tuo, id est, qui à te læsus est, ac proinde te accusandi jus habet: aliàs enim tecum agetur, ut cum debitore, qui cum creditore properans ad judicem, operam non dat, ut dum in via est, ipsum placet animumque ejus emolliat benignis pollicitationibus; sed sententiam judicis exspectat: quâ pervicaciâ creditor permotus, causam suam rigidè persequitur, & à judice impetrat ut illum in carcerem conjiciat, arctè custodiat, nec dimittat, donec ultimum quadrantem persolverit. Similitudine hac ab actione creditoris contra debitorem desumtâ, illustrat Dominus, quid homini isti injusto exspectandum sit: quasi dicat: Eodem modo & tecum agetur, nisi te illi quem læsisti reconcilies: omnium peccatorum pœnam à te Deus exiget, neque dimittet donec omnes sustinueris, id est, nunquam.

Solutio objectionis pro Purgatorio. XXIII. Hisce Scripturæ locis aliquot adjungunt rationes, quarum præcipuam solummodò expendemus: ea hæc est. In cœlum nihil pollutum potest ingredi: Atqui sanctissimi labuntur aliquando in quædam peccata, & sæpe ex hac vita rapiuntur antequam pro iis satisfaciant: Ergo necesse est, quendam esse locum, in quo ab iis purgentur, antequam in cœlum ingrediantur. Resp. 1. Qui operam dant pietati, Deumque sincere quærunt, coram Deo puri sunt, licet aliquando ex incogitantia aut subita correptione labantur: præsertim si seriâ pœnitentiâ ducuntur. Sic *Rom*. viii. 1. ***Nulla est condemnatio iis qui in Christo Jesu non secundum carnem ambulant***: Nam ***secundum carnem non ambulare***, non significat nunquam labi, sed carni non indulgere. 2. Deus peccatoribus resipiscentibus peccata propter Jesum Christum condonat: ***Si enim in luce ambulemus, sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato***: 1 *Joan*. 1. 7. Non ergo vult pro iis à nobis satisfieri. Neque etiam ulla purgatio altera locum habere potest. Aut enim purgati per sanguinem Jesu sunt puri; & quorsum tum hæc purgatio? aut sunt adhuc impuri: At quæ est illa impuritas? Non culpa, quia illa est peccatum, à quo sunt purgati: non pœna; quia illa non est impuritas, sed infligitur propter impuritatem. Dices. Christi satisfactio nobis applicatur, mediante nostrâ satisfactione. Resp. Inepte istud dici. Quis dicat, mihi alterius solutionem applicari per meam solutionem? Sic aliquid applicaretur per illius contrarium.

CAPUT XI.

De Resurrectione mortuorum.

Resurrectio mortuorum. I. STatum animæ separatæ excipit resurrectio ex mortuis, quæ fundamentum est totius Religionis Christianæ; sine qua nulla nobis salus exspectanda: quia ***si in hac vita tantum in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus***, 1 *Cor*. xv. 19. Hujus articuli adeo necessarii ac omnium præcipui inquiremus. 1. Veritatem. 2. Subjectum. 3. Causam efficientem. 4. Circumstantias.

Variæ de ea opiniones. II. Animas hominum post mortem superstites esse, multorum fuit Philosophorum opinio; inde specus subterranei & campi Elysii excogitati; mortuorum vero resurrectio Ethnicis ridicula visa fuit, *Act*. xvii. 32. In populo Dei à Sadducæis mortuorum resurrectio, ut impossibilis, negata fuit, *Actor*. xxiii. 8. *Matth*. xxii. 23. In initio Ecclesiæ Christianæ, sicut & præcedente seculo, exstitere quidam, qui resurrectionem interpretati. fuere de resurrectione spirituali, quâ ex morte peccatorum resurgimus in novam vitam; perinde uti accipitur *Rom*. vi. 4, 5. *Eph*. v. 14. Tales videntur fuisse Hymenæus & Philetus, qui dicebant resurrectionem jam esse factam, 2 *Tim*. ii. 18. Et huic pernicioso errori convenienter, vitam æternam collocabant in tranquillitate animi ex virtutis exercitio percepta: eam autem vocabant æternam, quia nullus eam homini eripere potest.

III.

Non est spiritualis è morte peccati, sed propriè dicta.

III. Sed verò error ille directè mortuorum resurrectionem impugnare non audens, eam fraudulenter subruere conatur. Aliam enim non agnoscere resurrectionem, quàm spiritualem, reverâ resurrectionem abnegare est. Fatemur, mentionem fieri resurrectionis spiritualis; At ea nobis præcipitur tanquam officium, ut veræ ac corporalis resurrectionis simus participes. Cùm itaque nobis promittitur resurrectio, ac quidem futura, alia non potest intelligi, quàm vera, ac propriè dicta: Futura autem promittitur, *Luc.* xiv. 14. & quidem non in hac, sed post hanc vitam: quia hominibus jam vitâ functis dicitur eventura, *Matth.* xxii. 31, 32. & quidem in præmium obedientiæ suæ, seu resurrectionis spiritualis è morte peccati, 2 *Tim.* ii. 5, 6. atqui officium quod à nobis præstari debet, aliud est à præmio quo Deus officium nostrum remuneraturus est. Idem ex variis resurrectionis circumstantiis liquet; 1. quia alii dicuntur ultimo die vivi deprehendendi, mortui verò eo die resuscitandi, 1 *Corinth.* xv. 51, 52. & præsertim 1 *Thess.* iv. 16. ubi *mortui, qui in Christo, primi resurrecturi* dicuntur; quod sanè de resurrectione spirituali è morte peccati, è quâ qui in Christo sunt jam resurrexerunt, intelligi nequit. 2. Dicitur futura resurrectio non tantum justorum, sed & injustorum, *Joan.* v. 28, 29. *Act* xxiv. 15. 3. Quia resurrectioni conjungitur ultimum judicium. tam super malos, quàm bonos: 1 *Thess.* iv. 17. 2 *Thess.* i. 6, 7 *&c.* Atqui resurrectio è peccato non potest esse resurrectio impii, & quidem ad pœnam.

Nec vita æterna consistit in tranquillitate animi.

IV. Non minus insulsum est ac impium, vitam æternam vocare animi tranquillitatem. 1. Quia promittitur futura, 1 *Tim.* iv. 8. 2 *Tim.* iv. 7, 8. tranquillitas autem animi jam percipitur. 2. Si nihil nobis sit exspectandum, præter ea, quibus in hac vitâ frui contingit, miserrimi sumus omnium hominum, 1 *Cor.* xv. 19. Imo tranquillitas animi eatenus solum ad felicitatem nostram confert, quatenus vitam æternam, quæ secutura est, spectat. 3 Tum non promitti nobis deberet vita, uti passim fit, sed aliquid in vita, & quidem hac præsenti. 4 Nec propriè vita illa posset dici æterna: licet enim animi tranquillitas per violentiam nemini eripi queat, ipse tamen homo æternus non est. Vita autem illa vocatur ἀθανασία 1 *Cor.* xv 53, 54. & ἀφθαρσία 2 *Tim.* i. 10. Dices. *Joan.* v. 24. dicitur, *qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit à morte in vitam.* Resp. Loquitur Dominus, more Scriptoribus Sacris ac viris divinis usitato, de re futura ut præsenti, ob summam illius certitudinem: aliàs dicitur, nos jam spe solummodo salvos esse, *Rom.* viii. 24. 1 *Joan.* iii. 2.

Quid sit resurrectio.

V. Resurrectionem itaque asserimus veram ac propriè dictam, & ultimo diē futuram, quo Deus per omnipotentiam suam homines ex pulvere terræ suscitaturus est, excitando nimirum eorum corpora, rursusque animabus uniendo. quas tanquam depositum in diem illum servavit.

Ea in Veteri Testamento fuit adumbrata.

VI. Hujus resurrectionis veritas ex certissimis constat documentis. In Veteri Testamento ea obscurius fuit adumbrata, ita tamen, ut Deus documenta quædam dederit, se homines etiam post mortem diligere, ipsisque benefacere velle: quamquam & fatendum, plures quæ ex Veteri Testamento huc referri solent sententias, magis per accommodationem, aut secundum sensum mysticum, aut subtili quâdam argumentatione, omnibus non obviâ, huic negotio applicari, quàm resurrectionem evidenter & ex vi literæ seu sensus literalis, probare. Sic ex verbis Dei, diu post mortem Abrahami, Isaaci & Jacobi, prolatis, *Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi*, Dominus Jesus subtili argumentatione colligit, eos resurrecturos, eò quòd Deus non sit Deus mortuorum, sed vivorum, *Matth.* xxii. 32. ac proinde Deum illis post mortem benefacturum, id enim propriè est alicujus Deum esse: quod fieri nequit, nisi suscitatis ipsis ex morte. Edidit Deus signa quædam, quæ virtutem ejus vivificam, mortuosque in vitam reducentem, non obscurè indicabant. Corporibus jam effœtis ac tantum non emortuis, vim generandi de novo concessit; ut Abrahamo & Saræ, *Rom.* iv. 19. Jonam per triduum in ventre ceti conservavit, triduoque elapso inde tanquam ex sepulchro denuò produxit. Per Eliam filium Sareptanæ, 1 *Reg.* xvii. 21, 22 per Elisæum filium Sunamitidos, 2 *Reg.* iv. 34, 35. imo *cap.* xiii. 21. per attactum ossium Elisæi mortuum excitavit. *Ezech.* xxxvii. 1. *&c.* Ezechieli ostendit campum ossibus stratum, quibus carne vestitis rursusque aptè inter se unitis, inspiravit spiritum; benignum suum ac gratiosum decretum de liberandis Judæis ex captivitate Babylonica, in qua mortuorum instar in sepulchris detinebantur, adumbrare volens. Quibus adde illustrem, illum Daniëlis locum, *Cap.* xii. 2. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.* Ex quibus omnibus non obscurè colligitur, Deum non tantum posse, sed & velle homines ex morte suscitare, ipsisque post mortem benefacere.

Clarius probatur per missi N. Test.

VII. Clarissimè autem resurrectio mortuorum confirmata est per Dominum nostrum Jesum Christum, *qui mortem destruxit, vitam verò ac incorruptionem in lucem produxit*

produxit per Euangelium suum, 2 *Timoth.* 1. 10. Primò ergò clarissimis ac indubitatis confirmatur testimoniis ac promissis. Est enim fœderi divino, sanguine Mediatoris nostri Jesu Christi tanquam sigillo confirmato, promissio de mortuorum resurrectione annexa; adeo ut de ea nihil minus, quàm de obedientiæ nostræ necessitate dubitare liceat. *Joan.* v. 28, 29. vi. 39, 40, 44. xi 25. *Act.* iv. 2 xvii. 18. & præsertim integro *cap* xv. 1. *ad Cor.*

Exemplo J. Christi. VIII. Secundò. Validissimè omnium comprobatur exemplo Servatoris nostri Jesu Christi; quem Deus Pater in mortem cruentam traditum, tertiâ die in vitam æternam ac immortalem suscitavit, tanquam caput ac principem nostrum, ut plenè nobis persuadeat, quotquot per fidem illi tanquam capiti uniuntur, cum ipso resuscitandos in vitam æternam. Inde *primitiæ resurgentium* vocatur, 1 *Cor.* xv 21. quod autem primitiis evenit, in massa compleri debet; quod in capite inchoatum est, in membris consummandum est. Quod & confirmatur *Rom.* viii. 11. 1 *Thess.* iv 14. 2 *Tim.* ii. 11, 12. Et potissimum 1 *Cor.* xv. *per totum*: quo integro Capite Apostolus ex resurrectione Jesu Christi nostram comprobat: hasce ita connexas docens, ut si quis credat Christum resurrexisse, eo ipso credere debeat, & nos resurrecturos: si quis verò nos resurrecturos negat, eo ipso negari debeat & Christum resurrexisse. Causa est, quòd Christus ut dux & caput nostrum, salutisque nostræ princeps, resurrexit. Hinc ut præcursor nobis prævisse dicitur, *Hebr.* vi. 20. ipse factus sponsor Novi Fœderis, *cap.* vii. 22. quatenus Deus Pater ipsum excitando, non tantum nobis exemplum beatæ resurrectionis dedit, sed & pignus & sponsorem, quo omnia ejus promissa confirmarentur. Utque tantò certiores de benigna ejus voluntate simus, Christum post mortem redivivum conspiciendum præbuit testibus ad id à principio electis; ut nulla de ejus resurrectione dubitatio superesset. Potuisset utique Deus beatæ resurrectionis spem à nobis exigere, non proposito indubitato isto exemplo. Potuisset Christum ex mortuis excitasse, illiusque resurrectionem nobis celatam habere, ac nihilominus fidem resurrectionis nobis præscribere Sed sciens quàm arduum sit, homini mortali resurrectionis in vitam æternam spem indubitatam concipere, infirmitati nostræ occurrere volens, exemplum in Jesu Christo capite nostro exhibuit, ut omnem de promissi sui impletione vacillationem penitus nobis eximat.

Subjectum resurrectionis. IX. Subjectum resurrectionis duplici modo in scholis considerari solet; Subjectum quod, & Subjectum quo, uti barbarè loqui amant.

Omnes homines. X. Subjectum quod, sunt omnes omninò homines, quotquot unquam vitæ hujus animalis participes fuerunt. Quotquot enim judicio divino sistendi sunt, ex mortuis excitentur necesse est; iis exceptis, quos vivos ultimus ille dies deprehendet: hi enim nullâ intercedente morte in instanti immutabuntur, 1 *Cor.* xv. 51. 1 *Thess.* iv. 15. quæ immutatio ipsis loco mortis & resurrectionis futura est. Omnes autem judicio divino sistendos, docetur *Hebr.* ix 27. *Statutum est hominibus semel mori, & post hæc judicium*; quod nempe non nisi in vivos exerceri potest. Quotquot ergo moriuntur, in judicium resurgent. Hinc & nobis illud describitur universale in omnes homines, *Matth.* xxv. 31. & *seqq.* *Joan* v. 28. 2 *Cor.* v. 10. & alibi. Ita ut judicium hoc & resurrectio primo ac præcipuè respiciat Christianos, seu eos, ad quos Euangelii notitia pervenit, quibusque objici poterit, *esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c. quæ ultimi judicii verba sunt; *Matth.* xxv 35. *&c.* Secundò etiam omnes omnino homines nullâ licet Euangelii cognitione illustratos: omnibus enim Deus ea quæ de se cognosci debent manifestavit, omnesque, qui veritatem in injustitia detinent, inexcusabiles reddidit; *Rom* 1. 21. Ita de sui temporis impiis Enoch prophetavit, *Juda vers.* 14, 15. Quæ tamen divini judicii ratio circa eos futura sit, non adeo clarè liquet, quàm erga eos qui verbo Euangelii collustrati fuerunt. Non enim eorum status nobis adeo exactè depingitur, sed verbis tantum generalibus aliquatenus adumbratur; *Rom.* ii. 12. *Luc.* xii. 48. Constat ergo, illos non ex formula legis Euangelicæ judicandos, sed convenienter luci isti, quâ à Deo fuere donati; nec cuiquam imputandum, quod Euangelio sibi non revelato fidem non habuerit; sed quòd naturæ legem rectæque rationis dictamen neglexerit. Sic & nemo vi legis naturalis, vel cujuscunque alterius, salutem obtinebit; nemo enim ullius legis vi justificationem consequi potest; sed per gratiam in Jesu Christo nobis exhibitam, ac virtute sanguinis Jesu Christi, sacrificii expiatorii pro totius mundi peccatis; adeo ut, si cætera pietatis studiosus fuerit, immensa Dei misericordia nos sperare jubeat, quòd Christi sibi non revelati ignoratio expiationis per ipsum partæ gratiosam applicationem non sit turbatura. Potens est quippe Deus gratiam suam etiam ad illos, qui præter culpam suam Christum ignorant, extendere; ne quemquam, luce sibi concessa non abutentem, condemnet; nullumque sub cœlo det nomen, per quod oporteat non salvari, præter Jesum Christum; uti dicitur *Actor.* iv. 12.

Impios non resurrecturos qui- XI. Huic doctrinæ quidam refragantur, docentes nullam nisi piorum ac fidelium resurre-

dam ex F. Socini sectatoribus credidisse videntur.

ſurrectionem; impios verò æternum in morte manſuros, ac annihilandos. Huic perniciosæ, ac peccatis, quin & ſceleribus quibusvis feneſtram aperienti ſententiæ, patrocinium ſuum accommodarunt Doctores quidam, quibus à Fauſto Socino Socinianorum nomen inditum. Unde & ipſorum Eccleſia hactenus malè audivit, ut dogmatis adeo exitialis patrona. Conſcriptus eſt tractatus quidam incerto auctore, qui poſtea imprudenter admodum in linguam Belgicam eſt tranſlatus, quo impiorum reſurrectio apertè impugnatur, non tantum Ethnicorum, Euangeliique luce nunquam colluſtratorum; ſed & Euangelio rebellium, verèque infidelium. Neque à ſententiâ hac Eccleſias illas antehac abhorruiſſe, concludi poſſe videtur ex *Valentini Smalcii refutatione Theſium Frantzii*, *Diſput*, VII. *de ultimo judicio*, *pag.* 413. *Sed adhuc in quinta ſectione probat Frantzius, quod impii æternis cruciatibus obnoxii erunt. Qua quidem in re, quia nihil de nobis certi pronuntiare poteſt Frantzius, mirum eſt, ipſum ita eſſe curioſum & anxiè ſcrupuloſum, ut eam etiam, quam nos non profitemur, refutare velit ſententiam.* Et poſt aliquot ad Frantzii argumenta exceptiones, ita concludit: *Quæ omnia fuſiſſime dilatari & probari potuiſſent, ſi nunc cum Frantzio eâ de re nobis contendere animus eſſet, quam nuſquam apertè propoſuimus, ſed quam ille ex libris noſtris vi quadam extorquere conatur.* Quæ ſollicita & involuta loquendi ratio, ipſos à ſententia illa non abhorruiſſe non obſcurè indicat; alias procul dubio apertè eam Smalcius improbaſſet, Frantziumque calumniæ reum peregiſſet Imo *pag.* 415. addit, *Impios futuros immortales, nempe in æternum opprobrium, nec uſquam Sacræ Literæ comprobant, nec quicquam ex iis aſſerri poſſe videtur, unde ſententia illa probari poſſit.*

Nunc autem eam ſententiam rejecerunt.

XII. Interim diſſimulandum non eſt, Jonam Slichtingium in Apologia confeſſionis Eccleſiarum illarum, objectionibus Nicolai Cichovii Jeſuitæ oppoſitâ, earum nomine ſententiam illam ingenuè repudiare, in fine Apologiæ, *pag.* 210. *Credimus & ſpem habemus in Deo, reſurrectionem futuram, non juſtorum tantum, ſed etiam injuſtorum, ut quiſque factis operibuſque ſuis congrua reportet. Abſit, abſit, ut opinemur irritas & inefficaces eſſe horrendas Dei minas, & inania ac puerilia terriculamenta, quæ omnium temporum ac ſeculorum impiis denuntiata ſunt; non tantum à Chriſto & ſanctis ejus Apoſtolis; ſed etiam jam olim à ſeptimo ab Adamo, Enocho;* Ecce venit Dominus in millibus Sanctorum ſuorum, ut faciat judicium adverſus omnes, & redarguat omnes impios eorum, de omnibus operibus impietatis eorum, quæ impiè egerunt, & de omnibus duris quæ locuti ſunt adverſus ipſum peccatores impii. *In quibus, ne ob tot dura quæ adverſus divinam veritatem locutus eſt R. Cichovius, ſi ignorans id fecit, in incredulitate numeretur, ex animo opto, Deumque precor, ut illi det animum ad reſipiſcentiam. Non magis Dei promiſſionibus, de vita æterna piis donanda, quàm minis, de ſuppliciis æternis, diabolo & omnibus impiis inſligendis, credimus: & ſi quis promiſſionibus ſolis crederet, minis non crederet, is dimidium tantum fidei Chriſtianæ habere, noſtrâ ſententiâ cenſeretur. Æquè promptum eſt Deo nec minus ejus juſtitia, fide & ſanctitate dignum, impios mortuos ad pœnas ipſis debitas ac denuntiatas redivivos ſiſtere, quàm pios mortuos ad accipienda promiſſa.* Et in Apologia Equitis Poloni pro veritate accuſata, *pag.* 76. *Nos cum Apoſtolo ſpem habemus in Deo, reſurrectionem fore mortuorum, juſtorum & injuſtorum: juſtorum ad vitæ æternæ gaudia; injuſtorum ad ignis æterni ſupplicia. Et hunc terrorem Domini (qui haud quaquam vanus in illis futurus eſt) ſcientes, homines ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus, ſperamus vero etiam conſcientiis veſtris fore manifeſtos.* Videatur porro J. Slichtingii *Comment. in Joan.* v. 28, 29. & in *Rom.* 11. 8, 9 & in 2 *Theſſ.* 1 8, 9. Quia verò alii dogma ab ipſis reprobatum adoptarunt, magnoque cum pietatis diſpendio diſſeminare non erubeſcunt, operæ pretium erit, illud validiſſimis quibuſdam Scripturæ Sacræ teſtimoniis, rationibuſque evidentibus impugnare, ipſorumque argumentis atque objectionibus præcipuis occurrere.

Probatur impiorum reſurrectio ex Matth. XXV. 31. & ſeqq.

XIII. Primò ergo impiorum reſurrectionem & ſupplicium probamus ex illis locis, ubi impii à Domino Jeſu judicandi & igne infernali plectendi dicuntur; quod fieri nequit, niſi reſurgant. Hic occurit nobis primò, nobilis ille locus, *Matth.* XXV. 31. *& ſeqq.* ubi judicium nobis deſcribitur univerſale, tam in malos quàm bonos: ſicuti piis præmium, ita impiis aſſignatur ſupplicium. Excipiunt, judicium hoc dici in omnes, quia omnes ſpectabit, qui illo diē erunt ſuperſtites; perinde uti excidium dicitur urbis vel gentis, quod ſuperſtites tantum opprimit. Ita diluvium dicitur obruiſſe omnes, &c. Reſp. Fateor, ſi hic ſolus textus in Scriptura exſtaret, ac ſolummodò legeretur, Chriſtum in ultimo judicio totum mundum judicaturum, ita poſſe accipi; ſed non neceſſariò tamen accipiendum fore. Sed quoniam comminatio divina inſtituitur ad omnium temporum incredulos ac impios, nullo modo ita accipi poteſt. Textus Scripturæ ſunt manifeſti, quibus Deus exitium æternum comminatur in genere incredulis ac impiis; *Matth.* V 22. XII. 36, 37. XVIII. 8, 9. *Joan.* III. 18, 36. *Rom.* 11. 6, 7. *Hebr.* x. 26. 27, 28, 29. imo & expreſsè impiis jam olim defunctis; 2 *Theſſ.* 1. 6, 7. *Juſtum eſt apud Deum afflictionem retribuere iis qui vos affligunt*, &c. Non enim

hoc

hoc potest respicere solummodò superstites supremo illo diē; non tantum, quia illis, qui fideles ad quos Apostolus suam scribebat epistolam persequebantur, dicitur Dominus in tremendo illo judicii diē afflictionem retributurus; sed &, quia opponuntur fidelibus persecutionem patientibus, quibus Deus illo diē daturus est refrigerium; illi autem sunt fideles omnium temporum, non illi solum, qui supremo diē superstites reperientur: ergo & per persecutores, quibus Dominus in illo die retribuet afflictionem, intelliguntur omnium temporum persecutores. 2. Nulla est ratio, cur impii supremo diē superstites, magis pœnâ illâ horrendâ inferni sint torquendi, quàm priorum seculorum impii. Et cum Scriptura nuspiam illud discrimen faciat, ineptè & præter omnem rationem fingitur. 3. Si soli impii illo diē superstites hic dicantur judicandi; ergo & solis piis illo diē victuris præmium hoc assignabitur: quia nulla est ratio, cur de piis latius extendatur, quàm de impiis. Nihil ergo hic locus spectaret pios ante judicii diem defunctos. Quod cùm absurdum sit, etiam absurdum est, locum hunc non respicere impios ante ultimum judicii diem defunctos.

Ex 2 Cor. v. 10. XIV. Secundò. Ex 2 *Corinth.* v. 10. *Oportet nos omnes manifestari coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque propria corporis, quodcunque fecerit sive bonum, sive malum.* Excipiunt, 1. *Nos omnes* non designare omnes homines universaliter loquendo, sed tantum Christianos, & ex his eos qui vivi erunt: quando Christus mundum judicabit; phrasi eâdem, quâ 1 *Thess.* IV. 15. dicitur, *nos viventes qui reliqui erimus in adventu Domini non præveniemus eos qui obdormierunt:* Quod non de se & sui temporis fidelibus Apostolus dicit, sed de iis, qui in adventu Christi ipsis similes futuri sunt. Resp. Gratis exceptionem hanc fingi, sed cum verbis textus nullatenus conciliari posse. 1. Quoniam enim in judicio ultimo non tantum supplicium impiis, sed & piis præmium assignabitur, sequeretur, si verba hæc solummodò ad superstites illo diē restringenda sunt, & solis justis qui tunc superstites erunt assignandum præmium; quod reverâ est fidelibus omnem vitæ æternæ spem eripere. 2. Terror ille Domini, quo Apostolus hominibus persuadet fidem, solos spectaret illo diē superstites; ergo ineptus planè ac inefficax foret, quo Paulus sui temporis hominibus fidem persuaderet. In epistola ad *Thess.* alia occurrit phrasis; quia ibi manifesta fit distinctio, inter eos qui vivi reperientur, & eos qui obdormierunt; quod hic non fit: & quidem ea distinctio fit respectu fidelium, qui ad Dominum assumentur; qui cùm utrique dicantur judicio sistendi, manifestum est illis in locis, ubi omnes dicuntur coram Christi tribunali manifestandi, utrosque etiam intelligendos, tam mortuos, qui resuscitabuntur, quàm illos quos dies iste vivos deprehendet. Et tandem, quando nihil est, quod restrictionem particulæ universalis *omnis* requirit; etiam sine ullâ restrictione est accipienda. Objiciunt 2 Judicium Christi tantum spectat vivos, non mortuos; mortui enim qui resuscitabuntur non comparebunt coram tribunali Christi; resurgent enim in incorruptibilitate, Angeli autem eos qui vivent congregabunt, ut à Christo judicentur. Resp. 1. Imo mortuos judicandos esse docet, *Hebr.* IX. 27. Quod fieri non potest, nisi resurgant. 2. Judicium consistet, non tam in sententiæ pronuntiatione, quàm ejus executione. 3. Quando mortui dicuntur resurrecturi in incorruptibilitate, respicit hoc fideles, quorum resurrectionem Scriptura commemorat tanquam felicitatem, cujus intuitu hominem ad fidem & pietatem excitat. Impiorum autem resurrectio nunquam dicitur in incorruptibilitate futura: quia status æternæ miseriæ non est incorruptibilitas, sed continua & nunquam cessans corruptio. Objiciunt 3. Judicium non pronuntiabitur super omnes & singulos; sed super illos tantum, qui aliquam Christi notitiam habuerunt, & quibus objici poterit, *esurivi*, &c. Hæc enim ultimi judicii verba sunt, *Matth.* XXV. 42. Resp. 1. Ergo patet saltem omnes legi Jesu Christi immorigeros resurrecturos ad judicium, quod præcipuè intendimus. Omnes enim, quibus Christi Euangelium innotuit, terrore illo compelli volumus, si immorigeri sint. 2. Licet ultimum judicium præcipuè spectet eos, quibus Christus prædicatus est, ostendimus tamen quâ ratione & alios, Christi cognitionis planè expertes, respiciat. Etsi ergo concederemus, *Matth.* XXV. potissimum describi quâ ratione judicium illud exercendum sit in omnes, qui aliquam Christi notitiam habuerunt; exinde minimè probari potest, reliquos excludi, præsertim illis in locis, ubi omnes judicandi dicuntur.

XV. Tertiò. *Act.* XVII. 30, 31. *Deus nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate.* Locum hunc spectare etiam impios exinde liquet, 1. Quia annuntiatione hujus judicii, Deus homines cujuscunque ævi movere vult ad pœnitentiam. 2. Quia dicitur *orbem* judicaturus; quæ locutio impios, qui maxima sunt orbis pars, excludere nequit. Etiam comprehendere illius temporis homines, evidentius liquet; quia aliàs non foret ratio homines tunc viventes ad pœnitentiam movens. Quartò. 2 *Pet.* II. 4. *coll. cum vers.* 9. Manifestè enim agit Petrus de judicio ultimo,

Ex Act. XVII. 30. 31. 2 Pet. II. 4. 5. Luc. XVI;

mo, cui reservantur Angeli peccantes; ergo & de eodem agit *vers.* 9. in quod impios dicit reservari cruciandos: de quo etiam agit, *cap.* III. 7. Quinto. Idem concludi potest, ex parabola divitis epulonis & Lazari, *Luc.* XVI. Licet enim ultro fateamur, omnes parabolæ partes & circumstantias applicari non posse, tamen ex totius parabolæ scopo liquet, sicut piis præmii, ita impiis supplicii locum fore post hanc vitam. Quod nisi Dominus hac parabolâ docere intendisset, nullius ea foret usus.

Ex Matt. XXVI. 24. XVI. Tandem id evincunt verba Servatoris nostri de Judâ proditore pronuntiata, *Matth.* XXVI. 24. *Bonum erat ei, si natus non esset homo ille.* Excipiunt, hoc non dici de Juda post mortem; sed cum adhuc in vivis erat, infeliciorem fuisse: idque ipsum Judam credidisse; quoniam mortem vitæ prætulit. *Resp.* Judas conscientiæ stimulis, futuri supplicii metu, agitatus mortem vitæ prætulit, ut angore illo liberari posset: qui angor, dempto supplicii futuri metu, aut nullus, aut exiguus fuisset. Nemo tamen angorem illum, aliquot dierum ad summum, in se spectatum tantum dicet malum, ut totius vitæ præteritæ bono præponderet. Cùm itaque tanta ei prædicatur miseria, ut præstitisset ipsi nunquam natum esse, quàm post lucis hujus usuram vitæque beneficium in eam incidere, manifestum est aliam prædici pœnam longè graviorem, quæ nempe in futuro seculo locum habitura est.

Secundo, ubi manifeste dicuntur resurrecturi. XVII. Hisce subjungimus quædam loca, quæ non tantum pios, sed & impios resurrecturos clare asserunt, & quidem ad supplicium. Horum

Joan v. 28, 29. Occurritur exceptioni. XVIII. Primus est, *Joan.* v. 28, 29. *Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Locum hunc, qui nudè prolatus sententiam hanc jugulat, mirè torquent. 1. Excipiunt: Per *eos qui in monumentis sunt*, intelligi mortuos, & quidem non corporaliter, sed spiritualiter mortuos; perinde ut *Ezech.* XXXVII. 12. *Educam vos è monumentis vestris.* *Resp.* Impropriè hæc de spiritualiter mortuis accipi non posse, docent. 1. Antecedentia, in quibus agitur de judicio Filio tradito à Patre, cujus hæc verba manifestam explicationem continent. Atqui resurrectio spiritualis non est propriè actus judicii, sed actus benignitatis divinæ, quem pro ratione obedientiæ aut contumaciæ hominis actus judicii consequetur. Ergo de ea hìc non loquitur Dominus. Sed ultimum illud judicium præstantissimus judicii divini actus est, quem propterea, ubi de judicio agitur, neutiquam omitti oportuit 2. Sequentia; quia duplicis egressus mentio fit, eorum qui bona fecerunt ad vitam, & qui mala fecerunt ad condemnationem: Atqui qui bona fecerunt, non sunt in morte spirituali; qui tamen hic ex monumentis egressuri dicuntur: Et qui ex morte spirituali resurgunt, non egredientur in resurrectionem judicii, sed vitæ. Adeo ut violenta textus detorsio fit, *vocem Filii Dei* hic accipere pro voce Jesu Christi spiritualiter mortuos per Euangelium ad pœnitentiam vocantis. 3. Mentio quidem alibi fit spiritualiter mortuorum, illi verò vocantur *mortui*, nunquam autem, *qui in monumentis sunt*. Locus *Ezech* XXXVII. 12. non agit de spiritualiter mortuis; sed de Judæis, qui in carcere tanquam in sepulchro conclusi detinebantur.

XIX. Excipiunt 2. In Græco est aoristus, ποιήσαντες; aoristorum autem significatio est indeterminata, debetque explicari juxta tempora verborum quibuscum connectitur; quæ cum hìc in futuro sint, etiam in futuro debent accipi: Sensus ergo est; qui bonum fecerint, nempe postquam ex sepulchris ivcrint, seu gratiâ Dei exeundi potestatem habuerint, exibunt, ex monumentis, id est, ex ignorantia sua, in resurrectionem vitæ, id est, cedet illis hoc in resurrectionem vitæ, quod vocem Filii Dei audiverint, id est, illi obedieverint. Qui mala fecerint, scilicet ex monumentis egressi, & ex parte Dei liberati ex illa ignorantia & miserrima conditione per præconium Euangelii, egredientur in resurrectionem judicii: hoc est, liberabuntur & illi quidem, quatenus liberari poterunt; sed quia Euangelio non paruerunt, cedet illis hoc in extremam perniciem. *Resp.* Manifesta est Scripturæ detorsio. Quam multa enim hic sunt inepta, ac sibi invicem directè contradicentia? 1. Quæ de aoristis dicunt à Græcæ linguæ peritis non conceduntur. 2. Esto; ea admittantur; manifesta est verborum detorsio, dicere homines bona facere, postquam ex monumentis egressi sunt; cùm verba sequentia doceant, non quid facturi sint homines jam è monumentis egressi; sed qualis ipsis pro operum suorum ratione retributio sit adsignanda, nempe, iis qui bona fecerunt, vita; quia mala fecerunt, judicium. 3. Violentum admodum est, dicere, eos, qui in impietate perseverant, ex monumentis egressos, & ex morte spirituali resurrexisse, eo quod per gratiam divinam egrediendi potentiam habuerunt. Dices: est phrasis similis illi, quâ quidam *Deum novisse, non tamen ut Deum honorasse* dicuntur, *Rom.* I. 21. *Resp.* Est phrasis longe dissimilis; non enim cognitio Dei eadem est cum ejus cultu, perinde uti resurrectio spiritualis eadem est cum exercitio bonorum operum. 2. Manifestè dicuntur Deum novisse, & tamen non honorasse; hic autem non dicuntur ex morte spiri-

Respondetur alteri exceptioni.

ſpirituali egreſſi, & tamen mala feciſſe. Eſſet enim illa locutio contradictoria. Ita ut de morte ſpirituali, ſicut antea oſtendimus, hæc accipi nequeant. 4. Non minus durum eſt ac ſibi contradicens, dicere eos, qui bona fecerunt, hoc eſt, juxta hanc interpretationem, qui jam ex monumentis egreſſi ſunt, exituros ex monumentis. Sic enim qui jam ex monumentis egreſſi ſunt, adhuc ex iis egredientur; ſimul ergo in monumentis ſunt, & ex illis egreſſi. Sed tædet diutius abſurdis ejuſmodi contradictionibus ac Scripturæ detorſionibus inhærere.

Act. xxiv. 15. Occurritur exceptioni primæ. XX. Secundus locus eſt, *Actor.* xxiv. 15. ubi Paulus dicit, *ſe ſpem habere in Deum, reſurrectionem fore juſtorum & injuſtorum.* Hunc locum non minus exceptionibus ſuis detorquent. 1. Ajunt; ad ſummum tantum inde concluditur, impios reſurrecturos, non autem puniendos, multò minus æternum puniendos. Reſp. 1. Nos hic jam intendimus ſolummodò impiorum reſurrectionem probare; de pœna dicetur in ſequentibus, 2. Quem alium in finem impii reſurgent, quàm ad pœnam? Utrum verò illa æterna ſit futura, poſtea inquiretur.

Secunda. XXI. Objiciunt. 2. Dicit Apoſtolus ſe ſperare reſurrectionem; nemo autem pius unquam ſperavit impios reſurrecturos ad pœnam; itaque per *injuſtos* intelliguntur qui injuſti fuerunt, phraſi ſimili cum ea quæ occurrit, 1 *Tim.* 1. 15. 1 *Joan.* 1. 8. *Rom.* iv 5. *Matth.* xxi. 31. *Hebr.* xi. 31. Reſp. 1. Paulus fidem ſuam ac ſpem de reſurrectione profitetur: reſurrectionem autem deſcribit qualis ſit futura, non juſtorum tantum, ſed & injuſtorum, ut ipſos ad quos verba faciebat illius judicii metu a peccatis avertat. Sicut & *verſ.* 25. eadem de cauſa apud præfectum Fœlicem diſſeruit non tantum de juſtitia & caſtitate, ſed & de judicio ultimo; qui ſanè non ita timuiſſet, niſi ipſi pœna, quæ in judicio illo impios manet, propoſita fuiſſet. 2. Aliquando homines à ſtatu præterito deſcribi, negari nequit: hic tamen locum illud habere non poteſt, quia ſit oppoſitio inter *juſtos* & *injuſtos.* Si enim *injuſti* denotent eos, qui ante vocationem divinam injuſti fuerunt, quinam erunt *juſti* illis oppoſiti? an qui ante vocationem divinam juſti fuerunt? At quinam illi ſunt, cum Apoſtolus *Rom.* iii omnes agat reos peccati & condemnationis? Nec ullus ex Scriptura proferetur locus, ubi injuſti juſtis oppoſiti denotant eos qui injuſti fuerunt, nunc autem juſti ſunt. Dices; *Matth.* xxii. 10. dicuntur ſervi congregaſſe omnes quos invenerunt, *bonos ac malos.* Reſp. Per *malos* illic intelliguntur verè mali, id eſt, qui vel vocationi divinæ ex animo non parent; aut parentes ad tempus aliquod, poſtea ad priſtinam vitæ proſanitatem relabuntur, ac propterea in tenebras exteriores conjiciuntur.

XXII. Objiciunt 3. Per *impios* intelliguntur Ethnici, perinde ut *Gal.* ii. 15. qui converſi etiam reſurrectionis erunt participes. Non enim ſcopo Pauli conſentaneum erat, de improborum reſurrectione loqui, quam nemo Judæus credidit. Reſp. 1. Alia eſt phraſis; non enim hîc eſt oppoſitio inter juſtos & injuſtos; ſed inter Judæos, & ex gentibus peccatores: aut dicendum eandem eſſe oppoſitionem inter juſtos & injuſtos, atque inter Judæos & gentiles. Quod dici nequit: licet enim gentiles oppoſitè ad Judæos vocentur peccatores, quatenus verum Deum ignorantes idololatriâ aliiſque ſceleribus ſe polluerunt; non tamen Judæi oppoſitè ad gentes vocantur juſti, cùm eos non minus quàm gentes Apoſtolus gravium peccatorum & condemnationis reos peragat, *Rom.* ii. & iii. 2. Gentiles vocantur injuſti ante converſionem; fideles verò ac converſi nunquam ita vocantur; ſed *ſanctificati, juſtificati, & abluti per ſanguinem Jeſu Chriſti,* 1. *Corinth.* vi. 11. 3. Judæos univerſaliter impiorum reſurrectionem negaſſe, verum non eſt. Hodierni quidem Judæi eam negare ſolent: aliam autem priſcorum Judæorum, ad quos Paulus verba faciebat, fuit ſententia. 4. Non magis conveniens fuiſſet ſcopo Apoſtoli, loqui de Ethnicorum quàm de impiorum reſurrectione, quam neque ullus Judæorum credit. Adeo ut & hic locus ſatis ab ipſorum exceptionibus vindicatus ſit. *Tertia.*

XXIII. Tertius exſtat *Apoc.* xx. 12, 13. 14, 15. ubi *mortui, ſtantes in conſpectu throni,* dicuntur *judicati ſecundum opera ipſorum; & qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus* dicitur *in ſtagnum ignis.* Ad clariſſimum hunc locum frivolè excipiunt; quod dicantur *mortui* judicati, non reſuſcitati. Reſp. 1. *Mors, infernus, & mare,* dicuntur *reddere mortuos ſuos, qui in ipſis erant,* quid autem id eſt; niſi reddere ut in vitam reſtituantur? 2. Quomodo mortui poſſunt judicari ſecundum opera ipſorum, & quidem in ſtagnum ignis mitti, niſi reſuſcitentur? Dicunt: Judicium in eo conſiſtet, quia tum apparebit, qui in morte manſuri ſint; nunc autem omnium mortuorum ſtatus eſt æqualis. Reſp. 1. Licet reſpectu cognitionis noſtræ mortuorum ſtatus æqualis ſit, quatenus nos infallibiliter pronuntiare non poſſumus, quibuſnam ſalus ſit aſſignanda, quinam in condemnationem ſint venturi; tamen ſtatum ipſorum in ſe conſideratum, & cum relatione ad Deum admodum eſſe inæqualem, antea oſtendimus. 2. Impii in morte manentes propriè judicari dici nequeunt: qui enim non eſt, ſed in nihilum redactus, judicari non poteſt. Et ſanè, cum hîc repræſentantur *Apoc. xx. 12, 13, 14, 15.*

tentur stantes coram throno, ut planè in nihilum redacti concipi nequeunt; multò minus, repræsentati ut conjecti in stagnum ignis.

Et injustitiâ Dei. XXIV. Hisce clarissimis Scripturæ testimoniis accedunt rationes; quarum prima desumitur à justitia Dei, quæ non permittit scelera atrocia, sine ulla pœnitentia & summa cum pervicacia commissa, dimitti impunita. Quod duo loca evidenter demonstrare videntur: 2 *Thess.* 1. 6, 7, 8. *Justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi*: &c. *Apoc.* XVI. 5, 6. *Justus es, Domine, qui es, & qui eras, Sanctus, qui hæc judicasti. Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.*

Occurritur objectioni primæ. XXV. Objiciunt. Justitia non requirit, ut nullum peccatum dimittatur impunitum, sed ut nemo puniatur præter meritum. *Resp.* Fatemur in Deo non esse justitiam ejusmodi vindicativam essentialem, quæ cujuscunque peccati pœnam necessariò à Deo exigat; illam enim cum Dei misericordia directâ fronte pugnare, antea ostendimus. Interim alia est ratio præfractæ contumaciæ ac impœnitentiæ in peccatis ac sceleribus. Quamvis enim Deus pro absoluto suo jure peccata remittere possit, misericordiaque ejus suadeat, ea resipiscentibus condonare; non tamen sanctitati ac justitiæ ejus, quâ peccatum odit, conveniens est, ut præfractos gratiæ suæ contemtores impunitos dimittat. Resipiscentibus condonando, amorem erga sanctitatem ostendit, & remissionis spe ad sanctitatem peccatores allicit: sed impœnitentes dimittendo impunitos, nullum erga justitiam amorem, aut contra injustitiam odium declarat.

Secunda. XXVI. Dices. Pœna impiorum est, carere vitâ æternâ, quâ aliàs, si pii fuissent, frui potuissent. *Resp.* Fateor vitæ æternæ carentiam pœnæ rationem habere posse in eo, qui vitæ dulcedinem est expertus, seque propriâ suâ culpâ æternâ vitâ, quâ aliàs frui potuisset, privandum considerat: sed in mortuis & annihilatis nullam pœnæ rationem habere; nec in iis, qui nunquam de æterna vita seriò cogitarunt, quales plerumque sunt impii, unquam pœnæ rationem habuisse potest. Imò verò brevis illa vitæ usura, quâ hîc fruuntur, beneficii habet rationem, quatenus præstat aliquamdiu, quam nunquam fuisse. Quæ itaque non sentitur pœna, verè pœna non est. Præsertim iis qui ita se terræ affixos ostendunt, ut etiam de vita æterna cogitantes, quia bonum est spirituale, desideriisque suis carnalibus adversum, dicere non erubescant, se Deo cœlum velle relinquere, modo Deus ipsis terram concedat.

XXVII. Dices. Summa est injustitia, Deum hominem, quem mortalem creavit, suscitare immortalem, ut eum æternum puniat. *Resp.* De pœnarum æternitate capite sequente agetur. Nunc solummodò dicimus, injustum non esse, Deum hominem impium ac impœnitentem suscitare immortalem, ut contumaciæ suæ dignas pœnas luat. Nulla enim injustitia est, quemquam punire juxta merita. *Tertia.*

XXVIII. Dices. Omnis pœna infligitur, aut ad castigationem & emendationem ejus qui punitur, aut in exemplum aliorum. Neutrum hic locum habere potest: Ergo hæc pœna foret injusta. *Resp.* Etiam dari tertium pœnæ genus, ad satisfactionem illius, qui læsus est. Et licet hæc postrema pœna inter homines etiam plerumque habeat rationem castigationis & exempli; tamen solo satisfactionis respectu justa est. Et hanc rationem pœna post hanc vitam habet: per illam enim Deus amori erga justitiam satisfacit; seque sanctum ac peccatorum osorem & vindicem ostendit. Non quidem cedit illa pœna in castigationem, aut exemplum; sed illius comminatio frænum est quo homines à peccato cohibeantur: quod cum excusserint, justum est ut contumaciæ suæ pœnas luant. *Quarta.*

XXIX. Altera nostra ratio desumitur à pernicioso sententiæ hujus, si genius ipsius inspiciatur, effectu: quia fenestram aperit omni impietati, quoniam peccati pœnam tollit, eam saltem quam propriè timent homines, quæ in doloris sensu consistit. Nulla enim major peccandi illecebra est, quàm impunitatis spes. Dices. Qui vitæ æternæ spe non allicitur, nec metu supplicii terrebitur. Si pœnæ essent præsentes & omnium oculis obviæ, credendum quidem homines plus posse deterreri à peccatis pœnis, quàm amore vitæ æternæ; sed quia utrumque abest, & non sentitur, plus promissis quàm pœnis homo movetur: imò qui vitæ æternæ spe non ad resipiscendum movetur, de eo nulla spes est, eum unquam ad frugem rediturum. *Resp.* Hominem fidelem pietatisque studiosum magis ad obedientiam moveri spe præmii, quàm metu pœnæ, dubitandum non est; imò solo vitæ æternæ amore pios Deo obedire negari nequit. Attamen 1. in initio conversionis, antequam homo, voluptatibus carnis adhuc immersus, boni spiritualis magnitudinem ac dulcedinem percepit, magis pœnæ metu à peccando deterretur, quam præmii spe ad vitæ sanctitatem allicitur. Hinc & Joannes Baptista hoc argumento potissimum utitur ad peccatoribus pœnitentiam suadendum, *Matth.* III. 10. & Paulus terrore judicii futuri *Quia fenestram aperit impietati.*

turi homines ad fidem hortatur, 2 *Cor.* v. 11. Atque illo terrore homines à peccatis deterriti disponuntur ut vitæ æternæ spe sanctitati ex animo studeant, ad quam solâ vitæ æternæ promissione statim permoveri non potuissent. Et licet pœna præsens hominem carnalem magis afficiat; tamen pœnæ futuræ, & quidem adeo horrendæ, persuasio semel animis hominum infixa, subinde repullulans, à variis eum sceleribus cohibet,in quæ alias, etiam maximo cum vitæ æternæ contemtu, præceps rueret; solaque impunitatis spes, aut inadvertentia, pœnæque illius neglectus causa est, quòd ab omnibus peccatis non cohibeatur. 2. Etiam contingere potest pios gravissimis in tentationibus & cruciatibus, non tantum vitæ æternæ spe, sed & æterni supplicii metu, seipsos confirmare ad constantiam, cogitando magis metuendum eum, qui postquam occidit, animam & corpus potest perdere in gehenna, quàm illos, qui solum corpus occidere possunt: *Matth.* x. 38. Ita ut pietatis studiosis vitæ æternæ spes calcar sit ad obedientiam; peccatoribus ac animali vitæ deditis, supplicii æterni metus frænum quo à sceleribus cohibeantur, & ad veræ sanctitatis studium disponantur.

Qui argumento hoc uti nequeant. XXX. Fateor tamen, argumento hoc uti non posse eos. 1. Qui servile putant, ac Christiano homine indignum, metu pœnæ ad obedientiam moveri. Perinde enim comminationum divinarum vis ad homines in officio continendos infringitur, sive omnem pœnam neges; sive illius intuitu hominem ad officium moveri illicitum statuas. Interim quia hi pœnarum metu homines etiam terreri volunt, licet illos eo medio, quo Dei filios ac fideles moveri decet, moveri non credant, minus periculosa est eorum opinio. 2. Qui annihilationem majus esse credunt malum, quàm æternos cruciatus, ut Twissus. Cùm enim, juxta ipsorum sententiam, majus malum secundum hanc opinionem infligatur, gravissimæ pœnæ metum remanere ut statuant necesse est.

Occurritur duabus objectionibus. XXXI. Videamus jam quid pro sententia adeo absurda allegari soleat. Duo potissimum proferri solent argumenta. Primum: Resurrectio & immortalitas est summum bonum, & specialis Dei gratia: at illius impii nec sunt, nec erunt participes. Resp. Resurrectio ad vitam immortalem summâ in felicitate degendum maximum est bonum: At resurrectio ad perpetuos cruciatus non est bonum, sed summum malum. Quod ipsi etiam urgent, dicendo, pœnas ejusmodi æternas summam Dei injustitiam arguere. Talisque immortalitas magis est continua mors, quàm vita. Ideo & vocatur *mors secunda*, *Apoc.* xx. 14. Explicent illi, si non detur illa pœna sensus post hanc vitam, quænam illa sit mors secunda. Secundum: Resurrectio semper fidelibus promittitur, tanquam præmium; non ergo communis est improbis. Resp. Ratio illius est, quia resurrectio ad supplicium non tam est ad vitam, ut jam dixi, quàm ad perpetuam mortem. Vita enim cum cruciatu non propriè vocatur vita, (utpote quæ bonum denotat) sed vita cum gaudio, quæ solis fidelibus fruenda dabitur.

XXXII. Restat ut inquiramus, quoniam sententia hæc bonis moribus evertendis est nata, utrum is, qui eam fovet ac tuetur, inter Christianos tolerandus sit? Resp. Resurrectionem ex mortuis fundamentum esse totius Religionis Christianæ, vitæque futuræ, ad quam resurgimus, spem, unicam fidei pietatisque nostræ esse basin; ac proinde eam qui negat, totam simul fidem in Jesum Christum evertat, necesse est, nec pro Christiano haberi potest. Alia autem ratio est illius, qui beatæ resurrectionis in vitam æternam spe suffultus sanctè præceptis divinis obtemperat; interimque errore quodam mentis nullam impiorum resurrectionem suppliciaque post hanc vitam credit. Vitæ enim æternæ spes sola hominem ad veræ sanctitatis amorem excitare potest: & qui solo vitæ æternæ amore, nullo autem pœnæ metu, ad obediendum movetur, Christiani hominis partes nobilissimè implevit, ejusque obedientiam gratiorem Deo credimus, quàm metu pœnæ expressam. Error itaque ille, quoniam nullam Christianæ pietatis partem in tali convellit, eum Christiano nomine ac fraternitate Christianâ indignum non reddit. Interim erroris hujus disseminatio in Ecclesia Christiana toleranda non videtur; quoniam, ut ante ostendimus, latam ad omnem impietatem fenestram aperit: & licet fieri possit hominem pietatis studiosum solo vitæ æternæ amore ad Dei obedientiam induci; plurimi tamen, quorum animis nondum veræ pietatis amor inhæret, terrore supplicii futuri remoto facilè ad vitæ profanitatem allici, aut ne à peccatis resipiscant impediri possent, sicque in plurimorum animis maxima pietati Christianæ labes infligeretur. Atque ita considerata hæc sententia, intolerabilis planè est, vitæque Christianæ adversa. *Controversia hujus momentum.*

Infantes sunt resurrecturi. XXXIII. Quæritur porrò: Utrùm & infantes, ante rationis usum exstincti, è mortuis sint suscitandi? Resp. Nos suscitandos credimus. 1. Quia Dominus illis regnum cœlorum addicit, *Matth.* xix. 14. 2. Quia illis eam inesse dicit animi humilitatem, quam in adultis requirit, ut regni cœlorum sint participes, *Cap.* xviii. 3, 4. 3. Quia seminis benedicti promissio, Adamo, omnibusque ejus posteris facta, ipsos quoque

quoque spectat. Credimus itaque infantes resurrecturos, qualescunque sint, sive fidelium, sive infidelium, & quidem ad vitam æternam, nullos autem ad cruciatus inferni: quoniam loca statim allegata nullam admittunt exceptionem, sed quæ illic infantibus attribuuntur omnibus ex æquo communia sunt. Suscitabuntur autem, non vi naturalis suæ innocentiæ aut originis, respectu enim ortus sui ex Adamo morti necessariæ sunt obnoxii, absque ulla per naturam ex ea liberatione: sed ex gratia per Jesum Christum, qui ipsos ex morte, quam à patre suo Adamo hæreditariam trahunt, liberat & vindicat.

Quid dicendum de fœtibus abortivis. XXXIV. Huic alia adjungi solet de monstris, & fœtibus abortivis, utrum resurrecturi sint, quæstio. Possemus, si per hominum curiositatem liceret, ejusmodi quæstionibus carere; sunt enim vanæ & inutiles. Breviter dicimus: Si anima humanâ fuere animata, verè fuerunt homines, nec à resurrectione arceri possunt: si verò nulla in illis fuit anima humana, nec per resurrectionem, cujus soli homines sunt participes, in vitam redibunt.

Homo resurgit respectu corporis. XXXV. Hactenus vidimus subjectum quod (ut barbarè vocant) resurrectionis: restat ut videamus subjectum quò. Illud est corpus hominis: homo enim corporis solius respectu moritur, anima post mortem manet superstes. Hinc dicitur Deus corpora nostra resuscitaturus, *Rom.* VIII. 11.

Eadem numero corpora resurgent. XXXVI. Sed hîc quæritur, utrum eadem numero corpora sint resurrectura, an verò Deus corpora gloriosa eorum loco producturus sit? Me quod attinet, quæstionis hujus decisionem non admodum necessariam aut utilem credo, sed inter curiosas potius referendam. Quia tamen aliorum importunitate urgemur, neque hic absque invidia licet ἐπέχειν, illa nobis probabilior videtur sententia, quæ eadem numero corpora statuit resurrectura. Quod ut distinctius probemus, sciendum, ad ejusdem individui identitatem requiri ut nulla intercedat essentialis mutatio: mutatio quippe accidentalis non tollit individui identitatem. Sic idem manet homo etiamsi major fiat staturâ, imo etiamsi quotidie particulæ corporis dissipentur, aliæque continuò per novum alimentum substituantur. In artificialibus sufficit ut eadem sit forma externa; in fluvio ut idem sit fons, etsi alveus mutetur; imo nova continuò exundet aqua. At in homine ut idem sit numero, requiritur imprimis eadem anima. An idem requiratur corpus, pars hominis vilior animâ, non ita solidè demonstrari potest. Ad corporis identitatem requiri videtur, ut eadem materia, ex qua corpus conflatum fuit, in corpus denuò coalescat, licet aliis accidentibus vestitum: Atque sic idem corpus, quod hîc fuit terrenum, animale, corruptibile, in resurrectione potest esse cœleste, spirituale, incorruptibile. Hocque est quod nos asserimus, his moti rationibus: 1. Quia dicitur 1 *Corinth.* XV. 53. *Oportet hoc corruptibile* (nempe corpus quod hic circumferimus) *induat incorruptionem, & hoc mortale immortalitatem.* & *Phil.* III. 21. dicitur *Christus corpus humilitatis nostræ reformaturus, ut conforme fiat corpori claritatis suæ.* 2. Quia resurrectio fiet, ut quisque reportet τὰ ἴδια τοῦ σώματος; 2 *Cor.* V. 10. quod non in alio corpore fieri debere videtur, quàm in eo, in quo quisque vel bona vel mala fecit. 3. Quia resurrectio in alio corpore, non tam est resurrectio, quàm nova creatio. 4. Christus resurrectionis nostræ exemplar, etiam in eodem corpore, in quo mortuus est, resurrexit, *Joan.* XX. 27. nec aliàs ab Apostolis agnitus fuisset. Interim nec hoc negandum putamus, Dominum Jesum, dum adhuc in terris degebat, nondum corpore glorioso fuisse præditum, sed in adscensione corpus ejus fuisse glorificatum, iisque qualitatibus, quæ gloriosis conveniunt corporibus, vestitum; absque tamen ipsius substantiæ corporis immutatione.

XXXVII Dices: Apostolus tamen inquit 1 *Cor.* XV. 50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Resp *Carnem ac sanguinem* non uno modo in Scriptura Sacra accipi. 1. Aliquando denotant substantiam eorum generalem, quatenus sunt substantia materialis corporea, opposita spiritui, substantiæ immateriali, qui carnem & ossa non habet. 2. Denotant substantiam eorum specialem, quatenus caro sunt, fibris ac nervis constans, & sanguis fluidus, spiritibus animalibus plenus, ac causa appetituum naturalium, nutritionis, generationis, &c. 3. Quatenus respectu physicarum suarum qualitatum sunt fragilia & corruptibilia. 4. Quatenus affectus & passiones eorum sunt vitiosæ. Primo modo caro & sanguis hic accipienda non sunt; nec alia planè corpora immaterialia ex nihilo creata, aut ex materia longè diversa producta hic significantur. Sed docere vult Apostolus, corpora nostra, quatenus spiritibus animalibus repleta sunt, & causa sunt nutritionis, generationis, & fontes vitæ hujus animalis, omniumque operationum quæ imperfectionem sapiunt, immutanda esse, & in statum nobiliorem erigenda: quia operationum, quæ ad vitam hanc animalem respectum habent, nullus in futura vita erit usus. Ita disertè dicitur à Domino, *Matth.* XXII. 30. contra Sadducæos resurrectionem negantes; *in resurrectione neque nubent, neque nuptui dabuntur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Et Paulus, 1 *Cor.* VI. 13. *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet.* Innuens, *Explicatur 1 Cor. XV. 50.*

carni

carni & sanguini, quatenus ejusmodi motuum principia sunt, nullum in resurrectione fore locum. Uti etiam, quatenus sunt fragilia, corruptibilia, ac malis externis obnoxia, vitiosisque affectibus agitantur; quæ omnia seculi hujus imperfectionem sapiunt. Idque innuere videtur Apostolus, verbis sequentibus hæc priora elucidando: *Neque corruptio incorruptionem possidebit.* Dices. Impossibile est ut idem numero reproducatur. Resp. Fateor si sit in nihilum redactum; sed hîc partes tantum sunt dissolutæ, quæ iterum uniri, ut idem inde resurgat compositum, nihil vetat; perinde uti tentoria dissolvi, eademque rursus figi quotidie videmus.

Quæstionis hujus momentum. XXXVIII. Attamen nos tanti quæstionem hanc non facimus, modo de beata constet resurrectione ac immortalitate, ut alium hîc à nobis dissentientem hæreseos insimulemus, aut à salutis fundamento recedere credamus. Utrinque enim est consensus in fidei fundamento: Animam nempe eandem, quæ propriè hominem constituit, eundemque numero hominem superesse facit, remanere; animæque illi corpus à Deo excitatum uniri, ut anima corpore suo unita beatâ immortalitate apud Deum in æternum fruatur. Corpus illud utrimque agnoscitur gloriosum, omnibusque quæ imperfectionem sapiunt exutum. Dissensus solummodò est, utrum corpus ultimo diè suscitandum, animæque uniendum, idem numero sit cum corpore quo anima hîc in terris vestita fuit; an verò aliud à Deo excitatum, animæque unitum? Illud autem ut decidatur necessarium non judicamus. 1. Quia Scriptura Sacra illud nusquam clarè & in terminis definivit, sed & pro diversâ sententia multa non improbabiliter ex Scriptura proferri possunt. 2. Quia beatæ immortalitatis spes per utramque sententiam salva manet. Cùm enim anima præcipua hominis pars est, solaque cogitationis conscia, corpus autem organum quo anima utitur ad functiones, quæ ministerium corporis requirunt, peragendas: sequitur eundem superesse hominem, licet par essentiæ ejus, sed minus principalis, immutata sit. Corpus enim non sentit propriè, nec voluptatem aut dolorem percipit; cum perceptio quævis cogitationis actus sit, cujus corpus non est capax; sed sola anima in corpore sentit ac percipit. Eadem ergo respectu animæ est perceptio, sive illa fiat in eodem illo corpore, in quo vitam hanc animalem degens percepit; sive in novo ac glorioso corpore, quo Deus ipsam in resurrectione donat. Si tamen differentiam quandam superesse velimus, quam non nego aliqualem esse, ea tanta non est, ut propterea contrariæ sententiæ patroni hæreseos insimulari, aut negatæ resurrectionis rei peragi possint. Puto ego tutius nos facturos, si, omissâ curiosâ de eorundem numero corporum identitate disquisitione, fide per charitatem efficace, bonorumque operum studio contendamus beatæ resurrectionis participes fieri; & dum nondum revelatum est quid futuri simus, quæstionis hujus non necessariæ decisionem differamus in illum diem, quo nos Deus futuri seculi participes facere dignabitur, & liberatos à servitute corruptionis introducet in libertatem gloriæ filiorum Dei.

XXXIX. Interim hîc difficultati cuidam de corporum resurrectione occurrendum est: impossibile enim videtur corpus in pulverem redactum, à feris dilaniatum, igne consumtum, variasque in formas transmutatum, restaurari, animæque rursus uniri. *Quâ ratione resurrectio sit possibilis.* Verum omnis illa difficultas tollitur consideratione omnipotentiæ divinæ, cui nihil impossibile. Facile est Deo ex minutissima materiæ particula superstite idem restaurare corpus. Videmus ordinaria naturæ virtute ex minutissimo semine eandem speciе herbam renasci: an impossibile credemus Deo omnipotenti, cœli terræque ex nihilo creatori, corpus idem ex materia superstite, quoquoversum illa dispersa, & quantumcunque mutata fuerit, restituere? Vitam reddere præstantius est, quam ex dispersis materiæ particulis idem corpus efformare. In Christo autem Jesu exemplum resurrectionis nobis exhibuit Deus, in quo *supereminentem magnitudinem virtutis suæ*, *secundum operationem potentiæ virtutis suæ* ostendit, *Eph.* I. 19. Hinc Dominus Sadducæis, resurrectionem negantibus, ait, *Matth.* XXII. 29. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*: Et Paulus *Phil.* III. 21. dicit resurrectionem futuram *secundum operationem Domini nostri Jesu Christi, quâ potest subjicere sibi omnia.*

XL. Ex hisce jam facile liquet, quid de causa Resurrectionis efficiente statuendum sit: eam nempe esse Deum solum; *Rom.* VIII. 11. 2 *Cor.* IV. 14. & 1 *Thess.* IV. 14. *Causa resurrectionis, Deus & Christus.* *Si credimus quod Jesus mortuus est & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Ita tamen, ut & speciatim Jesu Christo resurrectio attribuatur: sic ipse aliquoties dicit, *Joan.* VI. *Ego suscitabo illum novissimo diè.* Et per illum resurrectio dicitur fidelibus obtingere, *Joan.* XI. 25. *Dixit ipsi Jesus, ego sum resurrectio & vita:* Non tantum ratione omnipotentiæ ipsius, per quam tam impios ad supplicium, quàm pios ad vitam æternam excitaturus est, *Joan.* V. 28, 29. quamque potissimum impiorum glorificatione est exerturus, *Phil.* III. 21. Sed & ratione officii sui Mediatorii, quatenus dux & auctor salutis sibi obedientibus factus, *Hebr.* V. 9. fideles suos ad beatam perducit resurrectionem; dum non

tantum per sacrificium suum propitiatorium aditum ipsis in cœlum, ob peccata antea clausum, paravit; sed & doctrinæ ac spiritus sui virtute, tanquam rex cœlestis, ipsos ex spirituali peccatorum morte eductos, per fidem Dei filios ac hæredes efficit, atque ita ut caput ipsorum ex mortuis suscitatus ipsos ut membra sua in vitam reducet. 1 *Cor.* XV. 20, 21, 22. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium: Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adamo omnes moriuntur, ita Christo omnes vivificabuntur.*

Non Angeli. XLI. Angelos quidam resuscitationis ex mortuis ministros faciunt. Sed licet Deo ministrent in iis, quæ antecedunt ac consequuntur resurrectionem, quia *congregabunt electos ejus à quatuor ventis, Matth.* XXIV. 31. operis tamen, in quo Deus omnipotentem virtutem roboris sui ostendit, administri nequaquam esse possunt. Comitabuntur tamen Dominum Jesum, ut stipatores ac satellites, ad majorem ejus gloriam, & judicia ejus exsequendum: *Matth.* XVI. 27. XXIV. 31. 1 *Thess.* IV. 16. 2 *Thess.* I. 7.

Circumstantiæ resurrectionis. XLII. Quod resurrectionis circumstantias attinet; dicitur ea in momento peragenda, 1 *Cor.* XV. 52. ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ: ita tamen ut ordo quidam futurus sit, inter immutationem supremo illo diē superstitum, & mortuorum resuscitationem: *Quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Mortui qui in Christo sunt resurgent primi; Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra,* 1 *Thess.* IV. 15, 16. Et 1 *Cor.* XV. 52. *Canet tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.*

Martyrum resurrectio non præcedet generalem, mille annis. XLIII. Unde liquet, non consentaneë dictis Apostoli duplicem statui resurrectionem, quarum una matyrum pro nomine Christi securi percussorum propria, universalem omnium hominum resurrectionem antecessura sit mille annos; quod quidam colligunt ex *Apoc.* XX. 4, 5. ubi dicuntur *animæ decollatorum propter testimonium Jesu regnasse cum Christo mille annos*: Additurque, *Cæteri mortuorum non revixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Sed verò, cùm Scriptura ubique unius tantum resurrectionis ex mortuis meminerit, & eandem momentaneo oculi nictu peragendam doceat; cum resurrectioni ex mortuis immediatè judicium ac seculi consummationem conjungat, 1 *Cor.* XV. 24. 25, 26, 27, 28. 1 *Thess.* IV. 15, 16. variaque martyrum privilegia recenseat, nullâ præcocis hujus resurrectionis mentione factâ; incertum admodum est tanti momenti negotium loco obscuro, ex libro prophetico figuris ac allegoriis, quarum explicationes admodum sunt absconditæ, à capite ad calcem constante, deprompto, velle superstruere. Puto tutius nos facere, si loci hujus obscuri, varièque ab interpretibus explicati, consideratione omissâ, claris Scripturæ locis, passim obviis, acquiescamus, ac de re adeo incerta nihil quicquam definiamus.

Quæstiones curiosæ vitandæ. XLIV. Atque hæc est nostra brevis ac perspicua de mortuorum resurrectione doctrina, quam ad salutem & ad spei ac fidei nostræ confirmationem sufficere credimus. Curiosas aliorum quæstiones, quæ in Scriptura nusquam sunt determinatæ, quæque sine temeritate in alterutram partem decidi non possunt, nec scienti prosunt, aut ignorantem in fidei ac pietatis studio sistere possunt, studio præterimus: quales sunt: Utrum in futuro seculo sexus discrimen locum habiturum sit: Quæ sit futura mensura ac modus corporum resuscitatorum: aliæque plures; de quibus altum in Scriptura silentium. Quod Deus arcano voluntatis suæ consilio reservavit, id nos homunciones audacter ne definiamus; quodque nec fidei nec pietati confirmandæ vel minimum adferre potest momentum, curiosè ne inquiramus; ne animus noster circa inutiles quæstiones hærens, in contentiones ac rixas incidat, charitate morumque probitate contemta.

Usus resurrectionis. XLV. Restat ut resurrectionis usus quosdam salutares indicemus; qui varii sunt. I. Quoniam corpora nostra gloriosa & immortalia sunt resurrectura, & animabus nostris in omnem æternitatem unientur, oportet ut ea hîc Deo exhibeamus arma justitiæ, eaque sistamus hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, ut beatâ illâ resurrectione digni habeamur. *Rom.* VIII. 11. & potissimum 1 *Cor.* XV. 58. 2 *Cor* V. 9, 10. II. Omnes vitæ hujus adversitates, quin & mors ipsa, forti animo suscipienda est; scientes nos ex ea in statum gloriosiorem resurrecturos. Licet enim mors in se spectata, ut vitæ finis, vinculumque illud arctissimum inter animam & corpus abrumpens absque ulla restitutionis spe, horribilis sit; nullus tamen illi superest aculeus, quo hominem Christianum beatæ resurrectionis spe suffultum configat: quoniam illi somnus verius est quàm mors. Nec refert, quod aliquamdiu morti subjectus putrescat, corpusque ejus in pulverem redigatur. Anima quippe interim beatæ gloriæ exspectatione pro status sui ratione beata est, resurrectionemque corporis gaudii plena exspectat; ut tandem morte, ultimo hoste, debellatâ faustum illud cantet epinicium: *Absorpta est mors in victoria: Ubi est inferne victoria tua? ubi est mors stimulus,* &c. 1 *Cor.* XV. 54, 55. III. Præsertim in afflictionibus, quin & morte ipsa ac dirissimis cruciati-

cruciatibus pro nomine Christi sustinendis, fortes facit ac constantes, scientes *momentaneum & leve tribulationis nostræ, quod in præsenti est, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus in ipsis operari*, 2. *Cor.* IV. 17. Quod & confirmatur, *Cap.* V. 1. & nos si cum Christo moriamur, etiam cum ipso resurrecturos, 2. *Tim.* II. 11, 12. Ac potissimum si contingat, piorum ac martyrum corpora non tantum insepulta jacere, sed & cineres redigi, bestiis dilanianda objici, certi sunt, mortem, mare & infernum mortuos redditura, *Apoc.* XX. 13. virtutemque Dei omnipotentem cineres ac ossa recollecturam. Atque hac spe suffulti quocunque in casu voluntati divinæ acquiescentes Deo ut fideli creatori animas suas commendant in benefactis, 1. *Pet.* IV. 19. IV. Tandem, defunctos in Domino amicos nimium non lugere; sed dum eos Domino vivere considerant, & quiescentes à labore suo à Deo conservari in beatæ resurrectionis spem, dolori modum ponere, & ad eandem felicitatis metam contendere docet; 1 *Thess.* IV. 13, 14. *&c.*

CAPUT XII.

De Judicio ultimo, ac Consummatione seculi.

Judicium ultimum. I. Resurrectionem ex mortuis immediatè excipit ultimum Judicium, cui omnes homines sistendi sunt, ut operibus suis debitam mercedem reportent. Hujus considerabimus. 1. Veritatem ac certitudinem. 2. Constitutionem & modum. 3. Circumstantias.

Ejus veritas probatur ex Scriptura. II. Judicio huic certum à Deo destinatum esse diem jam ante conditum mundum, ex *Matth.* XXV. 34, 41. liquet; ubi & regnum piis, & ignis æternus impiis destinatus dicitur ante jacta mundi fundamenta. Illudque irrevocabile decretum Deus variis temporibus manifestavit; primò obscurius sub Veteri Testamento per Enochum, *Jud. vers.* 14, 15. & sub Lege per Prophetas, *Hos.* XIII. 14. qui citatur 1 *Cor.* XV. 55. *Dan.* XII. 1, 2. *Malach.* III. 16. IV. 1, 5, 6. Clarissimè autem sub Novo Testamento, ubi dicitur Deus *diem constituisse, in quo judicaturus est orbem in æquitate, per virum quem statuit*; *Act.* XVII. 31. & *Matth.* XXV. 31. *& seqq.* dies ille graphicè depingitur, totaque judicii ratio quasi ab oculos ponitur. Quibus adde *Matth.* XII. 36, 37. 41, 42. XIII. 41, 42, 43. 49, 50. *Matth.* XXIV. *Luc.* XII. 36, 37. *& seqq. Rom.* II. 4, 5. *& seqq.* XIV. 10. 2 *Cor.* V. 10. 2 *Thess.* I. 6, 7. *&c. Hebr.* IX. 27. 2 *Pet.* II. 4. III. 10, 11, 12. *Apoc.* XX. 12, 13, 14, 15. & alibi. Hujusque fidei professionem facimus in communi Christianorum symbolo, profitentes nos credere in Jesum Christum, qui sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, *unde venturus est ad judicandum vivos ac mortuos.*

Ex justitia & Providentia Dei. III. Secundo. Idem Justitiæ ac Providentiæ divinæ ratio comprobat. Cùm enim Deus se justitiæ amatorem, peccati verò osorem passim declaret, omnino justi ipsius regiminis ratio piis ut bene, impiis verò ut male sit, requirit. Videmus autem plerumque pios in hac vita esse calamitosissimos, impiorumque libidini expositos, impiis autem omnia fluere ex voto. Inde evidens est, diem fore alium, quo Deus unicuique secundum opera retributurus, piisque præmium, impiis autem pœnam commeritam est assignaturus. Qui vocatur dies *restitutionis omnium*, *Actor.* III. 21. quo nimirum Deus omnia loco suo restituet: hic omnia videntur confusa, piis impii permixti securè vivunt, nullumque respectu felicitatis externæ, unde de pietate aut impietate ullius, ac proinde Dei erga eum amore vel odio, certum instituì possit judicium, κριτήριον est; adolescunt simul uti tritico permixta zizania: Ultimo autem illo die Deus unicuique suum assignabit locum, & zizania à tritico discernet, *Matth.* XIII. 41, 42, 43. ostendetque discrimen inter justum & injustum, ut dicitur *Malach.* III. 18. Inde 2 *Thess.* I. 6, 7. *Justum est apud Deum afflictionem retribuere iis qui affligunt vos; vobis autem qui tribulamini requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo. Hebr* VI. 10. dicitur *Deus non injustus, ut obliviscatur operis* fidelium, *& dilectionis quam ostenderunt in nomine ipsius.* Vide & 2 *Tim.* IV. 8.

Ex testimonio conscientiæ. IV. Quibus 3. adjungimus conscientiæ testimonium, quæ sceleratos accusat, damnat, ac torquet; non metu pœnæ ab hominibus infligendæ; etenim & occultorum criminum reos agit, & in summo potentiæ humanæ fastigio collocatos territat, ergo metu pœnæ majoris à Deo infligendæ: quam cum sæpissimè in hoc seculo evadant, manifestum est conscientiam huic judicio testimonium præbere, & dum judicium hoc differtur, interim vicario in homines judicio perfungi.

Judicii constitutio. V. Judicii hujus constitutio ac modus ut intelligatur, considerandus. 1. Judex. 2. Judicandi. 3. Ratio ac forma judicii.

Judex est Deus & Jesus Christus. VI. Judex est Deus, supremus omnium Dominus; sic *Hebr.* XII 23. vocatur *judex omnium:* & *Jacob.* IV. 12. *Unus legislator & judex qui potest perdere & liberare:* Speciatim verò Dominus noster Jesus Christus, quem Pater constituit regem & judicem omnium; *Matth* XXVIII. 18. *Joan.* V. 22. 27. *Act.* X. 42. XVII. 31. Adeo ut judicii hic actus functio sit regii muneris, à Patre ipsi demandati, quo tandem officium

redemtoris consummaturus est, fidelesque suos, quibus jam salutem impetravit, in gloriam æternam tanquam ipsorum caput introducturus, 1 *Thess.* IV. 17. 1 *Cor.* XV. *&c.* impios autem ac refractarios ut justus vindex puniturus. *Luc.* XIX. 27. Unde & ad judicium illud descensurus dicitur *in gloria Patris*, *Matth.* XVI. 27.

J. Christi attributa. VII. Omnibus autem ad judicium illud requisitis instructus erit qualitatibus ac attributis. 1. Summus erit judex; utpote ab ipso Deo Patre constitutus: nemo itaque excipere poterit contra incompetentiam judicis; nemo ab ipsius sententia ad superius tribunal provocare. 2. Omniscius; cui etiam occultissimæ & secretissimæ cogitationes perspectæ sunt: sic de eo in terris adhuc versante dicitur, *Joan.* II. 25. & in cœlis exaltato, *Apoc.* II. 23. Hinc *Deus occulta hominum illo die judicaturus* dicitur *per Jesum Christum*, *Rom.* II. 16. Non itaque curiosa factorum inquisitione, aut hominum testimonio, uti terreni judices, indigebit, ipse omnium conscius. Nemo etiam decipere poterit judicem, nemo malæ causæ patronum invenire. 3. Justus; judicabit absque personarum acceptione, *Rom.* II. 11. *Coloss.* III. 25. 1 *Pet.* I. 17. Documentum illius egregium exstat, *Apoc.* VI. 15. ubi reges, potentes, servi ac liberi eodem ipsi dicuntur esse loco. Hinc & judicium hoc δικαιοκρισία vocatur, *Rom.* II. 5. Nemo ergo muneribus suis judicem corrumpere poterit, *Deuteron.* X. 17, 4. Omnipotens: ea armatus virtute, qua sibi potest omnia subjicere, *Phil.* III. 21. Nemo itaque judicio huic se opponere, aut sententiæ latæ executionem per vim impedire poterit. 5. Erit sine pœnitentia, *Hebr* XII. 16, 17. Nemo ergo lachrymis, ad pœnitentiam judicem flectere poterit, neque revisioni sententiæ ullus erit locus.

Stipatores, Angeli. VIII. Stipatores ac satellites augusti hujus Judicis erunt Angeli. Descendet in tuba ac voce Archangeli, 1 *Thess.* IV. 16. stipatus Angelis suis, *Matth.* XVI. 27 XXV. 31 2 *Thess.* I. 7. quos mittet ut judicii sui sint executores, *Matth.* XIII. 41, 49. XXIV. 31.

Personæ judicandæ. IX. Judicandos quod attinet, considerandæ hîc sunt, tam personæ judicio divino sistendæ, quàm causæ quæ in judicium venient. Personæ fient omnes omninò homines, boni pariter ac mali, vivi ac mortui, qui è monumentis suis suscitati judicio huic sistentur: 2 *Cor.* V. 10. *Act.* X. 42. *Apoc.* XX. 12, 13, 14, 15. inde *omnes* judicandi generatim dicuntur, *Rom.* XIV. 10. *omnesque gentes* coram Christo comparituræ, *Matth* XXV. 32. Hisce adjungere licet angelos malos: quatenus sententia jam olim irrevocabiliter in eos pronuntiata illo die executioni mandabitur: 2 *Pet.* II. 4. *Jud.* *vers.* 6. *Matth.* XXV. 41.

X. Causæ, quæ in judicium venient, sunt omnia hominum facta, etiam occultissima. Hinc omnes dicimur coram tribunali Christi *manifestandi*, 2 *Cor.* V. 10. I. Ergo producentur facta externa: *Rom.* II. 6. *Gal.* VI. 5. *Jud. vers.* 14, 15. II. Dicta: eaque vel impia ac dura, *Jud.* 15. vel otiosa; sive illa sint verba sine ullo fructu prolata, prout ἀργὸν solet denotare; sive, convitia temere sine ulla veri specie efficta, aliique objecta, ad odio vulgi ipsum objiciendum: *Matth.* XII. 36, 37. III Occulta hominum; *Rom* II. 16. sive ea sint facta clam nemine conscio peracta, *Matth.* VI. 4, 6. sive cogitationes in corde latentes, nullique hominum cognitæ: *Jerem.* XVII. 10. *Apoc.* II. 23. IV Quin & ipsæ omissiones punientur. *Scienti* enim *bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*, *Jacob.* IV. 17. & arbor bonorum fructuum sterilis exscinditur atque in ignem mittitur, *Matt.* III 10 servus talentum non absumens, sed defodiens, in tenebras exteriores conjicitur: *Matth* XXV. 30. & non faciens voluntatem Domini sibi cognitam, pluribus plagis vapulabit, *Luc.* XII. 47 Vide & *Jacob* II. 15, 16. 1 *Joan* III. 17. *Causæ quæ in judicium venient.*

XI. Ratio ac forma judicii tria hæc continere solet: Causæ cognitionem, sententiæ pronuntiationem, ejusdemque executionem. *Ratio et forma judicii.*

XII. Causæ cognitio necessaria non erit apud judicem omniscium; nec etiam propriè locum habere potest, ubi sententia homine moriente jam concepta est, nullusque post mortem intercessioni est locus. Attamen ut judicii hujus æquitas nobis patefcat, à consuetudine, in humanis judiciis adhiberi solita, describi solet. Inde mentio fit *apertionis librorum*, *Apoc.* XX 12. perinde atque si occulta ex libris eruenda forent; omnesque dicimur *manifestandi*, 2 *Cor.* V. 10. quia omnia facta judici erunt manifesta, non aliter ac si diligenti examine ac inquisitione in apertum producta essent. Eodem modo & *verborum* nostrorum *rationem reddituri* dicimur, *Matth.* XII 36. Non quod eorum ratio à nobis exigenda sit; sed loquendi ratione à judiciis humanis desumtà, quod ejusmodi verborum rei tam certò condemnandi sint, perinde ac si eorum rationem reddere jussi nihil quo ea excusent proferre possent. *Causæ cognitio.*

XIII. Mentio autem fit, & *alterius libri vitæ*, qui est liber salvandorum, cui omnes verè fideles inscripti sunt: his enim ex vi generalis decreti divini de salvandis fidelibus salus destinata est; cumque decretum illud in tempore ipsis applicatur, libro vitæ inscribuntur; imo ex vi decreti generalis ante secula facti, rectè ante mundi constitutionem libro illi inscripti gloriaque ipsis destinata dicitur, *Matth.* XXV. 34 *Apoc.* XIII. 8. *Liber vitæ.*

XIV.

Sententia pronunciatio. XIV. Sententiæ pronuntiatio consistet in debitâ retributionis assignatione, per quam subita fiet separatio hominum in duas partes, salvandorum nempe & damnandorum; uti legitur, *Matth* xxv. 32, 33. fietque juxta uniuscujusque opera quæ in corpore gessit, sive bona, sive mala, 2 *Cor.* v. 10. Potissimum autem *Matth.* xxv. opera charitatis in judicium adducenda recensentur. Quoniam enim omnes judicis misericordiam implorabunt, æquissimum omninò videtur, ut officiorum misericordiæ vel præstitorum vel neglectorum potissima habeatur ratio, & judicium sine misericordia pronuncietur in eos qui non fecerint misericordiam, *Jacob.* 11. 13. Interim & occultissimorum conscientia conscia judici se manifestabit, retributionemque palam recipiet, *Matth.* vi. 4, 6.

Pœna erit ex merito, præmium ex gratiâ. XV. Impiorum autem facta, & charitati & fidei adversa, sententiam condemnationis merebuntur, pœnaque ipsis destinata peccatorum merita non excedet. Justorum autem pietas nullum meriti apud Deum, nedum præmii æterni, rationem habere potest. Dicitur tamen Deus illud ex justitia ipsis attribuere; non ex juris rigore, sed cum stricti juris moderatione; quatenus vitam æternam ex gratia ipsis promissam sub conditione fidei & pietatis, ipsis, præstitâ per gratiam suam illa conditione, non quidem plenè & perfectè, sed juxta vires mensuramque fidei, gratiosè donaturus est: non respiciens ad lapsus intercurrentes, modò statim ex iis resurgant, & sincerè in pietatis stadio pergant. Opus enim obedientiæ in illo, qui se totum ministerio Dei tradidit, lapsu aliquo intercurrente non statim abrumpitur, sicut nec inobedientia impii unico virtutis actu aboletur. Deus nobiscum agit patris instar cum liberis suis, qui varios lapsus sinceræ filiorum obedientiæ condonat; interim tamen & sinceram obedientiam ab ipsis requirit: adeo ut, licet piorum opera vitam æternam neutiquam mereantur, non tamen sine respectu ad ea ulli homini ea à Deo assignanda sit; utpote quæ conditio sint, sine cujus præstatione nemini vita æterna concedenda est, *Matth.* v. 20. *Hebr.* xii. 14.

Sententia executio. XVI. Sententiæ executio consistet in præmii piis assignati liberali donatione, ac pœnæ dirissimæ impiis destinatæ inflictione, quæ sine mora fiet, sententiæque pronuntiationem, seu humani generis in duas partes destributionem, immediatè consequetur; tuncque apparebit discrimen inter justum & injustum, *Malach.* iii 18.

Circumstantiæ. XVII. Circumstantiæ sunt, modus veniendi ad judicium, locus, tempus, signa judicium antecedentia.

Modus veniendi. XVIII. Modus veniendi ad judicium erit procul dubio visibilis, perinde uti adscensio in cœlum: *Act.* i. 11. *Hic Jesus qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* 1 *Thess.* iv. 16. *Dominus in jussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.* Ita quidem ut apariturus sit in gloria sua, *Matth.* xxv. 31, & in gloria Patris sui, *Matth.* xvi. 27 omnibus coram ipso sistendis conspicuus. *ad judicium.*

XIX. Locus generatim designatur per aërem & nubes cœli: *Apoc* 1. 7. *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus.* 1 *Thess.* iv. 16. *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra.* Quod ita communiter interpretari solent, ac si Dominus Jesus in aëre seu nubibus cœli tanquam in tribunali sessurus, omnes coram se homines Archangeli voce citatos judicaturus esset: impiisque in igne infernali derelictis, pios in aëre assumtos secum devecturus in gloriam cœlestem. *Locus.*

XX. Sed quicquid hujus sit, particularem judicii locum constat esse nobis ignotum. Ridiculum est Pontificiorum commentum, qui locum illi assignant in valle Josaphat, ex *Joel* iii. 12. Quod sanè fabulæ Judaicæ, de Messia suo, ante Hierosolymorum mœnia in valle Josaphat Gog & Magog confecturo, interpolatio est. 1. Unica vallis congregandis omnibus hominibus, qui unquam in mundo vixerunt, & ex morte resuscitatis, non sufficit. 2. Nec in loco Joëlis sermo est de ultimo ac universali totius generis humani judicio, sed de particulari quodam in impios populi Judaici oppressores, Chaldæos nempe, Assyrios, aliosque vicinos populos, gentem Judaicam in afflictione ipsius magis opprimentes, exercendo: quod peragendum dicitur in valle Josaphat, ad illustrandum similem fore vindictam de inimicis populi, illi quam Deus illustrem admodum sub rege Josaphato exercuit, 2 *Chron.* xx. 16. *& seqq* 3 Addere licet, vallem Josaphat non denotare locum aliquem particularem, sed vallem judicii; adeo ut Josaphat non sit nomen proprium regis, sed vox appellativa, denotans judicium: Sensusque est: Ego deducam eos in vallem, in qua judicium in eos exercere decrevi; qualiscunque tandem ea vallis futura sit. Huicque expositioni favet versio Theodotionis, εἰς τὴν χώραν τῆς κρίσεως. *Non erit aliquis locus particularis.*

XXI. Tempus judicii nulli notum est. Deus diem judicii determinavit, *Act.* xvii. 31. sed tempus illius occultum esse voluit. *Marc.* xiii 32. *De diè autem illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Dicitur autem & ipse Filius diem hunc ignorare ante suam ascensionem; quatenus à Patre quidem destinatus Rex & Dominus omnium, nondum tamen in majestatem regiam introductus erat, nec ipsi pote- *Tempus est occultum.*

ſtas in cœlo & in terra actu erat tradita. Adeptâ autem illâ poteſtate, & evectus ad gloriam Patris, neutiquam diem illum, ne reſpectu quidem muneris ſui Mediatorii, dici poteſt ignorare, quoniam Pater illi tradidit judicium, omniaque poteſtatis ipſius eſſe voluit.

Cur id nobis occultum eſſe voluerit Deus.

XXII. Nobis autem ſicut ipſum diem certum, ita tempus adventus ipſius incertum ac occultum eſſe voluit: ut omnem excutientes ſocordiam & negligentiam, attenti ſemper diem illum exſpectemus, & dum nullam nobis horam certam polliceri poſſumus, incertæ exſpectationis curam ſuſtinentes, omni momento exſpectemus venturum, quem quando venturus ſit ignoramus, & judicis adventum omni horâ præſtolantes, ſic ſemper vivamus, quaſi poſtero diè ſtatim judicandi. Inde deſcribitur nobis ſubitus & inopinatus, inſtar furis nocturni, 2 *Pet.* III. 10. & dolorum parturientis, 1 *Theſſ.* v. 2, 3. jubemurque ſemper vigilare, ne dies ille nos imparatos opprimat: *Matth.* XXIV. 42, 43, 44. *Luc.* XXIV. 34 35, 36. Ad curam autem hanc & vigilias eliciendum, multum poteſt, ſi non tantum in diem illum intenti ſimus; ſed & quiſque noſtrum diem ſollicitè exſpectemus, quo de hoc mundo tales exituri ſumus, quales ille dies nos judici judicandos ſiſtet. Quamobrem cuivis Chriſtiano ſemper vigilandum, ne eum dies ſuus inopinatum opprimat, imparatumque inveniat; talem utique eum exhibiturus judicio, qualem de mundo emigrantem accepit.

Signa judicii inſtantis generalia.

XXIII. Interim & ſigna quædam Deus adventus ſui prænuntia eſſe voluit. Primò generalia quædam, videlicet, magnam in rebus humanis, Deique in illas administrationis mutationem: quæ prolixius deſcribuntur, *Matth.* XXIV. & *Luc.* XXI. Quæ ibi ita generatim proponuntur, non aliter ac ſi cum excidio urbis Hieroſolymæ populique Judaici univerſale totius mundi excidium conjunctum foret. Nec videntur Apoſtoli in initio aliter Domini verba accepiſſe; quia dicitur *Matth.* XXIV. 29. *Statim poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur*, &c. Sed verò alii non incommodè illorum dierum tribulationem non circumſcribunt excidio Hieroſolymæ, ſed quidquid ſeculorum poſtea elapſum eſt, & adhuc elabetur, quibus miſera Judæorum per gentes diſperſio & oppreſſio continuatur, illâ comprehenſum volunt, applicantes huc verba Domini, *Luc.* XXI. 24. *Et cadent in ore gladii; & captivi ducentur in omnes gentes, & Jeruſalem calcabitur à gentibus; donec impleantur tempora nationum.* Conſummatis itaque temporibus, à Deo gentium vocationi deſtinatis, Judæiſque denuò in gratiam receptis, de quo mox, mundi finem propinquum fore credunt.

Particularia Apoſtaſia per filium perditionis, &c.

XXIV. Præter ſigna illa generalia, alia quædam ſpecialiora Dominus Diem ſuum præcedere voluit. Primum quidem, apoſtaſiam illam illuſtrem & ſeductionem, per filium illum perditionis, 2 *Theſſ.* II. 1. *& ſeqq.* ejus ſucceſſum non contemnendum; tandemque ejus abolitionem per ſpiritum oris Domini. Manifeſtè enim *verſ.* 1, 2. Apoſtolus docet, non adventurum diem Domini, niſi prius venerit apoſtaſia.

Illuſtrior Judæorum converſio.

XXV. Alterum ſignum eſt illuſtrior quædam Judæorum converſio, prædicta *Rom.* XI. 25, 26, 27. *Nolo vos ignorare, fratres, myſterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret: ſicut ſcriptum eſt: Veniet in Sion qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob*, &c. Quæ adhuc complementum ſuum habitura videntur, Deo illuſtriore magiſque efficace ratione Judæos ad Chriſti gratiam vocante, indurationemque ipſorum cordibus auferente. Attamen quoniam beneficium hoc generalibus tantum verbis enunciatur, nihilque hic ſpeciale: Deo præſtandum promittitur, nihil hic temerè definiendum eſt: quaſi nimirum Deus Judæos in terram ſuam reducturus, reſtitutoque ipſis ſceptro ac principatu felicem ſub rege Chriſto vitam in terris largiturus eſſet. E contra, Deo hic tacente, ratio ac modus, totaque ingentis hujus beneficii adminiſtratio, ſapienti Dei directioni eſt committenda. Nihil autem extra Scripturam temerè hic comminiſcendum, quod œconomiæ divinæ ſub Novo Teſtamento cultuique illius ſpirituali adverſum eſt; ut quòd Deus Judæis in terram ſuam reductis, templum unaque totum cultum Leviticum ſit reſtauraturus; quæ nobis umbram præſente corpore, typumque præſente antitypo reducant. E contra, & fide ſincera, officiiſque charitatis fraternæ, beneficio huic divino viam quaſi præparare oportet, ut ita felix illud ſeculum brevi Judæis illuceſcat.

Incerta ſunt, quæ de regno millenario dicuntur.

XXVI. Quæ alii hîc addunt de publica ac univerſali gentium converſione, majore forte ac illuſtriore quam hactenus contigit; uti & de pace ac quiete in Eccleſia, cum omnium rerum copia ac abundantia; quibus alii martyrum reſurrectionem & millenarium cum Chriſto triumphum addunt; ea omnia non uſquequaque ſolida ſunt, neque in Scripturis diſertè affirmantur: ſed ex locis quibuſdam propheticis & allegoricis, quorum explicationes dubiæ & incertæ ſunt, eruuntur. Quare nos malumus hic ἐπέχειν. Interim laudare non poſſumus nimium quorundam zelum, tam magnificè de ſtatu hoc Eccleſiæ triumphante in terris ſentientium, non aliter ac ſi cœleſtis præmii exſpectatione neglecta ſpem Chriſtianorum in terris terminarent; cum vel potiſſimum

mum inculcandum sit, nulli felicitati terrenæ spem nostram innixam esse, cœlum solum esse spectandum; quicquid in terra divina benignitas adjicere dignabitur, in lucro esse deputandum.

Signa in cœlo. XXVII. Præter hæc & signa quædam prædicuntur in cœlo, obscuratio solis & lunæ, casus stellarum, virtutumque cœli commotio. Quæ licet cum aliis allegorice accipi posse non negemus de Ecclesiæ cœlo, ejusque astris, id est, doctoribus, cadentibus, hoc est, à fide deficientibus: attamen quin & propriè accipi possint, nullam satis justam causam videmus; præsertim cum 2 *Pet.* III. 7, 10 omnia hæc per ignem dissolvenda prædicantur; horumque luminarium nullus in futuro seculo sit futurus usus; uti colligere licet ex *Apoc.* XXI. 23.

Signum Filii hominis. XXVIII. Signum Filii hominis, quod *Matth.* XXIV. 30. in cœlo conspiciendum dicitur, non denotat, ut Pontificii volunt, crucem; sed ipsum Filium hominis; cujus visibilis è cœlo terram versus adventus signum erit instantis judicii; phrasi eâdem quâ *signum circumcisionis*, *Rom.* IV. 11. *signum Jonæ Prophetæ*, *Matth.* XII. 39. denotat circumcisionem, & Jonam Prophetam, qui signum est.

Mundi conflagratio. XXIX. In illo adjudicium Filii hominis adventu mundus conflagabit & peribit: *Cœli qui nunc sunt, & terrâ igni reservati sunt in diem judicii & perditionis impiorum hominum.* 2 *Pet.* III. 7. & *vers.* 10. *Cœli magno impetu transibunt, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa opera sunt exurentur.* Vide & *Hebr.* I. 11, 12. Idem liquet ex *Matth.* XXIV. 19. & 35. *Luc* XXI. 25, 26. ubi prædicuntur obscurationes solis, virtutumque cœli commotiones. Quæ licet aliquando figuratâ significatione in Veteri Testamento accipiantur, ad denotandum solummodò magnam rerum mutationem: hîc tamen propriè esse accipienda, & ex prioribus locis, & tota textus serie, liquere videtur.

An mundus secundum essentiam, an qualitates, sit periturus, necesse non est decidere. XXX. Quæstionem, utrum mundus secundum essentiam suam periturus sit & plenè destruendus, an verò secundum qualitates suas, & solummodò renovandus, necessarium non credimus quæ decidatur. Mirumque admodum est, doctores quosdam, cùm nullus in Scriptura locus exstet, qui mundum solummodò renovandum asserat, tanto cum fastu ac supercilio quæstionem tam incertam, nulliusque ad stabilimentum fidei aut incrementum pietatis usûs, decidere, nullumque hîc ferre posse dissensum. Dices: *Rom.* VIII, 19. dicitur *creatura exerto collo exspectare revelationem filiorum Dei.* Resp. Creatura illic non notat veterem, sed novam creaturam. Patet: quia vetus creatura, ut sunt omnia animantia, aliaque creaturæ, dici non potest revelationem filiorum Dei exspectare; exspectaret enim sui ipsius destructionem, quoniam in hac revelatione omnia hæc irrationalia erunt destructa. Sola autem nova creatura suam redemtionem exspectat: de eaque toto illo capite disserit Apostolus. Nec obstat, quod simpliciter *creatura* vocetur, non enim insuitatum est, creaturam novam nude *creaturæ* nomine appellare, *Coloss* I. 15. *Eph.* II. 10 *Jacob.* I. 18 *Apoc* III. 14. Neque quod creatura nova eadem sit cum filiis Dei, ac proinde dicatur *revelationem filiorum Dei exspectare.* Sciendum enim phrasin esse Hebræam, ac solere Hebræos antecedens non rarò loco relativi ponere: *Exod.* X. 11. *Expulit* (nempe Pharao) *eos à facie Pharaonis. Num.* X. 29. *Dixit Moses Hobab, socero Mosis.* 1 *Reg.* I. 19. VIII. 1. & in Novo Testamento 1 *Cor.* I. 8. 2 *Thess.* III. 5. 2 *Tim.* I. 18 & alibi. Præterea: cui fini mundus hic visibilis? Non enim erit domicilium beatorum, qui in cœlum summum assumentur, nec etiam impiorum, qui igne infernali torquebuntur.

Novum cœlum & nova terra. XXXI. Mundo itaque hoc visibili sive secundum essentiam suam, sive solummodò secundum qualitates destructo, exorietur *novum cœlum & nova terra, in qua justitia*, id est, justitiæ merces & corona, *habitat*, 2 *Pet.* III. 13. *Apoc.* XXI. 1. habitaculum beatorum, quos Deus congregabit, & ex universali illo impiorum excidio liberabit: *Matth* XXIV 30, 31. XXV 31, 32.

Judicii ultimi usus. XXXII. Usus hujus doctrinæ varii sunt. I Certum esse Deum providentiâ suâ res hominum curare & dirigere, licet impiis hîc bene & piis hîc male fit: quia diem constituit, in quo unicuique retribuet secundum opera, & omnia suo loco restituet, *Actor.* III. 21. II. Ut pii in fide ac exspectatione promissorum divinorum confirmentur, & in mediis adversitatibus animum erigant, nec hîc afflicti, animo frangantur; scientes bonum æternum ac immobile sibi repositum in cœlis: hîc autem non esse quærendam pietatis retributionem: *Si enim in hoc solum seculo in Christum speramus, miserrimi sumus omnium hominum*, 1 *Cor.* XV. 19. Quod demonstrant exempla Abelis, Lazari, aliorum, quin & ipsius Domini nostri Jesu Christi. At si futuram vitam respiciamus, beatissimam ipsorum sortem deprehendemus: Abelis, *Hebr.* XI. 5. Lazari, *Luc.* XVI. 21. Domini Jesu, *Hebr.* XII. 1, 2. *Phil.* II. 8, 9, 1. Inde & Dominus suos hortatur, ut ad liberationem die illo futuram adspirent, *Luc.* XXI. 21. fideles que dicuntur quasi exerto collo eam anhelare, *Rom.* VIII. 18, 19, 20, 21. illiusque intuito omnia adversa forti animo ferre, 2 *Cor.* IV. 16, 17, 18. V. 1, 2, 3. &c. Hinc & *Apoc.* XXII. 20. *Veni*

Domine

Domine Jesu, etiam veni. III. Ne impii, licet omnia hic sibi ex voto fluant, securi sint; sed scientes semel se coram Judice Christo sistendos eumque, quem hic contemserunt, venturum ad ipsos judicandum, peccatorum admissorum pœnitentiam agant, ne in manus vindicatrices Dei viventis incidant. IV. Ut ergo omnes, memores omnium factorum, dictorum, quin & cogitationum, Judici Christo rationem reddendam, salutem suam operentur in timore ac tremore, peccataque sedulò vitent. *Syrach.* VII. 40. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*: quod de morte dictum, multò potiori jure judicio extremo applicatur. Inde hujus diei intuitu Apostoli passim fideles ad pietatem & timorem Dei adhortantur: 2 *Cor.* V. 10, 11. *Act.* XVII. 30, 31. 1 *Petr.* I. 17. 2 *Petr.* III. 11, 12, 13, 14. Hisce concinit Hieronymus: *Quotiescunque illius diei recordor, omnia mea membra contremiscunt, sive edam, sive bibam, sive aliud quidvis agam, semper terribilis illa vox auribus meis insonare videtur, Surgite mortui, & sistite vos judicio.*

CAPUT XIII.

De Vita & Morte æterna.

Diversus hominum status. I. GEnere humano per judicium divinum in duas partes discreto exurget sors admodum diversa piorum ac impiorum; hinc summum bonum, illinc summum malum; quod lætâ illâ in pios, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum præparatum vobis ante constitutionem mundi*; ac horribili in impios sententiâ, *Abite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus*, *Matth.* XXV. 34, 41. explicatur.

Piorum felicitas. II. Quod felicem piorum statum attinet, solet ille communiter designari nomine *vitæ*, ac vitæ quidem *æternæ*. Quam ut distinctius tradamus, sciendum felicitatem nostram non fore unicum simplex bonum; sed statim variorum bonorum congerie perfectum, cui nihil ad solidam felicitatem deëst. Ad hanc perfectionem requiritur, 1. Ut & ipse homo, tum corpore quàm animâ, eam quæ in hominem cadere potest consequatur perfectionem. 2. Ut immunis sit ab omni malo; 3. Ut omnibus fruatur bonis, ad felicitatis perfectionem requisitis. Hæc itaque singula etiam in vita æterna considerabimus.

Corpus & anima. III. Quod ipsum hominem attinet: corpus ejus erit gloriosum, immortale, incorruptibile, 1 *Cor.* XV. 42, 43, 44 & conforme corpori glorioso Domini nostri Jesu Christi, *Phil.* III. 21. hinc 1 *Cor.* XV. 49. dicimur portaturi imaginem Adami posterioris, perinde uti prioris imaginem portavimus. Majestasque ejus tanta erit, ut & illius respectu justi in regno Patris sui fulsuri dicantur instar solis, *Matth.* XIII. 44 Ejusque adumbratio ad exiguum tempus Apostolis repræsentata eos attonitos reddidit, *Matth.* XVII. 4. *Mar.* IX. 5. Anima non erit anima vivens, ut hic, sed spiritus vivificus; 1 *Cor.* XV 45. *coll. cum* 49. Erit nempe non anima vivens, alimento indigens, ut in corpore sustentetur, perinde uti in hoc seculo, sed spiritus vivificus, qui virtute sibi insitâ corpori perpetuò vitam communicat, absque ullâ alimenti assumtione, atque ita corpus immortale conservat. *Luc.* XX. 36.

IV. Immunitas erit ab omni malo: nullum in corpore erit internum corruptionis principium: nulli hostes aut inimici, nulla hic in terris homini infesta, quicquam in eum poterunt. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt*, *Apoc* XXI 4 *Immunitas ab omni malo.*

V. Affluentia erit omnium bonorum, quæ ad solidam ac perfectam felicitatem desiderari possunt: *Apoc.* XXI. 7. *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & erit mihi filius. Rom.* VIII. 17 *Si filii sumus, etiam hæredes, hæredes Dei & cohæredes Jesu Christi.* At quomodo hæredes erunt Dei, si non omnia possideant? Bona autem, quæ homini felicitatem conferunt, ad tria potissimum reduci solent 1. Ut exoptato fruatur consortio. 2. Ut domicilium sit ex voto. 3. Ut affluentia sit omnium bonorum, ex quibus & anima & corpus glorificatum solidum percipiant gaudium. Socii erunt angeli beati, *Hebr.* XII. 22. accessistis *ad multorum millium angelorum frequentiam* Quibus adjuncti erunt sancti & fideles universi, *Matth* VIII 11. *Hebr.* XII. 2. *spiritus justorum perfectorum.* Domicilium est cœlum supremum, *Matth.* V. 3. *Joan* XIV. 2. XVII. 24. quod alibi vocatur *thronus Dei*, *Esa* LXVI. 1. & *lux inaccessibilis*, 1 *Tim.* VI. 16. Fruitio omnium bonorum erit visio Dei, summi boni, in quo omnis nostra beatitudo completur: *Matth.* V. 8. *Beati puri corde, quoniam Deum videbunt*: 1 *Joann.* III. 2. *Videbimus eum sicuti est.* *Omnium bonorum affluentia*

VI. Quæri hic solet, quid per *visionem Dei* intelligatur, & an Deus verè videri possit? Communis est Scholasticorum sententia, hic intelligi immediatam & intuitivam essentiæ divinæ, tanquam entis pulcherrimi ac summi, contemplationem, quæ mente tantum & intellectu fit, non quidem perfectè & adæquate, sed tamen clarè & immediatè sicut in se est, non per speciem aliquam impressam aut expressam, sed per actualem essentiæ ipsius præsentiam, & quidem beneficio luminis supernaturalis seu *Visio Dei non est immediata essentiæ divinæ contemplatio.*

sen gloriæ, quo confortetur & elevetur intellectus, alioquin improportionatus ad claram Dei visionem eliciendum. Sed verò; consentaneum non videtur omnem hominis felicitatem in nuda entis summè perfecti contemplatione collocare: beatitudo enim rei amatæ ac cupitæ fruitionem, non nudam contemplationem, notat. Non est ergo nec nuda boni cognitio, nec illius amor; sed boni fruitio, cui & cognitio & amor famulantur. Omnino enim beatitudo possessio boni est, inque statu suo acquiescentia. 2. Absurdum est statuere, hominem, ut felicitatis sit compos, à Deo ad statum supernaturalem esse elevandum; cùm nihil tam naturale homini sit quàm felicitas. Ut jam non addamus, felicitatem hominis non sitam esse in actu quopiam divino, sed in ipsa operatione animæ bono suo fruentis; quæ licet supernaturali virtute adjuta, è propriis tamen ac naturalibus facultatibus eam elicit, & in fruitione illa acquiescit.

Sed visio essentiæ divinæ. VII. Alii ergò malunt, visionem Dei esse claram atque perspicuam majestatis divinæ intuitionem, adeo ut gloria, quæ lucis ac splendoris instar à Deo diffunditur, manifestè conspiciatur, non aliter ac si Deus ipse videretur. Quamquam alii putant, ipsam essentiam divinam oculis nostris spiritualibus, quos nos in futuro seculo habituros credunt, videndum iri, quorum aciem Deum eò usque intensurum putant, ut essentiæ divinæ, aliàs invisibilis, videndæ capaces sint. Sed hæc posterior sententia Deum nobis aliquatenus corporeum repræsentat, licet texturæ subtilioris quàm sunt corpora nostra, ac non à parte sua invisibilem, ideoque corporeis oculis non conspiciendum, sed spiritualibus. Quod reverâ nobis Deum repræsentat visibilem, utpote essentiam habentem corporeis oculis licet invisibilem, tamen oculis corporum spiritualium conspicuam. Quare hac sententiâ rejectâ, priorem dicimus absque absurditate admitti posse. Nisi enim cum posterioribus statuere velimus ipsam essentiam divinam nobis fore conspicuam, omninò admittendum videtur splendorem quendam eximium ac divinum corpori glorioso proportionatum, Deum à se quasi diffusurum, in quo tam clare atque eximiè sese repræsentet homini, non aliter ac si essentiam suam ipsi conspiciendam præberet, homoque minimè dubitare debeat quin Deum ipsum videat.

Sed gloria, et fruitio bonorum divinorum. VIII. Sed quoniam in ejusmodi visione plena summi boni fruitio non exhauritur, videtur quid addendum, quod beatifica illa Dei visio in se comprehendat; nempe fruitionem præsentiæ divinæ, gloriosæque ejus majestatis; tum & familiarem cum Deo conversationem, quâ tanquam filii patrem nostrum coram ac continuò intuemur, & omnium illius bonorum participes sumus, cumque nobis experti simus benignum omnisque boni fontem, & de fonte suo copiosè nobis omnia largientem; qualem hîc cum sæpe non experimur, sed nos affligentem & castigantem. Idque innuere videtur, 1 *Joan.* III. 2. quando per visionem illam seu in visione illâ, *similes Deo* futuri dicimur. & 1 *Cor.* XV. 28. quòd *Deus sit futurus omnia in omnibus*. Hæc visionis divinæ ratio non consistit intra nudam cognitionem, nec amorem, sed & ipsam Dei, ut summi boni, fruitionem includit. Neque beatitudinem nostram in singulari quodam bono determinatè concludit, sed plenam & distinctam illius revelationem futuro seculo reservat; juxta 1 *Joan.* III. 2. *Nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit similes illi erimus.* Revelabit ergo Deus nobis omnem suam sapientiam, intellectumque nostrum divinæ essentiæ cognitione nunquam satiatum novâ continuò cognitione implebit; ac præsertim patris instar omnibus suis bonis ditabit, ac gloriæ suæ consortes redditurus est, *Apoc.* III. 21.

IX. Ex hisce autem exsurget sincerum, solidum ac nunquam turbandum gaudium, in quo proprie beatitudo hominis consistit. Gaudium quippe bonum illud est, quod sui solius causâ, & propter quod alia omnia homo appetit; quod ἀγαθοειδῆς nobilissima illa animæ facultas de se producit, hominique maximè est naturale: summum ergo gaudium, summa hominis est beatitudo. Illud verò summum est gaudium, quod boni summi possessione elicitur. Scriptura illud nec verbis exprimi, nec cogitatione concipi posse docet, 1 *Cor.* II. 9. qui locus licet directè huc non respiciat, quin tamen aptissimè huic materiæ applicari possit, dubitandum non est. Magnitudinem autem & excellentiam illius, infirmitati nostræ rerum maximam nobis voluptatem conciliantium similitudine aliquatenus adumbrat: aliquando assimilans conviviali lætitiæ, *Matth.* VIII. 11. aliquando nuptiali convivio, *Apoc.* XIX. 9. aliquando paradisi deliciis, *Luc.* XXIII. 43. aliquando cytharæ cantui, *Apoc.* XIV. 2, 3. Aliquando verò simpliciter *gaudium*, seu *excessus gaudii*, 1 *Petr.* IV. 13. aliquando omnium deliciarum cumulus vocatur, *Psalm.* XXXVI. 9. Perinde uti Scripturæ mos est, rerum corporalium typo res spirituales nobis repræsentare. *Ex hisce exsurget gaudium solidum.*

X. Tandem, quod omnium maximum est, hæc omnia consummabuntur æternitate nunquam finiendâ: aberit metus amissionis, fastidium satietatis; ideo meritò vocatur *visio*: sicut enim oculus aspectu, ita nec anima gaudii hujus fruitione saturabitur. *Erunt omnia æterna.*

Inde & passim vocatur *vita æterna*, *Matth.* xxv. 46. *Joan.* iii. 16. 1 *Joan.* ii. 25. *immortalitas*, 2 *Tim.* i. 10. *corona immarcescibilis*, *thesaurus nunquam deficiens*, quæque alia his similia passim obvia sunt, *Luc.* xii. 33. xvi. 9. *Matth.* vi. 20. 2 *Cor.* iv. 17, 18. v. 1. *Hebr.* x. 34. 1 *Petr.* i. 4. v. 4. *Apoc.* xxi. 4. xxii. 15.

Gloriæ gradus in futuro seculo. XI Hîc autem controversia de gloriæ gradibus moveri solet; utrum nempe in futura vita aliqua gloriæ diversitas inter beatos statuenda, an verò omnium æqualis gloria agnoscenda sit. Rejecimus antea fastuosam de operum meritis Pontificiorum opinionem, mercedemque futuri seculi ex gratia donandam adstruximus. Nihil ergo est, quod quis gloriæ supra reliquos excellentiam meritorum suorum excellentiæ debitam credat. Gratuitum est quod Deus largitur. Interim quoniam immenso præmio obedientiam exigui temporis, & in multis deficientem, decorare dignatur, ut amorem suum erga justitiam ac sanctitatem testatum faciat: omninò munifico, liberali, ac sanctitatis amantissimo numini consentaneum est, eminentiorem magisque laboriosam obedientiam præmio excellentiore condecorare.

Adstruuntur ex Scriptura Sacra. XII Idque 1. innuere videntur loca, quibus Deus unicuique *secundum opera*, & *prout in corpore gesserit*, redditurus dicitur, *Rom.* ii. 6. 2 *Cor.* v. 10. Quod non improbabiliter explicare licet, pro modo ac mensura operum quæ in corpore gessit, seu convenienter operibus; quæ convenientia proportionem aliquam includere videtur. Quid quod expressè dicatur, 2 *Cor.* ix. 6 *Qui serit parcè, parcè etiam metet; qui autem serit cum benedictione, cum benedictione & metet.* Quæ verba licet ad hujus vitæ benedictiones applicari posse non negemus; tamen & respectum ad futurum habere seculum, indubium nobis est: præsertim cum *metendi* phrasis alibi futuri seculi messem beatam designet, *Gal.* vi. 9 fidelesque non tam præsentium, quàm futurorum bonorum spe ad pietatis officia excitentur. 2 Idem colligere licet ex locis paulò specialioribus Dominus discedens servis inæqualem talentorum portionem concredidit; reversusque singulis pro navata opera mercedem inæqualem, sed cujusque operi respondentem, attribuit, uni decem, alteri quinque civitates; *Luc.* xix. 16, 17, 18, 19. Qui fundamento Jesu Christo superstruxerit lignum, fœnum, stipulas, salvus quidem erit, sed operis jacturam faciet; qui verò superædificaverit aurum, argentum, lapides pretiosos, laboris sui pretium feret: 1 *Cor.* iii. 14, 15. An huc rectè applicentur verba, 1 *Cor.* xv. 41, 42. *Alia est gloria solis, & alia lunæ, & alia gloria stellarum; stella enim stella gloriâ præstat*, inquiri solet. Sanè si totus Apostoli discursus inspiciatur, apparebit solummodo hac similitudine discrimen inter corpora naturalia ac glorificata adumbrari; nullam autem glorificatorum differentiam indicari, sed eam ex aliis locis petendam. 3. Denegari saltem hæc gloriæ prærogativa nequit eximiis Dei servis, & Ecclesiæ ducibus ac fulcris, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, martyribus, aliisque zelo ac pietate conspicuis; quibus, uti eminentioribus, major gloriæ gradus passim attribuitur; dum illi in regno Dei accubituri, alii autem cum ipsis accubituri dicuntur. Talis prærogativa attribuitur Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, *Matth.* viii. 11. Abrahamo soli, *Luc* xvi. 22. Apostolis, *Matth.* xix. 28. inde & duodecim fundamenta spiritualis Hierosolymæ vocantur, *Apoc* xxi. 14.

Occurritur objectionibus ex Scriptura. XIII In contrarium objici solet, quòd justis ex æquo solis splendor adscribatur, *Matth.* xiii. 43. quodque omnibus operariis eadem adsignetur merces, *Matth.* xx. 9, 10. Deusque dicatur futurus *omnia in omnibus*; 1 *Cor.* xv. 28. Resp. Nullus horum locorum præmii inæqualitatem evertit. Non primus; licet enim solis lux aliarum stellarum respectu sine dubio maxima sit, uti & quivis vel minimus gloriæ in vita æterna gradus summam hujus vitæ felicitatem longissimè antecellit; absolutè tamen consideratus, præsertim in hac similitudine, splendoris gradus admittit: perinde uti *Esa.* xxx. 26. Et, quod maximè notandum, hæc verba à Domino de justis generatim pronuntiantur, cum respectu ad hujus vitæ statum. Hic justi vivunt permixti impiis ac injustis, perinde uti triticum permixtum zizaniis, sine ulla, ratione præmii, manifestâ distinctione: In futuro vero seculo discrimen illud, separatione inter justos & injustos factâ, manifestum erit; impii quippe conjicientur in fornacem ignis, ubi fletus erit & stridor dentium: justi verò fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Oppositio ergo tantum hic fit inter statum justorum quem obtinuerunt in hac vita, & quem in futura vita obtinebunt. An verò omnium justorum in futura vita æqualis sit futura gloria, hîc non docetur, & extra parabolæ, quam hîc Dominus explicat, scopum est. Non secundus; non enim omnium æqualem fore mercedem docet: sed Deo jus esse etiam iis qui pauciora præstiterunt ex liberali gratia tantundem mercedis dare, atque aliis quibus prolixior incubuit labor, quibusque mercedem stipulatam confert. Ad summum, paucis quibusdam eximiis gratiam hanc specialem facit, quod inæquali præstito labore æquale cum reliquis sint reportaturi præmium. Tertius autem nullo modo quod in quæstione est concludit. Licet enim Deus omnia

mnia fit in omnibus, non tamen sequitur æquali gloriâ omnes à Deo illustrandos; sed unumquemque eâ gloriæ mensurâ, cujus est capax, replendum; ita ut, licet diversitas gloriæ futura sit, omnes tamen gloriâ replendi sint. Perinde uti idem liquor diversæ magnitudinis vasa inæquali mensurâ replet, idemque pannus diversæ staturæ homines inæquali mensurâ tegit. Et hîc Deus omnes donis suis replet, *Eph.* IV. 10. maxima tamen hîc est donorum inæqualitas: 1 *Cor* XII. 4, 5, 6.

Et quod Christi sanguis æqualiter pro omnibus sit effusus.

XIV. Quod verò dicunt, Christi sanguinem æqualiter pro omnibus effusum, omnesque ex æquo justificatos; exigui admodum roboris est. Licet enim per sanguinis Christi effusionem omnibus ex æquo aditus sit patefactus ad vitam æternam, & per sanguinis Christi applicationem fideli ac resipiscenti vita æterna conferatur; nihil illud impedit, quo minus, sicut inter sanguine Christi purgatos fide ac vitæ sanctimoniâ quidam hîc eximii sunt, ita etiam in futuro seculo in gloria emineant.

Et quod omnes erimus filii Dei, &c.

XV. Dices. In futura vita omnes erimus filii Dei, *Hebr.* XII. 23. & ex æquo Dei hæredes, *Rom.* VIII. 17. & reges, *Apoc.* 1. 6. & mysticum Christi corpus. *Resp.* Hæc epithetorum communis omnibus fidelibus etiam in hoc seculo concessio donorum inæqualitatem non tollit; nec ergo gloriæ æqualitatem inducere dici potest. Filiorum maxima aliquando est inæqualitas; hæreditatemque omnes plenissimè satiantem inæquali portione pro cujusque capacitate distribuere æquissimum est, ut nulli desit, omnesque abundent. Nec omnium regum æqualis majestas ac decor est; *Psal.* LXXXIX. 28. Et corporis mystici membra non æquali omnia decore ornantur; quod egregiè illustrat Apostolus, 1 *Cor.* XII. Ita ut nos in sententiam propendeamus, quæ inæqualibus obedientiæ gradibus inæquales præmii gradus attribuit.

An pii in statu gloriæ se mutuò agnituri sint.

XVI. Sed & aliam hominum curiositas hîc nobis difficultatem creavit: An rerum hominumque in hoc seculo memoria permansura, piique se mutuò in statu gloriæ agnituri sint? Ad quam quæstionem nos paucis respondemus 1. Piis benefactorum memoriam non perituram omnino statuendum videtur; nam & conscientia boni operis sibi conscia non exiguum exinde in gloriæ fruitione fructum consequetur, quatenus gloriam virtuti suæ præmium à divina benignate assignatam lætabitur. Quæ verò vitam hanc animalem concernunt, infra futuræ vitæ felicitatem sunt, beatorumque intellectus Dei contemplatione continuò occupatus hæc crepundiorum instar contemnet. 2. Pios se mutuò in gloriæ statu agnituros credibile est; non tamen cum subjectionis ista subordinatione, aut sanguinis ac affinitatis, quæ hujus seculi est, vinculo. Quæcumque enim carnem nostram concernunt morte deponere videmur. Exinde ex morte resurgentes quicquid nos terræ affixos detinebat deponentes, in universitatem filiorum Dei coalescemus, absque ulla unius ad alterum subjectione. Cognoscent ergo se mutuò fideles, sed depositis affectibus carnem ac perturbationem sapientibus; verùm ut filios Dei gloriæque æternæ hæredes. Quæ tamen carnalis affectus absentia obstare non videtur, quo minus eximios Dei servos ac ministros ut tales agnituri, eorumque consortio, gavisuri simus. Vide *Hebr.* XII. 22, 23. *Matth.* VIII. 11 & *Luc.* XIII 28. Si enim exclusi à convivio Abrahamum, Isaacum & Jacobum videbunt accumbentes, multò magis ad id admissi. Idem colligitur ex historia *Matth.* XVII. 3. & parabola, *Luc.* XVI. 23.

XVII. Vitæ æternæ opponitur mors æterna, damnatorum pœna, cum summo doloris sensu conjuncta. Consistit illa 1. in separatione à gloriosa ac beatifica visione Dei: ita enim dicet Judex in diē illa, *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, nunquam novi vos*, *Matth.* VII. 23. quod gravissimæ iræ divinæ, eos in conspectu suo ulterius non sustinentis, indicium erit, miseriæque ipsorum initium. Non exiguum quippe malum est, à visione Dei bonorumque cœlestium possessione arceri. Hinc & *pœnam luere* dicuntur, *æternum exitium à facie Domini*, 2 *Thess.* 1. 9. A Deo rejecti, maximè horribili ac fœdo consortio immixti pœnam luent; diabolorum quippe ac impurorum spirituum; *Matth.* XXV. 41. ut & quorumcunque impiorum ac sceleratorum; *Apoc* XXII 15. Locus supplicii erit infernus; *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 5. locus non tantum extremarum tenebrarum, *Matth.* XXV. 30. 2 *Petr* II. 4. *Judæ vers* 13. sed & ignis & tormentorum; *flagrum ignis ardentis sulphure*, *Apoc* XIX 20. XX. 10. XXI 8. & *gehenna*, *Matth.* V. 22. à valle Hinnon, in qua Judæi infantes Molocho consecratos vivos comburebant. Et *caminus ardens*, *Matth.* XIII. 42

Impiorum pœna.

Ignis inferni qualis sit futurus.

XVIII. Quæri hîc solet, an ignis ille elementaris ac materialis sit futurus? Quamquam credam non impiè illos sentire, qui igne hoc non verum ac materialem ignem denotari, sed per similitudinem gravissimos animi corporisque dolores, quales igne cruciatorum sunt, adumbrari credunt; nullam tamen rationem video, cùm Scriptura ubique exertè ignis mentionem facit, cur à verborum proprietate recedamus; præsertim cùm & corpus humanum é morte productum materiali igne torqueri possit, omniaque in fine seculorum per ignem dis-

solvenda doceantur. In hunc itaque locum impii conjicientur, ut animâ simul ac corpore torqueantur, *Matth.* x. 28. unde & vocatur *mors secunda, Apoc.* XXI. 8. Hæcque pœna ipsis infliget acerbissimum & acutissimum dolorem, adeo ut dicatur futurus *fletus & stridor dentium, Matth.* XXII. 13. *tribulatio & angustia, Rom.* II. 9.

Pœna erit æterna. XIX. Quodque gravissimum est, pœna hæc dicitur æterna: unde *ignis* vocatur *inexstinctus, Matth.* III. 12. *æternus, Cap.* XXV 41. & *supplicium æternum, vers.* 46. & *ignis inexstinctus ubi vermis non moritur, Marc.* IX. 45, 46. *æternum exitium,* 2 *Thess.* I. 9. *cruciatus in omnem æternitatem, Apoc.* XX. 10.

Aliqui pœnæ æternitatem non agnoscunt. XX. De hac pœnarum æternitate à quibusdam controversia movetur. Putant enim nec justitiæ divinæ conveniens peccatum finitum pœnâ vindicare infinitâ, & igne, qui licet hominem absumat in omnem æternitatem, nunquam tamen consumturus est: nec ex allegatis Scripturæ textibus liquere, ignem illum nunquam desiturum; sed vocari *inexstinctum*, quoniam durante materiâ combustibili non exstinguetur, neque desinet, nisi omnibus impiis consumtis: eodem sensu quo Sodoma & Gomorrha *æterno igne* exstincta dicuntur, *Jud. vers.* 7. Alias videri posset, ut pœnâ hac impii puniantur, perpetuo opus esse miraculo. Non enim fieri potest, ut ignis, (qui non aliter intensissimum in nobis excitat dolorem, nisi quia vehementissimâ particularum ex quibus constat agitatione, corpora nostra dissolvit & divellit) æternum possit corpora damnatorum torquere, nisi continuò quæ per ipsum dissoluta sunt restituantur, atque ita Deus impios, ut eos æternùm puniat, in omnem æternitatem continuò reproducat: Aut dicendum foret, aliam fore rationem corporum, ac doloris percipiendi; ignemque cruciaturum, licet corporis compagem non dissolvat. Quod utrumque difficultate non caret. Volunt itaque igne illo, quo in fine seculorum mundus hic visibilis conflagrabit, etiam impios illo diè superstites (mortuos enim ad supplicium non resurrecturos credunt, uti vidimus) consumendos & in nihilum redigendos; quoniam 2 *Petr.* III. 10, 11. terra cum operibus suis consumenda dicitur, inter quæ præcipuus est homo.

Ii refutantur. XXI. Sed ut à posteriore parte responsionis nostræ initium faciamus, manifestum est in illo Petri loco non homines, sed adspectabilia & inanimata mundi opera intelligi, cœlos nempe visibiles, elementa, & quæ his similia. Alioquin, si hæc argumentatio procederet, sequeretur etiam pios, utpote præstantissima Dei in terra opera, igne hoc consumendos. Licet autem negare nolimus, *ignem æternum* aliquando dici posse, qui non nisi totâ ad quam destinatus est materiâ consumtâ exstinguitur; non tamen expositio illa huic negotio commode applicari potest; quia expresse *supplicium* vocatur *æternum, Matth.* XXV. 46. oppositè ad piorum *vitam æternam*, quæ sicut limitem non agnoscit, ita & eundem supplicium excludere videtur.

XXII. Quanquam & quidam Doctores non gravatè concedunt, ignem hunc *æternum* dici, quia intensissimè uret, & intensissimum dolorem inferet, nec exstinguetur donec consumtus sit; sed addunt, igne illo exstincto impios superstites fore ad pœnam, scelerisque conscientiam æternum ipsis fore tortorem cum æterna desperatione. *Aliorum explicatio æternitatis pœnæ.* Et sanè, si hac ratione pœnam hanc consideremus, apparebit gravissimam esse, & nulla, vel minima injustitiæ species, in ea quæri potest. Gravissimum quippe est ac maximè horrendum, post toleratos ignis infernalis intensissimos dolores, conscientiæ stimulis torqueri in omnem æternitatem, & sibi conscium esse, justè se ob propria ac per gratiam divinam sibi evitabilia peccata, à gloria cœlesti, cujus particeps esse poterat, excludi, & à beata Dei visione arceri. Qui dolor eò gravius affliget damnatos, quòd remorsus ac stimuli conscientiæ perpetuò sine ullâ intermissione ipsos cruciabunt, nec per ulla objecta, quibus in hoc seculo impii sæpe conscientiæ angores ad tempus si non exstinguunt, saltem retundunt, poterunt leniri, sed perpetuò peccata ac meritam à facie Dei separationem ipsis repræsentabunt. Et qui in æterna ignis ustione aliquam credunt esse injustitiæ speciem, in hac nullam planè agnoscere possunt. Quæ enim aut injustitia, aut nimius rigor concipi potest, quòd Deus animam, creatam immortalem, in suâ immortalitate conservat; eaque anima, sibi suorum scelerum ac meritorum conscia, perpetuò diris cogitationibus seipsam torqueat, & considerans, quantâ se felicitate excluserit, & in quàm horrendum miseriarum barathrum se præcipitaverit, intensissimum ac nunquam finiendum in se excitet angorem?

XXIII. Hæc licet speciosè admodum ita deducantur, tamen illud certo definire velle periculosum admodum est. *Præstat hic cum Scriptura loqui.* Præstat, meo judicio, simpliciter Scripturæ verbis inhærere, pœnamque hanc horrendam agnoscere, prout à Deo ipso explicatur, neque ignem hunc accuratè nimis fodicare, sed totam pœnæ hujus directionem sapientissimo ac justissimo simul & æquissimo Dei judicio relinquere. Illud statuendum, peccati gravitatem valde exinde augeri, quòd homo æternum sibi propositum præmium spreverit: Deum autem pœnam gravitate peccatum excedentem nemini inflicturum: sed pro infinita sua sapientia unicuique peccato debitam pœnam destinaturum, & pro justitia ac

æquitate sua vel temperaturum, vel aggravaturum, ut ita digna sceleribus suis quisque reportet. Ne sollicitè ignis hujus inquiramus naturam; sed potius per bonorum operum studium eum evadere nitamur, scientes Deum nostrum esse *ignem consumentem*, & *horribile esse incidere in manus Dei viventis:* *Hebr.* XII. 29. X. 31. neminemque ad ignem illum, nisi ob propriam sibique evitabilem culpam, destinandum.

Inæqualitas graduum in pæna. XXIV. Hic autem quæritur, an & pro impietatis inæqualitate, diversi pœnarum gradus in inferno futuri sint? Nobis affirmativa placet; non tantum ob rationem supra pro præmii inæqualitate allatam, quòd Deus uniquique sit retributurus secundum opera, & prout in corpore gessit, sive bonum sive malum, quod proportionem aliquam inter peccata & pœnam indicare videtur; sed & quia disertè dicitur, *Matth.* XI. 21, 22, 23. *Tyro & Sidoni tolerabilius fore in die judicii*, quàm Galilææ civitatibus Christum respuentibus. Quod licet de judicio divino in hoc seculo exercendo accipi posse, non negemus, quo civitatibus his exitium inferetur miserandum adeo, ut Tyri ac Sidonis exitium ad illud comparatum multò tolerabilius fuisse dici debeat; tamen maximè futurum judicium respici non debere nulla est ratio quæ jubeat; præsertim cùm locutio sit futuri temporis, *Erit Tyro & Sidoni tolerabilius*, quod ad judicium jam præteritum referre durius est. Adde locum expressum, *Luc.* XII. 47. *Servus qui cognoverit voluntatem Domini sui, neque se præparaverit ut faceret secundum eam, pluribus plagis vapulabit: Qui verò non cognovit voluntatem Domini sui, & fecerit digna plagis, paucioribus plagis vapulabit.*

XXV. Quomodo autem hæc pœnarum inæqualitas ab absolutæ Prædestinationis patronis, convenienter ipsorum principiis, statui possit, equidem non video. Volunt quippe quodcunque, etiam levissimum peccatum, mereri pœnam & intensione & extensione infinitam. Beza eò usque exorbitat in Notis ad *Joan.* V. 16. ut dicat, *minimam minimi peccati cogitationem millies mereri mortem æternam.* Statuunt porro, in Deo esse justitiam vindicativam essentialem, quæ omnium peccatorum exigat pœnam absque ulla remissione aut relaxatione, omnesque homines peccatorum condignas pœnas luere debere, nisi pro illis à Christo sponsore sit satisfactum: Atqui pro nullis reproborum peccatis Christus satisfecit. Non itaque video, quoniam minimum peccatum perinde atque gravissimum pœnam mereatur intensione & extensione infinitam, quâ pœnâ gravior nulla dari potest, quomodò hisce principiis consentaneè diversi pœnarum gradus in futuro seculo statui possint. *Quinam id statuere non possunt.*

XXVI. Sed verò, missâ hac aliorum opinione, tota hæc puniendi ratio sapientiæ, justitiæ ac æquitati divinæ committenda est, qui sicut omnium peccatorum merita perspecta habet, ita & singulis pro meritorum ratione justam adsignabit pœnam.



THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ LIBER SEPTIMUS, DE ECCLESIA JESU CHRISTI.

CAPUT I.

De Ecclesia Jesu Christi in genere.

I. Actenus in Fœderis divini tractatione fideles singulos & seorsim consideravimus, quidque cujusvis officii sit, ut beneficiorum divinorum particeps evadat. Restat nunc, ut fideles consideremus quatenus in unum mysticum corpus sub Christo capite suo collecti sunt: quidque tum universorum in corpus illud mysticum collectorum, tum singulorum cum respectu ad corpus illud, officium sit, explicemus.

Distributio tractatus de Ecclesia. II. Corpus illud mysticum in Scriptura Sacra vocari solet Ecclesia. Tractatus de Ecclesia duobus generalibus capitibus comprehenditur. Prius concernit Ecclesiam, quatenus ut corpus mysticum collectivè sumtum consideratur. Alterum, quatenus cives seu membra qui Ecclesiam constituunt singuli considerantur. Prius caput in duo rursus membra dispescitur: Primò enim dicendum est de Ministerio verbi, per quod Ecclesia colligitur, & collecta porrò propagatur ac conservatur: Deinde de ipsa Ecclesia, ejusque variis divisionibus ac attributis. In Ministerio considerandi sunt ipsi Ministri; deinde Regimen quod in Ecclesia obtinere debet. Singula hæc paucis explicabimus, præmissa primò generali de Ecclesia Jesu Christi dissertatione.

Variæ significationes Ecclesiæ. III. *Ecclesia* itaque, ut à nomine ordiar, dicta est ab ἐκκαλεῖν: propriè significat cœtum à præcone evocatum: cui respondet Latina vox concio, à concieo, id est, convoco. Aliquando significat temerè collectam turbam, *Actor.* XIX. 32.. cui *vers.* 39. opponitur ἔννομος ἐκκλησία. aliquando etiam conventum improborum: *Psal.* XXVI. 5. In Novo Testamento ordinariè usurpatur de cœtibus Christianorum, quos Deus è mundo ad salutaris suæ gratiæ participationem per Euangelii prædicationem evocavit, quique vocationi divinæ per sinceram in Christum fidem respondent. Ad distinctionem à Judæorum conventibus, qui Synagogæ vulgò dicuntur; ne fideles, audito Synagogæ nomine, ad Judæorum synagogam, ita jam olim appellatam, convenirent.

IV. In Veteri Testamento voces *Ecclesiæ* & *Synagogæ* significant cœtum populi certo in loco congregatum: in Novo Testamento verò non tantum cœtus Christianorum certo in loco congregatos; sed etiam societatem aut communionem spiritus, quo fideles in Christo in unum corpus spirituale sunt uniti, sine ullo ad externam corporum congregationem aut locum respectu; ut *Matth.* XVI. 18. *Eph.* V 25. Rursus: Ecclesia significat vel populum & pastores simul, ut in locis citatis; vel populum solum, opposité ad pastores: ut *Act.* XX. 28. *Attendite vobis, & univer o gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei,* &c. 1 *Tim.* III. 5. & *vers.* 15. *Ut scias quomodo oporteat te versari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi,* &c. Loquitur enim illic Apostolus de Ecclesia, in qua Timotheus tanquam doctor versari debebat.

V. Quæritur; an Ecclesia aliquando designet pastores solos separatim à populo? Vulgò affirmativa defenditur, ex *Matth.* XVIII. 17. *Dic Ecclesiæ.* Sed nihil impedit, imo multa suadent, per *Ecclesiam* intelligere integram Ecclesiam, seu populum unà cum doctoribus. Antiquitus enim observatum est, ut, qui deliquerat, ad totam Ecclesiam deferretur, 2 *Corinth.* II 6. I *Tim.* V. 20. Imo intelligi potest cœtus plurium, opposituu duobus aut tribus, ad quos delinquens primò deferri jubetur, licet cœtus ille presbyterio sit destitutus; modò eo constet numero, ut aliqua illius ad delinquentem ad officium reducendum auctoritas esse queat: quales multæ sunt Ecclesiæ tempore persecutionis. Valdè etiam impropriè, qui duos aut plures ad fratrem emendandum adhibuit, remittetur ad synedrium, quod aliquando numerum illum non excedit. Sed de hoc loco alias. *An designet pastores tantum.*

VI Quod rem ipsam attinet: *Ecclesia Jesu Christi*... *Ecclesia Jesu* ...

Ecclesia cœtus & societas.

Jesu Christi est cœtus sive societas hominum per verbum Euangelii ad fidem in Jesum Christum & vitæ sanctitatem verborum, & vocationi divinæ obtemperantium, sub spe æternæ felicitatis post mortem in cœlis obtinendæ. Est *cœtus*: quia nunquam de uno homine dicitur quòd sit Ecclesia, sed semper de pluribus: sic 1 *Cor.* x. 17. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Non autem præcisè requiritur magnus fidelium numerus ad Ecclesiam constituendum, siquidem vel minimus sufficere potest; videl. duo vel tres, ut *Matth.* XVIII. 20. Sic *Rom.* XVI. 5. mentio fit Ecclesiæ quæ sit in domo Priscillæ & Aquilæ; & *Philem. vers.* 2. Ecclesiæ in domo Philemonis. Est etiam *Societas*: nam & extra cœtum sunt Ecclesia, modò membra spirituali vinculo fidei & charitatis sint unita: & licet in cœtum congregentur, nullaque inter ipsos sit societas, Ecclesia neutiquam erunt, sed multitudo nullo vinculo connexa.

Hominum, non Angelorum.

VII. Addo, quòd sit societas *hominum*; contra quosdam Theologos, qui contendunt Angelos cum hominibus unum Ecclesiæ Jesu Christi corpus constituere. Sed vero illi solidè vel unico hoc argumento confutari possunt, quòd Christus Ecclesiam suam acquisivit proprio sanguine, *Act.* XX. 28. *Eph.* V. 25, 26, 27. eamque ædificavit super fundamento Apostolorum & Prophetarum, *Matth.* XVI. 18 *Eph.* II. 20. Hoc autem nullo modo in Angelos quadrat. Non in Angelos lucis & gloriæ, qui in veritate perstiterunt, quia illi non indigent expiatione per Jesum Christum; nec in apostatas, quia illos Christus non redemit, *Hebr.* II. 16. *Judæ vers.* 6.

Sensus Phil. II. 10.

VIII. In contrarium objiciunt: Christum etiam Angelos proprio sanguine acquisivisse, quia imperium in illos adeptus est, *Phil.* II. 10. Resp. Omnes circumstantiæ docent, quando agitur de acquisitione per sanguinem Christi, solos intelligi homines; ut *Tit.* II. 14 *Gal.* I. 4. & alibi. Licet verò & in Angelos imperium sit adeptus, exinde infertur quidem, Angelos ejus esse subditos; neutiquam verò, Ecclesiæ illius, quam sanguine suo acquisivit, membra. Acquisivit enim Ecclesiam sanguine suo; quia virtute sanguinis sui eam è morte & maledictione redemit, atque ita pretio sui sanguinis eam sibi acquisivit in peculium: quod neutiquam de Angelis dici potest.

Et Eph. I. 21. Coloss. I. 16. &c.

IX Secundò ajunt; Christus est Angelorum caput: *Eph.* I 21. 22 *Coloss.* I. 16. *&c.* Resp. Loca inspicienti patebit, Christum dici tantum caput respectu corporis sui, quod est Ecclesia. Dices. Attamen dicitur Deus *omnia* ἀνακεφαλαιοῦν *in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt*, εἰς αὐτὸν. Resp. 1. Dicitur omnia reducere seu reconciliare εἰς αὐτὸν, id est, non secum, Angeli enim ejus inimici non fuerunt; sed sub suo imperio: cùm enim antea inimicitiæ essent inter Angelos & homines peccatores, adeo ut Angeli stricto gladio hominem è paradiso & ab arbore vitæ arcerent, *Genes.* III. 24. nunc inimicitia illa est sublata, & Angeli sunt ministratorii spiritus, missi ad salutem fidelium, *Hebr.* I. 14. 2. Non negamus ἀνακεφαλαιοῦν significare, sub unum caput reducere, ac propterea exinde etiam rectè inferri, Christum Angelorum esse caput: nihil tamen aliud inde inferetur, quàm, Angelos unà cum fidelibus eidem Domino Jesu Christo, tanquam subditos, esse subjectos: hinc & fidelium conservi dicuntur, *Apoc.* XIX. 10. non autem, ejusdem Ecclesiæ cum fidelibus esse membra. Alio siquidem respectu Angelorum, alio Ecclesiæ suæ caput vocatur. Angelorum caput est, quatenus eorum Dominus & Rex: Ecclesiæ, quatenus illa est ipsius corpus, ac peculium quod sanguine suo emit. Possunt duo regna antea inimica sub uno principe reconciliari, licet non in unum regnum coalescant. Ita & homines cum Angelis sub eodem rege Jesu Christo possunt reconciliari, licet non coalescant in unam Ecclesiam.

Vocatorum per verbum Euangelii.

X. Addidi, *vocatorum per verbum Euangelii*: Ut ostendam, non omnes promiscuè homines Ecclesiam constituere; sed vocatos per Euangelium, & vocationi divinæ parentes, per fidem in Jesum Christum & bonorum operum à Christo præceptorum præstationem.

Propriè loquendo ad eam non pertinent fideles V. Test.

XI Unde colligere licet, pios, qui ante Christi adventum vixerunt, ad ipsius Ecclesiam, propriè loquendo, non pertinere. *Olim* enim *Deus variis modis & per varias partes locutus est patribus per prophetas: nunc autem ultimis hisce temporibus nobis locutus est per Filium*; *Hebr.* I. 1. Unde & lex vocatur *sermo per Angelos dictus*; *gratia per Dominum annunciata*: *Hebr.* II. 3 Promisit quidem Deus per Prophetas Filium suum, *Rom.* I. 2. ideoque & suspensis animis adventum ejus exspectabant Interim integrum Euangelium, prout complectitur plenam muneris mediatorii administrationem, mysterium erat tunc absconditum: *Rom.* XVI. 25, 26. 1 *Pet.* I. 11, 12. Propriè ergo non Christi Mediatoris, sed Dei Ecclesia dicendi sunt, prout communiter in Scriptura vocantur.

Explicatio Psal. CX. 1.

XII. Dices. David tamen Christum vocat *Dominum suum*, *Psal.* CX. 1. Christo ipso id ita exponente, *Matth.* XXII. 41. & *seqq.* Eadem autem quæ Davidis etiam est reliquorum ratio. Non respondebimus jam, Deum multa, quæ Messiæ statum concernunt, revelasse Prophetis, quæ omni populo revelata non fuerunt: sed dicimus, Davidem

Davidem Christum non vocare Dominum suum, eò quòd Ecclesiæ Christi, propriè acceptæ, membrum sit: sed quia Christi imperio subjectus est, & non nisi per Christum æternæ salutis hæres est futurus. David enim, & reliqui Veteris Testamenti fideles, à morte æterna, cui ob peccata obnoxii fuerunt, solâ Sacerdotii Jesu Christi virtute liberabuntur, & à Christo ex morte in vitam suscitabuntur, & immortalitate beatâ donabuntur. Ut verò quis ad Ecclesiam Christi directè & propriè pertineat, requiritur etiam, ut per fidem Christo, jam clarè & plenè annuntiato, adhæreat. Fidem autem antiquorum, quâ crediderunt in Christum venturum, adeo explicitam non fuisse, ut ullo modo cum fide, quæ nunc exigitur ut quis Ecclesiæ Christi membrum sit, in comparationem venire mereatur, notissimum est: fuit enim variorum typorum umbris ita obvoluta, ut corpus ipsum distinctè apprehendere non potuerit.

Disceptatio non magni momenti. XIII Anxiè autem hîc disceptare, utrum fides hæc specie distincta fuerit ab ea quæ nunc exigitur, ac proinde, utrum Ecclesia Veteris Testamenti eadem specie fuerit cum Ecclesia Novi Testamenti, inutile plane existimamus. Nihil enim quæstionis hujus decisio ad fidei nostræ confirmationem ac promotionem pietatis confert. Si qui sint, qui ob eandem vitæ æternæ communionem, & ob fidem in Jesum Christum venturum, quam valdè explicitam faciunt, illam eandem cum Ecclesia Novi Testamenti faciunt, fruantur illi judicio suo, modo alios, id secum pari cum confidentia non asserentes, non condemnent.

CAPUT II.

De Ministerio Verbi, ac primò de Ministris Novi Testamenti extraordinariis.

Ministri sunt vel extraordinarii, vel ordinarii. I. DUplex est medium quod Deus adhiberi voluit, ut nobis voluntas ipsius innotesceret, lectio verbi divini, & assidua ejus prædicatio. Hæc duo sunt media ordinaria, quæ continuò in Ecclesia obtinere debent. Verùm antequam Ecclesia collecta, & verbum hoc scripto consignatum fuit, voluit Deus voluntatem suam per certos quosdam ad id delegatos homines annuntiari, & ut fideliter ea inter homines conservaretur, etiam scripto consignari. Respectu itaque duplicis hujus status, colligendæ & jam collectæ Ecclesiæ, distinguenda etiam sunt munera personarum, quarum ministerio Deus ad Ecclesiæ suæ institutionem uti voluit. Alii enim ministri fuere extraordinarii, alii ordinarii.

Extraor- II. Extraordinarii fuerunt, quos Dominus Jesus ad Ecclesiæ suæ fundamenta jacienda adhibuit, & quorum munus illis jactis cessare debuit. *dinarii quales.* Ut autem munere hoc longè præstantissimo ac difficillimo ritè fungerentur, necessaria fuit divina missio, cum infallibili instructione & irrefragabili auctoritate conjuncta. Prædicanda enim erat doctrina antea incognita, præcepta quædam continens, quæ ex naturali rationis lumine deduci non poterant, sed quæ à mero Dei beneplacito dependebant; quorum itaque cognitio nulla nisi per divinam revelationem haberi poterat; fides scilicet in Christum crucifixum, &c. Præterea promissa ejusmodi bonorum, quæ nemo nisi ex gratuitæ Dei concessione adipisci potest, remissionis scil. peccatorum, & vitæ æternæ post resuscitationem ex morte in cœlo obtinendæ: proinde in qua abscondita erat sapientia, quæ omnem humanum excedit intellectum, uti dicitur 1 *Cor.* 11. 9. quæque proinde à Deo revelari debebat, ut ibid. dicitur. Obligandi erant homines in universum omnes, sub pœna condemnationis, ad doctrinæ isti parendum. Ergo illius præcones auctoritate debebant esse instructi homines obligandi; præterea instructione infallibili ornati: quia ab ipsorum ore totius mundi salus dependere debebat, & ab ipsis omnes accipere legem vitæ ac mortis. Quia autem prædicaturi erant doctrinam, quæ Judæis futura erat scandalum, & gentibus stultitia, Euangelium nim: crucis, 1 *Cor.* 1. 23. hinc & dono miracula faciendi instructi esse debuerunt, ut illis, tanquam signo irrefragabili se à Deo missos probarent. Sine hac instructione & missione munus suum inchoare non potuissent, nedum perficere, juxta *Rom.* x. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi missi sint?* Quorum verborum sensus non est, uti communiter creditur, quomodo habebunt jus prædicandi; sed, quomodo prædicare poterunt, nisi missi sint? non ab hominibus, sed à Deo, ac proinde donis ad munus adeo arduum exsequendum requisitis sufficienter instructi. Quem sensum totus contextus evincit. Sed de loci ejus sensu aliàs dicemus.

III. Extraordinarii hi ministri quinam fuerint, docet Apostolus, *Eph.* IV. 11. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores,* &c. Ubi in confesso est, tres priores, Apostolos, Prophetas & Euangelistas, esse extraordinarios: Pastores verò & Doctores vulgò creduntur esse ordinarii. Nos autem eos extraordinarios fuisse, cùm ad ipsorum munerum explicationem perveniremus, ostendemus. *Eorum [illegible]*

IV. Præcipui omnium fuere Apostoli. *Apostoli.* *Apostolus* propriè significat legatum. Communiter

muniter in Novo Testamento hoc nomine vocantur illi duodecim, qui in Domini Jesu comitatu assiduè vixerunt, quos Dominus resurrectionis suæ testes esse voluit, & ad prædicandum Euangelium per totum terrarum orbem misit. Quorum collegio postea adjunctus est Paulus, à Christo jam in cœlis gloriosè regnante speciatim ad id munus vocatus, *Actor.* IX. hinc & ipse passim in initiis epistolarum scribit, *Paulus vocatus Apostolus.* Multæ eorum fuere prærogativæ supra omnes quorum opera Deus usus est ministros, sive sub Vetere sive sub Novo Testamento.

Eorum prærogativa prima. V. Prima prærogativa est: Quòd immediatè à Christo electi & missi sint; qui ipsos non per somnia aut visiones, sed vivâ voce instituit, *Joan.* XX. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et ipsam missionem habemus, *Matth.* XXVIII. 18, 19. *Marc.* XVI. 15, 16. Quod nulli sub Veteri Testamento contigit. Prophetæ missi quidem sunt à Deo, sed non immediatè, verùm per Angelos, Christo longè inferiores, *Hebr.* I. 4, 5. *& seqq.* neque Angeli ore ad os locuti sunt Prophetis, nisi aliquando, cùm formâ humanâ ipsis apparebant; sed tantum in visionibus aut somniis. Nec etiam ipse Moses immediatè ore ad os cum Deo locutus est, sed cum Angelo tantum; prout clarè liquet, *Hebr.* II. 2, 3. & nos antea plenius ostendimus. Nec etiam sub Novo Testamento ulli præter Apostolos commune fuit. Reliqui per Apostolorum institutionem doctrinam Jesu Christi addiscere debebant. Verum est, etiam septuaginta discipulos plerumque in Domini comitatu fuisse, & ex ejus ore doctrinas hausisse: sed vero omnia ipsis non revelavit Dominus, sed Apostolis multa seorsim indicavit, ut *Matth.* XIII. & alibi.

Secunda. VI Secunda: Quòd primi post Jesum Christum fuerint Euangelii præcones, quæ perfectissima est omnium doctrinarum, quæ Dei nomine hominibus fuere prædicatæ, & in quâ voluntas Dei plenissimè est revelata. Lex Mosaica omnes Dei præcedentes revelationes antecellit: hæc verò legem longè superat; adeo quidem ut ipsa sit *corpus*, *Coloss.* II. 17. Lex vero ipsius respectu tantum *umbra*, *Hebr.* X. 1. quemadmodum id antea fusius ostendimus. Perfectissimæ autem hujus voluntatis divinæ primum esse præconem maxima est prærogativa. Fuere enim illi fundatores Ecclesiæ, contra quam inferorum portæ non prævalent, *Matth.* XVI. 18. & omnes, eos secuti, super ipsorum fundamento ædificarunt. Hæc est illa *potestas clavium* ipsis data, *Matth.* XVI. 19. & potestas *remittendi & retinendi peccata*, *Joan.* XX. 23 hoc est, potestas Euangelium, quod modum peccatorum remissionem & vitam æternam consequendi docebat, prædicandi cum auctoritate irrefragabili, atque ita cœlum hominibus aperiendi ac claudendi.

VII. Tertia est: Quòd omnes, qui ante & post se fuerunt, legatos Dei, copiâ donorum Spiritus Sancti superarint. Moses & Prophetæ Spiritu Dei afflati locuti sunt, 2 *Pet.* I. 21. & illius virtute varia ediderunt prodigia: Multi etiam in Ecclesia Christiani temporibus Apostolorum, & aliquanto post, Spiritus Sancti donis claruerunt: Nemo autem Apostolis fuit comparandus In Apostolos quippe Spiritus Sanctus die Pentecostes est illapsus, cujus virtute variis locuti sunt linguis, & miranda prædicarunt opera Dei, prout Spiritus ipsis dabat eloqui, *Actor.* II. I. *& seqq* omniaque fecere miracula; *Joan.* XIV. 12. & exempla eorum vide, *Actor.* V. 15. XIX 12. Impositione manuum suarum Apostoli Spiritum Sanctum aliis communicarunt: quod nullis præter Apostolos concessum. Non Mosi, de cujus spiritu Deus quidem sumsit, & aliis tradidit, *Num.* XI. 17. ipse autem aliis illum non communicavit: non Eliæ, qui Elisæo Spiritus sui participationem non promisit, nisi sub certa conditione, 2 *Reg.* II. 9. non aliis sub Novo Testamento, *Actor.* XIX. 2, 3, 4. Ne quidem Philippo, quanquam diacono & Euangelistæ, & aliis jam miraculis claro, *Actor.* VIII. 5, 6, 7. Ideo missi sunt Petrus & Joannes Samariam, qui fidelibus manuum suarum impositione Spiritum Sanctum impertirent. Hæc itaque Apostolorum fuit prærogativa, quod ipsi immediatè à Domino Jesu Spiritum Sanctum acceperint, ac primi: reliquis autem donum Spiritus per Apostolorum manus obtigerit. Huc referri potest, quòd *Rom.* VIII. 23. dicuntur *primitias*, id est prima, ac proinde præstantissima dona *Spiritus Sancti accepisse.*

VIII. Quarta est: Quòd à Spiritu Sancto deducti sint in omnem veritatem, *Joan.* XVI. 13. & XIV. 16, 26. Adeo ut ipsorum prædicationi & scriptis eandem quam Domino Jesu Christo fidem adhibere absque ullo erroris periculo possimus, imo debeamus. Si enim antea ipsos à se dimittens, dixerit, *qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit*, *Luc.* X. 16. multò majore jure id post acceptum Spiritum Sanctum de ipsis dici potuit. Dices. Multa tamen ignorarunt, etiam post acceptum Spiritum Sanctum ad sc. gentes ad Euangelii participationem vocandas, etiam sine rituum Mosaicorum observatione. Quare & Petrus visione cœlesti moneri debuit, gentibus etiam Euangelium annuntiandum, & se coram Ecclesia Hierosolymitana purgare, quod ad viros præputium habentes ingressus esset, *Actor.* X. & XI. Resp. Sensus promissi *Joan.* XVI. 13. non est, quòd

Tertia. *Quarta.*

simul & semel omnia ipsis à Spiritu Sancto essent revelanda, sed omnia quæ ad muneris sui functionem quocunque tempore necessaria erant. Antequam Dominus Apostolos ad gentes mittere voluit, necessarium non erat, ut scirent quid Deus de gentibus decrevisset: nunc verò occasio urgebat, ut decreti hujus divini revelatio ipsis fieret. Dices. Petrus tamen erravit, & à Paulo reprehensus est, *Gal.* II. II. *& seqq.* Resp. Non fuit iste error in doctrina, sed lapsus in moribus; in quibus & Apostolos labi potuisse, liquet ex *Act.* XV. 39. non enim Spiritus eos ita cohibebat, ut planè in peccatum aliquod incidere impossibile ipsis fuerit: sed dirigebat mentes & linguas ipsorum, ita ut in annuntiando verbo salutis falli non possent. Et quod fallere noluerint, evidentissimè ex gravissimis quas propter doctrinæ Euangelicæ prædicationem sustinuerunt persecutionibus liquet, quod sinceritatis ipsorum indubitatum fuisse documentum antea, de Scripturæ Sacræ Auctoritate disserentes, evicimus. Non docebat Petrus, gentes non pertinere ad participationem Euangelii, aut incircumcisorum conversationem esse fugiendam; sed gratificari voluit Judæis, Legis zelotis; ne itaque in eorum offensam incurreret, se paulatim à gentium consortio subducebat. Hæc autem actio erat reprehendenda; quia per eam gentes alienæ reddi poterant ab amplectenda religione Christi, totaque de libertate Christiana doctrina ipsis suspecta reddebatur.

Quinta. IX. Quinta est: Quòd potestatem habuerint Euangelio rebelles miraculosè puniendi. Fuit illa potestas etiam quibusdam sub Lege communicata, ut Mosi, *Num.* XVI. 30, 31. Eliæ, 2 *Reg.* I. 10, 12. Elisæo, 2 *Reg.* II. 24. v. 27. Verùm Apostolorum potestas specialis fuit; non tantum quòd rebelles punierint subitâ morte, *Act.* v. 5, 10. cæcitate, *Cap.* XIII. II. sed & tradiderint in potestatem satanæ, 1 *Cor.* v. 5. 1 *Timoth.* I. 20. In qua potestate hoc extraordinarium & eximium fuit, quòd pœna hæc ad hominum salutem tenderet; tradebant quippe peccatores Satanæ tanquam carnifici torquendos, ut ita in carne sua afflictis hæc punitio in vitæ emendationem, atque ita porro in salutem cederet, uti manifestè Apostolus 1 *Cor.* v. 5. ait. Pœnæ autem à Mose & Prophetis immissæ ad interitum hominum tendebant.

Sexta. X. Sexta est: Muneris ipsorum Amplitudo; quòd missi fuerint in totum orbem, & ad omnes gentes; *Matth.* XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 15. Moses autem & Prophetæ ad unam tantum gentem. Quod & ipsos fideliter exsecutos esse, docemur. *Rom.* X. 18. *Coloss.* I. 6. Et tanta cum spiritus efficacia, ut multos populos barbaros, patrum suorum inistitutione neutiquam ad verbum Euangelii recipiendum præparatos, sed à Deo ejusque cognitione alienos, plurimorum peccatorum habitibus fœdè immersos, idololatriâ ac dæmonum cultu contaminatos, atque adeo cupiditatibus suis traditos, ut viderentur omnem meliorem disciplinam rejecturi, ad fidem in Jesum Christum ac vitæ renovationem converterint, ac passim numerosas inter ipsos erexerint Ecclesias.

XI. Apostolis proximi sunt *Prophetæ.* Sic 1 *Cor.* XII. 28. & *Eph.* IV. II. illis immediatè adjunguntur. Talis Propheta erat Agabus, *Act.* XI. 27, 28. XXI. 10, II. Judas & Silas, *Cap.* XV. 32. Barnabas, aliique, *Actor.* XIII. 1. quatuor filiæ Philippi Euangelistæ, *Cap.* XXI. 8, 9. Et ejusmodi plures in initio nascentis Ecclesiæ fuisse, liquet ex 1 *Cor.* XI. 4, 5. XII. 28. & *Cap.* XIV. fermè toto. *Prophetæ.*

XII. Nomine *Prophetæ* vulgò intelligitur, qui futura prædicit. Si vero Scripturæ stylum observemus, Propheta est, quicunque occulta, sibi à Deo revelata, annuntiat, sive præterita ea sint, sive præsentia, sive futura. Joannes Baptista nihil prædixit, *maximus* tamen *inter Prophetas* vocatur, *Luc.* VII. 28. Est ergo Propheta propriè nuntius Dei ad homines. Ad Prophetæ itaque munus duo requiruntur: Singularis revelatio divina; &, mandatum revelationem illam aliis annuntiandi. Hinc quibus aliquid ad propriam solummodò institutionem à Deo revelatum fuit, Prophetæ dicti non sunt: ut Abimelech, *Gen.* XX. 3. *& seqq.* & Josephus, *Matth.* I. & II. *Quid sit Propheta.*

XIII. Prophetiæ donum celebrius multò fuisse sub Novo quam sub Veteri Testamento patet ex 1. *ad Corint.* & *ad Ephes.* Epistola passim: plurimi enim io primis Christianorum Ecclesiis prophetasse ibidem leguntur; & in quosvis, hoc est, cujuscunque ætatis & sexus, Spiritus sui dona Deus effudit; quod & decebat, ut prophetia illustris, *Joel.* II. 28, 29. quæ ab Apostolo Petro citatur, *Act.* II. 17, 18. complementum suum haberet. *Donum Prophetiæ celebre sub N. Test.*

XIV. Inter Novi Testamenti Prophetas primum locum obtinuerunt Apostoli, quibus titulum hunc præ aliis eminentiori quadam ratione tribuendum, prærogativæ eorum, quas antea enumeravimus, demonstrant. Nulli enim plura & excellentiora hominibus annuntiarunt quàm ipsi: à Spiritu Dei ducti sunt in omnem veritatem, *Joan.* XVI. 13. & à Domino missi in universum orbem, ut omni creaturæ annuntient Euangelium: *Matth* XXVIII. 18, 19. *Marc.* XVI. 15, 16. Tum & multa futura, Ecclesiæ statum concernentia, prædixerunt, suisque prædictionibus serias adjunxerunt moni- *Præcipui Prophetarum Apostoli.*

monitiones & hortationes: uti inter alia videre est, *Act.* xx. 28, 29, 30, 31. 1 *Thess.* IV. 15, 16. 1 *Corinth.* XV. 51, 52. 2 *Thess.* II. 1, 2. *& seqq.* 1 *Tim.* IV. 1, 2. 2 *Tim.* III. 1, 2. *& seqq.* 2 *Pet.* II. 1, 2, & *cap.* III, 3, 4. 1 *Joan.* II. 18. & *cap.* IV. 2, 3. Quin & totus Apocalypseos liber vix quicquam continet, nisi prædictiones eorum, quæ Ecclesiæ eventura sunt. Adeo ut prophetia tanquam pars munere Apostolico comprehensa fuerit.

Eorum supra reliquos Prophetas prærogativa. XV. Ratione autem prophetiæ, discrimen istud fuisse videtur inter Apostolos aliosque Prophetas, quod Apostolis, quando post acceptum in die Pentecostes Spiritum Sanctum munere suo plenè fungi cœperunt, statim per Spiritum omnia religionis Christianæ mysteria simul ac semel revelata fuerint, excepto forte dogmate, de Vocatione gentium; adeo ut alio doctore, vel interiore revelatione opus non habuerint. Prophetæ verò, perinde ac reliqui fideles, primò ex Apostolorum institutione doctrinæ Euangelicæ cognitionem acquirere debuerint: ad fidem conversi revelationibus quibusdam à Deo dignati fuerint, & hujus vel illius particularis religionis Christianæ dogmatis cognitione, & profundiorum quorundam mysteriorum revelatione, donati; vel ad alios docendum, quid in hoc vel illo speciali negotio ipsis faciendum, aut omittendum esset: vel etiam ad futura quædam prædicendum. Et in hoc posteriore casu nihil absurdi est, dicere, ipsis aliquando quædam revelata esse, quæ Apostolis occulta erant: cujus exemplum habemus in Agabo & Paulo, *Act.* XXI. 11, 12.

1 Cor. XIV. agit de dono Prophetiæ extraordinario. XVI. Ad Prophetiam autem pertinuisse explicationem variorum doctrinæ Christianæ capitum & mysteriorum, docet Apostolus fusè satis, 1 *Corinth.* XIV. Intelligi enim ille non scientiam studio acquisitam, uti quidam credunt, sed donum aliquod divinum extraordinarium, exinde liquet; quia omnia illa dona, de quibus illic agit, quibusque prophetiam præponit, sunt extraordinaria. Non autem credibile est, Apostolum scientiam studio acquisitam voluisse præponere dono Dei extraordinario. Tum ex *Cap.* XII. 10. ubi prophetia expressè ponitur inter dona illa extraordinaria, quæ Spiritus in fidelibus operatur secundum beneplacitum suum. Tum ex *vers.* 29, 30. hujus *cap.* XIV. *Prophetæ duo aut tres loquantur, & reliqui dijudicent: Quod si alteri assidenti quid revelatum fuerit, prior taceat.* Ex quibus verbis manifestum est, prophetias has fuisse speciales Dei revelationes, & uni Prophetæ omnia non fuisse revelata; sed quæ huic patefacta fuere, alteri fuisse occulta, & vice versâ.

Sensus vers. 32. XVII. Dices. Addit tamen Apostolus, *vers.* 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*: Unde liquere videtur Prophetiam hanc fuisse scientiam studio acquisitam: donum enim divinum aliorum judicio subjectum non est. Resp. Sensus non est: dona Prophetica aliorum Prophetarum judicio fuisse subjecta, ut illi ea examinarent ac dijudicarent, utrum veritati essent conformia; & si ei adversarentur, rejicerent: nullo modo. Ubi enim Deum loqui constat, hominum sententiæ exquirendæ non sunt. Sed spiritus Prophetarum ipsis Prophetis esse subjectos, ita quidem ut inviti non prophetarent, aut extra se rapti, quemadmodum pythonici. Docet hunc sensum contextus. *Si alteri assidenti quid revelatum sit, taceat prior*: id, est, exspectet hic, donec prior taceat, ne eum interpellet, nec seorsim aliquos alloquatur: vel, *prior taceat*, id est; det locum sequenti. Ne quis autem objiciat: non possum alteri locum credere, aut, non possum exspectare donec alter taceat, cùm ita Dei spiritu agar, ut meæ potestatis non sim: Respondet: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*: id est: Spiritus divini non ita agunt Prophetas suos, ut tacere non possint, si velint, aut potestatis suæ non sint: sed sunt placidi, & in prophetantium potestate. Aliter quippe res se habet in divinitus afflatis hominibus, quàm in pythonicis: hi ita rapiuntur, ut sui juris non sint: illi verò, quamquam proferant quod Deus inspirat, & à spiritu urgeantur ad prophetandum, non tamen ita impelluntur, quin moram ordini necessariam facile patiantur; ac proinde quoad externum actum etiam pro ratione circumstantiarum voluntate eorum diriguntur. Sed de hoc capite in sequentibus plura dicemus.

XVIII. Forsan & ad Prophetarum munus pertinuit, Veteris Testamenti scripturas interpretari, quæ eodem quo prolatæ sunt Spiritu debebant explicari, juxta 2 *Pet.* I. 20. Non enim sensum earum mysticum percepissemus, nisi idem qui eas Prophetis inspiravit Spiritus, illum nobis per Apostolos aliosque prophetas revelasset. Nisi forte hoc referre velimus ad donum ἀποκαλύψεως, cujus mentio fit 1 *Corinth.* XIV. 26. *Alia prophetarum functio.*

XIX. *Euangelistæ* vulgò vocantur quatuor illi, qui conciones & res gestas Servatoris nostri Jesu Christi conscripserunt, & quorum scripta vocantur Euangelia, magnamque liberorum Novi Testamenti partem constituunt: inter quos duo etiam fuerunt Apostoli. Licet illis Euangelistarum nomen rectè attribuatur, tamen in Sacra Scriptura vox hæc nunquam eo sensu occurrit, sed per eos intelliguntur Apostolorum coadjutores in annuntiando Euangelio, quos mittebant quò ipsi ob negotiorum quibus distinebantur multitudinem ac pondus ire *Euangelistæ.*

ire non poterant, ut Ecclesias à se fundatas, sed in fide adhuc teneras, magis confirmarent. Talis Euangelista erat Philippus *Act.* XXI. 1. Timotheus, 2 *Tim.* IV. 5. Titus, *Tit.* I. 5. Tales etiam fuisse videntur septuaginta discipuli, *Luc.* X. 1. item Clemens, Sosthenes, Silas, aliique, de quibus in Actis & Epistolis Apostolorum passim. Variis Spiritus Sancti donis ornatos fuisse, sc. prophetiæ, linguarum, &c. liquere videtur ex 1 *Tim.* IV. 14. In hisce autem excitandis diligentiâ & studio opus habebant. Sic non videntur inferiores fuisse Prophetis: imo fortasse in quibusdam superiores: quia, licet Prophetæ quasdam interdum revelationes haberent, munere tamen ordinario Euangelium docendi non videntur functi.

Doctores & Pastores etiam fuere Ministri extraordinarii.

XX. Quod attinet *Doctores* & *Pastores*, disputatur, an munus illorum fuerit ordinarium, an verò extraordinarium. Vulgo creditur ordinarium fuisse, quia ordinariis Antistitibus munus docendi &, regendi Ecclesiam incumbit, hodieque, præsertim inter Reformatos, & quidem præcipuè in Gallia & Germania, Ecclesiarum antistites, Doctores & Pastores vocantur. Quin & *Act.* XX. 28. Apostolus dicit Ecclesiæ Ephesinæ Episcopis, quòd Spiritus Sanctus eos constituerit Episcopos, *ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ*: cùm ergo iis tribuatur pascendi munus, videntur etiam esse pastores. Nos quod attinet, credimus munus illorum fuisse extraordinarium: quod & comperiemus, si Scripturæ stylum attentius consideremus; illos verò, qui hodie vocantur Doctores & Pastores, olim vocatos Episcopos & Presbyteros. Ubicunque enim in Scriptura mentio fit ordinariorum Ecclesiæ antistitum, nominantur soli Episcopi & Presbyteri, quibus etiam adjunguntur Diaconi. Hos Apostoli dicuntur constituisse per singulas Ecclesias; ad hos dirigunt epistolas suas; leges præscribunt, secundum quas in perpetuum in Ecclesiis eligendi sint. Vide *Act.* XIV. 23. XV. 2, 4, 6, 22, 23. XVI. 4. XX. 17, 18. *Phil.* I. 1. 1 *Timoth.* III. 1, 2, 8, 12. V. 17, 19. *Tit.* I. 5, 7. *Jacob.* V. 14. 1 *Pet.* V. 1, 5. Nihil tale legimus de Doctoribus & Pastoribus. E contra, quando Scriptura loquitur de ministris extraordinariis, nunquam nominat Episcopos & Presbyteros, sed quidem Doctores: ut *Act.* XIII. 1. 1 *Cor.* XII. 28. *Eph.* IV. 11. & inter dona extraordinaria nominat *διδαχὴν*, seu doctrinam: 1 *Cor.* XIV. 6. & 26. Nec valet exceptio, quòd Apostolus dictis locis munera extraordinaria & ordinaria voluerit conjungere & omnia simul enumerare. Nam an credibile cuiquam esse potest, si Apostolus omnia munera, tam ordinaria quàm extraordinaria, simul conjungere voluisset, quòd nunquam usurus fuisset voce Episcopi aut Presbyteri, adeo in Ecclesia & Scriptura usitata? sed semper vocibus Doctorum & Pastorum, quæ nunquam occurrunt, nisi ubi de extraordinariis ministris sermo est? Nostro ergo judicio alii fuere Doctores & Pastores ab Episcopis & Presbyteris. Quale autem ipsorum munus fuerit, non ita plenè explicari potest.

XXI. Nomen *Doctoris* videtur respondere Hebraico *Rabbi*; illud autem non designat particularis cujusdam Synagogæ inspectorem & doctorem; sed legis peritum, qui judicio Sanhedrin constitutus erat ut alios legem doceret. Talis erat Gemaliël, *Act.* V. 32. Nicodemus, *Joan.* III. 1. & illi, quibuscum Salvator noster duodecennis disseruit in templo, *Luc.* II 46. Videntur ergo & Ecclesiæ Christianæ Doctores non uni solum Ecclesiæ præfixi, quemadmodum Episcopi & Presbyteri; sed pluribus præfuisse Ecclesiis, quæ ipsorum curæ concreditæ fuere; imo dignitate quàm proximè ad Prophetas accessisse videntur, & insigni Religionis Christianæ cognitione fuisse prædití, ita ut mysteria illius intelligerent, & apti forent non tantum privatos fideles, sed & Episcopos & Presbyteros docendi. Id munus in primitiva Ecclesia etiam necessarium fuisse videtur, donec Apostolorum doctrina scripto esset comprehensa. Quâ autem in re illi diversi fuerunt ab Euangelistis, difficile est dicere.

An iidem fuerint Doctores ac Pastores.

XXII. An vero Doctorum & Pastorum munus unum idemque, an verò distinctum fuerit, inquiri solet. Quidam existimant unum idemque fuisse, quia Apostolus hæc duo conjungit, *Ephes.* IV. 11. non autem à se invicem separat, ut priora munera. Et sanè doctorale munus pastorali videtur inclusum; quia nemo gregem sibi commissum fideliter pascere potest, nisi veræ doctrinæ pabulo. Alii autem existimant fuisse distinctum: duo autem hæc munera conjungi, quia utrumque sæpe ab uno eodemque homine exerceretur; licet quandoque etiam diversis committeretur. Pastores ergo volunt fuisse, qui non tantum veritatem docuerunt, sed & uniuscujusque statui accommodarint, monendo, hortando, increpando, &c. Doctores verò, qui simpliciter veritatem docebant & confirmabant, & errores refutabant: quales hodie sunt, qui in Academiis & Scholis Theologiam profitentur. Distincta autem hæc esse munera, quia diversitas donorum ad utrumque requiritur, adeo ut qui ad alterutrum munus aptus sit, ineptus tamen sit ad alterum. Sed verò an distinctio hæc, quæ inter munera ordinaria hodie obtinet, etiam inter munera extraordinaria tempore Apostolorum locum habuerit, incertum est. Legimus quidem aliquantò post in Ecclesia Alexan-

lexandrina fuisse quosdam instar Doctorum, vid: Pantænum, Clementem, Origenem: attamen Doctores non vocabantur vulgò, sed Catechistæ; & munus ipsorum erat, eos instituere, qui amplecti volebant fidem Christianam, & quidem antequam ad Baptismum admitterentur. Præterea, hæc non fuere munera extraordinaria: nihil itaque faciunt, ad probandum diversitatem munerum extraordinariorum: nisi dicere velimus, hæc ad imitationem priorum illorum munerum extraordinariorum fuisse instituta: quod incertum & nequaquam verisimile est. Præstat itaque rem hanc in medio relinquere, quàm temerè quicquam in alterutram partem definire.

CAPUT III.

De Ministris Novi Testamenti ordinariis.

Discrimen inter Ministros extraordinarios & ordinarios.

I. Ordinarii Ministri sunt, qui perpetuò in Ecclesia ad consummationem usque seculi manere debent. Discrimen inter hos & Extraordinarios maximum est, ratione auctoritatis utrorumque. Extraordinariorum auctoritas erat irrefragabilis, utpote immediatè à Deo missorum, cum mandato doctrinam novam, antea inauditam, quæ omnibus salutis ac damnationis foret regula, prædicandi, prædicationemque suam signis ac miraculis irrefragabilibus confirmandi, adeo ut cuiquam ab ea recedere, eamve in dubium vocare, esset nefas. Ordinariorum verò auctoritas est limitata, & adstricta regulæ verbi ab Extraordinariis Ministris prædicati, & scripto consignati: ut ex *Tit.* 1.9. liquet: ubi jubentur *sermonem fidelem, qui secundum doctrinam est, amplecti*: ita ut ab eo recedere, aut novam doctrinam ad salutem necessariam sine majestatis divinæ læsione præscribere non possint. Hinc & Apostoli omnibus, qui aliam docent doctrinam, anathema dixerunt, *Gal.* 1.8,9. & vitandos ac fugiendos docuerunt: *Rom.* XVI. 17. 1 *Tim.* VI. 3, 4, 5. 2 *Joan. vers.* 9, 10, 11. Quin imo omnis ipsorum doctrina fidelium examini est subjecta, & ad verbi divini trutinam expendenda; nec auctoritatem habent quenquam verbis suis alligandi, nisi quatenus illum convincere possunt, ea verbo ab Extraordinariis Ministris scripto consentanea esse.

Tractationis hujus distributio.

II. Tota hæc de Ministris Ordinariis tractatio ad quinque potissimum capita revocari potest. I. An aliqui in Ecclesia Christiana à Domino Jesu seu Apostolis Ministri Ordinarii instituti sint. II. Quinam illi sint, & quodnam inter eos sit discrimen. III. Quæ missio ut munere suo fungi possint requiratur, & quomodo eligi debeant. IV. Quænam in ipsis, ut ritè eligi possint, dotes requirantur. V. Quodnam eorum sit officium.

III. Quod primum membrum attinet, videri posset illius tractatio superflua, quoniam evidentia adeo institutionis ministerii ordinarii in Sacra Scriptura exstant documenta, ut nullo modo in dubium posse vocari videantur. Attamen quoniam sunt Christiani, qui, rejecto omni ministerio, urgent promiscuas prophetationes in Ecclesia obtinere debere, & unicuique libertatem concedendam publicè in Ecclesia verba faciendi, & de quibusvis dogmatibus disserendi; operæ pretium est, opinionem hanc penitius examinare, & ministerii perpetuitatem adstruere.

Aliquot rationibus probatur.

IV. Primò ergo ministerii ordinarii institutionem & perpetuitatem probamus; Quia Apostoli passim Ministros Ordinarios per singulas Ecclesias constituerunt, & constitui voluerunt. Sic *Act.* XIV. 23. Paulus & Barnabas expressè dicuntur Presbyteros in Ecclesiis singulis constituisse: & *Tit.* 1.5. jubet Apostolus, ut Titus in Creta in singulis urbibus Presbyteros constituat. 2. Hos dicunt à Deo constitutos, ut Ecclesiam pascant, *Act.* XX 28. Quin & speciatim Ecclesiæ curam illis concreditam, satis declararunt, quia ad ipsos Epistolas suas dirigunt, *Phil.* 1.1. ipsisque speciatim Ecclesiæ curam commendant, *Act.* XX. 17, 28. 1 *Pet.* V. 2. 3. Regulas præscribunt, juxta quas illorum electio in perpetuum fieri debeat: quæ fusè exstant, 1 *Tim.* III. 1. *& seqq. Tit.* 1. 5, 6, 7, 8. Atqui regulæ illæ superfluæ fuissent, si munus Episcoporum & Presbyterorum, perinde atque Apostolorum ac Prophetarum, brevi in Ecclesia cessaturum esset. Quare nec ullæ uspiam regulæ reperiuntur, juxta quas Apostoli aut Prophetæ in Ecclesia eligi debeant: quia eorum missio erat divina, ipsorumque munus extraordinarium. 4. Hisce adde summam ministerii utilitatem, & ut Ecclesia aptè instruatur & regatur necessitatem. Quamvis enim jam per ministros extraordinarios veritate salutari prædicatâ, & scripto consignatâ, unusquisque fidelium ex Scripturæ sedula lectione plenè instrui possit, ut perfectus fiat homo Dei, ad omne bonum opus instructus: attamen plurimorum ea est negligentia, aliorum negotia adeo frequentia, ut instructione quæ vivâ fit voce opus habeant. Est quidem institutio & adhortatio commune Christianorum officium: verùm quia omnium commune officium facile languet, hinc quibusdam speciatim, qui omnem in eo operam collocant, imponi convenit; qui non tantum majore cum sedulitate, sed & auctoritate & παῤῥησίᾳ pro temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum ratione id exercere possunt. Tum & in coetibus, qui ex magno

gno hominum numero constant, ordinem quendam servari necesse est: at nisi munus publicè docendi communi Ecclesiæ consensu quibusdam speciatim mandetur, cuncta nullo ordine turbata erunt, & necessariò pessum ibunt. Cùm itaque tanta muneris Ecclesiastici sit utilitas & necessitas, insuper manifesta institutionis illius habeamus in Sacra Scriptura documenta, non sine gravi Ecclesiæ damno illud tolli potest. His adde 5. Universalem ac perpetuam Ecclesiæ praxim, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque continuâ serie deductam. Licet enim de Ministrorum gradibus & auctoritate contendatur; nemo tamen est, quin perpetuam ministerii functionem in Ecclesia agnoscat.

Promiscua prophetiæ nusquam sunt præscripta.

V. Quod promiscuas illas Prophetias, seu Scripturæ Sacræ interpretationes attinet, quas hodie quidam urgent, & quidem tanto cum zelo, ut omnes qui eas non admittunt, sed ex ordine recepto soli in Ecclesia publicè docent, tanquam usurpatæ potestatis sibi non concessæ reos agant; nullo solido fundamento adstrui potest, eas in Ecclesia necessarias esse. Negari nequit, in Judæorum synagogis usitatas fuisse promiscuas exhortationes, & ad exhortandum invitationes; sive quis sponte suâ se offerret, ut Dominus Jesus, *Luc.* IV. 15, 16. sive ab aliis invitatus ad populum verba faceret, ut Paulus & Barnabas, *Act.* XIII. 15. Sed verò illa non fuit promiscua adeo exhortatio & anarchia, qualem quidam hodie urgent, qui nullum personarum discrimen admittunt; verùm ordinem etiam ibi aliquem fuisse constat: fuêre enim ibi Archisynagogus, & principes Synagogæ, quibus procul dubio totius actionis directio commissa est. Promiscuæ autem illæ in Ecclesia prophetiæ nusquam præscriptæ sunt.

1 Cor. XIV. agit de dono Prophetiæ extraordinario.

VI. Solet in contrarium objici *cap.* XIV. I. *ad Corinth.* ex quo liquere ajunt, promiscuas illas prophetias Apostolorum tempore in Ecclesiis in usu fuisse, quin & ab Apostolis commendatas. Resp. Ex hoc capite apparere quidem, prophetias in usu fuisse in Ecclesia Corinthiaca, sed eæ non erant ejusdem generis cum iis, quas hodie quidam urgent. Fuere enim prophetiæ illæ dona specialia Spiritus Sancti, seu specialia quædam χαρίσματα & revelationes, quas quisque in medium proferebat ad ædificationem Ecclesiæ; uti ex *vers.* 5. constat; ubi præferuntur dono linguarum, quod omnes fatentur extraordinarium esse: donum autem studio tantum acquisitum præstantius non est dono divino: & ex *vers.* 30. *Quod si quid alii revelatum fuerit assidenti, prior taceat.* Dona itaque examini non subjecta, neque disquisitioni, sed immediatè à Deo profecta, ideoque obsequiosâ fide recipienda. Dices, Videri tamen prophetias hasce fidelium judicio subjectas fuisse, quia immediatè præcedit, *cæteri dijudicent.* Resp. Sensus non est: Cæteri prophetias has examinent, & inquirant, utrum verbo divino consentaneæ sint; sed, cum judicio, quod de prophetiis, utpote quas intelligant, distinctè contra linguas, ferre possunt, ad istas attendant, & in usum suum convertant; ut docet *vers.* 31. *ut omnes discant & consolationem accipiant.* Quæ sequuntur verba, *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*, (non sint) significant, uti antea declaravimus, non quòd prophetarum verba aliorum examini sint subjecta; repugnat enim hoc revelationi divinæ: sed quòd ipsorum potestati & arbitrio spiritus ita sint subjecti, ut non impellantur tanquam pythonici, sed tacere possint, & placide tempus opportunum donec alius taceat exspectare, ut debitâ cum ædificatione quod sibi revelatum est proferant.

Et non promiscuè omnibus prophetandi potestatem permittit.

VII. Quin & caput hoc promiscuam illam prophetandi licentiam directè evertere videtur: expressè enim Apostolus prophetantium numerum ad duos aut tres restringit, *vers.* 29. & adeo sollicitè cavet, ut omnia honestè & secundum ordinem fiant, *vers* 40. Adeo ut potius videatur nimiam illam licentiam, quæ in Ecclesia illa confusionem pariebat, contrahere velle ad paucos, quàm promiscuam illam absque ullo discrimine prophetandi libertatem introducere. Excipiunt: Apostolum *vers.* 34 solis mulieribus præcipere, ut in Ecclesia taceant. Ergo omnibus viris videtur liberam in Ecclesia loquendi potestatem concedere. Resp. Non male colligi, viris videri concessum, quod mulieribus hîc prohibetur. Atqui mulieribus prohibet in Ecclesia loqui; vult autem, ut, si discere velint, domi viros suos interrogent. Licitum ergo fuit viris in Ecclesia Prophetas interrogare, ut discerent. Atqui libertas illa multum differt à prophetandi libertate, quam hodie quidam urgent. Apostolus permittit viris, ut dubia sua in Ecclesia proponant Prophetis, ut eorum solutionem adepti, acquiescant: quod in primitiva illa Ecclesia, cum frequens erat donorum Spiritus Sancti copia, fieri poterat: neque tamen hæc interrogatio confusionem in Ecclesia pareret. Nunc verò omnium promiscua prophetandi libertas urgetur, ut unicuique licitum sit prophetam agere, & de quavis materia pro captu suo coram toto cœtu disserere: quæ immane quantum discrepant. Deinde, controverti meritò posset, utrum Apostolus viris promiscuè concedat, quod mulieribus prohibet. Taxat quippe varios Ecclesiæ Corinthiacæ abusus, qui confusionem pariebant: quòd nempe omnes in Ecclesia vellent prophetare; quin & ipsæ mulieres potestatem sibi arrogarent publicè in Ecclesia

clesiâ prophetandi. Apostolus, ut abusus illos tolleret, omniaque ad certum ordinem revocaret, viris promiscuè loquendi libertatem non concedit, sed si quis psalmum, doctrinam, apocalypsin, linguam, interpretationem habeat, ut unusquisque dono suo utatur ad ædificationem Ecclesiæ. Prophetandi munus committit prophetis, hoc est, quibusvis quibus prophetiæ donum à Deo obtigerat: & ne prophetantium turba confusionem pariat, manifestè eorum, qui uno tempore prophetaturi sunt, numerum ad duos aut tres restringit; quos *vers.* 31. vult καθ' ἕνα, seu unum post alium, prophetare. Fœminis verò in totum in Ecclesia loqui Apostolus interdicit. Concedit ergo viris quippiam, quod mulieribus denegat; non autem promiscuam prophetandi libertatem; sed, uti jam vidimus, donorum cuique concessorum ad Ecclesiæ ædificationem debito cum ordine collationem. Tandem, omnes illæ prophetiæ erant uniformes, utpote ab eodem infallibili Spiritu dictatæ; nunc verò sæpissimè sibi invicem directè contrariæ, ideoque non ædificationem, sed contentionem & confusionem in Ecclesia pariunt.

Non fuere usitatæ inter Apostolos. VIII. Secundò. Usitatas fuisse ejusmodi interpretationes promiscuas inter Apostolos, nusquam legitur: nec ratio id verisimile esse finit. Etenim Apostolorum prophetiæ erant oracula non subjecta judiciis aliorum; ut nunc modernæ esse debent. 2. Aliorum omnium interpretationes subjectæ erant Apostolorum judiciis. Hinc legimus Apostolos, nominatim Paulum, sæpe solum sermonem habuisse, & quidem per integram ferè noctem. Cùm ergo nusquam institutæ sint promiscuæ hæ prophetiæ, neque Apostolis usitatæ, nulla earum est necessitas, multò minus ad muneris Ecclesiastici eversionem introduci possunt aut debent.

Utiles tamen esse possunt. IX. Attamen si in se spectentur, & regulis certis, quibus omnis confusio vitetur, dirigantur, illicitæ censendæ non sunt, aut noxiæ. Licitæ enim per se sunt, & utiles esse possunt; faciunt enim ad mutuam institutionem in veritate, & exhortationem in pietate. Sed distinguendæ sunt accuratè nostræ interpretationes à prophetiis quæ Apostolorum tempore in usu erant. Erant enim prophetiæ illæ dona quædam singularia, uti alia etiam erant, quæ piis & fidelibus ea ambientibus, id est, suppliciter à Deo petentibus, dabantur ad ædificationem Ecclesiæ, quæ non subjacebant examini assidentium, aut contrariæ sibi invicem erant & diversæ. Quid enim? daret Deus prophetias contrarias, & à se invicem dissidentes? & revelaret huic illud, alteri contrarium? & inde discerent omnes atque proficerent? Absit. At tales nunc sunt interpretationes nostræ.

Adhibitis aliquot cautionibus. X. Hoc observato discrimine, cautionibus quibusdam omnis confusio præcavenda est. Si enim Apostoli Pauli tempore, cùm donis miraculosis & extraordinariis Deus Ecclesiam honoraret, confusio orta fuit, eò quod singuli absque discrimine in Ecclesia dona sua ostentare cuperent: quantò major nunc metus confusionis, quando dona illa cessârunt, si unicuique promiscuè libertas concedatur, quicquid animo concepit magno in cœtu effutiendi? Itaque sicut olim non quibusvis, non Judæis, non gentibus, sed solis fidelibus potestas concessa est in Ecclesia loquendi: ita & nunc libertas illa ad fratres restringenda videtur: quo nomine omnes comprehendimus sincere in Deum Patrem & Filium ejus Jesum Christum credentes, & à fraterna nobiscum communione non abhorrentes. Deinde, sicut olim solis Prophetis, Prophetiæ dona à Deo donatis, integrum erat in Ecclesia prophetare: ita & nunc soli illi prophetent, qui justo præmisso examine Ecclesiæ judicio apti & idonei sunt inventi, ut cum ædificatione verba ad populum faciant: qui nempe habent sensus exercitatos ad discretionem boni & mali, &, quod in Episcopo requirit Apostolus, apti sunt ad docendum. Tertiò. Ut libertas illa concedatur in cœtu minore, in quem conveniunt quos veritatis divinæ penitius rimandæ ardor excitat, quorum unanimis est intentio in veritate divina confirmari, & ad pietatis studium excitari: non autem intricatis quæstionibus ac disputationibus enodandis auditores absque ullo fructu fatigare, aut ingenii acumen ostentando inanem gloriolam captare.

Promiscua Prophetia possunt esse noxia. XI. At ut explicationes promiscuæ, sine ullo rudium & intelligentium discrimine, quibusvis concedantur in Ecclesia magno numero congregata, quando verba ad centenos, imo millenos, diversisque admodum affectibus agitatos, facienda sunt, & nominatim hodie, planè à ratione alienum est, & planè inutile ac noxium est censendum. Quia interpretationes & exhortationes ut aliquando ferè in infinitum concederentur necesse foret: pro ratione enim multitudinis congregatæ ut crescant, necesse est. Atqui hoc è re Ecclesiæ neutiquam foret. Seculo enim vivimus admodum delicato, ac controversiarum feracissimo. Ut autem quis tali seculo aptè Ecclesiam docere possit, multa requiruntur: Trium videl. linguarum præcipuarum, quibus Scriptura Sacra & plurimi in Theologia libri conscripti sunt, Hebraicæ videl. Græcæ, & Latinæ, cognitio, si non exacta, tanta tamen, ut ipsos fontes indagare, & de genuina vocum ac phrasium significatione judicare quis possit; tum & præcipuarum controversiarum, quæ inter varias Christianorum sectas intercedunt, exacta cogni-

cognitio, quæ tam multæ sunt, tantisque subtilitatibus & perplexitatibus involutæ, ut illis ritè evolvendis, argumentisque quibus fulciuntur rectè & cum judicio expendendis, totum ferè vitæ spatium impendendum sit, cum dispendio rerum aliarum. Si autem libertas illa promiscuè omnibus concedatur, quoniam homines sunt præsumtuosi, & quivis se facile ad dicendum idoneum existimat, scientiamque suam aliis ostentare cupit, exurgent facile indocti, arrogantes, & inepti, qui tædiosis & noxiis proferendis tempus, quod ab Ecclesia piis exercitiis, & promotioni in cognitione veritatis destinatum est, inutiliter terent, absque ut ullo remedio tanto incommodo occurri possit. Quod si alii horum opinionibus adversi contra eos insurgant, varias inde & acres disputationes, rixas, dissidia & schismata, imo & pugnas, oriri necesse est. Quid autem inde, nisi maximam confusionem exspectes? Prophetiæ quippe erunt sibi invicem contrariæ, & quandoque à pietatis doctrina alienissimæ. Sic omnis, quæ ex mutua collatione exspectatur, ædificatio ut pereat necesse est. Tandem, libertas damnandi perquam facile accedere potest, si quæstiones incidant graviores, & de rebus majoris momenti; præsertim in deplorando hoc orbis Christiani statu, quo Ecclesia miserè ob opinionum diversitatem in partes est divulsa, alterque alteri anathema dicit. Ex talium enim mutuis conflictibus in cœtu centenorum aliquot hominum nil nisi lites, jurgia acerrima, ac temeraria judicia ac anathemata nasci queunt.

Responsio ad objectionem primam.

XII. In contrarium objiciunt; Ministerium ordinarium, quo unus sibi potestatem assumit in cœtu verba faciendi, reliquis exclusis, non posse consistere cum libertate, quæ omnibus naturâ competit. Nulli enim, cum omnes naturâ sint æquales, potestas publicè in cœtu loquendi competit præ alio. Qui itaque illam assumunt, magistralem sibi auctoritatem arrogant, & spiritus exstinguunt. Resp. Verum quidem esse, nulli præ alio publicè loquendi jus naturâ competere, sed nec minus verum est, omnes non posse jure isto indifferenter uti; verùm Ecclesiæ ædificationem, bonique ordinis rationem exigere, ut potestas, quæ omnibus naturâ competit, in paucos, qui studio ac labore indefesso facultatem sibi compararunt cum ædificatione ad populum verba faciendi, à tota Ecclesia transscribatur: idque institutioni divinæ esse consentaneum jam ostendimus. Non quasi per illam juris transscriptionem ipsis competat auctoritas quædam divina aut prophetica, aliis non concessa: sed ut commune Ecclesiæ officium, omnibus & singulis à Deo præscriptum, ut videl. proximum suum doceant, Ecclesiæ nomine administrent, ut ita omnis vitetur confusio, & per maximè idoneos functio hæc ad Ecclesiæ ædificationem administretur. Tales magistralem aut inconcessam auctoritatem sibi arrogare, spiritusque exstinguere, dici nequeunt. Non enim missionem jactant divinam, non auctoritatem aliis leges fidei præscribendi, aut verba sua tanquam edicta prætoria recipiendi: sed ordinem à Deo institutum tantum observant: præsertim si hac æquanimitate utantur, ut neminem suis, sed solius Dei in Scriptura loquentis verbis alligent: omnesque suas explicationes ad verbi divini regulam expendi cupiant ac orent, liberamque unicuique inquirendi & dissentiendi, salva tamen charitate, facultatem concedant. Hi enim tantum abest ut prophetias exstinguant, ut eas commendent & excitent. Illos solos ferit hæc objectio, qui sibi solis jus cum auctoritate quadam legislatoria in Ecclesia loquendi arrogant, tanquam legitimè missis, sive à successoribus Apostolorum, ut loquuntur, sive à Magistratu & Ecclesia, adeo ut per illam missionem jus & auctoritatem præ aliis, quos à jure isto exclusos volunt, acquirant, verbum Dei interpretandi; suasque explicationes aut dogmata specialia, semel in Ecclesia recepta, ad verbi divini normam exigi non patiuntur; verum sibi, tanquam Dei legatis, sine ulla contradictione fidem adhiberi cupiunt, & renuentes suâ communione interdicunt & anathemate feriunt. Tales enim auctoritatem, solis ministris extraordinariis propriam, sibi assumunt, quin & dominatum in alterius conscientiam, nulli nisi Deo subjectam, vindicant. Quin imo retorqueri posset hoc argumentum: Quod per illimitatam illam promiscuè prophetandi libertatem Ecclesiæ sua adimatur libertas, & unicuique sciolo ac importuno facultas concedatur tempus, ab Ecclesia piis exercitiis destinatum, futilibus ac noxiis proferendis consumendi, absque ut ullo remedio illi occurri possit: importunus enim ille dicet, se libertate unicuique concessâ uti, verbaque sua facere ad ædificationem Ecclesiæ. Quod eventus in ejusmodi cœtibus jam sæpe comprobavit.

Ad secundam.

XIII. Secundò objiciunt verba Apostoli, Hebr. x. 24, 25. *Observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera: non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam, sed adhortantes.* Unde varia deducunt argumenta: Ac primo argutantur in vocibus *mutua congregationis*, quasi non sit mutua congregatio, nisi in quâ unicuique liberum est monendi alium officii sui. Quasi verò non sit mutua congregatio, nisi in qua omnia quæ exercentur officia sint mutua & reciproca. Sanè omnis congregatio mutua rectè vocatur, quatenus nulla est congregatio nisi ex pluribus

ribus, sibi mutuò junctis & in eundem locum congregatis, constans. Addunt. Apostolum jubere, ut *adhortemur alii alios*. Resp. Voces illæ, *alii alios*, vel *invicem*, non exstant in Græco; sed pone subintelligendas esse; nullum est in textu indicium, locum hunc de integro Ecclesiæ cœtu intelligendum: possunt intelligi cœtus minores, in quibus Christiani se invicem exacuebant ad charitatem & bona opera, quos Apostolus non vult deseri, sicut quibusdam in primis illis Ecclesiæ temporibus, quibus fideles variis premebantur persecutionibus, in more erat. Sed esto, intelligantur & cœtus integri totius Ecclesiæ; possunt verba ita accipi, ut alii alios moneant & hortentur, ne cœtus publicos deserant. Possunt etiam alii alios observare & acuere ad charitatem, licet omnes non in Ecclesia loquantur; nimirum: si quisque pro ratione muneris & donorum suorum omnia conferat ad aliorum ædificationem; minister docendo: alii autem quod docentur in praxin deducendo, aliosque bono exemplo ad imitationem provocando.

Ad tertiam. XIV. Tertiò, desumunt argumentum ex variis Scripturæ testimoniis, quibus fideles monentur alii alios monere, quæ passim occurrunt: *Rom.* xv. 14. *Gal.* vi. 1. *Eph.* v. 18, 19. *Phil.* 1. 27, 28. 11. 14, 15, 16. *Coloss.* 111. 16. 1 *Thess.* iv. 18. v. 11, 12, 13, 14. *Hebr.* 111. 13. *Jud. vers.* 4. Resp. Nihil inde aliud concludi potest, nisi, commune Christianorum officium esse, alios docere & monere: verum de tempore ac loco adhortationum nihil illic præcipitur. Possunt itaque singuli huic præcepto morem gerere, licet in publicis cœtibus officio hoc non fungantur. Privatim singulorum id officium est: In cœtibus publicis eorum, quibus Ecclesia, juxta institutionem divinam, munus publicè docendi imposuit. Mala est illatio, à generali præcepto adhortationis, ad specialem in cœtu publico docendi & adhortandi modum deducta.

CAPUT IV.

De Episcopis & Presbyteris, corumque missione.

Quinam sint Ministri ordinarii. I. Sequitur ut videamus, quinam sint ordinarii ministri, & quo nomine in Scriptura vocentur. Tria in Scriptura occurrunt nomina, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. De duobus prioribus primò dicemus.

Episcopi & Presbyteri. II. Nomina *Episcoporum* & *Presbyterorum* aliquoties occurrunt in Scriptura, & passim reperiuntur in scriptis Patrum, hodieque in Ecclesia Romana maximè sunt in usu. Inter Reformatos verò, præsertim in Germania, Belgio, & Gallia, communiter obtinet appellatio Doctorum, Pastorum, & Concionatorum: mutato illo nomine non sine gravi ratione. Quoniam enim in hisce regionibus reformatio cœpta est sine Magistratus auctoritate; hinc noluere antistites usurpare nomen Episcopi, quod dignitatis, etiam secularis, insigne fuit: ne viderentur alterius jura & dignitates invadere velle: malueruntque nominari Doctores, Concionatores, &c. In Anglia verò, ubi auctoritate regia reformatio religionis facta est, Episcopi nomen est retentum, sicut & dignitas.

Quid voces illæ significent. III. Ἐπίσκοπος propriè inspectorem seu visitatorem significat; voce derivata vel ab ἐπισκοπέω, *attentè inspicio* vel *prospicio*; vel ab ἐπισκέπτομαι, *visito*. Munus ipsorum vocatur ἐπισκοπὴ, 1 *Tim.* 111. 1. Et tribuitur quoque Apostolis, *Act.* 1. 20. Πρεσβύτης propriè significat Seniorem: quia tunc vulgò non eligebantur ad id munus, nisi ætate grandes. Tributur similiter nomen illud Apostolis, 1 *Pet.* v. 1.

An Episcopi munus majus sit quam Presbyteri. IV. Ut distinctè de his dicamus, ante omnia hic expedienda quæstio est, hodie magnis animis in Ecclesia Christiana agitata, de distinctione Episcopi & Presbyteri. Quæritur itaque, an Episcopi munus majus sit quàm Presbyteri, adeo ut Episcopus Ecclesiæ sit præfectus, & potestatem singularem in Ecclesia habeat, quæ Presbyterorum consessui non competat? Resp. Post Apostolorum tempora apud Scriptores Ecclesiasticos, Eusebium, aliosque, reperimus unum Episcopum unicuique Ecclesiæ præfectum. Sic nobis referuntur Episcoporum in variis præcipuis Ecclesiis successiones. Unde colligere licet, Episcopum apud illos non confundi cum Presbytero, sed accipi pro eo, qui collegii Presbyterorum esset præses: postea autem invaluit, ut Episcopi, qui præsides totius collegii erant, etiam in Presbyteros potestatem adepti sint.

Argumenta pro sententia negante. V. Sed quod ad usum Scripturæ attinet, disputatur utrum aliquod inter Episcopum & Presbyterum discrimen Scriptura agnoscat. Communis Protestantium sententia est, nullum inter Episcopos & Presbyteros Scripturam agnoscere discrimen, eo quòd voces illæ, tanquam æquipollentes, inter se permutentur: habetque hæc sententia inter antiquos Hieronymum præcipuum patronum. Vocum harum permutationem probant. 1. Quia Apostolus, Tito præcipiens, ut per singulas civitates Presbyteros constituat, *Cap.* 1. 5. postea declaraturus, quales velit ordinari Presbyteros, Episcopum describit, *vers.* 7. 2. Ex *Act.* xx 17. ubi Apostolus cum Miletum venisset, dicitur misisse Ephesum, & vocasse Presbyteros Ecclesiæ ejusdem: illos

autem ita officii sui admonet, *vers.* 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Domini*, &c. 3. Petrus Apostolus Presbyteros alloquens se *cumpresbyterum* vocat, monetque Presbyteros, *ut gregem Dei pascant*, ἐπισκοποῦντες *providentes non coacte*, &c. 1 *Epist.* v. 1, 2. 4. Apostolus *Phil.* i. 1. epistolam suam inscribit omnibus sanctis qui sunt Philippis, *cum Episcopis & Diaconis* Ubi necesse esse ajunt, ut Apostolus sub nomine Episcoporum etiam Presbyteros comprehendat, quia in Ecclesiis, ubi dignitatis illud discrimen obtinet, uni Ecclesiæ unus tantum præficitur Episcopus.

Aliorum ad eare sponsio.

VI. Verùm non incommodè alii respondent: Voces has non prorsus esse ἰσοδυναμοῦντα, quoniam Episcopi appellatio nunquam tribuatur Presbytero; utramque autem Episcopo communem esse, adeo ut ἐπίσκοπος semper Episcopum singularem significet; πρεσβύτερος quandoque de Episcopis, quandoque etiam de Presbyteris, quod hodie dicimus, comparibus usurpetur. Quodque loca allegata attinet: Dicunt *Act.* xx. ab Apostolo Paulo esse convocatos non tantum Ecclesiæ Ephesinæ præpositos, sed & omnium circumjacentium Ecclesiarum, quarum singulis Episcopus peculiaris sit præpositus: ideoque meritò Apostolum eos vocare Episcopos, quia numero plures erant. Idque exinde colligunt, quia sola Ecclesia Ephesina non rectè vocatur πᾶν ποίμνιον cui Episcopi præpositi sint: & quia Apostolus non tantum Ephesi, sed in tota Asia triennii spatium transegit, uti *Act.* xix. liquet. Quæ tamen ratio, salvâ virorum illorum pace, nullius mihi roboris videtur. Nihil enim aliud vult Apostolus, quàm ipsos officii sui admonere, ut non tantum sibi, sed & toti gregi cui præpositi sunt prospiciant, nullâ totius sibi commissi gregis ove neglectâ: non autem, omnem gregem, id est, integram Ecclesiam Christi, ipsorum curæ commissam, utpote quæ Asiæ terminis non continebatur. Eâdem responsione utuntur ad locum *Phil.* i. nempe sub Philippis, Macedoniæ Metropoli, plures civitates comprehensas, quarum singulis peculiaris sit præpositus Episcopus: licet vero antea civitas illa primaria non fuerit, postea, tamen, postquam Romanorum colonia facta est, aliarum principem fuisse. Quod locum *Tit.* i. spectat, agi illic solum de Episcopis, quos & Presbyterorum nomine designari agnoscunt; Titoque præcipi, ut per singulas Cretæ civitates Episcopos constituat. Idem intellige de loco, 1 *Pet.* v.

Quid hic pacis causâ statui possit.

VII. Me quod attinet, libens agnoscam, Ecclesiis ab Apostolis Episcopos, qui Presbyteris gradu aliquo essent superiores, adeoque collegii Presbyterorum præsides, fuisse præpositos. Hac tamen institutione noluisse Apostolos Ecclesiis perpetuam ac immutabilem regiminis formam præscribere, à qua nullo unquam tempore aut casu recedere fas esset: sed quia res est externi ordinis, Ecclesiis libertatem reliquisse eam ad commune suum commodum, usu ita exigente, immutandi. Voluisse nimirum ut per ordinarios ministros Ecclesiæ continuis adhortationibus excitarentur ad pietatem & promotionem in fide: sed in Ecclesiarum arbitrio reliquisse, quales & quanta cum auctoritate sibi Episcopos præficere velint, modo Dei gloriam totiusque Ecclesiæ ædificationem unicum sibi scopum præfigant. Instituisse ergo Episcopos in singulis Ecclesiis, aliquatenus ad imitationem Synagogæ Judaicæ, cui præpositi fuere viri aliquot graves & periti, ut omnia ad communem populi ædificationem dirigerent, qui Chaldaico vocabulo פרנסים, hoc est, ποιμαίνοντες, seu gubernatores appellabantur. In Novo Testamento vocantur ἀρχισυνάγωγοι, *Act.* xiii. 15 & plures ejusmodi uni Synagogæ præfectos fuisse, ex loco illo liquet. Verùm unus inter eos eminebat, eruditionis nomine prælatus cæteris, cujus proprium erat munus, legem interpretari, & preces concipere. Uti accuratiores antiquitatum Judaicarum indagatores observant. Alii tamen credunt, Archisynagogos non fuisse eosdem cum gubernatoribus; & præterea munus illius, qui peculiariter Episcopus, *Chazan*, & Angelus Ecclesiæ vocabatur, propriè fuisse, unoquoque Sabbatho septem è Synagoga, quos idoneos judicabat ad legendum evocare, legenti adstare, summâ curâ observare ne quid falsò aut incongruè legeretur, tum & revocare ac corrigere si in aliquo esset lapsus. Unde & ἐπισκόπου nomen habuit. Quicquid sit, non obtinebat ille imperium in reliquos; sed ad summum collegii eorum erat præses, ut rectè Maldonatus observat in *Matth.* ix. 18. tanquam in scholis, qui Decanus Facultatis appellatur. Quia itaque Apostoli, & Ecclesiæ, quas primò ex Judæis collegerunt, mori illi inter Judæos recepto erant assueti, videntur & eundem morem in Ecclesiam Christianam introduxisse, quemadmodum & plura alia instituta è Synagoga in Ecclesiam traduxerunt. Alibi verò, ubi mos ille Synagogæ ignotus erat, aut commodè introduci non potuisset, videntur aliam regiminis in Ecclesia formam, populi illius ædificationi magis consentaneam, non improbaturi fuisse.

Et à quovis præstari.

VIII. Itaque mea est sententia: Uniuscujusque officium esse, in illa regiminis Ecclesiastici forma acquiescere, quæ in Ecclesia in qua degit communi consensu recepta est, & jam longo usu invaluit: neque ob

externi

externi ordinis negotium, modo ne in tyrannidem degeneret, dominatum in conscientias introducat, Christianamque libertatem evertat, sed confusionis tantum vitandæ pacisque conservandæ causâ mansuetè ac placidè ducat magis homines quàm flectat, turbas concitare, Ecclesiamque in partes scindere. Si quis itaque sub episcopatu vivat, cum ne evertere tentet. Si quis presbyterio subditus vivat, Episcopos, tanquam ad bene esse Ecclesiæ absolutè necessarios, introducere ne moliatur.

An fuerint duo genera Presbyterorum.

. IX. De Presbyteris similiter quæritur, an eorum duo fuerint genera, alii docentes, alii regentes, uti hodie communiter obtinet in Ecclesiis Reformatis. Resp. Quin ordo ille quarundam Ecclesiarum statui sit accommodatus, mihi nullum est dubium: itaque cum fructu illis in Ecclesiis observari potest, præsertim si attendatur, ut, qui Seniores eliguntur, sint viri graves, rerum periti, & in Sacrarum Literarum cognitione exercitati. Non enim, uti diximus, videntur Apostoli usquam Ecclesiis regiminis formam, nullo casu aut tempore mutandam, præscripsisse. In talibus itaque Ecclesia videtur jus habere quod optimum suæque incolumitati convenientissimum videtur, statuendi. Ordinem autem illum ab Apostolis institutum fuisse, aut Apostolorum tempore obtinuisse, ut hodie Reformati contendunt, solidè probari non potest.

Sensus 1 Tim. v. 17.

X. Præcipuus quo nituntur locus exstat 1 *Tim.* v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Inde duplex Presbyterorum colligunt genus, aliorum, qui laborant in verbo & doctrina, hoc est, qui docent: aliorum, qui non in verbo laborant, hoc est, non docent, sed Ecclesiæ regimini adhibentur: verùm collectione non satis solidâ. In textu enim Græco occurrit vox κοπιάω, quæ non simpliciter significat laboro, sed labore me defatigo. Ponit ergo Apostolus discrimen inter Presbyteros. Alii siquidem laborabant in verbo; hoc est, verbum non tantum prædicabant, sed & seduli erant quam maximè in officio suo, in verbo laborabant, & variis sese periculis pro doctrina Euangelii objiciebant: hos duplici honore Apostolus pronuntiat dignos. Alii officio quidem docendi fideliter defungebantur, tantos tamen labores & pro veritate certamina non sustinebant. 2. Honor ille duplex, quo digni dicuntur, est honorarium stipendium: uti ex *vers.* 18. liquet: *Dicit enim Scriptura: non alligabis os bovi trituranti: & : Dignus est operarius mercede suâ.* Nemo autem Presbyteris regentibus stipendium aliquod deberi credit. Alii autem putant, appellationem Presbyteri & rectoris, in Judæorum Synagogis, communem fuisse Episcopis & Diaconis. Presbyteros nimirum qui solum præerant signasse diaconos, qui Presbyteri ac rectores appellati sint, æquè ac Ministri, & in Synagogis Judaicis inter viros ex professo literatos censebantur. Episcopos autem & ministros vocatos τοὺς κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, id est qui operam dabant legi, ut idonei ad docendum fierent; in quorum subsidium etiam decimæ solvebantur: & ad hunc morem respicere Apostolum in hoc loco.

Ex 1 Cor. XII. 28.

XI. Alii hosce Presbyteros regentes designari putant 1 *Cor.* XII. 28. ubi inter munera nominantur κυβερνήσεις. Sed locum inspicienti manifestum est, loqui illic Apostolum de muneribus extraordinariis: tum, incertum est, quale donum hoc fuerit; & ex nuda voce argumentum velle petere, admodum frivolum est. Verùm de tota hac re quisque fruatur judicio suo.

De missione ministrorum.

XII. Expendenda est alia quæstio, majoris momenti & usus, quænam nimirum missio requiratur, ut ministri ordinarii, (sive Episcopi vocentur, sive Presbyteri, sive Concionatores) munus suum legitimè obire queant? Quæstionem hanc Pontificii movent Reformatis, ut occasionem habeant totum Reformationis opus tanquam illegitimum condemnandi. Requirunt ergo, ut quis munus docendi in Ecclesia sustineat, legitimam missionem; non autem esse legitimam missionem, nisi quis à supremo Ecclesiæ rectore, Papa sc. Romano, vel ejus vicariis, ad docendum sit missus, Ecclesiæque antistes constitutus.

Qualis missio requiratur in Ecclesia jam formatâ.

XIII. Fatemur nos, in cœtibus jam formatis & constitutis necessariam esse quandam Ecclesiæ, seu eorum quos Ecclesia delegavit sibique præpositos voluit, electionem & ordinationem legitimam, quæ, sive manuum impositione, sive alio quocunque ritu, peragatur. Verum id non est de essentia muneris Ecclesiastici; sed solummodò ordinis & decori causâ, cujus auctor est Deus, requiritur: 1 *Timoth.* IV. 14. 2 *Tim.* I. 6. Quæ ordinatio peragi solet vel per Episcopum, vel presbyterum, pro varia regiminis Ecclesiastici forma in diversis Ecclesiis recepta. Quoniam enim tota Ecclesia per se omnia procurare non potest, & in tanta multitudine justus confusionis est metus; hinc aliquos constituit, qui suo nomine omnia quæ Ecclesiam in communi spectant, peragant.

In Ecclesia nondum formata, aut collapsa, ea necessaria non est.

XIV. Verùm in prima Ecclesiæ institutione, cum ordo certus nondum est constitutus, aut in ejus restitutione, quando ordo collapsus est, aut ii, qui secundum ordinem receptum missi sunt, à veritate deficientes errores periculosos variasque superstitiones loco veræ ac solidæ pietatis introduxerunt, & pertinaciter retinere cupiunt, ejusmodi missionem, ut legitimè quis do-

cendi munus exercere possit, necessariam esse negamus. Ratio est: Quia Episcoporum officium nihil singulare continet ultra officium omnium fidelium. Duo quippe ipsis incumbunt; ut Ecclesiam doceant, & regant. De doctrina præcipitur 1 *Tim.* IV. 13. 2 *Tim.* I. 13. II. 25. IV. 2. *Tim.* I. 9. III. 8, 9. Atqui id commune est omnium Christianorum officium, *Coloss.* III. 16. 1 *Thess.* V. 14. *Hebr.* III. 13. Regimen in eo consistit, ut diligentem inspectionem & curam habeant vitæ auditorum; tum, ut omnia ad ædificationem, ordinem, & salutem Ecclesiæ dirigant. Atqui id omnibus præceptum legimus; *Rom.* XVI. 17. 1 *Thess.* III. 6. & 14. 1 *Cor.* XIV. 40. Discrimen itaque inter Episcopum & privatum fidelem in eo solùm versari videtur; quòd Episcopus ab Ecclesia speciatim sit delegatus, ut officium quod unicuique incumbit, totius Ecclesiæ nomine administret; adeo ut officium omnibus commune, ipsi, tanquam peculiariter delegato, sit speciale, & in illius administratione integram Ecclesiam repræsentet.

Quid sufficiat ad legitimam ministri missionem.

XV. Ad legitimam itaque ministri missionem sufficit, ut cœtus aliquis fidelium quendam ex medio sui, secundum ordinem Apostolicum exploratum, sibi constituat ministrum, illique jus concedat in Ecclesia ordinariè docendi ac publicè loquendi, omniaque quæ decorum Ecclesiæ & auditorum ædificationem spectant suo nomine administrandi. Estque talis missio necessaria, ut observetur legitimus ordo, sine quo nullus cœtus, nulla societas subsistere potest: ut nempe spontaneâ submissione potestas omnibus communis in unum aut paucos conferatur, & ut illa maximè idoneis credatur. Eaque missio divina meritò vocatur, quia ministri ita missi secundum divinam ordinationem instituuntur, qui hunc in Ecclesia ordinem perpetuum esse voluit, uti ex 1 *Tim.* III. & *Tit.* I constat. Eodem sensu quo *Rom.* XIII. 1. *omnis potestas à Deo* dicitur; quia Deus ordinem illum instituit, ut potestates multitudini regendæ præsint.

Missio divina non est necessaria, nisi in novæ doctrinæ annunciatione.

XVI. Hinc apparet, immeritò Pontificios nobis litem movere de missione. Quoniam enim Reformatores primi, missi non sunt ab ipsorum Pontifice, ejusve vicariis, requirunt in ipsis immediatam missionem divinam: sed absque omni ratione. Missio enim divina immediata eo solum casu est necessaria, quando Dei nomine nova doctrina, antea inaudita, est prædicanda: perinde uti fecerunt Apostoli. Reformatores autem novam non prædicarunt doctrinam, sed doctrinam antea prædicatam, & miraculis sufficienter assertam & stabilitam, variis autem erroribus fœdatam & miserè collapsam, tantum restaurarunt, & à corruptelis vindicarunt. Ad hoc efficiendum immediatâ divinâ missione opus non est, sed solâ Scripturâ, infallibili verbo Dei, ac fidei normâ unicâ ac perfectâ. Quoniam nihil extra Scripturam docendum est, sed solummodò ad illius præscriptum omnia revocanda, & quæcunque illi adversa resecanda. Quilibet ergo solidâ verbi hujus cognitione instructus, & à cœtu quodam in pastorem ascitus, legitimè missus est, sufficienterque instructus ad doctrinam à corruptelis vindicandum.

Sensus Rom. X. 15.

XVII. Hoc observato, facile erit ad omnes Pontificiorum objectiones respondere. Primò objiciunt verba Apostoli, *Rom.* X. 15, *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* At locum inspicienti liquet, mentem Apostoli non esse, licitum nulli esse prædicare, nisi mittatur; sed absque missione neminem prædicare posse. Agit siquidem de promulgatione novæ doctrinæ, cujus revelatio à solo Deo haberi potest ac debet. In præcedentibus enim inquit, *Quomodo credent ubi non audiverunt? quomodo audient sine prædicante?* Id enim non significat, quomodo jus credendi aut audiendi habebunt? sed, quomodo credere vel audire possiunt? Alia est ratio, quando doctrina à Ministris immediatè à Deo missis plenè ac perspicuè est promulgata, ac miraculis sufficienter confirmata: tum enim unicuique liberum est alios eam porro docere, & ad illius observationem hortari. Nullâ huc divinâ missione est opus: requiritur tantum cognitio genuini sensus legis divinæ, & charitas hominem ad alterius institutionem impellens, & prudentia utramque hanc dirigens.

Joan. X.

XVIII. Secundò: Proferunt verba Domini, *Joan.* X. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Intrare* autem *per ostium*, ajunt, est, legitimâ viâ & auctoritate intrare: ergo *non intrare per ostium* est, absque legitima auctoritate intrare. *Resp.* Christus seipsum vocat *ostium*: ergo *intrare per ostium*, est, intrare per Christum. Non enim de pastorum missione hîc loquitur Dominus, sed de eorum officio, quod exigit, ut ovium curam gerant, earumque bonum procurent, juxta Domini præceptum, non verò sui compendii causâ ad oves intrent. Illud enim verorum pastorum, hoc furum officium est.

Joan. VII. 18.

XIX. Tertiò: Pugnant verbis Domini *Joan.* VII. 18. *Qui à semet ipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Resp. Qui docet Scripturam, non loquitur à semetipso. Explicationem quidem Scripturæ, quam affert, aliis, ut tanquam divinam recipiant, præscribere nequit; idque si conetur, divinam sibi missionem arrogat; sed rationibus, etiam ex ipso verbo divino desumtis, persuadere conatur: nihil itaque præscribit, nisi quod à Deo mandatum ex ipsa Dei lege evincit.

evincit. Sicut ergo qui legem à Magistratu latam alteri, illius ignaro, explicat, non à se loquitur; ita nec qui mandata Dei alteri ipsius Dei verbis inculcat.

Hebr. v. 4.

XX. Quartò: Urgent verba Apostoli, *Hebr. v. 4. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Resp. Agitur illo in loco de Sacerdotio, cujus interventu magna hominibus à Deo conferebantur beneficia, remissio sc. peccatorum. Profectò hunc honorem sibi nemo arripere poterat. Dei solius est, disponere de beneficiis suis, & constituere internuntium, cujus interventu placari velit hominibus. Hic autem agitur de iis, qui verbum à Deo revelatum tantum sunt expositurі, & aliis inculcaturi Quod cum Deus omnium fidelium commune esse officium voluerit, ut jam vidimus, speciali ad id missione opus non est. Concludimus ergo, si quis donis ad docendum aptis instructus est, & ab Ecclesia in Doctorem eligatur, eum legitimè esse missum, nec alia missione indigere.

Modus eligendi episcopos.

XXI. Modus autem eligendi duplex occurrit in Scriptura. *Act. 1. 15. & seqq.* dicitur totius Ecclesiæ communibus calculis Matthias undecim Apostolis in Judæ locum adjunctus, isque modus etiam in prima Diaconorum electione observatus est, *Actor.* VI. 3. Alibi verò dicuntur Paulus & Barnabas Ecclesiis Episcopos præfecisse, *Actor.* XIV. 23 jubetque Paulus, ut Titus in Creta per singulas civitates Episcopos constituat. *Tit.* 1. 5. Exinde liquet, vel totius Ecclesiæ esse, aliquos è medio sui eligere, quibus munus ordinariè in Ecclesia docendi imponat; vel ab Ecclesiæ præfectis eos eligi & Ecclesiæ præponi. Prior modus potissimum locum habet in prima Ecclesiæ constitutione, quando nondum certus ordo introductus est, juxta quem omnia Ecclesiæ regimen spectantia dirigantur. Omnino enim æquissimum est, ut integra Ecclesia certos sibi deligat, quibus auctoritatem omnia suo nomine administrandi conferat. Quoniam autem in multitudine, præsertim si Ecclesiæ magno numero constent, facile confusionis est metus; hinc in Ecclesia jam constituta convenientius est, electionem certo ordini alligare, eamque committere paucioribus, qui & prudentiâ, rerum experientiâ ac moderamine alios antecellunt: Sive unus ejusmodi Ecclesiæ sit præfectus; quemadmodum in Ecclesiis obtinet Episcopali regimini subjectis; sive plures; uti in Ecclesiis presbyteriali regimini assuetis contingit. Ubi tamen notandum, non esse Episcopum Ecclesiæ præficiendum absque Presbyterii ordinatione: *1 Tim.* IV. 14.

Requisita in Episcopo.

XXII. Sed sive per Episcopum, sive per Presbyterium, sive à tota Ecclesia ministri electio peragatur, in ipsa electione ante oculos habere oportet Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem; adeoque seposito omni humano affectu, ad requisita Episcopi ab Apostolo commemorata, *1 Tim.* III. & *Tit.* 1. solummodò est respiciendum; neque quisquam, nisi post diligentem & accuratam explorationem secundum Apostolicas regulas, ad munus istud promovendus est.

Duum generum.

XXIII. Dotes in Episcopo requisitæ, variæ ab Apostolo locis dictis recensentur. Earum aliæ spectant doctrinam, aliæ vitam ac mores.

Aliæ spectant Doctrinam.

XXIV. Quod doctrinam spectat: requiritur ut sit διδακτικός, *1 Tim.* III. 2. id est, aptus ad docendum; qui nempe solidâ verbi divini cognitione imbutus, sensum ejus aliis explicare potest, ipsosque in veritate salutari confirmare, quin & contradicentes redarguere, veritatemque divinam à strophis & objectionibus aliorum vindicare; uti id fusius explicatur *Tit.* 1. 9.

Aliæ vitam ac mores.

XXV. Quæ vitam spectant duo requirunt. 1. Ut ab iis sit vitiis immunis, quibus tam honorificum munus dedecore afficitur. 2. Ut illis instructus sit virtutibus, quibus ornatus munere hoc cum fructu & ædificatione fungi possit.

A quibus vitiis debeat esse immunis.

XXVI. Prioris generis dotes sunt hæ. I. Ut sit *irreprehensibilis*, *1 Tim.* III. 2. *Tit.* 1. 6, 7. Est hoc generale, & requirit, ut nullum ipsi crimen meritò objici possit, quod ad muneris dehonestationem faciat. Liberum ergo esse vult, non tantum à peccati prava consuetudine aut improbitate sed & ab ejusmodi facto singulari, quod ignominiæ notam ipsi inurere potest, atque ita omnem, quem in munere spectat, fructum impedire. Itaque non præsens tantum, sed & præteritum vitæ tempus in considerationem venit, ne quis eligatur, qui facto aliquo turpi ignominiam contraxit. Illud tamen non impedit, quo minus eligatur, qui habitum vitiosum, unde infamiam tantam non contraxit, per sincerum pietatis studium exuit, ac per longam assuetudinem pietatis habitum contraxit. II. Ne sit *vinolentus*, *1 Tim.* III. 3. *Tit.* 1. 7. Quia, ne alia jam commemorem, cum vigilantia & cura Ecclesiæ in Episcopo requisita omninò pugnat, omnemque ei auctoritatem demit. III Ne sit αὐθάδης, ne nimium sibi placeat, & pertinax sit in retinendis & defendendis iis quæ ipsemet invenit, aut semel approbavit. Oritur plerumque ex superbia, estque vitium hominem invisum reddens, aliorumque consilia salutaria respuentem. IV. Ne sit *iracundus*: quia ira homines, qui docendi & monendi sunt, absterret, quando nim: veritas in tali casu satis odiosa, per amaras & iracundas increpationes magis ingrata redditur: tum & prudentiam, in Episcopo vel imprimis requisitam, tollit. V. Ut sit *alienus ab avaritia*, & *ne turpis lucri sit cupidus*, *1 Tim.* III. 3. *Tit.* 1. 7. hoc est, ne res sacras habeat venales, aut quæstus gratia E-

 piscopi

piscopi munus ambiat. VI. Ne sit *novitius*, 1 *Timoth.* III. 6. Ratio additur: ne illo subitaneo honore insolescat.

Quibus virtutibus instructus. XXVII. Secundi generis dotes, sunt virtutes in illo requisitæ, eæque variæ. I. Pietas; *Tit* I. 8. id est, ut se Dei reverentiâ duci verbis factisque ostendat, religionisque amore sit imbutus. II. Ut sit *justus*, & *æquus*, 1 *Timoth.* III. 3. *Tit.* I. 8. Ut non tantum unicuique suum tribuat; sed & summa cum animi moderatione cum aliis versetur, & benignè ac placidè eos tractet. Quibus III. additur, ut sit *bonorum amans*, & *hospitalis*. IV. Ut sit *sobrius*, 1 *Tim.* III. 2. *Tit.* I. 8. ne gulæ aut ventri serviat, aut ditiorum convivia ambiat. V. Cui virtuti proximè conjuncta est castitas, quam Apostolus sub voce continentiæ requirit: *Tit.* I. 8. Ad illam referendum, quod utroque in loco commendatur, ut sit VI. *Unius uxoris vir*. De hujus requisiti sensu disputatur. Quidam volunt à munere episcopatus excludi, quotquot secundam, priore defunctâ, duxerunt uxorem. Sed verò, non comperiemus plurium uxorum virum nominari, qui priore uxore defunctâ secundam superinduxerit. Itaque dicendum, aut castitatem matrimonialem hic requiri in Episcopo eligendo, ut unius uxoris vir sit, hoc est, ne aliam præter suam uxorem spectet, eique uni in re matrimoniali se addictum servet: eodem sensu, quo adulteri plurium uxorum viri dicuntur. Vel si cui sensus hic durior videtur, uti revera durus est, exigi ut nemo polygamus, qui pluribus uxoribus simul alligatus est, ad Episcopi munus eligatur: qui videlicet priore uxore ante fidem suam repudiatâ (uti non tantum inter Judæos, sed & Ethnicos repudia in usu erant) extra casum adulterii, aliam superinduxerit. Cùm enim lex Christiana quodvis divortium, excepto casu adulterii, improbet, talis juxta legem Christianam à prioris matrimonii vinculo exsolutus non est, atque ita revera duas habet uxores. Quoniam itaque Episcopatus non committi debet, nisi irreprehensibilibus, & Ecclesiæ cui præsunt exemplaribus futuris, meritò Apostolus tales inde excludit. Neque explicationi huic obstat, quod 1 *Timoth.* V. 9. Apostolus viduam diaconissam eligi vult, *quæ fuerit unius viri uxor*; quæ alia esse non videtur, quàm quæ uno tantum matrimonio uni viro copulata fuit; quoniam fœminis marito repudiato alteri nubere fas non fuit: credibile autem non esse, in Episcoporum electione eam regulam spretam, quæ in diaconissis eligendis observabatur. Non enim aliæ intelligi videntur viduæ, quàm quæ, à marito suo illegitimè dimissæ, illo vivente ante fidem suam in Christum alteri matrimonio fuere copulatæ, atque ita juxta legem Christianam revera duos simul habuere maritos; quas à munere diaconissarum excludi vult Apostolus; quia non nisi vitæ inculpatæ & irreprehensibilis ad id admitti oporteat. Ratio explicationis hujus est, quia Apostolus junioribus viduis suadet, ut nubant: non autem credibile est, eum id consilii ipsis voluisse dare, quo in posterum honore diaconatus excluderentur; quod necesse foret, siquidem viduas duo expertas matrimonia eligi prohiberet. Huic nostræ explicationi duo objiciuntur. Primò. Quòd talis vidua duorum simul virorum uxor dici non potuerit; cùm enim Deus olim repudium permisisset, revera repudiata solvebatur priori vinculo, & libera evadebat cui vellet nubere. *Resp.* Id quidem verum est, juxta legem sub qua vixit ante fidem in Christum, adeò ut à viro repudiata ad alteras nuptias transiens nihil contra legem peccaverit; interim negari nequit, talem mulierem per legem Christi censeri duorum simul maritorum uxorem: quia licet juxta legem Mosis, quæ ob quascunque causas divortium permisit, unius tantùm mariti uxor censeri debeat; tamen juxta legem Christi, quæ divortium extra causam scortationis illicitum declarat, mulieremque repudiatam si alteri nubat scortatricem pronuntiat, revera duos simul habet maritos; & ex illa lege, quam Christum professa amplexa est, nunc de facto illius judicium institui debet. Non potest quidem rea agi scortationis aut adulterii; quoniam indulto legis, cui subjecta fuit, usa est: attamen ad fidem Christi transiens, propter defectum illum, quem religio Christiana damnat, quique in integrum restitui nequit, excluditur honore diaconissæ, quod munus vitam ab omni reprehensione puram requirebat. Secundò objicitur; quod repudiatæ nubere honori sit, & in repudio viduæ permanere infamiæ, saltem quoad homines; & videretur Apostolus meliore conditione ponere eam, quæ in repudio senuerit, quàm eam cujus maculam ducens illam alius absterserit. *Resp.* 1. Argumentum illud facile retorqueri posse. Si enim omnes viduas plures quàm unum maritum expertas, Apostolus à diaconissæ munere excludat, necesse est illas etiam excludi, quæ a priore marito repudiatæ alteri nupserint; non verò excludi, quæ in viduitate absque secundis nuptiis senuerint; aut quarum maritus post missum repudium obiit, ipsæ verò cum alio nuptias non contraxerint. Atqui nec earum infamiam alius illas ducens absterserit. 2. Ut verò pressius respondeam, dico; non semper quicquid in hominum oculis honoratius est, aut olim sub Lege fuit, etiam coram Deo præstantius esse, aut convenientius ad munus quodpiam in Ecclesia Novi Testamenti administrandum. Quod ex hoc ipso exemplo apparet.

paret. Status conjugalis ſub Veteri Teſtamento honoratior habitus fuit, quàm cœlebs: hinc & filia Jephthæ, quoniam per votum paternum tanquam Deo ſacrata ſecludi & matrimonii expers vivere debuit, virginitatem ſuam deflevit: tum & maximè probroſum judicatum fuit, nullam relinquere poſteritatem: atqui cœlibes, nullum planè matrimonii experti, maximè epiſcopatui idonei judicantur, uti & virgines quæ in Diaconiſſas eligantur. Eodem modo & repudiatæ, ſecundas nuptias non expertæ, aptiores eſſe poſſunt ad munus diaconiſſarum, licet illarum infamiam coram hominibus ſequens maritus non abſterſerit, quàm quæ ſecundo matrimonio coram hominibus honoratæ videntur: quoniam, licet coram hominibus per ſecundum matrimonium infamia qualiſcunque per repudium contracta deleatur, actus tamen committitur, qui licet olim fuerit toleratus, nunc à Domino Jeſu pronuntiatur eſſe ſcortatio. Tandem ajunt, Apoſtolum, ſi id, quod nos contendimus, voluiſſet, nimis obſcurè aut conciſè locutum fuiſſe. Reſp. Ad aliquam quidem habiturum ſpeciem, ſi caſus ille olim in Eccleſiæ initio æquè ignotus fuiſſet fidelibus, atque nunc eſt nobis. Quia enim caſus ille nunc non exſtat, obſcurior videtur locutio, unius uxoris maritum, aut unius mariti uxorem accipere de marito, qui unam tantum, non plures ſimul, ſive priore repudiatâ, ſive retentâ, duxerit. Inde verò minimè ſequitur, quòd olim, cùm caſus ille crebrior erat, ſermo obſcurior fuerit, cùm hoc ſenſu phraſis hæc accipitur. Ego credo nullam, cùm Apoſtolus hanc ſcribebat epiſtolam, in ea phraſi fuiſſe obſcuritatem. Exinde autem, quòd Apoſtolus requirit, ut Epiſcopus unius uxoris vir ſit, concludi nequit, Epiſcopum neceſſariò debere eſſe conjugatum; ſed ſolummodò, ſi conjugatus ſit, uni tantum uxori copulatum. Rectè autem infertur, inſtitutum Romanæ Eccleſiæ, Clericis matrimonium illicitum decernentis, non eſſe inſtitutum Apoſtolicum, ſed decretum merè humanum. Hiſce porro additur VII. Ut ſit *gravis*, ac *vigilans*; & porrò, ut *domui ſuæ bene præſit*, *& liberos habeat in ſubjectione*. Non enim tutò domus Dei, ſeu Eccleſiæ, regimen illi committitur, qui propriæ domui præeſſe nequit, 1 *Tim.* III. 5. Tandem, ut bonum teſtimonium habeat, etiam ab extraneis, 1 *Tim.* III. 7. ne quis vitam ejus calumniandi occaſionem habeat; ipſeque bonum Euangelii odorem, etiam ad extraneos, diſpergat, ut Chriſto lucrifiant.

CAPUT V.

De munere Epiſcoporum & Presbyterorum.

Munus Epiſcoporum.

I. RESTAT tandem ut Epiſcoporum & Presbyterorum, ſeu Antiſtitum Eccleſiæ, munus conſideremus. Duo illud continet, Doctrinam, & regimen Eccleſiæ.

Præparatio ad muneris functionem.

II. Ut autem munere hoc ritè quis fungatur, ante omnia neceſſe eſt, ut ſe debitè ad illius functionem præparet. Huc requiritur, ut accuratè naturam & rationem muneris ſibi concrediti conſideret: nimirum ſe eſſe miniſtrum Dei, ut voluntatem divinam hominibus prædicet: Officium ergo ſuum eſſe, 1. ut plenè de voluntate Dei perſuaſus ſit, & ὑποτύπωσιν habeat ſanorum verborum, 2 *Tim.* I. 13. corpus quoddam doctrinæ voluntati divinæ planè conveniens. Hunc in finem aſſiduus ſit in Sacræ Scripturæ lectione, ex qua ſola ſalutaris doctrina peti poteſt. 2 *Tim.* I. 13. Hinc Apoſtolus Timotheum monet, *attende lectioni*, 1 *Epiſt.* IV. 13. 2. Ne metu hominum quicquam taceat, quod Deus docendum jubet. Illud exigit Dominus *Matth.* X. 28. ideoque Apoſtoli Synedrio Judæorum ajunt, *Judicate, an æquum vobis magis obedire, quàm Deo? Actor.* IV. 19. Et Paulus inquit, *Si ſtuderem hominibus placere ſervus Chriſti non eſſem. Gal.* I. 10. Non ergo metu perſecutionum deficiat in munere ſuo: *Mercenarius fugit, quia mercenarius eſt*: *Joan.* X. 13. 3. Ne quicquam Eccleſiæ tanquam neceſſarium præſcribat, præter id quod Deus neceſſarium declaravit; neque fidei regulas extra verbum Dei cudat, hominesque loquendi formulis, Scripturâ non contentis, ſed à ſe excogitatis, alliget. Sed de eo poſtea fuſius. 4. Ut gloriam Dei & Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſalutem unicè ante oculos habeat, abnegato proprio commodo. Tandem, ut alienus ſit ab omni ambitione, quæ & ſæpe pervicaciam generat, aut erga diſſentientes odium & inimicitiam.

Pars muneris eſt doctrina.

III. Doctrina, quam muneris Antiſtitum partem diximus, conſiſtit partim in aſſertione veritatis, partim in formatione morum. Ut officium hoc ritè impleat, requiritur in eo Cognitio & Prudentia.

Quid docere debeat Epiſcopus.

IV. Ad cognitionem ſpectant omnia quæcunque à Miniſtro docenda ſunt. Hæc ſunt, omnia quæ faciunt ad fidem & ædificationem quæ in fide eſt: uti præcipitur, 1 *Tim.* I. 3. *& ſeqq.* IV. 7. VI. 3. Ergo docenda veritas ſalutaris, ſine cujus cognitione fides conſiſtere nequit, atque adverſus contradicentes validis rationibus eſt adſtruenda, & ab objectionibus vindicanda; ut & auditores *rationem reddere* norint *ejus quæ in* *ipſis*

ipsis est spei, 1 *Petr.* III. 15. & *sensus habeant exercitatos ad discretionem boni ac mali*, *Hebr.* v, 14. 2. Veritas non quidem absolutè fundamentalis, sed utilis admodum, tum ad solidiorem in veritate salutari confirmationem, ut fideles sint *radicati in Christo, & superædificati in ipso, & confirmati fide*, *Coloss.* II. 7. tum ad majorem in virtutibus Christianis progressum, ut ita continuò magis ac magis ad perfectionem enitantur, & ἀκριβῶς *ambulent, non ut insipientes, sed sapientes*; *Ephes.* v. 15, 3. Veritas hæc auditorum ædificationi est applicanda ad emendationem, adhortationem, consolationem, ut ita vitam secundum illius præscriptum componere, singulasque doctrinæ Christianæ partes ad pietatis incrementum applicare, & *dignè vocatione qua vocati sunt ambulare* discant, *Eph.* IV. 1. Hinc maximè inculcanda veritas, quæ tota ad pietatis promotionem comparata est: doctrinæ verò, quæ intellectum inani tantum speculatione pascunt, ut inutiles, imo pietati noxiæ, mentemque à seria morum formatione avocantes, vitandæ; juxta 2 *Tim.* II. 16, 23. *Tit.* I. 14. III. 9, 10. Quia autem ab illis, qui veritatem oppugnant, etiam illi contrarii errores solent defendi, etiam illi sunt impugnandi, & ex verbo Dei confutandi. *Tit.* I. 9. hinc 2 *Tim.* III. 16. Scriptura dicitur utilis non tantum ad doctrinam, sed & *ad redargutionem*. Potissimum autem in illis evellendis opera est insumenda, à quibus certæ pietati pernicies imminet. Breviter, salutaris veritas plene ac perfectè est adstruenda & inculcanda, nihil ut reticeatur, quod ad salutem auditorum necessarium est; ut dicere possit cum Apostolo; *Act.* XX. 26, 27. *Contestor vos hodierno die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

Limites muneris sui excedere non debet. V. Sed & ab altera parte, quia minister est Dei, nihil debet committere quo ministri limites excedat, sibique partem in dominio Dei arroget. Quia itaque Deus omnem quæ ad salutem necessaria est veritatem in Scriptura Sacra plenè ac perspicuè expressam reliquit, sive totidem verbis, sive evidenti & omnibus sanâ mente præditis obviâ consequentiâ ex iis quæ totidem verbis exstant deducendam; nihil in Scriptura ut necessaria definitis adjicere debet, aliisque tanquam necessariò credendum aut observandum imponere. Tum enim non Dei, sed suum prædicat verbum, legesque salutem consequendi non ex Dei verbo haurit, sed ipse propriâ auctoritate cudit. Distinguere ergo accuratè debet inter verba Dei, & sua. Quæ à Deo clarè sunt præcepta, aliis ut præcepta divina præscribere debet; ita tamen, ut auctoritatem habeant à Deo, ipse tantum eorum præco sit; ut dicere possit cum Apostolo, 1 *Cor.* XI. 23. *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Quæ clarè à Deo revelata aut præcepta non exstant, sed ipse diligenti inquisitione, seria meditatione & ratiocinatione ex verbo divino collegit, & de quorum sensu discrepantes sunt & esse possunt doctorum sententiæ, à præceptis Dei accuratè distinguere debet, liberamque unicuique credendi quod sibi, omnibus ritè perpensis & ad verbum Dei examinatis, verissimum videtur, facultatem concedere, neque dictis suis ulterius quemquam adstringere, quam ex Dei verbo ac evidenti ratiocinatione ipsi persuadere potest: si quos convincere nequit, tamen errantes & infirmos, attamen fratres, tolerare.

Quinam contra munus hoc peccent. VI. Contra officium hoc peccant. I. Qui traditiones non scriptas, tanquam regulas fidei & vitæ necessario observandas huic verbo adjiciunt. II. Qui articulos & dogmata, in Scriptura non clarè definita, & de quorum veritate variantes sunt Doctorum sententiæ, tanquam necessaria urgent: atque ita ex articulis non fundamentalibus fundamentales faciunt. Hi enim auctoritatem divinam, cujus solius est uti salutem hominibus dare, ita & leges salutis obtinendæ præscribere, usurpant: & verbum Dei insufficientiæ tacitè insimulant, dum alia illic non definita, ad salutem requiri contendunt. Ex quo porro oriuntur facta sanctissimis hujus religionis præceptis planè contraria; nim: ex albo Christianorum proscriptio omnium illorum qui placitis illis assensum non præbent: Odium, inimicitiæ, & persecutiones variæ, quæ charitatem Christianam lædunt & exstinguunt. III. Qui phrases ac loquendi formulas extra & præter Scripturam aut ipsi excogitant, aut ab aliis excogitatas amplectuntur, aliisque tanquam necessarias obtrudunt. Quanquam enim unicuique liberum est; mentem suam phrasibus quas putat accommodatissimas, exprimendi: nullum tamen aliis eas præscribendi jus habet. Quin & hac suâ actione Spiritum Sanctum aut ignorantiæ, quasi non potuerit, aut invidentiæ, quasi non voluerit mentem suam aptioribus & clarioribus verbis exprimere, insimulant. Dices. Ejusmodi phrases necessariæ sunt ad detegendos hæreticos; quia illi sententiam suam verbis Scripturæ Sacræ occultant. Resp. Illos pro hæreticis non esse habendos, qui unicè verbo Dei adhærent, neque sibi quicquam, nisi in Scriptura clarè definitum, humanâ auctoritate obtrudi patiuntur. Tales enim in errores letales incidere nequeunt. Si tamen in levioribus errent, uti hoc contingere aliquoties indubium est, ex Sacra Scriptura erudiantur, & interim tanquam Christiani tolerentur. Potestatis humanæ limites transgreditur, qui fidelibus jugum, à Deo non impositum,

tum, imponere præsumit. Si enim verba Scripturæ ambigua sunt, & laxioris significationis, quis nobis jus ac auctoritatem concessit, quod controversum, & in Scriptura non clarè decisum est, in alteram partem decidendi, aliosque nostræ interpretationi, quam illi Scripturæ adversam credunt, alligandi? Ne hic impingamus, loquamur linguâ Spiritus Sancti in Scriptura loquentis, & quæ necessariò credenda aut facienda præscribimus, enunciemus *non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus*, 1 *Cor*. II. 13 & cum Apostolis *Act*. II. 4. *prout Spiritus Sanctus* nobis *dedit*, videl. in Scripturâ, *eloqui*: accuratè semper interpretationes nostras à verbis Dei distinguendo.

Quis sit falsus Doctor. VII. Hinc jam infallibile desumi potest κριτήριον, quisnam pro vero, quisnam pro falso doctore sit habendus. Quæstio satis ardua in Ecclesiâ Christiana, quæque omnes sollicitos tenet: sed quæ commodissimè per hanc regulam expediri potest. Quicunque non docent doctrinam illam, quam Apostoli ad salutem necessariam esse docuerunt, vel illi aliquid, tanquam ad salutem necessarium, superaddunt, qualeserant in quos Apostolus in *Epist. ad Gal.* tam acriter invehitur, illi sunt falsi doctores. Non ergo statim concludendum, si doctorem quempiam comperiamus in quibusdam errare, eum esse falsum doctorem. Dolenda quammaximè est illa plerorumque Christianorum judicii perversitas, quamcunque dissensionem à salute excludere credentium, ideoque ob quamcunque exortam controversiam conservos suos tanquam falsos doctores traducentium: cùm ille tantum falsus sit doctor, qui salutis consequendæ viam aliam, præter eam quam Apostoli docuerunt, præscribit. Quales sunt 1. Qui ea, quæ Apostoli credenda aut facienda docuerunt ut salus obtineatur, non docent. Hoc ipsa res clamat. 2. Qui præter doctrinam ab Apostolis traditam, dogmata quædam, ab Apostolis nusquam ut creditu aut factu necessaria determinata, ab omnibus quos docent, tanquam necessaria credi & retineri cupiunt; phrasesque non à Spiritu Sancto dictatas, sed à se excogitatas, aliis tanquam necessarias obtrudunt, & per ejusmodi professionem etiam ab illis, qui omnia ab Apostolis ut necessaria præscripta ex animo credunt ac confitentur, discerni cupiunt. Tales enim hoc suo facto doctrinam Apostolorum insufficientiæ arguunt, illique aliquid necessariò recipiendum superaddunt, ac proinde divinam sibi missionem, quâ destituti sunt, arrogant: quod falsorum Doctorum est.

Quis verus. VIII. Quicunque autem ea solummodò docet necessaria, quæ Apostoli nobis necessaria creditu ac factu docuerunt, neque præter hæc quicquam aliis ut necessariò credendum præscribit: quique nullum horum reticet, sed omnia accuratè inculcat, (qualia pauca sunt, nim: quæ clarè, & quidem cum necessitatis nota in Scriptura sunt expressa) is verus est Doctor, in aliis licet minoris momenti capitibus forte erret. Quamvis enim omnis error veritati repugnet: error tamen, qui fundamentum salutis non evertit, nequaquam efficere potest, ut aliquis falsus sit censendus Doctor, quia eo non obstante, nihilominus integram docet veritatem salutarem, quæque ad æternam obtinendum salutem est sufficiens.

Prudentia in docendo præceptum primum. IX. Prudentia hisce præceptis absolvitur. Primò. Ratio habenda, ut auditores salutaris veritatis cognitione imbuantur, *Hebr*. V. 11, 12, 13. 1 *Cor*. XIV. 20. Major autem ut moribus ornentur; quia cognitio absque pietate inutilis, imo noxia, & gravioris condemnationis causa est: *Matth*. VII. 21. *Luc*. XII. 47. *Rom*. II. 12 *Jacob*. IV. 17. & alibi. Illa itaque maximè sunt inculcanda quæ mores perficiunt: quæ autem mentem cognitione illustrant, eatenus, quatenus ad confirmationem fidei & formationem morum necessaria sunt. Hinc & quando veritas adstruitur, etiam in difficilioribus quibusdam Religionis Christianæ dogmatibus, continuò indicandum, quem ad vitæ emendationem studiumque pietatis respectum habeat. Quæ verò nullum cum pietate habet vinculum cognitio, ut inutilis, imo noxia, est negligenda: 1 *Tim*. I. 4 *Tit*. III. 9.

Secundum. X. Secundò. Sæpius adstruenda est veritas, quàm errores refutandi: ut appareat doctrinam nostram esse doctrinam pacis ac charitatis, neque auditores ad contentiones ac pugnas excitantem, sed ad vitæ emendationem & fraternum erga alios amorem.

Tertium. XI. Tertiò. Magna est ratio habenda circumstantiarum, sc loci, temporis, & personarum. Omnia omnibus temporibus & locis non conveniunt: & pro circumstantiarum diversitate docendi ratio ac methodus varia esse debet. Si doctrinæ caput magni ad pietatem usus impugnetur, illius veritas sæpius est inculcanda; etsi alia sint dogmata majoris momenti, sed de quibus nulla movetur controversia. Personarum autem maximè est habenda ratio: pro captu enim auditorum docendi modus est accommodandus: omnia enim omnibus promiscuè proponi non debent; 1 *Cor*. III. 1, 2. *Hebr*. V. 11, 12. 13. VI. 1, 2. & *seqq*. Multa utiliter proponi & ventilari possunt in cœtu exercitatorum, quæ admodum noxia forent in cœtu rudiorum. Illud quammaximè observandum est concionatori, qui ad integrum cætum, ex pluribus diversi admodum in veritatis cognitione profectus constantem, verba facturus

est, ne temerè quid moveat, quod privatim coram exercitatioribus utiliter quidem tractari potest, sed in cœtu majori ventilatum non ædificationem sed offensionem pariet. Huc refer, quod Apostolus 2 *Tim.* II. 15. in Ministro exigit, ut *rectè secet sermonem veritatis:* similitudine ductâ à patre familias, qui liberis ac famulis cibum secat, & unicuique ratione dignitatis, ætatis, virium ac laborum, convenientem portionem dat. Agere debet prudentis instar medici, qui non tantum considerat naturam morbi, & efficaciam remedii, sed & vires ægri. Potissimum prudentia hæc adhibenda est, quando dubium quoddam oritur circa doctrinæ aliquod dogma in Ecclesia receptum: ut illius momentum & pondus accuratè & maturo cum judicio expendatur. Si enim, diligenti adhibito examine, parvum ad confirmationem fidei & promotionem pietatis comperiatur habere momentum, præstat dissimulare, quàm intempestivâ illius ventilatione pacem Ecclesiæ in periculum adducere. Quin & si majoris comperiatur esse momenti, prudentiæ est, cum viris doctis, moderatis, ac piis, privatim conferre, dubiaque nostra ipsis examinanda proponere, si forte ipsorum ope ac industria eximi possint, antequam error, jam aliquot annorum decursu & communi consensu roboratus, publicè convellatur.

Quartum. XII. Quartò. In congressu cum adversariis magnus est personarum delectus habendus. Vitandi enim illi sunt, ex quorum vita & moribus justè colligimus, frustra nos operam apud ipsos adhibituros. Quales sunt, 1. Homines apertè improbi, qui non tantum doctrinam pietatis præfractè respuunt, sed & cavillari & ridere solent, & impietatis prætextum quærunt: 2 *Tim.* III. 2, 3. *& seqq.* maximè vero, qui occasiones quærunt in veritatis doctores insurgendi; quos canibus, qui aliquando in prætereuntes insiliunt eosque lacerant, Servator noster comparat, vitandosque docet, *Matth.* VII 6. 2. Homines contentiosi & pertinaces, qui, ut ingenii acumen ostentent & apud vulgus gloriolam captent, de rebus non magni momenti, & nullius ad pietatem usus, contentiones pertinaciter fovent; 1 *Tim.* VI. 4. & *Cap.* I. 4. 2 *Tim.* II. 23. *Tit.* III. 9, 10.

Quintum. XIII. Quintò. Tempore persecutionis, ne temere quibusvis se credat. Sic Dominus jubet Apostolis, *Matth.* X. 16, 17. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete ab hominibus:* & ipse se Judæis, quorum animos noverat, non credidit, *Joan.* II. 24, 25. Hanc etiam Timotheo prudentiam commendat Paulus, 2 *Epist.* IV. 14, 15.

Sextum. XIV. Sextò. Tandem non exigua prudentiæ in Ministro requisitæ pars occupatur in afflictorum, præcipuè autem ægrorum, consolatione. Jubentur quippe ægroti ad se advocare Presbyteros Ecclesiæ, *Jacob.* V. 14, 15. omniumque ægrorum commune votum est, indubiâ salutis æternæ spe ex ore Presbyteri aut Ministri confirmari: cùm tamen omnibus promiscuè consolatio adhiberi nequeat; sed pro diversa cujuscunque ægri conditione, vitæque anteactæ vel minore vel majore probitate, vel etiam improbitate, consolatio admodum variare debeat, quin & consolationis loco quandoque seria ac acris objurgatio & increpatio adhibenda sit. Quomodo verò omnia hæc prudenter sint temperanda, ex iis, quæ de ægrorum officiis disseruimus, peti possunt.

XV. Ad prudentiam quoque spectat, ut summa cum alacritate ac studio in munere suo versetur. Huc refer, quod *Rom.* XII. 8. jubetur, ut *qui præëst, in diligentia* præsit: & quod *Hebr.* XIII. 17. præpositi *pro animabus vigilare* dicantur: vigilantia enim summam diligentiam notat. Hunc in finem omnia quantum in se est impedimenta, quibus in muneris exercitio retardetur, amoveat: Ne negotiis secularibus & rei familiaris cura nimis implicetur, 2 *Tim.* II. 4. Imprimi discat sorte suâ esse contentus, 1 *Tim.* VI. 6. & ejusdem animi esse cum Apostolo Paulo, qui sciebat *humiliari & abundare, satiari & esurire, abundare & penuriam pati*, *Philip.* IV. 12. Anxia enim rei domesticæ cura etiam avocat à fideli administratione muneris. Et semper vigilet ac intentus sit gregi, providens ne aliqua corruptio, sive in doctrina sanctitatis, sive in rectitudine morum, irrepat in Ecclesiam; illisque summa cum alacritate se opponat. *Actor.* XX 30, 31. 2 *Tim.* IV. 4, 5. Ac tandem in eo totus sit, ut mutua charitate ac concordia membra Ecclesiæ, tanquam unius mystici corporis, cujus caput est Christus, membra, inter se sint unita: *Eph.* I. 22, 23. IV. 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Aliud ad prudentiam spectans.*

XVI. Regimen Ecclesiæ, altera muneris Antistitum pars, in eo consistit, ut accuratam Ecclesiæ curam gerant, ut mores ejusdem juxta doctrinam à se fideliter propositam instituantur, & ut omnia in Ecclesia ordinatè fiant ad omnium ædificationem. Huc requiritur. *Altera pars muneris est regimen Ecclesiæ.*

XVII. Primò. Ut exemplo bono aliis præcant, 1 *Tim.* IV. 12. *Tit.* II. 7. 1 *Pet.* V. 3. Ad exemplar quippe reliqua componuntur, tanquam ad regulam & normam: in regula autem major requiritur excellentia, quàm in regulato, & ubi regula deficit, ibi etiam regulatum deficere necesse est. Vult ergo Apostolus, Ecclesiæ doctores vitam juxta Euangelii præcepta ita exactè instituere, ut omnes fideles in ipsis exemplar habeant quod sequantur; quale fideles in Apostolo *Ejus officia, exemplo bono aliis præire.*

Apostolo Paulo habuere, 1 *Cor.* XI. 1. *Philip.* III. 17. Aliàs magno sunt fidelibus scandalo, 2 *Cor.* VI. 3. plusque vitâ suâ destruunt, quàm doctrinæ ædificant: in contemtum incidunt, personâ autem contemtâ omnis ministerii fructus perit. Sicuti autem varia specialia officia Apostolus commendat, ita duo sunt generaliora, ad quæ maximè est attendendum; nim: ut exemplum sit in sermone & conversatione. In sermone; ut caveat sibi à jocis profanis ac scurrilibus: etiam, si in conviviis sit, ne frequentiores adhibeat jocos, sed semper hilaritatem misceat gravitate quadam: *Coloss.* IV. 6. In conversatione: 1. Ne se auditoribus vulgaribus nimis reddat familiarem; familiaritas enim parit contemtum: præsertim cum facile ipsi quid excidere possit, quod ab alio, sive jure sive injuriâ, reprehendi queat: tum, quia in quotidiana ac familiari conversatione rarè tractantur res sacræ, sed plerumque civiles, & hujus vitæ. 2. Illa etiam vitet, quæ aliàs indifferentia sunt: qualia multa sunt, quæ, licet in se turpia nequaquam sint, tamen gravitati muneris hujus repugnant, & exinde alii occasionem arripiunt ulterius, etiam ad illicita, procedendi: videl: ut vitet, quantum potest, convivia; saltem attendat, ne ea sint crebriora: ne se potu largius invitet, sed exemplum sit sobrietatis: imo præsentiâ suâ alios in officio contineat, & à profanis ad sacra, saltem seria, subinde revocet; denique ita se gerat, ut alii vereantur coram ipso indecorum quid committere. Hinc 1 *Tim.* IV. 12. *Nemo juventutem tuam contemnat:* hoc est, ita te gere in Ecclesia, in moribus, & conversatione, ut juventus tua jure à nemine contemni possit. Tandem, ne sit austerus & morosus, sed comis, affabilis, qui omnes morum comitate ad se allicit.

Diligenter ad mores auditorum attendere.

XVIII. Secundò. Ut diligenter ad mores auditorum attendat, vitamque ipsorum inspiciat, & hortando, monendo, increpando apud eos instet: 2 *Timoth.* IV. 2. Non loquor jam de publica illa doctrina & adhortatione quæ in cœtu fit; sed de monitione & increpatione quæ privatim apud singulos instituitur. Hoc officium in duo dispescitur. Alia locum habent ante, alia post factum. Ante factum adhibenda est adhortatio, qua segnes instigentur, infirmi erigantur, 1 *Thess.* V. 14. *Tit.* I. 9. Hæc fiat cum gravitate, id est, verbis seriis, & ardore quodam animi; ne admonitio, utpote perfunctoria, contemnatur; *Tit.* II. 15. Tum & oratio illius, apud quem adhibetur admonitio, & suæ propriæ personæ accommodata sit, 1 *Tim.* V. 1. & licet omnis vitanda sit προσωποληψία, *Jacob.* II. 1. majore tamen cum reverentia alloquatur eos qui in potestate sunt constituti, quàm alios; quia illorum, etiam ex Dei constitutione, diversa est ratio, quoniam nobis sunt præpositi, *Rom.* XIII. 1. Post factum diversa admodum esse debet actio Ministri, pro facti diversitate. Si enim auditores officio suo rectè functi sint, facta ipsorum aliis commendando sunt ad imitationem, ipsique excitandi ad similia & majora præstandum. Exemplum vide 2 *Thess.* I. 3. 4. 5. Si officio non sint functi, reprehensio est instituenda. Sed quomodo in ea procedendum, quando & quomodo accusatio sit instituenda aut admittenda, quomodo reprehensio facienda, & quidem quomodo pro diversitate peccati & personarum sit temperanda, plenius explicabimus in sequentibus, quando de disciplina Ecclesiastica dicturi sumus.

Dominatum non arrogare in Ecclesiam.

XIX. Tertiò: Ne dominatum sibi arroget in Ecclesiam, 1 *Pet.* V. 3. Et ratio est in textu: Quia fideles sunt sors vel hæreditas Domini, non mancipia Presbyterorum. Sunt quidem Presbyteri præpositi, sed ut curam gerant Ecclesiæ; non verò domini. Ideo etiam ordinariè Ministri vocantur; quia totum ipsorum officium est ministerium, consistitque in seriis monitionibus, suasionibus, obtestationibus, &c, si necesse est, severis increpationibus & objurgationibus; adeo ut abnegato proprio commodo, omnibusque sæpe vitæ hujus emolumentis, etiam vitâ ipsâ, solummodò Ecclesiæ commodis & saluti inserviri debeant. Dominatus autem ille exercetur. 1. Si quis pro arbitrio quidvis Ecclesiæ imperet; aut saltem quædam tanquam necessaria Ecclesiæ imponat, sive credenda, sive observanda, quæ in verbo Dei precisè definita non sunt. Ita enim fidelium conscientiis jugum imponit, & arctioribus vinculis fideles, quàm Deus in verbo suo, adstringit. 2. Quando imperiosè cum iis quibus præest agit, contemtim illos tractando, durius compellando, rigidè nimis, si deliquerint, objurgando, & potestatem judicialem contra eos exercendo; ac tandem, austerè & superciliosè cum ipsis conversando.

CAPUT VI.

De Diaconis.

Quid significet vox Diaconus.

I. VOx Διάκονος in genere ministrum significat. Sed relata ad Ecclesiam duplicem habet significationem. Primò enim vox abstracta Διακονία significat quodvis ministerium spirituale: *Actor.* I. 17, 25. XII. 25. XX. 24. *Rom.* XI. 13. 2 Strictiore significatu sumitur pro iis quibus cura pauperum & ærarii sacri administratio ab Ecclesia demandata est. Eorum munus etiam è synogoga derivatum est in Ecclesiam. Observant nimirum antiquitatum Judaicarum curiosi indagatores in singulis synagogis tres

 fuisse

fuisse Diaconos, seu eleëmosynarios, qui & *Parnasim*, seu rectores, appellabantur: duo eleëmosynam ab oppidanis exigebant, tertius distribuebat. Simile munus ad pauperum curam etiam in Ecclesiam introductum est, & septem Hierosolymis electi Diaconi: de quorum prima electione vide *Act.* VI. Et hoc sensu etiam aliis, quorum id non est ordinarium munus, cum ea cura sunt occupati, quandoque applicatur; *Rom.* XV. 25. 31. *1 Corinth.* XVI. 15. *Hebr.* VI. 10.

II. Duo eorum in antiqua Ecclesia fuere ordines, virorum unus, alter fœminarum, quæ Diaconissæ vocatæ.

Diaconorum electio. III. Circa Diaconos duo sunt consideranda, eorum electio, & munus. In electione rursus duo occurrunt. 1. Quinam & quales sint eligendi: 2. Quo pacto & quâ cautione. Quales eligendi sint docet Apostolus, *1 Tim.* III, 8. ubi duæ antea de Episcopo non nominatæ virtutes in ipsis requiruntur, *σεμνότης*, &c, ut *mysterium fidei habeant in bona conscientia.* Vitia, à quibus Diaconos immunes esse vult, eadem sunt cum illis, quæ ab Episcopo abesse debere dixit. Addit autem, ne sint *bilingues*, id est, de eadem re nunc hoc, nunc illud dicant. Quâ cautione sint eligendi docet Apostolus *ibid. vers.* 10. *Probentur prius, postea ministrent, si irreprehensibiles sint.* Probatio hæc spectare dici potest tum totam vitam, ut comperiantur irreprehensibiles; tum & speciatim fidelitatem, quâ in hoc munere, quoniam Ecclesiæ pecunia ipsis creditur, quàm maximè est opus.

Munus. IV. Munus diaconorum est, curam gerere pauperum, *Act.* VI. 1, 2, 3. Quod quoniam ex communi Ecclesiæ pecunia fieri debet, Diaconorum officium est 1. Colligere pecunias in usum sacrum, Ecclesiamque monere, quibus rebus vel integra Ecclesia, vel illius quædam membra indigeant, ut ita omnes pro necessitate urgente in commune pecuniam conferant. 2. Pecuniam asservare; & in usus in quos data est erogare. Modus administrationis est, ut fiat *in simplicitate*, *Rom.* XII. 1. ne valeat apud ipsos odium vel gratia, sed pro cujusque indigentia & merito candidè distribuant; & cum diligentia, *1 Pet.* IV. 11. *Si quis ministrat* (Διακονεῖ) *tanquam ex viribus quas suppeditat Deus*, supple, ministret, & totus officio huic incumbat; nec etiam tardus sit in distribuendo. Olim succurrebatur pauperibus vel privatim, vel in Agapis. Agapæ ab ipsis Apostolis aliquamdiu usurpatæ sunt; sed propter abusum ab Apostolo creduntur abrogatæ, *1 Corinth.* XI. 22.

Olim eorum functio erat perpetua. V. Functiones Diaconorum solebant esse perpetuæ, nisi forte in ministerio suo bene probati ad Episcopatum proveherentur. *1 Tim.* III. 13. Nunc vero non sine aliquo Ecclesiæ nævo sunt temporariæ, seu annuæ.

An jus habuerint prædicandi & Sacramenta administrandi. VI. Quæri hic solet, an jus habuerint prædicandi & Sacramenta administrandi? Quæstio hæc controvertitur inter Pontificios & Reformatos: illis affirmantibus, adductis exemplis Stephani & Philippi, quorum ille prædicavit, *Act.* VII. hic baptizavit, *Act.* VIII. 38. his verò negantibus; & ad exempla allata excipientibus, quod Stephanus ordinario ministerio non fuerit functus, sed apologeticâ tantum oratione ad populum usus: Philippus verò ex Diacono sit Euangelista factus, vel extra ordinem à Deo per Angelum vocatus, *Act.* VIII. 26 vel priusquam Hierosolymis discederet, ab Apostolis ad hunc ministerii gradum provectus. Respondere possumus, ordinarium ipsorum non fuisse munus, in Ecclesia jam formata publicè docere; attamen sicut omnium fidelium, ita & speciatim ipsorum esse extra cœtum publicum aliis verbum prædicare, doctrinam veritatis asserere; imo & in cœtu publico, si desint ordinarii pastores; eoque casu etiam Sacramenta administrare. Non necesse hic est excipere, Philippum fuisse Euangelistam, aut ab Apostolis ad altiorem ministerii gradum fuisse provectum: cùm & in tali casu omnium Christianorum commune sit officium Baptismum administrare, perinde atque verbum salutis prædicare. Quod Episcopis inserviant in Sacramentorum administratione, non Apostolicæ sed Ecclesiasticæ videtur esse institutionis.

Diaconissæ. VII. Diaconissarum munus jam exolevit. Fuere in antiqua Ecclesia fœminæ, quæ fidelibus Ecclesiæ nomine inserviebant in iis, quæ vitam hanc animalem spectant. Circa eas spectanda duo, Electio, & Munus. In electione spectabatur personæ status: eligendæ erant viduæ: quia enim illæ rebus domesticis non sunt alligatæ, melius ministeriis Ecclesiæ vocare poterant. 1. Ætas, ne esset natu minor sexaginta annis, *1 Tim.* V. 9. 2. Mores: Ut sit *unius mariti uxor*, *vers.* 9, 10. Hoc est; ut ante explicuimus, ne forte à primo viro temerè repudiata alteri nupserit, ac sic reverâ duos habuerit simul maritos. Ut *in operibus bonis testimonium habeat*, *si fuit hospitalis*, *si pedes sanctorum laverit*, *si afflictis subvenit*, *si omne opus bonum assiduè est sectata.* Qui sunt mores admodum convenientes muneri ipsarum. Munus siquidem ipsarum fuit, inservire pauperibus, præsertim ægrotis ac hospitibus, & præcipuè aliorum curâ auxilio ac ministerio destitutis, atque ad Ecclesiæ opem confugientibus. Aliud præterea in historia Ecclesiastica earum legitur munus, nempe, ubi baptizandæ erant fœminæ adultæ, ut ipsis ministrarent, & caverent ne earum corpora nudata à viris conspicerentur.

C A-

CAPUT VII.

De Ordinibus & Dignitatibus Ecclesiasticis, prout hodie in Ecclesia Romana vigent.

Introductio aliorum ministeriorum quo sensu licita vel illicita sit. I. PRæter hos ab Apostolis institutos ministrorum ordinariorum ordines, alii postea in Ecclesiam sunt introducti, non ordinatione Apostolicâ, sed auctoritate humanâ & Ecclesiasticâ. Quos tamen omnes propterea non illicitos, aut ex Ecclesia eliminandos censemus. Libertatem siquidem credimus Ecclesiæ relictam, quæ ad εὐταξίαν spectant pro temporum ratione communi consensu immutandi, ut omnis confusio vitetur; ita tamen, ut officia à Deo instituta religiosè observentur & retineantur. Sic præceptum est à Deo, ut cœtus habeantur, verbum prædicetur, exhortationes ad pietatem fiant. Hæc cum à Deo sint, nullum in ea est Ecclesiæ arbitrium aut potestas. At circumstantiæ externæ, ut locus & tempus horum exercitiorum, hactenus Ecclesiæ arbitrio permissa sunt, ut pro ipsius commoditate & communis ædificationis ratione, diversimodè institui & determinari possint. Similiter ministerium Deus instituit, verbique sui prædicationem publicam in Ecclesia perpetuam esse voluit. Istud abrogare in Ecclesiæ arbitrio non est. Sed muneribus à Deo nominatim institutis, ædificatione Ecclesiæ ita exigente, quædam addere, quibus ministerii à Deo instituti major fructus spectatur, illicitum non existimamus. Aucto itaque membrorum Ecclesiæ numero, & multiplicatis Ecclesiis, ministeria etiam multiplicari potuerunt; ita tamen, ut non evertatur institutio Apostolica, sola spectetur εὐταξία & ædificatio Ecclesiæ, suusque verbo divino relinquatur honor illibatus: nec ordinis observandi prætextu libertas Christiana conculcetur, aut Hierarchia Ecclesiastica introducatur, quæ conscientiis fidelium leges præscribens tyrannidem non ferendam exerceat, & veritatis inquisitione exstincta, sub ignorantiæ tenebris Ecclesiam captivam ducat. Quod in Ecclesiam Romanam, postquam à simplicitate Apostolica degenerare cœpit, sensim irrepsisse, donec tyrannis ac dominatio Ecclesiastica per varia molimina ac gradus summum culmen contigit, nimis quàm manifestum est. Nos de variis ministrorum ordinibus, quibus tandem ad dominatus fastigium perventum est, paucis disseremus.

Distributio functionum in Ecclesia Romana. II. Functiones Ecclesiasticæ in Ecclesia Romana vulgo distribui solent in Ordines, & Dignitates. Ordines ipsis sunt septem, eosque distribuunt in minores, Ostiariorum, Lectorum, Acolythorum, & Exorcistarum; & majores, Subdiaconorum, Diaconorum, & Sacerdotum. Dignitates sunt Episcoporum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Cardinalium, Papæ.

Ordines. III. Quod Ordines attinet, quin eorum aliqui usum suum habeant, ac proinde ab Ecclesia non sine fructu institui potuerint, negari nequit. Verùm tota illa Ordinum compages ad stabiliendum Sacerdotium Missaticum solummodò efficta est, quod idololatricum esse antea ostendimus. Et varietas illa officiorum excogitata est ad similitudinem ministeriorum à Levitis & Sacerdotibus in Veteri Testamento peragendorum: quæ omnia adventu Christi & vero ac æterno, quod adumbrabant, sacrificio peracto, evanuerunt. Ordo Exorcistarum si statuatur, jam non erit extraordinarium Spiritus charisma, & opus miraculosum, sed munus ordinarium, ejicere dæmonia. Si verò re sublatâ nudum tantum signum retineatur, non sunt Exorcistæ ministri Dei, sed rituum inanium scenici ostentatores. Sacerdotes nullos in Ecclesia Christus instituit, cùm ipse sit Sacerdos in perpetuum, qui sacerdotium obtinet ab uno ad alium non transiens, & unicâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Quare non Sacerdotium discipulis suis reliquit, ut hostias propitiatorias offerrent, sed ministerium verbi, cujus prædicatione fidelium animos potenter flecterent, ut seipsos constituerent Deo hostias vivas, sanctas, Deoque beneplacentes, *Rom.* XII. 1. ut Sacerdotes spirituales coram Deo; 1 *Pet.* II. 9. *Apoc.* I. 6. Sed & hoc intolerandum, quòd Ordines hosce, sacrorum titulo, augustos fecerint; quin & Clericorum nomine, quasi ipsi sint & sors & hæreditas Domini, à reliquis fidelibus, quos Laicorum epitheto appellant, segregaverint: contra 1 *Pet.* V. 3. ubi Ecclesia distinctè à pastoribus nomine *Cleri Domini* & *Ovilis* insignitur. Sic enim sensim via ad summam illam dignitatem & hierarchiam Ecclesiasticam strata est.

Dignitates. Episcopi. IV. Inter Dignitates primò occurrit Episcopatus. Episcoporum munus esse institutionis divinæ jam fusè satis probavimus. Unde & meritò deducimus, functiones, quas muneris episcopalis esse docuimus, Apostolicæ & divinæ institutionis esse. Quales videl: sunt doctrina veritatis salutaris, ac regimen Ecclesiæ, quod absque omni dominatu in clerum Domini occupatur in sedula ac diligenti Ecclesiæ cura, quâ tum exemplo bono, tum feriis ac continuis adhortationibus, commonitionibus, increpationibus, fideles ad vitam sanctam & præceptis divinis consentaneam excitantur, omniaque in Ecclesia prudenter diriguntur, ut ordinatè fiant, omniumque ædificatio intendatur. Munus ergo hoc, si prout primitus ab Apostolis est institutum consideretur, ministerium est, quod vigilantiam, zelum animique fervo-

rem requirit, propriisque commodis renunciare jubet, ut Ecclesiæ sibi concreditæ saluti invigilet Episcopus: laborem requirit, assiduum studium, animi lenitatem, longanimitatem, patientiam, ut se aliorum ingeniis accommodare, eorum infirmitates tolerare, nævos ac vitia emendare assuescat.

Eorum in Ecclesia Romana à prima institutione degeneratio.

V. At verò quantum ab hac Apostolica institutione recedit Episcopatus, prout hodie in Ecclesia Romana obtinet! Nullum in eo est ministerium, sed dignitas Ecclesiastica cum potestate ac jurisdictione hierarchica, quæ exempta omni jurisdictioni potestatis civilis, decreta condere, legesque fidelium conscientiis præscribere potest. Auctoritatem quippe Ecclesia Romana Episcopis adscribit solis, cum omnium aliorum exclusione, in Synodis fidei controversias decidendi, decretaque Synodalia, non aliter ac si à Spiritu Sancto essent profecta, fidelibus, nullâ ipsis permissâ inquisitione utrum verbo Dei consentanea sint, nec ne, præscribendi, immorigeros anathemate feriendi, & tanquam rebelles ac hæreticos potestati seculari tradendi, ut puniantur. Ita tandem à primæva sua simplicitate Episcopatus defecit, ut jam nihil minus in eo agnoscas, quam ministerium.

Archiepiscopi.

VI. Episcopis præfecti fuere Archi-episcopi, seu Metropolitæ, quorum potestati integræ Provinciæ fuere subjectæ, cùm singuli Episcopi singulis præpositi fuerint Ecclesiis. Eorum originem quidam ad ipsos Apostolos referunt, voluntque Titum Cretæ præpositum Metropolitam, quoniam missus est, ut in singulis Cretæ civitatibus Presbyteros seu Episcopos constituat, *Tit.* 1. 5. quod Metropolitarum esse volunt. Sed verò, nullâ solidâ ratiocinatione collectio hæc niti mihi videtur. Potuit siquidem Titus tanquam Apostolorum coadjutor, sive Euangelista, quorum munus erat universale, nullique peculiari Ecclesiæ alligatum, ab Apostolo in Cretam esse missus. Adeo ut ex more, qui nunc in Ecclesia Romana obtinet, solidè colligi nequeat, idem munus in primitiva Ecclesia, in qua multa erant munera extraordinaria, quæ nunc cessant, viguisse. Negari tamen nequit, quin Metropolitanorum munus sit valdè antiquum in Ecclesia, & non multis post Apostolorum excessum seculis introductum: procul dubio in initio piâ intentione ordinis observandi causâ, & ut Ecclesiis, per gravissimas persecutiones dispersis, tantò commodius prospiceretur. Attamen res ipsa docuit, postquam semel ab Episcoporum æqualitate recessum est, sensim viam esse stratam ad dignitates majores; donec tandem universalis ille Romani Episcopi primatus, & in omnes Ecclesias principatus, introductus est.

Patriarchæ.

VII. Quamprimum enim à Constantino plures provinciæ in unam diœcesin sunt redactæ, Metropolitanis præpositi fuere Patriarchæ, seu Primates. Horum quatuor fuere præcipui, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus; qui singuli gradum dignitatis obtinuerunt, pro gradu dignitatis quam urbs, cujus erant Episcopi, in imperio Romano obtinuit. Quia itaque Roma imperii caput erat, Romanus Episcopus, ob dignitatem urbis, omnium Episcoporum & Patriarcharum primus fuit. Postea cùm imperii sedes Constantinopolin esset translata, & Constantinopolis nova Roma vocaretur, decretum in Concilio Chalcedonensi Canone XXVII. ut novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuantur, quæ antiquæ Romæ throno propter imperium civitatis tributa sunt: quia imperio & senatu honorata est; ideoque & æqualibus privilegiis, etiam in rebus Ecclesiasticis, cum antiqua Roma gaudere debeat.

Cardinales.

VIII. Hisce aliud dignitatis genus posterioribus seculis accessit, cujus in antiqua Ecclesia nulla, seu tenuia tantum nominis exstiterunt vestigia, Cardinalium nempe: illi enim olim Presbyteri tantum sive Diaconi fuerunt Ecclesiæ Romanæ: & Cardinales dicti, vel à regionibus seu cardinibus Romæ, seu, ut vult Bellarminus, ab Ecclesiis quibusdam principalibus ac cardinalibus; à quibus Presbyteri, qui eas regebant, Presbyteri Cardinales; & à Diaconiis, seu præcipuis in urbe locis juxta numerum regionum, à quibus qui in iis residebant Diaconi Cardinales vocabantur. Nunc autem eorum dignitas omnium Episcoporum & Archiepiscoporum dignitatem excedit. Erasmus *respons. ad Albertum Pium, tom.* IX. *p.* 902, 903 aliunde Cardinalium deducit originem. *Pontificum libelli indicant tum institutos Cardinales, quum orbis agnoscens Romanam Ecclesiam totius Reip. Christianæ principem, eò confflueret, si quid exstitisset, quod eruditorum consilium requireret. Ad id muneris electi sunt duodecim Cardinales, viri doctrina, moribus, & linguarum peritia instructi, qui nunc vocantur Pœnitentiarii, penes quos hæret functio. Nomen ac dignitas penes alios est, quæ nunc regum æquatur celsitudini.* Procedente tempore, etiam Episcopatus aliquot dicti sunt Cardinales, & sex Episcopi Cardinales, cum reliquis Episcopis (uti ait Bellarminus) ad eligendum Pontificem conveniebant, & Pontifici à consiliis erant. Nunc verò exclusis reliquis Episcopis & Archiepiscopis, soli Cardinales Papam eligunt, solique in totius Ecclesiæ regimine Papæ tanquam primarii Senatores ac consiliarii assistunt; quin & plures in eorum aliquos Episcopatus & Archi-episcopatus conferri solent: imo & à regibus totius

tius regni patrocinium committi iis solet, ut illius in Curia Romana apud Pontificem tutelam suscipiant. Quæ omnia nova sunt, posterioribus seculis demum introducta, nullumque in antiquitate habent præsidium. Hoc egregie ostendit Erasmus epistola ad Andream Critium Episcopum Plocensem, *Epist. lib.* XXVI. *p.* 1027, 1028. *Crescit ubique Cardinalium numerus: hoc an gratulari debeam Ecclesiæ, nescio. Veteres non absque causa tanto studio Cardinalium turbam conati sunt excludere. Satis erat fastus in domo Dei, plus satis erat hominum devorantium abbatias, episcopas, & dignitates, etiamsi hic tam numerosus non accessisset chorus. Olim Cardinalis officii nomen erat, nunc est regni. Sed hac ratione suas res, uti videtur, communiit Pontifex, & principes habent splendidos famulos Ecclesiæ salariis.*

Hierarchia Romana sensim introducta.

IX. Atque ita sensim ex parvis initiis ingens illa Hierarchicæ dominationis moles exstructa est; dum Papa ex quibusvis emergentibus occasionibus sibi viam stravit ad majora: donec tandem partim fraude, partim vi, & auxilio Imperatoris Phocæ, universalis Episcopi titulum sibi acquisivit, seque Ecclesiæ caput, & supremum omnium in religione controversiarum Judicem, constituit; potestatemque sibi arrogavit regio more, tanquam Vicarius Christi, Ecclesiæ imperandi. Verùm ut insanum illud ædificium penitus & ab ipsis fundamentis evertamus, primò de regimine Ecclesiæ disserendum erit: & deinde ostendendum, Ecclesiæ regimen Papæ Romano à Christo Domino nostro traditum non esse.

CAPUT VIII.

De Regimine Ecclesiæ.

Regimen Ecclesiæ.

I. UT itaque distinctè de Ecclesiæ Regimine disseramus, duo potissimum consideranda sunt. 1. Ad quem propriè Ecclesiæ regimen pertineat? 2. An ullum propriè dictum in Ecclesiam regimen in his terris alicui homini concessum sit? Quibus ritè examinatis, reliqua, quæ universale Papæ Romani regimen concernunt, facili negotio expediri possunt.

Rex Ecclesiæ est Christus.

II. Quod ergo primum attinet; Nullum est inter Christianos dubium, quin supremus Ecclesiæ Dominus ac rex, cui regimen illud competat, sit Salvator noster Jesus Christus. Sic Petrus ait, *Act.* v. 31. *Hunc principem & Salvatorem Deus exaltavit dextra sua.* & *Apoc.* XIX. 16. vocatur *Rex regum, & Dominus dominantium.* Idem confirmant figuratæ locutiones Christo passim attributæ: ut quod sit *caput Ecclesiæ*, *Eph.* I. 21, 22. *Sponsus*, *Eph.* v. 22 *& seqq.* *Apoc.* XIX. 7. XXI. 9. *Pastor*, *Joan.* X. 11. *& seqq.* *Hebr.* XIII. 20. 1 *Pet.* II. 25. ἀρχιποίμην, seu, *summus pastor*, 1 *Pet.* v. 4. & similes.

Omnia in eo sunt attributa ad regimen Ecclesiæ requisita.

III. Omnia præterea in ipso reperiuntur attributa, ad Ecclesiæ regimen requisita. Summa potestas à Patre ipsi concessa in omnia, & speciatim in Ecclesiam: *Matth.* XXVIII. 18. *Eph.* I. 20, 21, 22, 23. *Phil.* II. 9, 10, 11. 1 *Pet.* III. 22. Summa potentia, qua fideles suos adversus omnes inimicos & hostes defendere, ab omni malo liberare, omnibus donis ad sui cultum necessariis instruere, ac tandem è morte excitare & vitâ æternâ donare potest: *Phil.* III. 21. 2 *Thess.* I. 7. Summa scientia, quâ omnia suorum, hostiumque opera novit, quin & corda scrutatur & arcanissimas cogitationes perspectas habet, ut unicuique reddat secundum opera: *Joan.* II. 25. *Rom.* II. 16. *Apoc.* II. 23. Unde passim *Apoc.* II. & III. in Epistolis illis ad Ecclesias Asiæ, ait, *Novi opera tua.* Summa sapientia, per quam omnia sapientissimè in Ecclesia sua administrat, omniaque in fidelium suorum salutem, licet illi maximè adversa videantur, dirigere novit. *Esa.* XI. 2. dicitur super ipso requieturus *Spiritus sapientiæ*. & *Coloss.* II. 3. dicuntur *in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Loquitur quidem hic textus de sapientia Euangelio comprehensa, quæ nobis revelata est, nosque sapientes reddit: verum si verbum ejus nos sapientes reddit ad ἀκριβῶς ambulandum, & sapientiâ hactenus inauditâ instruit; multo major in ipso est sapientia, ut Ecclesiam suam pro cujusque membri constitutione, & singulis temporum circumstantiis, prudenter regat. Summa misericordia, quâ possit infirmatibus suorum succurrere, *Hebr.* II. 17. IV. 15. Summa denique justitia, quâ unicuique absque personarum acceptione secundum facta rependet: *Matth.* XVI. 27. XXV. 46. *Rom.* II. 11. 2 *Cor* v. 10.

Status controversiæ de regimine Ecclesiæ.

IV. Hæc apud omnes Christianos in confesso sunt. Sed quæritur, an non præter Christum sit etiam aliquod caput ministeriale totios Ecclesiæ, seu pastor universalis, & Christi in terris vicarius, qui omnibus singulorum gregum pastoribus præpositus sit, quique totius Ecclesiæ sit quasi visibilis monarcha? Affirmativam tuentur Pontificii, illumque universalem pastorem seu Episcopum volunt esse Papam suum Romanum, quem ordinariè Christi vicarium appellare solent: Nos verò cum omnibus Protestantibus & Reformatis, negativam. Ut autem thesin suam tueantur Pontificii, ita procedunt. 1. Regimen aliquod debere esse io Ecclesiâ: Bellarminus, *lib.* 1. *de Pontif. Rom. cap.* 5. 2. Illud regimen debere esse præcipuè monarchicum: *ibid. cap.* 9. 3. Illud regimen concessum esse Petro ejusque successoribus: *ibid cap. seqq.*

V.

In Ecclesia nullum est in terris propriè dictum regimen. 1. Quia est spiritualis.

V. Quod primam positionem attinet; Dicimus nos, propriè dictum regimen aliquod visibile in Ecclesia necessarium non esse, imo institui non posse. Primò. Quia Ecclesia, quatenus Ecclesia, est spiritualis: ergo regiminis visibilis non est capax: tota enim laus obedientiæ, quam Ecclesia præstat, consistit non in externo obediendi actu, sed in corde sincero & conscientia pura: at illi nulla ab homine lex ferri potest, nisi ridiculè: quandoquidem, quia cordium non est inspector, de ejus præstatione judicare nequit. Nec ulla coactiva potestas usurpari potest ab homine in conscientiæ foro: quia licet vi, minis, & suppliciorum terrore actum externum extorquere possit, nunquam tamen conscientiam cogere potest, ut actum quem damnat ex animo præstet. Atqui sine coactiva potestate nullum propriè dictum regimen. Tandem pœnas immorigeris constitutas, ablationem videl. spiritus divini, cordis excæcationem & indurationem, ac tandem supplicium ignis æterni, nullus homo infligere potest. At quodnam est regimen illud, per quod pœnæ lege constitutæ immorigeris infligi non possunt?

Cui competat externa directio

VI. Excipiunt. Ecclesia etiam occupatur externo religionis exercitio & actu visibili. Resp. 1. Si actus ille tantummodò præstetur, quia ab homine imperatus, non ex puro corde, non est actus religiosus, sed hypocriti. 2. Actus illi tantum spectant εὐταξίαν & externum in Ecclesia ordinem. Atqui illorum directio in templis publicis propriè competit Magistratui Christiano, si aliquis sit qui ad religionis exercitium templa publica erigit; aut illis, quibus à Magistratu demandatur, qualescunque illi sint, sive Ecclesiastici, sive seculares. Si non sit Magistratus Christianus, aut religionis alicujus nullum suscipit patrocinium, neque ad illius exercitium templa publica erigit, sed Ecclesiæ res suas privatas agere ac administrare permittit; possunt illi actus externi à singularum Ecclesiarum præpositis & communi Ecclesiæ consensu ordinari in commodum & εὐταξίαν cujusque Ecclesiæ: vel communicatis consiliis unanimi plurium Ecclesiarum consensu observari, ut quemadmodum in fide, ita etiam in externis unio sit 3. Non illum in finem urgetur hoc regimen, ut actus illi externi, qui pauciadmodum sunt in Religione Christiana, bene se habeant; sed ut conscientiis omnium fidelium lex fidei & vitæ præscribatur, omnesque in controversorum Scripturæ Sacræ locorum explicatione, summi illius Vicarii Christi, tanquam judicis infallibilis, interpretationi acquiescere teneantur; ut sequentia docebunt. Interim ex objectione hac rectè colligitur, rigimen humanum in Ecclesia non spectare conscientiam, aut ipsam essentiam religionis, quæ soli Deo & Filio ejus Jesu Christo subjecta est: sed tantum externas quasdam cultus circumstantias, quarum directionem libenter Magistratui, si sit Christianus, aut Ecclesiæ præpositis ex communi Ecclesiæ consensu concedimus.

2. Non competit pastori, nec populo.

VII. Secundò. Illud regimen aut competit pastori aut populo. Non populo, uti ipsi fatentur Pontificii. Nec etiam pastori; quia totum ejus munus occupatur in docendo, id est, verbo divino, non pastori per traditionem commisso, & semper ac successivè adhuc revelando, sed semel plenè & perfectè in Scriptura revelato, annuntiando: non cum auctoritate tradendo, aut suas explicationes præscribendo; sed suadendo, hortando, præcepta divina clarè annuntiando, proponendo quid Deus fidelibus promiserit, quid impiis comminatus fuerit, exemplo bono præëundo, similibusque. Atqui hæc omnia relinquunt assensum liberum, & excludunt coactionem, quæ necessaria est in regimine externo. Tum, licet ab homine leges fidei præscribantur, impunè potest populus non assentiri, nempe quoad tribunal hominum: potest enim homo tantum judicare de confessione & actibus externis; non de corde, nec fide intus in corde latente.

Occurritur objectioni.

VIII. In contrarium tamen Pontificii quædam nobis ex Scriptura objiciunt. Ut, quod Episcopi dicuntur *pascere gregem*, *Act.* xx. 28. *præesse*, *Rom.* xii. 8. ideoque *duplici honore digni*, 1 *Tim.* v. 17. Vocanturque *præpositi*, quibus fideles *obedire tenentur*: *Hebr.* xiii. 17. Sed vero ex nullo istorum locorum regimen propriè dictum concludi potest. Licet enim apud prophanos auctores *pascendi* vox quandoque regibus applicetur, & propriè dictum regimen significet; neutiquam tamen probari potest, eandem habere significationem in Ecclesia; quoniam pastoribus omnis dominatus interdicitur, 1 *Pet.* v. 3. Pascunt ergo per verbi ministerium, docendo, suadendo, hortando, increpando, omnesque fidelis ministri partes sedulò implendo: uti colligere est ex Pauli exemplo, *Act.* xx. 24, 25, 26, 31. Nec *præesse Rom.* xii. 8. significat propriè dictum regimen, quia tribuitur membris, ut liquet ex *vers* 5. sed certum quoddam munus quoquis alteri sive in Ecclesia, sive in politia, sive in familia præpositus est. 1 *Tim.* v. 17. verò agitur de Presbyteris, quibus Pontificii nullum in Ecclesia regimen tribuunt, sed tantum Episcopis. 2. *Duplex* ille *honor*, quo digni dicuntur, significat aut majorem reverentiam; aut potius, ut sequentia arguunt, duplex stipendium honorarium. Nulla hic propriè dicti regiminis mentio. Obedientia autem quæ illis præstari jubetur, est libera

bera & spontanea, eorum doctrinæ præstita, & ad ipsorum exemplum fideliter expressa.

Regimen Ecclesiæ non est præcipue Monarchicum.

IX. De secunda positione, Ecclesiæ regimen præcipuè esse debere monarchicum, ita sentiunt Pontificii Inter omnes regiminis formas Monarchiam simplicem, seclusis circumstantiis, absolutè & simpliciter excellere; tamen Monarchiam Aristocratiæ & Democratiæ admixtam utiliorem esse in hac vita, quàm simplicem Monarchiam: eamque regiminis formam in Ecclesia esse institutam; in qua est summi Pontificis Monarchia, & Episcoporum (qui veri Principes & Pastores, non vicarii Pontificis Maximi sunt) Aristocratia: ac demum suum quendam in ea locum habet Democratia; cùm nemo sit ex omni Christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judicetur. Bellarminus *ibid. cap.* 3. & 4. Non jam examinabimus, quàm consentaneè hæc a Bellarmino dicantur, cum iis quæ postea scribit: ostendemus solummodò, Monarchiam ejusmodi in Ecclesia non habere locum.

Id adstruitur rationibus.

X. Primò: Quia nusquam universalis Ecclesiæ Monarcha à Christo est institutus. Cujus argumenti robur ipsi Pontificii agnoscunt. Ipse Bellarminus hac ratione evincere conatur, Ecclesiæ regimen non esse penes populum, quia nusquam populo à Deo est concessum; *lib.* 1. *cap.* 6. Et *cap.* 7. urgens regibus id non competere, ita argumentatur: *Regimen Ecclesiæ supernaturale est, nemini igitur convenit, nisi cui Deus commisit.* 2. Ipse Dominus Jesus Apostolis suis expressè omni dominatione interdixit, *Matth.* XX. 20 & *seqq. Luc.* XXII. 23. & *seqq.* Sic & Petrus expressè mandat Presbyteris, *ne dominentur clero*, 1 *Epist.* V 3. 3. Munus illud in Ecclesia necessarium non est, perinde uti in politia humana. Quoniam enim reges ubique adesse non possunt, constituunt legatos & vicarios, quorum ministerio ea administrant, quæ ipsi per se administrare nequeunt. At Dominus Jesus rex cœlestis, ubique spiritu suo præsens omnia novit, Ecclesiamque suam, quocunque terrarum dispersam, protegere, & regere, imo solo nutu suo impedire potest, ne quid contra voluntatem suam eveniat. 4. Impossibile etiam est, Ecclesiam, corpus spirituale, uti vidimus, à mortali homine, qui cor, ex quo fides & sincera obedientia procedit, inspicere nequit, regi; cùm infideles & impios, quamdiu, fidem & pietatem externè simulant, nosse nequeat, ac proinde nec punire. 5. Tandem absurdum est & inconveniens, uni corpori duo capita tribuere, uni ædificio duo fundamenta, &c. Nec refert, quod unum alteri subordinatum faciant: quia justa proportio corporis aut ædificii proportio cum ejusmodi gemino capite aut fundamento subsistere nequit: præsertim cùm omnia corporis membra primarii capitis spiritu, uti fatentur, vivificentur, & in unum corpus spirituale uniantur, ac continuò sustententur.

Quo sensu Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ.

XI. Objiciunt, Apostolos tamen & Prophetas vocari *fundamenta* Ecclesiæ, *Eph.* II. 20, 21, 22. *Apoc.* XXI. 14: Resp. Apostoli & Prophetæ, non Veteris sed Novi Testamenti, vocantur *fundamentum*, non quia in ipsis salus fundatur; sed quia primi erant annuntiatores salutaris veritatis, quæ in JesuChristo fundatur. Quod clare liquet ex 1 *Cor.* III. 10. ubi Paulus de se ait: *Ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat*, &c. Et evidentius *Rom.* XV. 20. *Sic prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Ubi per *alienum fundamentum* non intelligit aliud à Christo (quod nefas fuisset) sed ab alio Apostolo aut Euangelistâ positum. Unde mirari subit impudentem illam Bellarmini detorsionem nobilis illius loci, 1 *Pet.* II. 4, 5, 6, 7, 8. ad Pontificem Romanum; quem textus adeo apertè clamat, Dominum Jesum Christum, & quidem solum, respicere: quando *præfat. in lib. de Rom. Pontif.* ad verba *Esa.* XXVIII. 16. *in fundamento fundatum*, ita annotat. *Quid enim est in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, non primarium?* Cum aliud nihil significet, quàm, firmissimè fundatum, ut nullo modo concuti, nedum subverti possint, qui illi innituntur. Idque docent verba Hebræa, מוסד מוסד, quæ non significant, *in fundamento fundatum*, sed, *fundamentum fundatum*. Unde videre licet, quàm parum tuto Versioni Vulgatæ inniti liceat spreto textu Hebraico.

Responsio ad primum argumentum Pontificiorum, à præstantiâ Monarchiæ.

XII. Ut autem Monarchiam suam Ecclesiasticam adstruant Pontificii, varia conquirunt argumenta. Primum argumentum desumunt à præstantia Monarchiæ. Indubium est, inquiunt; quin Dominus noster Jesus Christus optimam regiminis formam in Ecclesia sua instituerit: Cùm autem Monarchia perfectior sit regiminis forma, quàm Aristocratia aut Democratia; & certum sit Ecclesiam Dei à sapientissimo principe Christo institutam optimè gubernari, quis inficiari potest, ejus regimen debere esse monarchicum? Resp I. Generatim: Periculosum admodum esse, ex ejusmodi ratiocinationibus certi quid de voluntate divina concludere Sic unusquisque absque certa revelatione sibi providentiam divinam confingere posset, prout eam suæ ratiocinationi maximè consentaneam judicaret. Possem ergo hac ratione contra Pontificios similiter

militer concludere. Optimum esset, si Deus infallibilem judicem in Ecclesia instituisset, qui neque in jure neque in facto, errare posset. Ergo talem Dominus instituit. Atqui in hoc conveniunt omnes Catholici & hæretici (fatente Bellarmino *lib.* IV. *cap.* 2.) posse Pontificem, etiam ut Pontificem & cum suo cœtu consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè pendent. 2. Esto: Monarchia in se spectata sit optima regiminis forma. Non illud instituendum est, quod in se spectatum optimum est, fatente ipso Bellarmino; sed quod maximè accommodatum est statui Ecclesiæ. Atqui visibilis ejusmodi Monarchia statui Ecclesiæ minimè est accommodata; imo totam Ecclesiæ rationem destruit: quia Ecclesia corpus est spirituale, & Ecclesia non est nisi per fidem, quæ libera est, & cogi non potest. Quin & liberè fidem suam deserere potest, absque ullo metu pœnæ humanæ: non enim illam constituit Dominus Jesus infidelibus aut apostatis infligendam, sed solummodò divinam. Ergo regimen hic propriè dictum nullum in Ecclesia. Aut si aliquod regimen sit agnoscendum, illud foret democraticum: quanquam revera regimen nullum esse potest, ubi spontanea tantum est subjectio & pactio, & impunè licet se illi rursus subducere. 3. Ecclesia habet suum Monarcham Jesum Christum, qui illi curam gerit, & omnia per se administrare potest: ut nullo alio Monarcha illi subordinato opus sit: cui etiam gloriosius est per se administrare & regere Ecclesiam, quam per vicarium.

Ad secundum, ab hierarchia Angelica. XIII. Secundum desumitur ab Angelica hierarchia, quæ sit exemplar Ecclesiæ, *Hebr.* VIII. 5. Inter Angelos autem præter Deum summum omnium regem, etiam unus est, qui omnibus præsit: is fuit Lucifer ante lapsum; nunc autem Michaël. Resp. Nihil nobis certi de Angelica hierarchia constare. Esse inter Angelos quosdam eminentiæ gradus, non diffitemur, an verò unus omnibus præsit, an verò plures præsint singulis sibi subjectis, certò definiri nequit: multò minus, Luciferum ante suum lapsum omnium principem fuisse, & Michaëlem in ejus successisse locum. Hæc omnia gratis finguntur. 2. Immensum inter Angelorum & hominum naturam ac fortem est discrimen: ac proinde ex administrandi ratione, quæ inter Angelos obtinet, illatio fieri nequit, eandem inter homines obtinere debere. *Hebr.* VIII. 5. non dicitur, Angelorum hierarchiam exemplar esse hierarchiæ Ecclesiasticæ; nihil minus: sed dicitur tantum, tabernaculum Veteris Testamenti (quod exemplum & umbra fuit cœlestium, quia cœlum adumbrabat, ut *cap.* IX. docetur) debuisse exstrui juxta exemplar Mosi in monte ostensum. Quid hæc ad hierarchiam Angelicam?

Ad tertium, à figura Ecclesiæ sub V. Test. XIV. Tertiò ita inferunt. Ecclesia Veteris Testamenti fuit figura Ecclesiæ Novi Testamenti. 1 *Cor.* X. 11. Temporibus autem Veteris Testamenti semper ab initio mundi fuit unus qui omnibus præërat in iis quæ religionem spectabant: ac præsertim post egressum populi ex Ægypto: Moses ordinavit Rempublicam, leges à Deo acceptas scripsit, Aaronem consecravit Pontificem, omnesque Sacerdotes & Levitas ei subjecit: & ad Christi usque tempora nunquam defuit princeps Sacerdotum, qui unus omnes totius mundi synagogas gubernaret. Resp. Multa in hoc argumento laborant: ac 1. ipsum fundamentum. Non enim dicitur 1 *Cor.* X. 11. formam Ecclesiæ Israëliticæ fuisse typum Ecclesiæ Christianæ, cui ea per omnia conformis esse debeat; sed tantum, pœnas Israëlitis inflictas nobis cedere in exemplum, ut à peccatis caveamus. Quare nullum ab Ecclesiæ Israëliticæ regimine ad Christianæ regimen argumentum deduci potest. Alia enim est ratio populi Israëlitici, in unâ terrâ habitantis, qui non tantum Ecclesiam, sed & Rempublicam constituebat, cujus cultus magnam partem erat externus & carnalis, cuique multa erant data promissa carnalia: Alia populi Christiani, per totum terrarum orbem diffusi, nullamque propriè Rempublicam, sed corpus spirituale ac mysticum, constituentis, cuique præcepta animum propriè concernentia, promissaque vitæ æternæ sunt data. 2. Nec Veteris Testamenti Pontificem jus habuisse quæstiones de religione pro auctoritate decidendi, ex Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum sectis constat. Non ergo fuit summus princeps in rebus spiritualibus. Quin imo, si officio suo deesset, poterat summus Pontifex à rege exauctorari, alterque in ejus locum substitui, 1 *Reg.* II. 27, 35. 3. Quod etiam adeo confidenter dicunt, ab initio mundi, usque ad egressum Israëlitarum ex Ægypto, fuisse semper aliquam summum & universalem in toto orbe sacrorum præsidem, solida probatione indiget, antequam admitti possit.

Ad quartum, à variis similitudinibus. XV. Quartum argumentum desumunt à variis similitudinibus, *castrorum ordinatorum*, *Cant.* VI. *corporis humani*, *Cant.* VII. *Regni*, *Dan.* II. *Ovilis*, *Joan.* X *Domus*, *Luc.* XII. 1 *Tim.* III. 15. *Navis*, seu *arca* Noæ, 1 *Pet.* III. 20 quibus Ecclesia comparatur: In omnibus autem illis unus supremus est dominus: Idem ergo requiritur ut sit in Ecclesia. Resp. 1. Esto, omnibus illis Ecclesiam comparari, quod tamen ex locis allegatis comprobari nequit: in similitudinibus applicandis semper respiciendum est ad scopum auctoris qui illis utitur, nec

nec extra eum sunt urgendæ; adhibentur enim solummodò ad id quod auctor proponit illustrandum. Aliàs in absurda innumera incidemus; quia in omni simili semper aliquid est dissimile. At Ecclesia nulli harum rerum assimilatur, respectu unius domini & rectoris cui singulæ subsunt, uti textus singulos inspicienti manifestum fiet. Ergo ea assimilatio extra auctorum scopum est, nec urgeri debet. 2. Sed & concedamus, in singulis similitudinibus etiam respectum ad caput & dominum fieri: ex omnibus locis apparet, caput hujus regni, ovilis, domus, &c. esse Christum; ut necesse non sit aliud quærere.

Ad quintum, à primordiis gubernationis Ecclesiæ.

XVI. Quintum argumentum desumtum est à primordiis gubernationis Ecclesiæ, quod fuit regimen externum & visibile Monarchicum, in quo caput visibile fuit Jesus Christus. Ergo & nunc visibile caput debet habere; alioqui Ecclesia quæ nunc est non esset eadem civitas Dei cum illa quæ olim fuit, utpote regiminis ratione mutata. Resp. Nunquam Dominum Jesum, dum in terris versaretur, sibi assumsisse externum Ecclesiæ regimen: neque commodè potuisse, quamdiu Pontifex Aaronicus, quem ipsi caput Ecclesiæ Israëliticæ faciunt, externo illo regimine gaudebat. Aliàs duo fuissent visibilia Ecclesiæ capita, quorum unum alteri non esset subordinatum: quod ipsi Pontificii absurdum esse fatentur. Gessit ergo se ut Prophetam, & ut talis Pontificum & Sacerdotum peccata coarguit: visibile autem & externum regimen non assumsit. 2. Pone Dominum Jesum visibilem tum fuisse Ecclesiæ Monarcham, necesse non est ipso in cœlum sublato alium illi surrogare; cùm & è cœlo tanquam rex supremus Ecclesiam suam regat & administret. Nec propterea essentialis regiminis forma mutata foret: cum idem maneat rex qui antea, eædem leges: & sola tantum in circumstantiis quibusdam sit diversitas.

Ad sextum, à constitutione episcoporum, & archiepiscoporum, &c.

XVII. Sexta ratio ducitur a simili. Rectè singulis in locis singuli constituuntur Episcopi, qui cæteris omnibus ejus loci ministris ac pastoribus præsint: in singulis provinciis Metropolitani, qui Episcopis præsint: in majoribus urbibus Primates seu Patriarchæ, qui ampliore regimine utantur. Æquum igitur est, ut & sit unus aliquis, qui toti Ecclesiæ præsit, cuique & ipsi Primates subjiciantur. Resp. Antea nos ostendimus, ordinem illum Archiepiscoporum & Primatum tolerari posse, si nullam in conscientias fidelium dominationem arripiat, sed ordinis tantum in Ecclesia observandi causa introducatur: non tamen eum esse institutionis divinæ, sed humanæ: & postea ab Episcopo Romano tanquam occasionem arreptum, universale totius Ecclesiæ regimen sibi arrogandi. Ac proinde nec iste universalis primatus à Deo est. 2. Nec ex Archiepiscoporum & Primatum ordine rectè infertur universalis totius Ecclesiæ Monarcha: posset unus sufficere regendæ uni provinciæ, sed non propterea toti orbi.

Ad septimum, à propagatione Ecclesiæ.

XVIII. Septima ratio desumitur à propagatione Ecclesiæ. Non potest Ecclesia propagari, nisi Euangelium prædicetur; Nemo prædicare debet nisi mittatur, *Rom.* x. 15. Episcopi autem particulares, quibus sui tantum gregis cura demandata est, in alienas provincias non possunt mittere. Ergo illud fieri debet ab universali præsule, cui totius corporis Ecclesiastici conservandi cura incumbit. Resp. Non opus esse externa illâ missione ut quis docere possit, antea ostendimus. Licet enim in Ecclesia jam ordinata aliqua requiratur missio & ordinatio, ab Ecclesia facta, quæ sibi pastorem eligit, ut confusio vitetur: non tamen illa necessaria est, ut quis inter infideles legitimè Euangelium docere possit. Sufficit ut cognitione Euangelii & charitate erga aliorum salutem probè instructus sit. Ut ex variis, quæ in historia Ecclesiastica occurrunt exemplis, & reipsa demonstrari potest.

Ad octavum, ab unitate fidei.

XIX. Octava ratio speciosa est, desumta ab unitate fidei. Necesse est, ut fideles omnes idem omnino sentiant in rebus fidei, *Eph.* IV. 4, 5. At una fides in Christum esse non potest, nisi sit unus summus judex, cujus decisioni omnes acquiescere teneantur. Nam cùm multi sunt pares, fieri vix potest, ut in rebus difficilibus ullus patiatur alterius judicium suo præferri. Idque apparere dicunt ex dissensionibus, quæ sunt inter eos, qui Pontificis Romani auctoritati se subjicere recusant. Resp. Ut una omnium sit fides, necesse non est, ut in omnibus idem omnes sentiant; sed solummodò, ut conveniant in articulis fidei fundamentalibus. Illa autem unitas absque judicis infallibilis judicio obtineri potest, si modò Scriptura sincerâ fide recipiatur, in qua omnia ad salutem necessaria plenè & perspicuè continentur. Omnium autem sententiarum discrepantiam tolli, ad fidei unitatem necessarium non est. Nec ea per Romanum Pontificem tolli potest. Licet enim sibi judicium hoc arrogaverit, nihilominus schismata & hæreses fuere in Ecclesia. Imo nec dissensiones in ipsa Ecclesia Romana componere potest. Vigent enim in illa Ecclesiâ dissensiones non minores quàm in Ecclesia Reformata: inter quas capitalis est controversia, de ipso controversiarum judice, utrum sit Papa, an Concilium generale: quæ ut decidatur, impossibile est, licet sit maximè momentosa, & fidei Pontificiæ fundamentum concernat. Dices. Attamen non obstantibus illis controversiis, unita-

unitatem servant Ecclesiasticam, nec in partes abeunt, ut Reformati. Resp. Unitatem illam non constare vinculo charitatis, quæ vera & Christiana unitas est, sed per meram tyrannidem conservari; & metu pœnæ ab hominibus infligendæ, diversæ sententiæ patronos, qui se mutuo diris devovent, in Ecclesiæ unitate contineri. Quod Reformatos attinet, posset inter illos unio servari, absque judicio ejusmodi infallibili: modò communis sui principii, omnia necessaria clarè in scripturis exstare expressa, semper memores, nihil tanquam necessarium decideren, nisi cujus fidem Scriptura addita necessitatis nota exigit: omnesque illa secum amplectentes, in aliis licet dissentientes, vera charitate complecterentur, & pro fratribus in Christo agnoscerent. Atque utinam id omnes Reformati ad animum revocarent, ut tantum apud ipsos valeat summi ipsorum Magistri ac Domini Jesu Christi auctoritas, quantum apud Pontificios auctoritas Papæ! Hi enim omnes, licet contrarium sentientes, exinde Papæ subjecti esse agnoscuntur, quod ab iis solis se separent, quibus Papa anathema dixit; eorum verò communionem non fugiant, quos Papa Ecclesiæ suæ gremio recipit. Ita & Reformatos exinde sese genuinos esse Christi discipulos probare oporteret, quod nullis anathema scribant, nisi quos Scriptura manifestè condemnat: reliquos, quibus nusquam Scriptura anathema dicit, reverentia supremi Domini sui, qui ex charitate discipulos suos agnosci vult, sincera in Christo charitate tanquam fratres complectantur; nec sibi judicium in aliorum conscientias arrogent. Nunc temerariis suis decisionibus, anathematismis, ac schismatibus principia à se rectè posita destruunt, & justissimas Pontificiis causas præbent, dissensiones illas exagitandi, & summi illius capitis ac judicis necessitatem urgendi.

CAPUT IX.

De Primatu Petri.

Petrus non est constitutus Ecclesiæ caput.

I. REstat jam tertium probandum, Petrum Apostolum non institutum fuisse à Domino Jesu principem Apostolorum ac Ecclesiæ caput. Cùm autem possemus sola hîc negatione defungi, & à Pontificiis exigere assertionis suæ probationem; tamen ex superabundanti thesin nostram aliquot argumentis adstruemus. Dicimus itaque Petro, vel ob ætatem, vel ob majorem zelum, vel aliam quamcunque causam, varias concessas prærogativas; ut, quòd primum ordine locum inter Apostolos obtinuerit, quod sæpe omnium Apostolorum nomine locutus sit, quòd collegii Apostolici præses fuerit, similesque; nulla tamen Monarchiæ Petri in reliquos Apostolos vestigia in tota Scriptura reperiri; sed multa, ex quibus ipsius cum reliquis Apostolis æqualitatem colligere licet. Qualia sunt:

Id probatur argumentis.

II. Primò: Cùm alius in Judæ locum Apostolus esset sufficiendus, Petrus illum pro sua auctoritate non eligit: sed integer cœtus duos communi consensu proponit, & electio sorte jacta à Domino exspectatur. *Actor.* I. Idem in primâ Diaconorum electione evenisse legimus: tota Ecclesia septem sibi eligit viros, qui manuum impositione ab Apostolis ministerio suo inaugurantur: *Act.* VI. 2. Cùm Apostoli, qui Hierosolymis erant, audivissent, Samariam Euangelium recepisse, ad eos Petrum & Joannem miserunt: *Actor.* VIII. 14. Atqui superior ab inferioribus non mittitur, sed inferiores mittit. 3. Petrus *Actor.* XI. accusatus, quod Euangelium annuntiasset gentibus incircumcisis, auctoritatem aut infallibilitatem suam non allegat; sed cœlestem sibi visionem factam tantummodò refert. 4. 2 *Cor* XI. 5. plures vocantur ὑπὲρ λίαν Ἀπόστολοι; & *Galat.* II. 9. tres στύλοι, & Petrus quidem ponitur secundo loco. 5 Ex partitione muneris inter Petrum & Paulum, ut Petrus Euangelium prædicaret Judæis, Paulus gentibus, *Gal.* II. 7. rectè colligitur muneris æqualitas: ut & ex *vers.* 9. ubi Jacobus, Cephas, & Joannes, Paulo & Barnabæ dextras societatis dederunt: quod arguit, ipsos Petri non fuisse subditos, sed æquali in munere. Et tandem ex *vers.* 14. ubi Paulus, cùm videret Petrum non recto pede incedere, eum coram omnibus reprehendit: quod non convenit subdito erga principem. 6. Tandem, nec ipse Petrus in epistolis suis sibi primatum ejusmodi arrogat, sed solummodò se reliquorum συμπρεσβύτερον vocat, & presbyteros ad pascendum Domini gregem obsecrat & hortatur, 1 *Epist.* V. 1, 2. At quantum hæc absunt à potestate Monarchica in totam Ecclesiam omnesque ejus Episcopos, & à modo imperandi, Pontificibus Romanis usitato?

Responsio ad Pontificiorum rationes.

III. Multa hîc in contrarium objiciunt Pontificii; sed pleraque nullius momenti, ex quibus, si rigidissimè urgeantur, ad summum aliud nihil quàm quædam Petri supra reliquos Apostolos prærogativa (quam ultrò agnovimus) nullum autem regimen concludi posset. Itaque iis sepositis, duo tantum palmaria loca considerabimus, *Matth.* XVI. 16, 17, 18, 19. quo Petro primatum promissum, & *Joan.* XXI. 15, 16, 17. quo collatum volunt.

Quæ Matth. XVI. dicuntur

IV. Locus *Matth.* XVI. 17, 18, 19. ita se habet: cùm Petrus ad quæstionem Christi, quem se esse dicerent, respondisset,

Tu

Petre, omnes Apostolos spectant.

Tu es Christus, Filius Dei vivi: respondet illi Christus, *Beatus es Simon bar-Jona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Hic dicunt Pontificii per *petram* designari Petrum, super quo tanquam petra fundatur Ecclesia. Concedamus hoc illis; licet cum multis, etiam antiquis doctoribus, id possimus negare; qui per *petram* intelligunt, aut confessionem Petri, aut confessionis objectum, Jesum Christum, qui solus Ecclesiæ fundamentum est. Sed non repugnamus, quin per *petram* intelligatur Petrus, quatenus Ecclesiæ doctor futurus. Inde autem colligimus, quia omnes Apostoli Ecclesiæ doctores erant futuri, quodcunque hîc Petro dicitur, id omnibus Apostolis esse commune. Nec id insolens, aut à Scripturæ phrasi alienum, sub Petro aliquando reliquos comprehendi Apostolos. Videatur solummodò *Marc.* XI. 21. ubi legitur, *Et recordatus Petrus, dixit ei; Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit*, collatus cum *Matth.* XXI. 20. *Et videntes discipuli, mirati, dicentes: Quomodo continuò aruit?* Et *Gal.* II. 7, 8. ubi Petro dicitur creditum Euangelium circumcisionis, sicut Paulo præputii: at sub Petro reliquas ibi comprehendi Apostolos, saltem Jacobum & Joannem, *vers.* 9. manifestè satis indicat. Addere hisce ex sententia Augustini possumus nobilem illum locum; *Luc.* XXII. 31, 32. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* In quæ verba ita Augustinus commentatur, in *Quæst. ex. N. Test. Quæst.* LXXV. *Quid ambigitur? Pro Petro rogabat; & pro Jacobo & Joanne non rogabat, ut cæteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri: quia in alio loco dicit, Ego pro his rogo, quas mihi dedisti.* Et ibid. *Pro Petro rogans, pro omnibus rogasse dignoscitur.* Et ratio idem suadet. I. Quia promissio hæc Christi nititur rotunda illa Petri confessione: Atqui eadem erat omnium Apostolorum, *Matth.* XIV 33. ubi omnes dicispuli in navi Christo dicunt, *Verè Filius Dei es.* Et *Joan.* VI. 69, 70. ubi Petrus omnium nomine dicit, *Nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Sive itaque Petrus nomine aliorum responderit, sive suo tantum, reliqui autem hoc responsum Petri tacitè approbaverint, perinde est. Neque excipere possunt, ideo Petrum solum locutum, quia Apostolorum princeps erat, cum urgeant, hoc demum loco ipsi principatum promissum. II. Quia nihil hic Petro promittitur, quod non omnibus Apostolis promissum sit. 1. Quòd ipsi inædificanda sit Ecclesia. Atqui hoc Petro cum reliquis Apostolis fuit commune, qui omnes quatenus primi Ecclesiæ doctores, illius fundamenta vocantur. Vide *Apoc.* XXI. 14. *Eph.* II. 20. IV. 11, 12. Quin & Paulus de se dicit, quod *tanquam sapiens architectus fundamentum posuerit*, 1 *Cor.* III. 10. 2. Quod ipsi concedatur potestas *clavium*, & *solvendi ac ligandi.* At illa omnibus conceditur, *Matth.* XVIII. 18. & res illa designata, remissio nempe & retentio peccatorum, *Joan* XX. 23.

Quid hic Petro speciale promissum sit.

V. Dices. Quia tamen Petri solius nomen hîc nominatur, non autem reliquorum Apostolorum, videri diversam Petri quàm aliorum esse rationem. Resp. Ad summum tantum sequitur, aliquam Petri præ reliquis fuisse prærogativam, quam ultrò agnovimus; & hîc etiam speciatim non illubentes agnoscimus; nempe quòd Dominus Petro, quia aut primus omnium, aut omnium nomine, tam ingenuè respondit, promittat, quòd primus Ecclesiæ fundamenta sit jacturus, tam inter Judæos, ut *Act.* II. ubi ipso Pentecostes diё ad unam Petri concionem tria millia Judæorum ad fidem Christi conversa leguntur: quam inter gentes; ut *Act.* X ubi Petrus visione divina admonitus Cornelio iisque qui cum ipso erant Euangelium annuntiavit, eosque ad Christum sine circumcisionis aliorumque Legis rituum interventu, ut vigente Judaismo fieri solebat, adduxit. Nullum autem inde Petri in reliquos Apostolos imperium elici potest. Neque id Apostoli agnoverunt; quia post prolata hæc verba inter se de primatu contenderunt, *Matth.* XVIII. 1. *& seqq.* Quin & eandem contentionem paucis ante captivitatem Domini horis redintegrarunt, *Luc.* XXII. 24.

Potestas Petri non probatur ex ædificatione Ecclesiæ super Petro.

VI. Pontificii autem, ut primatum Petri ex hoc loco extundant, singula ejus membra urgent. Ac 1. contendunt, per inædificationem Ecclesiæ super Petro, tanquam fundamento, ipsi in Ecclesiam concessum esse regimen: hoc modo: Sicut fundamentum sustentat & protestatem habet sustentandi ædificium; ita etiam Petrus fundamentum est sustentans Ecclesiam. Resp Non promittitur Petro regimen in Ecclesiam jam ædificatam; sed ædificatio Ecclesiæ, nondum existentis, super Petro, tanquam doctore, seu super doctrinæ Petri. Aliud autem est, ædificare Ecclesiam, ut fiat Ecclesia; aliud, imperare Ecclesiæ jam ædificatæ. Illud Petro promittitur, non hoc. Docet id vox *ædificandi*: ædificat enim Deus homines super doctrina Petri, ut credant, non postquam crediderunt; quia tum sunt Ecclesia: sic nec domus, quæ jam est, ædificatur, sed ut fiat. Petro itaque promittitur, ipsum

futurum primum Euangelii doctorem, cujus operâ homines in Ecclesiam sint colligendi; donisque ad munus istud necessariis fore instruendum, sc. cognitionis, miraculorum, &c. Melius ergo similitudo in hoc collocatur: Sicut fundamentum primum est cui domus inædificatur; ita etiam Petrus primus doctor est futurus, per cujus doctrinam alii homines ad Christum adducentur, & ædificabuntur tanquam lapides vivi in domum spiritualem.

Nec ex datione clavium. VII. Secundò: Urgent phrasin, *Dabo tibi claves regni cœlorum.* Hic, inquiunt, constituitur Petrus dispensator omnium spiritualium bonorum. Resp. Esto: quam id Petro potestatem confert in Ecclesiam? Oeconomus & qui claves gestat sæpe est famulus, nulla potestate præditus. Ex sola ergo clavium gestatione potestas illa concludi non potest. Alia quippe Domini est potestas, qui claves gerit, summa nempe & absoluta, *Esa.* XXII. 22. *Apoc.* III. 7. alia ministri, cui claves gestandæ committuntur. Non enim clavium gestationem semper summam designare potestatem, liquet ex *Luc.* XI. 52. & *Matth.* XXIII. 13. ubi Scribis & Pharisæis generatim clavis tribuitur, quibus tamen summam potestatem non concedent, nec concedere possunt Pontificii. Deberet ergo jam aliunde de Petri potestate constare, antequam ex clavium gestatione ea colligi posset. Sed vero, non incommodè idem quod præcedente phrasi, seu aliquid illi immediatè connexum, Petro promissum dici potest; nimirum, quòd primus ostium fidei, seu salutis, esset aperturus, & quidem præcipuè gentibus. Scimus clavibus ostia domus reserari, ut in domum introitus pateat. Ita figuratè *regno cœlorum* attribuuntur *claves*; quibus aliud nihil significari videtur, nisi medium illud, cujus virtute hominibus in illud ingressus pateat. Hoc autem est fides, quæ producitur per doctrinam Euangelii cui fides assensum præbet. Qui itaque adhibetur ut doctrinam illam primus annuntiet, & illius annuntiatione primus homines ad fidem convertat, atque ita ostium cœli ipsis quasi aperiat, illi claves cœlorum traditæ rectè dicuntur. Illud autem Petro fuisse concreditum, & Petrum fecisse, tam inter Judæos quàm inter gentes, jam ostendimus. Unde & ipse dicit *Act.* XV. 7. *Ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelii, & credere.*

Nec ex potestate solvendi & ligandi. VIII. Tertiò: urgent illa verba; *Quicquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Resp. *Solvere* & *ligare*. non semper sunt actus potestatis; sed & ministerii aliquando. Rex solvit & ligat: sed & minister. Si absolutam hic velint designari potestatem, necesse est dicant, Petrum habuisse potestatem *solvendi*, id est, non infligendi pœnam peccatis promeritam; & *ligandi*, id est, pœnam eam infligendi. Atqui cum id manifestissimè falsum sit, nec ab ipsis urgeatur, nec urgeri possit, alius horum verborum sensus quærendus est. Indubium nobis est, Dominum Jesum hic usum phraseologiâ inter Judæos frequentissimâ; ac proinde nec alio eam usurpasse sensu, quàm qui communiter inter eos receptus esset; aliàs ab Apostolis intelligi non potuisset, & sensum à verbis ejus alienum inde concepissent. Atqui phrasi illâ in Judæorum scholis usitatissimâ aliud nihil significatur, quàm quid pronuntiare licitum vel illicitum: cùm aliquid pronuntiabant licitum, dicebantur *solvere*; cùm illicitum, *ligare*. Sic in libris Rabbinorum frequentes sunt illæ locutiones: *Quodcunque ego solvo, ille ligat: quodcunque ego ligo, ille solvit. Schola Schammæana ligat, schola Hilleliana solvit*; & similes, quarum prolixum catalogum recenset Ligtfootus in hunc locum. Quare potestate *solvendi* & *ligandi* significatur potestas declarandi, quid licitum & illicitum sit, quid imposterum sit faciendum, & omittendum, ut regnum cœlorum obtinere & salutem consequi quis posset. Promittit nimirum Dominus, se verbum salutis ac damnationis, quod omnibus hominibus vitæ regula sit futurum, in ore Petri, ut & reliquorum Apostolorum, positurum; idque seratum habiturum. Dices. Hoc Petro cum omnibus doctoribus ac Christianis commune est: at hic singulare quid Petro promitti videtur. Resp. Commune quidem est Petro cum omnibus doctoribus ac fidelibus, quatenus illi ex verbo Dei, quod Petrus & reliqui Apostoli annuntiarunt, instructi, declarare possunt, qualibus Deus peccata remittere ac salutem largiri velit: Ita tamen, ut judicium ipsorum verbo Dei scripto innitatur; extra quod si quid pronuntient, verbum eorum nullius est auctoritatis. Hoc autem Petro ac reliquis Apostolis peculiare fuit, quod primi fuerint verbi illius præcones, cujusque revelationem immediatè à Domino acceperint, & per Spiritum Sanctum ducti sint in omnem veritatem; ac proinde verbum hoc absque errandi periculo mundo annuntiarint: tum & potestate miracula faciendi sint donati, quibus doctrinam suam confirmarunt. Cui alia fuit annexa potestas, quâ Petrus & reliqui Apostoli, discretione spirituum prædi ti, quâ in corda hominum penetrabant, & noverant quorum fides ac pœnitentia esset sincera, iis nomine Dei annuntiare poterant remissionem peccatorum, & sanare à morbis, quibus ob peccata sua obnoxii erant: Ab altera parte, à gratia & remissione excludere omnes impœnitentes & hypocritas: in cujus potestatis confirmationem eos aliquando pœnis corporalibus castigabant.

Exem-

Exempla passim obvia: multi infirmi ab Apostolis sunt sanati: Ananias & Sapphyra ob insignem hypocrisin verbo Petri sunt interempti, *Act.* v. Elymas ob impietatem à Paulo cœcitate est percussus, *Act.* XIII. Alii in Satanæ, tanquam carnificis & tortoris, potestatem sunt traditi, 1 *Corinth.* v. 5. 1 *Tim.* 1.20.

Joan. XXI. 15. 16, 17. non confertur Petro potestas.

IX. Alter locus exstat *Joan.* XXI 15, 16, 17. ubi Dominus Petrum ter rogat, utrum se magis amet, quàm reliqui? Et cum Petrus amorem suum esset testatus, Dominus illi agnos & oves suas pascendas commendat. Hic, inquiunt, Dominus potestatem, quam *Matth.* XVI. promisit, Petro confert, ideoque illi soli, & quidem ter, oves suas pascendas tradit. Resp. Nihil minus respici, quàm locum *Matth.* XVI. sed trinam Petri abnegationem: ideoque solus Petrus, & quidem ter, interrogatur, ut trinam suam abnegationem trina confessione eluat: quod ipse animadvertit Petrus, quoniam tertiò interrogatus tristari cœpit. Quia ergo propter trinam suam abnegationem Apostolatus munere excidisse meritò judicari poterat, Dominus, ut significet se illi id denuò confirmare, oves suas illi pascendas committit.

Ea non probatur ex voce pascendi.

X. Pontificii tamen duo potissimum ex hoc loco pro Petri monarchia urgere solent. Primò argumentum desumunt ex voce *pascendi*, quæ regimen significet. Hinc reges vocantur passim, pastores populi. Sic & Cyro Deus dicit, *Esa.* XLIV. 28. *Pastor meus es.* Resp. *Pascere* in propria significatione non significat summam potestatem; quia etiam tribuitur iis, qui alienas oves pascunt: *Gen.* XIII. 7. & XXX. 31. hinc & Jacob illud servitium vocat; *ibid. vers.* 26, 29. & XXXI. 6. Quod figuratam locutionem attinet; verum est, quando regibus tribuitur, designare summam potestatem. In Ecclesia verò nunquam ea significatione accipitur: quia *Eph.* IV. 11. ubi varii Novi Testamenti ministri nominantur, *Pastores* quarto loco collocantur: quin & pastoribus omnem in Domini clerum potestatem Petrus interdicit, 1 *Epist.* v. 3. His adde, quod omnibus Episcopis summa illa potestas tribuenda foret, quia de omnibus dicitur, quòd Spiritus Sanctus eos posuit Episcopos pascere *Ecclesiam Dei*, *Act.* XX. 28.

Nec ex vocibus agnorum & ovium.

XI. Secundò. Argutatur Bellarminus in voce *agnorum*, per quos intelligit laicos; & *ovium*, per quas intelligit Episcopos, Presbyteros, Reges & Principes. Sed quis non videt ineptam hanc esse argutiam? Ipse Maldonatus in Comment. suis commentum hoc rejicit, docens, esse tantum discrimen in voce, non in re, ex collatione *Matth.* X. 16. cum *Luc.* X. 3. Dices. Dominus tamen omnes oves suas Petro pascendas tradit: Apostoli autem etiam sunt oves Christi. Resp. Et Petrus fuit ovis Christi: Ergo cum Petrus Episcopis commendat, ut gregem Domini pascant, etiam commendavit ut se pascerent. Quod ineptum. 2. Ut pressè respondeam: Dico, Apostolos, Doctores, Pastores, &c. nunquam vocari oves; sed semper pastores ovium, & sic contradistingui ab Ecclesia quam pascunt; & dici constitutos sub pastore summo Jesu Christo: 1 *Pet.* v. 2, 3. *Actor* XX 28. Dices. Atqui hic omnes oves debent intelligi, quia Dominus alibi dicit, *Novi oves meas.* Resp. Quæ consequentia? illo in loco intelliguntur omnes oves, inclusis Apostolis & Doctoribus: Ergo & hic. Similiter ego concludam, & Petrum illis verbis includi, ac proinde Petrum sibi ipsi regendum tradi. Sic autem & pastor simul erit, & ovis. Et si id in Petrô potest locum habere, quid ni in reliquis Apostolis? Jubentur illi oves pascere; si autem Petrus sit ovis, ergo & eum pascere jubentur. Alia itaque est ratio, quando fideles cum respectu ad Christum, alia cum respectu ad Doctores, oves vocantur. Priore enim casu omnes, nemine, ne ipso quidem Petro, excepto, intelliguntur: posteriore soli auditores, seu Ecclesia auditorum. Nihil itaque in hisce verbis est, unde Petri in reliquos Apostolos regimen seu monarchia concludi possit.

CAPUT X.

De Primatu Papæ Romani.

Ex Scriptura probandum, utrum Petrus habuerit successorem.

I. SEd verò, supponamus Petrum à Domino constitutum principem & caput Apostolorum: quid inde pro Monarchia Papæ Romani concludetur? Dicunt, Petrum debuisse aliquem habere successorem: idque probant argumentis, quæ jam refutavimus, quod Ecclesia summum requirat monarcham. Atqui non inanibus istiusmodi ratiunculis est pugnandum, neque ex iis, quæ nos pro ingenii nostri imbecillitate judicamus Ecclesiæ statui maximè esse accommodata, colligendum Deum hunc regiminis modum Ecclesiæ præscripsisse: sed ex Scriptura ostendendum, Deum illum instituisse, Petrum Ecclesiæ caput præposuisse, Petro successores constituisse, & quinam illi essent exertè declarasse. Res enim hæc maximi est momenti, totius Christianismi omniumque fidelium salutem spectans, quæ non incertis conjecturis, sed clarâ voluntatis divinæ declaratione niti debet.

Nullum reliquit Petrus successorem.

II. Unde enim constabit, Petrum illum reliquisse successorem? Unde, Romanum Pontificem successorem Petri esse? Utrumque æquè incertum, & nullâ Scripturâ nixum. Petrus enim, perinde ac reliqui Apostoli,

stoli, nullum in munere suo successorem habuit. Fuit id munus extraordinarium, donis extraordinariis ornatum, quæ omnia cum munere isto evanuerunt. Si dicant; Petrum successorem habuisse, non quatenus Apostolum, sed quatenus Episcopum Romanum: 1. Supponunt, quod in quæstione est, Petrum Romæ fuisse Episcopum: cum Apostolorum munus non uni Ecclesiæ fuerit alligatum, sed universale ad omnes gentes. 2. Sequetur; 1. non habuisse ergo Petrum successorem quatenus Ecclesiæ Monarcham: quoniam omnibus illis in locis, in quibus Petro Monarchiam, hanc concessam urgent, non ad Episcopatum Romanum, sed ad Apostolatum respicitur. 2. Successorem ejus imperium habiturum fuisse in Apostolos superstites: videlicet in Joannem: quod absurdum. 3. Frustra quæritur successor, quem Deus nusquam instituit. Aaroni Deus dedit successores: Mosi, qui non tantum Propheta, sed & populi Israelitici princeps fuit, nullum Deus successorem dedit Vanum itaque fuisset, si quis, similibus ratiunculis nixus, sucessionem Mosis jactasset.

Papa non est Petri successor.

III. Multò incertius est, Romanum Pontificem Petri successorem esse. Quas enim successionis hujus proferunt tabulas? Dicunt Petrum aliquandiu, imò viginti quinque annis Romanæ Episcopum fuisse, & in illo Episcopatu vitâ functum; ac proinde principatum suum jure successionis ad Episcopum Romanum transmisisse; ita ut quicunque legitimè in sedem illam fuerit introductus primatum Petri in totam Ecclesiam jure hæreditario consequatur. Sed quis non videt hanc esse argumentationem ex multis incertis hypothesibus concatenatam? Supponamus enim, quod unanimi Patrum affirmatione nititur, Petrum fuisse Romæ, cujus nulla tamen in Scriptura exstant vestigia; incertissimum est, Petrum vigintiquinque annis Romæ commoratum, quod ex historia Petri, quæ Scripturâ continetur, multi manifestæ falsitatis coarguerunt; nec cum Epistolis Pauli pluribus, quas Româ scripsit, in quibus plurium coadjutorum, Petri autem nullam mentionem facit, nec cum Epistola ad Romanos, in qua plures, Petrum autem nequaquam, salutat, conciliari potest. Incertius adhuc est, Petrum Romæ fuisse Episcopum. Sed hæc omnia ut certa concedamus; quas successionis in omnia Petri privilegia tabulas profert Papa Romanus? Nullas. Non ergo magis audiendus, quàm si quis, quia Christus, qui absque omni dubio caput est Ecclesiæ, Hierosolymis mortuus est, exinde colligere velit, Episcopum Hierosolymitanum jure successionis Ecclesiæ caput esse: Aut quia Petrus aliquamdiu Antiochiæ commoratus est, illius Episcopum in omnia Petri privilegia successisse: quia non locus mortis, sed sedes Episcopalis jus successionis confert. Primatus ergo Romano Pontifici Veterum canonibus tributus, non in successione Petri, sed in urbis Romæ dignitate, quæ imperii caput erat, fundamentum habuit. Unde translata postmodum imperii dignitate Constantinopolin, illius Episcopus Romano est æquatus in Synodo Calcedonensi, Can. XXVIII. non quia Episcopus ille successor erat Andreæ, fratris Petri; sed quia Constantinopolis tunc erat imperii caput. Neque jurisdictio Romano Episcopo concessa fuit universalis, sed tantum in Ecclesias suburbicarias: Concil Nicen. Can. VI. eæ autem erant, quæ intra centesimum ab urbe lapidem concludebantur; saltem Italiæ limites non excessisse certum est. At quantum hoc à Pontificatu Oecumenico abest?

Papa non est infallibilis in fide.

IV. Destructa Romani Episcopi Monarchia, necesse non est, multis illius in fide infallibilitatem, & omnes Religionis Christianæ controversias dijudicandi potestatem impugnare. Res paucis confici potest. 1. Omnes homines errori sunt obnoxii, 1 *Corinth.* XIII. 9. *Rom.* III. 4. nec quisquam à communi hac sorte eximitur. 2. Plures Papas errasse & in hæresin incidisse constat, nec à Pontificiis negari potest, adeò ut fuerit, qui vitam futuram & carnis resurrectionem abnegaverit, videlicet Joannes XXIII. Vide *Acta Concilii Constantiensis*, *Sess.* XI. Unde & multi ex Pontificiis sentiunt, Papam in hæresin incidere posse. Verùm distinguunt hic Pontificii, inter Papam, quatenus est particularis doctor, & quatenus est caput Ecclesiæ. Priore respectu posse errare, omnes concedunt. Quod verò secundum attinet respectum, utrum Pontifex ut Pontifex, sive quando ex cathedra, ut loquuntur, pronuntiat, errare possit, de eo variæ sunt inter Pontificios sententiæ. Prima est plurium Doctorum Parisiensium; Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse hæreticum, & docere hæresin, si absque generali Concilio definiat; idque de facto aliquando accidisse. Secunda est; Pontificem non posse ullo modo esse hæreticum, nec docere publicè hæresin, etiamsi solus rem aliquam definiat. Tertia est; Pontificem, sive hæreticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid hæreticum, & à tota Ecclesia credendum: Teneri quidem Pontificem consulere viros doctos, & peritos rei: sed ipsam infallibilitatem non esse in cœtu consiliariorum, nec in cœtu Episcoporum, sed in solo Pontifice. Neque fieri posse ut Pontifex temerè definiat: qui enim (ajunt) promisit finem, etiam procul dubio promisit media ad eum finem obtinendum necessaria. Ita videmus quàm parum sibi con-

constent & inter se conveniant Pontificii in re tanti momenti.

Explicatio Luc. XXII. 32.

V. Sed videamus quibus argumentis Papæ infallibilitatem propugnent. Dominus, inquiunt, oravit, *Luc.* XXII. 32. pro Petro, ne deficiat fides ipsius: Ejus autem preces semper sunt exauditæ. *Resp.* 1. Non oravit Dominus pro infallibilitate Petri in decidendis dogmatibus fidei, sed ne Petri fides, quâ Christo ut Salvatori adhærebat, quæque ingenuam Christi confessionem, omniaque sanctitatis & charitatis opera producit, in gravi illa quæ instabat tentatione deficeret. Atqui hoc pacto Pontificum suorum fidem deficere posse, & nonnunquam defecisse, nec ipsos Pontificios opinor negaturos. 2 Petri fuit hoc privilegium singulare. Unde probant, Papas suos eadem prærogativa cum Petro gaudere? Secundò. Ajunt. Si Pontifex Romanus in fide errare posset, tota quoque Ecclesia, quæ illius, tanquam capitis, ductum sequi tenetur, errare posset: quod absurdum. Sed quis non videt, in hac argumentatione assumi, quod in quæstione est? Nos enim negavimus. Papam Romanum Ecclesiæ caput esse, idque solidis adstruximus argumentis: quod tamen hic præsupponitur. Si itaque Papæ monarchiâ nitatur ejus infallibilitas, illâ eversâ & hæc corruit. 2. Ecclesiam in errorem incidere posse non esse absurdum, in sequentibus ostendemus.

Papa non est supremus controversiarum fidei judex.

VI. Hinc jam alterum sequitur: Si Papa non est immunis à periculo errandi in fide, quòd neque absolutam potestatem habeat omnes de eâ controversias inter Christianos agitatas decidendi. Infallibilitatis siquidem privilegium requiritur in eo, cujus decisioni omnes sub pœnâ salutis æternæ amittendæ obtemperare tenentur. Et hæc est caussa, quòd acerrimi Monarchiæ Papalis propugnatores, Papæ infallibilitatem adscribant: quia alias hanc Papæ obediendi obligationem satis solidè se deducere non posse vident. Alii autem putant, opus non esse divinam infallibilitatem sedi Romanæ annectere, & tamen obedientiam & obsequium ei præstandum:, sicut supremi Reipublicæ judicis sententiæ obtemperandum est, quamvis ipse judex non sit ab omni errandi facultate divinitus absolutus. *Resp.* Res toto cœlo diversæ inter se componuntur. Alia siquidem est ratio controversiarum fidei, quæ conscientiam spectant: Alia rerum mundanarum & litium civilium inter homines. Hæ siquidem potestati Magistratus sunt subjectæ, & lites super iis exortas decidi necesse est, quâcunque id ratione fiat; quia certa esse debet unicuique bonorum suorum possessio: nec quisquam constringitur, judicium adversus se pronuntiatum approbare, sed solummodò, illi parere. At minus malum est, judicium aliquando iniquum ferre, quàm nullum habere: quia aliàs mera vis dominaretur. Hinc judex, etiam quando injustam pronuntiat sententiam, dicitur jus dicere. Ut itaque judicia de rebus ejusmodi vim constringendi habeant, non præcisè requiritur, ut semper, sufficit ut plerumque, & ut plurimum, recta sint. Alia autem est ratio controversiarum fidei. Solius Dei est, sicut æternam salutem dare, ita & salutis legem præscribere. Non sufficit hic sola externa confessio, sed requiritur internus animi assensus. Nullum homini in alterius conscientiam jus; sed unusquisque fidei suæ rationem Deo judici reddere tenetur. Auctoritate humana conscientia pacari nequit. Si quid præcipiatur, quod conscientia legi divinæ adversari credit, assentiri nequit, quin se coram Deo inobedientiæ ream faciat. Idque discrimen exinde evidentius cognoscitur, quòd homines ad obtemperandum judiciis de rebus civilibus cogi possint; ad obtemperandum verò decisionibus de fide cogi neutiquam possint. Vincula corpori, ori habenæ injici possunt, ut confessio ejus quod conscientia probat opprimatur: aut illius quod improbat extorqueatur; animus autem nullis se nexibus constringi, nec invitus ad assensum per vim cogi patitur.

Qua ratione controversiæ fidei terminari queant.

VII. Atqui objiciunt: Ergo omnes controversiæ inter Christianos indecisæ relinquentur: quod absurdum. *Resp.* Quoniam Deus controversias fidei nusquam decidi præcepit, neque in terris judicem qui eas decidat instituit, eas indecisas relinqui absurdum non est. Jus hoc sibi soli Deus reservavit. Reliquit nobis regulam fidei perfectam & claram, ex qua unusquisque omnia ad salutem necessaria plenè addiscere possit. Si quis propria negligentia aut alio culpabili vitio eorum ignorans sit, Deo ignorantiæ suæ rationem redditurus est. Reliqua non præcisè necessaria, quoniam verbis non ad unum præcisè sensum determinatis Deo efferre visum fuit, nec ea hîc decidi voluisse censendus est; sed in illis scrutandis exercere solertiam ad diligentiam nostram; & in nævis ac infirmitatibus mutuis tolerandis probare nostram charitatem voluisse. Hac ratione, non obstante dissensu in non fundamentalibus, Ecclesiæ unitas per mutuam tolerantiam & charitatem conservari potest. Si verò decidendi potestas homini permittatur, per vim omnes in unam Ecclesiam cogi possunt, animorum verò unio servari nequit: quoniam nemo, qui contrarium in verbo divino doceri credit, conscientiam suam decisionis humanæ vinculis adstringi patietur.

Quam habeat potestatem Papa Canones de Ec-

VIII. Quæri hîc posset: An non saltem Papæ concedi posset auctoritas canones aliquot de externo Ecclesiæ regimine condendi, eosque aliis præscribendi, ita ut nulli Christia-

clesia regimine condendi.

Christiano obedientiam detrectare liceat? Resp. Pontificem Romanum eandem cum reliquis Episcopis habere in sua diœcesi potestatem, nullum autem ipsorum potestatem habere canones pro arbitrio condendi, eorumque observationem Ecclesiæ cum potestate præscribendi. Canones de fide nullos condere posse, ex iis quæ ante dicta sunt, manifestum est. Quæ externum Ecclesiæ regimen spectant, quatenus communi fidelium consensu Ecclesiæ directio Episcopis est commissa, eatenus etiam ea instituere possunt, ut omnia ordinatè & decore in Ecclesia Dei fiant: nihil autem præscribere conscientiis fidelium, neque eorum decretis non parentes per vim ad obedientiam cogere: quia omnis eorum potestas consistit in persuasione; & subjectio eorum decretis præstita libera debet esse obedientia, non coacta, nec metu pœnæ expressa. Talis ergo etiam est Papæ Romani in suam Ecclesiam potestas: eam autem ulterius ad aliorum diœceses extendere nequit absque tyrannide & potestatis illicitæ usurpatione. Non autem repugnamus, quin in Concilio, ad Canones ejusmodi condendos convocato, communi, qui simul congregantur, Episcoporum & Antistitum consensu, & libera delatione, ordine primus agnoscatur, totamque actionem ut præses dirigat, propter urbis cujus Episcopus est majestatem. Non verò, ut Bellarminus urget, ut reliquorum Episcoporum sit princeps, quorum auctoritas non à Deo immediatè, sed à Papa descendat. De qua quæstione acris inter Patres in Concilio Tridentino contentio fuit: quæ tandem Legatorum Papæ directione cohibita fuit. quibus operam egregiam navavit P. Lainez Præpositus Generalis Jesuitarum, excogitatâ futili & adulatoriâ distinctione inter jus divinum & ordinationem divinam: Ex jure divino illa esse dicens, quæ non solum in genere, verùm etiam in specie à Deo sunt: Ordinationis autem divinæ, quæ in genere tantum à Deo sunt, in specie autem ab hominibus constituta: & hujus divinæ ordinationis volebat esse hierarchiam & institutionem Episcoporum: ut ita omnes Papæ obnoxios faceret. Nam exinde sequitur, Episcopos, quatenus Ecclesiæ doctores esse à Deo & juris divini: quatenus vero humanâ constitutione introducta est gradum inter Episcopos & Archiepiscopos, reliquosque primates, diversitas, & quatenus unusquisque Episcopus particulari Ecclesiæ est præpositus, esse tantum ordinationis divinæ; ac proinde, licet Papa tollere non possit ordinem universalem Episcoporum constituendi in Ecclesia, quoniam ille est juris divini, posse tamen quemlibet particularem Episcopum suâ auctoritate tollere: cùm id sit de jure Canonico. Atque ita Papa juxta hanc distinctionem dominatum obtinet in Episcopos, non aliter ac si totum illorum munus solummodò esset ordinationis divinæ. Adeo ut tandem res eòdem recidat, & Episcopi æquè hac ratione Papæ Romano sint subjecti, non aliter ac si jure divino illos eidem subjectos docuisset. Multò minus, summus controversiarum fidei judex agnosci debet. Sic enim veritati præjudicium nimis apertum fieret: quoniam ab unius hominis arbitrio, cujus sæpe interest errores graves & exitiales tanquam fidei dogmata recipi, illius decisio penderet: nec ullum tanto malo remedium abhiberi posset.

CAPUT XI.

De Antichristo.

Quid significet vox Antichristus.

I. QUæstioni de Pontifice Romano immediatè altera adhæret de Antichristo. Ut hæc de Antichristo quæstio ritè tractetur, à nomine ipso ordiendum est. Vox ἀντίχριστος, ex vi voculæ ἀντὶ, proprie notat eum qui contra Christum, seu Christo contrarius est. Communiter Reformati ex vi vocis ἀντὶ colligunt Antichristum esse non tantum qui sit contra Christum, sed & vice Christi, seu, qui se jactat Christi vicarium: qualis significatio voculæ ἀντὶ in pluribus vocabulis reperitur, ut ἀνθύπατος, ἀντιβασιλεὺς, ἀντάδελφος, & similibus. Sane si consideremus vim vocis ἀντὶ, negari nequit, quin ἀντίχριστος etiam significare possit eum qui vice Christi est: &, ut in sequentibus ostendemus, descriptio Antichristi, quæ in Scriptura reperitur, optimè quadrat in eum, qui se Christi in terris jactat vicarium. Attamen si Scripturæ usum inspiciamus, non videtur in ea alio sensu, quàm Christo contrarii, reperiri: ut 1 *Joan.* 11. 18, 22. IV. 3. 2. *Joan.* 7. Quin & celebri in loco 2 *Thess.* 11. 4 vocatur ὁ ἀντικείμενος, quod alio sensu accipi nequit, quàm *adversarius*, seu sese *opponens*. Et in illa significatione facile acquiescere possum, nec necesse est cum Pontificiis multum de significatione vocis ἀντιχρίστου contendere Quamvis enim dici non possit, vicarium Christi, à Christo ipso institutum, & secundum Christi leges, ac proinde ex auctoritate Christi, regimen in Ecclesiam administrantem, Christo esse contrarium: tamen rectè Christo contrarium dicitur, qui se, præter Christi auctoritatem, Christi vicarium jactat, se Ecclesiæ caput Christi vice collocat, posthabitisque Christi mandatis sua Ecclesiæ præscribit, iisque Christi auctoritatem prætendit: is enim eximio modo se Christo opponit, Christique adversarius est.

Est quidam ex-

II. Antichristi vox, hoc sensu accepta, aliqua-

mini Antichristus. aliquatenus ambigua est: aliquando namque designat eum, qui Christo quoquo modo contrarius est, ut 1 *Joan.* 11. 18. aliquando eximium quendam Christi adversarium: *ibid. Sicut audivistis quia Antichristus venit; & nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus quia novissima hora est.* Et qui describi creditur, 2 *Thess.* 11. *Apoc.* XIII. & XVII. Priores magni illius & eximii Antichristi præcursores sunt, qui ipsius adventui viam præparant, & ad ipsius apparitionem disparere debuerunt. De hoc Antichristo duæ sunt sententiæ multum diversæ.

De eo sententia Pontificiorum. III. Prima est Pontificiorum. Hi docent, Antichristum fore unum singularem hominem, eumque venturum & regnaturum circa finem mundi, ipsiusque adventum præcessuram omnimodam imperii Romani desolationem; apparituroſque Enoch & Eliam, qui adhuc vivant, & in hoc vivant, ut venienti se Antichristo opponant, & conservent electos in fide, & tandem Judæos convertant. Antichristum autem excitaturum persecutionem gravissimam & notissimam, ita ut cessent omnes publicæ religionis ceremoniæ & sacrificia: regnaturum autem tres annos cum dimidio; & tum adventurum mundi finem. Nasciturum verò è fornicaria muliere, non ex legitimo matrimonio, & quidem è tribu Dan (quanquam hæc probabilia tantum esse dicat Bellarminus, certa autem quæ sequuntur) & venturum præcipuè propter Judæos, & ab iis tanquam Messiam recipiendum, & ex gente Judæorum nasciturum, & circumcidendum, & sabbathum observaturum, saltem ad tempus: ejusque sedem fore Hierusalem, ac templum & solium Davidis. Doctrinæ autem ipsius hanc fore summam; quòd sit negaturus Jesum esse Christum, se autem verum esse Christum à Prophetis promissum affirmaturus: imo se esse Deum, ac solum Deum; ac proinde non solum verum Deum, sed & falsos oppugnaturum. Facturum etiam miracula, sed mendacia; ut nempe ignis de cœlo descendat; ut imago bestiæ loquatur: quin &ficturum se mori & resurgere. Tandem ex humillimo loco prodeuntem per fraudem & dolos Judæorum regnum adepturum; pugnaturum cum tribus regibus, nimirum Ægypti, Libyæ & Æthyopiæ, & eorum regna illis devictis occupaturum: subacturum sibi alios septem reges, & eo modo totius mundi Monarcham evasurum; cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum, & hoc esse prælium Gog & Magog, *Apoc.* XX. 8. Quæ omnia passim apud Bellarminum de Antichristo legi possunt.

Et Reformatorum. IV. Altera est communis Reformatorum sententia; videl. Antichristum non fore unicam singularem personam; sed ordinem quendam sive seriem personarum, in una eademque sede sedentium, quorum alter in alterius locum succedet: ita ut quando Antichristus describitur, regnum quoddam sive imperium describatur, quod continuâ serie per multos administrandum sit, & quod in singulos, qui imperio illi præsint, prædictiones de Antichristo quadrent. Regnum autem seu imperium, quod designatur, esse imperium Pontificis Romani; quoniam *Apoc.* XIII. & XVII. sedes illius expresse designetur Roma; & 2 *Thess.* 11. illis notis depingatur, quæ Pontifici Romano exactè conveniant. Hinc communis Reformatorum sententia est, Pontificem Romanum, qui se Christi in terris vicarium jactat, & omnium controversiarum fidei judicem infallibilem, qui leges præscribere potest, quæ homines in conscientia obligant & hujus generis alia, esse magnum illum Antichristum in Scriptura nobis præfiguratum.

V. Sanè quod Pontificiorum sententiam attinet, scatet illa plurimis fabulis; & cum in finem tantum videtur excogitata, ut omnia Reformatorum argumenta, quibus Pontificem Romanum Magnum illum Antichristum esse contendunt, aliquâ ratione eludere possint. Imò, si rectè examinetur, incredibilis est, & seipsam destruit. Quomodo enim Antichristus, qui una singularis persona est, spatio trium annorum cum dimidio (quibus solummodo regnaturum dicunt) tot gentes posset decipere, easque inebriare vino scortationum & abominationum, ut avitam omnem religionem abjicientes, ipsum colant ut unicum Deum? Quomodo tot bella gesturus est, templum maximum ædificaturus, ibique tanquam idolum sessurus, & toto orbe Christianos persecuturus brevissimo illo temporis spatio? Quomodo templum, quod contra Deum erigitur, Apostolus vocare possit templum Dei? Sanè figmentum hoc Antichristi in causa est procul dubio, cur totum illud quod de Antichristo dicitur multis Pontificiis fabulosum videatur. Sed vero fingunt sibi Antichristum, qualis nusquam prædictus, nunquam etiam venturus est: cœcâ suâ Antichristi exspectatione similes se facientes Judæis, qui Christum exspectant, qualem Deus nunquam promisit: sicut itaque hi Christum, ita & Pontificii Antichristum, etiamsi venerit, in perpetuum exspectabunt. *Absurditas sententia Pontificiorum.*

VI. Nos, nugis hisce & fabulis omissis, præcipua controversiæ de Antichristi capita succinctè examinabimus. Prima ergo controversia est, utrum Antichristus sit una tantum singularis persona futurus? uti Pontificii contendunt: an vero ordo quidam sive series personarum, in una eademque sede sedentium, & sibi invicem succedentium *Antichristus non est una singularis persona, sed series personarum in eadem sede.*

tium, quorum ſinguli ſint Antichriſtus, quorumque regnum ſit Antichriſti regnum? uti docent Reformati. Sanè Pontificiorum ſententia unico hoc nititur fundamento, quòd Scriptura paſſim de Antichriſto in numero ſingulari tanquam de una perſona loquatur; ut 2 *Theſſ.* II. 3. ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, &c. Sed verò, non tantum frequens in Scriptura eſt enallage, quâ nomen ſingulare cum articulo ponitur pro tota univerſitate: Sic ὁ ἄνθρωπος genus hominum, ὁ σατανᾶς univerſitatem diabolorum ſignificat: *Marc.* III. 26. *Luc.* XI. 18. Similia exempla vide, *Matth.* XIX. 10. *Marc.* II. 27. VII. 23. *Luc* IV. 4. *Joan.* II. 25. VII. 51. *Rom.* IV. 6. 2 *Tim.* III. 17. & alibi: ſed & non rarò contingit in Scriptura, ut de ſerie aliqua hominum, ſibi invicem in eodem munere ſuccedentium, loquatur tanquam de uno. Sic quando *Heb.* IX. 25. dicitur *Pontificem in ſancta intrare per ſingulos annos*, intelligi certum eſt, omnes Pontifices continuâ ſerie ſibi ſuccedentes: nec quia in ſingulari numero Scriptor loquitur, inde concludi poteſt, unum tantum inter Judæos fuiſſe Pontificem. Eodem modo Daniel per unam beſtiam non intelligit unum regem, ſed regum ſeriem in eodem throno ſedentium, *Cap.* VII. Si urgeas, ſingularem tamen deſcribi perſonam: nos facile concedimus, ſingularem quandam perſonam deſignari, quæ ſedem illam, quæ Antichriſti ſedes eſt, occupabit; ita tamen, ut ſucceſſores ejus etiam deſignentur, qui ſemper ſingularis tantum perſona erunt, unico ſolummodò, non pluribus ſimul, in eadem ſede & imperio præſidente. Et confirmatur hæc noſtra explicatio hiſce rationibus. 1. Antichriſtus jam cœpit occultè myſterium iniquitatis operari tempore Pauli, & demum in fine mundi conficietur: Non ergo eſt una ſingularis perſona. Excipiunt, cum cœpiſſe in præcurſoribus ſuis. Agnoſcimus: ſed exinde manifeſtum eſt, myſterium illud iniquitatis non ſubitò perfici, ſed ſenſim increſcere & paulatim ad faſtigium perduci. Deinde, quis credat omnes hæreticos, etiam Apoſtolis συγχρόνους, præcurſores fuiſſe unius hominis in fine demum mundi ad exiguum tantum tempus appariturі? His adde; quòd Antichriſtus deſcribatur ingentis apoſtaſiæ, quæ fermè omnem mundum eſſet infectura, caput futurus: At ea ſub uno ſolùm rege paucis annis perfici nequit.

Quæ de Antichriſto conſideranda.

VII. Ita expeditâ hac quæſtione, quod Antichriſtus non ſit unica tantum ſingularis perſona futurus, diſtinctè ejus ortum, progreſſum ac faſtigium, tum ſigna ex quibus agnoſci debeat, qualia ſunt locus & tempus imperii, ejuſque actiones & imperium ipſum, conſiderabimus, ex itque quis ſit Antichriſtus ille in Scriptura prædictus, colligemus.

Quid de Antichriſto ſentiendum.

VIII. Communis Reformatorum ſententia eſt, uti vidimus, per Antichriſtum deſignari Pontificem Romanum: idque adeo confidenter aſſerunt ac urgent, non aliter ac ſi fidei articulus eſſet; & minimam de eo dubitationem magni criminis loco ducunt. Me quod attinet, etſi confidenter aſſeverare non auſim, Pontificem Romanum per hominem illum peccati, & beſtiam è terram aſcendentem, & cornua agni habentem, & per meretricem beſtiæ inſidentem, ab Apoſtolis fuiſſe deſignatum: multò minus approbare queam temerarias illas deciſiones ac definitiones, omnium, etiam minutiſſimarum, circumſtantiarum, quæ è variis Scripturæ locis deducuntur, & Pontifici ejuſque aſſeclis ſine ullo ſcrupulo tanquam indubitata & evidentis veritatis, applicantur: tamen dicere non verebor, præcipua, quæ de Antichriſto, ſive filio perditionis, prædicuntur, optimè in Pontificem Romanum quadrare: ac proinde jure meritò nos horrere communionem ipſius, ſi non ut ipſius Antichriſti, ſaltem ut impii & injuſti in Eccleſiam imperii uſurpatoris, apoſtaſiæ à vera Chriſti doctrina capitis, ac graviſſimæ erga Dei ſervos ac fideles perſecutionis auctoris, eoque ipſo Antichriſtum optimè referentis, illiuſque vivam effigiem exprimentis.

1. Locus imperii illius, eſt Roma.

IX. Primò. Locus imperii, ſeu ſedes, expreſſè prædicitur fore Roma: *Apoc.* XIII. 1. *Vidi de mari beſtiam adſcendentem, habentem capita ſeptem*, &c. coll. cum *Cap.* XVII. 6 *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet*, &c. & *verſ.* 18. *Mulier quam vidiſti, eſt civitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Neque de eo ambigere quiſquam poteſt. Contendunt tamen Pontificii, locum, ubi Antichriſtus maximè ſe patefaciet, fore templum Hieroſolymitanum, quod denuò ſit erecturus; quia dicitur *ſeſſurus in templo*, 2 *Theſſ.* II. 4. Sed commentum illud templi Hieroſolymitani jam confutavimus: Dominus ipſe prædixit, templum hoc non fore reædificandum: nec templum quod Antichriſtus ſibi contra Chriſtum eſſet erecturus, & in quo tanquam idolum ſeſſurus, ullo modo *templum Dei* vocari poteſt. Eccleſia autem ſeu fideles, qui templum Dei ſunt ſpirituale, poſt prædicatum Euangelium gentibus, ſemper illuſtri elogio *templi Dei* nominantur: vide *Eph.* II. 21. 1 *Pet.* II 5. Quomodo autem in Eccleſia dicatur ſedere, poſtea dicetur.

2. Senſim eſt manifeſtandus.

X Secundò. Prædicitur ſenſim manifeſtandus, & initio occultè iniquitatem ſuam operaturus: adeò ut primo deprehendi non potuerit: donec impedimentum, quod ipſum retinebat, è medio ſublatum ſit: uti expreſſè legimus 2 *Theſſ.* II. 7. quod *operetur myſterium iniquitatis*, hoc eſt, iniquitatem

tem operetur in occulto ; spiritus scilicet Antichristi jam tum , sed clam & occultè, incipiebat iniquitatem operari , & viam præparare suæ manifestationi in tempore futuræ, donec sublatus esset è medio ὁ κατέχων , qui ipsum retinebat. Communis Theologorum, tam Pontificiorum quàm Reformatorum sententia est, per τὸν κατέχοντα intelligi imperatorem, seu imperium Romanum : quia eo vigente fieri non poterat, ut quisquam in Ecclesia tantam sibi potestatem ac majestatem esset arrogaturus. Apostolus autem id clarè exprimere noluit : quia odiosum hoc fuisset apud Cæsares, asserere imperium illud, quod illi credebant æternum, ruiturum.

Quomodo id applicatur Papæ.

XI. Videamus nunc, quomodo hæc Pontifici Romano applicari possunt. Subitò summam, quam nunc sibi arripuit , potestatem adeptus non est ; sed sensim & paulatim. Jam tempore Apostoli Pauli, cùm scribebat ad Thessalonicenses, occulto errores seminare, & dominatum quidam moliri cœperunt ; non Romani Episcopi, vix enim tùm Romæ Ecclesia colligi cœpit ; sed aliis in Ecclesiæ partibus : conqueruntur Apostoli de falsis fratribus, de dolosis operariis, de falsis Apostolis, 2 *Cor.* XI. 13. *Gal.* II. 4. *Phil.* III. 2. *& seqq.* de Antichristis, 1 *Joan.* II. 18 de Diotrephe dominatum exercente in Ecclesia, 3 *Joan.* 9, 10. Hi omnes prælusere Papæ Romano. Post ætatem Apostolorum sensim Episcopus Romanus, urbis majestate fretus, se supra alios Episcopos efferre cœpit, & dominatum in alias Ecclesias arrogare ; verùm quò minus potestatem secularem arriperet aliosque vi sibi subjiceret, obstitit Romani Imperatoris præsentia Constantino ad fidem Christianam converso, & sede imperii Constantinopolin translata, Imperatoris majestas Romæ vilescere cœpit, & mirum in modum dominatum auxit Papa : donec ab Imperatore Phoca, prædecessoris Mauritii interfectore, Bonifacius III. titulum Episcopi Oecumenici seu universalis (quem qui sibi arrogaret, Antichristus vel ejus præcursor judicatus fuit à Gregorio I. Papâ *Epist. lib.* IV. *Epist.* 34. *&* 38. *& lib.* VI. *Epist.* 30.) impetravit. Postea Stephanus III. Pipini liberalitate obtinuit imperium seculare , & Episcopatui adjunxit principatum terrenum. Nondum tamen plenè dominabantur Pontifices : quicquid itaque potestatis in Ecclesiasticos supererat Imperatoribus, iis extorsit Gregorius VII sub quo regnum Pontificium ad summum fastigium est perductum ; quod à successoribus sensim ita confirmatum est, ut jam Papa urbis Romæ sit princeps, excusso omni Cæsaris Germani imperio : quæ omnia mox latius deducenda erunt. Ita ut, imperio Romano Cæsari sublato, Papa Romæ imperium invaserit.

XII. In contrarium tamen contendunt Pontificii , omnimodam Romani imperii desolationem prædici Antichristi adventum præcessuram ; quæ cùm non contigerit, hæc nullo modo Papæ suo applicari posse ; sed adventum Antichristi adhuc exspectandum. *Resp.* Prædicitur abolitio imperii Romani : illius autem vix jam rudera agnoscuntur, imperio illo per Gothos , Wandalos, aliasque gentes miserum in modum attrito ac deleto ; quin & ipsâ Româ, capite imperii, captâ & eversâ. 2. Imperii Romani abolitio prædicitur, quatenus illud erat penes Imperatorem Romanum : nam Imperatore in Romam imperium obtinente, Episcopi Romani potestas cohibebatur : illo autem excusso , Papa id sibi arrogare potuit : Et hoc modo Romanum imperium jam est è medio sublatum. Remanet quidem Romani Imperatoris titulus in domo Austriaca; verùm ille vana tantum est appellatio , dominatum occupavit Pontifex.

Respondetur objectioni Pontificiorum.

XIII. Tertiò : Antichristus *Apoc.* XVII. 10. describitur futurus septimus urbis Romæ rector ac dominus. Hæc, aliaque quæ hoc & *cap.* XIII. occurrunt, videntur nobis Papam Romanum ejusque imperium graphicè depingere. Nihil tamen hic cuiquam præscribimus, nec explicationes nostras tanquam κυρίας δόξας aliis obtrudimus, sed piorum examini subjicimus : malumusque hic partes suscipere inquirentis, quàm definientis. Neque in hoc controversiæ cardo vertitur. Possemus siquidem hærere in quarundam , quæ capitibus hisce occurrunt , circumstantiarum explicatione , ut tamen ipsa res principalis ibi, & præsertim 2 *Thess.* II. prædicta , clarius explicetur. Itaque quod capitum horum explanationem attinet , dicitur conspecta fuisse bestia septem habens capita : illis septem capitibus dicuntur designari septem reges : per reges autem non intelligimus singulares personas, sed, ex usu Scripturæ, seriem & ordinem regum seu magistratuum in eodem imperio sibi succedentium ; ut *Dan.* VII. 17. VIII. 21. Septem ergo reges nobis sunt septem regiminis in urbe Roma formæ ; reges nominatæ , quia summum penes illas in Romam populosque ei subjectos fuit imperium. 1. Reges. 2 Consules. 3. Decemviri Consulares. 4. Tribuni militum consulari potestate. 5. Dictatores, vel ut alii, Triumviri. 6. Imperatores. 7. Pontifices Romani Christiani. Quinque ex illis dicuntur jam abiisse ; quia imperium jam obtinebant Imperatores ; ideoque additur, *unus est* , *alter*, scilicet septimus, *nondum venit*, *& ubi venerit* , *oportet eum ad breve tempus manere.* Quibus in verbis, si ad Pontificem Romanum applicentur, difficultas quædam est : quia ille non ad breve tempus ; sed ad aliquot secula jam mansit. Verùm hoc de

3. Septimus futurus urbis Romæ rector, Apoc. XVII.

Papis intelligi non debet, quatenus sunt Episcopi Romani; sed imperii Romani caput: quod quidem diu ambiverunt; sed tamen plenè non obtinuerunt nisi imperante Carolo IV. seculo decimo quarto, qui primus Germaniæ finibus contentus, principatum urbis Romæ Pontifici cessit. Nec etiam absolutè intelligi debet, sed cum respectu ad tempus quo Imperatores urbis imperium tenuere: perinde ut *Apoc.* XII. 12. *Hagg.* II. 7. Estque id dictum ad consolationem piorum, qui ipsius persecutiones essent experturi: eodem sensu quo alibi afflictiones momentaneæ vocantur.

Quæ sit bestia, quæ erat, & non est.

XIV. Quod octavum regem attinet, de eo dicitur *vers.* 11. *Et bestia, quæ erat, & non est, & ipse octavus est, & ex illis septem est.* Et *vers.* 8. *Bestia quæ erat, & non est, quamquam est.* Eo non incommodè intelligi possunt Imperatores Germani. Ideò vocantur *bestia*: quia per illam imperium designatur. Dicitur autem *ex septem illis esse*, ut distinguatur à prioribus: aliud enim ejus est regnum, quam præcedentium, ut mox dicemus: & tamen aliquatenus designatur septem illis capitibus, vel uno saltem eorum, quæ reges adumbrant, ita ut ex illo sit ortum, & duos reges, partim similes, partim dissimiles, designet. Ex Romano quippe imperio Germanorum imperium ortum dici potest. Afflicto quippe imperio Romano, Imperatoribus Constantinopolitanis ad imperii majestatem tuendam invalidis, & procul absentibus, Papa Romæ imperium primò ad Gallorum reges, mox ad Germanorum transtulit. Et hæc videtur esse plaga unius capitum bestiæ, ejusque sanatio, *Apoc.* XIII. 3. Quia imperium Romanum bellis, in Italia gestis per Gothos aliosque, tantum non conciderat; aliquatenus autem in Germania, cùm illius imperatores Mediolani reges Italiæ, & Romæ Cæsares Romani crearentur, fuit restitutum. Quia itaque antea imperium Romanum Germanorum imperio quadantenus junctum fuit; nunc autem tenuibus illius reliquiis solummodò penes Germanos remanentibus reverâ non existit, ideò dicitur, bestia hæc *erat*, *& non est, sed tamen est*. Non enim eadem est sedes imperii, & maxima pars imperii est amissa; imò ne in ipsam urbem Romam ulla Cæsari Romano relicta potestas. Nomen solum & insignia remanent, potestate amissa.

Quæ sit bestia habens cornua agni. Apoc. XIII.

XV. Idem quod *cap.* XVII. dicere possumus etiam prædictum *cap.* XIII. 11, 12. *& seqq. Alia bestia è terra adscendit, habens cornua agni.* Illâ siquidem commodè admodum designatur Pontifex Romanus, ejusque imperium ex spirituali & civili mixtum. Per *cornua* siquidem adumbratur potestas. Tribuuntur illi *cornua agni*; quia sibi vindicat potestatem Agni, id est, similem imperio Agni, hoc est, Christi, cujus se vicarium in terris affirmat, eoque nomine & leges fidelium conscientiis præscribit, claves vitæ ac mortis sibi arrogat, & in omnes reges & principes imperium usurpat. Dicitur *loqui ut draco*; quia doctrinam à dracone inspiratam inculcabit: & *exercere potentiam prioris bestiæ*, quia omnem dominatum ad se trahet, qui fuit Imperatorum, licet alio sub titulo. Et sic, licet Pontifex per unum è septem capitibus adumbratus fuit, tamen per novam bestiam designari potest; quia imperii ratio longè est diversa, omnia enim sub titulo religionis & vicariatus Christi administrat; imperiumque ejus vocatur spirituale & Ecclesiasticum.

Quæ imago bestiæ.

XVI. Porrò *vers* 14, 15, dicitur hæc bestia *habitantibus in terra dicere, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit: illique datum esse, ut daret spiritum imagini bestiæ*, &c. Per hanc autem imaginem intelligere possumus imperium Germanicum, quod prioris, Romani nimirum imago tantum est; eaque non mortua, sed quæ spiritum habet, id est, potestate est prædita. Hanc ut faciant dicitur prior bestia habitatoribus terræ dixisse: quia Pontifex illius constituendi auctor fuit, imperium à Græcis transferendo ad Germanos: qui & Cæsares Germanos confirmare, eisque Romanorum Imperatorum coronam imponere solitus est.

Et meretrix bestiæ insidens.

XVII. Tandem *cap.* XVII. dicitur *meretrix insidere bestiæ*: Quia Papa, post confirmatum Germaniæ principatum, ad nutum suum Imperatoris potentiâ abusus est; & ipse ab imperio illo in sua dignitate sustentatur. Adeò ut bestia hoc in capite confundatur cum imagine bestiæ, de qua *cap.* XIII. 14, 15. quia nempe externâ suâ formâ bestiam refert, & perinde uti bestia spiritu est prædita, & in illius locum successit. Et illi explicationi respondet eventus. Imperium enim Cæsarum Germanorum in locum Romanorum Imperatorum successit, & hactenus imperium Romanum vocatur: ideoque hoc capite vocatur *bestia quæ erat & non est, quanquam est.*

Et decem reges. Apoc. XVII.

XVIII. Per *decem reges*, qui nondum erant, & potestatem bestiæ tradent, *cap.* XVII. 11, 12. intelligi possunt reges illi plures, qui post constitutum imperium in Germania, tam à Pontifice, quàm Cæsare, sive utriusque consensu, fuere constituti, & quorum aliqui, ut justo titulo regnum adepti viderentur, illud tanquam feudum à Pontifice accipere voluerunt: ut inter alios reges Neapolis & Siciliæ: qui omnes imperium suum ad nutum Pontificis tenuerunt & exercuerunt, & quorum plerique etiamnum durant: numero certo pro indefinito accepto, secundum frequentem Scripturæ

ræ usum: *Genes.* XXXI. 7. *Levit.* XXVI. 26. *Job.* IX. 3. *Zach.* VIII. 23. Quæ tamen omnia non definita volumus tanquam evidentis veritatis: ea enim in Prophetiis, quæ sub figurarum ænigmatibus ac umbris involvuntur, explicandis vix locum habere potest: sed in medium adducimus, tanquam rem sub ænigmate involutam nostro judicio illustrantia, & quæ suâ verisimilitudine destituta non sunt.

De tempore, charactere, & numero, prastat nihil definire.

XIX. Quod si quis ulterius quærat, de tempore, charactere & numero bestiæ, ingenuè fatebor ignorantiam meam. Numerus temporis diversis quidem vocibus enuntiatur, sed quæ omnes exactè conveniunt, idemque temporis spatium describunt: *Cap.* XI. 2. & XIII. 5. vocatur *menses quadraginta duo. Cap.* XI. 9. *dies tres cum dimidio. Cap.* XII. 14. *tempus, tempora, & dimidium temporis. Cap* XI 3. & XII. 6. *mille ducenti sexaginta dies*: quibus omnibus eandem temporis durationem designari notum est. Et quia illa aliquoties, & diversis phrasibus æquipollentibus, repetitur, omnino certa ac definita temporis duratio indicari videtur. De illius autem initio ac exitu nihil certi definire præsumimus. Sicut nec de charactere bestiæ, quem quidam audacter statuunt signum crucis; vel confirmationis chrisma in fronte, tonsuram clericalem, unctionem in capite & manu dexrâ sacrificulorum, &c. alii signum ☧ quod totum Christi nomen compendio includit, non sine crucis figura. Multò minus de numero bestiæ, sexcenta sexaginta sex, qui dicitur esse numerus hominis: cum incertum admodum sit, ex numero literarum alicujus nominis in unam summam collecto certum quendam hominem, cui nomen illud applicari potest, definire velle: cum videamus unumquemque pro studio partium nomen effingere, in quo numerum hunc inveniat, & eo adversarios suos premere, aut saltem ipsorum argumentum, ex nominis numero depromptum, retorquere. Ita communiter Reformati ex antiquioribus Patribus, Irenæo, aliisque, numerum hunc quærunt in literis Græcis vocis Λατεῖνος; etiam in literis Hebraicis vocis רומיית, *Romiith*, quasi Romanus: & nuper in superbâ illa inscriptione Pauli V. *PaV Lo.V. VICe Deo*, colligentes omnes literas numerales Latinæ linguæ. Bellarmimus verò, ut argumeotum hoc retorqueat, eundem numerum observat in literis Græcis, vocis σαξόνειος, quâ designat Lutherum; & in literis Hebraicis nominis דוד כיתריי, & intelligit, Davidem Chytræum.

Vanitas quorundam redarguitur.

XX. Nos arcana illa curiosè non scrutamur, nec audacter definimus. Multo minus eorum temeritatem imitamur, qui quascunque, etiam minores circumstantias, absque ullo scrupulo tanta cum fiducia definiuot, non aliter ac si idem, qui prophetiam hanc inspiravit spiritus, infallibilem quâ referentur clavem ipsis exhibuisset: qui ex odio contra Papam, perinde ac si alia majora non sufficerent ad communionem ejus fugiendum, notas Antichristi confingunt, quæ reverâ notæ non sunt, sed laudabilia instituta; ut quòd calendarium reformaverit; huc trahentes, quod *Dan.* VII. 25. de rege quodam dicitur, *putabit quod possit mutare tempora*: quæ sanè nec de calendario accipienda sunt; nec etiam de Antichristo dicuntur, neque ad eum aliter ad summum referri possunt nisi sensu mystico & secundo, quatenus per Antiochum tanquam typum adumbrato. Maximè autem eorum improbamus vesaniam, qui non contenti omnia suorum facta, etiam non laudabilia, quasi à Spiritu Sancto hic præfigurata, celebrare, eò etiam dementiæ prolapsi sunt, ut explicationis suæ præsumtuosæ filum continuantes, etiam futurorum eventus prædicere non sint veriti. Verùm hariolationibus illis stultis non respondens eventus, eas non à spiritu divino, sed affectu carnali & cœco præjudicio inspiratas coarguit.

4. Notæ illius 1 Thess. 11. Homo peccati & filius perditionis.

XXI. Quartò. Notæ Antichristi quibus describitur 2 *Thess.* 11. optimè in Pontificem Romanum quadrant. 1. Vocatur *homo peccati*, & *filius perditionis*. Quibus phrasibus designatur homo insigniter sceleratus, aliisque graviorum peccatorum auctor, ac proinde justæ pœnæ à Deo destinatus. Illam enim vim habet articulus illi præpositus, ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας, &c. Hæc ut Pontifici Romano aptentur, evolvendæ solummodò suot Pontificiorum historiæ, quibus vitæ & res gestæ Romanorum Pontificum continentur; statim primo intuitu summa illorum nequitia & improbitas, etiam Ethnicorum Imperatorum impietatem excedens, deprehendetur. Avaritia, quâ omnia Romæ facta sunt venalia, tam sacra quàm profana. Quin & tota religio Pontificia excogitata videtor ad hominum crumenas emungendas: inde originem traxit fabula purgatorii, variæ satisfactiones, & indulgentiæ. Ambitio, luxuria, crudelitas, aliaque nefanda crimina, vix in ullo homine magis fuere conspicua, quam in Papis: si dubites, lege vitas Gregorii VII. Bonifacii VIII. Alexandri VI. ne jam alios commemoremus. Sed & maximè ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας vocatur, quia aliis liberum peccandi commeatum concedit. Dispensat matrimonia verè incesta, dissolutionem matrimonii extra casum adulterii, alteriusque uxoris superinductionem: rebellionem contra legitimos principes nonnunquam præcipit, subditosque à juramenti religione solvit. Multa invexit dogmata, quibus vera sanctitas perimitur, peccatoresque securè in mediis peccatis statui suo acquiescere possunt. Requirit quidem in pœnitentia cordis contritionem; sed superaddita,

ta auricularis confessio, & satisfactio externa, cordis contritionem sinceramque vitæ emendationem quam maxime impediunt. Quin & si pœnitens in peccata mortalia rursus inciderit, aut aliqua accuratè satis confessus non fuerit, præsto est aliud remedium, extrema unctio. Liberationem à pœnis temporalibus purgatorii conferunt indulgentiæ, & missæ pro defunctis, quæ pecuniâ venales sunt. Hac portâ omnia peccata & scelera, etiam fœdissima, magno in Ecclesiam agmine irruerunt. Quonam enim fræno a peccando retinebitur, qui pœnam pecuniâ se redimere posse credit? His adde taxam illam Cancellariæ Apostolicæ, quâ in singula peccata certum pretium, quo reatus eorum redimi potest, constituitur: & certam addictionem salutis & liberationis è purgatorio, omnibus, etiam injustis & sceleratis, fieri solitam qui bona sua certæ Ecclesiæ aut Monasterio legaverint. Præsertim verò Clericis libertas sua, quâ omni jurisdictione seculari exempti sunt, latissima est ad peccandum fenestra. Spiritualis quippe magistratus peccata ipsorum aut impunita dimittit, aut dicis tantum causâ punit: si qui sint severiores, parata est appellatio ad sedem Pontificis, ubi lites aut raro terminantur, aut pecuniâ redimuntur. Quin & tota religio Pontificia excogitata videtur, ut homines à vera ac genuina pietate abducat. In locum cultus spiritualis substitutæ sunt infinitæ ceremoniæ; quibus religionis summa contineri creditur: has si quis observet, vitâ licet improbus, catholicus est & membrum Ecclesiæ; si negligat, vitæ licet inculpatæ, anathemate feritur, & severè plectitur. Quin & melioris institutionis populo adimitur facultas, interdictâ severissime verbi divini lectione.

Qui se opponit, & extollit supra omne quod Deus appellatur.

XXII. Secundò. Vocatur ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα: *Qui se opponit & extollit supra omne quod Deus appellatur.* Dii in Scriptura vocantur Magistratus: *Exod.* XXII 28. & *Ps.* LXXXII. 6 Eadem est significatio vocis σεβάσματος: Ea siquidem significare potest, culturam ipsam, ea quæ cultui inserviunt, & ipsum illud quod colitur: perinde ut & θεὸς pro Deo accipitur, *Actor.* XVII. 29. Et hoc postremo sensu eam hic accipi arguit particula *aut*, indicans de iisdem sermonem continuari, qui vocantur θεὸς ἢ σέβασμα. Non enim cultus Dei intelligi potest: quia supra cultum Deorum quis propriè se non effert, sed supra Deos ipsos Hoc sensu vocem hanc accepisse dici potest Apostolus, *Act.* XVII. 23. dicens se Atheniensium σεβάσματα considerasse; vel potius illi secundum sensum adjunxit: innuere volens, se non tantum Atheniensium aras & simulachra, sed & Deos, in quorum honorem hæc erecta erant, consideralle. Σεβάσματα itaque quæ dicuntur, sunt, qui ex sensu Sacræ Scripturæ Dii dicuntur; scilicet summi Reges aut Imperatores. Eaque significatio etiam exinde magis confirmatur, quòd Romani Imperatores illo tempore Σεβαστοί, *Act.* XXV 21, 25 Latinè, Augusti, vocarentur. Illis dicitur hic homo peccati se opponere, seque supra eos efferre. Ἀντικείμενος enim hic non ponitur absolutè, sed relativè: ejus ergo correlatum idem est cum correlato vocis ὑπεραιρόμενος, scilicet omne quod Deus nominatur. Sensus ergo est, quod nulli legi, nulli Imperatori aut regi se velit subjicere: solentque tales, qui Magistratus sui imperium excutiunt, peculiariter ἀντικείμενοι & rebelles appellari. Neque id tantum, sed & se supra illos efferre, ac proinde eos sibi subjicere dicitur.

Quomodo hoc quadret in Papam.

XXIII Hæc si Papæ Romano applicemus, egregiè in ipsum quadrare comperiemus. Primo enim Papæ Imperatoribus subjecti fuerunt: sine eorum consensu non eligebantur, nec electi consecrabantur. Ipsi, antequam ad fastigium quod nunc obtinent ascendissent, demissè admodum colebant & honorabant Imperatores: sensim autem ad majora ascendentes, superbius loqui jugumque Imperatorum excutere cœperunt. Primò Papa titulum primi Episcopi, de quo inter ipsum & Constantinopolitanum diuturna fuerat concertatio, adeptus est. Hic fuit gradus ad dignitatem majorem. Romanam siquidem sedem superbo capitis Ecclesiæ titulo appellari fecit, & se universalem constituit Episcopum: quem titulum cùm antea Constantinopolitanus ambiverat, & Joannes urbis illius Episcopus in Græcorum Concilio obtinuerat, eum Gregorius Magnus, Episcopus Romanus, ut Antichristum, aut Antichristi præcursorem (uti mox vidimus) traduxit. Exinde omnes Episcopi illi ut capiti ac domino fuere subjecti. Verùm suprema hac in Ecclesia dignitate non contenti Episcopi Romani, excusso Imperatorum, quibus subjecti erant, dominio, se supra Deos, id est, Cæsares, extulerunt. Jam Cæsar imperium & coronam à Papa accipit, saltem per Papam confirmatur, alioqui pro legitimo non agnoscitur: quin & nonnunquam prætendere ausus est Papa, imperium a se dependere, Cæsaresque suo beneficio coronam obtinere Regibus per Episcopos, tanquam suos vicarios, coronas imponi curat. Ipse sibi jus arrogat reges & imperatores deponendi, regna mutandi, auferendi, in alium transferendi, reges anathemate feriendi, subditos à juramento fidelitatis absolvendi, & quæ sunt hujus generis plura, si id necessarium sit, ut ait Bellarminus, ad animarum salutem; id est, ad iniquam suam dominationem tutandum. Pedes suos non plebeis tantum, sed & principibus,

pibus, imò regibus ac imperatoribus osculandos præbet, aliaque vilia ab ipsis ministeria exigit; de quibus videri potest Vorstius de Causis deserendi Papatus, Disp. VII.

Sessurus in templo Dei.

XXIV. Tertiò. Dicitur *sessurus in templo Dei, ostendens se tanquam sit Deus.* Magis exaggerat ejus arrogantiam, quod nec ipsi Deo sit pariturus: non tantum se supra reges ac imperatores efferet, sed etiam in templo Dei tanquam Deus est sessurus. Quæ verba cum Augustino explicari possunt, *sedebit in templum Dei*, hoc est, se cum suis veram jactabit Dei Ecclesiam. Vel, uti communiter leguntur, *sedebit in templo Dei*, id est, dominabitur in Ecclesia: non tanquam minister inserviet Ecclesiæ, eamque gubernabit doctrinâ Christi; sed suis eam adstringet legibus, dominatumque in eam exercebit. Ecclesiam enim per *templum Dei* intelligi debere antea ostendimus. Utro horum sensu hæc verba accipiamus, optimè quadrant in Papam. Priore quidem: Papa enim omne Ecclesiæ jus soli sibi vendicat: in ipso solo, si Jesuitis credimus, residet Ecclesia: multa quidem de Ecclesiæ auctoritate disputantur; sed omnia tandem ad Papam referuntur: nec ullam agnoscit veram Ecclesiam, nisi cujus ipse agnoscitur caput. Si posteriore: Quid notius, quàm Papam Ecclesiæ dominaria, suaque decreta illi imperiosè præscribere? Et non sine speciali directione Dei factum videtur, imperium Papæ designari solere per sessionem in cathedra: ut non tantum imperium, sed & imperii nuncupatio hîc expressa sit. Dices. Istius temporis respectu, quo homo ille peccati in Ecclesia sessurus ac dominaturus est, non erit amplius Ecclesia, ac per consequens, nec templum Dei. Resp. Distinguenda est Ecclesia ab injusto tyranno Dominatum in Ecclesiam usurpante. Quamdiu Deus Ecclesiam à se non rejecit, manet ea Ecclesia Dei, licet rejici mereatur. Ecclesiam itaque, quæ jure adhuc templum Dei est, ipse occupabit, eamque absque ullo jure suam Ecclesiam suumque templum facturus est. Eaque præsertim hoc nomine prædici potuit; quoniam Papa sibi suisque solis Ecclesiæ nomen vendicat, nec ullo alio se magis, quàm hoc jactat. Sic templum Hierosolymitanum, licet spelunca esset latronum & idololatrarum, & populus Israëlis, licet vitâ impiâ à Deo deficeret, tamen Dei templum & populus vocantur. Ita ergo sedebit homo hic in Ecclesia, ut licet illa corruptissima sit futura, tamen nomen Ecclesiæ retentura sit. His adde, quod in omnes ubique Christianos sibi arroget imperium Papa, inter quos nunquam desinet esse vera Ecclesia, secundum Pontificios.

Ostendens se tanquam sit Deus.

XXV. *Ostendens se tanquam sit Deus.* Non quòd verbis expressis sibi divinitatem, aut divinam majestatem sit adscripturus, sed ea arrogaturus, ejusmodi potestatem usurpaturus, eum sibi honorem deferri curaturus, qui soli Deo convenit. Hæc autem omnia eximio modo in Papâ Romano complementum suum habent. Arrogat sibi, quòd non possit errare, quòd omnium fidei controversiarum sit judex. Potestatem usurpat in conscientias fidelium; leges conscientiis fidelium præscribit, omnesque fideles legibus suis parere in conscientia esse obligatos, inobedientes verò vi & pœnis ad obedientiam se posse cogere, contendit. Potestatem sibi arrogat, dispensandi contra verbum Dei, sive Epistolas Apostolorum; quin & potestatem in cœlestia, quia quemcunque velit defunctum canonizare possit, etiam invitis omnibus Episcopis: in terrestria, de regnis hujus mundi dispensando; in infernalia; quia ex purgatorio quantum vult animarum numerum per Indulgentias suas liberare, & confestim in cœlis se collocare posse contendit. Honorem sibi assumit divinum: quia externo modo aliquatenus adoratur: non à plebeis tantum, sed & Episcopis ac Cardinalibus, imò & Regibus & Imperatoribus, supplices adorationes, prostrationes, & oscula pedum recipit. Quin & plebs coram Papa in publicum prodeunte in terram suppliciter procumbit, manibus extensis misericordiam ejus implorat, absolutionem à peccatis aliaque beneficia spiritualia directè ab ipso petit. Quin & eò usque adulatores Papæ processere, ut ipsum nuncupare Deum non sint veriti.

Exlex.

XXVI. Quartò. Vocatur ὁ ἄνομος, *exlex*; qui non tantum insignis legum divinarum humanarumque est transgressor; sed & qui nullà se lege teneri contendit. Et quid notius est, quàm id convenire Papæ, qui se nullis adstrictum legibus credit, qui omnes judicat, sed quem à nemine judicari posse ipsius mancipia nimis adulatoriè asserere non verentur? Inde ortæ blasphemiæ hæ execrandæ, *seculari potestate prorsus nec ligari, nec solvi posse Pontificem, quem constat à principe Constantino Deum appellatum, cum nec Deum ab hominibus judicari manifestum sit.* Item, *Deus & Papa unum habent consistorium*: aliæque similes.

Seductio ejus futura est efficax.

XXVII. Quintò. Dicitur seductio ejus futura admodum efficax; vocatur quippe *efficacia erroris*, quam *Deus immittet* hominibus, *eò quod amorem veritatis non receperunt*, ideoque ut errorem efficacius persuadeat *adventus ejus est futurus secundum efficaciam Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Sensus est: omnes seducendi artes adhibebit, etiam signa & prodigia faciet; sive

ipse, sive per ministros suos. At hæc vera non erunt miracula, sed *mendacia*; id est, vel præstigiæ tantum meræ arte magicâ patratæ; vel opera quædam insusitata, quibus in admirationem homines rapientur; ne quis autem credat ea vera esse miracula, non excedent efficaciam Satanæ, imò illius, non Dei virtute fient. Vel etiam miracula mendacia, id est, falsò & per mendacium efficta, quæ inter plebem credulam jactabit, & multis mendaciis amplificabit. Addet alias seducendi artes, quibus homines, quorum corda, genuino veritatis amore expulso, occupavit mundanarum opum ac deliciarum amor, maximè capi & irretiri possunt: permittetque Deus, in pœnam veritatis contemtæ, ut seductio illa efficax fit, & qui præstigiis, quàm veris miraculis maluerunt credere, etiam rejectâ veritate fidem adhibeant mendacio. Ideò & *Apoc.* XIII. 7, 8. dicitur bestiæ *potestas data in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem; omnesque qui terram inhabitant, quorum nomina non sunt scripta in libra vitæ agni, eam adoravisse*: & *cap.* XVII. 2. cum *meretrice magna* dicuntur *scortati* esse *reges terræ, & qui terram inhabitant, inebriati de vino prostitutionis ejus.* Hæc si jam applicentur Pontifici Romano, exactè videbimus habere suum complementum. Seductio ejus fuit efficax. Imperatores, reges, principes, omnesque populi, paucis quibusdam hic illic dispersis Deo fidelibus reliquiis exceptis, certatim ab eo seducti, in falsam ipsius doctrinam consenserunt. Artes seducendi efficaces admodum, quibus homines, quorum in animis veritatis amor refrixit, facillimè capiuntur, omnes adhibuit. Jactat non solum varia miracula, tanquam Ecclesiæ suæ, unde vere agnoscatur, notam; sed & sibi soli suæque Ecclesiæ veræ Ecclesiæ titulum arrogat: prætendit antiquitatem, universalem consensum; Scripturæ dicta in alienum sensum detorquet: maximè verò potens est per præmiorum illecebras, & pœnarum intentationes, per peccandi licentiam concessam: quibus omnibus auctoritatem acquirit, hominesque ad iniquitatem & defectionem à veritate seduxit.

Occurritur objectionibus aliquot. XXVIII. In contrarium tamen quædam argumenta proferuntur, ut ostendatur Apostolum hoc II. *cap.* 2. *ad Theß.* nullo modo Papam Romanum respexisse, nec respicere potuisse. Ac 1. quidem: Quia hac ratione Apostolus omnibus suspectam reddidisset eam sedem, in qua semper præsentissimum contra schismata remedium fuit. 2. Romanis debuisset prædici. 3. Thessalonicenses id debuissent intelligere, & sibi à Romano Papa cavere: at verò, deserto Patriarcha Constantinopolitano ad Papæ Romani curam specialem se contulere. Resp. Supponamus ex vera esse quæ de Romana dicuntur, quamvis ex historia Ecclesiastica facile probari posset, causam pessimam apud eam ordinariè patrocinium ac refugium suum habuisse, optimam fuisse oppressam, schismata non fuisse nisi per meram vim ac tyrannidem repressa; nihil tamen hoc causæ principali obest. Non enim Apostoli scopus fuit, innuere hominem illum peccati jam ab initio in Ecclesia Romana dominaturum; imò contrarium asserit, eum retineri per τὸν κατέχοντα, qui è medio sublatus esse debuit, antequam revelari posset. Primorum Episcoporum Romanorum conspicua fuit sanctitas; eaque non exiguam sedi Romanæ conciliavit auctoritatem. Sed à majorum vestigiis degenerarunt posteri, & sensim mysterium illud iniquitatis in lucem prodiit. Deinde: Apostolus more prophetis usitato ἀνόμου hujus adventum prædicit, non verò verbis adeò expressis eum describit, ut nemo, etiam qui velit, & tenebras præ luce amat, eum, etiam antequam venerat, ignorare queat; sed verborum involucris aliquatenus tegit, ita tamen suis coloribus delineatum, ut postquam revelatus fuerit, ex iis agnosci posset. Eaque ordinariè est prophetiarum natura, ut nondum impletæ obscuræ sint; per complementum verò suum lucem accipiant: ut ita aliquid relinquatur, in quo se hominum obsequiosa fides Deo probet: quæ nulla foret, si ita suis coloribus & nominibus plenè fuisset expressus, ut nemo de eo ambigere potuisset. Et hac ratione Apostolus in initio sedem Romanam suspectam non reddidit: omnibus autem postea victuris, cum iniquitas illius in apertum erupit, indicia dedit satis manifesta, ex quibus apostasiam illius agnoscant, ut sibi à seductione ejus caveant. Quare necesse non fuit Romanis id speciatim prædici, præ Thessalonicensibus, aut Thessalonicenses id illo tempore intelligere: quia homo ille iniquus demum, postquam revelatus est, cognosci debuit; & à tota Ecclesia, ad cujus notitiam hæc Epistola pervenire debebat, ex indiciis in illa expressis facile cognosci potest. Dices: Quid opus esset Thessalonicenses monere, de re multis post seculis demum futura? Resp. Ut opinio mox instantis adventus Domini, quam ex male intellectis Christi & Apostolorum verbis, & ex falsis quorundam persuasionibus conceperant, eorum animis eximatur; ne forte, cum nullam vanæ hujus opinionis impletionem viderent, animo conturbarentur. Et sic monitio hæc omnibus in posterum fidelibus usui esse potuit, donec prophetiæ hujus complementum viderint.

Persecutionem excitabit contra fideles. XXIX. Sextò. Tandem prædicitur acerbissima ac crudelissima Antichristi contra fideles persecutio. Hoc graphicè designat Joannes, *Apoc.* XVII. 6. *Vidi mulierem ebriam*

de

crudelissimam. *de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu.* Neque necesse est illud multis probare: idem enim urgent Pontificii; & hoc ipso argumento contendunt, Antichristum nondum venisse. Nobis verò hoc κριτηρίῳ Papa Romanus vel maxime innotescit. Si comparatio instituatur inter persecutiones, quas olim fideles ab Imperatoribus Ethnicis, & eas, quas postremis hisce seculis fidei Christi confessores sub Papali tyrannide sustinuerunt, Paparum sævitia longe Imperatorum Ethnicorum sævitiam superare comperietur. Non quævis mors hæreticis (quos vocant) plectendis sufficere visa; sed in exquisitissimis tormentorum generibus excogitandis se crudelitas exercuit. Anathemata non in privatos solum, sed & integros populos ac regna vibrata; & ne ea bruta essent fulmina, Reges & Principes excitati qui ea ferro ac flammis exscinderent, sine ullo sexus aut ætatis discrimine. Quin & inventum dirissimum inquisitionis tribunal, ut non domuum modò, sed & animorum arcana penetrentur: cujus ea fuit immanitas, ut suspicio ad carcerem, indicium leve ad torquendum sufficerit: interim reo nec testes audire, nec refellere concessum; inaudito antehac crudelitatis genere. Ex quibus tandem colligimus, præcipua quibus depingitur Antichristus indicia in Romanum Pontificem optime quadrare.

Refellitur objectio ex Matth. XXIV. 14. XXX. In contrarium Pontificii contendunt, Antichristum nondum venisse, ac proinde summâ cum injuriâ vaticinia de illius adventu Papæ suo applicari. Primò id colligunt ex *Matth.* XXIV. 14. ***Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio.*** Unde inferunt, omnibus omninò gentibus, nulla prorsus exceptâ, prædicandum Euangelium antequam veniat Antichristus: hoc autem cum nondum factum sit, quia signum esse debet consummationis seculi, nec etiam Antichristum advenisse. Resp. 1. Non loquitur illo in loco Dominus de adventu Antichristi, aut consummatione seculi, & judicii universalis diē, sed de excidio Hierosolymitano & consummatione gentis Judaicæ; ut caput legenti primo statim intuitu manifestum est. Unde. 2. sequitur, non loqui Dominum de universo quà quà patet orbe, nullâ prorsus gente exceptâ, sed de toto orbe in quem Judæi erant dispersi. Prædicit nempe urbis & templi Hierosolymitani, totiusque adeò gentis Judaicæ excidium. Quia civitas & templum terræ Judææ incolis non peculiare, sed omnibus Judæis, inter omnes gentes dispersis, commune fuit; etiam illius desolatio toti genti in pœnam esset cessura. Quia verò durum videri posset, integram gentem puniri ob contumaciam & rebellionem solorum incolarum terræ Judaicæ, prædicit Dominus Euangelium prædicandum in universo orbe & in omnibus gentibus inter quas dispersi erant Judæi, ipsis in testimonium, quo propriæ infidelitatis convicti, omnis eis adimeretur prætextus conquerendi, ob incolarum Judææ infidelitatem se puniri & templo spoliari; se, si Christus ipsis prædicatus fuisset, credituros forte fuisse: nunc autem, testante ipsorum conscientiâ, pœnæ & excidii hujus miserandi justitiam agnoscere coguntur.

Et quod Enoch & Elias nondum venerint. XXXI. Secundò ajunt, Enoch & Elias Antichristi adventum præcedere debent; *Malach.* IV. 5, 6. *Matth.* XVII. 11, 12. *Apoc.* XI. 3, 4. *& seqq.* Atqui illi nondum venerunt. Resp. Eliæ tantum fit mentio apud Malachiam & Matthæum, Atqui Dominus eodem in loco docet, Eliam jam venisse, eumque satis designat fuisse Joannem Baptistam: quod & expressè dicit, *Matth.* XI. 14, *Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est*: Nempe, quia *venit in spiritu & virtute Eliæ, Luc.* I. 17. Alii ergo, qui hîc Eliam somniant, ad claram lucem oculos claudunt. *Apoc.* XI. mentio quidem fit duorum testium: non autem illi nominantur Enoch & Elias. Imò quæ de duobus testibus ibi dicuntur, Enocho & Eliæ applicari haud possunt. Quomodo enim fieri potest, ut duæ personæ tam exiguo temporis spatio omnibus gentibus prædicent? Tum & absurdum valdè est, hos, qui in pietatis & obedientiæ suæ præmium olim singulari privilegio à morte fuerunt servati, & vivi ad Deum translati, denuò in terram mitti, ad fœdam ejusmodi & crudelem necem sustinendum. Quinam verò duo hi testes sint futuri, quis præcisè definiet? Possunt, more Prophetis usitato, qui sub imagine aliquâ, tanquam sub umbra, res involvere solent, non plenè & ad vivum repræsentare, per eos intelligi varii fideles Confessores, qui se grassanti impietati & seductioni constanti animo opposuerunt, & ob invictam animi fortitudinem crudeli & ignominiosa morte interempti sunt.

CAPUT XII.

Examen sententiæ Hugonis Grotii de Antichristo.

Sententia H. Grotii. I. HActenus contra Pontificios evicimus, quæcumque de Antichristo prædixit Dei Spiritus optimè Papæ Romano accommodari posse. Nunc, ut disquisitioni huic finem imponamus, ad partes nobis vocandus est vir in omni literatura longe versatissimus, & sensum Scripturæ literalem investigandi sagacitate, & ex similium

phrasium collatione illustrandi dexteritate nulli secundus, Hugo Grotius: qui, studio pio divulsas ac laceras Ecclesiæ Christianæ sectas in unum corpus reducendi, grave hoc è Reformatorum animis obstaculum, quo sibi persuasum habent, Papam Romanum esse Antichristum illum magnum Apostolorum oraculis præfiguratum, eximere volens, novam & hactenus inauditam omnium locorum, qui de Antichristo agere creduntur, explicationem, felici illi quam alibi passim in Scripturæ interpretatione ostendit dexteritati minimè respondentem, excogitavit, singulorumque complementum in hominibus, qui jam olim exstiterunt nihilque cum Papa commune habuerunt, non sine violenta detorsione quæsivit.

Epistola 2. ad Thess. scripta est post mortem Caii Caligulæ.

II. Quod attinet prophetiam illustrem 2 *Thess.* 11. putat Grotius per *hominem peccati* designari Cæsarem Cajum Caligulam, cujus impietatem Apostolus revelandam prædicat, ante Domini adventum ad Hierosolymæ eversionem; ad confirmandum fidelium animos, ne judicii illius dilatione conturbarentur. Verùm explicatio hæc vel eo solo falsitatis convincitur, quòd epistola hæc scripta demum sit imperante jam Claudio: ergo de Cajo Claudii prædecessore nihil prædicere potuit, ipso jam cum suâ impietate ante epistolæ hujus scriptionem exstincto. Quod cùm solum explicationi huic refellendæ sufficiat, plenius paulum adstruemus. Certum est, nec à Grotio negari potest, primum Pauli ad Thessalonicenses ingressum contigisse jam imperante Claudio: describitur quippe *Act.* XVII. atqui jam tum Claudium imperasse, docemur *Act.* XI. 28. fames enim illa, cujus illic mentio, teste Josepho *Antiq: lib.* XX. *cap.* 11. quarto demum Claudii anno Hierosolymitanis gravis fuit: similiter *Act.* XII. 23. ubi describitur mors Herodis: regnavit enim Herodes triennium sub Claudio, *Joseph. Antiq: lib.* XIX. *cap* 7. Atqui post Pauli ad Thessalonicenses ingressum epistola hæc scripta est. De priore illud adeo manifestum est, ut in dubium vocari nequeat: expressè enim Apostolus se Ecclesiam illam vidisse testatur, 1 *Thess* 1. 4, 5. &c. & *cap.* II. 11. *& seqq.* Nec est, quod hic excipiat Grotius, epistolam quæ ordine prior ponitur posteriorem esse reverâ: Epistolarum enim ordo absque gravi ratione non est mutandus, quæ hic nulla est. Imo si utriusque epistolæ argumentum conferatur, non obscura sunt indicia, quæ posteriorem ordine etiam reverâ post priorem esse scriptam suadent. Nec etiam in illâ exceptione, etiamsi concedatur, quicquam Grotio præsidii est: quia & in hac non minus quàm in priore suæ in Ecclesia Thessalonicensium commorationis mentionem facit, *cap.* II. 5. & III. 7. 10. Adde, quod unam post alteram non longo intervallo scriptam esse ex eo satis evidenter colligatur, quòd utriusque eadem sit inscriptio, utraque plura contineat ejusdem argumenti, utraque ad Ecclesiam dirigatur, & quidem utrique subscriptum sit à Paulo, Sylvano, & Timotheo, qui longo tempore sibi invicem adesse non poterant. Inde jam aliud exurgit argumentum, quòd epistola hæc jam aliquot post Caji mortem annis demum scripta sit, & quidem duplex: Prius, quia Paulus Silam & Timotheum comites sibi non adscivit, nisi imperante jam Claudio, uti ex *Act.* XV. 40. XVI. 3. constat. Alterum desumitur ex ætate Timothei. Apostolus 2 *Tim.* II. 22. monet Timotheum ut *desideria juvenilia fugiat.* Timotheus ergo ut juvenis adhuc à Paulo considerabatur. Supponamus Timotheum fuisse triginta sex, aut ad summum quadraginta annorum, ulterius enim juvenilis ætas extendi non potest: Scripta est secunda ad Timotheum epistola, ipso Grotio judice, cùm jam iterum venisset ab itinere Paulus, & magis in dies sæviente Nerone mortem semper ob oculos haberet: quod contigit anno Neronis decimo aut undecimo: imperavit Claudius annis quatuordecim: conjicit Grotius hanc ad Thessalonicenses epistolam scriptam secundo anno Caji: imperavit autem Cajus annis tribus, mensibus decem: Duo ergo posteriores Caji anni jungantur annis quatuordecim Claudii, & annis decem Neronis, conficient annos viginti sex: tot ergo, juxta Grotii calculum, anni intercesserint inter scriptionem posterioris epistolæ ad Timotheum, & hujus ad Thessalonicenses: Demantur hi anni ætati Timothei, remanebunt solummodò decem aut quatuordecim, qui Timotheo sunt tribuendi, cùm à Paulo in comitatum assumtus Ecclesiis prædicavit, & unà cum Paulo epistolas ad Ecclesias direxit. Quàm hoc absurdum, & ab omni ratione alienum?

Varia quæ in ea leguntur non quadrant in Cajum.

III. Sed nec si concedamus Grotio, epistolam hanc eo quo vult anno scriptam, explicatio ejus ullâ verisimilitudine commendatur; imo multa obstant, quo minus de Cajo hæc prædictio accipi queat. Quia Apostolus, ne fideles dilatione adventus Domini ad judicium turbentur, docet, quòd adventum Christi hujus hominis adventus sit præcessurus. Atqui jam à morte Caji sexdecim secula elapsa sunt, & necdum ad judicium Christus advenit. Grotius, ut hunc ictum evitet, per *adventum Christi* intelligit ejus adventum ad excidium Judæorum, perinde ut *Act.* II. 19. Resp. 1. Adventus ille instabat reverâ. 2. Non poterat eos turbare nondum eum advenisse, quia nondum impleta erant, quæ Christus præcessura prædixit. 3. Impietas Caji, ex mente Grotii,

tii, eodem hoc pene anno subsecuta est: excidium verò Hierosolymæ post Caji mortem triginta circiter annos dilatum: Magis ergo hæc prædictio conturbasset Christianos, videntes signum hoc, verùm non statim subsequi excidium Judæorum. 2. Sequentia clarè docent, designari adventum Domini ad judicium universale: additur enim, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν. Confer 1 *Thess.* IV. 15, 16, 17. item *cap.* II. 19. III. 13. V. 23. *Matth.* XXIV. 31. *Marc.* XIII. 27. Adde, quòd extremi judicii dies passim vocetur *dies Jesu Christi*; 1 *Cor.* I. 8. V. 5. 2 *Cor.* I. 14. *Phil.* I. 10. II. 16. 2 *Pet.* III. 10. & *revelatio Christi*, 2 *Thess.* I. 7. 1 *Pet.* I. 7. juxta id quod legitur *Coloss.* III. 4. Et sicubi adventus Christi forte sumatur de adventu ad judicium particulare in gentem Judæorum (quod tamen hoc loco non fieri jam ostendimus) id non aliâ ratione fit, nisi quia illud judicium typus fuit judicii universalis; ita ut etiam in illis textibus, qualis est *Act.* II. 19. præcipuè ad hunc universalis judicii diem respiciatur.

Ut apostasia. IV. Descriptionem hujus hominis porrò si consideremus, diffiteri non possumus, quædam hîc occurrere, quæ in Cajum, qui homo fuit nequam & sceleratus, optimè quadrant: plura tamen sunt, quæ Cajo neutiquam accommodari possunt. 1. *Apostasia* Cajo tribui non potest, si hic per apostasiam defectionem à vero Deo ejusque cultu intelligamus: quia Cajus nunquam coluit verum Deum. Dices. Tenetur verum Deum colere. Resp. At illa apostasiæ species diu jam in mundo obtinuerat; hic autem prædicitur apostasia, quæ nondum in terris conspecta fuerat. 2. Nec ea, quæ Cajus moliebatur, tam adversus Judæos quàm Deos suos, spectabant Christianos, qui soli Dei populus sunt, & inter quos apostasia hic prædicta locum habere potest.

Quod sit revelandus. V. Secundò. Non potest de Cajo dici, eum *revelandum*; quia jam, juxta Grotium, imperium obtinebat. Dices. Nondum detexerat Cajus facinorosum ingenium. Resp. *Revelari*, cùm agitur de rebus futuris, non significat, quòd jam existit, & ignoratur, in apertum produci; sed id, quod nondum reipsà existit, & intra causas suas latet intra decreta Dei, effectu ipso exhiberi. Vide *Rom.* VIII. 18. *Gal.* III. 23. 1 *Pet.* I. 20. 1 *Joan.* III. 2. Deinde, hominem dixit Paulus revelandum, non hominis ingenium.

Et sessurus in templo Dei. VI. Tertiò. Dicitur *sessurus in templo Dei.* Atqui, sive per *templum Dei* intelligamus Ecclesiam fidelium, uti antea ostendimus intelligendam esse, sive templum Hierosolymitanum, uti contendit Grotius, neutro sensu Cajus in templo Dei sedisse dici postet. Dices. Καθίζειν aliquando sumitur in Hiphil pro *collocare*, ut 1 *Sam.* II. 8. XXX. 21. 1 *Cor.* VI. 4. *&c.* jussit autem Cajus magnis additis pœnis, sibi in templo Hierosolymitano poni statuam. Resp. 1. Nemo dicitur rectè, seipsum collocare, sed quidem alium. 2. Cajus seipsum non collocavit in templo Hierosolymitano, sed statuam suam. 3. Imo ne hanc quidem collocavit, sed collocari tantum jussit, quod tamen impletum non est: non autem de jussu loquitur Apostolus, sed de ipsa sessione, seu collocatione. Multæ itaque hîc forent impropriæ locutiones. Dices. In iis quæ lædunt divinam majestatem fecit quisque quantum voluit. Resp Voluntas quidem sufficit ad meritum pœnæ, sed non ad fidem prædictionis tuendam; præsertim cùm ipse Deus eventum hunc impediverit, morte prævento Cajo. 2. Nec Christianorum hancob rem magna poterat esse consternatio: hæc enim erant extra Ecclesiam, nec cum ea quicquam commune habebant. Nec itaque prædicta hîc credi debet. Quia sicut sub Veteri Testamento non solebant Prophetæ prædicere, nisi quæ aliquem ad populum Judaicum habent respectum; nihil autem de gentibus quibus nullum cum Judæis erat commercium; ita nec Novi Testamenti Prophetas ea prædixisse credendum est, præsertim in cautelam fidelium, quæ nullum ad Ecclesiam habebant respectum. Dices. Respicitur ad typum Antiochi, *Dan* XI. 36. *& seqq.* Resp. 1. Antiochus se non extulit supra Deos suos. 2 Nec suam, sed Jovis Olympii statuam in templo Dei collocare voluit. 3. Persecutus est Judæos veri Dei cultores: quod Cajus fecisse non legitur. Non ergo Antiochus Caji, sed alterius typus fuit.

Per exlegem non intelligitur Simon magus. VII. Per ἄνομον, cujus *vers.* 8. *& seqq.* mentio fit, Grotius non Cajum, sed Simonem Magum intelligit. At textus series docet, de eodem homine sermonem continuari: dicitur enim mysterium iniquitatis, hoc est, iniquitatem in occulto jam peragi, donec qui retinet è medio tollatur: & tunc, nim: cum ille qui retinet è medio sublatus fuerit, revelabitur ὁ ἄνομος. Adeo ut hæc de alio absque violenta textus divulsione accipi nequeant. Notum quippe est, voculam τότε semper temporis sui notam respicere, ad quam proximè refertur: exempla passim obvia sunt: *Matth.* II. 7. IV. 1, 5. XXIV. 30. & alibi. 2. Connexa hæc sunt cum præcedentibus; antea quippe descripta erat hominis hujus impietas, nunc describitur illius poena. 3. Si diversos hîc intelligamus, necessum est cum Grotio adventum Christi hîc alio sensu accipere, quàm in præcedentibus; nim: non de adventu Christi ad excidium Judæorum, sed ad vindictam de Simonis Magi impietate sumendum. Atqui hoc totius capitis contextui repugnat.

Dixit enim Apostolus, nondum tam propinquum esse adventum Christi; debere prius revelari hominem peccati, & removeri is qui eum detinet: tunc ἄνομον illum revelandum, & à Domino in illustri suo adventu destruendum spiritu oris sui. Quis hic non utrobique de eodem Domini adventu sermonem esse agnoscit? Dices. In posterioribus hisce verbis agitur de Mago, quia dicitur ejus adventus futurus secundum operationem satanæ, & in omni virtute & signis. Resp. Exinde minimè sequi, alium hic, quàm in præcedentibus describi. Cajum enim illic non respici, jam ostendimus. Sequitur solummodò, impium illum etiam fore seductorem, & signa mendacia Satanæ operâ patraturum. Quod nos contendimus.

Sensus 1 Joan. II. 18. & seqq. VIII. Contendit Grotius, *1 Joan.* II. 18. *& seqq.* per Antichristum illum magnum intelligi Barchochabam: per *Antichristos* autem plures, illos pseudo-Christos, qui Hierosolymitanum excidium præcesserunt. Sed verò, posito per *novissimam horam* excidium Judæorum intelligi, non tamen exinde ullâ cum verisimilitudinis specie adstrui potest, per eximium illum Antichristum Barchochabam intelligendum; quia adventus Antichristi prædicitur tanquam signum ultimæ illius horæ: Hic autem post Hierosolymæ excidium demum apparuit. Verùm licet concedamus, hic per Antichristos illos pseudo-Christos à Christo prædictos intelligi, neque hic ad magnum illum Antichristum respici; nihil hoc causæ principali præjudicabit.

Apoc. XIII. bestia non significat idololatriam. IX. Majus robur est in *Cap.* XIII. *&* XVII. *Apoc.* Quibus non hominis alicujus imperium prædici contendit Grotius, sed describi idololatriam Ethnicam. Nos præcipua paucis attingemus, brevitati studentes. Itaque *Cap.* XIII. 1. *bestiam è mari adscendentem*, interpretatur, idololatriam ferino more sævientem. Sed quomodo hoc conciliari potest cum *vers.* 4. ubi bestia adorata dicitur? non enim idololatria adoratur, sed idolum. Dices. Qui idolum adorat, rectè dicitur idololatriam adorare; sicut qui simulachra adorat, diabolum, cui cultus ille serviebat, adorat; licet propriè ex intentione idololatrarum non diabolo deferebatur, sed iis, qui non quidem reverâ erant, sed tamen credebantur Dii. Resp. Admodum dissimile esse exemplum: non enim adoratio idoli exhibetur idololatriæ, est quippe ipsa idololatria; sicut nec qui simulacra adorant serviunt cultui diaboli, sed ipsi diabolo; idolum ergo qui adorat committit idololatriam, non autem idololatriam adorat.

Sequentium hujus capitis explicatio refutatur. X. Quæ de alterâ bestiâ dicuntur, Grotius accipit de magiâ Apollonii Thyanæi. Caput occisum prioris bestiæ ipsi est exustum capitolium bellantibus inter se Vitellianis & Flavianis: Curatio plagæ ejus, restitutio Capitolii per Vespasianum. Origo prioris bestiæ ex mari, ortus idololatriæ ex via c potestate imperii. Ortus posterioris bestiæ ex terra, magiæ origo non publica, sed privata. Duo cornua agni, abstinentia magorum in victu, & castitas. Potestatem prioris bestiæ exercere, sacrificia celebrare. Signa in conspectu bestiæ edita, varia Apollonii miracula. Plaga gladii, annuntiatio Euangelii, per quam idololatria tantum vulnus accepit, ut peritura videretur. Imago bestiæ, cui bestiæ spiritus datus est, quæque locuta est, Achillis simulachrum ab Apollonio quasi spiritu donatum, & in quo diabolus locutus est. Sane quis hic non desideret tanti viri acumen? Adeò hæc male cohærent, ut prolixâ refutatione indigere non videantur. Apollonii quippe signa tanta non fuerunt: neque ille adeo multos seduxit, aut idololatriam quæ collapsura videbatur restituit; & admodum incertum est, in applicatione eventuum prophetiæ niti auctoritate Philostrati, cujus narratio tota fabulis scatet. Tandem per numerum bestiæ, in fine capitis, intelligit Trajanum, ex literis Græcis nominis Οὔλπιος numerum sexcentorum sexaginta sex extundere cupiens. Sed quàm male hæc cohærent cum præcedentibus, ubi magia ipsi fuit altera bestia? Deinde etiam durum est, per bestiæ nomen Trajanum designare: quia licet ille persecutus quidem fuerit Christianos, non tamen nisi ultrò oblatos puniri voluit, inquiri autem expressè vetuit. Cùm verò alii imperatores graviores multò persecutiones adversus Christianos excitaverint; quæ causa, quòd hæc sub Trajano persecutio, quæ minor & mitior fuit, sola prædicta fuerit? Tandem nec nomen Οὔλπιος numerum IↃCLXVI. efficit, sed IↃCCCLX. hinc Grotius ε in fine mutat in c, quod senarium denotare ait, contra communem Græcorum numerandi rationem.

XI. Sed nec feliciores sunt Grotii conjecturæ in *Cap.* XVII. *Apoc.* Fundamenti loco supponit, Joannem jam in Pathmo visis divinis illustrari cœpisse temporibus Claudii, & hanc visionem contigisse temporibus Vespasiani. Sed quàm infirmum hoc est fundamentum? Historici omnes testantur Joannem sub Domitiano demum relegatum in Pathmum: unde ergo constat sub Claudio relegatum? Dices. Claudius Judæos urbe exegit: *Act.* XVIII. 2. Resp. Esto, sub Judæis comprehensi fuerint Christiani, si non omnes, saltem ex Judæis oriundi, sive gente Judæi: At quid inde inferri potest? Judæos urbe exegisse legitur Claudius; non autem ubique urbibus expulsi leguntur. 2. Et licet id verum esset, nullo modo tamen exinde sequitur, Joannem à Claudio relegatum in Pathmum. *Joannes non fuit in Pathmo tempore Claudii.*

3. Joan.

3. Joannes *Apoc.* I. 6. se relegatum dicit *propter testimonium Jesu Christi*; ergo non tanquam Judæum.

Refutatio sententiæ Grotii, de septem regibus, & octavo rege, Apoc. XVII.

XII. Hoc everso fundamento porrò conjecturæ Grotii facile corruent. Per mulierem intelligit Romam. Per septem reges, septem imperatores, qui durante Joannis in Pathmo commoratione imperaverunt. Quinque jam ceciderant, & quidem violenta morte, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius: Unus est, nempe Vespasianus: alius nondum venit, & ad breve tantum tempus durabit; sc. Titus, qui per biennium tantum & menses duos imperavit. Per bestiam quæ vocatur octavus, sc. rex, intelligit Domitianum, *qui erat & non est*; id est, qui Patre per Syriam & Ægyptum absente omnem dominationis vim Romæ exercuerat, sed cum hæc Joannes scribebat, in privati modum redactus à Patre, modestiam & poëticæ studium simulabat. Quis non videt, hæc omnia fundamento jam à nobis everso inniti? Sanè inconcinnum admodum est initium septem regum ducere à Claudio, qui non primus, sed quintus ordine imperator fuit. Nec quicquam juvat Grotium, etsi à tempore Claudii Joannes hisce visis illustrari cœpit. Commemorantur enim septem reges, qui ad imperium absolutè referuntur, non autem restringuntur ad tempus illud quo Joannes in Pathmo fuit. Sic omnes hæc conjecturæ corruunt.

Et de decem regibus.

XIII. Porrò, per decem reges, qui regnum nondum acceperunt, & potestatem cum bestia accipient unà horà, quique potestatem suam bestiæ tradent, intelligit regem Ostrogotthorum, Visigotthorum, Wandalorum, &c. qui in finibus imperii Romani, Romanis concedentibus, regnarunt, & populi Romani fœderati fuerunt. Sed rursus nullo nexu hæc cum præcedentibus cohærent. Mox Domitianus erat bestia hæc: nunc, autem imperium Romanum, aut Imperatores post ducentos demum annos Domitianum secuti. Quam hæc malè cohærent? Nec usquam ex historicis probabitur, quod illi simul cum imperio, seu imperatore Romano, potestatem acceperint; aut quod potestatem suam imperatori Romano tradiderint aut consecrarint.

Et de pugnà horum cum agno.

XIV. Per pugnam horum cum agno, intelligit Grotius, decretorum contra Christianos executionem, quæ tanquam fœderati unà cum aliis militibus exequebantur; & per victoriam, quà agnus eos vicit, ipsorum conversionem ad Christianorum religionem. Verùm, ne minutias consectemur, quando aliqui cum agno pugnaturi, & ab agno vincendi dicuntur, non intelligitur, eos ad fidem converti, sed rebellionis suæ pœnam subire: quod manifestè constat ex *cap.* XIX. 19, 20. qui locus huic tantum non parallelus est. Deinde, cùm non solum hi reges, sed & ipse Romanus imperator, fidem Christianam est amplexus, an credibile cuiquam esse potest, regum horum, qui bestiæ tantum cornibus assimilantur, conversionem esse prædictam; non autem Imperatoris Romani, bestià ipsà adumbrati?

Et de odio regum contra meretricem.

XV. Tandem quæ de horum regum odio contra meretricem adducuntur, eorumque contra ipsam pugnà, quà eam sint desolatam redditur, & igne combusturi, accipit de bellis Gotthorum, &c. contra Romanos, qui plures Romanorum provincias sibi sint subjecturi, & tandem ipsam urbem Romam igne combusturi: quod à Totila factum. Verùm hæc conciliari non possunt cum *cap.* XVIII. 21. ubi Angelus quidem robustus lapidem instar molæ magnæ sustulisse dicitur, & projecisse in mare: addito hoc effato: *Ita cum impetu projicietur Babylon urbs illa magna, nec unquam amplius invenietur.* Significans, talem fore illius ruinam, perinde ac si quis lapidem molarem in mare projiciat, unde nunquam emergere possit. Id Romæ à Totilà captæ & vastatæ applicari non potest. Capta siquidem est à Totila, & incensa; sed non penitus excisa. Belisarius eam paulò post receptam reparare cœpit: Totilas rursus captam instauravit, & quantum antea studii in ea desolanda, tantum nunc in reparanda diligentiæ adhibuit, ut infamiam ex superiore desolatione contractam, novo beneficio, mansuetudine & elementià aboleret. Quæ omnia interpretationem hanc esse coactam arguunt.

CAPUT XIII.

De Variis Ecclesiæ Divisionibus.

I. HActenus de Ministerio verbi, quo Ecclesia colligitur & collecta porrò conservatur & propagatur, diximus. Restat ut nunc de ipsa Ecclesia agamus. Duo hic nobis occurrunt tractanda: Primò Ecclesiæ partes: Deinde, illius attributa. Partes Ecclesiæ ut cognoscamus, diversas illius considerabimus divisiones.

Ecclesia est.

II. Initium faciemus à celebri illa Pontificiorum distinctione, quà Ecclesiam distribuunt in militantem in terris, laborantem in Purgatorio, & triumphantem in cœlis.

Militans in terris.

III. Quod attinet primum hujus distinctionis membrum, illud ab omnibus agnoscitur. Militia enim est vita hominis Christiani, ac certamen spirituale, ipsi cum labore ac sudore contra spirituales hostes decertandum: *Eph.* VI 12. *& seqq.* 1 *Tim.* VI. 12. Hinc Dominus ait, *Luc.* XIII. 24. *Contendite intrare per angustam portam.* & Apostolus

lus de seipso dicit, 2 *Tim.* IV. 7. *Certamen bonum certavi.* Hinc & hominis Christiani vita comparatur cursui, quo contendentes proemium adipiscebantur, 1 *Cor.* IX. 24. *Heb.* XI. 11. Vitamque præceptis Jesu Christi consentaneè instituentes dicuntur victores, *Apoc.* II. & III. passim, *Vincenti dabo*, &c. fidesque medium illud dicitur, quo victoria hæc obtinetur, 1 *Joan.* V. 4. ne fideles, certamen adeo grave sibi instare considerantes, animum abjiciant. Inde est, quòd passim eos Scriptura solatur spe eventus exoptati, *Rom.* XVI. 20. *Jacob.* IV. 7. Præter hæc grave homini fideli certamen decertandum adversus quasvis, etiam gravissimas persecutiones, ac dirissima ob fidei Christianæ professionem supplicia. Quoniam diabolus, invisibilis ejus inimicus, furens quod se imperio ejus subtrahat, mundum impiosque, suos ministros, in ipsum concitat, persecutione sque atque infinita mala ipsi excitat. Unde Apostolus dicit, 2 *Tim.* III. 12. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* Dominusque *Joan.* XVI. 33. *In mundo afflictionem habebitis; sed confidite, ego vici mundum.*

Quo sensu ita vocatur. IV. Horum respectu vita Christiani militia vocatur, quia acriter contra hæc luctandum. Non quod in regenitis continua inter carnem & spiritum lucta sentiatur: (Ostendimus enim antea, licet in incipientibus lucta hæc gravis sit, in proficientibus minor, sed subinde tamen recurrens; in adultis tamen ac perfectis eam desinere, adeo quidem ut *peccato mortui* dicantur, *Rom.* VI. 11. & non tantum *non peccare*, sed ne *peccare* quidem *posse*, 1 *Joan.* III. 9. V. 18. id est, admodum aversi esse à peccato:) sed quia unusquisque, etiam perfectus, in se ea habet principia, cos concupiscentiæ suæ stimulos, quibus, nisi continuo vigeret, fideique clypeo armatus alacriter depugnet, mundi hujus illecebris sensim possit allici, & è statu pietatis deturbari. Adeo ut continuum sit certamen cum diabolo, mundo, atque carne nostrâ

Laborans in Purgatorio non est. V. Secundum membrum, ex antedictis liquet, planè fictitium esse: cùm nulla ejusmodi Purgatorii ignis mentio in Scriptura occurrat. Quæque de eo disserunt Pontificii, magis Ethnicorum de inferis suis fabulas redolent, quàm Scripturæ Sacræ doctrinam.

Triumphans erit in futuro seculo. VI. Quod tertium membrum attinet, credimus Ecclesiam triumphantem in futuro seculo, in resurrectione justorum, debellatâ morte, ultimo fidelium hoste, 1 *Cor.* XV 26. locum habituram; quando unusquisque victoriæ coronam à Deo justo judice reportabit, 2 *Tim.* IV. 8. Ante mortuorum resurrectionem, etsi fidelium animæ à corporibus separatæ sint in statu quodam securo, & in spe resurrectionis beatæ à Christo Jesu conserventur, non tamen pleno frui triumpho, ex iis, quæ de animarum à corporibus separatarum statu disputavimus, liquere potest.

Ecclesia est, vel repræsentans vel repræsentata. VII. Secundò. Dividi vulgò solet Ecclesia in Repræsentantem, & Repræsentatam. Quam distinctionem non tantum Pontificii, sed & Reformati tuentur. Per Repræsentantem intelligunt Antistites, Pastores nempe, vel etiam cum Pastoribus Synedrium: per Repræsentatam, totum fidelium cœtum, seorsim ab Antistitibus suis consideratum. Huicque distinctioni statuminandæ unicus ex Scriptura potissimum adhibetur locus, *Matth.* XVIII. 17. *Dic Ecclesiæ*; & ratio, quòd Ecclesia tota, ex plurimis, imo millenis aliquot membris, sæpe constans, congregari nequeat, ad deliberandum de iis, quæ omnia illius membra ex æquo concernunt: Necesse ergo esse, ut paucis quibusdam negotium illud demandetur, qui integram Ecclesiam repræsentent, illiusque nomine id peragant.

Quo sensu distinctio hæc admitti possit. VIII. Me quod attinet, libens concedo, in minoris momenti rebus, præsertim ordinem & externam Ecclesiæ εὐταξίαν concernentibus, Presbyterium rectè Ecclesiam repræsentare; imo & paucis quibusdam, sive è presbyterio, sive è totius Ecclesiæ corpore delegatis, posse negotia ejusmodi demandari, ut ordo in Ecclesia requisitus, 1 *Cor.* XIV. 40. conservetur. Exemplum habemus, 1 *Tim.* IV. 14.

Quo sensu rejicienda sit. IX. Quod verò res fidei attinet, nemo alteri eas absque salutis suæ periculo demandare potest, ab unoquoque enim Deus fidei operumque suorum rationem exiget, *Rom.* XIV. 12. *Gal.* VI. 5. Neque auctoritatem hanc quisquam absque tyrannide & majestatis divinæ læsione in Ecclesiam arrogare potest: quoniam Dei solius est leges credendi conscientiis hominum præscribere: *Unicus est legislator, qui potest servare & perdere*, *Jacob.* IV. 12. Et licet quis hanc sibi arroget, non tamen illi fideles parere, imo si decreta ipsius Scripturæ Sacræ adversari deprehendant, obedientiam detrectare, ne adversus Deum sint rebelles, tenentur. Hinc omnibus fidelibus doctrinarum exploratio commendatur: *Matth.* VII. 15. 1 *Thess.* V. 21. 1 *Joan.* IV. 1.

Sensus Matth. XVIII. 17. X. Quod verò locum attinet *Matth.* XVIII. 17. nihil in eo est, quod eum de Ecclesia repræsentante accipere cogat: imo plura sunt, quæ Ecclesiam repræsentantem, id est, Pastores aut Synedrium, eo non designari evincunt. 1. Nondum erat tum Ecclesia quædam formata, quæ externo presbyterio regebatur. 2. Agitur de fratre, qui injuriam fecit, ad resipiscentiam adducendo; atque huc non necessariò requiritur Synedrium; sed plurium, duobus aut tribus oppositorum, præsentia ac seria monitio. Multò minus hinc

hinc Ecclesiæ ejusmodi repræsentantis auctoritas ad controversias fidei decidendas, regulamque credendi præscribendum, elici potest. 1. Non enim de rebus fidei, sed de privatis injuriis agit; nec mittitur læsus frater ad Ecclesiam, ut quid antea sibi ignotum ab Ecclesiâ doceatur; sed ut illius ope ac auctoritate adjuvetur ad fratrem peccantem in viam reducendum. Tandem si de dogmatibus fidei locum hunc accipere velimus, omninò Dominus noster fideles ad se, indubium totius Ecclesiæ caput, atque infallibile, advocasset, non autem ad pastores aut synedrium, se inferiores, ablegasset. Ecclesia ergo hoc in loco denotat cœtum plurium fratrum, nomen Jesu invocantium, sive jam plenò formatum, sive externo presbyterii alicujus regimine nondum directum. Ita & alibi, *Rom.* XVI. 16. 1 *Cor.* XVI. 19. *Coloss.* IV. 15. *Philem.* 1. 2. *Hebr.* XII. 23. Verùm de hoc loco in sequentibus fusius.

Ecclesia est vel universalis. XI. Tertiò. Dividitur Ecclesia in Catholicam seu universalem, & particularem. Catholicæ appellatio, quæ in Scriptura non exstat, sed in Symbolo, & in Patrum scriptis creberrimè occurrit, diversimodè accipitur. 1. Ut designet omnium temporum & locorum Christianos. 2. Omnium quidem locorum, sed unius tantum temporis, ac simul existentes. Quæ acceptiones bonæ sunt: attamen ut omnis in disputando homonymia vitetur, explicare oportet, quo sensu eam accipiamus. 3. Pontificiis, ac nonnullis Reformatis, denotat Ecclesiam orthodoxam. Quæ significatio admodum impropria est; imo qui eo sensu accipiunt, manifestè voce Catholicæ abutuntur. Fieri enim potest, ut errores in tota Ecclesia prævaleant; nullum enim assentientium multitudo errori privilegium confert, ut pro veritate recipi debeat. 2. Quoniam unusquisque sibi orthodoxiam adscribit, nemo enim se judice in errore versatur, plures sibi nomen Catholicæ arrogabunt: quod absurdum. Quare inepta planè est illa Pontificiorum ac Reformatorum contentio, de titulo hoc acriter digladiantium. Perinde uti Contraremonstrantium quorundam, de titulo Reformatorum acerbè contendentium, perinde atque sibi solis conveniente: quorum nonnulli, Triglandius, eò usque exorbitarunt, ut scribere non erubuerint, Remonstrantes justè oppressos, eò quòd Reformatorum titulum, sibi non convenientem, falsò usurparint. Nobis sanè titulus sine re nauci non est: non digladiabimur cum ipsis de titulo, quem sibi unusquisque pro arbitrio imponit, nullumque veritati præjudicium facit; rem ipsam titulo illo designatam quærimus; quâ obtentâ indifferens nobis est, quo nos adversarii nostri titulo compellent.

XII. Particularis Ecclesia est, quæ in particulari terrarum loco collecta est, ut Hierosolymis, Corinthi, Romæ, &c. *Vel particularis.* Romana enim Ecclesia non magis Catholica est, quàm quæcunque alia. Dices. Profitetur eam fidem, quam omnes amplecti tenentur. Resp. Si hoc de nuda fidei professione intelligant, hoc Ecclesiæ Romanæ cum omnibus aliis commune est: si verò de auctoritate aliis fidem, quam ipsa profitetur, præscribendi, controversiasque fidei cum potestate decidendi, cui omnes acquiescere tenentur, eam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem denegamus.

XIII. Differunt particulares Ecclesiæ ab universali solâ extensione, imo reverâ particulares partes sunt universalis ex quibus constat. *Quæ inter illas differentia.* Nullæ itaque excellentiæ notæ, nulla assistentiæ Spiritus divini privilegia catholicæ attribuuntur, quæ non & particularibus conveniant: dicente Domino, *Matth.* XVIII. 20. *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego in medio eorum.* Quod tenendum adversus Pontificios, qui concedunt particulares Ecclesias in errorem incidere posse, universalem nequaquam.

XIV. Quartò. Ecclesiæ particulares quadrifariam subdividuntur. I. Ratione doctrinæ: Aliæ sunt orthodoxæ, quæ veram & salutarem Euangelii doctrinam profitentur; non quidem ut ab omni erroris labe sint immunes; id enim vix humana imbecillitas permittit, 1 *Cor.* XIII. 9, 12. sed nulli exitiali errori fundamentumque salutis evertenti assensum præbeant, 1 *Cor.* III 10. & *seqq.* *Quadruplex Ecclesiæ particularis subdivisio.* Aliæ hæreticæ, quæ errores fidei fundamentum evertentes profitentur & defendunt. II. Ratione cultus divini: Aliæ sunt idololatricæ, quæ Deum in imagine colunt, vel cultum soli Deo Christove debitum creaturæ alicui deferunt: hi enim actus divini cultus soli Deo exhibendos creaturis deferentes, reverâ ex illis idola faciunt, quicquid de sua intentione jactent; quod historiâ vitulorum Aaronis, *Exod.* XXXII. & Jeroboami, 1 *Reg.* XIV. 9. clarissimè comprobatur. Idem clarè evincitur ex Lege, quæ idololatras morte plecti jubet: si enim non esset idololatria, nisi quæ procedat ex mentis actû, quo, quod externo actu colitur, Deus esse creditur, cùm is sit internus & alteri homini prorsus ignotus, nemo coram judice idololatriæ argui, aut à judice condemnari poterit. Aliæ Deum rectè colunt, in quibus ista idololatria non viget. Non quòd ab omni labe eorum cultus sit repurgatus; fieri enim potest, ut non omni vitio ac superstitione careat; à graviore autem illâ sit immunis. Non quòd Deus aliquam superstitionem approbet, sed pro benignitate sua misereatur eorum, qui recto sunt corde, etiamsi per ignoran-

tiam aliquid cultui ipsius immisceant, quod ab omni superstitione ac defectu purgatum non est. Ita 1 *Reg.* XV. 14. Asa dicitur *excelsa non abstulisse, verumtamen cor ejus perfectum fuisse cum Domino cunctis diebus vitæ suæ.* Idem dicitur de Joa, 2 *Reg.* XII. 2, 3. Asaria, *Cap.* XV. 3, 4. Joatham. *ibid. vers.* 34, 35. III. Ratione morum: Aliæ sunt puræ, quæ pro conditione humanæ infirmitatis sanctitati coram Deo sincerè student, neque gravioribus peccatis, quæ homines è regno cœlorum excludunt, sunt inquinatæ; vel si quis è corpore suo in id prolabatur, severâ illud disciplinâ emendant ac castigant, 2 *Thess.* III. 6. 2 *Cor.* VII. 11. Aliæ impuræ, quæ planè contrarium faciunt. IV. Ratione unionis: Aliæ sunt Schismaticæ, quæ levi vel injusta de causâ ab aliis, quibuscum antea unum constituebant corpus, discedunt. Leves autem ac injustæ causæ sunt omnes præter hæresin, idololatriam, impietatem, & tyrannidem? hoc est, omnes ob quas nemo è regno cœlorum excluditur. Discrimen tamen hîc est aliquod faciendum inter eos, qui ipsi schisma faciunt; & eos, qui in schismate ab aliis facto, quod emendare nequeunt, manent. Illi gravis peccati se reos constituunt; hi non item, modò schisma non approbent & foveant. Aliæ quantum possunt cum aliis secum junctis unitatem spiritus servant in vinculo pacis; & a se separatis æquas unionis conditiones offerunt, easque respuentibus omnia tamen Christiani amoris beneficia exhibere paratæ sunt. Tales si dissidium aliquod inter Ecclesiæ membra oriatur, omni illud ope componere allaborant, ne in schisma erumpat; libentiusque omnia, quæ salvâ pietate tolerari possunt, tolerant, quàm schisma faciant, ut in illud consentiant. Si tamen alii eorum fraternitatem respuant, & Ecclesiam scindant, ipsi tamen, licet separatos habeant cœtus, schismatici non sunt, modo à se dissentientes & separatos sincerâ complectantur charitate, omniaque Christianæ charitatis officia, quin & fraternitatem colere parati sint: quoniam schisma non tam est opinionum ac rituum differentia, aut cœtuum separatio, quàm animorum divulsio.

Ecclesia est vel visibilis, vel invisibilis.

XV. Quintò. Ecclesia tam Catholica quàm Particularis distinguitur in Visibilem & Invisibilem. Visibilis est cœtus sive societas eorum, qui veram ac salutarem Euangelii doctrinam profitentur apertè, etiamsi omnia illius membra illi ex animo non credant, nec viva corporis Jesu Christi membra sint. Invisibilis est societas eorum, qui non tantum doctrinam Euangelii ore profitentur, sed & sincerè in Christum credunt, vitamque præceptis Jesu Christi convenienter ex animo instituunt.

Quo sensu dicatur invisibilis.

XVI. Quæ distinctio ut rectè percipiatur (quoniam Pontificii Ecclesiam Invisibilem ut figmentum ridere solent) ante omnia inquirendum, quænam in Ecclesia, seu partibus ex quibus constat, distinctè consideranda sint. Tria nim: 1. Homines ex quibus constat. 2. Vera fides animique pietas. 3 Externa veræ fidei ac internæ pietatis significatio, quæ internæ fidei ac pietatis sit signum. Priore respectu dubitari nequit, quin sint visibiles: verùm de eo neutiquam controvertitur. Juxta secundum respectum negari nequit, quin homines sint prorsus invisibiles; quia fides & pietas in animo hominis latent, qui nullius mortalis oculis conspicuus est. Juxta tertium respectum homines sunt visibiles, id est, externa edunt documenta ac professiones fidei ac pietatis suæ, quæ in oculos hominum incurrunt; id est, profitentur veræ fidei doctrinam, exercent opera pietatis ac charitatis, ex quibus secundum judicium charitatis pro verè fidelibus ac piis haberi debent: sed quia fidei professio, & opera pietatis externa verè fidelibus cum hypocritis, qui pietatis larvam induere, fidemque ore profiteri possunt, *Tit.* 1. 16. communis est; hinc ex illa nemo judicio certo ac indubitato, quod falli nequit, dignosci potest verum ac genuinum esse corporis Jesu Christi membrum. Ecclesia ergo visibilis vocatur respectu externæ illius professionis; quia nim. externa fidei professio, ordo in Ecclesia observatus, Baptismus, Cœna, disciplinæ exercitium, &c. in oculos incurrunt, non tantum fidelium, sed & infidelium. Vocatur invisibilis, respectu internæ fidei ac pietatis, quæ sola hominem verum ac vivum Jesu Christi membrum salutisque hæredem constituunt; quoniam ea nemini hominum conspicua sunt, nec ex signis illis externis indubitatò cognosci possunt.

Discrimen quale sit inter utramque Ecclesiam.

XVII. Unde apparet, Ecclesiam invisibilem totam in visibili comprehensam esse; rarissimè enim contingit (quamvis contingere posse non diffiteamur) quemquam extra omnem Ecclesiam visibilem membrum Ecclesiæ invisibilis esse; nempe si fidelis quisquam inter infideles versetur, ubi nullam cum aliis fidelibus spiritualem communionem colendi occasionem habet. Divisio ergo hæc, non est totius in partes, non enim constat ex partibus oppositis; sed subjecti per adjuncta; quoniam nempe eadem Ecclesia diverso respectu visibilis & invisibilis vocatur. Aut potius, iidem homines, diverso respectu, sunt membra Ecclesiæ Visibilis & Invisibilis: Visibilis quidem, prout societati visibili Christianorum externè uniuntur per communionem externam & visibilem: Invisibilis verò, quatenus verâ fide (quæ à nullo homine cognosci aut videri potest) Christo capiti & aliis veri corporis Christi genuinis membris uniuntur. Dici etiam potest, Ecclesiam, quatenus cœtus seu societas est, non

rectè

rectè dici Invisibilem: quoniam nulla potest esse societas inter eos qui se mutuò non norunt. Est quidem spiritualis quædam communio, quatenus Deus ipsos mystico Christi corpori tanquam membra viva inserit; sed ea soli Deo est cognita: propriè dicta vero societas inter eos intercedere nequit. Tota itaque hæc quæstio de Ecclesia Visibili & Invisibili ad tractationem de membris Ecclesiæ commodè referri posset, ibique ostendi, vera Ecclesiæ membra hominibus inconspicua esse. Interim quia distinctio hæc est celebris, eam etiam adstruemus, & à Pontificiorum cavillis vindicabimus. Dari itaque hanc Ecclesiam Invisibilem sic adstruimus.

Distinctio hæc adstruitur. XVIII. Ecclesia est corpus Jesu Christi, *Eph.* I. 22, 23. I *Cor* XII. 12, 27. illius corporis membra nulli sunt nisi verè fideles, *Galat.* V. 6. *Rom.* VIII. 9. XI. 20. & novæ creaturæ, 2 *Corinth.* V. 17. at fides & nova creatura nullius hominis oculis conspicua sunt; quia in corde, quod solus Deus scrutatur, habitant. Hinc Dominus inquit, *Matth.* VII. 21, 22, 23. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine*, &c. Sic Ecclesia est domus spiritualis ex lapidibus vivis ædificata, I *Pet.* II. 4, 5. at ea est inconspicua; & nemo absque erroris periculo vivos lapides ex quibus constat à mortuis discernere potest: quia multi larvâ pietatis se tegunt. Inde rectè Apostolus ait, *Rom.* II. 28, 29. *Non qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est; & circumcisio cordis in spiritu, non literâ; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Responsio ad objectionem Pontificiorum primam. XIX. In contrarium autem objiciunt Pontificii varia. Primò: Ubicunque in Scriptura usurpatur vox Ecclesiæ, semper designat cœtum visibilem: ut *Matth.* XVI. 18. *Super hac petra ædificabo Ecclesiam meam.* Sicut itaque fundamentum, Petrus ejusque successores, visibile est; ita & oportet Ecclesiam illi inædificatam visibilem esse. Similiter *Matth.* XVIII. 17. *Actor.* XX. 28. I *Tim.* III. 15. Resp. I. In posterioribus locis manifestè agi de Ecclesia fidem in Christum profitentium; illam fatemur visibilem esse: à nobis autem videri nequit, quinam in illa Ecclesia per veram fidem viva sint corporis Christi membra. 2. Locus *Matth.* XVI. 18. agit de Ecclesia invisibili; additur enim, *Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*: multi autem, qui Ecclesiæ visibilis membra sunt, in morte æterna manebunt. Nec sequitur, Petrus, Ecclesiæ fundamentum, fuit visibilis, ergo à nobis discerni potest, quinam sint vivi lapides fundamento illi superstructi, ex quibus spiritualis Christi domus ædificata est. Ratione enim doctrinæ suæ Petrus est Ecclesiæ fundamentum; fidelesque ratione veræ fidei, doctrinæ isti adhibitæ, domus illius spiritualis lapides.

Ad secundam. XX. Secunda Objectio. Ecclesia dicitur valdè splendida futura, & externis sensibus exposita, *Psal.* XIX. 6. *Esa.* II. 2, 3. *Mich.* IV. I, 2. *Dan.* II. 35. *Matth.* V. 14, 15. Resp. I. *Psal* XIX. dicitur, *Soli posuit tabernaculum in eis*, sc. cœlis; nihil hic de Ecclesia. 2. Omnia illa loca tantum ostendunt, cœtus Christianorum valdè frequentes & conspicuos fore; non autem, omnes qui cœtus illos frequentant verâ fide, cujus in illis cœtibus professio fit, esse præditos. Locus *Matth.* V. 14, 15. agit de communi Christianorum officio, quod non debeant fidem Christianam abscondere, sed ad alios propagare, ut & illi ad eandem fidem excitentur, & moribus esse inculpatis, quoniam omnium oculi in eos sunt conjecti. Quod illustrat Dominus similitudine desumpta à civitate in monte ædificata: cujus sensus non est, civitatem ejusmodi abscondi nequaquam posse; fieri enim id potest à nebula; potest everti; potest degenerare in speluncam latronum; sed solummodò, illius qui civitatem in monte ædificat scopum non esse ut ea abscondatur, sed ut omnibus pateat. Imo Ecclesia, quatenus ex fidem profitentibus constans, non semper conspicua est, sed & ipsis aliquando fidelibus incognita; ut tempore Eliæ, I *Reg.* XIX. 10, 14, 18. *Rom.* XI. 3, 4. Sic & persecutionis tempore sæpe latere cogitur ut nusquam conspiciatur. Sed de eo in sequentibus.

Ad tertiam. XXI. Tertia Objectio. Ecclesia comparatur *areæ*, *Matth.* III. 12. *sagenæ*, *Cap.* XIII. 47. *convivio nuptiali*, *Cap.* XXII. I. &c. *cœtui virginum*, *Cap.* XXV. I. &c. quæ omnia dicuntur de vera Ecclesia, tamen nulli nisi visibili conveniunt. Resp. I. Per *aream* rectius intelligitur totus mundus, seu omnes homines qui coram judicio Christi comparebunt, quàm Ecclesia speciatim. Per *sagenam* Ecclesia non intelligitur, sed Euangelium: Ecclesia enim non congregat homines, sed ad Ecclesiam homines per Euangelium congregantur. Mare autem, ex quo sagena homines ad Ecclesiam congregat, est mundus. 2. Ex omnibus illis locis aliud nihil inferri potest, quàm, in Ecclesia Dei visibili esse non tantum verè fideles, sed etiam hypocritas. Quod ultrò concedimus. Atqui, ajunt, illa est vera Christi Ecclesia. Resp I. Ostendant nobis, ubi ita in Scriptura vocetur. 2. Vera vocari potest, tum propter professionem fidei veræ, absque qua nemo salvari potest, tum propter aliquot veros fideles illius membra; non verò quod omnes, qui ad visibilem illam Ecclesiam pertinent, etiam vera Jesu Christi membra sint.

Ad quartam. XXII. Quarta Objectio. Ecclesia est societas hominum. Atqui omnis hominum societas

cietas est visibilis. *Resp.* Non est quorumvis hominum societas, sed tantum verè fidelium. Atqui hominum oculis vera fides, quæ in corde latet, conspicua non est. Homines vera fide præditi sunt quidem visibiles: sed nemo eos ab hypocritis discernere potest. Ut itaque Scholasticorum terminis utamur, dicimus, materiale veræ Ecclesiæ esse quidem visibile; non vero formale. *Instant.* Nulla inter ignotos, qui nim: se mutuo non vident, intercedere potest societas. *Resp.* Licet certò dignoscere non possimus veros fideles ab hypocritis, tamen eos novimus ut veram fidem profitentes, omnesque ejusmodi, quamdiu vitam non ducunt professioni suæ apertè repugnantem, à nobis ex judicio charitatis pro verè fidelibus habendi sunt. Si in eo nos errare contingat, error ille nulli nocet. Putant autem, licet vera fides conspicua non sit, inde tamen non rectè inferri Ecclesiam esse invisibilem: idque illustrant exemplo Reipublicæ, ad cujus constitutionem tria requiri ajunt, multitudinem hominum, externum regimen, & internam civium affectionem quâ inter se uniuntur. Priora duo sunt visibilia, tertium nequaquam; nihilominus respublica est visibilis. Eodem modo ad Ecclesiæ constitutionem tria requiri; Multitudinem, externum prælatorum regimen, internam fidem & charitatem quâ fideles inter se uniantur. Licet postremum sit invisibile, tamen ob duo priora Ecclesiam rectè vocari visibilem. *Resp.* Maxima inter Reipublicæ constitutionem est differentia. Internus enim civium affectus non requiritur ad Reipublicæ essentiam; sufficit si omnes officia, ad quæ singuli tenentur, externè sibi invicem exhibeant. At externa communio & fidei professiò non sufficit, ut quis vivum Jesu Christi sit membrum, sed requiritur præterea vera ac viva fides. Verùm hic est perpetuus Pontificiorum error, quòd Ecclesiam semper tanquam regnum aliquod mundanum considerant; cùm sit societas spiritualis, nihil cum regnis mundi commune habens.

Ad quintam. XXIII. Quinta Objectio. In vera Ecclesia publicè indicuntur & celebrantur Concilia, sanciuntur canones, dirimuntur controversiæ de fide, &c. ut in Concilio Hierosolymitano, *Actor.* xv. atque id continuò observatum fuit in Ecclesia post Apostolorum tempora: celebrata sunt quatuor Concilia generalia, quæ & ab ipsis Reformatis recipiuntur. At illa fieri non possunt nisi in Ecclesia visibili. *Resp.* Esto, Concilia celebrata sint in Ecclesia vera; exinde tamen non sequitur, omnes Ecclesias, in quibus celebrata sunt Concilia, esse veras: neque id Pontificii agnoscent; multò minus, omnes qui in Ecclesiis illis vivunt, verè esse fideles, ac viva Jesu Christi membra. Ne hoc in Apostolica quidem Ecclesia locum habuit, in quâ Judas cæteris Apostolis, Ananias & Sapphira reliquis fidelibus permixti vixerunt. Nec etiam Concilia aut Conciliorum decreta veræ Ecclesiæ indicia sunt: quia & Ecclesiæ Arianæ Concilia celebrarunt. Nec Reformati ulla Concilii cujusdam decreta recipiunt, simpliciter quia à Synodo aliqua sunt constituta; sed quatenus post accuratum examen ea cum Scripturis convenire deprehendunt; ea absque scrupulo rejecturi ubicunque dissensum à Scriptura animadvertunt.

Ad sextam. XXIV. Sexta Objectio. Tenemur omnes sub æternæ mortis periculo nos adjungere Ecclesiæ, quia est nostra Mater, *Gal.* IV. 26. Ergo debet esse visibilis. *Resp.* 1. Ecclesiam non vocari matrem nostram, sed Hierusalem quæ de sursum est, (ἄνω enim positum videtur pro ἄνωθεν) hoc est, fœdus novum, quod Dei Filius nobis è cœlo attulit, & ex Hierusalem primò prodiit: oppositè ad fœdus vetus, quod in monte Sinai datum; uti expressè dicitur, *vers.* 24. Et figuratè mater nostra vocatur, quia illius virtute in filios Dei regeniti sumus. Ecclesia autem mater nostra non rectè dicitur; quia pastores illius sunt patres, 1 *Corinth.* IV. 15. atqui ita matris suæ patres essent. 2. Alia est adjunctio ad Ecclesiam externa, per publicam fidei professionem & Sacramentorum participationem, &c. alia interna per veram fidem. Per illam adjungimur Ecclesiæ visibili; per hanc unusquisque fidelis unitur Ecclesiæ invisibili, & quidem statim atque credidit, etiamsi nullam in terris Ecclesiam visibilem noverit, cui se ut membrum adjungere possit. Veluti si quis inter infideles degens alicujus fidelis institutione, quin imo solâ Scripturæ Sacræ lectione, ad fidem sit conversus: qualis fuit Eunuchus ille, *Actor.* VIII. Interna hæc adjunctio necessaria est: quia sine fide nulla est salus exspectanda, *Joan.* III. 36. Externa autem non semper imo quandoque est impossibilis. Et solummodò eo casu necessaria, quando Ecclesia veram fidem profitens nobis est nota, & ab ejus communione nullo invincibili impedimento arcemur. Sufficit autem veræ fidei professio, & actus externi illi respondentes, ut nos ipsi adjungamus; etsi fieri possit, fidem veram non sincerè in animo latere; quod Deo judici committendum est.

Quæstio de membris Ecclesiæ. XXV. Ex dictis facile solvi potest quæstio, quam Pontificii de Ecclesiæ membris instituunt. Quærunt nim: an ad Ecclesiam pertineant catechumeni, id est, fideles quidem, sed nondum baptizati, excommunicati, etiam injustè, schismatici, hæretici & apostatæ, infideles occulti, magni peccatores? &c.

XXVI.

Sententia Pontificiorum. XXVI. Pontificii quippe ad Ecclesiæ essentiam nihil requirunt, præter externum illud visibile regimen, externamque fidei professionem, operaque externa ab Ecclesiæ præpositis præscripta; hinc omnes Ecclesiæ membra agnoscunt, qui se regimini isti subjiciunt, & in externa illa societate versantur, moribus licet profani sint & corruptissimi: inde non tantum magnos peccatores, sed & occultè infideles & hypocritas pro Ecclesiæ membris agnoscunt: hac tamen adhibitâ distinctione, quòd sint vera quidem, sed non viva membra; quasi Ecclesiæ Christi, quæ domus est spiritualis vivis constans laidpibus, membrum aliquod possit esse verum, quod non sit vivum. Ab Ecclesia autem excludunt non tantum hæreticos, apostatas & schismaticos, de quibus nulla est controversia, sed & injustè excommunicatos; perinde ac si Deus sententiæ injustè latæ fautor sit. De catechumenis dissentiunt. Quidam eos planè extra Ecclesiam collocant, & servari posse negant. Bellarminus quidem extra Ecclesiam collocat; sed tamen servari posse credit; quia animo sunt in Ecclesia. At præstantius est servari, quàm in Ecclesia esse. Si servantur, Christo insiti sunt: quia nemo Christi cognitione imbutus extra Christum servatur: atqui qui in Christo est, quomodo est extra Ecclesiam?

Visibilia Ecclesiæ membra. XXVII. Melius itaque hæc omnia expediuntur, distinctione in Ecclesiam visibilem & invisibilem, seu membra Ecclesiæ visibilia & invisibilia. Qui in externa Ecclesiæ visibilis communione vivunt, etiam visibilia ejus sunt membra, licet verâ fide sint destituti, & à spirituali Jesu Christi communione exclusi; quales sunt non tantum magni peccatores, quamdiu in Ecclesia tolerantur; sed & occultè infideles & hypocritæ. Visibilia autem Ecclesiæ membra non sunt, qui in Ecclesiæ communionem nondum sunt recepti, ut catechumeni, aut ab ea ejecti, licet injustè, ut excommunicati.

Et invisibilia. XXVIII. Alia autem longè ratio est membrorum Ecclesiæ invisibilium: inter ea nemo numeratur nisi verâ fide sincerâque pietate præditus; hisce destitutus, membrum putre ac aridum est, & à Domino ejicitur foras, nullamque cum ipso communionem habet. Hinc catechumeni, modo sincerè credant & ex animo, & injustè excommunicati, vera & invisibilia spiritualis Ecclesiæ membra sunt; neque illos baptismi carentia, hos injusta hominum excommunicatio à beneficio isto excludere potest. Occulti verò infideles tantum abest ut Ecclesiæ membra sint, ut nihil commune cum Christo habeant, sed Deo sint abominandi, unà cum hypocritis, larvâ pietatis indutis, cum vim ejus abnegarint, *Tit.* I. 16. *Matth.* VII. 21, 22, 23. Quod magnos peccatores attinet, quamdiu operibus carnis, quæ hominem è regno cœlorum excludunt, indulgent, Christi membra non sunt, sed in damnandorum numero habentur: possunt tamen per sinceram resipiscentiam restitui, & Ecclesiæ invisibili denuò inseri.

XXIX. Quærunt alii, an Ecclesia ex solis constet *electis*? Sed quoniam *electorum* vox ambigua est, & diversimodè à Theologis, pro diversa de Prædestinatione sententia, accipitur, impropriè & ambiguè soli electi Ecclesiæ membra vocantur. Si enim per *electos* intelligamus verè fideles, & fidei suæ respectu in salvandorum numerum transscriptos, rectè dicitur Ecclesia, invisibilis nempe, ex solis constare electis. Si verò, cum aliis Theologis, per *electos* intelligamus quosdam absolutè sine ullo fidei respectu immutabiliter ad salutem electos, non commodè Ecclesia ex illis constare, neque omnes illi Ecclesiæ membra rectè dicuntur. Cùm enim antea ostenderimus, nullos tales dari electos, nec ex illis Ecclesia constare potest. Dein non omnes ejusmodi electi, illorum Doctorum sententia, semper Ecclesiæ membra sunt. Non enim Ecclesiæ invisibili inseruntur, nisi per fidem: atqui jam ante fidem suam sunt electi. Hinc quidam ad incommodum istud vitandum, addunt, *& vocati.* Sed cùm non omnes electi statim per vocationem divinam ad fidem perducantur, neque hæc vox ambiguitatem planè tollit; nisi per vocationem, internam illam & efficacem, quam vocant, intelligant. Inde est quod alii electos destinatione dicant esse Ecclesiæ membra; actu verò quando vocatione divinâ ad fidem perducuntur. Ut itaque omnis illa ambiguitas tollatur, præstat dicere, non ex electis, sed ex verè fidelibus Ecclesiam constare. *An Ecclesia constet ex solis electis.*

XXX. Tandem quæritur, an Ecclesia ex solis constet perfectis? Sciendum, *perfectos*, sensu Scriptoribus Novi Testamenti usitato, solere dici, qui per serium ac diuturnum pietatis exercitium tantos in pietate fecere progressus, ut jam omnem à peccati consuetudine & carnis concupiscentia luctam, quæ in initio vehemens admodum, in progressu languidior erat, superaverint, adeo ut cum gaudio & charitate sanctitati operam dent, & à peccato planè sint aversi, de quibus agitur, *Gal.* v. 24. I *Joan.* III. 9. & v. 18. ita ut opponantur incipientibus & proficientibus. Hoc observato, dicendum, quemadmodum incipientes & proficientes sunt verè fideles, spemque habent vitæ æternæ, modò secundum vires sibi concessas sincerè pietati studeant; ita etiam vera esse ac viva Ecclesiæ ejus Christi membra, ac proinde eam non con- *An ex solis perfectis.*

constare ex solis perfectis. Sicut enim infantes & juvenes homines sunt, etsi nondum adulti: ita etiam incipientes, qui infantibus, & proficientes, qui juvenibus assimilantur, veri sunt fideles, vivaque Ecclesiæ Christi membra, etsi nondum perfectionem, quæ continuo studio acquiri potest, consecuti sint.

CAPUT. XIV.

An Ecclesia possit errare.

An Ecclesia possit errare. I. POstquam varias Ecclesiæ divisiones consideravimus, etiam præcipua quædam illius attributa expendenda sunt. Ea, quæ potissimum illi adscribuntur, sunt ejus Infallibilitas, Perennitas, seu, ut ita loquar, Indefectibilitas, & Notæ unde dignosci queat. Ut ergo primum hoc attributum expendamus, inquiremus, utrum Ecclesia possit errare. Ne hic ullâ vocabulorum homonymiâ decipiamur, sciendum Ecclesiam aliam esse Catholicam, eamque vel omnium temporum & locorum; vel omnium quidem locorum, sed temporis tantum unius: Aliam Particularem. Rursus. Aliam dici à quibusdam Repræsentantem, aliam Repræsentatam: aliam esse Visibilem, aliam Invisibilem. Denique, errores alios esse fidei, alios morum; alios fudamentales, alios non.

Sententia Pontificiorum. II. Pontificii agnoscunt, omnes Particulares Ecclesias, tam Repræsentantes quàm Repræsentatas, in fide perinde atque in moribus, nec tantum in rebus levioribus, sed & adversus fundamentum fidei & salutis errare posse: Ecclesiæ vero Catholicæ aliam esse rationem volunt. Concedunt, eam errare quidem posse in moribus, nequaquam autem in fide; idque propriè de Ecclesia repræsentante, quam vocant, intelligi volunt: solorum enim Prælatorum suffragia in controversiis fidei exquiri solent. At verò, quænam illa Ecclesia Repræsentans sit, quæ errare nequeat, non consentiunt, neque explicare possunt. Alii quippe volunt, illam esse Concilium Generale, illique auctoritatem tribuunt supra Papam, & de Papa ipso statuendi: quale exemplum habemus in Concilio Constantiensi, quod tres Papas exauctoravit, & Concilium supra Papam esse declaravit. Alii Ecclesiam illam errare nesciam, ut Jesuitæ, dicunt esse Concilium, prout à capite suo dependet & regitur: Et hi, si propius urgeantur, tandem fateri coguntur, Ecclesiam illam infallibilem solum esse Papam: reliquos autem, qui unà cum Papa Concilium constituunt, eatenus tantum ab errore esse immunes, quatenus ducti & voci Papæ auscultant. Ita videmus, in eo, quod fidei suæ fundamentum vocant, summum esse inter Pontificios sententiarum discrimen, quod nullâ viâ, nec per solius Concilii, ne per solius Papæ decisionem, nec per spontaneam alterius partis de jure suo cessionem (quæ in negotio tanti momenti, in quo de animarum salute æternâ agitur, illicita est) tolli potest.

Sententia vera. III. Nos, omissâ quæ inter Pontificios ventilatur quæstione, sententiam nostram de infallibilitate Ecclesiæ hisce thesibus comprehendimus. 1. Ecclesia, tam Catholica quàm particularis, tam repræsentans quàm repræsentata, tam verè credentium, quàm fidem solummodò profitentium, potest incidere in errorem, non tantum in levioribus, sed & in articulis ad salutem necessariis. Hac tamen distinctione adhibitâ, ut Ecclesia vera esse desinat, quando errat in necessariis; non verò, quando solummodo in non necessariis errat. 2. Ecclesia omnium temporum & locorum eò usque non prolabitur, ut Ecclesia Christi esse desinat; sed ea tantum, quæ certo quodam temporis articulo existit. Quamvis enim singuli homines in se spectati in errorem, etiam gravem & exitialem, incidere possint; credimus tamen nunquam eò prolapsuros omnes simul; sed Deum donis gratiæ suæ ita semper fidelibus adfuturum, ne omnes ubique Christiani simul in exitiales errores labantur, & perpetuò in iis hæreant, seu nunquam ex iis emergant. 3. Ut tota Ecclesia Catholica errare dicatur, necesse non est, ut omnes & singuli qui ad eam pertinent, nemine prorsus excepto, in errore versentur; sed sufficit, ut errores publicâ auctoritate stabiliantur, & à Doctoribus defendantur, neque publicè redarguantur: licet aliqui lateant verè fideles in diversis locis dispersi, qui cœtum veram fidem profitentium non faciunt. Idem pronuntiamus de Ecclesiis particularibus, eas gravissimè & lethaliter errare, quando errores publicâ auctoritate proteguntur, & nemini erroribus se opponere & veritatem profiteri absque persecutionis periculo licet. Nihilominus à particularibus, qui in Ecclesia illa visibili auctoritatem non habent, veritas salutaris purè conservari potest. Tum, nec verbum Euangelii Deus intercidere permittit, cujus beneficio errores, si invaluerint, rursus tolli, & veritas restitui possunt. Sententiam hanc nostram contra Pontificios adstruimus his argumentis.

Proba ratio prima. IV. Primò. Omnes Ecclesiæ particulares possunt errare in fide: Ergo & Ecclesia Catholica, quæ ex iis tanquam ex partibus suis constat, potest errare. Antecedens probatur: 1. Quia omnes Ecclesiæ constant ex hominibus pariter errori obnoxiis; neque ulla non errandi privilegium habet, nisi decretum aliquod divinum eam ab errore immunem conservare constituerit, illudque decretum nobis revelatione aliquâ divinâ innotuerit. Atqui nulla Ecclesia, ne Ro-

manâ

manâ quidem exceptâ, illo privilegio à Deo donata est: aut si quædam Ecclesia id jactet, illius est, privilegii tabulas proferre; imo expressè de Romana Ecclesia legitur, *Rom.* XI. 22. *Si non manserit in bonitate*; quòd *exscindetur*. Idem patet ex exemplis omnium, quæ in mundo fuere Ecclesiarum. Ipsa Ecclesia Israëlitica, quæ olim sæpe idololatriâ se polluit, Dominum Jesum ut blasphemum condemnavit, ejusque Euangelium rejecit. Ecclesiæ plures Christianæ, etiam ipsis Apostolorum temporibus, per errores varios fidei sinceritatem contaminarunt. Vide exempla in Ecclesia Corinthiaca, 1 *Cor.* XI. & XV. in Ecclesia Galatarum, *Gal.* I. III. V. in septem Ecclesiis Asiæ: *Apoc.* II. & III. Post Apostolorum excessum varii exorti sunt cœtus, errores graves propugnantes: fuere Gnostici, Marcionitæ, Manichæi, Sabelliani, Ariani, aliique plures. Et hodie, Pontificii, dum Protestantes, hi vicissim illos, aliosque à se opinionibus dissidentes cœtus, erroris arguunt, thesin nostram confirmant. Si autem singulæ Ecclesiæ particulares errare possunt, & sæpissimè errarunt, etiam Catholica Ecclesia, ex illis tanquam partibus constans, errare potest: eadem enim est natura totius, quæ partium.

Secunda. V. Secundò Ecclesia Catholica, fatentibus Pontificiis, errare potest in moribus; ergo etiam in fide. Ratio consequentiæ est, quia error in fide minor est, quàm in moribus: ille enim causam habere potest simplicem intellectus ignorantiam: hic autem ordinariè procedit à malitiâ. Tum & ab ejusmodi hominibus Deus spiritum suum auferre solet: quod liquet ex precatione Davidis, Deum orantis ne ob peccatum commissum spiritum à se auferat, *Psal.* LI. 13, 14. quia per peccata contristatur, *Eph.* IV. 30. & exstinguitur, 1 *Thess.* V. 19. nec eum mundus accipere potest, *Joan.* XIV. 17. Quis autem credat eos, qui spiritum non habent, ab errandi periculo immunes? Imo quis non potius eos, tanquam variorum errorum patronos, eorumque decreta, tanquam errores confirmantia suspecta habebit?

Tertia. VI. Tertiò. Tota Ecclesia repræsentans errare potest: ergo & repræsentata, quæ cœcâ obedientiâ illi parere tenetur inter Pontificios: & fieri vix potest, quando Præsules unanimi consensu errores propugnant, ut privati magno numero & diu ab iis se puros conservent. Antecedens argumenti probatur: Quia nullus præsul ab errandi periculo immunis est: ergo omnes simul errare possunt. Sic olim sub Lege Sacerdotes & Doctores populi aliquoties reprehenduntur, quòd à Lege defecerint, *Esa.* LVI. 10, 11. *Jerem.* VIII. 8, 9, 10. *Malach.* II. 8. & alibi. Objiciunt. *Malach.* II. 7. dici; *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* Resp. Indicat Propheta officium Sacerdotum, quòd oporteat ipsos scientiâ legis divinæ probè esse instructos, adeo ut apti sint ad eam aliis, legis scientiam requirentibus, explicandum: non autem quòd semper probè officio isto fungerentur: quia hîc reprehenduntur, quod ab officio isto recesserint, & irritum fecerint pactum Levi. Quis autem credat, voluisse Deum ut populus penderet ab ore eorum, qui à Lege defecerant? Instant: Dominum Jesum turbis & discipulis suis dicere: *Matth.* XXIII. 2, 3. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Resp. Illud absolutè sine ulla restrictione, non esse accipiendum, liquet ex *Matth.* XV. 3. & XVI. 6. sed cum hac limitatione, quatenus sedent super cathedra Mosis, hoc est, quatenus Legem à Mose latam fideliter docent: oppositè ad *opera eorum*, quæ non erant propriè opera seu peccata quæ committebant contra legem Mosis, quasi sensus esset, auscultandum quidem esse ipsorum præceptis, sed non imitanda ipsorum opera; sed opera, quæ ipsi excogitaverant, aliisque extra legem Mosis præscribebant, juxta traditiones Patrum, & proprii emolumenti causâ. Ea enim non erant opera Dei, hoc est, juxta legem Dei per Mosem traditam facta, sed ipsorum, ab ipsis excogitata. Et hanc explicationem evincunt sequentia, in quibus Dominus varias ipsorum traditiones reprehendit; ostenditque eas quidem aliis imponi ab ipsis; non autem præstari: si quid verò præstent, id tantum fieri, ut ab hominibus conspiciantur. Hinc est, quod eos Dominus sæpe reprehendat, & falsos Doctores vocet.

VII. Pontificii tamen pro sententia sua aliquot Scripturæ loca proferre solent. Ac *Sensus 1 Tim.* 1. quidem urgent verba Apostoli, 1 *Tim.* III. 15. *III. 15.* ubi Ecclesia vocatur *columna & stabilimentum veritatis*. Sed locum illum jam excussimus, cùm de Scripturæ Sacræ interpretatione diximus: ostendimusque Apostolum loqui non de Ecclesia repræsentante, sed de Ecclesia auditorum, in qua Timotheus tanquam pastor & doctor versabatur; nec de Ecclesia Catholica, sed particulari Ephesina: Atqui Ecclesiæ, neutro horum significatuum acceptæ, Pontificii infallibilitatem adscribunt. Verborum ergo Pauli sensus est, Veram Ecclesiam tenere Euangelii veritatem, hoc est, veram Euangelii doctrinam, ut *Joan.* VIII. 31, 32. XVIII. 37. 1 *Tim.* II. 4. istamque veritatem ab Ecclesia sola defendi;

di; eamque per solam Ecclesiæ professionem ac defensionem propagari ac sustentari; sine hac verò inter homines collapsuram. Nisi enim essent fideles, qui Euangelii veritatem profiterentur & propagarent, brevi ejus cognitio inter homines interiret. Et hoc respectu vocatur *columna veritatis;* quia sicut columna edicta regia sibi affixa sustinet & conservat; ita etiam Ecclesia Euangelium conservat & mundo exhibet: non autem, quòd hujus vel illius Ecclesiæ dogmata, decreto aliquo stabilita, futura essent semper vera, & Euangelio omni ex parte congruentia. Ne jam dicamus, officium potius Ecclesiæ describi, veritatem columnæ instar sustentandi, ne in terris intercidat; quàm indicari, quid semper faciat.

Matth. XVIII. 17. VIII. Secundo: Pugnant verbis Domini *Matth.* XVIII. 17. *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* At iniquum esse, sub tam gravi pœna obligari ad assentiendum rebus incertis, & interdum falsis. Resp. Ostendimus antea, hic non agi de Ecclesia Repræsentante, ut loquuntur Pontificii, cui soli infallibilitatem hanc adscribunt; nec de quæstionibus fidei: sed de privata tantum injuria, & de fratre, qui injuriam intulit, ad resipiscentiam reducendo. Huc autem non requiritur infallibilitas in fide; sed seria tantum ac gravis reprehensio atque adhortatio ad officium. Ita ut nihil in illo loco præsidii sit. Quæ porrò ex hoc loco proferre solent, melius excutientur, quando ad tractatum de Disciplina Ecclesiastica & Excommunicatione pervenerimus.

Quomodo Christus gubernet Ecclesiam. IX. Tertiò: Ita argutantur. Ecclesia gubernatur à Christo, tanquam à capite & sponso suo, & à Spiritu Sancto tanquam ab anima; ut patet *Eph.* I. 22. IV. 4. & V. 23. Ergo si Ecclesia in dogmatibus fidei vel morum erraret, Christo & Spiritui Sancto error tribueretur. Resp. Nulla est in hoc argumento consequentia. Christus enim Ecclesiam gubernat per verbum suum, cui nullus inest error. Verbum hoc omnia ad salutem necessaria clarè ac perspicuè continet, adeo ut Ecclesia nullius rei ad salutem creditu vel factu necessariæ absque gravi culpa ignorans esse possit. Hoc sufficit, ut Christus & Spiritus Sanctus ab omni erroris culpa, in quem forte Ecclesia incidat, immunes sint. Si verò Ecclesia clarum hoc & abunde sufficiens verbum inquirere negligat, aut, præjudiciis & affectibus humanis occœcatâ, neglecto vero ac genuino illius sensu, falsum amplectatur, culpa solius est Ecclesiæ, sponsi sui gubernationem ac ductum non sequentis. Non enim, ut Christus extra erroris culpam sit, requiritur, ut semper spiritu suo ita Ecclesiam dirigat, ut nullo modo, quantumcumque officio suo desit, à vero verbi sui sensu aberrare possit. Sufficit, ut mentem suam illi in verbo suo clarè aperuerit, Ecclesiæque, si forte alicubi hæsitet, porro Spiritum suum impertiri paratus sit; modò Ecclesia omnes officii sui partes ritè expleat, sincerè genuinum verbi divini sensum inquirat, animoque à vitiis, quæ veritatis agnitionem impediunt, repurgato, ardentibus precibus Spiritus auxilium imploret. Hoc si Ecclesia observet, in errores fidei fundamentum evertentes nunquam prolapsuram credimus. At si hic officii sui negligens sit, & non tam veritatem Deique gloriam spectet, quàm dominatum in aliorum conscientias, fortunas ac bona, affectet, (quod tristis experientia non semel comprobavit) Christus & Spiritus Sanctus extra culpam sunt, quòd Ecclesiæ puritas erroribus variis, imò aliquando lethalibus, ac fidei fundamentum evertentibus, inficiatur.

CAPUT XV.

An Ecclesia possit deficere.

Status quæstionis. I. QUæstioni de Ecclesiæ Infallibilitate altera adhæret, utrum vera Ecclesia unquam à veræ fidei professione possit deficere, atque ita obscurari, ut amplius conspicua non sit? Ut quæstionis hujus status rectè cognoscatur, sciendum, quando contra Pontificios quæstionem hanc ventilamus, loqui nos non de Ecclesia invisibili, sed visibili; neque Ecclesiis particularibus, sed de Catholica. Quæritur itaque: An Ecclesia Christi Catholica, quæ veram Christi fidem & religionem externè profitetur, aliquando possit ab ista professione penitus deficere, & ita obscurari, ut nullo in loco ulli reperiantur cœtus, qui professionem istam sinceram retineant, quorum splendore moveri possint extranei ut religionem illam amplectantur, seque cœtibus illis adjungant?

Sententia vera. II. Quid de quæstione hac sentiendum sit, liquere facile potest ex iis, quæ Capite præcedente diximus: ostendimus quippe Ecclesiam non unam tantum, sed omnes, incidere posse in errores, non tantum morum, sed & fidei, non tantum leviores, sed & graviores: hoc autem quando fit, tum tota Ecclesia Catholica à fide deficit. Sententiam hanc nostram variis adstruimus argumentis.

Ratio, quâ adstruitur, prima. II. Primò. Omnes particulares Ecclesiæ à fide ejusque genuina professione deficere possunt, fatentibus ipsis Pontificiis: Ergo & Catholica, quæ ex particularibus, tanquam partibus suis, constat. Cui adde, quod singuli fideles (fatentibus Pontificiis) à vera fidei ejusque professione deficere possint, & multi sæpe deficiant: præterea; fidelibus defunctis, in eorum locum succe-

succedere possunt infideles & impii, qui deserta majorem pietate ac fide etiam professionem ipsorum deserant. Nec est, quòd hîc Pontificii Ecclesiæ suæ Romanæ supra reliquas privilegium jactent: nullo enim eam non deficiendi periculo præ reliquis gaudere expresse docet Apostolus, *Rom.* XI. 19 *& seqq.*

Ratio secunda. Sæpe non fuit Ecclesia visibilis.

IV. Secundò. Ante Christi tempora nulli aliquando exstitere visibiles cœtus hominum veram religionem & cultum veri Dei profitentium: Ergo idem, prædicatâ jam Christi religione, contingere potest. Antecedens probatur, si distinctè Ecclesiæ statum juxta diversa temporum intervalla consideremus. In initio necesse non fuit, ut Ecclesia visibilem ejusmodi speciem, quæ in oculos valdè incurreret, haberet; aut, si habuit, ut ea diu, nedum semper, conservaretur. Primò; Vera Ecclesia in una familia exstitit. Integer mundus à Deo defecerat, solus Noachus cum familia sua coram Deo ambulabat, *Genes.* VI. Mox Deus cum Abrahamo ejusque familia fœdus erexit, & Abrahamum ex idololatrarum turba ad sui cultum vocavit, *Genes.* XI. *&* XII. *Josuæ* XXIV. 2, 3. Pauci fortè hic illic dispersi fuere pii, ut Melchisedec, aliique: sed nullam illi constituerunt Ecclesiam Catholicam in unum visibile corpus collectam; imo nec cum familia Abrahami, nec inter se publicam in cultu divino constituebant societatem. In servitute Ægyptiaca, ubi nec munere docendi publico, nec sacrificandi auctoritate quisquam pollebat, sed gravissimè Abrahami posteri affligebantur, Ecclesia conspicua non fuit: quin imo nec illi Abrahami posteri fœdus Dei in Ægypto servaverunt, *Ezech.* XX. 7, 8, 9. Postea Legem Deus è cœlo dedit, non omnibus; sed soli Israëli, *Psal.* CXLVII. 19, 20. gentibus exclusis, *Act.* XIV. 16. Sed nec Israëlitæ legem sibi à Deo datam diu servaverunt. In deserto, paucis exceptis, omnes se polluerunt idololatriâ, *Exod.* XXXII. Sub Judicibus sæpius à Deo defecerunt: uti in libro Judicum passim est videre; speciatim, *cap.* XVII. 6. XXI. 25. *Quoniam unusquisque faciebat quod rectum erat in oculis ipsius.*

Præsertim tempore Eliæ.

V. Quin & Ecclesia hæc tempore Eliæ adeo obscurata fuit, ut Elias se solum crediderit verum Dei cultorem superesse, 1 *Reg.* XIX. 9. *& seqq. Rom.* XI. 4. Verum quidem est, Deum sibi reservasse septem millia eorum qui Baali genua non flexerant; at illi Ecclesiam nullam visibilem constituerunt, quia Eliæ fuere incogniti. Excipiunt: Eliam tantum loqui de regno Israëlis decem tribuum: in regno autem Judæ verum cultum obtinuisse, & Ecclesiam fuisse conspicuam. Resp. 1. Decem tribus maxima fuere Ecclesiæ Israëliticæ pars. Sicut itaque in illis Ecclesia obscurata est, ita etiam in Juda obscurari potuit. 2. In regno Judæ sæpius non fuit felicior Ecclesiæ status. Propheta Asarias prædicit, 2 *Paral.* XV. 3. *Transituros multos dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote doctore, & absque lege*: quod de Juda speciatim dici patet, tum ex immediatè antecedentibus, *Audite me Asa & omnis Juda & Benjamin*, &c. tum ex immediatè sequentibus: non enim decem tribus ad Deum sunt reversæ, nec ex captivitate in terram suam sunt reductæ, sed sola tribus Juda. Impleta autem hæc prophetia dici potest temporibus Achazi & Manassis, 2 *Reg.* XVI. 10. *& seqq.* & *cap.* XXI. 2 *Paral.* XXXIII. speciatim *vers.* 9, 10. quo tempore adeo corruptus populi fuit status, ut nulla Legis exemplaria exstarent, sed volumen Legis diu neglectum temporibus Josiæ in templi restauratione fuerit repertum, 2 *Reg.* XXII. 8. 2 *Paral.* XXXIV. 14 cujus lectione rex, auditis comminationibus divinis, planè fuit conterritus, *vers.* 19, 20. *& seqq.* invicto argumento, quòd Lex planè obscurata fuerit, & exemplaria ejus passim deperdita Sed & eodem modo perditissimus Judæ status describitur *Esa.* 1. *Jerem.* II. 8. *& seqq. Cap.* V. VII. & præcipuè *Ezech.* XVI.

Etiam in & post captivitatem Babylonicam.

VI. Cùm populus in captivitatem Babylonicam esset translatus, templum vastatum, urbs eversa, totaque gentis Israëliticæ & Judaicæ politia sublata, non nisi rarò & clanculum, ut Babyloniorum oculos evitarent, pauci quidem convenire potuerunt: postea Antiochus gravissimè in populum sæviit, exercitiumque religionis veræ tollere conatus est. Ubi tunc fuit illustris ille Ecclesiæ splendor? Sanè negari nequit, Ecclesiæ faciem ad tempus aliquod quasi nube obvelatam fuisse, nec ullo splendore conspicuam. Objiciunt: Quod Ecclesia non semper habeat lilia sua, sed & rosas, id est, persecutiones & martyria, quibus illustretur. Resp. 1. Hoc si agnoscant, quomodo ergo inter Ecclesiæ notas ponunt felicitatem temporalem? 2. Hac responsione ipsi suam evertunt sententiam. Quærentibus enim, ubi illa Reformatorum Ecclesiæ illustris fuerit ante aliquot secula? Regeri potest, non liliis, sed rosis, id est, martyriis illustrem fuisse. Tandem, temporibus Domini nostri Jesu Christi, licet se Judæi idololatriâ non polluerint, omnes ita fuere corrupti, moribusque adeo profanis, ut tota Ecclesia Judaica à Deo defecisse meritò dicatur. At objiciunt: Quòd Ecclesia Judaica nunquam à fide defecerit. Resp. 1. Nos jam contrarium probasse: & si alia nobis deessent argumenta, id vel ex sola Servatoris nostri Jesu Christi condemnatione, ab ipsis Sacerdo-

cerdotibus & maxima populi parte procuratâ, evidentissimè liquere. Excipiunt: Quòd contractus, quo deus vineam suam Judæis elocaverat, tum exspiravit; non mirum igitur & privilegia ei annexa defecisse. Resp. Non jam exceptionem hanc executiemus, quod aliàs factum. Unum dicimus: quacunque de causa id factum fuerit, patere tamen Ecclesiam visibilem tum defecisse, ac proinde, defectionem ejus naturæ non repugnare. 2. Ut Ecclesia defecisse dicatur, necesse non est ut omnes, nemine prorsus excepto, defecerint: sufficit ut impietas publicè prævaleat, & pii numerum non faciant, aut aliorum impietate ac tyrannide oppressi latere cogantur; tum enim Ecclesia amplius conspicua non est.

Ergo & nunc deficere potest. VII. Argumenti nostri consequentia probatur: Quia iidem nunc sunt homines, qui olim, hoc est, instabiles & in lapsum proni: eademque nunc est veræ religionis natura, affectibus hominum adversa, imò nunc magis illis inimica quàm olim. Excipiunt: Quod populus Judaicus fuerit tantum Ecclesia particularis, extra quam multi inventi fuerint pii ut Melchisedec, Job, aliique. Resp. 1. Nulla, uti jam ostendimus, inter Catholicam & particularem Ecclesiam distinctio est, nisi ratione extensionis. 2. Sub Veteri Testamento nulla fuit toto orbe Ecclesia visibilis præter Israëliticam: illâ itaque deficiente tota Ecclesia visibilis defecit. Pauci illi pii, inter varios populos degentes, Ecclesiam nullam constituerunt, præsertim talem qualem Pontificii requirunt, quæ splendore suo in oculos incurreret, hominesque ad se alliceret.

Ratio tertia. VIII. Tertiò. Prædictum est à Spiritu Sancto Ecclesiam sub Novo Testamento defecturam à fide. Præsertim id videre est 2 *Thess.* II. ubi prædicitur ingens illa defectio sub exlege illo & homine peccati, præcessura Domini adventum: & *Apoc.* XIII. 8. dicuntur bestiam adoraturi omnes qui inhabitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni. At hæc non particularem, sed universalem defectionem significant, quam & ipsi Pontificii Antichristi tempore futuram credunt: tum enim Ecclesia propter gravissimas persecutiones latere cogetur in deserto: quod innuitur, *Apoc.* XII. 5, 6. figura mulieris quæ masculum peperit, & ob draconis violentiam fugit in desertum. Atqui tum conspicua non erit, nec comparari poterit urbi in monte ædificatæ, quod *Matth.* V. 14, 15. de Apostolis & quibusvis Christianis dictum, Pontificii planè præter mentem Domini Ecclesiæ suæ applicant. Eventus etiam prædictionum harum veritatem comprobavit. Multa quippe Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis fundatæ, ad Mahometismum defecere in Asia, & variæ in Africa. Olim totus fermè orbis ad Arianismum defecit, tempore Athanasii. Ne jam de postremis hisce seculis, quæ proximè Reformationem antecesserunt, quicquam addam, quibus Ecclesiæ puritas tot erroribus, superstitionibus & cultibus idololatricis ita erat contaminata, ut Euangelii doctrina fermè fuerit exstincta, nec præceptorum divinorum, sed traditionum & constitutionum humanarum observatio, genuina Christiani nota habita fuerit.

Expenditur primum Pontificiorum argumentum ex Matth. XVI. 18. IX. Pro sua tamen sententia Pontificii loca aliquot Scripturæ Sacræ allegare solent. Ac primò pugnant verbis Domini, promittentis, *Portas inferorum non prævalituras contra Ecclesiam suam*, *Matth.* XVI. 18. Sed verò, quid ex loco hoc colligere volunt? Non dicitur hic, Ecclesiam visibilem deficere non posse; sed, *portas inferorum non prævalituras contra Ecclesiam*. Urgent: Per *infernum* intelligendum esse diabolum, qui imperium in infernum habet, ut dicitur, *Hebr.* II 14. per *portas* autem *inferni* diaboli potentiam & astutiam. Resp. Per *infernum* sive ᾅδην nunquam diabolus significatur, sed semper sepulchrum, aut mors, aut status mortuorum: & πύλαι ᾅδε phrasi usitata, idem sonant, quod ᾅδης; ita ut perinde sit, sive legatur *inferi*, sive, *portæ inferorum*; & quia *inferi* hîc idem sunt quod mors, nonnunquam pro πύλαις ᾅδε legitur apud LXX. πύλαι θανάτε, uti ex collatione locorum, *Psal.* IX. 14. CVII. 18. *Job*, XXXVIII. 17. *Esa.* XXXVIII. 10. *Sapient*, XVI. 13. liquere potest. Et hoc sensu etiam phrasis hæc legitur apud Homerum Odyss. ξ. Sensus ergo verborum Domini est, mortem in verè fideles, qui propriè Ecclesiam ipsius constituunt, non prævalituram, ut quando mortui sunt perpetuò in morte maneant; sed ipsos ex ea ultimo diē resuscitandos in vitam æternam. Ridiculum autem est, diabolum concipere principem aut tortorem, qui imperium habeat in locum aut ignem æternum impiis destinatum, uti vulgus credit: quoniam ipse cum Angelis suis & impiis illo torquebitur, *Matth.* XXV. 41. Nec *Hebr.* II. 14. imperium in mortem illi tribuitur; quasi in mortem præcipitare posset quoscunque vellet: sed vis mortifera, quæ homines ad mortem ducit: eodem sensu, quo, *Psal.* XVIII. 5. CXVI. 3. *dolores mortis* vocantur qui mortem inferre comparati sunt; & quo serpens dici potest vim mortis, hoc est, lethale venenum habere. Sic 1 *Cor.* II. 8. Jesus Christus vocatur *Dominus Gloriæ*, id est, Dominus gloriosus & gloriam afferens. Habet autem vim mortiferam diabolus, quia omnes sibi ac seductionibus suis obsequentes in mortem æternam ducit, unde voca-

vocatur *homicida ab initio*, *Joan.* VIII. 44. Et licet per *portas inferorum* diaboli potentia intelligeretur, nihil tamen inde concludi posset, nisi, diabolum per potentiam suam non posse Ecclesiam destruere, aut salutem ejus impedire: quod facile concedimus: quia *oves nemo rapiet è manu Christi; Pater, qui illas ipsi dedit, major omnibus est*, *Joan.* X. 28, 29. Ex eo autem nullo modo sequitur, Ecclesiam non posse muneri suo decidere, atque ita augusto Ecclesiæ privilegio excidere, & justè salute privari. Ne jam addamus, nullum in textu esse indicium, Dominum hic loqui de Ecclesia visibili & Catholica; sed loquitur de verè fidelibus, ex quibus Ecclesia, cui salus est promissa, constat. Illius salutem nullus hostis, quantumvis potens, impedire potest.

Secundum, Ex Matth. XXVIII. 20. X. Secundò urgent promissum Domini, *Matth.* XXVIII. 20. *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Resp. Nihil hic promitti Ecclesiæ, sed solis Apostolis, quos Dominus ad prædicandum Euangelium in universum mundum mittit, ut alacriter munere sibi demandato fungantur. Excipiunt. Verba, *ad consummationem seculi*, arguere, non solos Apostolos, sed & eorum successores, respicere hanc promissionem. Resp. 1. Verba hæc ita possunt explicari, Ego vobiscum sum, donec ministerii vestri cursum absolveritis, etiamsi contingat ad consummationem usque seculi vos pervenire; quod de Joanne ex verbis Domini perperam intellectis creditum fuit, *Joan.* XXI. 23. 2. Concedamus verba hæc Ecclesiam, ad finem usque seculorum, respicere; non exinde concludetur, Ecclesiam deficere non posse; sed solummodò, nunquam id futurum defectu gratiæ & auxilii Christi. Non autem sequitur, Christus semper gratiæ suæ auxilio Ecclesiæ aderit: ergo Ecclesia nunquam deficere poterit, neque gratiam Christi contemnere aut negligere. Sed quidem, nulla tanta ingruent certamina, nulli unquam contra Ecclesiam insurgent hostes, quin Ecclesia virtute auxilii & gratiæ, quâ Jesus Christus ipsi adest, semper possit esse superior, & contra omnes hostes, qualescunque sint, invicta subsistere.

Tertium ex Eph. IV. 11, 12, 13. XI. Tertiò argumentantur ex verbis Apostoli, *Eph.* IV. 11, 12, 13. Apostolus, inquiunt, ibi docet, mansura in Ecclesia ista ministeria Pastorum & Doctorum, & continuam ædificationem corporis Christi, & proinde visibilem Ecclesiam, usque ad diem judicii. Resp. 1. Si præcisè locum hunc urgere velint, eâdem operâ concludere debent, & Apostolos ac Prophetas semper in Ecclesia futuros: quod tamen falsum. 2. Non promittitur, verbi ministerium purè in Ecclesia ad mundi usque finem perduraturum; sed dicitur tantum, illud à Christo esse institutum eo fine, ut fideles tum inter se, tum cum capite suo Jesu Christo, spirituali vinculo cohærerent. Hæc enim omnia ab Apostolo adduntur, tanquam argumenta, quibus præceptum suum de retinenda unitate per vinculum pacis confirmat. 3. Nulla judicii extremi aut consummationis seculi mentio fit; nec fieri potuit; quia Apostolorum & Prophetarum munus jam diu cessavit: sed solummodò unitatis & consummationis fidei, quæ Ecclesiæ competit cum respectu ad priora tempora sub Lege, in quibus religio admodum imperfecta fuit, umbrisque involuta, & fideles tanquam pueri sub tutore & pædagogo, *Galat.* IV. 1, 2, 3. sub Euangelio verò in plenitudine seu complemento temporum umbræ hæ cessârunt, & introducta est religio perfecta ac spiritualis, in qua Deus simul ac semel omnem suam voluntatem hominibus patefecit, *Hebr.* I. 1. & fideles excreverunt in virum perfectum.

Quartum, à variis similitudinibus. XII. Quartum argumentum desumunt ex variis similitudinibus, quibus Ecclesia comparatur areæ, sagenæ, agro, convivio, &c. quæ de Ecclesia visibili intelligenda sunt, quia in illa mali dicuntur vivere permixti bonis. At eædem parabolæ docent, Ecclesiam istam nunquam interituram usque ad diem judicii, *Matth.* III. 12. XIII. 30. *coll. cum vers.* 39, 40. Resp. Argumentum hoc expendimus antea, cum ageremus de Ecclesia visibili & invisibili, ostendimusque, non Ecclesiam propriè, sed integrum mundum aut doctrinam euangelicam similitudinibus illis designari. 2. Nihil aliud docetur illis similitudinibus, nisi, Deum plenam piorum ab impiis separationem non facere in hoc seculo; sed permittere ut impii piis permixti vivant, & æquali cum ipsis fruantur fortunâ in hoc mundo: plenam autem separationem demum futuram in consummatione seculi, in qua Deus piis gloriam, impiis supplicium ac exitium retribuet. Ideoque tempus hoc Apostolus vocat *tempus restitutionis omnium*, *Actor.* III. 21. quo nimirum Deus omnia suo loco restituet, omnibusque mercedem factis respondentem retribuet. Inde autem non inferri potest perpetua Ecclesiæ, & quidem cum externo splendore, duratio. Etiamsi enim per aliquot secula veræ religionis interrupta fuerit successio, nihilominus separatio illa piorum ab impiis in futuro judicii die fiet; quia is aliquando fuit Ecclesiæ status, ut mali in ea bonis permixti vixerint. 3. Potest etiam aliquando contingere, ut licet herba bona planè exstincta non sit, ita tamen à zizaniis obruatur, ut conspicua non sit: ita & pii impiorum violentia ita possunt opprimi, ut Ecclesiam externo splendore illustrem non constituant, sed dispersi latere cogantur.

Quintum ex Psalm. XLIII 9. XIII. Quintum argumentum desumunt ex locis quibusdam Veteris Testamenti *Psal.* XLVIII.

& Esa. LXI. 9. XLVIII. 9. *Deus fundavit eam in æternum:* & *Esa* LVI. 9. *Fœdus perpetuum feriam eis*, &c. Resp. 1. Duobus hisce in locis directè & propriè respici Ecclesiam Judaicam: At illa sæpius à Deo defecit. Non itaque hæc alio sensu sunt accipienda, quàm, si populus fœderis divini conditiones præstet. Promittit nempe Deus se fœderatis suis non defuturum, modò ipsi in servando fœdere fideles sint. Id ergo etiam in Christiana religione locum habere agnoscendum est. 2. Psalmus XLVIII. expressè agit de civitate Jerusalem. At Deus non tantum jus sibi liberum reservavit; eam, si à cultu suo deficeret, rejiciendi, *Jerem.* VII. 14. sed & jam olim eam rejecit. Potest tamen Psalmus hic mystico sensu etiam de Ecclesia Novi Testamenti accipi. Non autem sequitur, Ecclesia fundata est in æternum, ergo vera religio ad tempus non potest obscurari aut negligi. Fideles enim, ex quibus Ecclesia antea fuit composita, fundati manent in æternum, & certo æternæ vitæ erunt hæredes, eamque hæreditatem nemo poterit impedire. Promissionem *Esa.* LXI. conditionatè accipiendam esse, res ipsa docet: promittit siquidem Deus, fœdus cum Israële à parte sua fore perpetuum; itaque si illi à conditionibus fœderis non recedant, perpetuam ipsis adfore benignitatem divinam: At quia fœdere Dei non perstiterunt, etiam à Deo sunt rejecti: *Jerem.* XXXI. 32. Quod mysticum prophetiæ sensum attinet, respondemus idem, quod ad locum præcedentem; fœdus Dei esse æternum, omnibusque fœderatis & in fœdere perseverantibus æternum manere bonum, & nunquam finiendam felicitatem. Inde autem non sequitur, fœdus hoc ab hominibus non posse contemni, ita ut ad tempus nulla sit in terris visibilis Ecclesia, ullo splendore externo conspicua: sufficit si aliquando fuerit.

Sextum, a perpetuitate regni Christi. XIV. Sextum desumitur ex illis Scripturæ locis, quæ regnum Christi perpetuum fore docent: ut *Psal.* LXXXIX. 30, 38. *Dan.* 11. 44. *Luc.* 1. 33. Atqui regnum Christi est vera ejus Ecclesia: Non autem regnum dici possunt aliquot homines occulti & dispersi, & separati ab invicem, qui se non noverunt: Ergo Ecclesia visibilis. Atqui ea hic promittitur nunquam interitura. Resp. Loca illa non docent, dominum Jesum in terris semper visibile regnum habiturum: sed, imperium ejus fore æternum, & nunquam dissipandum, perinde uti mundi hujus regna. Atqui ex æternitate imperii seu regni Christi cœlestis nullo modo sequitur, eum semper visibilem in terra habiturum Ecclesiam. Non enim Ecclesia visibilis regnum hoc est, quod hic Christus prædicitur habiturus in æternum: sed gloria ac majestas, ad quam in cœlo est evectus per sessionem ad Dei Patris dextram. Illud autem est æternum, etiamsi Ecclesia in terris deficiat. Non enim regnum hocà subditorum voluntate dependet, sed à Dei Patris exaltatione; uti mox pluribus sumus ostensuri.

Ad septimum, quod nulla remaneret in terris vera Ecclesia. XV. Septimò pugnant hac ratione. Si Ecclesia visibilis interiret, nulla remaneret vera in terris Ecclesia. Resp. 1. Negatur consequentia. Vera enim Ecclesia est invisibilis, ex solis verè fidelibus constans. 2. Nec absurdum est, Ecclesiam ad tempus interruptionem quandam pati. Instant. Tum nullum erit salutis remedium illis qui sunt extra Ecclesiam: Non enim salvari possunt, nisi in Ecclesia: At si nulla sit visibilis Ecclesia, nec in eam ingredi possunt. Resp. Nusquam in Scriptura docetur, ingressum in Ecclesiam visibilem unicum esse salutem consequendi medium; sed fidem in Jesum Christum, ac vitæ juxta præcepta Jesu Christi emendationem, per quam quis vivum fit Jesu Christi & Ecclesiæ invisibilis membrum. Atqui etiamsi nulla foret in terris Ecclesia visibilis, tamen Scriptura Sacra sufficiens esset hominem ad fidem & sanctimoniam, ac proinde ad æternam salutem perducendi medium; utpote quæ omnia creditu ac factu ad salutem necessaria plenè ac perspicuè continet.

An Ecclesia invisibilis errare & deficere possit. XVI. Superest ut inquiramus, quoniam antea ostendimus, veram Ecclesiam, quæ solidam ac minimè fallacem salutis æternæ spem habet, esse invisibilem, utrum illa in fide errare, & si hoc agnoscamus, utrum penitus à fide deficere possit, ita quidem, ut contingere possit nullos aliquando veros inveniri fideles

Sententia Contraremonstrantium. XVII. Contraremonstrantes, quibuscum propriè nobis quæstio hæc intercedit, distinguere hic solent in errores fidei fundamentum evertentes, & alios, qui salutarem fidem non exstinguunt. In posteriores Ecclesiam incidere posse haud gravatè confitentur: in priores nequaquam, quia cum his vera ac salvifica fides salva esse nequit. Multò ergo minus fieri posse credunt, Ecclesiam invisibilem à fide totaliter deficere. Nititur hæc assertio eorum sententiâ de singulorum fidelium in fide perseverantiâ. Quoniam enim fieri nequaquam posse credunt, hominem verè fidelem ac regenitum fide suâ deficere & ad pristinam vitæ profanitatem relabi; etiam exinde deducunt, Ecclesiam veram ac invisibilem, quæ ex ejusmodi fidelibus constat, nec in errores fidei fundamentum evertentes incidere, nec à fide planè excidere posse.

Sententia nostra. XVIII. Nos verò statuimus, cum esse Ecclesiæ invisibilis, ex solis verè fidelibus constantis, statum ac conditionem, ut eo usque ab officio suo possit degenerare, ut non tantum in errores leviores, quod nobiscum agnoscunt Contraremonstrantes, sed & in gravio-

graviores fideique fundamentum evertentes incidat, imo & tota à fide ejusque professione deficiat; fierique posse, si & Ecclesiæ, hominumque Ecclesiam constituentium indoles inspiciatur, ut nullus in toto orbe existat verè fidelis. Interim addimus, nunquam illud contigisse, sed Deum inter medias seductiones & efficaciam erroris, oppressâ licet veræ fidei professione, semper sibi verè fidelium reliquias quasdam servavisse; eumque porro pro ingenti sua misericordia mediis efficacibus, sed tamen liberam fidei obedientiam non exstinguentibus, procuraturum credimus, ut semper ad finem usque mundi aliqui verè fideles in mundo sint: qui non tantum veritatem Euangelii salutarem ab interitu vindicent; sed & lucis instar sint, & exemplaria, quorum pietate alii ad veritatis divinæ amorem excitentur.

Illius adstructio. XIX. Sententiam nostram de possibilitate defectionis Ecclesiæ hoc argumento adstruimus: Quia omnes & singuli fideles à fide deficere possunt, uti antea variis rationibus ostendimus: Ergo & tota Ecclesia, ex illis constans: quia eadem est ratio totius, quæ omnium & singularum partium. Deficere autem potest Ecclesia eodem modo, quo antea singulos fideles deficere posse docuimus. Quin imò, licet concederetur, verè fideles à statu salutis deficere non posse; non tamen sequeretur, veram & invisibilem Ecclesiam in mundo non posse cessare: cùm enim nulli fideles sint immortales, possent fideles ad mortem usque in fide perseverare: sed ex illorum perseveratione minimè sequitur, necesse esse alios ad fidem converti, & in defunctorum locum succedere. Unde sequitur, etiam admissâ fidelium perseverantiâ, posse nihilominus per tempus aliquod aliorum conversionem, adeoque verè fidelium successionem, interrumpi.

Refutatio objectionis desumtæ à ratione muneris Christi regii. XX. Objiciunt. Hanc sententiam pugnare cum ratione muneris Jesu Christi Mediatorii: ac. 1. quidem Regii. Cùm enim Ecclesia sit regnum Christi, ea si tota deficeret, esset Christus rex sine regno. Resp. Christus regno suo neutiquam spoliatur, etiamsi subditi ejus ab obsequio legum ipsius deficere, eumque pro rege suo nolle agnoscere, atque adeo ad hostem ipsius, si velint, transire possint; imo ne quidem, si actu deficerent, seu sponte sua, seu ab hostibus seducti: quia inobedientes & rebelles regiâ suâ potentia non tantum per meritis punire potest, sed & actu puniturus est. Regnum enim Jesu Christi diversæ planè est indolis à regnis hujus mundi; quorum reges regno per subditorum rebellionem exui possunt, adeo ut titulo tantum maneant reges, omni auctoritate ac potestate coactivâ spoliati. Christus autem regno suo ac potestate regiâ ac coactivâ spoliari nequit, & rebelles pro arbitrio semper punire potest, atque in medio inimicorum suorum dominari. Rectius dicitur Christum regno suo in terris spoliari, quando statuitur, subditos in illius obedientia conservari virtute irresistibili, quæ liberam obedientiam tollit: sine libera enim obedientia nemo verè Christi subditus est: non enim est nisi populi voluntarii rex. Dices. Regimen Christi consistit in promulgatione legum, & subministratione spiritus, cujus ope facit non modo ut fideles ipsius legibus libenter obsequantur, sed etiam efficit, ut à nullo spirituali hoste vincantur. Quarum duarum rerum neutra persisteret, si nulli homines essent quos Christus tam verbi quàm Spiritus sui sceptro gubernaret. Resp. Ne jam examinemus, utrum hi duo actus regii Christi muneris rectè ab ipsis explicentur: dico, male illos Christi regimen duobus illis actibus circumscribere, cùm & potissima muneris regii actio sit judicium, quod de omnibus hominibus omniumque operibus instituet. Licet ergo homines ob præfractam suam malitiam, nec verbo Christi regi, nec spiritu ipsius duci velint, imperium tamen in ipsos obtinet, & judicio suo ipsos tanquam rebelles ac refractarios est puniturus. Fundamentum erroris hujus est, quòd Christum decreto electionis subordinent, ipsumque tantum ut executorem decreti divini considerent, cui electi dati sint, ut ad salutem eos inevitabiliter perducat; reprobos autem nullo modo regnum ipsius respicere velint. Inde colligunt, regimen Christi tantum occupari necessaria electorum salvatione; quod desinere necesse est, quando nulli sunt fideles. Verum in eo errant, quoniam datus est Mediator, ut homines per liberam obedientiam ad fidem perducat, atque ita salutis compotes faciat; salutemque ipsis conferat non per modum finis à Deo absolutè intenti, sed per modum præmii, fidei ac obedientiæ ipsorum destinati: si verò sint immorigeri & infideles, ut novæ contumaciæ reos pœnâ rebellioni ipsorum debitâ justè afficiat. Huncque in finem gloria ac majestate à Patre est donatus, quâ neutiquam per hominum rebellionem spoliari potest.

XXI. Addunt: Etiam Sacerdotium Christi deliquium patietur, si nulla sit aliquo tempore in terris Ecclesia. Ejus enim partes sunt duæ, oblatio, per quam sanctificati æternam redemptionem sunt consecuti, *Hebr.* IX. 12. altera intercessio, qua fit ut fides in redemptorum animis verbi prædicatione spiritusque virtute creata, iisdem rebus increscat & conservetur. Neutrum fieri potest, quandocunque aliqua Ecclesiæ interruptio est. Resp. Eodem hæc objectio fundamento nititur, quo præcedens, quòd *Et à ratione muneris Sacerdotalis.*

Christus tantum datus sit in Sacerdotem, ut electos infallibiliter in salutem perducat, reliquis à Sacerdotii ipsius beneficiis exclusis. Quod fundamentum cum sit falsum, etiam argumentum illi superstructum corruit. Sacerdotio enim suo Christus nobis non impetravit fidem ac perseverantiam, sed remissionem peccatorum, nobis per veram fidem applicandam. Oblationis itaque ac intercessionis Jesu Christi vis perpetua est, quoniam Pater illius respectu eo usque omnibus in universum hominibus reconciliatus est, ut novo cum ipsis fœdere erecto, omnium præcedentium peccatorum remissionem & salutem æternam offerat, modo in Filium suum credant, & sanctitati operam dent: Eaque sacerdotii Jesu Christi vis perpetua est, sive aliqui credant, qui oblationis ac intercessionis ipsius virtute reverà servantur; sive infideles maneant, qui eâdem virtute à condemnatione potuerunt liberari; nunc autem ob rejectam tantam gratiam justè condemnabuntur. Nec ut redemtio sit æterna requiritur ut semper existant aliqui fideles: 1. enim est æterna, quia liberationem à morte æterna, & vitæ æternæ possessionem confert fidelibus. 2. Ejus redemtionis, uti jam vidimus, vis perpetua est, licet non semper actu per eam aliqui servarentur, quia per illius virtutem potuerunt salvari; & si reipsâ salutem non consequantur, non est id imputandum inefficaciæ sacrificii Christi, sed ipsorum liberæ contumaciæ. Rectius illos sacerdotium Christi tollere dicas, qui Christum tantum ut executorem decreti electionis considerant. Nam cum per sacerdotium Christi Deo Patri reconciliati simus, & reconciliatio præsupponat iram; sequitur, quòd ubi nulla præcessit ira, nec ulla possit ibi locum habere reconciliatio. Atqui electi, quibus solis dicitur Christus datus in Servatorem, per decretum electionis à Deo efficaciter & immutabiliter dicuntur fuisse dilecti, & quidem summo dilectionis gradu, antequam Christus ipsis destinatus fuit in Sacerdotem. Ergo Christus illos Deo reconciliare non potuit. Nam quos Deus summo amore efficaciter & immutabiliter jam ab æterno amavit, illis iratus nunquam fuit: ac per consequens ut illi per Christum Deo reconcilientur fieri nequit.

Et Prophetici.

XXII. Tandem & Propheticum Christi munus nostrâ hac doctrinâ subverti ajunt: Quia prædicatio Evangelii, quatenus pertinet ad homines convertendos, quo respectu ex munere Christi prophetico pendet, ex arcanæ Dei providentiæ dispensatione ita dirigitur, ut non instituatur, nisi ubi sunt aliqui electi, in quibus ministerium spiritus virtutem suam exerit. Illa autem dispensatio planè tollitur, si statuatur, contingere posse, ut nulli aliquando in terra sint fideles. Resp. Eidem erroneo fundamento hæc innituntur. Negamus nos ullos dari electos citra fidem consideratos. Prædicari curat Deus verbum, quod efficax est ad homines convertendum: non autem homines necessariò convertit: fides hominum aut infidelitas eventus est, qui à verbi operatione est distinguendus; ita tamen, ut fides sit eventus operationi verbi respondens; infidelitas eventus verbi operationi repugnans; cui rependetur, juxta verbi hujus comminationem, justum ac gravius supplicium. Retorqueri in illos potest hoc argumentum, quòd ipsi per talem dispensationem vim omnem Prophetici Christi muneris tollant. Si enim verbum Euangelii non habet convertendi efficaciam nisi in electis, in quibus ministerium Spiritus virtutem suam exserit; ergo ubicunque illa Spiritus operatio, qua electi efficaciter convertuntur, non adhibetur, ibi verbum Euangelii ad convertendum est inefficax. Atqui Spiritus ille regenerans non datur electis à Christo ut Propheta, sed ut Rege. Ergo tanquam Propheta prædicat, aut ipse, aut per Apostolos & ministros suos, non nisi verbum inefficax ad regenerationem, & quo nemo hominum convertitur, aut converti potest, nisi Christus tanquam Rex Spiritus sui omnipotente virtute regenerationem operetur. Quo ipso verbum Christi efficax, quod est *semen incorruptibile* quo regeneramur, 1 *Pet.* 1. 23. *quod potest salvare animas nostras*, *Jac.* 1. 21. quod est *vivum & efficax*, *& penetrantius quovis ancipiti gladio*, *Heb.* IV. 13. convertitur in verbum inefficax, mortuum, & spiritu destitutum. Videant ergo & serio considerent, qui hæc nobis objiciunt, an non ipsi hac sua doctrina omnem prophetici Christi muneris virtutem abnegent.

Et quod nusquam Ecclesiæ defectio sit prædicta.

XIII. Aliud objiciunt: Si Ecclesia penitus intercideret, prædici debuisset in aliquo Scripturæ loco. Resp. Non dicimus Ecclesiam penitus defecturam, sed deficere posse; non ergo defectio illa prædici debuit; sufficit omnes & singulos diligenter officii sui admoneri ne deficiant; quod frustra foret, si contingere non posset, ut deficerent. Potiore jure argumentum hoc retorqueri potest, hoc modo: Non sequi, Ecclesiam nunquam defecturam, quia non prædicitur eam defecturam: Sed, quoniam Deus nusquam promisit Ecclesiam non defecturam, quod etiam non simus obligati credere, quòd Ecclesia nunquam deficiet. Deus enim non tenetur prædicere omnia quæ in Ecclesia futura sunt, sed quicquid à nobis circa Ecclesiæ perseverantiam credi vult, id ut promittat & nobis revelet necesse est.

Sensus Matth. XVI. 18.

XIV. Objiciunt, promissum illud extare, *Matth.* XVI. 18. ubi dicuntur *portæ inferorum non prævalituræ adversus Ecclesiam.* Resp. Ostendimus antea, per *inferorum portas*, hic intelligi mortem, aut statum mortuorum,

tuorum, locique hujus sensum esse, mortem in Ecclesiam, quamdiu nim: Ecclesia manet per fidem, non prævalituram; adeo quidem, ut licet fideles, ex quibus Ecclesia constat, mortui sint, non tamen in morte sint mansuri, sed ex eâ resuscitandi; ut conveniat cum *Joan.* VI. 40. & XI. 25. Ne dicamus, Ecclesiam hic propriè non respici, quatenus cœtus aut societas est; sed respectu membrorum suorum, quæ verâ fide prædita sunt. Dices. Ecclesia in petrâ ædificata dirui nequit, juxta *Matth.* VII. 25. dirueretur autem si tota interiret. Resp. Ecclesia hic describitur, quatenus officio suo ritè fungens; rectè ergo dirui non posse dicitur, non quatenus ipsa sponte ab officio suo recedere nequit; sed quatenus nulli hostes nullæ calamitates, etiam ne mors quidem ipsa, salutem ejus impedire potest: sed ex omnibus hisce victrix tandem emerget, & morte superatâ immortalem filiorum Dei gloriam consequetur. Dices. Qui spondet victoriam ex morte, ille victoriam ex omnibus aliis hostibus promittere videtur; quia mors ultimus fidelium est hostis. Resp. Negatur consequentia: victoria enim ex morte promittitur tanquam præmium, reliquos hostes ope spiritus divini vincenti: victoria ergo de hostibus spiritualibus, est officium Ecclesiæ; victoria autem ex morte, officii præstiti præmium: si autem & illa victoria promitteretur, Ecclesiæ officium in actionem divinam transmutaretur, nec victoria ex morte illi tanquam obedientiæ præmium promitti posset.

Et Matt. XXVIII. 20. XXV. Addunt, *Matth.* XXVIII. 20. ubi dicit Dominus; *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Resp. Non est hæc promissio facta Ecclesiæ, sed Apostolis, uti antea ostendimus. Sed pone omnibus Doctoribus factam: Non promittitur eos semper fore Ecclesiam, sed Dominum ad seculi consummationem cum ipsis fore; intellige, si debitè officio suo fungantur; uti colligere est ex *Joan.* XIV. 21. XV. 14 & I *Cor.* IX. 27. Quæ conditio, si Apostolos concernit, multò magis ad reliquos Euangelii ministros extendenda est. Tum, nec exinde, quòd Dominus usque ad seculi consummationem cum ipsis sit futurus, rectè concluditur, ipsos semper fore Ecclesiam, & in fide perseveraturos: sed tantum, ipsos per Domini gratiam, semper ipsis præsentem, ad finem usque seculi, posse in fide perseverare, quodque defectu gratiæ divinæ nunquam futurum sit, ut Ecclesia esse desinat. Possunt autem ipsi propriâ malitiâ, siquidem gratiæ operationi non respondeant, deficere in statum, unde virtute gratiæ se potuissent conservare immunes. Hortatur ergo his verbis Dominus Apostolos, quos ad omnes gentes mittit, ad alacritatem & constantiam in munere sibi demandato fideliter obeundo; quoniam illos non sit relicturus solos, sed auxilio suo semper præsto futurus, omnesque machinationes executioni muneris ipsorum adversas, aut disjecturus, aut saltem cohibiturus.

CAPUT XVI.

De Notis Ecclesiæ.

I. AD attributa Ecclesiæ etiam illius notæ referri possunt. Notæ sunt signa quædam externa & in sensus incurrentia, per quæ in rei occultæ cognitionem devenitur. Ea sunt vel necessaria, vel contingentia: Vel communia, vel propria. Cùm quæruntur Notæ Ecclesiæ, quæruntur necessariæ & propriæ: aliàs certò Ecclesiam non indicant. Quando plura unius rei sunt signa, vel singula seorsim & per se considerata eam notificandi vim habent; vel omnia simul ad id requiruntur. Cùm autem antea Ecclesiam distribuerimus in visibilem & invisibilem, quæri utriusque notæ possent. Sed Ecclesiæ invisibilis nullæ dari possunt notæ necessariæ, sed tantum contingentes; nimirum doctrinæ Christi pura professio, & facta professioni isti consentanea. Huc respicere dici posset Servator, *Joan.* XIII. 35. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quoniam autem fides & pietas simulari possunt, & confessio edi animo confitentis contraria, notæ ejusmodi certò nobis Ecclesiam invisibilem demonstrare nequeunt. Solius Dei est, nosse qui sint sui, 2 *Tim.* II. 19. *Non dantur notæ Ecclesiæ invisibilis.*

II. Quæruntur ergo notæ Ecclesiæ visibilis. At illam doctrinæ Christi professio clarè & plenè indicat, & ab aliis distinguit; ita ut supervacaneum sit notas eam designantes operosè velle investigare. Verum quæritur, an non aliquæ sint hodie sensibiles notæ, ex quibus agnosci possit, utrum veritas divina sit à partibus Christianorum, an Judæorum, au Mahumedanorum, an Ethnicorum? præterea, quinam Christianorum cœtus salutarem Christi doctrinam incorruptam retineant, quinam verò à veritate aberrarint? Resp. Eum, qui notas istas quærit, vel nosse quæ sit salutaris veritas, cujus professio veram Ecclesiam visibilem constituit; aut id ignorare; sed notas quasdam quærere, per quas devenit in cognitionem veræ Ecclesiæ, ut ita deinceps per Ecclesiam acquirat cognitionem salutaris veritatis. Ex natura autem & definitione notæ seu signi evidens est, posterioris generis inquiri notas, hoc est tales, quæ rè quam designant notiores sunt, quæque nos in cognitionem rei antea nobis ignotæ deducunt. Cùm ergo & Pontificii & Contraremonstrantes statuant dari notas Ecclesiæ, ejusmodi statuant notas necesse est, ex quibus ante veritatem salutarem cogni- *Quæstio de notis Ecclesiæ visibilis.*

tam

tam dijudicari possit, quænam sit Ecclesia vera.

Nulla dantur, quæ veritatis ignaro Ecclesiam veram indicent.

III. Tales notas Ecclesiæ dari, nos negamus. Fatemur quidem, miracula esse veræ Ecclesiæ notas, doctrinamque miraculis confirmatam esse divinam, & fide recipiendam; ideoque miraculis convicti credimus Euangelium ab Apostolis prædicatum esse divinum. Sed an ulla unquam miracula facta sint, ad confirmationem alicujus dogmatis peculiaris, de quo inter illos, qui Euangelium ut divinum recipiunt, dissensio est, in sequentibus inquiremus. Nunc dicimus, ejusmodi notas Ecclesiæ, quales descripsimus, non dari: sententiamque nostram generatim hoc adstruimus argumento: Quod quæ sive à Contraremonstrantibus, sive à Pontificiis, adferuntur notæ, aut revera non sint notæ quales quærimus, sed ipsa res controversa: Aut quod Ecclesiæ veræ non sint propriæ, sed illi cum falsa communes, imò nonnunquam falsæ magis quam veræ conveniant: aut quod ipsis solis non conveniant, sed cum omnibus Christianis sint communes: aut denique quod falsò jactentur. Quod de singulis demonstrare facile est.

Non pura verbi divini prædicatio, &c.

IV. Contraremonstrantes duas plerumque statuunt veræ Ecclesiæ notas, puram verbi divini prædicationem & receptionem, & legitimam Sacramentorum administrationem; quibus alii tertiam adjungunt, disciplinæ Ecclesiasticæ secundum institutionem Christi exercitium. Ne jam dicam, inconcinnè eos dividere, quòd sub una nota comprehendi potest: ita contra illas notas argumentor. 1 Notæ debent esse notiores re notificandâ. Atqui infideli æquè obscurum est, quæ sit pura verbi prædicatio, atque quæ sit vera Ecclesia: quia Ecclesia non est vera Ecclesia, nisi quia in illa veritas, seu verbum Dei, purè docetur & recipitur. Quærentes ergo veræ Ecclesiæ notas, quærunt, unde dignosci possit in cœtu aliquo vigere puram verbi divini prædicationem, Sacramentorum administrationem, &c. 2. Notæ debent differre à re notificanda. Atqui idem est, quærere quænam sit vera Ecclesia, atque, ubinam verbum Euangelii purè prædicetur & recipiatur. 3. Potest esse vera Ecclesia, ubi neque verbum Dei prædicatur, neque Sacramenta legitimè administrantur; quia ex privata verbi divini lectione vera fides concipi potest, 2 *Tim.* III. 15. aliàs dicendum, ubi illa non vigent, illic totam Ecclesiam visibilem penitus interiisse.

Sed veritatis jam gnaro sunt notæ.

V. At qui jam novit, quænam sit salutaris doctrina, & ignorat ubinam illi sint, qui salutarem illam fidem profitentur, potest illa professio esse nota, per quam deveniat in cognitionem veræ Ecclesiæ, eamque à falsa discernat. Ante veritatis cognitionem illud fieri nequit. Qui enim nescit quæ sit salutaris veritas, quomodo veritatis illius professio illi nota esse potest, ex qua veram Ecclesiam agnoscat? Oportet ergo, si nota futura sit, ut veritatis salutaris notitia præcedat. Et nulla præter eam nota dari potest; quia ex sola ejus professione dijudicari potest; quinam cœtus vera Ecclesia sit. Ratio est; quia interna fides est interior forma & quasi anima Ecclesiæ invisibilis, & spiritus quo animatur, 2 *Cor.* IV. 13. Ergo illius professio est forma Ecclesiæ visibilis, unde agnosci potest. Dices. Unio Christi capitis in spiritu per verbum Dei fidemque cum electis est forma Ecclesiæ invisibilis. Resp. Nequaquam; sed est consequens, quod Ecclesiam jam formatam consequitur, & beneficium, quod Ecclesia quà talis à Deo consequitur. Verùm hæc quæstio exigui est momenti.

Examinantur Pontificiorum notæ.

VI. Pontificii varias statuunt notas: alii plures, alii pauciores. Bellarminus enumerat quindecim. Nos singula paucis considerabimus.

Prima. Nomen Catholica.

VII Prima Nota est Catholicæ nomen. Resp. Ineptum est ex nomine quod sibi quisque tribuit, concludere eum talem esse, qualem nomen significat: falsò quippe sibi nomen arrogare potest: vide *Apoc.* II. 9. III. 9. Nomen extrinsecus imponitur, aut assumitur: & fieri potest, ut doctrinâ Ecclesiæ mutatâ, Ecclesia, quæ semel sibi Catholicæ nomen assumsit, remaneat. Frequens enim est, re mutatâ manere nomen; sicut & quandoque re manente nova nomina introducuntur, prioribus abolitis. Nec nota hæc Ecclesiæ nascenti competiit: Convenientius est nomen Christianæ, quod in unoquoque statu Ecclesiæ convenit, & Catholicæ antiquius est, utpote cujus mentio fit, *Act. cap.* XI. 26.

Secunda. Antiquitas.

VIII. Secunda Nota est Antiquitas. Resp. Antiquitas Ecclesiæ non est quærenda propriè in antiquitate hominum qui illam constituunt: illi enim continuò mutantur, & in demortuorum locum alii succedunt: nec in antiquitate templorum aut cathedrarum in quibus docent: in antiquis siquidem templis ac cathedris nova doceri potest doctrina: sed in antiquitate doctrinæ. Oportet ergo ut doctrina sit cognita, antequam de ejus antiquitate judicium institui possit. At præterquam quòd hoc non sit cujusvis è vulgo, sed doctissimorum tantum, non est illa nota, per quam deducamur in cognitionem veræ Ecclesiæ, ante cognitionem salutaris veritatis. 2. Ecclesia, quæ jam vetus est, in initio fuit nova. 3. Sola antiquitas non facit veram Ecclesiam: aliàs sensim mendacium mutaretur in veritatem. 4. Religio Ethnica antiquior est Christianâ, & se suâ antiquitate defendere solita fuit. 5. Vera antiquitas in Sacra Scriptura est

est quærenda, & in doctrinæ cum ea consensu: extra eam si abeamus, de antiquitate ac prioritate dogmatum judicare difficile est; præsertim cùm legamus zizania ac triticum simul enata, & simul conspici cœpisse. Hinc jam facile solvi potest Pontificiorum argumentum. In omni insigni religionis mutatione semper sex hæc demonstrari possunt. 1. Auctor ejus. 2. Dogma aliquod novum. 3. Tempus quo. 4. Locus ubi cœperit. 5. Quis illud oppugnaverit. 6. Exiguus aliquis cœtus, qui paulatim aliis accedentibus erescere cœpit. Quæ omnia dicunt optimè competere Ecclesiis nostris, nullatenus autem suæ. Siquidem ex sex istis secundum solum est necessarium. Probantes ergo, multa in Ecclesia Romana dogmata recedere à scriptis Apostolorum, eo ipso eorum novitatem evicimus. Reliqua probare necesse non est. Duplex siquidem est mutationis species. Alia fit subitò & momento temporis, atque in sensus incurrit: alia sensim ac paulatim, cujus initia deprehendi nequeunt, sed post aliquot mensium, & nonnunquam annorum decursum, mutatio quædam facta deprehenditur; quod innumeris exemplis à rebus physicis ac moralibus desumtis, demonstrari potest. Hoc posteriore modo mutatio in Ecclesiæ doctrina est facta, non subitò & cum strepitu, sed sensim & clam, sicut dormientibus hominibus seminata sunt zizania, *Matth.* XIII. 25 Iniquum ergo est, ut quæ in priore tantum mutationis specie demonstrari possunt, ea Pontificii in posterioris speciei demonstratione à nobis requirant. Post seculorum aliquot decursum facile fieri potest, ut mutationum auctores, aliæque circumstantiæ, quæ antea manifestæ fuerunt, occultæ sint; quia non omnia sunt consignata literis. Quod fortasse Deus sapientissimè ita direxit, ne fides nostra innitatur auctoritati historiarum humanarum. Ita videmus in Ecclesia Judaica multa per Pharisæorum traditiones innovata, Galatas ab Apostolo argui quòd ad aliud Euangelium sint translati, in Ecclesia Corinthiaca multos mortuorum resurrectionem negasse; quarum omnium mutationum auctores, aliæque circumstantiæ, illo tempore fortasse satis notæ, nunc occultæ sunt. Tandem & variorum Ecclesiæ Romanæ errorum auctores, aliæque circumstantiæ, passim à Reformatis detectæ sunt.

Tertia. Non interrupta duratio. IX. Tertia Nota est perpetua & non interrupta Ecclesiæ duratio. Resp. Durationem cœtus seorsim à doctrina consideratam veram Ecclesiam constituere non posse, ex Ethnicorum, Judæorum, Græcorum, aliorumque cœtibus liquet. Duratio ergo quærenda est in doctrinæ veritate. Nec nota hæc, ipsis fatentibus Pontificiis, Ecclesiæ Romanæ conveniet tempore Antichristi. Saltem de nota hac infallibile judicium institui non potest ante mundi finem: quæ enim Ecclesia hactenus duravit, postea potest deficere, & interruptionem pati.

Quarta Multitudo credentium. X. Quarta Nota est multitudo & varietas credentium: inde vocatur Catholica, quia tenet id quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Resp. 1. Multitudo Ecclesiæ non competiit in initio, nec temporibus Arianorum; nec tempore Antichristi conveniet. 2. Ecclesia rectè vocatur Catholica, quatenus per varias terræ regiones est dispersa; oppositè ad Judaicam, uni regioni inclusam, & exiguis terræ Canaan limitibus circumscriptam: non autem respectu infidelium, Ethnicorum, Muhammedanorum, &c. quorum major longè numerus. Multo minus Pontificiorum Ecclesia, Catholica vocatur oppositè ad alias Christianorum Ecclesias à communione ipsius separatas, Græcos, Armenios, Æthiopes, ac Reformatos seu Euangelicos, qui simul juncti Pontificiorum numerum longè excedunt. Descriptio Catholici, quam ex Vincentio Lirinensi proferunt, nullis competit, nisi illis, qui nihil pro dogmate ad salutem necessario admittunt, nisi quod disertè in Sacris Literis traditur; id enim semper & ubique ab omnibus creditum: non Pontificiis, qui multa extra Scripturam deciderunt.

Quinta. Successio Episcoporum. XI. Quinta Nota est Episcoporum continua & non interrupta successio ab Apostolis ad nos usque deducta. Resp. 1. Successio personarum absque doctrina non magis indicat Ecclesiam veram, quàm falsam. Successio autem doctrinæ cognosci nequit, nisi exacto instituto examine, & collatione factâ cum doctrina Apostolorum. 2. Personarum successio etiam competit Ecclesiis falsis, Judaicæ, quæ Christum interemit: de ea olim gloriati sunt Ariani, hodieque Græci, Armenii, Abyssini. Nec est quod Pontificii successionem hanc non interruptam jactent. Aliquamdiu enim, teste Baronio ad annum ɪↄↄcccxɪɪ. à duabus potentissimis meretricibus in sedem Romanam intrusi sunt earum amasii, pseudo-Pontifices, qui non sunt, nisi ad consignanda tantum tempora, in catalogo Romanorum Pontificum scripti. Vide & Genebrardum in Chronologia ad annum ɪↄↄcccɪ.

Sexta. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. XII. Sexta Nota est conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. Resp. Hæc nota reverâ non differt à secunda. Idem itaque ad eam, quod ad secundam, respondemus. Si per Ecclesiæ antiquæ doctrinam intelligant doctrinam Apostolorum, quæ vere antiqua est, nos admittimus notam hanc: sed hæc non erit nota, nisi illis qui doctrinam salutarem Apostolorum inquisiverunt. Si Ecclesiam intelligant, quæ Apostolo-

rum ætatem secuta est, admodum est incerta: quia pauca eorum, qui prioribus seculis vixerunt, exstant scripta, ex quibus de totius Ecclesiæ doctrina judicari nequit. Posteriorum seculorum scriptores tot edidere volumina, ut iis evolvendis unius hominis ætas non sufficiat. Ergo erit hæc nota operosissima: Sed & perinde incerta; quia ex illis eorum sententia de dogmatibus hodie controversis hauriri non potest; uti antea, cùm de regula fidei disputavimus, fusius ostensum est. Nec illum esse Ecclesiæ Romanæ cum antiquis Patribus consensum, quem jactant, à pluribus doctissimè ostensum est.

Septima. Unio membrorum inter se & cum capite. XIII. Septima Nota est unio membrorum inter se, & cum capite. Resp. 1. Reperitur etiam unio inter malos, etiam inter falsas religiones, Mahometanos, Judæos. Omnes etiam Ecclesiæ, ab aliis licet divisæ, in se sunt unitæ. 2. Nec quævis in cœtibus discordia falsæ Ecclesiæ est signum. Sufficit ut omnes in fundamento consentiant. Licet enim per humanam infirmitatem aliquando contingat alias aliis ob dissensum anathema dicere; non tamen propterea, si in fundamento sit consensus, vera Ecclesia & unum esse cum Christo desinunt. Frustra ergo cœtibus à se separatis discordiam objiciunt Pontificii: quia idem ipsis objicitur à Judæis & Mahumetanis. Eorum objectionem diluant, & pro nobis respondebunt. Sed nec in Romana Ecclesia illa, quam jactant, unio reperiri potest. Vigent inter illos eædem fermè dissensiones quæ inter Reformatos, de Prædestinatione, videlicet inter Jesuitas, & Dominicanos, hodieque inter Jansenistas; inter Dominicanos & Franciscanos de conceptione beatæ Virginis: & præcipuè inter Jesuitas & Sorbonam, utrum Papa errare possit: nec non, utrum summa potestas sit penes Concilium, an penes Papam: de qua lite exstant contrariæ decisiones Synodi Constantiensis & Basileënsis ab una, & Tridentinæ ab altera parte. Quin & aliquoties schismata fuere in Ecclesia Romana, dum duo Papæ, & aliquando tres simul sederunt. Ubi tunc decantata illa unio?

Octava. Sanctitas doctrinæ. XIV. Octava Nota est Sanctitas doctrinæ. Resp. 1. Illa non est quid externum. De ea siquidem judicari non potest, nisi doctrina prius exploretur. 2. Nec ea, quam gloriantur, est doctrinæ Pontificiorum Sanctitas. In Ecclesiam invexerunt plurimas superstitiones, nusquam à Domino mandatas. Dogmatibus quibusdam frænum sceleribus laxant; ut doctrinâ suâ de indulgentiis: ut & illâ, quâ decreverunt licere principi, non obstante salvo conductu, hæreticos supplicio afficere; Papam jus habere dispensandi subditos à juramento fidelitatis, si reges hæreticis faveant, aut Ecclesiæ sint immorigeri; posse matrimonia permittere in gradibus consanguinitatis lege divinâ prohibitis: similiaque.

Nona. Efficacia doctrinæ. XV. Nona Nota est efficacia doctrinæ: quæ sicut olim in Ecclesia Apostolica brevissimo temporis spatio per homines externâ specie contemtibiles propagata est per totum mundum; ita & nunc hodie in sua Ecclesia propagetur: non autem in Ecclesia Judæorum, nec Lutheranorum, aut Calvinistarum. Resp. Fatemur Euangelii efficaciam magnum ad probandum illius auctoritatem habere pondus; quod etiam antea in Cap. *de Auctoritate Scripturæ Sacræ* ostendimus. Hic autem mirari satis non possumus iniquam Pontificiorum agendi rationem. Scripturæ Sacræ divinam auctoritatem per doctrinæ efficaciam probari nolunt; sed ab Ecclesiæ testimonio dependere urgent. Cùm Ecclesiæ veritas aut divinitas est adstruenda, argumentum ex doctrinæ efficacia desumunt. Sanè si doctrinæ efficacia veritatem Ecclesiæ eam profitentis arguit, multò evidentius veritatis doctrinæ est argumentum. Potest tamen doctrina esse divina, licet efficacia illa in ea non animadvertatur; quoniam non operatur, nisi intercedente voluntate hominis: si itaque prædicetur hominibus præfractè improbis, ejusmodi effectum non consequetur: uti videre licet, *Esa.* LIII. 1. *Joan.* XII. 37, 38. *Actor.* XIII. 45. *& seqq.* XXVIII. 24. *& seqq.* 2. Potest & doctrinæ falsæ quædam inesse efficacia, quia carni blanditur. Hoc in multis seductoribus videre est: 2 *Thess* II 11. 2 *Tim.* III. 13. 2 *Petr.* II. 1, 2. *Matth.* XXIV. 4, 5. *Apoc.* XIII 8, 13. *& seqq* & luculentissimè in doctrina Mahometis. Dices. Illa armis est propagata. Resp Concedimus: sed & multi rebus illius secundis allecti sponte illi nomina dederunt. Ita & hodie Constantinopoli, ubi nemo ad amplectendam religionem Mahometanam cogitur, plurimi quotannis spe commodorum mundanorum allecti, à Religione Christiana ad Mahometismum deficiunt. Quid verò Pontificii? Illi armis, vi, suppliciorum metu homines ad suæ religionis professionem adigunt, non tantum in Europa, sed alibi; quod Epistolæ ipsorum Indicæ luculenter testantur. Alios mundi illecebris, divitiis, honoribus, licentiâ peccandi alliciunt, neutiquam verò doctrinæ suæ efficaciâ.

Decima. Sanctitas vitæ auctorum. XVI. Decima Nota est Sanctitas vitæ auctorum, sive primorum patrum religionis Catholico Romanæ: per quos intelligunt 1. Patriarchas & Prophetas. 2. Apostolos. 3. Doctores qui contra singulas hæreses dimicarunt. 4. Institutores Ordinum & Religiosorum. Resp. 1. Nos solum Jesum Christum doctrinæ nostræ auctorem agnoscimus, cjusque præcones Apostolos & Prophetas.

phetas. Eorum ſanctitas multum facit ad Religionis Chriſtianæ in genere veritatem oſtendendam; non autem eam in una ſecta purius & incorruptius retineri quàm in altera Nota ergo ea omnibus Euangelium recipientibus eſt communis. 2. De aliorum Eccleſiæ Doctorum ſanctitate nemini infallibiliter conſtat: animus ſoli Deo patet, externa facta judicio charitatis, quod errare poteſt, habentur à nobis pro verè ſanctis: quin & multa aliquando ficta de illis narrantur: nonnunquam vitia laudibus in cœlum tanquam virtutes heroicæ efferuntur. Ordinum Inſtitutores plerique magis fuere ſuperſtitioſi quàm ſancti; ſummam in exerciiis corporalibus collocantes perfectionem: quidam etiam ſanguinarii, & acerbiſſimi perſecutores, ut Dominicus, inventor inquiſitionis. Sed cur nullam Paparum, qui Eccleſiæ caput ſunt, ſanctitatis mentionem faciunt? Ex hiſtoriis nempe Pontificum Romanorum vita ipſorum profana ac ſcelerata nimis quàm manifeſta eſt. Si itaque ex capite, de toto Eccleſiæ corpore judicium faciendum eſt, ipſorum Eccleſia meritè peſſima ac ſceleratiſſima habenda eſt.

Undecima. Gloria miraculorum. XVII. Undecima Nota eſt gloria miraculorum. Miracula nempe neceſſaria eſſe ad novam fidem perſuadendum, probant, tum exemplo Moſis, *Exod.* IV. I. *& ſeqq.* Chriſti, *Joan.* XV. 24. & Apoſtolorum, *Matth.* X. 8. tum ratione; quia qui mittitur, miſſionis ſuæ debet oſtendere teſtimonium; miſſionis autem divinæ aliud non eſt, quàm miracula, *Marc.* XVI. 20. *Hebr.* II. 4. Miracula etiam ſufficere, evincunt, quia fieri non poſſunt, niſi virtute divinâ: Deus autem mendacii teſtis eſſe non poteſt. Eccleſiam autem ſuam Catholicam ſingulis ætatibus floruiſſe miraculis; imo poſtremis hiſce ſeculis Franciſcum Xaverium aliosque iis claros fuiſſe: nulla autem apud Ethnicos, Turcas, Judæos, hæreticos eſſe vera miracula. Reſp. Quæ de miraculis præmittunt, agnoſcimus. Verùm immeritò Pontificii à Proteſtantibus miracula exigunt; non enim novam ſe doctrinam afferre profitentur; ſed ſolummodò doctrinam ſufficientibus miraculis olim comprobatam, nunc autem variis erroribus conſpurcatam, ex Apoſtolorum ſcriptis reſtaurare. Huc miracula non requiri, ſed ſolùm verbi divini accuratam inquiſitionem, omniumque quæ reformantur ad eam examen, Eſechiæ & Ioſiæ exempla nobis comprobant. Extraordinarium quidem aliquid fuit in primorum Reformatorum vocatione, ratione ordinis tunc recepti; ſed non reſpectu doctrinæ, ſeu Euangelii, ad quod docendum omnes qui apti ſunt ex ordinaria charitatis lege ſunt obſtricti, ſi ſint qui doceri velint. Nec omnes extraordinariè à Deo ad docendum miſſi, ſi tantum mittebantur ad populum apoſtatam ad Legis, antea ſufficienter miraculis comprobatæ, obſervationem revocandum, miraculorum dono in populo Iſraëlis claruerunt; ut Hoſeas, Amos, &c. Nec ipſe Joannes Baptiſta ullum miraculum feciſſe legitur, *Joan* X. 41 Ipſi Jeſuitæ ad excuſandum Ignatium Lojolam nullum feciſſe miraculum, multa pro nobis afferunt. Videatur Ribadeneira in *vita Ignatii Lojolæ lib.* V. *cap.* XIII. *pag.* 542. Quod miracula attinet, quæ pro ſe Pontificii allegant: Dicimus 1. Quæ à Chriſto & Apoſtolis facta fuerunt, non ſuperſtitioſa Pontificiorum dogmata, ſed religionem Chriſtianam in univerſum confirmarunt. Miracula ſeculorum ſequentium, quæ jactent, etiamſi verè contigiſſent, non tamen qui ea venditant audiendi forent, ſi doctrinam, Euangelio, antehac miraculis diviniſſimis ſufficienter comprobato, contrariam adferrent, juxta Pauli monitum; *Gal.* I. 8. Hinc adeò ſollicitè ſuos monet Dominus, ne ſignorum oſtentatione ſe ſeduci patiantur, *Matth.* XXIV. 23, 24, 25. 2. Multa eorum, quæ Pontificii venditant, vel ſunt ficta, vel non vera miracula. Multa, inquam, ſunt ficta, imò publicè manifeſtæ falſitatis convicta; uti dolenter de eo conqueritur Melchior Canus in *Locis Theol. lib.* XI. *cap.* 6. *pag.* 650. *& ſeqq.* Miracula Xaverii in India ſuſpecta ſunt, eam maximè ob cauſam, quòd miraculo ipſi quam maximè neceſſario, quodque fallere non poterat, nimirum dono linguarum, non claruit. Licet enim nos Deo legem miracula, qualia nos exigimus, aut conſentanea judicamus, faciendi præſcribere minimè poſſimus, nec velimus: tamen ſi conſideremus rationem providentiæ divinæ, quâ ordinariè uſus eſt, comperiemus Deum, quando miniſtris à ſe extra ordinem miſſis, per ſigna ac miracula auctoritatem conciliare voluit, eos talibus ornaſſe, quæ ad muneris ſibi demandati functionem maximè neceſſaria ac utilia fuerunt: ſaltem non deſtitutos reliquiſſe iis, ſine quibus munere ſuo defungi minimè potuiſſent. Atqui tantum abeſt, ut Xaverius dono linguarum, ſine quo Indis Euangelium prædicare neutiquam potuit, à Deo ſit exornatus, ut maximo cum labore ac ſtudio eas addiſcere debuerit. Cùm ergo maximè neceſſario caruit, reliqua quæ de ipſo narrantur miracula nobis meritò ſuſpecta ſunt. Et quod maximè ipſorum miracula hiſce in regionibus ſuſpecta reddit, nunquam ea patrantur coram hæreticis, quos vocant; ſed tantum Catholicis, qui de veritate, ad cujus confirmationem fiunt, neutiquam dubitant. Nam quod Apoſtolus inquit de linguis, I *Cor.* XIV. 22. quod *in ſignum ſint non fidelibus, ſed infidelibus*, idem valet de mira-

miraculis. Multa etiam non sunt vera miracula. Possunt enim aliquando opera quædam fieri, quæ ordinariam naturæ potentiam excedunt, non tamen omnes naturæ vires superant: sic Magi in Ægypto opera quædam miranda fecere. Sic dicitur, 2 *Theff.* II. 9. ἄνομον illum facturum *signa & prodigia mendacii*: id est, vel signa quædam quæ falsò venditabit pro miraculis, quæ tamen non sunt, sed opera quædam vi naturæ, verùm occultiore, perpetrata; quia dicuntur fieri *secundum operationem Satanæ*, cujus opera verè miracula non sunt; talia tamen esse possunt, ut non nisi adhibito accurato examine & judicio à veris miraculis discernantur: vel quæ planè sunt conficta, & nil nisi mendacia: qualia pleraque Pontificiorum signa sunt. Sed esto, vera sint miracula, & verè ab ipsis in India coram Ethnicis facta; non ad Pontificiæ superstitionis, sed totius religionis Christianæ confirmationem facta fuere: perinde uti Bellarminus fatetur à Paulo Novatiano Episcopo factum miraculum serviisse in confirmationem non fidei Novatiani, sed Catholici Baptismi. Nusquam autem legimus, veritatem dogmatis peculiaris in aliqua speciali Ecclesia recepti miraculo comprobatam, contra aliam sectam, dogma istud impugnantem. Deus siquidem verbum suum miraculis confirmat, non humanas verbi sui interpretationes.

Duodecima. Lumen Propheticum. XVIII. Duodecima Nota est Lumen Propheticum. Hanc esse veræ Ecclesiæ notam probare contendunt ex *Joël.* II. 28, 29. *Act.* II. 17, 18, 19. *Esa.* XLI. 23. Eamque suæ Ecclesiæ competere ajunt, non Ethnicis, nec Muhammedanis, nec hæreticis. *Resp.* Idem hîc reponi potest, quod de miraculis diximus; quia prophetia miraculi quædam species est. Ut autem distinctius respondeamus, duplicem dicimus esse prophetiæ speciem: Unam, qua vel mandata Dei, hactenus occulta, ad homines perferuntur; vel sensus Scripturæ obscurus, ac præsertim prophetiarum, instinctu spiritus, quo inspiratæ sunt, aperitur: alteram, qua res futuræ prædicuntur. Priorem prophetiæ speciem requiri fatemur in novæ doctrinæ annuntiatoribus, quos mandata Dei ad homines proferre certum est; sed non necessaria est religionis collapsæ restauratoribus. Nec etiam ea Pontificii gaudent: quoniam autem eam jactant, explicent nobis prophetiarum sensus obscuros. Alteram prophetiæ speciem fatemur donum esse Dei, cujus solius est futura contingentia præsse: ergo solus eam notitiam hominibus communicare potest. Sed ea certa ac indubitata veri doctoris nota non est. 1. Quia & Deus aliquando falsis prophetis quandam futurorum cognitionem indulsisse legitur; ut Bileamo, *Num.* XXII. & XXIII. 2. Aliquando homines eventus quosdam probabiliter conjiciunt, aut habent ex diabolorum revelatione, qui sagacitate naturali ex variarum causarum concursu probabiliter quædam effecta colligunt. Attamen, quia conjectura hæc falli potest, ambiguis verbis oracula sua edere solent. 3. Donum hoc Ecclesiæ non est perpetuum, perinde uti nec donum linguarum. 4. Nec viget in Ecclesia Pontificia. Quæ illi de Sanctis suis narrant, meritò suspecta sunt. Similia etiam quædam, & majori cum veri specie, narrantur de quibusdam Reformatis; quæ tamen Pontificii rejiciunt.

Decima tertia. Adversariorum confessio. XIX. Decima tertia Nota est adversariorum Confessio: quam probat ex *Deut.* XXXII. 31. Ut autem hanc notam suæ soli Ecclesiæ competere evincat, duo docet: primò Ecclesiæ suæ adversarios, Ethnicos, &c. quin & Reformatos, aliquando egregium Doctoribus Pontificiis præbere testimonium: Secundò, nullum unquam Doctorem Pontificium hæreticum quenquam laudasse, aut quid laudabile in ipso agnovisse. *Resp.* Hanc notam admodum esse ridiculam. 1. Non enim quos homines, sed quos Deus laudat, verà laude digni sunt. 2. Ergo Ecclesia, quæ adversarios habet malignos, maledicos & calumniatores, quin & diabolos, falsa esset. 3. Nec verum est, adversarios Ecclesiæ Romanæ veritatem ipsius doctrinæ agnoscere; imò eam apertè omnique conatu impugnant. Si qui aliquando agnoscunt bona, quæ inter medias superstitionum corruptelas adhuc in Ecclesia illa remanserunt, aut Doctori cuipiam erudito ac piè scribenti laudem pietatis perhibuerunt, ingenuitas hæc laudanda est. Ingenui enim est etiam virtutem in hoste laudare. Maligni verò & obtrectatoris, ex odio bona in hoste aut nolle videre, aut falsa multa, ut cum exosum reddas, de ipso confingere. 4. Quæ verò Bellarminus de Ethnicis adducit, ea Religionem Christianam in genere, non superstitionibus Pontificiis fœdatam, respiciunt.

Decima quarta. Infelix exitus ejus hostium. XX. Decima quarta Nota est infelix exitus eorum, qui Ecclesiam oppugnarunt. *Resp.* 1. Infelix exitus in hac vita doctrinæ falsitatem aut aliquem Deo minus esse gratum, non arguit: alias quid de infinitis Religionis Christianæ martyribus dicemus? Ipse Dominus crucem passim discipulis suis prædicit. 2. Oppugnatores Ecclesiæ, quos Bellarminus enumerat, non doctrinam Pontificiam, sed Religionem Christianam in genere oppugnarunt. 3. Novi Reformatores exitu adeo miserando non perierunt, prout ipse narrat. Nimis hic credulus est, aurefque præbet narrationibus hominum, qui, ipso in præcedente nota teste, nunquam benignè de hæretico, ut vocant,

quic-

quicquam testati sunt. 4. Tandem ex Pontificiis, imo ipsis Papis, qui Ecclesiæ illius caput sunt, quidam miserrimè perierunt: quod historiæ à Doctoribus Pontificiis conscriptæ abundè testantur.

Decima quinta. Felicitas temporalis defensorum Ecclesiæ.

XXI. Decima quinta Nota est felicitas temporalis, divinitus collata iis qui Ecclesiam defenderunt. Resp. Hæc nota non minus incerta est præcedente. 1. Non enim veræ Ecclesiæ defensores semper triumphare, exemplo Josiæ comprobatur, 2 *Reg.* XXIII. 29. 2. Scriptura docet, potius piis hic male, impiis bene esse, *Joan.* XVI. 33. & XV. 20. imò pios ad crucem à Deo destinatos ac vocatos, *Rom.* VIII. 29. ideoque & piis passim crux prædicta legitur. 3. Quæ in mundo bona sunt, potius impiorum quàm piorum esse solent: uti Joannes docet, 1 *Epist.* II. 15, 16. 4. Ethnici eandem contra Christianos olim solebant notam urgere. 5. Eam Pontificii contra Mahumetanos, qui magnam Christiani orbis partem occuparunt, & etiamnum Pontificiorum regiones occupant, urgere nequeunt. Quod Reformatos attinet, non constat ex bellis utrinque gestis eam notam magis esse à partibus Pontificiorum, quàm Reformatorum.

Quomodo circa eam Reformati sua doceant errent.

XXII. Interim dolendum, Reformatos, qui hujus notæ vanitatem egregiè contra Pontificios demonstrare norunt, hujus suæ responsionis oblitos, etiam sæpe in eundem cum Pontificiis errorem recidere: non tantum quòd reges principesque in partes suas pertrahere studeant, ut eorum protectione tuti sint, quod reprehendendum minimè censemus; sed quòd favorem illorum adepti, eum specialis divini favoris argumentum, aliosque eo destitutos Deo minus gratos esse credant. Cui affine est, quòd hoc præjudicio fascinati, ubi ipsi rerum potiuntur, cœtus publicâ protectione destitutos ut erroneos aversentur, doctrinamque illic traditam, sine debito examine ut falsam rejiciant.

CAPUT XVII.

De Officio civium Ecclesiæ.

Officia civium Ecclesiæ.

I. HActenus de Ministris, quorum ministerio Deus Ecclesiam colligit, collectamque ordinariè instrui curat, nec non de Ecclesia in genere spectata, variisque illius divisionibus, attributis ac notis egimus. Restat nunc ut officium Ecclesiæ membrorum, seu fidelium, quatenus nimirum cum respectu ad Ecclesiam, eam tanquam partes constituentes, consideran-tur, inquiramus.

1. Convenire in cœtus.

II. Officium id multiplex est. Ac primum quidem, in cœtus ad Dei gloriam convocatos convenire, ibique fidei suæ professionem testari: quia Deus non tantum corde, sed & ore & opere est glorificandus: cùm tam corpus quàm anima ad honorem Dei sit conditum ac redemptum; 1 *Cor.* VI. 21. Hinc *Rom.* X. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Quod observandum contra eos, qui externum hunc cultum extenuantes, sufficere credunt Deum corde ac animo coli; cor enim Deum propriè respicere; externam autem hanc professionem, utpote religioni non essentialem, posse quandoque usu ita exigente omitti. Quorum errorem antea, cùm de confessione, quatenus pietatis pars est; ageremus, refutavimus.

Ejus officii necessitas.

III. Nunc dicimus, Christianorum officium esse, Cœtum credentium constituere. Quod variis argumentis comprobamus. 1. Quia Ecclesia est corpus Christi mysticum: illa autem corporis constitutio non apparet nisi in cœtu; imò in cœtu propriè est vinculum illud, quo plura membra inter se aptè in unum corpus colligantur; hinc est quod diversæ sint dignitatis, perinde uti in corpore, atque ita commodissimè in unum corpus coalescant: quod egregiè docetur 1 *Cor.* XII. 2. In Veteri Testamento habiti sunt conventus sacri, singulis nimirum sabbatis in synagogis, *Act.* XV. 21. non quidem præcepto divino id expresè jubente, sed naturâ religionis id postulante. Inde est, quod & ipsi Ethnici eodem naturæ lumine, quo Deum religiosè colendum crediderunt, etiam persuasi sint, Deum publicè esse colendum; ideoque omnes templa publica erexerunt, conventusque solennes celebrarunt. Multò ergo magis eos in Religione Christianâ, cultum longè perfectiorem continente, haberi necesse est. 2. Expressum de conventibus celebrandis habemus præceptum, additurque ratio cur conventus non sint deserendi, *quia dies*, nempe judicii, *instat*: *Hebr.* X. 24, 25. Alibi adjicitur favoris divini promissum, *Matth.* XVIII. 20. *Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 4. Idem evincit finis ob quem conventus hi instituuntur; qui multiplex: 1. Ut veritas divina conservetur ac propagetur: hujus respectu Ecclesia, 1 *Tim.* III. 15. vocari videtur *columna ac stabilimentum veritatis;* quia professione suâ veritatem divinam sustentat ac inter homines conservat; (columnæ instar, quæ edicta regia ipsi affixa sustentat,) aliàs inter homines brevi collapsuram. 2. Ut preces & gratiarum actiones ad Deum instituantur; quæ majori cum efficacia à pluribus unanimiter & in timore Domini congregatis funduntur, quàm ab uno solo; quoniam plurium unita pietas & ardentia suspiria quicquid singulorum precibus efficaciæ inest conjungit. Inde & Ecclesiam Apostolicam unanimiter congregatam aliquoties maximo cum fructu preces suas ad Domi-

num fudisse legimus, *Actor.* I. 24. IV. 24. *&c.* & nota, *vers.* 31. XX. 36. & alibi. 3. Ut fideles ad constantiam majoresque in fide ac virtute progressus commoneantur, *ad provocationem* nempe *charitatis ac bonorum operum*, *Hebr.* X. 24. 4. Ut memoria mortis Dominicæ solenni sacri ritus Cœnæ administratione ac usurpatione celebretur, ac Jesus Christus crucifixus Dominus agnoscatur, nosque hoc ritu ejus nos membra testemur; quin etiam mutuam charitatem erga invicem, tanquam erga unius ejusdemque corporis membra, testatam faciamus, 1 *Cor.* X. 17. 5. Ut disciplina exerceatur contra delinquentes, peccatisque suis Ecclesiam contristantes; tum ut à peccatis revocentur, tum ut alii illorum exemplo cautiores redditi, peccare erubescant: ideoquè in cœtu id peragi debet. Sic *Matth.* XVIII. 17. jubetur frater læsus lædentem, & post unam atque alteram, etiam duobus aut tribus adhibitis testibus, admonitionem, pèrtinacem deferre ad Ecclesiam. Et 1 *Tim.* V. 20. jubetur Timotheus *peccantes coram omnibus arguere, ut & cæteri timorem habeant.* Denique, hoc praxi suâ confirmarunt non tantum Apostoli, sed & omnium sequentium seculorum Christiani, qui ne severissimis quidem edictis dirissimisque suppliciis deterreri potuerunt, quò minus in cœtus convenirent.

Id officium est omnium. IV. Sed quæritur hîc, an hoc omnium officium sit, etiam exercitatiorum? Resp. Omninò: nemo hîc excipitur. Si enim exercitatos quis excipiat, statim inquiretur, quinam sint exercitati, cujusque id judicio sit committendum? Si hominis ipsius: quilibet se facilè pronuntiabit exercitatum. Si alterius; illi sæpe contradicetur, præsertim si hominem, proprio judicio exercitatum, pronuntiet minus exercitatum. 2. Sed esto, exercitati sint, qui profundiorem ac solidiorem Religionis Christianæ adepti sunt notitiam: etiam ipsorum munus est, & quidem præcipuè, in cœtus ac conventus sacros convenire. 1. Quia omnia illa officia, à nobis modò memorata, præcipuè respiciunt ipsos, & optimè ab ipsis observari possunt. 2. Quia nemo ita est exercitatus, ut sibi in omnibus sapiat; sed & aliorum institutione & admonitione indiget. Et licet quæ in cœtu docentur alicui semper non sint necessaria, possunt tamen casus incidere, quibus sibi applicet antea à se auditum, & in cœtu explicatum, quid ejusmodi in casu facto opus sit. Nemo etiam ita est exercitatus, quin aliorum admonitionibus indigeat, ut quotidie in fide proficiat. 3. Suo exemplo alios minus exercitatos excitare possunt ad cœtuum frequentationem, ut institutionem percipiant sibi quàm maximè necessariam. Fatemur exercitium hoc non esse veræ sanctitatis partem; sicut omnia externa, quæ absque mente sincera peragi queunt; interim si non necessarium, utile saltem & efficax valdè ad pietatem consequendam est medium. Estque præterea cultus externi, quem à nobis Deus exigit, pars non contemnenda; quæ sicut nullius apud Deum est pretii cultu interno destituta; ita pietatem internam sibi conjunctam habens, ipsi est gratissima. Quin & sinceri erga Deum amoris est indicium luculentum; quoniam omnes libentes disseri audimus de iis quæ amamus; de quibus autem nunquam sermonem aut instituimus ipsi, aut aliorum de iis sermones audire non dignamur, eorum aut nullâ, aut exiguâ saltem curâ tangi arguimur. Hinc est, quòd David zelum suum erga Dei legem testetur, quòd de eâ loquatur die ac nocte, gravemque testetur luctum, quando inimicorum suorum malignitate à cœtu Deum profitentium arcebatur.

2 Debitus erga antistites honor. V. Alterum officium est, debitus honor & obsequium erga antistites & doctores. Quoniam enim à Christo sunt instituti, ut peculiarem habeant rationem animarum, atque ad vitam æternam quasi duces sint, illis & debitus honor ac reverentia est exhibenda. Hinc 1 *Thess.* V. 12, 13. *Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* Requiritque hæc veneratio, ne temerè quid de ipsis mali suspicentur, aut rumoribus incertis fidem adhibeant; multò minus proni sint ad eos accusandum, factave eorum carpendum, aut in partem deteriorem interpretandum. Huc applicari potest, quod Apostolus Timotheo præcipit, 1 *Tim.* V. 19. *Adversus presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

Et obsequium. VI. Obsequium Ecclesiæ præpositis deberi, docetur *Hebr.* XIII. 17. *Obedite præpositis vestris & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis.* Intellige, quando quid verbo divino consentaneum præcipiunt: sive id expressè verbo divino contineatur, ut quando ipsa Dei præcepta proferunt; sive certis rationibus auditoribus suis id ex divino præcepto legitimè elici persuadere possunt. Si verò quid præceptis divinis contrarium præcipere, aut superstitionem loco solidæ pietatis introducere velle deprehendantur, auditorum est, juxta Apostolorum exemplum, *Act.* IV. 19. Deo magis obedire quàm hominibus. Nunquam enim Christiani hominis conscientia ullius hominis regimini ita subjecta esset debet, ut cœci instar cum quocunque ducentem sequi teneatur; sed officium ejus est, *omnia probare, & quod bonum est retinere,* 1 *Thess.* V 21.

v. 21. Huc referenda sunt pia instituta & consuetudines, in quavis Ecclesia ad bonum ordinem & Ecclesiæ decorum solummodò conservandum aut introductæ, aut communi consensu observari solitæ; omnia enim in Ecclesia honestè & secundum ordinem fieri decet, 1 *Cor.* XIV. 40.

Aliaque caritatis officia.

VII. Adde hic alia quædam, tum reverentiæ, tum charitatis officia; preces serias & ardentes ad Deum pro suis doctoribus: ut Deus ipsos ab insidiis improborum protegat, laboribusque ipsorum ad aliorum salutem suamque gloriam cumulatissimè benedicat. Ita *Act.* XII. 5. Ecclesia pro Petro captivo quotidie preces ad Deum fundebat. Sic & Paulus sæpius se suosque labores, Euangelii propagationem concernentes, fidelium precibus commendat: *Rom.* XV. 30, 31, 32 2 *Cor.* I. 11. *Eph.* VI. 19. *Phil.* I. 19, 20. *Coloss.* IV. 3. *Hebr.* XIII. 18. Item, si opus sit, ut sese periculis objicere non dubitent, ut illorum vitæ ad veritatis salutaris hominumque salutis promotionem necessariæ consulant. Ita Apostolus *Rom.* XVI. 4. Priscillam & Aquilam cervices suas pro anima ipsius supposuisse dicit.

3 Sumtus necessarios conferre.

VIII. Tertium officium est, ut sumtus, in veritatis divinæ promotionem necessarios, lubentes atque alacri animo conferant. Ac 1. quidem Pastoribus suis de alimento prospiciant Quoniam enim sponte quævis hujus mundi negotia artesque, quibus rem facere solent homines, negligunt, ut se totos studiis sacris auditorumque suorum institutioni consecrent, æquissimum omnino est, ut auditores pastoribus, qui spiritualia ipsis communicant, partem carnalium retribuant. Hoc prolixè docet Apostolus, aliquot adhibitis rationibus, 1 *Cor.* IX. *à vers* 7. *usque ad* 14. *Gal.* VI. 6. *&c.* & 1 *Tim.* V. 17. inquit, ***Presbyteros qui bene præsunt duplici honore esse dignos, præsertim qui laborant in verbo:*** ubi per ***laborare in verbo*** antea ostendimus, non doctrinam simpliciter intelligi, sed ardens quoddam studium ac zelum; & per ***honorem duplicem***, duplex honorarium stipendium, ex verbis immediatè sequentibus; ***Dicit enim Scriptura, bovi trituranti os non obligabis; &, dignus est operarius mercede suâ.*** 2. Sumtus conferant in templorum ac locorum cultui divino consecratorum ædificationem, similiter in scholas publicas juventutisque studiis sacris destinatæ subsidium, tum & pauperum, quos exertè nobis commendat Apostolus, *Galat.* VI. 10. alimentum requisitos.

CAPUT. XVIII.

De Disciplina Ecclesiastica.

Disciplina Ecclesiastica

I. Hactenus singulorum qui Ecclesiam concernunt officium consideravimus. Restat nunc ut porro inquiramus, si qui muneri suo desint, aut contra Jesu Christi Domini nostri præcepta delinquant, quo officio erga tales Ecclesia defungi debeat. Solet id communi ac recepto nomine vocari Disciplina Ecclesiastica. Ea autem duobus actibus absolvitur: 1. Fraternâ ac mutuâ admonitione, reprehensione, ac correctione eorum qui in peccatum aliquod, maximè verò in enorme crimen, inciderint, ut maturè resipiscant. Aut si qui aliquoties moniti pertinaciter in peccato suo absque ullis resipiscentiæ signis perseverant, 2. Eorum vitatione, ac secessione à fraterno eorundum commercio.

duobus actibus absolvitur.

Prior, est Monitio.

II. Monitio ac reprehensio ut rectè instituatur, ante omnia præcedere debet certa peccati cognitio. Aut enim in confesso est, quosdam peccasse, aut res dubia est ac incerta. Si dubia, idoneis prius testibus, aut aliis argumentis, peccator est convincendus, antequam reprehensio institui possit. Hic autem magnâ opus est prudentiâ ac circumspectione, ne quis innocens censuræ subjiciatur. Itaque considerandum, adversus quos & quando accusatio sit admittenda, & quâ ratione inquisitio de crimine occulto sit instituendâ.

Quando accusatio admittenda.

III. In admittenda accusatione discrimen aliquod personarum esse observandum docet Apostolus, 1 *Tim.* V. 19. ***Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*** Quorum verborum sensus non est, presbyterum privatim non posse conveniri, nisi duobus aut tribus testibus criminis alicujus convinci possit, nam si crimen commisit, portet ipsum moneri ut se emendet; si falso sit delatus, ut calumniæ possit occurri, ipsiusque fama integra conservari: sed quòd nemo in consessu seniorum, qui totius Ecclesiæ nomine disciplinam exercent, presbyterum accusans audiri debeat, nisi duobus aut tribus testibus accusationem suam confirmare possit: adversus alium autem, etiamsi testibus destitutus, eatenus audiri potest, ut ulterius inquiri possit, utrum aliquibus indiciis, aut etiam rei ipsius confessione, accusationis veritas possit explorari. Discriminis hujus inter presbyterum, & alium quemcunque, ratio est, ne si facile quælibet erga presbyterum accusatio admitteretur, auctoritas ejus vilescat, ipsiusque ministerium inutile ac inefficax reddatur. Neque etiam levi de causa, aut ex rumore quodam inani ac temerario, (quod adversus neminem licet) aut unius etiam hominis testimonio sinistra de seniore opinio est concipienda, præsertim si ipsius vitæ anteactæ probitas nobis perspecta sit.

Abusus in Papatu.

IV. Interim negari nequit, magnum hujus prærogativæ in Papatu esse abusum, ubi clerus decretis suis nihil aliud nisi peccandi

candi licentiam & impunitatem quæsivisse videtur. Non enim, etiamsi protectione Christiani Magistratus fruantur, ullam Magistratui in clerici delicta inquisitionem aut animadversionem concedunt; sed omnem clerum potestati seculari (ut vocant) eximentes, coram suo tribunali accusationem institui volunt, nullamque, nisi septem idoneis testibus comprobatam, admittendam quandoque decreverunt: ut ita clericos omni, si fieri possit, censuræ eximant. Cùm nos statuamus, neminem censuræ Magistratus exemtum, & posse Magistratum quemcunque contra leges civiles delinquentem sine exceptione, sive clericum, sive laicum, ipso jure Magistratus pro meritis punire.

Inquisitio quomodo instituenda.

V. Inquisitio instituenda est juxta morem & consuetudinem in omni æquo & justo judicio observari solitam. Accusatione auditâ, & rei defensio audienda est. Si negat reus factum, testium testimonium expendendum est; utrum de facti veritate quod testantur plenè sint persuasi, an incerti sint; tum an sincerè testentur, an malo erga reum sint animo affecti, ac proinde ex odio ac malevolentia crimen confingant, aut exaggerent. Tum & reus audiendus, & inquirendum, num ex ipsius ore quædam audiri possint, quæ ipsum criminis reum arguant; tum & argumenta utrinque allata, quibus tam accusatio quàm defensio nititur, expendenda sunt. Si reus factum confiteatur, sed crimen esse neget, etiam facti qualitas juxta verbi divini regulam expendenda ac dijudicanda est.

Quæ vitia ab eâ abesse oporteat.

VI. Abesse autem ab inquisitione oportet vitia, quæ nos veritati sincerè investigandæ minus idoneos reddunt. Qualia sunt. 1. Præjudicium, sive erga accusatorem, sive erga reum conceptum, quod obstat quò minus judicio integri ad causæ inquisitionem accedamus. 2. Προσωποληψία, ut nihil demus favori aut odio. Quod non eò usque extendendum, ut nulla omnino personarum habeatur ratio; convenienter enim cujusque personæ ac muneri censura instituenda est; sed ne nocentes absolvantur, innocentes condemnentur, & ob unum idemque factum, unus absolvatur, alter condemnetur. 3. Celeritas seu præcipitantia, ut maturè omnes facti circumstantiæ, omnia etiam argumenta quibus crimen adstruitur ac diluitur, expendantur, antequam quicquam in alterutram partem definiatur. Hæc omnia Timotheo suo commendat Apostolus, 1 *Epist.* v. 21. 22. *Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

In ambiguis non est ulterior censura instituenda.

VII. Quòd si hisce omnibus ritè observatis delictum adhuc ambiguum est, ulterior censura institui nequit: in dubiis enim semper in mitiorem inclinandum est partem, præsertim si vita anteacta criminis illius suspicionem facile diluat. Non inutile tamen est, amicam adhibere admonitionem, aut votum, ut vitam inculpatè instituat, moribusque sit candidus, quo non tantum à crimine, sed & criminis suspicione liber sit.

Reprehensio.

VIII. Cùm verò delictum est in confesso, sive rei ipsius confessione, sive quod per legitimam inquisitionem sit deprehensum, reprehensio est instituenda. Ea autem variè est temperanda, tam pro ratione personarum, quàm peccatorum.

Illius discrimen, ratione personarum.

IX. Ratione personarum. 1. Quidam enim ingenii magis sunt præfracti, peccatumque suum defendere cupiunt, quasi nihil deliquerint. Hi ex verbo divino sunt convincendi, & severius increpandi: 2 *Tim.* IV. 2. *Insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni potentia & doctrina.* Quidem peccata sua agnoscunt, deplorant, emendationem pollicentur, eorumque veniam orant, cum illis mitius agendum; adhortandi nempe sunt ad pœnitentiam, erigendi spe veniæ ac remissionis peccatorum verè resipiscentibus promissæ, neque nimio rigore ad desperationem adigendi. Huc applicari possunt, quæ fusius leguntur, 2 *Corinth.* 11. 6. & *seqq.* 2. Attendenda est varia hominum indoles. Quidam sunt animi generosioris: hi mollius sunt tractandi, magisque absterrendi ostensa turpitudine peccati, quàm acerbè increpandi. Alii ingenio magis servili; hi asperius tractandi, pœnæque divinæ minis territandi. Ad exemplum prudentis medici, pro cujusque morbo, aut etiam corporis temperamento, remedia illius sanationi maximè accommodata adhibentis. Sic vult Paulus ut Titus Cretenses *increpet durè*, *Tit.* I. 13. Est autem prudentia hæc semper temperanda charitate, ut cognoscant delinquentes se à pastore aut integro synedrio reprehendi non ex prava quadam taxandi libidine, aut pro imperio, ut ægrè ipsis fiat; sed solo salutis ipsorum amore. Inde est quòd eam velit Apostolus fieri *cum omni patientia*, 2 *Tim.* IV. 2. 3. Ratio habenda est ætatis. Aliter reprehendendi sunt senes, aliter juvenes: sic 1 *Tim.* V. 1. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.* Quæ accommodata quidem sunt personæ Timothei, qui juvenis erat; attamen regulam continent ab Ecclesia in quavis reprehensione pro diversa ætatis cujusque ratione observandam. Sed maximè habenda ratio dignitatis personarum. Aliter agendum cum Magistratibus, quàm cum privatis. Honor ac reverentia Magistratui debita requirit, ne publicè, ipsorum vitia coram subditis

subditis traducantur; minuit enim id auctoritatem Magistratus: perinde ac si quis patrem objurgare velit præsentibus liberis; quo facto omni illum in liberos auctoritate exuet. Si quid verò peccet Magistratus, privatim monendus est, ac debita cum reverantia. Ita Samuel Saulem, à Deo licet rejectum, tamen coram Senioribus & Israële honoravit, 1 *Sam.* xv. 30, 31. & Nathan Davidem adulterii & homicidii reum, licet Dei nomine, privatim tamen coarguit, 2 *Sam.* XII. 1. *&c.*

Ratione peccatorum.

X. Ratione peccatorum. 1. Quædam sunt clandestina, & ad paucorum tantum pervenerunt notitiam; vel sine delinquentis infamia ad plures deferri nequeunt; vel etiam semel tantum in id peccator lapsus est, neque ullâ illius consuetudine tenetur. Reprehensio itaque privatim est instituenda & occultè; illius enim unicus scopus est, peccatorem ad resipiscentiam adducere. 2. Quædam pluribus innotuerunt, aut peccatores privatim moniti perrexerunt nihilominus in peccando, aut delictum suum agnoscere & resipiscere noluerunt; aut illius sunt indolis, ut plurium auctoritate magis moveantur, quàm unius aut paucorum: tum coram & à pluribus reprehensio est instituenda, ut tantò fortius peccatorem officii sui admoneat. 3. Tandem quædam peccata sunt manifesta, omnibusque innotuerunt; aut peccatores à paucioribus moniti resipiscere noluerunt: tum coram omnibus reprehensio institui debet. Sic 1 *Timoth.* v. 20. *Peccantes* (nempe quando eorum peccata manifesta sunt, ut res ipsa docet) *coram omnibus argue.* & *Matth.* XVIII. 15. *& seqq.* jubetur frater læsus lædentem, quando nec privatæ illius admonitioni, nec alteri duorum aut trium testium, aurem præbet, tandem deferre ad Ecclesiam; ut ita plurium monitioni cedat. Hac ratione consulitur iis qui deliquerunt, ut ad resipiscentiam adducantur, si ullo modo sanabiles sint; reliquis, ne eorum exemplo ad peccandum alliciantur: inde addit Apostolus, 1 *Tim.* v. 20. verbis mox citatis, *ut & ceteri timorem habeant*: & tandem gloriæ divinæ, ut scandala ex Ecclesia tollantur.

Alter est Vitatio.

XI. Hisce omnibus ab Ecclesia adhibitis mediis, si peccator præfractè in peccando perseveret, neque ulla resipiscentiæ signa edat, adeoque se insanabilem ostendat, superest alter disciplinæ Ecclesiasticæ actus, Vitatio nempe, seu segregatio. 2 *Thess.* III. 6. *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* & *vers* 14, 15. & 1 *Cor.* v. 11. vult Corinthios *non commisceri, si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere.* Verùm ut distinctius de ea agamus, paucis inquirendum, unde ea sit derivata, & quem in finem in Ecclesiam sit introducta: hoc enim indicato verus illius usus clarius nobis innotescet.

Origo excommunicationis inter Judæos.

XII. Videtur vitatio hæc ad synagogæ Judaicæ imitationem instituta. In captivitate Babylonica, quia tum alieno erant imperio subjecti, neque judicia criminalia secundum legem Mosis exercere poterant, introducta fuit quædam segregatio, per quam transgressores & contumaces in officio continerentur. Illius prima mentio occurrit *Esd.* x. 8. *Omnis qui non venerit in tribus diebus juxta concilium principum & seniorum, auferetur universa substantia ejus, & ipse abjicietur de cœtu transmigrationis.* Quò etiam refertur *Nehem.* XIII. 28. Duo erant illius gradus. Primus, excommunicatio sive *Niddui*, נדוי, à verbo נדה, segregare: Vocabatur etiam שמתא, *schamatà*, à שמת, segregavit. (quod quidam excommunicationis genus à priore diversum volunt, sed perperam) Effectus illius erat, ut solitâ popularium consuetudinis libertate reus privaretur, usque dum pœnitentia ad bonam mentem rediens, sententiâ excommunicationis solveretur. Non censebant quippe excommunicatum in numero hominum denario; nec fas erat alteri, præter uxorem & liberos, intra quatuor cubitorum spatium illi assidere: nec, si excommunicatione non esset absolutus, mortuus erat plangendus, quin & tumulus ejus lapidandus. Fiebat ut plurimum in diem trigesimum. Si interea non resipisceret, tempus illud iterabatur; si dië sexagesimo elapso nulla ducebatur pœnitentia, feriebatur τῷ חרם sive anathemate, & accedebant diræ & execrationes. Hoc anathemate percussus omni ferè hominum consortio privabatur; imo & quandoque includebatur tuguriolo exiguo quo ali posset, nullique cum eo licuit commercium habere, neque illi omninò adesse, nisi in quantum necesse erat ut aleretur.

Non est præcepta in Lege, sed instituti humani.

XIII. Ex hisce liquet, totum hunc excommunicationis inter Judæos ritum non ex Lege Mosis derivatum, sed instituti merè fuisse humani. In Lege tamen quædam occurrunt, ad quorum aliqualem imitationem ea introducta est. Mentio enim aliquoties fit anathematis, seu *Cherem*, sed alio planè significatu. Res quippe aut persona diris abhibitis exitio destinata, anathema dicebatur. Hoc sensu sæpius vox *Cherem* occurrit, præsertim in celebri illo de Hierichunte loco, *Jos.* VI. 17. Ex ejusmodi actu excommunicatio postea introducta aliquatenus derivata videtur: quia sicut in *Cherem*, quatenus in Scriptura pro pœna usurpatur, adhibebatur maledictio, illique inclusum erat exitium; ita & in excommunicatione *Cherem* erat maledictio, & cum diris

Mmmmm

ris imprecatio exitii à vindicta divina inferendi, cum separatione, per quam cum homine ejusmodi nihil commune licebat habere; perinde atque res anathemate devota separata erat, nullisque usui concessa. Adhibebant eam tempore captivitatis, vel etiam subjectionis sub alieno imperio, quando judicium liberè secundum legem suam in delinquentes exercere non poterant; vindictamque divinam invocantes peccantibus maledicebant, atque ita eos separabant, ut convictus familiaris libertate pristinâ carerent. Postquam autem semel introducta est, non tantum jurisdictione propriè dictâ privati, sed & in præfecturis quibus jurisdictio revera habita, eam locum habere voluerunt.

Fuit pœna civilis. XIV. Inde apparet pœnam hanc fuisse civilem & externam, non Ecclesiasticam; non enim fiebat à Sacerdote, nec arcebantur è templo, aut è synagogis: nec etiam à festorum, imprimis Paschatis, celebratione; alia erat immunditia legalis & externa, quæ hominem à Paschatis esu excludebat, propter quam neutiquam excommunicabatur; hoc autem templum ingredientibus erat discrimen, quòd alii intrarent viâ dextrâ & inde circumeuntes viâ exibant sinistrâ: lugentes verò & excommunicati viâ sinistrâ intrabant, & sic circumeuntes viâ dextrâ exibant: Sed à familiari hominum convictu erant exclusi.

Qualis pœna fuerit. XV. Hæcque excommunicatio significatur per *ejectionem è synagoga*, cujus mentio *Joan.* IX. 22, 33, 34. XII. 42. XVI. 2. & per *separationem*, *Luc.* VI. 22. quæ non fuit ejectio ex templo, aut synagoga, aut ab ingressu templi aut synagogæ solummodò arcebantur; aut denegatio communionis Sacramentorum, uti hodie quidam perperam credunt; sed ejectio è consortio hominum, nempe, juxta virorum doctissimorum sententiam, per *Niddui*; nam *Cherem* in Jesu Christi sectatores demum post resurrectionem decerni cœpit.

Imitatio illius in Ecclesia Christi. XVI. Ecclesia Christiana, quæ proba Synagogæ instituta, & ad pietatis promotionem spectantia, facile imitabatur, hunc separationis ac anathematis ritum, ut sectatores suos in officio melius contineret, aliquatenus adscivit; quod eò facilius introductum est, quia primò integra Ecclesia ex Judæis, aut proselytis justitiæ collecta est, quibus, utpote disciplinæ isti assuetis, eadem facile imponi potuit; postea fide ad alias gentes etiam translatâ, eadem disciplina ad ipsos propagata est; non tamen per omnia Judaicæ conveniens, sed usu & fine ejus aliquatenus immutato, & pro ratione Religionis Christianæ ad majorem humanitatem accommodato.

1. Per vitationem. XVII. Si quis fidem profitens impiè viveret, eundem Apostolica instituta volebant vitari, id est, familiare illius consortium abrumpi: hoc præcipitur, 2 *Thess.* III. 6. & nominatim 1 *Cor.* V. 11. ubi expressè additur, *si quis frater nominetur*. Interim non omne omnino commercium abrumpi volebant; moneri enim debebat ad resipiscentiam, 2 *Thess.* III. 14, 15. *Ne commisceamini cum illo ut confundatur; & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem:* sed familiare tantum convictus ac consuetudinis commercium, absque illo fine. Quæ vitatio affinitatem habebat cum Judæorum נדוי, seu separatione.

2. Per excommunicationem. XVIII. Si hac vitatione nihil proficeretur, neque peccans ad pœnitentiam adduceretur, denuntiabatur à fraternitate exclusus. Quia autem intima fraternitatis testatio fit usu Sacræ Cœnæ, ab illius communione arcebatur, & publice declarabatur non esse membrum Ecclesiæ. Hæcque aliquatenus respondit Judæorum חרם; quia cum illius ita fraternitate exclusi execratione, seu exitii æterni denuntiatione erat conjuncta; pronuntiabat quippe Ecclesia, talem peccatorem partem non habere beneficiorum Christi, atque à salute æterna exclusum, ideoque à se, ut fraternitatis suæ membrum, agnosci amplius non posse. Hanc creditur Apostolus Paulus designasse voce *anathematis*, *Gal.* I. 8. & per *anathema maranatha*, 1 *Cor.* XVI. 22. quam posteriorem vocem credunt eruditi solennem fuisse acclamationem post Cherem: quasi dicerent, *Dominus venit*; seu potius votum, *Dominus veniat*; nostramque imprecationem effectu ipso comprobet. Vult ergo Paulus, omnes, qui non amant Dominum Jesum Christum, eo anathematis genere feriri, cujus pronuntiationi Judæi solebant acclamare, *Maranatha*.

Discrimen inter Judæorum & Christianorum separationem. XIX. Illud autem discriminis inter Christianorum & Judæorum separationem fuit, quòd peccator ita à fraternitate exclusus, non amplius in convictu familiari, uti inter Judæos, vitabatur; sed solummodò reputabatur tanquam extraneus, & tanquam cum tali conversatio instituebatur. Hinc Apostolus 1 *Cor.* V. quando monet *ne edant cum fornicario*, &c. *si frater nominetur;* expressè dicit, se hoc non intelligere *de fornicariis hujus mundi*, &c. *alioquin*, inquit, *debueratis de hoc mundo exiisse*.

Discrimen inter potestates. XX. Ut autem distinctius de Disciplina hac disseramus, distinguendum inter potestates, quæ ad obsequium homines obligant. Alia nempe est externa, quæ externam regiminis Ecclesiæ formam spectat; & quatenus ad parendum obligat, vicem gerit Magistratus. Alia est interna, quæ per verbi ministerium voluntatem flectit ad obsequium; hæc nulli nisi soli Deo subest; hæcque propriè est spiritualis.

Et inter diversos XXI. Deinde distinguendus est Ecclesiæ status.

Ecclesiæ status. status. Vel enim vivit sub Magistratu Christiano, qui ejus curam gerit, eamque protegit ac defendit; ac templa publica in quibus exerceatur erigit: vel sub Magistratu non Christiano, ejusdemque persecutore; sive etiam qui illius Ecclesiæ curam nequaquam gerere vult, sed illam per se res suas administrare permittit; uti hodie in diversis Christianorum cœtibus, à publica Ecclesia seclusis, & Magistratuum protectione destitutis, contingit.

Disciplina Ecclesiastica non est judicium ex potestate spirituali, vi coactiva prædita. XXII Quod itaque attinet disciplinam Ecclesiasticam, contendunt quidam eam esse judicii formam, quæ à personis merè Ecclesiasticis exercetur, ex potestate quadam spirituali (ut vocant) Ecclesiæ à Domino Jesu Christo tradita, quæ vi coactivâ destituta non est, per quam vitam moresque omnium, etiam Magistratuum, examinare, & si delinquant eos censurâ notare possunt, quin & ipsius Sacræ Cœnæ usu interdicere: eamque esse potestatem ejusmodi, quæ nullius imperio in terris subjacet, & à qua provocare nemini licitum est. Nos autem nequaquam potestatem, vi coactivâ armatam, Ecclesiæ traditam agnoscimus: quoniam enim spiritualis esse agnoscitur, vi coactivâ ut armata sit, fieri nequit. Est enim vis coactiva externum quid: potestas autem spiritualis quid internum, quæ omnem vim coactivam excludit. Sic ipse docet Apostolus, 2 *Cor.* x. 3, 4, 5. *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus; Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Omnis enim ejus vis in persuasiône est sita; neque decreta ullius hominis aut Ecclesiæ ulterius obligant, quàm quis in conscientia est persuasus, ea cum verbo Dei consentire: quia omnis Ecclesiæ actus propriè versatur circa informationem conscientiarum; ut homines perducantur ad æternæ vitæ possessionem. Et huic fini inservit hæc Ecclesiæ disciplina; ut per eam ipse delinquens in meliorem frugem reducatur; & alii illius exemplo moniti à peccando sibi caveant. Ea autem vim suam solummodo habent apud illos, qui disciplinæ illius exercitium verbo divino consentaneum credunt. Si verò disciplina illa exerceatur ob actum, quem quis à Deo sibi præceptum credit, nequaquam per disciplinam Ecclesiæ inducetur ad ejus omissionem, sed potius Ecclesiæ judicium, ut verbo divino adversum, respuet. Hic nulla valet vis externa, nulla coactio. Conscientia enim cogi non potest ad credendum quod non vult, & quod verbo divino repugnare persuasa est. Debet convinci rationibus, quas Religio Christiana affatim, easque evidentissimas, suppeditat; quam persuasionem si quis velit vocare coactionem, eodem sensu quo *Luc.* xiv. 23. dicitur, *compelle intrare*, næ ille impropriè admodum loquetur. 2. Si potestas Ecclesiæ sit jurisdictio propriè dicta, aut ea superior est potestate Magistratus, aut ei coordinata. Superiorem non esse agnoscunt omnes Reformati, & evincitur ex *Rom.* xiii. 1. & *seqq.* Nec etiam coordinatam esse liquet: quia repugnat rectæ rationi, & omnino ἀδύνατα sunt, in unâ eâdemque Republicâ duas dari summas potestates, Ecclesiasticam unam, civilem alteram, sibi coordinatas, omnisque exinde necessariò oriri debet confusio, si contingat (uti contingere posse, & non rarò contingere manifestum est) earum potestatum judicia, non tantum variare, sed & è diametro sibi invicem repugnare.

XXIII. Dicimus ergo, quando Magistratus est Christianus, Ecclesiamque protegit ejusque curam gerit, & in illius usum templa publica erigit, in quæ ad cultum Dei conveniat, posse Ecclesiam certam disciplinæ formam, verbo divino consentaneam, instituere. Attamen reverentia quæ Magistratui, ut Ecclesiæ protectori, & templorum publicorum erectori, debetur, exigit, ut ea, nisi à Magistratu approbata, in templis publicis vim legis aut regulæ non obtineat. Si Magistratus nullam Ecclesiæ curam gerat, possunt fideles per mutuam confœderationem leges condere, quibus se omnes subjiciant, præficere aliquos censores morum, & voluntaria subjectione se obligare ad obediendum. Ecclesia verò juxta illas leges censuram & disciplinam exercere potest. Hæc autem omnia, quatenus jurisdictionem aliquam propriè dictam externam includunt, ac coactionem significant & adjunctam habent, non sunt spiritualia, sed civilia. *Quomodo sit exercenda.*

XXIV. Dices: An ergo nihil in disciplina hac spirituale est? Resp. Omninò: quatenus homo evidentibus rationibus ex verbo divino depromptis convinci potest se ob peccata sua æternæ damnationis esse reum, ac proinde jure sibi Ecclesiæ communione interdictum. Ministrorum enim potestas, aut etiam Seniorum, si se injustè excommunicatum credit, eum neutiquam convincet: fieri potest, ut pœnam extimescat civilem, aut infamiam coram hominibus, sed de salute æterna coram Deo securus erit. *Quid in ea sit spirituale.*

XXV. Disciplina ergo Ecclesiastica, quatenus Ecclesiastica, non est propriè dicta jurisdictio externa; eâ enim Ecclesia est destituta; sed denuntiatio seria peccatori facta, eum ob præfractam in peccatis ac operibus carnis perseverantiam æternæ damnationis, juxta Evangelii Jesu Christi regulam, esse reum; ac proinde non licere sibi *Quid in se consistat.*

Mmmmm 2 cum

cum ipso, quamdiu talis est, ut cum fratre, communem celebrare Cœnam: ut hoc modo peccati sui convictus ad pœnitentiam adducatur. Non itaque tam est ejectio ex aut separatio ab Ecclesia, quàm voluntaria Ecclesiæ secessio, quâ Ecclesia sibi ipsi legem dicit, non amplius cum tali homine Cœnam celebrandi.

Sensus Matth xvi. 18. XXVI. In contrarium tamen adferri solet, quòd Ecclesiæ à Domino etiam concessa sit clavis ligans, quâ peccata in terra & in cœlo ligantur ac remittuntur. *Matth.* XVI. 18. Resp. *Ligare* & *solvere* olim inter Judæos significabat, aliquid pronuntiare licitum, vel illicitum: uti prolixè docet Seldenus *de Synedriis Hebræorum, lib.* I. *cap.* VII. §. 2. Hic autem non promittitur Ecclesiæ potestas peccata ligandi, ac solvendi: sed Petro promittitur potestas solvendi & ligandi: hoc est, declarandi quid licitum, quid illicitum sit. Ostendimus antea contra Pontificios, Petro hic non promitti potestatem ac regimen propriè dictum in Ecclesiam; sed potestatem Euangelium, quod leges salutis ac damnationis æternæ continet, annuntiandi, seu declarandi, quid faciendum, & à quibus abstinendum sit homini, ut salutem obtineat æternam. Quia itaque à Petro reliquisque Apostolis doctrina est tradita, leges salutis ac damnationis continens, potest Ecclesia pronuntiare hominem leges Euangelii transgredientem, quamdiu talis est, salute æternâ exclusum, quoniam facit quæ Petrus ligavit, hoc est, jussu Dei illicita pronuntiavit; aut non facit quæ Petrus solvit, hoc est, legitima ac justa, ac proinde facienda declaravit. Quæ tamen pronuntiatio si regulæ Euangelii non respondeat, nullius est auctoritatis.

Sensus Matth. XVIII. 17. XXVII. Dices: Jubet tamen Dominus, ut Ecclesia ejusmodi hominem habeat instar Ethnici ac publicani. *Matth.* XVIII. 17. Resp. Quia de loci hujus sensu genuino admodum controvertitur, operæ pretium est eum accuratius paulò inquirere. Existimat Erastus, in *Thesibus* suis *de Excommunicatione, thes.* XLI. *& seqq.* per *Ecclesiam* hoc in loco intelligi Synedrium Judæorum: nullum tamen illius significationis exemplum adferre potest: verborum itaque, *dic Ecclesiæ*, sensum esse, dic populi tui Magistratui: si cum non audiat, *esto tibi velut Ethnicus & publicanus*, id est, age adversus eum, perinde atque adversus Ethnicum & publicanum, coram tribunali Ethnico seu Romanorum. Ut non omnia ac singula hujus explicationis membra confutemus, duo dicimus. 1. Hæc explicatio si admittatur, tum Dominus Jesus non concessisset tantum, sed & præcepisset privatæ injuriæ vindictam; quod directè huic ipsi textui, & præcedentibus versibus repugnat; & maximè posteriori hujus Cap. parti, a *vers.* 21. *ad fin.* nec non præcepto, *Matth.* V. 38, 39. *& seqq.* 2. Potest ejusmodi ab homine esse commissum peccatum, quod eum æternæ mortis reum facit, & quod tamen alter in judicio publico persequi non potest: ut quòd dixerit *Raka*, *fatue*: quid hic remedii? Alii existimant hic a Domino Jesu institutam excommunicationem. Verùm nec eam hic præcipi, illud evincit: quia tum nondum erat instituta Ecclesia repræsentativa, cujus solius officium esse volunt excommunicare. 2. Ecclesiæ nulla hîc potestas tribuitur, nisi monendi. 3. Agitur solummodò de privata injuria, & docetur, quis processus sit adhibendus, ut frater tali in casu ad pœnitentiam adducatur. 4. *Pro Ethnico & publicano habere* non est arcere à Cœna: non enim publicani templo arcebantur, uti ex *Luc.* XVIII. 10. liquet: sed cum eo tanquam cum Christiano ac fideli amplius non conversari, eumque non alio loco habere quàm Ethnici. 5. Tandem, Ecclesia eum non jubetur habere pro Ethnico & publicano, sed solummodo frater læsus; *Sit tibi*, inquit, Dominus, non Ecclesiæ, instar Ethnici, &c. Per *Ecclesiam* itaque intelligitur cœtus fidelium, sive magnus sive parvus, sine respectu, utrum in formam cœtus Ecclesiastici sit redactus, nec ne, oppositus duobus aut tribus testibus. Quid *ligare* & *solvere* inter Judæos olim significaverit, mox dictum est. Si hic non idem significari, sed diversum quid, velimus: Dicendum erit, esse exercitium disciplinæ, ligationi illi & solutioni consentaneum. *Ligare*, itaque, quod est Ecclesiæ actus, hîc denotabit, aliquem impœnitentiæ ita implicatum reddere, ut manifestum sit ipsum pertinacem esse & resipiscere nolle: *Solvere* itaque erit, ad pœnitentiam adducere. Potest etiam *ligatio* accipi, de pronuntiatione sententiæ condemnationis in hominem ejusmodi quamdiu impœnitens est; quæ etiam, quia verbo divino conformis est, rata erit in cœlis. Illi ergo opposita *solutio*, est declaratio contraria, quod absolutus sit à peccato; nim: si seriò resipiscat: alias enim notum est resipiscentiam simulari posse: hinc Ecclesia, nunc dono discretionis spirituum destituta, non nisi expressâ hac conditione solvere potest.

XXVIII. Dices. Est etiam judicium cum potestate Iesu Christi exercitum, quin expurgatio & ejectio è medio Ecclesiæ, imo verò traditio Satanæ, 1 *Cor.* V. 1. *& seqq.* 1 *Tim.* I. 20. Resp. Primò hic rursus nobis improbanda venit sententia Erasti, *thes.* LIX. credentis hanc traditionem Satanæ fieri ut homines ita traditi à Satana occidantur, & condemnentur. Sed verò, ne alia dicamus, finis, in quem hæc traditio Satanæ fit, directè huic explicationi repugnat, *ut spiritus servetur in die Domini.* Similiter & 1 *Timoth.* I. *ut* *Quid sit, traditio in potestatem Satanæ.*

discant

discant non blaspheмare: quod locum habere nequit homine à Satana perempto ac jam condemnationi inevitabiliter destinato. Sed nec excommunicationi in hoc loco quicquam est præsidii. Fuit enim hæc non actio Ecclesiæ, sed Apostoli, ex speciali potestate sibi tanquam Apostolo concessa. Neque fuit hæc traditio Satanæ excommunicatio, sed, ut ante ostendimus, traditio in potestatem Satanæ tanquam carnificis, ut hominem istum in carne torqueret, morbo aliove incommodo vexaret; ut hac castigatione ad resipiscentiam adducatur, spiritusque in die Domini salvus fiat. 2. Non obscurè liquet ex 2 *Cor.* II. uno correptionis genere incestuosum fuisse notatum: loquitur enim Paulus de una *ἐπιτιμίᾳ*, & monentur Corinthii condonare incesto; de solutione ab excommunicatione nullum illic occurrit verbum. 3. Nec eâ hîc opus fuit, utpote graviore hic adhibitâ pœnâ, traditione nempe in Satanæ potestatem. Dices. Apostolum tamen hîc non loqui de actu sibi peculiari, quia eum vult præstari ab vel cum Ecclesia. Resp. Dicit Apostolus, se absentem quidem corpore, sed spiritu præsentem, id facere cum Ecclesia; non autem Ecclesiæ præcipit, ut id semper faciat, etiam spiritu Apostolico destituta. Quamdiu Ecclesia Apostolos habuit præsentes, multa extraordinaria & admiranda cum Apostolis facere potuit; sed absque virtute Apostolica sibi adsistente, & post Apostolorum obitum, ea potestate destituta fuit. Sed licet concedamus hîc nihil occurrere extraordinarium, Ecclesiæque idem quod hîc injungitur in perpetuum mandari, dicimus hîc nullam designari potestatem quæ cum externa coactione exerceretur; Ecclesia enim tum vivebat sub Magistratu infideli; sed talem solummodò, qua Ecclesia testatur, sibi fas non esse cum ejusmodi peccatore tanquam cum Christiano vivere.

Quid faciendum, si excommunicatus invitâ Ecclesiâ Cœnæ communicare velit.

XXIX Dices: Quid si excommunicatus nolente & invitâ Ecclesia velit communioni Cœnæ interesse? Resp. 1 Casum istum vix credibile esse exstiturum; saltem quin rarissimus sit dubitari nequit. 2. Si Ecclesia sit sub tutela Christiani Magistratus, etiam Magistratus est ejusmodi hominem coërcere, ne Ecclesiam ullo modo turbet. Si verò Magistratus præsidio destituta est, sufficit ut Ecclesia declaret, eum pro fratre non agnosci; & si nihilominus ad Cœnam accedit, futurum id ad majorem sui condemnationem. Solet præterea adferri locus *Gal.* v. 12. Sed quoniam & hæreticidio incrustando adhiberi solet, illum ibi expendemus.

Includit disciplina etiam denegationem Cœnæ.

XXX. Sed & ab altera parte illorum probare non possumus sententiam, qui disciplinam hanc solâ vitatione familiaris convictus, & distantiâ ad quatuor cubitos, quin & dirarum imprecationibus, juxta Judaicæ Excommunicationis morem, circumscribunt; Cœnæ verò sacræ participationem non impedire contendunt. Ut jam non respondeamus, illos absque auctoritate Judaicas superstitiones ac austeritatem primis Christianis tribuere, quos morem hunc, quatenus emendandis moribus inservit, adscivisse quidem constat, non autem quæ Judæi superstitiosa addiderant observare solitos; Dicimus, concipi non posse, quomodo quis Ecclesiæ judicio ob peccata & pervicaciam pronuntiatus reus æternæ mortis, nihilque cum beneficiis Christi commune habens, tamen ab ea admitti possit ad Cœnam, solenne communionis Christi symbolum; & quicum familiaris convictus est interdictus, quomodo spiritualis cum eo coli possit communio?

Discrimen inter ceremonias Judaicas & Christianas.

XXXI. Dices. Et in populo Judaico excommunicati non arcebantur à sacrificiis, Paschatis esu, aliarumque ceremoniarum legalium usu. Resp. Aliam longè esse ceremoniarum legalium, aliam Euangelicarum, sicut & aliam populi Judaici, aliam populi Christiani rationem. Populus Judaicus carnali generatione ex Abrahamo descendebat, neque ullo delicto generatio hæc immutari potuit: Ceremoniæ illius Legis non erant testificatio solennis, exactæ præceptorum Legis observationis, sed à Deo populo isti carnali præscriptæ, tum ut memoriam beneficiorum suorum conservaret, tum ut sub illarum disciplina tanquam sub pædagogo contineretur; & ut perfectiorem cultum in Novo Testamento locum habiturum adumbrarent: Ceremoniæ verò Novi Fœderis institutæ quidem sunt ad commemorationem divinorum beneficiorum; ita tamen, ut & solennem in se includant professionem, vel renuntiationis peccatorum, uti Baptismus, vel communionis cum Christo per fidem veramque sanctimoniam, ut Cœna: quâ solâ etiam quis populo isti spirituali, tanquam per spiritualem regenerationem, inseritur. Istâ ergo regeneratione per vitam profanam extinctâ status hominis immutatur, populi illius spiritualis pars non est, neque Ecclesia cum eo ut cum tali communionem spiritualem amplius observare potest.

Cur homo jubeatur seipsum explorare.

XXXII. Dices. Nusquam tamen Ecclesiæ præcipitur, ut peccatores à Cœnæ communione arceat; sed unicuique præcipitur, ut *seipsum probet, atque ita de pane illo edat, & calice bibat*, 1 *Cor.* XI. 27. *&c.* Resp. Vitatione ejusmodi, qualem antea descripsimus, præscriptâ, non necesse videtur novam interdictionem de prohibitione ab usu Cœnæ superaddere; interdicto enim laxioris familiaritatis convictu, etiam arctior convictus interdictus credi debet, præsertim nullâ accedente vitæ emendatione.

Ratio tamen erat cur unicuique sui ipsius probatio commendaretur. 1. Vitium enim, quod illic in Corinthiis Apostolus reprehendit, non ante Cœnæ celebrationem, sed in ipsa Cœnæ celebratione committebatur: vult ergo unumquemque seipsum explorare, quo animo ad Cœnam accedat. 2. Quædam vitia sunt occulta: & in animo latent. Ecclesia tantum judicat de scandalis & peccatis, quæ quemquam in aliorum conspectu Christiani nomine indignum reddunt.

Pœnitens rursum ab Ecclesia est recipiendus. XXXIII. Quoniam autem omnis hæc disciplina instituitur, ut peccator ad resipiscentiam adducatur, fine illo obtento, & peccatore jam resipiscente, ac resipiscentiam suam externis operibus testante, Ecclesiæ officium est eum in pristinum statum restituere, nec eum amplius vitare, sed ut antea pro dilecto in Christo fratre agnoscere. Quomodo autem hæc receptio fieri debeat, non eadem est omnium sententia, neque eadem semper in Ecclesia observata ratio. In antiqua quippe Ecclesia varii hic ritus ac gradus observari soliti. Non tantum enim mos obtinuit, ut excommunicati, licet plenè cum Ecclesia reconciliati, in nullam Ecclesiæ dignitatem seu præfecturam postea allegerentur; verùm etiam ut præter confessionem solennem, etiam longa pœnitentiæ publicæ tempora, complures sæpe anni, præcederent; loca item varia assignarentur, per quæ gradatim pœnitens resipiscentiam suam testandi causa tandem in communionem reciperetur. 1. Stabant ante portas oratorii cum signis reatus flentes, ingredientesque orabant, ut pro se precarentur. Hæc erat πρόσκλαυσις. 2. Recipiebantur ad auditum intra portam in vestibuli aditum, post catechumenos. Hæc erat ἀκρόασις. 3. Erat ὑπόπτωσις seu substratio, unde pari velut jure ibi cum catechumenis manendo, cum iisdem exire poterant. 4. Erat σύστασις, consistebant inter fideles seu cœtum Christianum, aspicientes communionem fidelium ad mensam Domini. 5. Tandem in certo loco tempus reconciliationis certum exspectabant (locus dicebatur μέτωσις) & post impositionem manuum ab Episcopo factam, inter communicantes rursum admittebantur; & tum plena pax erat. Hæc omnia sicut excogitata sunt ad majorem peccati detestationem excitandum; ita & piè & cum fructu usurpari possunt, modò absit superstitio & necessitatis opinio. Nobis simplicissima agendi ratio maximè probatur; quâ Ecclesia, ubi veræ resipiscentiæ signa deprehendit, quatenus nos homines, qui καρδιογνῶσται non sumus, sed secundum judicium charitatis æstimamus, ea deprehendere possumus, testatur licere sibi cum resipiscente Christianam denuò communionem colere; atque ita ipsum in spiritualem suam societatem recipit.

Abusus disciplinæ. XXXIV. Ex dictis liquet, multos Disciplinâ hac turpitur abuti, veroque ejus usu ac scopo neglecto, finem quærere ab ejus institutione alienum. Tales sunt,

Primus. XXXV. Primò. Qui disciplinam hanc exercent cum potestate externa ac coactiva, ad stabiliendum hierarchiam Ecclesiasticam. In Christianismi initio simplex illius erat usus, & intra meram Ecclesiæ vitationem consistebat: At sensim, simplicitate illâ neglectâ, potestatis cujusdam Ecclesiasticæ cœpit esse exercitium, & majore cum rigore, & supereminentiæ cujusdam titulo administrari. Donec tandem, cùm rerum summa esset penes Imperatores Christianos, Episcopi majorem potestatem adepti, sibi claves regni cœlorum vindicarunt, potestatemque homines ligandi ac solvendi; quam tandem Romanus Episcopus sibi soli in reliquos arrogavit. Exinde disciplina hæc conversa in potestatis cujusdam Ecclesiasticæ, nulli hominum subjectæ, exercitium, quâ cœlum aperire ac claudere possent pro arbitrio. Quam potestatem & Reformatos, licet antea in Pontifice Romano rejectam, sibi arrogare videmus: manifesto ac turpi Disciplinæ hujus abusu. Cùm enim Ecclesia sibi ipsi legem dicat impios vitandi, illi auctoritatem sibi arripuerunt homines potestate quadam coactiva ex Ecclesia ejiciendi.

Secundus. XXXVI. Secundò. Quod prioris solet esse consequens, qui excommunicationem vibrant in immerentes: nimirum, non peccatorum gravium, quorum patratio salutis æternæ spem exstinguit, reos; sed in errantes, nec tamen à salutis fundamento quod Scriptura tradit recedentes; aut instituta quædam humana & externa, Scripturæ ignota & pro arbitrio excogitata, non observantes. Cùm enim Deus unicus sit legislator, gravissimum in majestatem divinam crimen est, damnationi æternæ addicere, & Ecclesiâ proscribere, in quos Deus nusquam condemnationis sententiam pronuntiasse legitur. Institutum Judæorum erat, ut temerè quempiam excommunicans ipse excommunicetur. Tales etiam temerè homines orco adjudicantes, metuere opus habent, ne eodem judicio quo alios judicarunt, ipsi à Deo judicentur: juxta *Matth.* VII. 1, 2.

Tertius. XXXVII. Tertiò. Qui disciplinam hanc exercent, non tam ad emendandum peccatorem, sed ex vindictæ cupiditate, & ut excommunicato publicam inurant infamiam, plebique exosum reddant: quoniam solam spectare debet peccantis emendationem. Tales sunt, qui excommunicant sponte à se decedentes. Illi enim turpiter se disciplinâ hac abuti testatum faciunt;

quæ

quæ cùm instituta sit, ne Ecclesia impiorum consortio contaminetur, perperam admodum exercetur contra eos, qui sponte Ecclesiam deserunt. Neque aliud tali excommunicatione præter vindictam spectari posse videtur.

Quartus. XXXVIII. Quartò. Tandem, qui excommunicatorum vitationem præscribunt adeo rigidam ac severam, ut nec eos qui contractu aliquo divino ac indissolubili, ut conjuges; vel naturæ lege, ut liberi; vel officii necessitate, ut servi & ancillæ; vel sibi ipsis invicem, vel alteri saltem alteris obligati sunt, excludat: quales sunt inter Anabaptistas quidam rigidiores. Præterquam enim quòd primitivum hujus vitationis usum, quæ strictè observabatur ante excommunicationem sic dictam, quamdiu quis frater nominabatur, sed excommunicatione peractâ, & peccatore non amplius quicquam cum Ecclesia habente commune, in familiari convictu cessabat, plane pervertant; etiam in legem Dei moralem, de indissolubili matrimonii vinculo, honorandis parentibus, &c. admodum injurii sunt, qui eam cedere volunt præcepto cuipiam externo, cujus observatio verâ sanctitate destituta esse potest. Sed quoniam de Conjugum officio differentes hunc abusum prolixius taxavimus, paucis hæc nunc indicasse sufficiat.

CAPUT XIX.

De Synodis.

Synodi. I. HActenus consideravimus Ecclesiæ officia circa ejusmodi negotia, quæ singulas Ecclesias & seorsim consideratas concernunt: Restat ut porro inquiramus, si quid magis arduum in doctrina, moribus aut ritibus Ecclesiasticis disceptandum inciderit, quod vel omnes, vel plures saltem particulares Ecclesias concernit, quo medio hoc ad communem Ecclesiarum pacem & ædificationem expediri debeat. Medium hoc est Synodus, seu conventus Ecclesiasticus, ex variarum Ecclesiarum delegatis in nomine Domini congregatus. Synodi verò pro ratione Ecclesiarum, ex quibus convocantur, variè distinguuntur: aliæ enim sunt unius diœcesios, Diœcesanæ; aliæ unius provinciæ, Provinciales; aliæ unius nationis aut regni, Nationales, aliæ omnium Ecclesiarum in variis regnis dispersarum, Universales seu Oecumenicæ vulgò dictæ, prout negotium quod tractandum est plures pauciorésve concernit Ecclesias.

Quinque hic consideranda. II. De Synodis acturi considerabimus, I. Earum necessitatem ac utilitatem. II. Quomodo sint convocandæ. III. Quinam in illis comparere debeant, quæque in iis sint tractanda. IV. Quâ ratione ea tractare oporteat. V. Quænam Synodorum sit auctoritas.

I. Synodorum necessitas ac utilitas. III. Primò ergo, Synodi, licet maxima cum Ecclesiæ utilitate celebrari possint, si omnia timore Domini, sepositis affectibus humanis, peragantur; non tamen nec ad esse, nec ad bene esse Ecclesiæ absolutè sunt necessariæ. 1. Nusquam enim in Scriptura Sacra earum convocatio præscribitur. Dices: Legitur tamen *Matth.* XVIII. 17. *Dic Ecclesiæ.* Resp. 1. Nihil illic præcipitur Ecclesiæ, sed homini læso, ut fratrem lædentem, omnibus ad ejus emendationem frustra adhibitis remediis, tandem ad Ecclesiam deferat. 2. Ostendimus antea, Ecclesiam illic non denotare Ecclesiam repræsentativam, seu pastores ac seniores, ex quibus solis Synodos convocari volunt; sed cœtum fratrum plurium duobus aut tribus oppositum. 3. Non agitur de re controversa & dubia, ob quam (uti videbimus) Synodos convocari volunt, ut earum auctoritate dirimatur: sed de re nota, sc. injuriâ in fratrem commissâ, non ut ea dirimatur, sed ut lædens Ecclesiæ auctoritate ad pœnitentiam adducatur. 4. Quicquid Dominus Jesus illic peragi vult, tam præstari potest à laicis Ecclesiæ membris, quàm à pastoribus. 5. Tandem etsi concederetur hîc de Ecclesia repræsentante sermonem esse, quibus consequentiis integra Synodus ex hisce verbis elicietur? Secundò. Quicquid ad esse aut bene esse Ecclesiæ absolutè necessarium est, divinâ oportet præditum sit auctoritate, vimque habeat conscientias obligandi. Talis non est auctoritas Synodorum, sed solummodò humana, uti in sequentibus plenius ostendemus. Tertiò. Tribus primis Ecclesiæ Christianæ seculis, quibus, si cum sequentibus comparetur, & fidei sinceritate, ac morum probitate ac charitate maximè floruit Ecclesia, nulla celebrata sunt Concilia.

Non sunt illicitæ. IV. Illicitas tamen censendas non esse, ex Apostolorum exemplo, *Act.* xv. liquet. Licet enim ibi non fuerit Synodus ex variarum Ecclesiarum deputatis congregata, sed solius Ecclesiæ Hierosolymitanæ conventus, sub duorum Apostolorum Petri & Jacobi præsidio, tamen ipse hic conventus, & negotium ibi pertractatum, ac cujus causa convocatus fuit, non obscurè indicant, in negotiis magni momenti etiam Synodos convocari posse. Quanquam nostræ Synodi multum ab illa discrepant, & auctoritate inferiores sunt. Imò si morem Synodos habendi receptum inspiciamus, fermè illicitæ censendæ sunt. Sed abusum à re ipsa separandum novimus. Imò maximâ aliquando cum Ecclesiæ utilitate institui posse agnoscimus, si legitimè celebrentur. Quædam enim negotia plures simul concernunt Ecclesias particulares: quod autem omnes concernit, ab omnibus ut tractetur æquum est. 2. Hoc modo unio & confœderatio magis conservatur, si plures Ecclesiæ negotia sibi commu-

communia simul tractent. 3. Quin & omnia ordine fiunt in Ecclesia. Meritò tamen dubitari possit, an unquam tam felicia fuerint Ecclesiæ tempora, ut omnia, quæ in verè Christiana Synodo requiruntur, observata sint, præter Synodum Apostolicam; ac proinde, an non per Synodos plus mali quàm boni redundaverit in Ecclesiam: quemadmodum omnium Synodorum historia clarè docet: Ac proinde, an non melius consultum fuisset Ecclesiæ, si nulla unquam Synodus ad decisionem dogmatum fidei convocata fuisset.

2. Quomodo sint convocanda. V. Secundò. Ratio convocandarum Synodorum est diversa, pro diverso Ecclesiæ statu. Si enim vivat sub Magistratu Christiano, qui Ecclesiæ curam gerit, perinde uti officium illius est externum Ecclesiæ ordinem ac regimen architectonicè moderari, & publicum Dei cultum in ea sartum tectum conservare; ita & illius est Synodos convocare, omniaque in illis ad Dei gloriam Ecclesiæque ædificationem dirigere. Si verò Magistratus protectione destituta sit, eorum est, quibus per mutuam fidelium confœderationem Ecclesiæ regimen creditum est.

Jus illas convocandi non est penes Papam. VI. Urgent hîc Pontificii, jus Concilium Generale convocandi ad Pontificem Romanum pertinere, adeo ut Concilium ab ipso non convocatum illegitimum sit: quia non est Ecclesiæ concilium legitimum, nisi congregetur *in nomine Christi*; hoc autem nihil ipsis aliud esse videtur, quàm congregari auctoritate Christi, id est, ab eo, qui à Christo habet congregrandi auctoritatem. Sed quis non videt, totum hoc argumentum niti universali Papæ in Ecclesiam monarchiâ, antea à nobis variis argumentis eversâ? Porrò *in nomine Christi* congregari, non tam est auctoritate Christi congregari, quàm finem conventus totamque adeo actionis tractationem ac directionem Christi voluntati esse convenientem, & talem qualem Christus probat, & pro sua agnoscit. 2. Falsum est, congregrationem in nomine Christi dependere ab auctoritate convocantis: possunt enim duo vel tres nullâ alterius hominis auctoritate missi in Christi nomine congregari, *Matth.* XVIII. 20. Dices. *In nomine* alicujus quid facere, tantumdem est, atque auctoritate illius facere, *Marc.* XVI. 17. *Joan.* V. 43. *Matth.* VII. 22. *Act.* IV. 10. 7. Resp. Ne jam singula loca excutiamus, concedimus *in nomine* alicujus quid facere, aliquando denotare id illius auctoritate facere; sed & aliquando significat illius voluntati consentaneë, & ad illius gloriam facere, *Eph.* V. 20. *Coloss.* III. 17. *Hebr.* VI. 10. in quo postremo loco nota eandem occurrere phrasin Græcam, quæ *Matth.* XVIII. 20. εἰς τὸ ὄνομα, non, ἐν τῷ ὀνόματι. Ut jam alias plures illius phraseos significationes non proferamus. Secundò: Dicunt, Christus, cùm in cœlum adscendit, non commisit Ecclesiam gubernandum, ac proinde congregandum, Tiberio, sed Petro. Resp. Antea ostendimus, Petro non magis quàm aliis Apostolis Ecclesiæ gubernationem fuisse commissam. 2. Immediatè quidem Tiberio Ecclesiæ gubernatio non est commissa, quia ut Ethnicus & infidelis Ecclesiæ curam neglexit. Si ad fidem conversus, aut in statu infidelitatis suæ Ecclesiæ directionem suscipere, & Ecclesiæ publica templa erigere, voluisset, sicut ipso Magistratus jure ipsi competunt templa publica, reliquique sumtus, quos in Ecclesiæ emolumentum impendit, ita eodem jure externa Ecclesiæ directio ipsi subjecta fuisset; Conciliumque Episcoporum ab ipso convocatum non minus legitimum fuisset, quàm Concilia ab Imperatoribus Christianis postea convocata: potuissentque Episcopi ita convocati communicatis consiliis ea, quæ ad Ecclesiæ εὐταξίαν in publicis templis spectant, statuere. Tertiò dicunt: Concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui potest omnes cogere. Sed Papa solus, non Imperator, omnes sibi ita habet subjectos, ut eos cogere possit. Resp. 1. Non est necessarium semper ut potestate coactivâ indicantur Concilia; præstat ad ea amicè invitare. 2. Nec si necessarium sit, requiritur ut potestas illa sit penes unum: possunt enim plures principes communicatis consiliis singuli suos delegatos ad Synodum mittere. 3. Nec penes Papam potestas illa coactiva est. Non enim fideles infidelium ditioni subjectos cogere potest: imo nec omnes Christianorum principum subditos. Inde nec Concilium à Papa, nisi principum accedente consensu, indici potest.

VII. Tertiò. Ut rectè cognoscatur, qui in Synodo cum jure suffragii comparere debeant, negotiorum in Synodo tractandorum aliquod discrimen est faciendum. Quædam enim Ecclesiæ regimen spectant, alia subtiliorum quæstionum ventilatione constant; alia credendorum decisione. Communis est Pontificiorum sententia, solos Prælatos majores seu Episcopos jus suffragii decisivi ordinariè habere; ex privilegio autem & consuetudine etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, licet Episcopi non sint. Quoniam credendorum definitio proprium munus est pastorum, pascere enim propriè est docere, & quidem eâ cum auctoritate, ut alii teneantur credere. Ex Reformatis plures, qui ex Synodo Hierosolymitana rectè colligunt, Presbyteros etiam suffragii jus habere, statuunt neminem in Synodo suffragii jus habere, nisi ab Ecclesia aliqua particulari missum. *3. Qui in Synodo cum jure suffragii comparere debeant.*

VIII. Nostra sententia est, negotia regimen Ecclesiæ concernentia per Ecclesiarum delegatos posse tractari; subtiliorum quæstionum *In negotiis fidei nullius conscientia al-*

teri est subjecta. num ventilationem per doctiores posse institui; sed fidei dogmata ab omnibus necessariò credenda nec ab Episcopis cum potestate proprie dicta, nec ab Ecclesiarum delegatis posse decidi. Quod enim omnium & singulorum conscientiam æternamque salutem concernit, ab omnibus tractari oportet. Definire enim credenda & agenda cum auctoritate conscientias obligante nulliuseft, nisi Dei summi & unici legislatoris. Hominibus solummodò competit judicium discretionis, quo unusquisque sensum ex verbo divino sibi decidit; quod judicium alium nequaquam obligare potest. Sicut enim unusquisque Deo pro se in judicii diē rationem est redditurus; *Rom.* XIV. 12. & unusquisque onus suum portabit, *Gal.* VI. 5. nec quisquam alterius se patrocinio vel auctoritate tueri poterit; ita etiam nemo alterius decisioni in fidei negotio acquiescere potest; neque quisquam potestatem aliis credendi regulam præscribendi, absque tyrannide & majestatis divinæ læsione, arrogare potest. Dices. In Synodo nemo comparere debet, nisi missus. Resp. 1. Si missus comparere potest, quid ni & mittens, cujus auctoritate missus, quicquid agit agere debet? 2. Esto, compareant soli missi; nihil tamen quicquam ut credendum decidere debent, nisi ad Ecclesiam quæ misit referant: nemo enim alteri fidei regulam præscribere, nec alieno judicio stare potest. Quod adeo verum est, ut quando de rebus fidei decidendis agitur, non minus Laicis quàm Ecclesiasticis, imò singulis Ecclesiæ membris suffragii jus competat. Quod etiam in Synodo Hierosolymitana, Apostolis præsidibus celebrata, observatum legimus; non tantum enim Apostoli, sed & presbyteri, imo omnis Ecclesia congregata legitur, *Act.* XV. 22. Dices. Sic omnis ordo perturbatur. Resp. Nequaquam, sed turbatur ordo, si missi excludant mittentes, aut pauci assumant auctoritatem toti Ecclesiæ fidei normam præscribendi.

Requisitum in iis primum. IX. Requisita autem in iis, qui suffragii vel etiam consilii jus sunt habituri in Synodo, ut Synodi fructus aliquis salutaris sperari possit, sunt, ut sint rerum divinarum periti, in Scripturis potentes, sensusque habeant ad discretionem boni ac mali, seu veri ac falsi exercitatos: imprimis pii, prudentes, graves, moderati, veritatis juxta ac pacis studiosi. Quæ Apostolus passim in pastoribus ac Christianis sapientiâ cœlesti imbutis requirit; 1 *Tim.* IV. 12, 15, 16. VI. 11. 2 *Tim.* II. 2, 14, 24, 25. III. 10. IV. 5. *Hebr.* V. 14. *Jacob.* III. 13. *& seqq.* Quia & dogmatum controversorum veritas est inquirenda, rationumque pro utraque parte militantium momentum ponderandum, ut verum à falso discerni possit; & potissimum, quia in gravioribus ac subtilioribus vix unanimis omnium consensus sperari potest, controversiarum pondus est expendendum, & inquirendum, utrum, non obstante dissensu, Ecclesiæ pax possit conservari, & licet diversa sentiamus, an in fundamento conveniamus, fraternitatemque nihilominus in Christo colere possimus.

Secundum. X. Secundò. Ut durante litis examine nulli vel personæ, vel Ecclesiæ, vel Confessioni, &c. sed soli Deo & Christo ejusque sancto verbo simpliciter obstricti sint, adeoque liberi ab omni humanâ obligatione. Ratio est: 1. Quia aliàs non accedunt absque præjudicio & affectu; quoniam obligatione illâ durante ipsorum interest, ne quid rei cui obligati sunt adversum in disceptationem veniat. 2. Rejiciuntur absque debito examine rationes in medium productæ, solummodo quia adversantur parti cui obligati sumus, & quam defendendam suscepimus. 3. Nec judicium instituitur secundum solam Scripturam, unicam fidei morumque normam; sed secundum formulas illas, quibus obligati sumus. Dices. At illæ Scripturæ conformes sunt. Resp. At illud ipsum controvertitur; durante itaque illâ controversiâ judiciorum ac decisionis regula esse nequeunt. 4. Nec ex verbo divino nos meliora doceri posse credimus: sed Scripturæ sensum ex Confessione illa cui obligati sumus petendum, adeo quidem, ut sensus verborum Scripturæ ab explicatione Confessionis illius recedens nostro judicio verus esse nequeat. 5. Nemo potest esse judex illius rei sive personæ cui aliquo modo est adstrictus; judicium enim est actus potestatis superioris. 6. Nisi ea conditio adsit, nec liberè, nec sine periculi metu singuli sententiam suam dicent. Si quid enim à formulis illis diversum sentiant wolatæ fidei agentur rei. Dices. Conditio hæc est impossibilis; non enim potest quis omnem susceptæ veritatis sententiam ita deponere, ut sese absque omni præjudicio, & planè neutralem (ut vocant) constituat. Resp. Non exigimus ut sententia sua quisquam renuntiet; sed ei non ita adhæreat, ut nolit eam in examen revocare, omnesque quæ in contrarium afferentur rationes respuat, non quia eas post accuratum examen deprehendit infirmas; sed solummodo quia ipsius sententiæ repugnant: non quod credere debeat, se in errore versari; sed licet credat se neutiquam errare, fieri tamen posse ut inscius erret, & paratus esse errorem sibi ostensum deserere. Illud enim piæ docilitatis est. Dices. Locum id habet in rebus facti non juris, quod in nostra potestate non est. Resp. Verum est, jus non esse in nostra potestate; sed de eo quæritur, quid sit jus: quæstione itaque illâ nondum decisâ, meliora monstrantibus cedere paratus esse debet.

Tertium. XI. Tertio. Ne sint altera pars litis, & ab omni pravo affectu, irâ, odio ac partium studio alieni. 1. Abhorret enim ab omni spe-

 cie

cie juris, partem adversam in judicio sedere judicem, & pro se ipsa sententiam pronuntiare. 3. Fieri nôn potest, quin in alterius præjudicium & oppressionem omnia consilia & decreta dirigantur. 3. Causa disceptanda utramque partem concernit; ergo ut utriusque partis delegati æquali gaudeant jure in Synodo æquissimum est; aliàs præjudicium maximum fit veritati. 4. Nôn modò utilitatis nihil, sed plus mali ex ejusmodi Synodo redundabit in Ecclesiam: fieri enim nequit, quin ejusmodi decisio schisma pariat, juxta proverbium, omne concilium parit bellum. Pars enim adversa, cujus interest alteram condemnari, sententiam condemnationis in illam, sine debito sententiæ examine, pronuntiabit: altera injustè se damnatam credens, dum decisioni illi acquiescere non vult nec potest, à parte adversâ, pro sententiæ latæ auctoritate depugnante, expellitur; atque ita ubi sententiarum anteà erat discrimen, Ecclesiarum fit divortium.

Occurritur variis objectionibus. Prima. XII. Dices. Fieri nequit, quin in Synodo compareant nulli, nisi alteri parti addicti. Resp. 1. Æquum ergo est ab utraque parte comparere, ut negotium omnes concernens, ab omnibus æquali jure tractetur. 2. Quoniam in fidei negotio, nemo alteri credendi regulam præscribere potest, multò minus id juris habet pars adversa. 4. Pars adversa nobis sunt non tantum altera litigantium pars; sed potissimum, qui jam judicio præcoci alteram partem condemnarunt, eorumque sententiam erroneam aut hæreticam pronuntiarunt: quique honoris, existimationis aut commodi sui interesse credunt, ut judicium illud præcox, quod antea in partem inauditam pronuntiarunt, in Synodo confirmetur.

Secunda. XIII. Dices. Attamen cujusque pastoris interest, quid quisque de Deo sentiat. Resp. Non interest existimationis aut commodi pastoris quid de Deo quisque sentiat. Dices Officii ipsius interest. Resp. Officii quidem pastoris interest, ut quisque non nisi vera de Deo sentiat; sed nullo modo, utra sententiarum adversariarum vera sit, priusquam debito adhibito examine, momentisque rationum ad verbi divini trutinam examinatis, utra vera sit, deprehenderit. Tum officii illius interest, doctrinam illam populo inculcare; non autem aliis, de illius veritate nondum persuasis, illius fidem cum auctoritate præscribere.

Tertia. XIV. Dices. Nulla est ratio, cur suffragiorum jure priventur pastores, qui ex officio veritatem propugnantes, secus docentibus adversati sunt. Si hoc obtineret, nova dogmata spargentibus nemo obsisteret, ne ipso facto jus omne postmodum de illis controversiis judicandi amitteret. Resp. Nulla est ratio, quando dogmata in controversiam vocantur, cur una dissidentium pars jus omne suffragiorum ad se trahat alterâ parte exclusâ, fieri enim non potest, ut in illa Synodo veritas inquiratur, sed pro una tantum parte decisio fiat, non quia ab illa parte est veritas, sed potestas suffragiorum. 2. Antequam de veritate controversi dogmatis, per accuratam ac seriam partis utriusque ventilationem, constat, imo illâ præcedente ventilatione, si nihilominus utraque pars in sententia perseveret, ab una parte decisio fieri nequit, nisi manifesto veritatis præjudicio. Fieri enim potest, ut veritas sit penes partem suffragiorum potestate exclusam, atque ita error auctoritate Synodi stabilietur veritate condemnatâ. 3. Non negamus sententiæ suæ propugnatoribus jus suffragii in Synodo; sed solis non competere contendimus, adeo ut soli in propria causa sedeant judices.

Quarta. XV. Dices. Non sunt judices in propria causa; Veritas communis Ecclesiæ thesaurus est, nec potest ullo pacto fieri peculium singularium personarum. Resp. 1. Quoniam veritas communis Ecclesiæ thesaurus est, ejus etiam disquisitio communi jure omnes æqualiter spectat, neque hic uni supra alterum ulla est prærogativa tribuenda. 2. Non potest quidem veritas peculium fieri singularium personarum; sed possunt quidem personæ singulares jus sibi arrogare aliis præscribendi quid pro vero agnosci velint. 3. Illâ decisione magnum veritati potest fieri præjudicium, dum alii cœcâ obedientiâ Synodi judicium ut pecora antecedentium gregem, sequuntur; aliis, quia ab alterâ parte veritatem stare persuasi sunt, ob illius assertionem periculum creatur, multaque dura ac adversa inferuntur. 4. Nondum constat quid sit veritas; illius ergo decisio penes unam partem esse nequit. 5 Licet veritas non sit singularium personarum peculium, tamen sententia, quæ in controversiam vocatur, est singularium personarum peculium; & maximè quidem emolumenta ac commoda, quæ sententiâ illâ triumphante sperant, seque consecuturos sciunt.

Quinta. XVI. Dices. Qui auctoritatem judiciariam exercent in causâ fidei, neque sibi adjudicare neque adpropriare possunt ipsam veritatem, neque aliis eripere. Resp. 1. Verum id esse; non enim iniquâ Synodi sententiâ error in veritatem transmutari potest; ideoque nemo cœcam ulli Synodo obedientiam præstare potest aut debet. 2. Possunt suffragiis suis errorem approbare, veritatem condemnare; si igitur illorum decretum aliis credendi regula sit, & sibi veritatem abjudicabunt, aliisque viam veritatem cognoscendi præcludent. 3. Quoniam itaque sibi veritatem adpropriare nequeunt, unicuique eam sincerè inquirendi plena libertas concedenda est, neque uni soli parti id jus concedendum.

Sexta. XVII. Dices. Praxis Ecclesiæ continua hoc confirmat: judicium enim semper penes eos fuit, quos alii dicebant partem sibi esse adversam.

versam. Resp. 1. Consuetudo æquitati naturali repugnans nullam facit legem. 2. Consuetudo illa effecit, ut vix ullius Synodi lætus fuerit exitus, uti Nazianzenus testatur, sed in omnibus propter consultantium ambitionem & contentiones res Ecclesiæ alioquin laborantes, potius exacerbatæ quàm sanatæ sint. 3. Consuetudo illa effecit, ut Synodi semper secundum Imperatorum placita sententiam pronuntiaverint, & suffragatores vel ad nutum Imperatorum suffragia sua tulerint, vel non alii ad Synodum sint admissi, nisi quos Imperatores à partibus suis stare noverant; aut si forte admissi quidam sint ingenii non adeo servilis, aut minis compulsi sunt reliquis accedere, aut male tractati. Inde est, quod non tantum Concilium Nicenum contra Arium, sed & Ariminense pro Ario sententiam dixerit. 4. Tandem illa consuetudo effecit, ut Athanasius, ut refert *Sozom. lib.* 11 *cap.* 24. ex Concilio convocato in Tyro à Constantino discesserit, quod animadverteret præcipuos Concilii viros judicis & partis munere functuros. Eadem effecit, ut Joannes Chrysostomus, teste Photio *Bibl. Cod.* LIX. in Synodum ad Quercum congregatam, ne quartum quidem citatus comparere voluerit, citantibusque responderit, *si apertos hostes judicum ordine submoveritis, præsto sum, meque sistam, ut si quis me accusarit, causam dicam: si id facere detrectabitis, quoties citabitis nihil proficietis.* Hæc eadem Paræo in Erenico suo *pag.* 34. dictavit, se nemini auctorem fore ut ad Synodum accedat, in quâ eosdem esset habiturus accusatores & judices: & Bezæ in *Epist. Dedic.* ante suam Novi Testamenti versionem expressit hanc sententiam, severam quidem, attamen veram; *Optimis etiam temporibus eam fuisse Episcoporum ambitionem, futilitatem, ignorantiam, ac multorum etiam apertissimam ac desperatissimam improbitatem, ut Satanam plane cœtibus eorum præsuisse, vel ipsi cœci facillimè perspiciant.* Quam sententiam utinam ipsius sequaces semper ad animum revocassent!

4. Modi res in Synodo tractandi. XVIII. Quartò. Modus, quo res in Synodo tractari oportet, est ut omnia ad Dei gloriam, sinceramque veritatis controversæ inquisitionem, Ecclesiæque pacem dirigantur. Huc varia requiruntur.

Primum quod huc requiritur. XIX. Primò. Ut ad verbum Dei, libris Veteris ac Novi Testamenti expressum, utpote unicam ac solam fidei morumque normam, omnia examinentur. Inde itaque dogmatis controversi peti debet veritas, utilitas, ac necessitas; inde phrases mutuandæ, quibus omnes in fidei suæ explicatione alligandi; non autem ex formulis consensus, qualescunque sint, ab hominibus concinnatis, phrasesque ab hominibus excogitatas exhibentibus.

Secundum. XX. Secundò. Ut veritas salutaris, Scripturâ Sacrâ plenè ac perspicuè expressa, arctè retineatur: sine ea enim nemo salvus esse potest. Hæc autem æstimari debet, non ex hujus aut illius sectæ Confessionibus, Catechismis, decretis Synodorum, aliisve consensus formulis, sed ex sola Scriptura Sacra. Hic error maximus, omniumque schismatum origo, quòd unaquæque secta sua habeat fundamenta, per quæ ab aliis discerni cupit; cum tamen omnes consentiamus in iis, quæ Scriptura pro fundamentis habet, & sic unum simus in Domino.

XXI. Tertio. Ut unicuique plenaria libertas concedatur, non quidvis in dubium vocandi, sed de iis, quæ in dubium vocata sunt, sententiam suam liberè dicendi, ac quantum necesse judicat defendendi. Aut enim quanta libertas concedenda sit, permittendum judicio cujusque, aut partis adversæ. Si partis adversæ, præjudicium manifestum fit veritati; leges enim illa defensionis præscribet, & si se rationibus premi sentiat, silentium imponet; aut quædam quæ ægrè defenduntur in examen vocari non patietur. At hæc mera est tyrannis. Ergo cujusque judicio est permittendum. Hoc colligimus ex 1 *Thess.* v. 21. *Omnia probantes quod bonum est tenete*, Per *omnia* etiam intelligi falsa, quæ tamen falsa esse nondum constat, arguunt sequentia, *quod bonum est tenete*; non potest autem teneri, nisi per sufficientem explorationem probatum sit, deprehensumque esse bonum. Ergo & contradictiones aliorum audienda, ut iis exploratis veritas elucescat. Similiter 1 *Joan.* IV 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus utrum ex Deo sint.* Dices. Locus hic intelligendus de singulorum fidelium probatione, quâ fidem suam quisque stabilit, ut tutò requiescat in ea doctrina, quam novit à Deo profectam. Resp. 1. Quid spirituum probatione opus, quando quis jam persuasus est spiritus istos doctrinæ à Deo revelatæ adversos esse? 2. Aliud est, probare spiritum doctrinam, quam à Deo profectam certò persuasi sumus, negantem; aliud, probare, seu inquirere, utrum doctrina illa ab ipso negetur: de priore probatione; quæ probatio propriè dicta non est, nullus Apostolo est sermo, sed de posteriore: quod sequentia manifestè evincunt, in quibus normam tradit, juxta quam spirituum probatio institui debeat, nempe, confessionem, Jesum qui in carne venit esse Christum. Dices. Jubet tamen Apostolus, 1 *Tim.* VI. 20. & 2 *Tim.* II. 16, 17, 18. ut Timotheus adversetur profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ sapientiæ, qualis fuit illa Hymenæi & Phileti falsa doctrina, dicentium, resurrectionem jam factam: & alibi, stultas quæstiones rejicere & vitare. Resp. 1. Non sunt temerè quæcunque placitis nostris repugnant vocanda profani clamores, & stultæ quæstiones; nec una secta hic ullam præ alia prærogativam habet dissidentes sententias Apostolica auctoritate tanquam cla- *Tertium.*

mores profanos rejiciendi. 2. Quæstionum, de quibus Apostolus loquitur, longè alia ac controversiarum hodiernarum est ratio; illæ enim jam ab Apostolo sunt decisæ, ac proinde in controversiam nec debent nec possunt, salvâ scriptis Apostolicis debitâ reverentiâ, vocari: hodiernæ autem controversiæ, cùm circa genuinam verborum Apostolicorum interpretationem occupentur, ab ipsis determinatæ neutiquam sunt.

Quartum. XXII. Quartò. Dissentientibus à doctrina communiter recepta, aut à maxima Synodi parte, vel etiam integra Synodo approbata, aut veritatem nescientibus, nullum idcirco periculum creëtur. 1. Quia nemo pro alio, sed pro se tantum decidere potest; quoniam fides sola nititur auctoritate divina. 2. Quia nemo in fidei negotio alterius judicio stare potest. Imo licet decisio rectè, & Scripturæ convenienter facta sit, nemo tamen illi alligatur, nisi qui persuasus est eam verbo divino consentaneam esse. Aliàs non obligatur homo per verbum divinum, quod non intellectum obligare non potest; sed per auctoritatem humanam, quæ conscientiam obligandi jus nullum habet. Verbum enim, etsi vim & jus obligandi habeat, actu tamen non obligat, nisi quatenus intellectum & receptum. Alioqui fides nil nisi implicita fides erit.

Quintum. XXIII. Quintò. Finis esse non debet, ut dissidia quovis modo tollantur, & ad externam solummodo Reipublicæ pacem ac tranquillitatem: 1. Quia tum veritatis aut nulla, aut exigua est cura, nec intenditur conscientiarum tranquillitas, sed corporum. 2. Suffragia non ponderantur, sed numerantur, & sic optima pars sæpe succumbere cogitur, præsertim si pars adversa constituat Synodum, aut illius sit pars maxima Sed ut tollantur debito modo, sc. ut veritas triumphet, & conscientiæ uniuscujusque satisfiat. 1. Ergo, in timore Domini ac serio expendendæ rationes in utramque partem prolatæ. 2. Non numeranda suffragia, sed ponderanda, & ab unoquoque suffragii sui rationes exigendæ sunt. 3. Allaborandum ut unicuique rationum evidentiâ veritas persuadeatur, non per quorundam articulorum decisionem sententia credenda præscribatur Hanc viam si insistat Synodus, veritatem in tuto collocabit, nullius conscientiæ vim inferret, pacemque Ecclesiæ conservabit. Si enim pars altera persuaderi potest, jam controversia est sublata, fitque decisio, non plurium suffragio imperata, sed ex consensu & persuasione enata, quæ sola conscientiis satisfacere potest. Si verò neutra persuaderi potest, suamque contradictionem rationibus fulciat, quibus a parte adversa neutiquam satisfactum credit, libertati & caritati est consulendum, & lis indecisa relinquenda; neuter enim alterius judex est constitutus; & dispiciendum quâ ratione, salvâ veritate salutari, mutua sanciatur tolerantia, quibusque limitibus controversiæ sint circumscribendæ, ne pax Ecclesiæ disturbetur. Dices. Sic concidet omnis Synodorum auctoritas. Resp. Non competit Synodis major auctoritas, quàm humana, uti mox videbimus. Si majorem sibi arroget, ut ea concidat è re est Reipublicæ Christianæ. Dices. Sic tota religio in incerto versaretur. Resp. 1. Necessaria ad salutem clarè in Scriptura definita sunt: Illis ergo salvis, religio in incerto non versatur 2. Certitudo religionis per Synodos obtineri nequit: 1. Quia omnes Synodi, ut in sequenti membro videbimus, errare possunt 2. Qui condemnantur contrariam possunt facere decisionem, æquali cum Synodo jure. 3. Plures exinde oriuntur lites, quin imò odia & schismata redduntur immortalia. Docet id omnium seculorum experientia, decisionibus non sanatas in Ecclesia lites, sed novas subinde enatas. Hinc sæpe post decisam litem mallent non decisam.

XXIV. Quintò. Tandem quæ sit Synodorum auctoritas inquirendum. Prima hic occurrit quæstio, an Synodi errare possint? *5 Synodorum auctoritas.* Distinguunt hic Pontificii, inter Synodos generales & particulares, tum & à Papa approbatas, aut non approbatas Jesuitæ communiter docent, Concilium, tam Particulare quàm Generale, à Papa approbatum errare non posse, nec in fide nec in moribus: Concilium autem non Particulare tantum, sed & Generale errare posse; quamdiu à Papa non est approbatum, nisi Patres in definiendo sequantur Papæ decisionem. Adeo ut omnis quæ in Concilio est infallibilitas, secundum ipsos, in solo resideat Papa: ideoque & Papam supra Concilium esse asserere non erubescunt. Alii verò inter Pontificios Papam quidem errare posse agnoscunt, ideoque eum Concilio Generali subjiciunt; non posse tamen Concilium Generale in definiendis fidei articulis errare; sed Particulare quidem. Nostra vero sententia est, omnia Concilia, tam Generalia quàm Particularia, tam à Pontifice approbata, quàm nondum approbata, aut improbata, errori obnoxia esse, imò plurima fœdè erravisse, noxiosque errores veritate condemnatâ stabilivisse.

XXV. Primò. Ut non dicamus nulla unquam congregata fuisse Concilia verè universalia, sed semper constitisse ex parte adversa; *Ostenditur eos non esse infallibiles.* dicimus Concilia quævis constare ex Episcopis aut Pastoribus, qui singuli errare possunt, ergo & omnes in Concilio juncti. Sanè si particulares Synodi, ipsis Pontificiis judicibus, errare possunt; idem dicendum de universalibus, quæ à particularibus non nisi numero differunt, aut potius ex variis particularibus tanquam partibus coaluerunt. Quod autem de omnibus partibus affirmari nequit, neque de toto affirmari potest: quoniam nihil in toto est, quod in omnibus parti-

partibus non invenitur. 2. Sacerdotes Veteris Testamenti reprehenduntur sæpe non tantum improbitatis, sed & ignorantiæ & erroris: *Esa.* LVI. 10, 11. *Jerem.* VI. 13. *Ose.* IX. 8. *Malach.* II. 8. Quando autem tales in Concilio jus suffragiorum habent, quæ infallibilitas in tali Synodo esse potest? Dices. Propter aliquos malos reprehenduntur omnes. Resp. Propter multos, imò plerosque malos, reprehenduntur omnes: plurimi autem si in Concilio errant, totum errare censetur, quia decisio secundum suffragiorum pluralitatem fit. Dices. Dicuntur hæc in Sacerdotes dispersos, non in congregatos. Resp. Congregatio non tollit errorem: singuli si errent, & omnes in unum congregati errabunt; imo congregatio errorem reddit fortiorem. Dices. Certiores & majores habet promissiones Ecclesia Novi quàm Veteris Testamenti. Resp. Non quo ad immunitatem ab errore, quæ nullo verbo Episcopo aut Concilio Novi Testamenti promissa est. 3. Concilium Judæorum, etiam præside summo Pontifice, non tantum errare potuit, sed & fœde sæpe erravit: 1. Quia veras Dei prophetas non raro condemnavit, *Luc.* XIII. 33. quorum causa erat causa Dei, & sæpissimè causa fidei, quia populum & sacerdotes accusabant defectionis à Deo. 2. Senatus ille ipsum Dominum Jesum Christum ipsam veritatem, ut seductorem ac blasphemum condemnavit. Dices. Voluit Deus ut judicium infallibile in Synagoga desineret, quia Christus jam aderat, & hora instabat quo Synagoga abolenda erat. Resp. 1. Gratus id dicitur, absque ulla probatione. 2. Ratio exigit, ut Synedrium Judæorum per præsentiam Christi non excideret hoc privilegio, antequam infallibili suo judicio pronuntiasset, Jesum esse Christum, ac proinde imposterum non à se, sed ab ipso, & Sacerdotibus ab ipso constitutis, infallibile in religionis negotio judicium petendum esse. Alioqui nec Synedrium, quod se privilegio illo excidisse ignorabat, in condemnando Jesu peccasset; nec populus, qui judicio ejus acquiescere tenebatur, quod condemnationem illam approbaverit; imo absque peccato Jesu, à Synedrio condemnato, fidem adhibere, seque in ejus disciplinam tradere non potuissent.

Respondetur objectioni primæ, ex Matth. XVIII. 20. XXVI. In contrarium tamen varia à Pontificiis proferri solent. Primò pugnant verbis Domini, *Matth.* XVIII. 20. *Ubi duo aut tres sunt congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Resp. 1. Nullum hic infallibilitatis promissum. 2. Nihil quod verba hæc ad credendorum decisionem restringat. 3. Quicquid hic promittitur non minus Synodum particularem, imò minimum cœtum, concernit, quàm universalem. Dices. Sive pauci, sive multi, sive privati sive Episcopi congregentur in nomine Christi, omnes habent Christum præsentem & adjuvantem, & obtinent quod eis convenit obtinere: in paucorum congregatione Christus adest, ut eos adjuvet in rebus parvis & privatis: in Episcoporum verò, ut eos adjuvet in rebus magnis & publicis. Resp. Nec in hac explicatione ullum statuitur inter parvum & magnum cœtum ratione infallibilitatis discrimen, sed tantum ratione negotiorum quæ tractant: si ergo Synodorum in rebus magnis & publicis hinc concludere velint infallibilitatem; necesse est ut eandem in rebus exiguis concedant cœtui parvo. 2. Si obtinent à Christo, quod eis obtinere convenit, non obtinent infallibilitatem; hoc enim non convenit hominibus; sed solis primis doctrinæ divinæ annuntiatoribus, divini spiritus virtute immediatè inspiratis. 3. Si infallibilitas dependet à congregatione *in nomine Christi*, admodum de ea incertos nos esse oportet: quoniam & convenire possunt, imò & aliquando convenisse non in nomine Christi certissimum est: sed solummodo ad veritatis oppressionem, humanarum traditionum confirmationem, propriæque auctoritatis stabilimentum. Anne autem credibile est, Deum non ad veritatis indagationem sed oppressionem convenientibus spiritum veritatis inspiraturum, ut in veritatem non quæsitam nec intentam contra animi sui intentionem infallibiliter inducantur?

XXVII. Obj. 2. *Joan.* XIV. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: intelligitur hoc etiam de Apostolorum successoribus, quia dicitur *in æternum*; non autem de iis seorsim existentibus; ergo saltem de omnibus in unum congregatis. Resp. Tota hæc ratiocinatio, aliàs etiam longè petita, nititur illis verbis, εἰς τὸν αἰῶνα; illa autem non ubique significant *æternitatem*, sed & nonnunquam *semper*. *Semper* autem dicitur de rebus non tantum quæ nunquam habitura sunt finem; sed & de iis quæ finem habitura sunt, modò ea, de quibus prædicantur, iis nunquam destituantur. Eodem sensu quo *perpetuò* & *semper* apud Latinos sumitur. Sensus est, Spiritus Sanctus aderit vobis non annis duobus aut tribus, sicut ego fui: sed semper, nec unquam à vobis recedet. Nihil ergo hîc est, quod Apostolorum successores necessario includat. *Secunda ex Joan. XIV. 16.*

XXVIII. Obj. 3. *Act.* XV. dicit Concilium Hierosolymitanum, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*; ex eo autem omnia concilia formam accipiunt. Resp. Quantò doctores ac Episcopi donorum Spiritus Sancti copiâ Apostolis inferiores sunt, tantò etiam eorum auctoritas Apostolica auctoritate inferior est. Et licet concederemus, omnia Concilia ad Apostolici Concilii exemplar institui, dicemus neutiquam consequi, quicquid ad exempli alicujus imitationem instituitur, etiam exemplaris perfectionem adipisci. *Tertia, ex Act. XV.*

XXIX. Obj. 4. Ecclesia tota errare nequit; *Quarta: Quod tota*

Ecclesia erraret. quit, Ergo nec concilium universale, quod integram Ecclesiam repræsentat. Resp. 1. Antecedens antea variis argumentis falsum esse comprobavimus. 2. Etiam laborat consequentia; non enim Concilium integra est Ecclesia: possunt aliquando privati ac laici saniores esse in doctrina Episcopis, fidesque à privatis impolluta conservari, quæ in Episcopis variis erroribus fœdè obruta jacet. Potest fidei sinceritas conservari à Presbyteris ac Doctoribus jus suffragii in Synodo non habentibus.

XXX. Argumento à Papæ infallibilitate sumto nihil respondebimus, quoniam antea jam evicimus Papam non esse infallibilem. Esto ergo.

Quinta, ex Luc. x. 16. & Hebr. xiii. 17. XXXI. Object. 5. Jubemur obedire Episcopis: *Luc.* x. 16. *Qui vos audit me audit. Heb.* XIII. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis,* &c. Resp. Primus locus manifestè respicit Apostolos. 2. Non omnes, quibus obedire tenemur, sunt infallibiles; etiam liberi jubentur obedire parentibus, & quidem in omnibus, & uxores maritis, *Eph* v. 24. *Coloss.* III. 20. 3. Obedientia præscribitur non Concilio, multò minus universali, sed particularibus cujuscunque Ecclesiæ pastoribus præstanda: quos tamen Pontificii infallibiles esse neutiquam concedunt.

Sexta, à variis absurdis. XXXII. Object. 6. Si Concilia generalia possent errare, 1. Nullum esset in Ecclesia firmum judicium, quo controversiæ componi & unitas in Ecclesia conservari possit. 2. Possent meritò in dubium revocari omnes damnatæ hæreses. 3. Nulla esset certitudo de multis Scripturæ libris, de quibus tam diu est dubitatum, donec à Concilio res declarata est. 4. Omnia Concilia intolerabilem admiserint errorem, ac proinde nullo honore digna sint; nam error intolerabilis est, proponere ad credendum tanquam articulum fidei, de quo non constat an sit verum vel falsum. Concilia autem præcipua, &c. ediderunt nova Symbola fidei, aut certè novas sententias, quas haberi voluerunt pro articulis fidei. Ad singula hujus objectionis membra distinctè respondebimus. Ad primum quidem; Nullum in Ecclesia necessarium esse ejusmodi judicium, quo controversiæ componantur, exinde liquet, quod unicuique spirituum examen & probatio commendatur: quod judice isto constituto non tantum non necessarium, sed & inutile ac noxium est. 2. Quid si Deus ad continuam fidelium probationem semper hæreses velit esse in Ecclesia, uti dicitur, 1 *Cor.* [illegible] 19. 3. Per synodalem decisionem unitas in Ecclesia non conservatur, sed rumpitur; quod omnium Conciliorum eventus probat. 4. Absque Synodis aliud & commodius, ac Christianæ caritati convenientius unitatis conservandæ medium est, mutua dissidentium tolerantia in omnibus fidei fundamentum non evertentibus. Ad secundum. 1. Si hæresium condemnatio sola nitatur Conciliorum infallibilitate, meritò in dubium revocari potest: sed quæ manifestis ac claris nititur Scripturæ enuntiatis, in disceptationem venire nequit; non quia à Concilio est facta, sed quia Scripturæ, in necessariis perspicuæ & claræ, verbis apertis innititur. 2. Qui hæresin revocare cupit, etiam Conciliorum, à quibus damnata est, auctoritatem in dubium vocabit. Ad tertium. Certitudo de multis Scripturæ libris à Concilii declaratione non pendet; nullum enim concilium jus habet libro alicui divinam attribuendi auctoritatem. Potuere primi Christiani, argumentis, quæ sensibus & experientia constant, persuasi, declarare quinam libri ab Apostolis essent conscripti, eaque declaratio continuâ traditione in Ecclesia conservari: id verò non declarant, quatenus in Concilio sunt, aut jus controversias decidendi habent: sed quatenus sunt homines fide digni, omnibus ad testimonium exhibendum requisitis instructi. Non autem librum, quem persuasi non sunt à viro divino conscriptum, in canonem divinorum scriptorum referre possunt. Si quod Concilium id tentet, potestate suâ turpiter abutitur, ac potestatis suæ limites transgreditur. Ad quartum. Magnum est adversus omnia Concilia præjudicium, quod Bellarminus fateatur, Concilia nova symbola fidei, novasque sententias edidisse. Hæc si ipsi fateantur Pontificii, non verebor dicere, Synodorum decisiones nullius ad controversias fidei determinandas auctoritatis esse, neque temeritate carere, novas sententias, Scripturâ non expressas (alioqui enim non essent novæ) Ecclesiæ ut fidei articulos credendos præscribere. Tyrannorum id est, & superbè ac impotenter clero Domini imperitantium.

Deberet infallibilitas probari ex promisso Dei. XXXIII. Tandem coronidis loco adjicimus; omnes ejusmodi rationes nullius esse ponderis: proferendus est locus, ubi Deus Concilia ab errandi periculo exemerit. Necesse enim est, fateantur, omnem Concilii infallibilitatem à spiritus divini directione pendere. Si itaque nullum Dei clarum promissum de Spiritus sui directione, & ab omni errandi periculo præservatione, Concilio factum proferre queant, vanum est, quod de Conciliorum infallibilitate aliunde arcessere volunt.

Auctoritas eorum est tantum humana. XXXIV. Destructâ Synodorum infallibilitate, facile dijudicare est, qualis ac quanta Synodorum sit auctoritas. Cùm enim constent ex hominibus errori obnoxiis, evidens est omnem ipsarum auctoritatem solummodò esse humanam, nec ullam conscientias obligandi vim habere, nisi quatenus decisionem suam Scripturæ convenienter factam esse persuadere possunt. Imò si rem penitius inspiciamus, quatenus auctoritas potestatem quandam externam denotat ad obsequium cogen-

cogendi, omnis Synodorum auctoritas dependet ab auctoritate Magistratus; sine ea enim potestatem non habent obligandi, nec ad obsequium, nisi eum qui se obligatum esse persuasus est, nec ad pœnam. Synodi ergo à Magistratu supremo convocatæ & approbatæ in publicis Ecclesiis vim obligandi habere possunt, quia Magistratus iis auctoritatem conciliat: tota enim religionis in publicis Ecclesiis traditæ directio penes Magistratum est; adeo ut, quicunque illius Ecclesiæ membrum esse cupit, legibus à Magistratu vel latis vel approbatis sese subjicere teneatur. Ulterius autem hæc potestas non extenditur: neminemque, qui de decisionum Synodicarum veritate persuasus non est, obligare potest, ut se Ecclesiæ publicæ adjungat, aut decisioni Synodicæ submittat.

Qualia sint habenda Synodorum decreta de fide.

XXXV. Ut autem distinctius Synodorum auctoritatem expendamus, sciendum res à Synodo decisas vel spectare fidei doctrinam, vel Ecclesiæ regimen. Decreta Synodorum fidei doctrinam concernentia habenda sunt pro responsis virorum prudentium ac doctorum, qui sententiam rogati de fidei controversia, responsum dant judicio suo post accuratum institutum examen veritati in Scripturis traditæ consonum. Quæ responsa temerè à nobis rejicienda non sunt; sed accuratè ad verbi divini normam exigenda. Quin & ordinariè præjudicium non exiguum in hominibus excitare solent: quoniam credibile non esse credunt, quin Deus magno virorum piorum ac doctorum in nomine suo congregatorum, sensusque obscuri revelationem ardentibus precibus ab ipso efflagitantium, conventui ita adsuturus sit spiritus sui adsistentiâ, ut in errorem, saltem gravem ac saluti suæ noxium, non incidat. Sed quantumcunque hoc sit præjudicium, nullam tamen cæcâ obedientiâ illis obsequendi auctoritatem conciliat; præsertim cum constare nobis nequeat, utrum omnes eâ animi pietate convenerint, imò alio longè fine ac animo sæpe convenisse notissimum sit. Nullam ergo nisi suadendi habent auctoritatem, quæ non Synodi infallibilitati, sed rationum momentis Scripturæque claris enuntiatis, quibus synodica decisio fulcitur, innititur. Unde nec Synodorum decreta decisiones esse possunt controversiarum, nec regulæ quibus fides nostra alligata esse debeat: sed solummodò pronuntiata eorum, ex quibus tanquam membris Synodus coaluit, fidem ac sententiam de dogmate controverso enuntiantia; ac proinde indicantia, quid ipsa Synodus credat: non cum auctoritate præscribentia, quid ab unoquoque credendum sit. Hinc quod in Synodo statutum est, libero semper fidelium examini subjectum esse debet; neque ulli fraudi esse, quod ex verbo Dei melius persuasus fidem Synodo adhibere detrectet. Dices. Quod ex verbo Dei statutum est ratum permanere debet. Resp. Rectè: sed controvertitur, utrum, quod Synodus sancivit, ex verbo Dei statutum sit. Dices. Sic semper discetur, nunquam verò ad veritatis cognitionem pervenietur. Resp. 1. Nequaquam: non enim creditur nos errare, sed fieri posse, licet consentientibus suffragiis in Synodo deciderimus, ut inscii erremus: ergo nos meliora velle discere, si contingat meliora nos doceri. 2. Christiani est semper discere, & humana placita ad verbi divini regulam examinare, decretis autem divinis ad salutem necessariò credendis, ac in Scriptura perspicuè expressis, arctè adhærere. 3 Aliàs nunquam discemus, sed hominibus fidem nostram mancipabimus, illorum scientiâ securè innixi.

Quæ obedientia præstanda eorum decretis de regimine Ecclesiæ.

XXXVI. Quod Ecclesiæ regimen concernit, de quo ante fusius egimus, Synodorum est, 1. Non κατακυριεύειν clero Domini; sed legitimâ auctoritate utendo exemplum præbere vitæ ac morum. 2. Prospicere ut omnia in Ecclesia fiant εὐσχημόνως, & decenter, ad communem ædificationem. 3. Semper meminisse Ecclesiam Christianam, perinde ut Judaicam, non esse amplius sub pædagogiâ legali, infantis ac servi instar; sed adultam & liberam, ac proinde ceremoniarum multitudine aut legum severitate neutiquam onerandam; sed instar liberorum adultorum potius ad obsequium ducendam, quàm auctoritate trahendam. Si verò Concilia ab officio suo exorbitent, & quædam pro auctoritate decidant, quoniam omnia quæ regimen concernunt externa sunt, ac proinde naturâ suâ indifferentia, fideles, quamdiu intra indifferentium terminos consistunt, eaque illæsâ conscientiâ observare possunt, eorum obedientiam ut præstent æquum est.

Duo hic externa cavenda.

XXXVII. Duo ergo hîc fideles observare debent. 1. Utrum sub Pastorum illorum ductu salutem æternam consequi possint: quia omnia quæ ad fidei salvificæ pietatisque integritatem requiruntur ab ipsis plenè ac fideliter docentur. Hoc si fit, regimini ipsorum, etiamsi duriori ac severiori, quamdiu salvâ conscientiâ parere possunt, se subducere non debent. Nec etiam liberi à parentum, licet duriorum, disciplina ac obedientia se subducere possunt, quamdiu omnia ad vitæ sustentationem necessaria ipsis suppeditant, nihilque præceptis divinis ac bonæ conscientiæ adversum præscribunt. 2. Ne sub specie regiminis in Ecclesiam quædam introducantur, quæ ad fidem salutarem labefactandum, conscientiisque vulnus infligendum faciunt. Qualia sunt, quod ordinis observandi causa veritatem errori recepto adversantem condemnent, indifferentia necessariò credenda, ac dissentientium condemnationem præscribant; vel etiam nimia potestatis

ſtatis arrogatione ad prophetiarum exſtinctionem tendant: qualis eſt illa Papæ Romani totam Eccleſiam monarchicè gubernandi poteſtas, quæ ad omnium controverſiarum judicium infallibile ſibi ſoli arrogandum, magno veritatis præjudicio, Papæ viam præmunivit.

CAPUT XX.

De Hæreticis, eorumque pœnis.

Duo hic videnda.

I. SEntentia auctoritate Synodi lata, aut dogmate quodam conſuetudine diuturnâ inveterato; ſi qui diſſenſum teſtentur, jam porrò inquirendum, quo circa tales officio Eccleſia occupari debeat. Dogmatum alia ad ſalutem creditu abſolutè ſunt neceſſaria, alia minus neceſſaria. In poſterioribus qui errant, ſimpliciter errantes, in prioribus verò, hæretici vocari ſolent. Primò de hæreticis videbimus, tum de ſimpliciter errantibus. De hæreticis duo inquiremus: 1. Quis propriè ſit hæreticus. Quâ hæreticum pœnâ affici oporteat.

1. Quis Hæreticus.

II. Vox *αἵρεσις*, unde derivatus *αἱρετικὸς*, olim in mediâ fuit ſignificatione, & deſumta à Philoſophis, quorum variæ fuerunt *αἱρέσεις*. Sic & in Scripturâ religio Chriſtiana vocatur *αἵρεσις*, *Act.* XXIV. 5, 14. & *Cap.* XXVI. 5. fit mentio hæreſis Phariſæorum. Sed frequentior Chriſtianorum uſus evicit, ut in malam accipiatur partem: 1 *Cor.* XI. 19. *Gal.* V. 20. ubi ponitur inter opera carnis. Videtur autem denotare ſchiſma in Eccleſia, quod pravo aliquo ſeu humano dogmate ac commento nititur contra Dei verbum: quoniam qui auctoritatem quandam ſibi quærunt novæ ſectæ erectione, aliquid in fidei dogmatibus innovant, quo ſeceſſionem ſuam pallient, & ſectatores ſibi obnoxios habeant. Ut olim; fidelibus in Jeſum Chriſtum etiam Legis ceremonias obſervandas; ſcortationes eſſe res medias; & idolothytorum eſum nihil obeſſe ei qui ſcit Idolum nihil eſſe.

De eo ſententia Bezæ, & Profeſſorum Leydenſium.

III. Beza tractatu de hæreticidio, (*Opuſc. Theol. part.* 1. *pag.* 89, 90.) homines hac ratione diſtinguit. Quidam planè ſunt infideles: alii fidem in Chriſtum profitentur. Horum quidam ſunt verè fideles, alii hypocritæ, alii ſchiſmatici, alii errantes in fide; iique vel infirmi, qui ſe doceri patiuntur; vel hæretici, qui invictâ pertinaciâ & improbitate, quia ſunt *αὐτοκατάκριτοι*, non modò veritati reſiſtunt, ſed etiam Eccleſiæ pacem & concordiam lacerant. Hæcque (dicit) eſt propria & peculiaris nota, quâ à cæteris diſtinguuntur; quod ſuæ perfidiæ (quam præfractè tuentur) quaſi ludum aperiunt, & diverſæ doctrinæ factionem, quantum in ſe eſt, vel in Eccleſiam Dei invehunt, vel ab aliis invectam fovent. Huc applicat loca 1 *Cor.* XI. 19. *Galat.* V. 12. *Rom.* XVI. 17. 1 *Tim.* VI. 3. 2 *Tim.* II. 18. III. 13. *Tit.* III. 10. 2 *Pet.* II. 1. Profeſſores Leydenſes in *Synopſi purioris Theologiæ Diſp.* XL. *theſ.* 39. dicunt quod *hæreticus ſit, qui in articulis gravis momenti & fundamentalibus ita errat, ut omnem correctionem reſpuat, & in errore pertinaciter perſeveret*: Et *Diſp.* L. *theſ.* 55. vocant *hæreticos, populi ſeductores, errorum exitialium legitimè convictos, & pertinaciter blaſphemos.* Adeo ut ad hæretici definitionem requirant non tantum errorem, ſed & pervicaciam, etiam poſtquam non tantum convicti, ſed & legitimè convicti ſunt. Quibus Profeſſores Leydenſes addunt blaſphemiam.

Refellitur quod non poſſet dijudicari an quis ſit hæreticus.

IV. Nos dicimus; Si hæc omnia ad hæretici definitionem requirantur, nullius ergo eſſe hominis pronuntiare de alio, quod hæreticus ſit: nemo enim de animo alterius, an legitimè convictus ſit, pronuntiare poteſt: ac proinde nec de illius pertinacia. Quid quod pertinacia non ſemper convictionem prærequirat; poteſt enim & præjudicium, & affectus illius eſſe cauſa: item merus aliquando error, quòd pertinaciam in errore, conſtantiam in veritatis defenſione credat. Poteſt & fieri, ut qui alium pertinacem pronuntiat, ipſe quammaximè in errore ſuo retinendo pertinax ſit; aut veritatem ineptis ac futilibus argumentis propugnet, atque ita alteri juſtam in errore perſeverandi cauſam præbeat. Antequam ergo quiſpiam pertinax & convictus pronuntiari poſſit, oporteret eſſe Eccleſiam aliquam infallibilem, cujus determinationi quicunque non acquieſcit, pro pertinace ac convicto ſit habendus. Poteſt itaque Pontificius, principiis ſuis convenienter, ab Eccleſia ſua, quam errare non poſſe credit, condemnatos, ſi in ſententia perſiſtant, pronuntiare pertinaces: Reformatus verò, qui Eccleſiam ab errandi periculo immunem non credit, ſalvis ſuis principiis id minimè poteſt. Dices. Pertinax eſt, qui non auſcultat rationibus luce meridianâ clarioribus. Reſp. Clarum & obſcurum affectiones verborum & rationum ſunt non abſolutæ, ſed reſpectivæ: poteſt ergo ratio mihi clara, alteri eſſe obſcura. Dices. Plurium concordibus ſuffragiis refragatur. Reſp. Multitudo non eſt certum veritatis indicium; ſæpe argumentum peſſimi turba. Veritatis diſcipulus non aſſentientium multitudine, ſed rationum pondere ducitur. Dices. Ad incitas redactus eſt, & nihilominus perſeverat. Reſp. Fieri id aliquando poteſt ob probabilitatis ſpeciem, aut ſubtilitatem quæ argumento ineſt; aut termini cujuſdam ſive diſtinctionis ante inauditæ novitatem. Poteſt etiam fieri ſententiam premi uno aliquo ac gravi incommodo, cum ſententia adverſa pluribus & multò gravioribus premàtur. Non itaque de ſententiæ ſuæ falſitate con-

convictus dici potest, qui argumento illo pressus, quod commodè dissolvere nequit, non protinus, relictâ suâ sententiâ, in contrariam multò gravioribus incommodis laborantem concedit.

Sensus Tit. III. 10.

V. Dices. Attamen inquit Apostolus *Tit.* III. 10. *hæreticum hominem* esse αὐτοκατάκριτον. Resp. Per *hæreticum hominem* Apostolus non intelligit errantem; ille enim αὐτοκατάκριτος esse nequit, & quamprimum suo judicio condemnatus est, non amplius errat: Sed hominem contentiosum, qui ob res exiguas, nulliusque ad promotionem pietatis usus aut utilitatis, (quales sunt stultæ quæstiones, genealogiæ, &c. de quibus *vers.* 9.) acriter contendit, turbasque in Ecclesia concitat. Talem Apostolus bis terve vult moneri, ut ab ejusmodi contentionibus abstineat: si post unam aut alteram admonitionem non auscultat, vitari jubet, quoniam est αὐτοκατάκριτος, id est, proprio judicio convictus, rem, de qua litigat, nullius esse momenti, neque dignam ob quam Ecclesiæ pax ullo modo in periculum adducatur. Qui tamen eo non obstante super illis contendere pergit, ostendit se contentiosum; & cum tali nihil quicquam Titum commune habere vult. Adeo ut sit idem, cum eo quem Apostolus vocat φιλόνεικον, 1 *Cor.* XI. 16. quem Apostolus hoc uno responso repelli jubet, quod Ecclesia ejusmodi morem quem ille urget non habeat.

Ulterior ejus refutatio.

VI. Secundò. Fieri non potest, ut homo legitimè convictus, & suo judicio condemnatus (aliàs pius) possit tueri errorem exitialem, & potius mortem oppetat, quàm illi renuntiet. Hæc in hominem pium non cadunt. Tertiò. Semper erit in potestate potentioris declarare quis sit hæreticus: ille enim à se dissentientes, neque post unam aut alteram admonitionem sententiæ suæ renuntiantes, pronuntiabit pertinaces. Itaque hoc Pontificii in Italia, Hispania, Gallia, &c. de Reformatis pronuntiabunt; Reformati in Anglia & Belgio, Lutherani in Germania, Dania ac Suecia, de Pontificiis, aliisque à se dissentientibus. Quodcunque enim juris sibi in alios arrogat, idem aliis in se concedere debet; saltem alios ut eodem erga ipsum jure utantur provocat. Dices. Illi errant, nos minimè. Resp. De eo quæritur. Quis hoc decidet? Unusquisque, penes quem rerum summa est, pro se pronuntiabit, aliosque ut suæ pronuntiationi acquiescant compellet.

Nec blasphemia est de essentia hæreseos.

VII. Nec etiam rectè blasphemia ad hæreseos definitionem requiritur. Maximum enim inter hæreticum ac blasphemum discrimen est. Hæreticus enim quà hæreticus blasphemus propriè esse nequit: quia blasphemia voluntarium quid est: error verò seu hæresis involuntaria. Quod adeo verum est, ut qui ignorantes blasphemant, pro blasphemis propriè dictis habendi neutiquam sint. Hinc antea ostendimus; si quis sententiam reverà blasphemam, sed quam ad Dei gloriam facere credit, defendat, eum neutiquam blasphemum vocari posse. Multò minus illi blasphemi dicendi sunt, qui sententiam, quam impugnant, absurdis ac consequentiis reverà blasphemis gravant, ut eam tantò fortius falsitatis convincant: veluti si quis absolutæ prædestinationis dogma hoc absurdo premat, quòd per illud Deus auctor peccati, aut injustus, aut insipiens constituatur. Non enim ille dicit, Deum esse auctorem peccati, aut injustum, aut insipientem; sed hæc tanquam blasphema detestatur; & quia hæc cuicunque pio ac Christiano summæ detestationi esse debent, ideo concludit, dogma, cui hæ blasphemiæ intimè cohærent, rejiciendum esse.

Quis propriè sit hæreticus.

VIII. Hæreticus ergo, prout vox ea hodie in usu est, propriè denotat hominem, qui sententiam communi ac vulgò receptæ, aut etiam à Synodo approbatæ, adversam tuetur; aut potius, qui errorem gravem, veritati publicè receptæ (ut jam concedamus sententiam vulgò receptam esse veram) adversum propugnat; non quia eam persuasus est erroneam esse; sed quia vanis ratiocinationibus deceptus, credit se ipsissimam veritatem tueri, officiique sui esse illius defensionem non deserere, quin potius acerba quævis perpeti, quàm defensionem ejus deserere. De hisce itaque hominibus quæritur, quali in eos pœnâ animadvertendum sit.

In secundo 3 consideranda.

IX. In secundo capite tria nobis sunt tractanda. 1. Argumentis aliquot ostendemus, pœnâ corporali, multòque minus gladio seu ultimo supplicio, in eos animadvertendum non esse. 2. Refellemus argumenta pro tam crudeli ac sanguinaria sententia adferri solita. 3. Ostendemus quâ ratione & quibus armis sint oppugnandi, hæresesque exstirpandæ.

1. Sententia Pontificiorum & aliquot Reformatorum de hæreticidio.

X. Primò. Sentiunt communiter Pontificii, hæreticos, quales ipsis sunt, quicunque Ecclesiæ suæ decretis se per omnia subjicere detrectant, quovis supplicio afficiendos, & morte, quin & gravissimo ultimi supplicii genere, plectendos: quod & sanguinariâ, ac Ethnicam crudelitatem longè superante, praxi, ostendunt. Inter Reformatos Calvinus & Beza integris tractatibus, Magistratus officium esse in hæreticos gladio animadvertere, ostendere conati sunt. Inter sequaces quidam apertè hanc Magistrorum suorum sententiam propugnarunt. Alii, videntes doctrinam hanc, ob memoriam credo sævitiæ Pontificiæ, admodum esse exosam, non quidem à Calvini & Bezæ doctrina recesserunt; sed nec eam apertè profiteri ac propugnare ausi sunt. Hinc distinctiones excogitatæ, quibus doctrina illa fœda aliquatenus palliaretur; inter hæreticos

Ooooo simpli-

simplices, & hæreticos qualificatos, nimirum pertinaciter blasphemos, & populi seductores, errorum exitialium legitimè convictos; tum & inter pœnas corporales, relegationem, incarcerationem, &c. & mortis supplicium. Quæ omnia eò tendunt, ut sententiæ illius fœditas aliquatenus tegatur; & interim, ubi commodum ipsis visum est, possint vel statim, vel per gradus quosdam pœnarum corporalium tandem ad ipsum usque hæreticidium devenire. Sic Professores Leydenses in *Synops. pur. Theol. Disp.* L. *th.* 56. *Malumus in illorum Theologorum sententiam ire, qui ubi alia datur ratio hæreticos ex æquo & bono coërcendi, plerosque eorum ab Ecclesia condemnatos, à Magistratu arbitrariè aut deponendos, aut relegandos, aut alio modo constringendos potius esse asserunt, quàm mortis supplicio plectendos.* Qui mavult, rem, quam minus vult, non rejicit aut damnat, multò minus, quam tot demum adhibitis clausulis ac restrictionibus mavult. Deinde, qui pœnas corporales, relegationes, mulctas, incarcerationes, probat, tandem ad cædem ultimaque deveniat supplicia necesse est. Crudelitas enim rarò intra primos limites consistit, sed per gradus ad culmen enititur. Quid si enim pœna constituta hæreticos non coërceat? An non continuo graviores infligentur, donec tandem ad ultimum usque supplicium sit deventum? Aut itaque nulla corporalis in hæreticos pœna est constituenda, aut ipsum hæreticidium approbandum. Restat itaque ut argumentis aliquot sententiam hanc convellamus.

Contra eam argumentum primum. XI. Primò. Repugnat genio Religionis Christianæ, ob sententiam de religione corporalibus quemquam afficere pœnis: præscribit enim illa ut ovium instar simus, non luporum; ut crucem toleremus, non aliis imponamus. *Matth.* v. 10, 11. x. passim, præsertim *vers.* 16. & *seqq. Act.* xiv. 22. 2 *Tim.* iii. 12. *Rom.* viii. 29. & *seqq.* & alibi passim. Quid autem magis ab ovium natura alienum, quàm vel ipsis lupis metuendum esse, eosque immani feritate dilaniare?

Secundum. XII. Secundò. Repugnat legi charitatis, inter Christianas leges præcipuæ, ex cujus observatione discipulos suos agnosci vult Servator, *Joan.* xiii. 34, 35. & cujus observatione totam legem impleri ait, *Matth.* xxii. 39. *Rom.* xiii. 8, 9, 10. Illa autem ut æquissimam regulam dictat, *Quicquid vultis ut faciant vobis homines: hoc facite illis*, *Matth.* vii. 12. Nullus autem, si forte inscius in errore versetur, sibi ob errorem vim inferri, aut pœnam corporalem infligi vellet. Nec ergo ut erga alium utatur lex charitatis permittit. Unde & odium erga fratrem Religionis Christianæ genio directè adversari docet, 1 *Joan.* ii. 9, 10, 11. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est: Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Supremus autem odii gradus est, fratrem errantem occidere.

XIII. Tertiò. Unusquisque tenetur Deo servire ex animo, & rectâ conscientiæ persuasione; quoniam *quicquid ex fide*, id est, certâ conscientiæ persuasione, quâ homo in facto suo ut voluntati divinæ consentaneo acquiescit, *non fit, peccatum est*, *Rom.* xiv. 23. Conscientia autem solum Deum respicere debet, ejusque verbum unicam fidei habere normam. Nemo ergo cogi debet, ut aliter Deum colat quàm in animo persuasus est; aliàs, qui se cogi patitur fiet hypocrita, & qui cogit gravissimi peccati reus, utpote qui conscientiæ, nulli homini sed soli Deo subjectæ, vim inferre tentet. Dices. Conscientiæ nulla vis infertur, sed hæreseos propagatio tantum impeditur. Resp. Distinguendum inter internum conscientiæ judicium, & externos actus quos conscientia aut præstandos aut omittendos præscribit. Interno conscientiæ judicio nemo vim inferre potest, aut hominem cogere ut aliter credat quàm in animo suo persuasus est: neque ullus adeo desipere repertus est, qui hoc sibi arrogaret. Sed externorum actuum à conscientia imperatorum exercitium potest homo impedire, gravibusque propositis pœnis prohibere. Idque dupliciter; vel præscribendo quod conscientia illicitum dictat, falsi nempe dogmatis professionem ac veri condemnationem; vel prohibendo quod conscientia necessariò faciendum dictat, nempe veri dogmatis (quod conscientia, etsi non licet, verum credit) professionem ac propagationem. Alterutrum qui facit, vim conscientiæ infert, juraque Dei involare contendit. *Tertium.*

Quartum. XIV. Quartò. Spiritualia spiritualiter sunt dijudicanda, juxta 1 *Cor.* ii. 15. *Spiritualis omnia dijudicat, ipse verò à nemine* (sc. non spirituali) *dijudicatur.* Religio autem est spiritualis; & verbum Dei gladius spiritus, quo in certamine spirituali depugnandum est, *Ephes.* vi. 17. Hinc & *arma militiæ nostræ non esse carnalia*, sed *spiritualia* dicuntur, & *potentia Deo, ad destructionem munitionum*, &c, 2 *Cor.* x. 4, 5. Dices. Ministrorum quidem est spiritualibus armis hæreticos oppugnare, ac hæresi tanquam gangrænæ serpenti obviam ire; attamen hoc non præscribit Magistratibus, quos Ecclesiæ fore nutritios prædictum, quo minus pro oblata sibi facultate hæreticos coërceant. Resp. 1. Si solis armis spiritualibus hæreses exstirpari possunt, ut ostendimus, omnino id Magistratui interdicit, armis externis adversus illas pugnare, illa enim animum convincere nequeunt, sed externam solummodò professionem impedire 2. Effugia hæc sunt mera; ministris enim incitantibus, hominesque hære-

ſeos reos condemnantibus, Magiſtratuique puniendos tradentibus, ſolent ordinariè pœnæ de hæreticis ſumi: procurant quippe miniſtri importunis ſollicitationibus, vel etiam minarum intentatione, edicta contra hæreticos; homines hæreſium pronuntiant convictos, Magiſtratui tradunt magnâ inſanæ ac indomitæ plebis coronâ, velut ſatellitio quopiam, ſtipati; non aliter atque olim à Judæis Dominus noſter Jeſus Chriſtus Pilato traditus eſt crucifigendus; adduntur minæ, ſi hunc dimittas Cæſaris amicus eſſe non potes. Quod ſi id non fiat, probè tamen norunt, Magiſtratum non auſurum illorum vitæ parcere. Quis ejuſmodi miniſtros ab hæreticorum ſanguine innoxios aſſeret? Adeo omnia exactè cum Judæorum Chriſtum condemnantium conſeſſu conſpirant, ut dicere liceat, quemadmodum Dominus Jeſus omnibus ob nominis ſui profeſſionem crucem ac mortem ſuſtinentibus exemplum præbuit innocentiæ ac conſtantiæ; ita etiam omnes, qui perſecutiones in ipſos concitant, ſibi conſeſſum Judæorum, qui Dominum condemnavit, in exemplum proponere quod imitentur.

Quintum. XV. Quintò. Hæreſis ita eſt exſtirpandâ, ut error tollatur, homo autem ſervetur: ſic 1 *Timoth.* 1. 20. dicit Apoſtolus, ſe Hymenæum & Alexandrum tradidiſſe Satanæ, *ut diſcant non blaſphemare*. At eos occidendo tollitur homo, & manet hæreſis; adeo ut qui hæreſes vi externâ exſtirpare cupiunt, præpoſteris adverſus illas armis depugnent. Præjudicium enim maximum faciunt veritati, quaſi ſola per ſe ſufficiens non eſſet debellando errori, ac proinde armis indigeat carnalibus; imò veritas in ſuſpicionem adducitur falſitatis, hæreſiſque ſui oppreſſione auctoritatem acquirit, & unumquodque ſupplicium ſemen erroris eſt, error enim hac ſuſpicione roboratur, quod ſi rationibus everti poſſet, vi non opprimeretur. Inde quod olim dictum, Martyrum ſanguinem ſemen eſſe Eccleſiæ, etiam huc applicari poteſt.

Sextum. XVI. Sextò. Errans pœnam non meretur, ſed miſericordiam. Eſt enim error intellectus vitium, non propriè voluntatis. Nemo enim volens errat, & quantò gravius errat, tantò majori miſericordiâ eſt inſtruendus & in viam revocandus. Si ſe doceri non patitur, ignorantiæ ejus condolendum eſt, Dominuſque orandus, ut mentis ejus tenebras diſcutiat: non autem ob errorem male tractandus; id enim eſt miſero miſeriam addere. Imò externâ vi error coërceri nequit, quia vitium eſt intellectus; & nemo cogi poteſt ut aliter credat, quàm ratio ipſi credendum dictat. Nec viatorem à viâ aberrantem quiſpiam minis aut aſperis verbis in rectam coget viam; ſed ſolâ perſuaſione, quod à recta via declinaverit: Si perſuadere nequeat, non increpabit, non inceſſet conviтiis, ſed condolebit. Ita & hîc faciendum. Dices. Interim aliorum fidem pravâ ſuâ doctrinâ pervertit. Reſp. Illius pravæ doctrinæ veritatem oppone, rationeſque illius, ſolâ tantum veriſimilitudinis ſpecie nixas, clarâ veritatis luce diſſolve; ita hæreſi omnes nervos ſuccides, hominumque animos de veritatis evidentia perſuaſos reddes. Vim autem adhibendo, hæreſin non expelles, & veritatem, ut vidimus, in erroris ſuſpicionem adduces.

Septimum. XVII Septimò. Hæretici ſunt vitandi, juxta omnia loca, quibus hæretici deſcriptionem contineri contendunt, *Rom.* XVI. 17. 1 *Timoth.* VI. 3, 4, 5. 2 *Timoth.* II 18. III. 13. *Tit.* III. 10, Idque officium eſt Eccleſiæ, non ſe inquinare communicatione cum alterius operibus malis, ac proinde vitare homines inſanabiles & à fidei Chriſtianæ norma recedentes. Atqui cautio hæc fruſtranea foret, ſi à Magiſtratu è medio ſunt tollendi.

Octavum. XVIII. Octavò. Fieri poteſt, ut, quos nos credimus hæreticos, ſint veritatis profeſſores, nos autem graviorum errorum, inſcii licet, patroni; quoniam nullo infallibili judicio deciſum eſt pro nobis ſtare veritatem. Quin imò prædictum eſt multos ex zelo erga Deum fore perſecutores, *Joan.* XVI. 2. talis fuit Paulus, *Act.* IX. 1. *& ſeqq.* XXII. 3, 4, 5. 1 *Tim.* 1. 13. Atque ita contingere poſſet, ut ex perverſo zelo ipſam veritatem perſequamur: perinde uti olim Judæi & Ethnici religionem Chriſtianam perſequendo: omneſque Reformati de Pontificiis; doctrinam Reformationis perſequentibus, credunt. At ſic repugnamus Deo, *Act.* V. 39. & veritatem à nobis abigimus, ut Nazarethani, *Luc.* IV. 29, 30. Unde miram animorum cœcitatem ſequi neceſſe eſt; fieri enim vix poteſt, quin Deus ingratos ejuſmodi veritatis ſuæ perſecutores iri deſideria cordis ſui tradat, luce exosâ privet, & tenebris quas amant totos immerſos deſerat.

Nonum. XIX. Nonò. Opprimitur libertas conſcientiarum, ut liberè non liceat profiteri, ad quod quis ſe ob gloriam divinam obligatum credit; imò & prophetiæ exſtinguuntur; contra id quod præcipitur, 1 *Theſſ.* v. 19, 20, 21. *Spiritum nolite exſtinguere: Prophetias nolite ſpernere: Omnia probantes quod bonum eſt tenete.* Dices. Prophetiæ libertas non tollitur, quando audax licentia cohibetur. Reſp. Verum; ſed ſollicitè cavendum, ne ſub audacis licentiæ cohibendæ prætextu vera prophetandi libertas opprimatur. Peccatis ſpecioſa nomina prætexenda non ſunt. Liber itaque interpretationis Sacræ Scripturæ uſus, ex bonæ conſcientiæ ac ſanctæ vitæ ſtudio profectus, cum audaci licentia nihil habet commune; quia & de levibus contentiosè

tentiosè rixandi animum, omnesque seditiones, convitia ac maledicta excludit. Dices. An ergo hæc libertas etiam extendenda ad eos, qui ἀκίνητα κινοῦσι? Resp. Ἀκίνητα in Scriptura clarè determinata sunt: hæc qui movent veritatis divinæ manifesti sunt contemtores. Nec tamen si quis forte in crassum ejusmodi errorem incideret, pœnâ civili esset coërcendus; sed manifestis & evidentibus Scripturæ testimoniis erroris convincendus; quæ quantò evidentiora sunt, tantò fortius convinci poterit. Sed & cavendum, ne illa ἀκίνητα definiamus non ex ipsis Scripturæ Sacræ fontibus, sed ex sectæ cujuscunque fundamentis. Nec enim Synodorum auctoritas, nec Doctorum consensus, nec præscriptio temporis ulli dogmati, in Scriptura ut ἀκίνητον non clarè definito, illam auctoritatem conciliare potest. Imò interest aliquando Ecclesiæ, ut quæ ἀκίνητα judicantur, moveantur; ut constet ea non tantum non necessaria, sed ne vera quidem esse. Sic Reformati multa Ecclesiæ Pontificiæ placita, ab ipsis pro ἀκινήτοις habita, destruxerunt. Eodem modo & nunc contingere potest, quædam à Reformatis ἀκίνητα haberi, quæ exstirpari expediat. Si quis eorum liberam disquisitionem impediat, prophetias exstinguit. Dices. An spiritus est, quod cuique insana & corrupta mens, contendendi libido, adeoque malus spiritus suggerit? Resp. Nequaquam. Sed auctoritatem sibi arrogare quemvis spiritum à suo dissentientem, licet sua modestè proferentem, & divinarum Scripturarum auctoritate adstruentem, pro insana ac corrupta mente spiritusque mali suggestionibus censendi, atque illum eo nomine pœnis atrocibus ac vi externâ coërcendi, spiritus est exstinguere. Ita enim solus spiritus, qui seculari gladio est armatus, dominabitur, sive ille sit verus, sive falsus; Romæ Pontificius, Genevæ Calvinisticus, & in mutuam lanienam armabuntur Christiani. Dices. Sed & est falsa prophetia, quæ est contemnenda. Resp. Ita est; aliud autem est, prophetias quas falsas esse judicas contemnere, aut rejicere; aliud prophetias aliorum planè tollere, aut edictorum severitate ita cohibere, ut vel prophetare non audeant, vel absque ingenti periculo non possint. Hoc est prophetias contemnere, & spiritum exstinguere: prius verò est omnia probare, & falsis rejectis quod bonum est retinere.

Decimum. XX. Decimò. Fides est donum Dei: ergo per vim externam ingenerari nequit. Estque hujus rationis robur invictum contra eos, qui virtute seu potentiâ irresistibili fidem à Deo hominibus infundi volunt, neque fieri posse ut homo ante illam Dei operationem irresistibilem fidem concipiat. Quid enim vis externa ad operationis à solius Dei arbitrio dependentis promotionem conferet? Vel quo jure operationis divinæ, & quidem à mero beneplacito divino dependentis, defectus, homines pœnæ coram humano tribunali reos reddet? Et mirandum meritò, acerrimos prædestinationis absolutæ patronos, ut Dominicanos inter Pontificios, & Calvinistas inter Protestantes, etiam acerrimos hæreticidii esse patronos. Unde justa est suspicio, eos non errantium salutem, non Dei gloriam, hæreticorum punitione spectare; sed propriis tantum commodis consulere velle.

Undecimum. XXI. Undecimò. Qui secundum carnem est persequitur eum qui secundum spiritum est, *Gal* IV. 29. Unde manifestum est, persecutionem opus esse carnis. Dices. An ergo hæretici sunt secundum spiritum? Resp. 1. Non hoc urgemus; sed persecutionem semper procedere ab iis qui secundum carnem, nunquam verò ab illis qui secundum spiritum sunt: perinde uti olim Ismaël, homo carnalis & secundum carnem genitus, persecutus est Isaacum, secundum spiritum & ex promissionis divinæ vi genitum. 2. Fieri potest, ut quem nos pro hæretico habemus secundum spiritum sit, & veritatem propugnet. Quin imò licet erret, bonæ tamen conscientiæ studium, quo dogmatis, quod ad Dei gloriam tendere credit, constanti ad mortem usque defensione duci se ostendit, Deo multò gratius est, magisque eum secundum spiritum censeri facit, quàm nostra veritas sanguinis innoxii effusione maculata.

Duodecimum. XXII. Duodecimò. In Ecclesia primitiva non fuere hæretici occisi; quin huic lanienæ acerrimè semper contradictum fuit: sed hæretici aliorum fuere persecutores; & primi gravissimorum suppliciorum erga dissentientes inventores; ut Ariani. Imò errantium persecutio ipsa hæresis est gravissima. Imperatores Christiani constituere quidem pœnas aliquas in eos qui se à communione publicæ Ecclesiæ separabant; sed potissimum mulctas pecuniarias; iisque magis externam Reipublicæ quietem, quàm Ecclesiæ aut animarum salutem spectasse videntur; quia segreges cœtus vel permittebant, vel prohibebant, prout rebus suis conducere exstimabant. Pœnæ autem capitales summæ detestationi erant. Attamen postquam ab innoxia veritatis defensione semel ad coërcitiones externas deventum est, per gradus à mulctis ad exilia, ad carceres, ad sanguinem, ac tandem mortem hæreticorum properatum est. Primi, uti diximus, Ariani, regesque Vandalici in Africa sectæ isti addicti, in dissentientes capitis statuere supplicium. Postea in mutuam lanienam sæpe armavit Christianos dogmatum dissensus. Donec sub Papæ Romani tyrannide crudelis hæc laniena ipsam Ethnicorum sævitiam longo post se intervallo reliquit. Ut manife-

stum

stum sit, progressu seculorum longius à primæva innocentia recessum esse.

Sensus parabolæ de zizaniis, Matth. XIII.

XXIII Quæritur, an parabola de zizaniis non extirpandis ante diem messis, *Matth.* XIII. 24 *& seqq.* quæ communiter à Doctoribus, tam antiquis quàm recentioribus, huc applicari solet, evertendo hæreticidio inserviat? Resp. Si attentius parabolæ scopum consideremus, non videtur ex vi principalis sui scopi huic negotio applicari posse. Quoniam de parabolæ sensu judicandum est, non ex protasi, in qua multa sæpius ad ornatum non ad principalem scopum facientia inseruntur, sed ex apodosi. Atqui tota illa pars de servis zizania evellere cupientibus, uti & addita Domini responsio, ut ea in diem messis crescere sinant, non explicatur neque applicatur in apodosi: cùm tamen adeo sollicite & prolixè reliquæ parabolæ partes applicentur. Manifesto indicio, illam non ad parabolæ scopum, sed ornatum tantum insertam esse: perinde uti *Matth.* XX. 11. 12. quidam eorum, qui mercedem à Deo acceperunt, introducuntur murmurantes: *Luc.* XVI. 1. *& seqq.* liberales erga pauperes injusto œconomo; quin & *Luc.* XVIII 1 *& seqq.* ipse Deus injusto judici comparatur. Tum & singularum parabolæ partium explicatio ut hic de hæreticis agatur non permittit. Per *agrum* enim non Ecclesia, sed mundus denotatur. Per *zizania* intelliguntur filii diaboli, & qui iniquitatem operantur; qui etiam dicuntur colligendi & in ignem mittendi; quorum neutrum quadrat in hæreticos, quos jam descripsimus, homines nimirum errantes, cætera pios ac bonæ conscientiæ studiosos. Parabolæ ergo scopus videtur esse hic: Quoad statum externum & remunerationem nullum fieri in hoc seculo discrimen inter bonos & malos, adeo ut ex felici aut infelici alicujus in hoc mundo statu evidenter concludi possit, illum quidem Deo gratum esse pietatisque suæ præmium consequi; hunc verò Deo ingratum scelerumque suorum pœnam sentire: sed Deum permittere impios piis in hoc seculo permixtos vivere, perinde atque zizania tritico, absque ullo unde dignosci possint felicitatis aut infelicitatis discrimine: Sed illud demum locum habiturum in futuro seculo, quando Dominus de cujuscunque operibus sententiam pronuntiaturus, impiisque in fornacem ignis conjectis, pios in gloriam Patris introducet, ut splendeant solis instar: & tunc manifestum erit cuique discrimen inter justum & injustum, inter eum qui Deum timet & qui non timet. Ab hoc simplici parabolæ scopo si recesserimus, multa erunt obscura, & in varias incidemus perplexitates, ex quibus se extricare difficillimum est.

Refellitur primum argumentum pro hæreticidio, ex Deut. XIII. 1. aliisque.

XXIV. Sequitur nunc 2. ut argumenta pro hæreticidio afferri solita expendamus. Primum desumi solet ex locis quibusdam Veteris Testamenti ubi apostatæ, falsi prophetæ, ac blasphemi, morte affici jubentur, *Deut.* XIII. 1. *& seqq. Cap.* XVIII. 20. *Levit.* XXIV. 16. Resp. 1. In genere, leges Mosaicas judiciales, utpote rempublicam solum Israëliticam concernentes, destructâ illâ, justissimo judicio divino, republicâ, etiam abrogatas esse, neque Christianos obligare. Licet enim Dominus Jesus expressè illas non abrogaverit, Deus tamen Rempublicam illam destruendo satis se eas abrogare demonstravit. Quod si qui tamen eas etiamnum Christianos obligare contendant, aut dicant necesse est, integram legem politicam adhuc obligare, ac proinde leges de non alienandis hæreditatibus, de femine fratri absque liberis defuncto suscitando, de zelotypia, aliasque, postliminio in orbem Christianum reducant: aut has solummodò è reliquis excipiendas evincant. 2. Si & has leges etiamnum Christianos obligare contendant, eodem modo etiam deberent observari, quo olim Deus præcepit, nec ulla in pœna locum habere posset mutatio. Deberet ergo pater filium hæreticum, frater fratrem, maritus uxorem, qui primus hæresim deprehendisset, deferre, & lapidibus obruere; deberent & alia in eos pœnarum genera constitui, quibus apostatas Deus *Deut.* XIII. affici voluit. 3 In Lege de apostatis non agitur nisi de iis, qui à Judaismo ad gentium idola deficiunt, sique id facere profitentur. Nihil illi commune habent cum hæreticis, qui eundem illum Judæorum Deum unicè colunt, illique arctissimè adhærent; solummodò in sensuum quorundam Scripturæ interpretatione errant. Hinc est, quod, lege illâ adhuc vigente, in hæreticos, seu errantes, etiam in gravioribus, animadversum non sit; vid. in Sadducæos, resurrectionem mortuorum negantes; quin & illi Synedrii Judaici membra fuerint. Imò, quod mirere, lex hæc applicata non fuit illis, qui aliud magnam cum hac defectione affinitatem habens committebant, Jeroboamo nempe, & quotquot peccatum ejus imitabantur. Detestatus quidem est Deus vitulorum Jeroboami erectionem, utpote legi suæ directè adversantem; quia tamen Jeroboam non ad gentium idola defecit, sed vitulis illis verum Deum Israëlis adumbrare voluit, non legimus ulspiam legem de apostatis ipsius facto applicatam. 4. Lex *Deut.* XVIII. 20. agit de pseudo-propheta, *qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine Domini, quæ Dominus non præcepit illi ut diceret*, atque ita divinam mentiretur missionem; *aut ex nomine alienorum Deorum.* Quid cum eo commune habent hæretici, verborum Dei summo in pretio habentes; sed vel præjudicio, vel errore mentis sensum illius genuinum non percipientes? 5. Legem

gem *Levit.* XXIV. 16. de blasphemis huc applicari minimè posse, ex iis liquet, quæ antea de discrimine hæretici & blasphemi diximus. Blasphemus enim voluntariè peccat: Hæreticus itaque blasphemus esse nequit, etiamsi ea defendat, quæ in se spectata reverâ ad blasphemiam tendunt; quia errat, & quæ docet, ad honorem Dei facere credit, imò se blasphematurum si contrarium adsereret.

Secundum, ex I Reg. XVIII. 40. XXV. Secundò. Allegatur exemplum Eliæ, qui Baalitas occidit, I *Reg.* XVIII. 40. Resp. 1. Fuit id factum extraordinarium, à speciali spiritus Dei instructu profectum. 2. Colebant illi idolum in terra soli cultui illi externo Dei dicata, expressè contra legem, quæ ejusmodi idololatriam illic tolerari noluit. 3. Pertinuit ad legem, quæ rigida erat, & sub qua Deus judiciorum ac pœnarum corporarium severitate populum illum carnalem in officio continere voluit: alterius planè naturæ est Euangelium, quod omnem ejusmodi rigorem respuit, & lenitate ac mansuetudine constat. Inde Dominus discipulis suis factum quoddam Eliæ extraordinarium contra Samaritanos, odio religionis Judaicæ transitum Domino negantes, imitari volentibus, respondit, *Nescitis cujus spiritus sitis*, *Luc.* IX 55, 56. Quasi diceret; Creditis eodem vos duci spiritu quo Elias; sed fallimini; non enim distinguitis tempora & rationes temporum: aliam nunc Deus exigit mansuetudinem, nec jam sævis ejusmodi pœnis homines perdere vult; sed longanimitate ac patientiâ ad resipiscentiam vocat, adeo ut ipse Filius hominis venerit non ut animas perdat, sed seipsum in mortem tradat, ut eas salvet. Inde est, quod & passim se *Filium hominis* appellat, allusione factâ ad *Dan.* VII. 13, 14. ubi regnum Jesu Christi adumbratur potestate filio hominis traditâ; cùm alia regna per feras ac dilaniantes bestias essent repræsentata: ad significandum, regnum ejus non vi externa aut armis mundanis, instar regnorum hujus mundi, propagandum; sed rationum persuasione, mansuetudine ac clementiâ, quæ hominem ac filium hominis decet.

Tertium: ex Dan. III. 29. XXVI. Tertiò. Profertur lex Nabuchodonosoris, *Dan.* III. 29. quâ jubet, ut *omnis qui locutus fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Mesach & Abednego, dispereat. & domus ejus vastetur.* Resp. Pudeat Christanos ejusmodi allegare leges. 1. Fuit enim lex impii ac instabilis tyranni, quique magis ex ambitione, ut omnium ariolorum cædem iracundè imperatam coram populo justificaret, quàm sincero erga verum Deum amore, eam promulgasse credi debet; quoniam nec ipse postea eam observavit. 2. Hæretici etiam colunt Deum Sidrach, &c. tantum in quorundam obscurorum sensuum expositione errant: adeo ut, licet hæc lex obligaret Christianos, nihil inde proferri posset contra hæreticos.

XXVII. Quartò. Huc trahuntur verba Servatoris nostri, *Matth.* XVIII. 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Resp. 1. Non agitur de errantibus, sed de iis qui infirmos contemnunt, & ex contemtu scandalum præbent. 2. Non dicit Dominus, præstare ut homines eum, qui infirmis scandalum præbet, saxo molari collo ejus appenso mergant in profundum maris. Multò minus præcipit Dominus ut id fiat post commissum peccatum & datum scandalum. Sed declarat, quàm horrenda sit pœna divina, quæ istos infirmorum contemtores manet; ita quidem, ut præstaret horrendâ morte, qualis est saxo molari collo appensâ in profundo maris demergi, vel alio quovis supplicio perire ante perpetratum hoc peccatum; quàm superstitem esse evitatâ hac pœnâ, & peccatum hoc enorme committere: quia gravior multo pœna, cum hac ne comparanda quidem, tales à Deo manet. Si hæc ab hominibus ut fiant Dominum mandare urges; dicendum Magistratus officium esse, omnes qui infirmos contemnunt, ipsisque ex contemtu scandalum præbent, saxo molari appensos in mare præcipitare, aut quavis mala morte è medio tollere. Quæ sævitia absit ut in mitissimi Domini nostri verbis reperiatur. *Quartum, ex Matth. XVIII. 6.*

XXVIII. Quintò. Exemplum Domini allegant, ementes ac vendentes flagello è funiculis facto ex templo ejicientis: *Matth.* XXI. 12. *Joan.* II. 15. Resp. 1. Quid ementes & vendentes commune habent cum hæriticis, circa verbi divini interpretationem errantibus? 2. Aliud est flagello è funiculis facto è templo ejicere, aliud in exilium pellere, proscribere, carcari includere, aut occidere. 3. Contrarium hinc concludere liceret: Dominus ementes & vendentes è templo ejecit, non quia hæretici erant, sed quia indecorum erat in templo, cultui divino destinato, negotiari: Sadducæos autem, resurrectionem mortuorum negantes, ex templo non ejecit: Ergo hæretici non tantum non sunt occidendi, nec in exilium pellendi, sed ne templo quidem ejiciendi. Si quis nempe factum hoc hæreticis applicandum credat. *Quintum, ex Matth. XXI. 12.*

XXIX. Sextò. Exemplo Domini exemplum Apostolorum, Petri nim: ac Pauli, subjungunt: Petrus, inquiunt, Ananiam ac Saphiram, mentientes Spiritui Sancto, occidit, *Act.* V. 5, 9, 10. Paulus Elymam, Proconsulem à fide avertere conantem, cæcitate percussit, *Actor.* XIII. 10, 11. Resp. 1. Fuere ea facta extraordinaria, ac virtute miraculosa ab Apostolis effecta, & quidem *Sextum, ex Act. V. 5, 9, 10. & XIII. 10, 11.*

in initio & infantili statu Ecclesiæ, quæ fulcris ejusmodi indigebat, quibus divina Apostolorum missio comprobaretur: nunc autem Euangelii divinitate satis nobis confirmatâ, miraculis ejusmodi non indigemus. 2. Nihil hi commune habent cum hæreticis. Ananias & Sapphira mentiebantur Spiritui Sancto ac insignis hypocriseos erant rei: Elymas erat Iudæus & magus, & Proconsulem conabatur à Pauli sermonibus avertere, ne Christo nomen daret. 3. Non quicquid Apostoli miraculosâ virtute fecerunt, nobis imitari licet, præsertim quæ judicia aut pœnas de hominibus sumendas concernunt; nisi expressum de illis habeamus mandatum divinum, eodemque quo Apostoli spiritu agamur. Utrumque hic deëst. Nullum exstat præceptum, hæreticos, ad exemplum Petri Ananiam & Sapphiram morte plectentis, occidendi, neque spiritus noster perinde uti Apostolorum, infallibilis est; nec semper sincero gloriæ divinæ zelo, sed sæpissimè propriæ gloriæ studio ducitur. Pœnam hanc divinam fuisse constat, si & illi præter ullum præceptum divinum, ad imitationem Petri hæreticos occidere velint, etiam verbo perimant, & pœnam illam divinam esse agnoscemus.

Septimum, ex 1 Tim. 1. 20. XXX. Septimò. Paulus dicit, 1 *Timoth.* 1. 20. se *Hymenæum & Alexandrum tradidisse Satanæ, ut discant non blasphemare.* De quo loco ita Calvinus: *Si tunc Paulo ad manum fuisset pius Magistratus, & strenuus gloriæ Christi vindex, ego quidem non dubito, quin illos puniendos libenter daturus fuerit, quos permissâ sibi divinitus castigatione in ordinem cogebat.* Resp. Crudelis sensus à Pauli mente alienus ipsi affingitur, quasi quos diabolo tradit, vellet carnifici occidendos tradere, carnifexque ipsi sit Satan. Absit id à mente Pauli. Quomodo tum discerent non blasphemare, vitâ per carnificem exstinctâ? E contra pœna hæc merè est spiritualis, quâ Apostoli homines Euangelio rebelles Satanæ tanquam carnifici dabant torquendos, variisque morbis affligendos; ut hac pœnâ deterriti ad pœnitentiam compellerentur; ut antea ostendimus.

Octavum ex Gal. v. 12. XXXI. Octavò. *Gal.* v. 12. optat Paulus, *Utinam abscindantur qui vos conturbant?* Resp. Respicit Paulus ad κρίμα de quo paulo ante egit, quod dicit turbatores illos portaturos: illud autem est judicium divinum in ipsos jam decretum. Optat ergo Paulus, siquidem insanabiles sint, ut judicium istud statim in ipsos exerceatur, ne plures seducant Ecclesiæque majoris concitent turbas. Nihil hic pro hæreticidio.* 1. Nulli tanta inest sapientia quanta Paulo, ut de corde alterius judicare, & decretum Dei de hominum resipiscere nolentium exitio perspectum habere possit. 2. Nec affectibus adeo puri sumus, quàm Apostolus: ducebatur ille gloriæ divinæ ac salutis Ecclesiæ studio: nos sæpe & odio nostro, vindictæ, quin & propriæ gloriæ studio indulgemus, dum veritatis divinæ adserendæ studium præteximus. 3. Non simpliciter turbatores illos abscindi, multò minus ab hominibus interimi vult; sed eorum resipiscentiam mavult; interim optat ut abscindantur: & siquidem Deus decrevit ipsos ob malitiam insanabilem abscindere, ut judicium illud maturet; Deo interim exitum commendat. Qui verò occidit, Deo rem non committit, sed ipse quid fieri velit jam definivit. Addere possumus: Apostolum hic non tam reverà horum turbatorum exitium optasse, quàm summam animi sui aversionem pathetica hac loquendi formulâ aliis fecisse testatam.

XXXII. Nonò. *Apoc.* XVII. 17. dicitur, quòd *reges decem odio persequentur meretricem, & solam illam reddent, & nudam, & carnes ejus comedent, ipsam igne absument; Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant τὴν γνώμην αὐτῆς.* Resp. 1. Antichristus blasphemans seque sanctorum sanguine inebrians nihil commune habet cum hæreticis errantibus, & Antichristum ejusque persecutiones detestantibus. 2. Nec ex textu patet, regibus hisce à Deo potestatem tribui Antichristum occidendi. Est tantum prædictio eventus futuri, nullum autem præceptum: dicitur enim solummodò Deus *in ipsorum corde dedisse, ut faciant τὴν γνώμην αὐτῆς hoc* est, consilium ac decretum suum de exscindendo Antichristo exsequantur: non quòd Deus hoc ipsis præcipiat, sed quòd eorum ministerio in judicio suo contra Antichristum sit usurus, eosque eorumque potentiam & sanguinem effundendi cupiditatem contra Antichristum directurus: eodem sensu quo Deus *Esa.* x. 5, 6, dicit *se* regem Assyriorum contra Judæos *missurum, eique mandaturum ut spoliet spolia*, &c. & 2 *Sam.* XVI. 10. David de Simei dicit, quod *Deus illi præceperit, ut maledicere Davidi:* & *Psal* cv. 25. Deus dicitur *convertisse cor Ægyptiorum, ut odio haberent populum suum*, &c. *Nonum, ex Apoc. XVII. 17.*

XXXIII. Decimò. *Rom.* XIII. 4. *Magistratus gladium non gerit frustra.* Resp. Gerit Magistratus gladium, ut coërceat pœnis impios ac facinorosos: prius ergo antequam puniat, constare debet aliquem impium esse. Cùm ergo in dissensionibus circa obscuriora ac magis recondita Religionis Christianæ mysteria nondum judicio infallibili determinatum sit penes quem sit veritas; nec etiam de cujusquam crimine constare potest. Adde quòd error crimen non sit, quod pœnam propriè meretur. Ac tandem, Magistratum potestatis suæ exercitium ulterius extendere nec posse nec debere, quàm intra limites quibus à Deo circumscripta est; est enim vicarius Dei, potestatemque habet determinatam. Nullum autem illi dominium in con- *Decimum, ex Rom. XIII. 4.*

conscientias hominum concessum est: hanc itaque si arripiat, potestatis suæ limites transilire, ac in jura Dei invadere censendus est.

Undecimum. Quod jure occiduntur fures ac latrones.

XXXIV. Undecimo. Occiduntur jure à Magistratu fures ac latrones; multo ergo majori jure hæretici, qui comparantur lupis rapacibus, *Matth.* VII. 15. *Act.* XX. 29. & furibus ac latronibus, *Joan.* X. 1. Similiter occiduntur falsarii & adulteratores monetæ, & qui alios veneno interficiunt; ergo multò magis falsarii & corruptores verbi divini, & qui falsæ doctrinæ veneno animas hominum occidunt, perimendi sunt. *Resp.* Quis non deploret miseram Christiani orbis sortem, quando doctores illius argumentis ejusmodi ab omni ratione ac humanitate alienis depugnant, miseramque plebem ad crudelitatem mansuetudini Christianæ adversam incitant? Nam 1. Supponamus errorem in religione esse crimen, quod tamen concedendum non est; crimina hæç adeo sunt diversa, ut ab uno ad aliud nulla illatio fieri possit. Error enim si crimen continet directè committitur contra Deum, non autem contra Magistratum; quia non lædit publicam tranquillitatem, aut societatem civilem, cui soli tuendæ Magistratus constitutus est: non intervertit opes aut possessiones aliorum; sed unicè circa conscientiæ directionem occupatur, quâ nimirum ratione Deus coli debeat, ut vita æterna obtineatur. Quare nec Magistratui vindicta illius demandata est; uti in responsione ad objectionem præcedentem dictum est; sed eam Deus sibi reservavit. Fures autem, latrones, ac monetæ adulteratores directè contra quietem publicam ac societatem civilem peccant. Ut itaque ea conservetur, tales à Magistratu puniri debent. 2. Si illatio hæc quicquam valitura sit, requiritur, ut, antequam hæretici occidantur, infallibiliter cognoscantur quod hæretici sint, perinde uti nulli fures, falsarii, aut venefici jure occiduntur, nisi de quorum maleficio certissimè constat. 3. Agnoscunt illi se non tantum fures ac falsarios esse, sed & se male agere, pœnamque commeritos: Hæretici verò credunt se bene agere, gloriam Dei promovere, ac proinde se non pœnam, sed laudem ac gratiam meritos. 4. Qui per imprudentiam occidit, non occiditur; Deus ipse sub Veteri Testamento in illorum gratiam urbes refugii constituit: multò minus medicus, qui existimans se ægroto præbere salutare pharmacum, per imprudentiam propinat lethale venenum. At tales sunt hæretici: non lædunt animo lædendi, sed benefaciendi. 5. His adde, quod non noceant nisi volentibus, & in quorum potestate est sibi ab ipsorum seductione præcavere: volenti autem propriè injuria non fit. 6. Si hæc consequentia admittatur, optimi quique ac diligentissimi Scripturarum indagatores pœnæ subjicientur; socordes verò qui Scripturæ lectionem negligunt omnem pœnam evadent. Ratio est, quia hi religionem pensi non habentes cœco impetu antecedentium gregem ut bruta pecora sequuntur: illi verò veritatem scrutantes facile errores quosdam publicè receptos deprehendunt; quibus si tollendis se accingant, pœnam tanquam hæretici incurrunt. Similiter pii ac bonæ conscientiæ studiosi, quoniam veritatem agnitam aut abnegare, aut turpi silentio abscondere nolunt, tradentur carnifici: hypocritæ verò, quibus veritas ac gloria divina vilis est, pœnas evadent. 7. Tandem si argumentatio hæc admittatur, cur non ergo occiduntur avari, ebriosi, scortatores, &c. Qui omnes exemplo nocent, animasque in æternum exitium præcipitant? Cur, illis dimissis, soli hæretici, pietatis sæpius studiosissimi, plectuntur? Nempe ad exemplum Judæorum Christus crucifigitur & Barabbas dimittitur.

Duodecimum, à disciplinâ Ecclesiastica.

XXXV. Duodecimò. Ita tota disciplina Ecclesiastica abolebitur, omnium rerum confusio orietur, omnesque hæreses introducentur. *Resp.* 1. Quasi hæreses non possint coërceri nisi per vim externam: imò per vim externam hæreses coërceri nequeunt; armis spiritualibus contra eas est depugnandum. 2. Conducit Ecclesiæ hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant: 1 *Cor.* XI. 18. 3 Non tamen Disciplina Ecclesiastica evertetur: quin imò hæc urgentur, ut disciplina ecclesiastica locum habeat, omnisque vis externa, ecclesiasticæ disciplinæ repugnans, arceatur. Disciplina quippe Ecclesiastica unicum hæreticis refellendis & coërcendis remedium est: quæ in duobus occupatur; in errorum solidâ refutatione; & in errantium, si in errore exitiali perseverent, vitatione. Quicquid ultra hæc adhibetur, carnale est & vim sapit. Dices: Si hæretici possunt excommunicari, possunt etiam occidi: quia excommunicatio, per quam aliquis è regno cœlorum excluditur; morte temporali gravius supplicium est. *Resp.* 1. Pœnæ istæ diversi planè sunt generis, ita ut ab unâ ad alteram argumentatio duci nequeat; nam prior est nuda denuntiatio, errantem nisi resipiscat regno cœlorum exclusum iri, Ecclesiæque à communione illius hominis segregatio; quâ sibi ipsi legem dicit nulla imposterum sacra cum ipso communia habendi; posterior est errantis interemtio: prior pro scopo habet errantis resipiscentiam; posterior illius perditionem. 2. Qui hæreticos occidunt, eos etiam anathemate feriunt; itaque præterquam quod illos cœlo proscribunt, etiam resipiscentiæ tempus præscindunt, & quantum in se est in gehennam præcipitant; cum excommunicatio tendat ad salutem, vel solo illo, 1 *Cor.* V. 5. loco teste, quem pro excommunicatione semper allegare solent. Atque ita apparet,

paret, hac disciplinâ Ecclesiæ vigente, nullam rerum confusionem orituram, & saluberrimum ad hæresium exstirpationem adhiberi remedium.

Quomodo coercendi haretici. XXXVI. Ut itaque tandem nostram de hæreticorum coërcitione dicamus sententiam, distinguendum credimus. 1. Inter regimen politicum, & spirituale. 2. Inter publicum religionis exercitium, in templis nimirum publicis; & privatum in ædibus privatis. 3. Manifesta crimina separanda sunt ab erroribus. 4. Aliud est cogere ad sententiam quandam pro vera amplectendam; aliud ad pacem civilem colendam præcipere ut abstineatur à conviciis, scommatis, injuriis. His positis, dicimus; Magistratui non licet quemquam ad amplectendam hanc aut illam opinionem aut ad communionem cum Ecclesia publica, si eam à veritate salutari recedere, aut peccatorum, hominem è regno cœlorum excludentium, ream credit, vi cogere. Licet tamen illi improbos ac turbulentos homines, religionem prætendentes, quoties contra leges politicas delinquunt, pro facti ratione punire. Non licet Ecclesiasticis personis contra hæreticos, qui verè hæretici sunt, seculare brachium invocare: licet tamen ab iis recedere, neque amplius communia cum iis sacra habere. Sed non temerè id judicium in quemquam pronuntiandum est, quia in multis dissentire possumus, salva veritate fundamentali, uti sequente capite ostendemus. Faciat ergo quisque quod suum est.

Quid hic facundum Magistratui. XXXVII. Magistratus judicium exerceat in rebus suæ cognitioni subjectis; protegat bonos, puniat malos. Doctrinam quam veram judicat in templis publicis doceri procuret, omniaque adhibeat media placida, quibus dissentientes subditi ad communionem cum Ecclesia publica invitentur & persuadeantur, sive per colloquia amica, sive paterna ad conciones publicas audiendum invitatione. Neminem autem religionem contra conscientiam suam amplecti cogat, nec exercitium religionis à sua diversæ in privatis ædibus per vim aut edictorum severitate impediat.

Quid, Pastoribus. XXXVIII. Pastores etiam res suas agant. Verbum Dei purè doceant; errantes verbi divini luce aut argumentum evidentia convincant; quos convincere nequeunt, tolerent, donec Deus illorum misertus quod ignorant revelet. Si qui in fundamentalibus errant, ab iis se separent: neminem autem contra eos instigent, aut ferro abolendos clament.

Quid singulis. XXXIX. Privatim omnes pacem ac concordiam, civilem saltem, colant inter se, à conviciis, scommatis & dicteriis abstineant; amicè & placidè inter se de religione sæpius conferant; neque de victoria sed veritate contendant. Denique alii pro aliis orent, & omnia humanitatis officia sibi invicem exhibeant. Ita fiet, ut progressu temporis ex reipsa, & rationum momentis, & vita seu conversatione hominum appareat, quinam veriorem sententiam amplectantur, cujusque sententia fructus Euangelio dignos producat. Aliter si res instituatur, omnia rixis, jurgiis, & privatis suspicionibus, denique bellis & cædibus (ut huc usque factum vidimus) replebuntur; atque interim veritas, pax & libertas conscientiarum, imò salus hominum & Dei gloria, multis modis violabuntur.

CAPUT XXI.

De mutua dissentientium Tolerantiâ: ac primò de articulis necessariis, & non absolutè necessariis.

Quatuor hic videnda. I. Postquam explicatum, quomodo agendum cum hæreticis seu errantibus in dogmatibus ad salutem creditu necessariis, salutisque fundamentum evertentibus, restat tandem ut inquiramus quodnam sit Ecclesiæ officium erga simpliciter errantes, seu fundamentum salutis arctè nobiscum retinentes, sed in quorundam dogmatum explicatione salutem non destruentium à nobis recedentes. Hic quatuor tractabimus. I. Fundamenti loco discrimen inter articulos ad salutem absolutè necessarios, aliosque non necessarios, adstruemus. II. Docebimus ex quibus indiciis articulus necessarius à non necessario dignosci debeat. III. Inter dissentientes in articulis non necessariis, mutuam colendam esse tolerantiam. IV. Quâ ratione tolerantia illa, salvâ unicuique prophetandi libertate, coli, omnisque in Ecclesia nihilominus confusio vitari, veritasque conservari possit.

1. Discrimen inter articulos necessarios & non necessarios. II. Primum supervacaneum videretur demonstrare: nisi quidam Theologi, ab omni pacis & concordiæ studio alieni, & nil nisi contentiones ac dissidia spirantes, rem adeò claram non tantum in dubium vocarent, sed & expressè negarent, urgentes omnes articulos esse fundamentales, omnemque in religione errorem hominem æternæ condemnationis facere reum. Discrimen ergo hoc adstruimus.

Id adstruitur 1 ex 1 Cor. III. 10. & seqq. III. Primò, celebri illo 1 *Cor.* III. 10, II. & *seqq.* loco: *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit* quod

quod superædificavit, mercedem accipiet: Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Hic manifestum ponit Apostolus discrimen, inter fundamentum, & id quod fundamento inædificatur: quæ fundamento inædificantur sunt vel doctrinæ veræ ac præstantes, quæ firmos ac solidos reddunt discipulos; illæque comparantur auro, argento, & gemmis, quæ singula vim ignis sustinent; vel doctrinæ inanes & inefficaces, seu erroneæ, quæ comparantur ligno, fœno, stipulis; quoniam ignem explorationis ferre nequeunt, sed exploratæ dissipantur. De prioribus dicit, quod earum doctores etiam ædificationis suæ præmium accipient: sed de posterioribus, quod totius operis sui damnum patientur: quia tamen a fundamento non recesserint, salute non destituentur.

Occurritur exceptioni. IV. Dices. Quicquid fundamento innititur est fundamentale; fundamentale quippe ipsum fundamentum non est. Resp. Illos ludere in voce fundamenti & fundamentalis: non enim fundamentale est, quod aliqualem ad fundamentum respectum habet, perinde uti ædificium ad fundamentum cui superstruitur refertur; sed fundamentale est, quod ad ipsius fundamenti essentiam ac constitutionem requiritur; adeoque fundamentale idem revera est cum fundamento. Potest enim fundamentum accipi, vel incomplexè, estque unicum, Dominus noster Jesus Christus, qui & alibi *lapis angularis* vocatur, *Eph.* II. 20. I *Pet.* II. 4. Vel complexè, denotatque veritatem fundamentalem, sine cujus notitia ac fide nemo dici potest in Jesum Christum credere. Hoc sensu fundamentum hic accipimus, & ad illius essentiam requiruntur omnia illa dogmata, quæ non tantum ut vera credi debent, sed ut prorsus ad salutem necessaria, adeò ut si quis ea vel ignoret, vel neget, vel in dubium vocet, juxta Novi Fœderis leges salutem æternam consequi minimè possit. Ab hisce fundamentalibus manifestè quæ fundamento superædificantur distinguuntur; quoniam si quis vel eorum aliqua ignoret, vel errore deceptus in dubium vocet ac neget, quia tamen fundamentum retinet inconcussum, salute minimè excludetur; uti Apostolus expressè dicit.

Et alteri exceptioni. V. Dices. Salvabitur, si lignum, fœnum ac stipulas verbi divini igne permittat comburi, id est, si falsæ suæ doctrinæ renuntiet. Resp. Quis non miretur adeò violentam explicationem, verbis ac scopo textus directè adversam; 1. Non enim dicitur, salvabitur si stipulas comburi permittat; sed, accedente probatione per ignem, stipulæ comburentur: non enim in arbitrio hominis est, utrum stipulas suas comburi velit, nec ne, sed ignis ille explorationis stipulas consumet, adeo ut superesse nequeant. Illis consumtis earum ædificator nullum laboris sui præmium referet; quia tamen fundamento ab Apostolis posito arctè semper inhæsit, salutem consequetur. 2. Dicit quando stipulæ comburentur, illarum ædificatorem *damnum passurum:* nullum vero damnum patitur, qui errori exitiali renuntians veritatem amplectitur, ejusque interventu salutem adipiscitur. Qui verò omnem laboris sui fructum sibi perire cernit, revera totius sui operis jacturam facit. 3. Idem Apostoli scopus evincit. Monet quippe Corinthios, ut non obstantibus dissensionibus quibusdam pacem nihilominus inter se colant; hac adhibita ratione, quòd omnes fundamentum retineant, eoque retento uniuscujusque certa sit salus, licet forte illi stipulas ac fœnum, seu doctrinas inanes, superædificent. Si verò Apostoli sensus esset, salutem consequendam non alia conditione, nisi inani illi doctrinæ nuntium mittant, argumento suo omnes nervos præcidisset; parata quippe Corinthiis fuisset responsio, se cum dissentientibus pacem colere paratos, quamprimum stipulam suam comburi permiserint; hoc est, doctrinæ suæ erroneæ renuntiarint. 4. Hoc modo non tantum salvus erit, qui fundamento retento stipulas illi superædificat; sed & qui vero fundamento rejecto falso superstruit; si nimirum & illud verbi divini igne comburi sinat. Ad quid igitur sollicita hæc Apostoli inter fundamentum, & ædificium illi superstructum distinctio?

VI. Huic nostræ explicationi adstipulatur Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus, *de Successione Ecclesiarum in Occidente, cap.* I. §. 12. *Dogmatum, quæ in Ecclesiis traduntur, illud discrimen statuendum est: tanti aliqua esse momenti, ut illis Ecclesia & salutis nostræ contineatur fundamentum: esse verò alia, quibus Ecclesia & salus nostra ita non innititur, ut si ab iis aberratum fuerit, salva res esse non possit. Hinc Apostolus in* Cap. III. prioris ad Corinthios *epistolæ, inter fidei fundamentum, & alia fundamento superstructa accurratè distinguit. Illud si deserueris, actum est de te scilicet, periisti: illud si retinueris,* ligna *quoque &* fœnum & stipulam *superædificaveris; jacturam quidem facturus es, sed operis, non salutis*: si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet, ipse verò servabitur, *inquit Apostolus.* Nam & in libris Sanctorum Doctorum, quos authenticè legit Ecclesia, *ut habet in commentariis ad illum locum sive Hervetus Monachus, sive Anselmus Archiepiscopus*, nonnunquam inveniuntur quædam prava vel hæretica; non tamen pro his vel libri vel auctores damnantur. Perlegat eorum libros prudens lector, & inveniet esse verum quod dico. Hæc ille. *Sententia Usserii.*

VII. Secundò. Discrimen hoc ex ipsis Christianæ religionis dogmatibus liquidò con- *2. Ex ipsis dogmatibus*

religionis Christianæ.

constat. Non enim omnia ejusdem sunt ponderis ac momenti, ut aut ignorata, aut non rectè intellecta, salutis spem præcidant. Uti & hoc in sequentibus plenius explicabitur. Dices. Qui unum dogma solvit, totam doctrinam solvit; perindeut qui unum annulum solvit integram catenam dissolvit. Resp. Similitudo admodum dissimilis; non enim eo modo doctrinæ Christianæ dogmata connectuntur, ut uno ignorato tota doctrina dissolvatur; aliàs dicendum, qui in minimo errat, cum etiam totam religionem abnegare. Melius huc applicatur similitudo à vita hominis desumpta, quam ex Gregorio Nysseno proponit, latiusque diducit & amplificat Archiepiscopus Armachanus *de Christianarum Ecclesiarum statu & successione per Occidentem*, Cap. 1. §. 14. *Alia membra comparata sunt* πρὸς τὸ ζῆν, ὧν ἄνευ συνεῖναι τὴν ἀνθρωπίνην ζωὴν οὐκ ἐνδέχεται, *absque quibus foret, homo non viveret. Alia vero* πρὸς τὸ εὖ ζῆν, *adjucundè vivendum: quæ videlicet bonorum sint velut additamentum, profecta de benigna largitate naturæ, efficientis per hæc ut jucundè homo viveret. Nam in his vita nostra non consistit, quando vivere homini licet, etiam plerisque horum amissis: sed fieri non potest ut absque horum actionibus rerum in hominis vita jucundarum voluptate fruamur.* Quibus Gregorii Nysseni verbis hæc Archiepiscopus Armachanus subjungit. *Quemadmodum igitur in hominis natura aliud est si quæras, an vivat; aliud, an rectè valeat: adeoque in ipso morbo utrum vitales corporis partes (cor, hepar, cerebrum) an verò organicas afficiat: ita omnino in Ecclesiæ natura se res habet, ut alia sit quæstio* περὶ τῆς οὐσίας, *alia* περὶ τῆς εὐεξίας, *utrum sit Ecclesia, & utrum integra ea sit atque omnibus numeris absoluta.* πρὸς τὸ καλῶς εἶναι *requiritur, ut totius veritatis quæ est secundum pietatem professio maneat incorrupta: sed simpliciter* πρὸς τὸ εἶναι, *ut firmum retineatur fundamentum, & quæ ad salutem planè necessaria sunt doctrinæ Christianæ capita inviolata conserventur.*

3. Consequentiis absurdis.

VIII. Tertiò. Maxima est præsumtio, definire omnes errores esse fundamentales. 1. Aut enim ipsis dicendum est, se in nullo, ne minimo quidem dogmate errare; quod summæ præsumtionis est, & humanam excedit sortem: aut si, homines cum sint, nihil humanum à se alienum fateantur, suopte judicio è regno cœlorum excluduntur. 2. Necesse est ut omnes, etiam in minimis errantes, æternæ damnationis reos pronuntient. Fatentur, si verbi divini præscriptum sequamur, omnem errorem damnationem adferre; quoniam anathema est, quicunque aliud Euangelium annuntiat, præter id quod annuntiatum est, etiamsi vel angelus de cœlo sit: *Gal.* 1. 8. omnisque error ipsis aliud est Euangelium. At ita necesse est omnes à se dissentientes condemnent. Respondent, se neminem damnare; sed Deo judicium committere. Atqui, quæram ego, quid est damnare, nisi aliquem juxta verbi divini præscriptum damnationis æternæ esse reum pronuntiare? Hoc qui non veretur, hominem damnat. Dices. Omne peccatum damnat; non tamen propterea omnes peccatores cœlorum regno excludere audemus. Resp. 1. Negamus æternæ damnationis pœnam cuicunque, etiam levissimo peccato, sub Novo Testamento constitutam esse, sunt quædam leviora, quæ etsi Deus improbat, tamen ad quæ, si cætera homines probi sint, benigni instar patris connivere vult. 2. Potest quis peccati mortalis & ex formula Novi Fœderis morte æternâ puniendi, resipiscentiâ ductus, illius veniam à Deo obtinere: at si nullâ pœnitentiâ tactus discesserit è vitâ, damnationis reus est, & quamdiu in eo perseverat, à nobis damnandus, juxta divini verbi normam, pronuntiari potest ac debet. Idem ergo judicium pronuntiandum in errantes, quamdiu in errore versantur aut errore non repudiato moriuntur. Quod si obtineat, necesse est ut singuli Christianorum cœtus suæ Ecclesiæ salutem alligent, omnesque à se dissentientes orco adjudicent; imò minimâ tantum controversiâ ortâ, statim in partes eant. Quod quàm ab omni humanitate, non dico Religionis Christianæ genio, alienum sit, quivis facile videt. Imò plerique Patres orco adjudicandi erunt, quoniam nulli ab omni errore immunes reperientur, imò maximæ inter illos auctoritatis & præcipua Ecclesiæ lumina quandoque stipulam fundamento superædificasse, discurrenti per omnium scripta liquidò constabit. Estque illud magis intolerandum in Reformato, qui non tantum hominem privatum, sed & integram Ecclesiam errare posse fatetur, & contra Pontificios contendit. Misera sanè foret Christiani hominis conditio, quem mundo valedicentem, carnemque ejusque concupiscentias maximo cum dolore crucifigentem, Deumque ex animo omnibusque viribus colentem, minimus ingenii lapsus, quem sæpe evitare ipsius potestatis non est, orco addiceret.

IX. Adstructo itaque discrimine inter necessarios creditu ad salutem, & non necessarios articulos, sequitur ut II. inquiramus ex quibus indiciis articulus necessariò credendus dignosci queat. *II. Unde discrimen hoc dignosci queat.* Quoniam solius Dei est, salutem æternam gratiosè nobis decernere ac conferre, etiam illius est leges ac normam credendi, seu viam ad eam obtinendum, præscribere. *Jacob.* IV. 12. *Unus est legislator qui potest servare & perdere: tu verò quis es qui judicas alienum servum? Rom.* XIV. 4 *Tu quis es, qui alienum servum judicas? Domino suo stat aut cadit.* Leges itaque salutis ac damnationis ex norma nobis

Ppppp 2 à Deo

à Deo traditâ petendæ ſunt. Normam autem credendi nullam nobis Deus reliquit præter Sacram Scripturam, quæ non tantum infallibilis eſt, ſed & omnia ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu ac factu neceſſaria, & plenè & perſpicuè comprehendit, & quidem additâ neceſſitatis notâ. Ad eam itaque ſolam, tanquam regulam certam, evidentem & fallere neſciam, dogmatis cujuſque pondus ac momentum explorandum eſt.

Regula. prima.

X. Cùm autem duo ad ſalutem Scriptura requirat neceſſaria, fidem in Deum ac Jeſum Chriſtum, & obedientiam ſeu ſanctimoniam ſpe promiſſorum divinorum ſubnixam; apparet neceſſaria eſſe; Primò: Quæ Scriptura ad fidei eſſentiam requirit, adeoque quæ in Scriptura clarè ac perſpicuè exſtant, additâ neceſſitatis notâ; nimirum, quod quicunque hoc credit ſalvabitur, quicunque verò hoc non credit condemnabitur. Qualia ſunt *Joan.* III. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Et *cap.* XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Act.* XVI. 31. *Crede in Dominum Jeſum, & ſalvus eris tu & domus tua. Rom.* X. 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Jeſum, & corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Gal.* V. 2, 3, 4, 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ. Evacuati eſtis à Chriſto, qui in Lege juſtificamini; à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus.* Vide & 1 *Joan.* II. 12, 23. & IV. 2, 3. & alibi. Hæc aliaque ejuſmodi adeò clarè expreſſa & determinata neceſſariò credenda haberi debent. Licet enim reverâ unicum ſit fundamentum ſalutis, nimirum Jeſus Chriſtus, 1 *Cor.* III. 10. poteſt tamen illud, pro multiplici reſpectu ad opus ſalutis noſtræ, variis modis efferri, & in plura membra diſpeſci, quæ tamen omnia in hac unâ veritate veluti in centro ad unitatem redeunt. Hiſce ita clarè ac evidenter Scripturâ expreſſis ea etiam comprehendimus, quæ cum his ita neceſſariò cohærent, ut ab omnibus perinde atque ſi ſimul expreſſa forent ex hiſce eliciantur, quibuſque negatis hæc etiam negare neceſſe eſt, quæ non à quibuſdam particulatim, ſed ab omnibus, ubique & ſemper, ut habet Vincentius Lirinenſis in Commonitorio ſuo, credita ſunt: in quorum fide unanimis omnium Chriſtianorum eſt conſenſus. Ea enim perinde ac ſi expreſsè definita forent habenda ſunt. Quorum omnium ſumma communi Chriſtianorum ſymbolo, quod vulgò Apoſtolicum vocatur, continetur.

Regula ſecunda.

XI. Secundò. Neceſſaria ſunt, ſine quibus ſanctimoniæ ſtudium aut æternæ vitæ ſpes ſubſiſtere nequit; quoniam enim *abſque ſanctimonia nemo videbit Deum, Hebr.* XII. 14. *pietaſque promiſſa habet hujus ac futuræ vitæ*, 1 *Tim.* IV. 8. omnia neceſſaria haberi debent, quibus pietas vitæque æternæ ſpes tanquam fulcris innititur, & quibus everſis hæc etiam corruere neceſſe eſt: Quale eſt inter alia, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum reſurrexiſſe ex mortuis, teſtante Apoſtolo 1 *Cor.* XV. 17, 18. *Si Chriſtus non reſurrexit, quod vana ſit fides noſtra, adhuc ſimus in peccatis, & perierint qui in Chriſto dormierunt.*

Neceſſaria pauca numero.

XII. Ad haſce regulas ſi omnia doctrinæ Chriſtianæ dogmata examinentur, deprehendemus 1. Neceſſariorum exiguum admodum eſſe numerum, præ ingenti non neceſſariorum, imò inutilium & noxiorum multitudine. 2. Fieri vix poſſe, ut homo, qui debitam Scripturis exhibet reverentiam, nullamque præter eam fidei vitæque normam agnoſcit, & ſerio ſalutis ſuæ ſtudio ducitur, in errorem incidat exitialem. Neceſſaria enim non clarè tantum in Scriptura exſtant, ſed ſæpius & pluribus in locis occurrunt; adeò ut ſi alibi phraſi paulum obſcuriore efferantur, alio loco clarè proponantur. Hinc licet in vero loci cujuſdam ſenſu percipiendo forte erret, à dogmatis tamen ipſius, alibi clarè expreſſi, fide non aberrabit; modò hoc attendat, fidei dogma loco obſcuriori non eſſe ſuperſtruendum, ſed è clarioribus petendum, locumque obſcurum per clariora illuſtrandum. Exemplum eſto locus *Joan.* III. 5. *Niſi quis renatus ſit ex aqua & ſpiritu non poteſt ingredi in regnum cælorum.* Locus eſt controverſus, & de cujus genuino ſenſu inter Pontificios ac Reformatos controvertitur, his de regeneratione ſpirituali, illis de Baptiſmo tanquam regenerationis inſtrumento illum accipientibus. Dogmatis ergo illius neceſſitas non ex hoc loco, ſed ex aliis clarioribus, quos vel de regeneratione, vel de Baptiſmo agere conſtat, petenda eſt. Ita liquebit, rariſſimas de dogmatibus ad ſalutem neceſſariis inter Chriſtianos eſſe controverſias, ſed unanimem fermè omnium, qui Scripturis debitam exhibent reverentiam, in illis eſſe conſenſum. Hîc adſtipulantem nobis habemus Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem Jacobum, teſtante id Caſaubono in *Reſponſione ad Cardinalis Perronii epiſtolam*, *Obſervat.* 3. *pag.* 30, 31. *Veriſſimè ſcriptum eſſe in explicatione τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων Rex arbitratur, rerum abſolutè neceſſariarum ad ſalutem non magnum eſſe numerum. Quare exiſtimat ejus majeſtas, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quàm ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſſariis? & ut de neceſſariis conveniat omnis opera inſumatur; in non neceſſariis libertati*

bertati Christianæ locus detur. Simpliciter necessaria rex appellat, quæ vel expressè verbum Dei præcipit credenda faciendave; vel ex verbo Dei necessariâ consequentiâ Vetus Ecclesia elicuit. At quæ ex institutione hominum præter verbum Dei, quamvis piè & prudenter, pro tempore in usum Ecclesiæ sunt recepta, mutari, molliri, antiquari posse existimat; & quod Pius II. de cælibatu clericorum dicebat, bono olim jure sancitum, meliore nunc iri antiquatum, *id in genere de plerisque observationibus Ecclesiasticis, extra verbum Dei introductis, posse usurpari rex credit. Si ad decidendas hodiernas controversias hæc distinctio adhiberetur, & jus divinum à positivo candidè separaretur, non videtur de iis quæ absolutè sunt necessaria inter pios & moderatos viros longa aut acris contentio futura: nam & pauca illa sunt, ut modò dicebamus, & ferè ex æque omnibus probantur, qui se Christianos dici postulant.*

Non necessaria, juxta regulam primam.

XIII. Ex dictis facile jam cognoscere est, quæ necessaria non sint, quibus carere possumus, absque salutis æternæ jacturâ; & circa quæ si erremus, non obstante hoc errore tamen salutis spem non amittere: Nempe, quibus altera harum conditionum deëst. Primò ergo necessaria non sunt, 1. Quæ in Scriptura nusquam sunt expressa, sed decretis & traditionibus nituntur merè humanis; quales sunt non tantum multæ in Ecclesia Pontificia superstitiones; sed & phrases modique loquendi Scripturæ ignoti; adeo ut licet multorum, imo integrorum Conciliorum, consensu phrases quædam, ut dogmati alicui explanando aptiores, sint excogitatæ & receptæ, nemo tamen illis, utpote Scripturæ ignotis, alligari debeat; sed prout huic Spiritus Sancti menti explanandæ accommodatiores videntur, ita etiam alteri liberum esse debet aliis phrasibus suo judicio commodioribus uti; nemoque aliis verbis, quàm quibus Spiritus Sanctus, qui optimè mentem suam exprimere novit, usus est, alligari debet. Tales sunt voces Trinitatis, Personæ, ὁμοουσίου; & in materia de Sacerdotio Christi, Meriti, Satisfactionis, & similes: quæ prœterquam quòd ambiguæ sunt, etiam Spiritui Sancto sunt ignotæ, neque usquam in Scriptura reperiuntur. 2. Quæ in Scriptura clarè non exstant, sed per obscuras ac subtiles consequentias, & quandoque longas ambages inde petuntur, & ad quæ investiganda magno ingenii acumine opus est; aut quæ speculationibus solummodò Metaphysicis innituntur. Qualia sunt multa de Deo, ac divinâ essentiâ, attributis, ac decretis subtiliter in scholis ventilari solita; quibus innumera alia accenseri possunt. 3. Quæ quidem clarè in Scriptura exstant, sed non cum addita necessitatis nota. Licet enim omnia necessariò credenda clarè in Scriptura reperiantur; non tamen quæcunque clarè in ea expressa sunt, necessariò credenda sunt, nisi & salutem eorum fidei aut observationi alligatam Deus voluit. Posset ergo quis historias quasdam in Scriptura narratas ignorare, absque ulla salutis suæ jactura. Hisce primi generis dogmatibus multæ de Justificatione disputationes accenseri debent, quæ accuratè à necessariis & Scriptura clarè expressis discernendæ sunt. Ita necessarium est creditu, hominem non justificari ex operibus legis ullius præcisè sumtæ, nec etiam legis Mosaicæ, sive per se, sive cum fide in Christum conjunctis, sed ex fide in Jesum Christum, eaque non mortua, sed per bona opera seriumque bene vivendi propositum viva: nec eam esse sine remissione peccatorum ac imputatione justitiæ. Sed non necesse est definire, an Justificatio consistat in sola remissione peccatorum, an verò etiam in imputatione justitiæ, tanquam actibus inter se realiter ac formaliter diversis; tum, si etiam in imputatione justitiæ, an in imputatione justitiæ Christi: & cujus justitiæ, an passivæ solum, an verò activæ & passivæ simul: similiter an fides justificet quæ viva; an quà viva: quæ nec in Scriptura clarè decisa sunt, nec ad fidei nostræ confirmationem aut in pietate profectum magnam habent utilitatem. Hæc omnia necessariorum ordine excludimus, quia hisce omnibus prima deëst conditio.

Occurritur exceptioni.

XIV. Dices: Ex Scriptura probandum est, illa duntaxat necessaria esse, quæ additâ necessitatis notâ in ipsa expressa sunt: ubi autem Scriptura hoc dicit? Resp. Melius hæc objectio sonaret in ore cujusquam ex Pontificiis, quibus solenne est ejusmodi quæstiones Reformatis objicere, quàm Reformati Doctoris. Sanè cum Reformati omnes nullam fidei morumque normam agnoscant præter Scripturam Sacram, ex ipsa normæ illius natura constat, id solum pro necessario ad salutem habendum, quod additâ necessitatis notâ in Scriptura exprimitur: solaque illius notæ absentia dogma ad salutem non necessarium arguit, adeo ut nulla aliâ Scripturæ declaratione opus sit. Si enim illius necessitas ex Scriptura, unica fidei norma, adstrui nequeat; unde ea comprobabitur? An ex traditione Ecclesiæ? At eam non admittit Reformatus. An ex hominum vel Concilii cujuspiam determinatione? Sed & illa errare posse, neque auctoritatem habere determinandi quod Deus in Scriptura indeterminatum reliquit, contra Pontificios tuetur. Ergo sola illa necessitatis nota, id Scriptura addita, requiritur.

Non necessaria juxta regulam secundam.

XV. Secundò. Et quibus deëst conditio altera è necessariorum numero removenda sunt. Hæc sunt 1. Quæ purè speculativa sunt, nullamque omninò ad pietatis exercitium

citium relationem habent, quæ proinde nec scientem meliorem, nec ignorantem deteriorem reddunt: quales sunt *genealogiæ interminatæ, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide*, 1 *Tim.* 1. 4. de quibus etiam *Tit.* III. 9. Qualia multa à Scholasticis ventilantur, quæ nullam omnino cum pietate connexionem habent. 2. Quæ ad praxin relata, utilitatem quidem aliquam habere possunt, hominemque magis ad pietatem excitare; non tamen simpliciter connexionem cum ea necessariam habent; ita ut iis vel ignoratis, vel male intellectis, homo quidem illo ad pietatem adminiculo destitutus sit, non tamen propterea pietas ejus in periculum adducatur: quia ignorantia illa aut error ad pietatis, aliis fulcris nixæ, eversionem non tendit. Ita plura sunt, quæ probè intellecta magnum ad pietatem calcar subdunt; ignorata autem, aut non rectè percepta, pietatis exercitio neutiquam sunt adversa, quia non adversantur fundamentis quibus pietas innititur. Sic ad pietatem in nobis excitandam multa desumuntur argumenta è variis Theologiæ locis, quibus cultus divini æquitas demonstratur; quæ si aut ignorentur, aut non rectè percipiantur, faciunt quidem, ut argumento illo uti nequeamus; attamen & ex alio loco idem argumentum urgeri, aliudque à pietatis necessitate desumtum nihilominus aliunde peti potest. Huc inter alias etiam referri potest quæstio de Pædobaptismo, quæ licet ad pietatem relata usum suum habeat, non tamen necessariò cum ea connectitur. Similiter quæstio de discrimine præceptorum Veteris & Novi Testamenti, utrum Dominus Jesus legem Mosis tantum explicaverit, an novorum præceptorum additione perfecerit: aliæque his affines. 3. Quæ ex se arctam quidem & necessariam cum mandatorum divinorum observatione connexionem habent, quæ tamen ab iis qui errorem contrarium profitentur, sive ignorantiâ quadam, sive judicii infirmitate, non animadvertitur: in quibus proinde dogma naturâ suâ pietatem evertere natum cultum Dei non exstinguit; quia magis ad clara Dei præcepta, quàm doctrinæ suæ genium attendunt.

Interdum pugnantes in mente sententias altera potest prævalere. XVI. Nimirum sæpius usu venit, ut necessaria ad salutem dogmata, & præcepta divina clarè in Scripturis expressa, animum penitus occupaverint, & voluntati atque affectibus dominentur; cùm errores contrarii theoreticè solummodò menti insideant, neque veritati salutari ullatenus adversi esse deprehendantur. Fieri enim potest ut vel ingenii imbecillitate, vel nimio in opiniones suas affectu mens occæcata, sese duas inter se pugnantes sententias amplecti non animadvertat; sed etiam, pugnantes licet, inter se conciliare contendat: vel licet id utcunque deprehendat, alteram tamen, quia pertinaciter ejus animo inhæret, excutere nequeat. Quamdiu intellectus in rerum contemplatione theoreticè solummodò versatur, repugnantiam illam semper non accuratè observat, eamque subtilibus quibusdam ratiocinationibus ac distinctionibus tolli posse putat. Sed quando ad actionem ventum est, earum rerum inter sese pugnantium sequelæ adeo manifestæ sunt, ut una alteri cedere debeat, quæque tantum theoreticè menti inhæret, ad tempus evanescere; donec actio, ad quam altera, quæ in animo prævalet & voluntati imperat, naturâ suâ impellit & inclinat, sit peracta. Illustre hujus habemus exemplum in doctrina de absoluta Prædestinatione, quâ statuitur electos absque ullo ad fidem ac pietatem respectu immutabiliter ad salutem esse destinatos, adeo quidem ut ne mortalia quidem peccata ipsos à dilectione Dei separare queant: reprobos autem absque ullo ad infidelitatem aut impietatem respectu immutabiliter à salute rejectos, adeo ut licet omnia sanctorum opera fecerint, salutem consequi nequeant: & quæ alia doctrinæ illi adhærent. Manifestum est, doctrinam illam, si ejus genius attendatur, ad omne pietatis sectandæ aut impietatis fugiendæ studium exstinguendum, hominemque vel in securitatem carnalem vel desperationem inducendum, naturâ suâ comparatam esse. Attamen quia & acerrimos ejus patronos pietatis esse studiosos, salutemque suam cum timore ac tremore operari cernimus, manifestum nobis est, ipsos repugnantiam. quæ in dogmatibus ipsorum conspicua est, non animadvertere, erroremque illum menti tantum theoreticè inhærere; doctrinam verò de necessitate observationis mandatorum divinorum mentis arcem occupasse, atque voluntati ac affectibus dominari. Atque propterea errorem hunc in ipsis non esse exitialem credimus. Fieri etiam potest, ut error adversus vera ac necessaria fidei dogmata prævaleat, adeo ut ipse mentis arcem occupaverit, voluntatique ac affectibus præscribat; cùm vera ac necessaria dogmata tantum theoreticè apprehendantur, atque in animi (ut sic dicam) superficie quasi innatent. Ut si quis, doctrinâ absolutæ prædestinationis penitus imbutus, omni pietatis studio valedicat, seque omni deliciarum voluptatumque carnalium genere oblectet; persuasus si sit electus, nulla salutem suam peccata impedire; si sit reprobus, nullo studio, nullis pietatis exercitiis, damnationem evitari posse. Hoc modo qui errat, religionis fundamentum convellere dici debet, non ob nudum mentis errorem sed quia error pietatem, sine qua nulla est salus, exstinguit.

Errori non exitiali po- XVII. Rursus; Error in se spectatus menti

...ſt ſuper- ſtru ac- tus dam- nabilis.

menti ſolummodò inhæret, neque ullam cum exercitio pietatis neceſſariam habet connexionem; poteſt tâmen illi error alter, aut actus quidam, lege Dei vetitus, ſuperſtrui, quo magna pietati labes infligatur. Hic prior error neutiquam dicendus exitialis, quia pietatem non exſtinguit; ſed poſterior, vel potius actus illi ſuperſtructus, ac præcepto divino manifeſtè repugnans. Exemplum eſto, ſententia Pontificiorum de vera ac reali corporis Chriſti præſentia in Cœna. Error ille per ſe pietatem non lædit, ac proinde exitialis non eſt; quoniam in Lutheranis, (quamquam illi conſubſtantiationi, Pontificii verò tranſſubſtantiationi corporis Dominici in Cœna præſentiam adſcribant) nullum alium exitioſum errorem, aut actum à Deo vetitum ſibi conjunctum habet. Pontificii autem illi ſuperſtruunt idololatricam illam panis euchariſtici adorationem, cultu λατρείας peragendam; adeoque iſſe cultus divini creaturæ vili ac inanimatæ exhibiti, ac proinde turpiſſimæ ac craſſiſſimæ idololatriæ, coram Deo reos conſtituunt. In talibus actus lege Dei vetitus ſeparandus ab errore, qui actui illi occaſionem quidem dedit, non tamen neceſſariam cum eo habet connexionem. Actus exitialis eſt, error non, licet periculoſus.

Error eſt vel circa dogma fundamentale, vel circa aliquam illius circumſtantiam.

XVIII. Tandem; Error vel impetere poteſt dogma aliquod fundamentale, vel ſolummodo dogmatis illius circumſtantiam. Dogma ipſum ſine ſalutis periculo negari nequit; dogmatis circumſtantia ipſo dogmate retento ignorari aut negari poteſt, neque tamen propterea ſalus in periculum adducitur. Ita Deum ubique eſſe præſentem, æternum, &c. neceſſarium creditu eſt: quia ſine hac fide nec cultus divini neceſſitas, nec promiſſi vitæ æternæ ſpes inconcuſſa eſſe poteſt. Non tamen perinde neceſſarium eſt credere, Deum inſtar puncti in quovis atomo tota ſua eſſentia præſentem eſſe; aut ita æternum, ut nulla in eo temporis præteriti, præſentis, aut futuri, ſit diſtinctio. Eadem eſt ratio reſurrectionis mortuorum, quæ cum totius noſtræ ſalutis fundamentum ſit, nec ignorari nec negari poteſt. At non perinde neceſſaria eſt deciſio, utrum eadem numero corpora ſint reſurrectura, an verò Deus alia ſpiritualia ac glorioſa in eorum locum in reſurrectione ſit producturus, atque fidelium animabus uniturus; quia quodcunque adſerueris, non minus reſurrectio vitæque æternæ ſpes firmâ fide creditur. Atque huc plurimæ hodie inter Chriſtianos agitatæ controverſiæ referri debent; in plurimis enim non de re ipſa, ſed de rei modo certamen eſt: atqui non modus, ſed res ipſa ſcitu ac creditu ad ſalutem neceſſaria eſt: & qui modum negat, non propterea rem ipſam negare dicendus eſt. Dices. Modo rei negato, res ipſa negatur; quoniam abſque modo illo concipi nequit. Reſp. Experientia hoc redarguit; quoniam alii modo illo negato rem ipſam firmiſſimâ fide tenent. Dices. Modo negato, rem ipſam tenere nequeunt, quicquid illam tenere ſibi videantur. Reſp. Hoc eſt τὸ κρινόμενον: imò illi ſe rem rectius te percipere, modumque illum verum rei conceptum obſcurare contendunt. Cum itaque uterque rem ipſam apertiſſimè fateatur, unus autem illius modum comprehendere ſe poſſe contendat, alter eum definire non audeat, vel uterque eam peculiari modo diſtinctè apprehendat; nonne apparet in reipsâ, ad ſalutem neceſſariâ, ſummum eſſe conſenſum, & diſcrimen ſolummodò remanere circa rei modum, ad ſalutem creditu non neceſſarium?

Errores circa præcepta moralia.

XIX. Atque hactenus quidem diſcrimen neceſſariorum ac non neceſſariorum conſideravimus, quatenus illud reperitur in dogmatibus, quibus apprehendendis fides propriè occupatur, ut pietatis ſtudium ac ſpes & fiducia in Deum ſalva ſit. Circa divinorum præceptorum intelligentiam rariores ſunt errores, quoniam ea plana ſunt, peccataque contra illa magis ex animi improbitate, quàm errore procedunt. Ut tamen aliquid de erroribus, qui circa hæc occupantur, dicamus, præcepta diſtinguimus in moralia ac ceremonialia. De moralium recto ac genuino ſenſu pauciſſimæ ſunt controverſiæ, niſi forte de particulari eorum applicatione ad ſpeciales quoſdam caſus conſcientiæ; quos tamen nemo ad ſalutem explicatu neceſſarios credit.

Quinam exitiales.

XX. De aliis quæ ſuperſunt, ita dicimus. Aut errores manifeſtam involvunt divinorum præceptorum ad ſalutem obſervatu neceſſariorum violationem, aut cum ea probè conſiſtunt. Priores ſunt exitiales; & quoniam pietatem ad ſalutem obſervatu neceſſariam lædunt, nec cum ſpe ſalutis, juxta Novi Fœderis formulam, conſiſtere poſſunt. Talis eſt Pontificiorum error de cultu imaginum, & panis Euchariſtici; qui manifeſtam continet mandati divini, de non efformanda imagine Dei, & non adoranda creatura, tranſgreſſionem; &, quicquid eam ſubtilioribus diſtinctionibus eludere conantur, ipſiſſima idololatria eſt; cujus qui rei ſunt, regni Dei poſſeſſores minime futuri dicuntur, 1 *Cor.* VI. 9. Talis etiam eſt communis Pontificiorum ac Reformatorum error de hæreticidio; qui charitatem, præcipuam Novi Fœderis legem, exſtinguit, dominatumque in conſcientias, quin & innoxii ſanguinis effuſionem, immanemque hominum piorum, Deo ex animo colere ſtudentium, lanienam inducit. Quo facto ſalutis ſpem præcidi manifeſtum eſt; dicente 1 *Joan.* II. 9. *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* Actuſque hunc errorem conſequentes inter manifeſta opera carnis ponun-

ponuntur, quorum qui rei sunt, regnum cœlorum dicuntur non consecuturi: *Gal.* v. 19, 20, 21.

Quinam non. XXI. Alia ratio est errorum; qui à genuina præceptorum Christi interpretatione recedunt, non tamen eos, qui illis imbuti sunt, ad alicujus præcepti violationem impellunt; quia nim: illicitum credunt, quod lege Christiana vetitum nequaquam est: à licitis enim abstinere peccatum non est. Talis est eorum error, qui munus Magistratus & juramentum Christiano illicitum credunt. Quamvis enim utrumque ad publicæ tranquillitatis conservationem quammaximè necessarium sit; non tamen ille, qui munus Magistratus Christiano illicitum credit, propterea idem munus ex orbe eliminare cupit; quin omnes illud ad generis humani conservationem apprimè necessarium credunt; solummodò urgent, Christiani esse ab administratione muneris illius, ut Christianæ modestiæ ac tolerantiæ adversi, abstinere. Et si ulterius non procedant, neque eos, qui munere isto funguntur, ut non Christianos, condemnent, sed ut errantes tolerent, culpari non debent tanquam præceptorum divinorum transgressores. Si verò talibus anathema dicant, & communione sua interdicant, non ob errorem, sed ob temerariam condemnationem charitatisque defectum, qui ab errore illo abesse potest, legem Christi violare dicendi sunt. De juramento res magis plana est. Qui interdicti divini, *Matth* v. 33. *& seqq.* religione motus, ab omni juramento abstinet, eandemque quam juramento verbis suis fidem inesse vult, quin &, si fidem verbis datam fallat, eidem pœnæ qua perjurus subjici minimè recusat, nihil ille ad mandatorum divinorum eversionem spectans docere censendus est; sed è contra legum divinarum observandarum studio duci; &, ne illas transgrediatur, etiam à re, sibi reverâ licitâ, abstinere.

Errores circa ceremonias, non fundamentales. XXII. De præceptorum Ceremonialium genuino sensu, variisque circa illa circumstantiis, majori animorum contentione disputatur; de Baptismo nim: an sit instrumentum regenerationis, an infantibus, an verò adultis sit administrandus, &c. de Cœna, an in illa sit verum ac substantiale corpus Jesu Christi, sive per transsubstantiationem, ut Pontificii, sive per consubstantiationem, ut Lutherani docent; an verò panis & vinum, ut symbola corpus ac sanguinem Christi repræsentantia; quæque his plura antea ventilavimus. Paucis dicimus: Quoniam ceremoniæ veræ sanctitatis pars non sunt, sed præcepti divini reverentiâ observantur, ut symbola gratiam divinam nostramque ad officium Deo debitum obligationem repræsentantia & obsignantia, omnes de iis controversias, modò omnis idololatriæ species absit, qualis à Pontificiis in Missæ suæ sacrificio committitur, inter minus necessarias referendas esse, licet earum sinceritas aliquatenus vitietur, aut integritas mutiletur. Deus enim spiritu ac veritate coli vult, *Joan.* IV. 23, 24. nec in externorum observatione, accuratissima licet, acquiescit.

Quid sentiendum, de ceremoniis Pontificiis. XXIII. Exinde quid de variarum ceremoniarum, in Ecclesia Pontificia magna cum meriti opinione receptarum, observatione statuendum sit, facile liquet: nim: interno ac spirituali cultui quam maximè noxias esse posse, si nimia in illis opera ponatur: attamen in se spectatas, ut infirmitates in illis, qui eas sibi observandas credunt, tolerari; non autem absque libertatis Christianæ destructione ut necessariò observandas aliis præscribi posse. Siquidem ergo Pontificii neminem ob ceremonias illas non observatas condemnent, possunt & illi eas observantes tolerari ut errantes, seque ceremoniarum non necessariarum jugo onerantes.

Quid sentiendum de quæstionibus circa regimen Ecclesiæ. XXIV. Tandem supersunt quæstiones de regimine Ecclesiastico, utrum per Episcopos, an verò per Presbyteros, debeat administrari? Verum illæ nullo jure inter necessarias ad salutem referri debent: quia hisce utraque necessariorum conditio deest; nec enim clarè in Scripturæ sunt decisæ, neque pietatis exercitium impetunt, nedum lædunt aut exstinguunt. Crediderim itaque, cujuscunque esse, regimini Ecclesiastico, quod illic loci, ubi degit, obtinet, sese subjicere; cùm ordinis externi tantum observandi causâ institutum sit. Modò id caveatur, ne ordinis servandi prætextu conscientiarum libertas opprimatur, fideique regula præter Dei verbum Ecclesiæ præscribatur; quoniam hoc facto quammaximè in charitatem impingitur: aut hac viâ totius Ecclesiæ monarchia uni homini tandem deferatur, cum potestate omnes fidei controversias tanquam infallibilis ac supremus judex decidendi, omnesque decisioni ejus immorigeros pœnis corporalibus cogendi ad obsequium. Ita enim idololatriæ quædam species cum homine, qui supra humanam sortem effertur, committitur, libertas conscientiarum opprimitur, veritasque divina in manifestissimum adducitur discrimen. Cui sese quemvis Christianum, cui propria salus ac Dei gloria cordi est, acriter opponere omninò est necessarium.

Tres classes dogmatum Religionis Christianæ. XXV. Ex dictis liquet, dogmata Religionis Christianæ in tres posse dispesci classes 1. Alia nec Scripturâ clarè exstant, necullam cum pietate habent connexionem. Horum quædam curiosè tantum linquiruntur, quæ tutius ignorantur, imò & quandoque pietati sunt noxia; quæ vitanda judicamus, dicente Apostolo *Tit.* III. 9 *Stultas quæstiones & genealogias, & contentiones & pugnas legis*

legis devita; sunt enim inutiles & vanæ. Quædam ad variorum Scripturæ locorum intelligentiam facere creduntur, interim adeo exiguus est dissensus, ut revera cum dogmatibus, à quibus aliquatenus recedere videntur, coincidant. Talis est celebris illa hodie in patria nostra inter Contraremonstrantes agitata controversia de fide ac statu Patrum sub Veteri Testamento, exigui adeo momenti, ut mirandum sit eam tantâ animorum contentione, quin & cum periculo schismatis Ecclesiæ, tractari. Utrimque enim in causa principali consensus est. Utrimque fœdus Dei æternum cum electis sancitum, fœderisque illius sponsorem esse Filium Dei, agnoscitur: utrimque sponsoris hujus merito ac satisfactione non tantum fideles Novi, sed & Veteris Fœderis salutem consequi, quin & ipsos fida directè, non per umbras, in Christum respicere asseritur; totaque prædestinationis absolutæ doctrina acerrimè ab utraque parte defenditur. Dissensus solummodò est de circumstantiis quibusdam in objecto fidei Patriarcharum, his contendentibus, Patres Veteris Testamenti satisfactionem sponsoris Christi sibi plenè applicuisse: atque in illa, perinde atque jam peractâ, penitus securos fuisse: illis contra urgentibus, satisfactione nondum peractâ, nec etiam reatum sublatum fuisse: certos quidem fuisse fideles de satisfactione secuturâ, nondum tamen perinde atque eâ jam peractâ plenè securos fuisse; quia illis imposita fuit lex præcepti carnalis peccatum ac reatum imputans, hoc est, commemorans, exprobrans, & aliquid facere jubens, quo fideles monerentur, peccatum adhuc actuali lytro expiandum, & meliori Hostia obliterandum esse. Quantulum illud est discrimen? Et quem ad fidei nostræ pietatisque confirmationem usum habet, licet non omnes fidei Patriarcharum circumstantiæ nobis exactè perspectæ sint? Sed ex hisce judicent omnes pacis ac charitatis studiosi, quæ spes pacis cum ejusmodi hominibus aliquando ineundæ sperari possit, qui ob exiguum adeo dissensum, aliàs secum per omnia consentientes tam acerbè hæreseos insimulant, & ut novatores traducunt? 3. Alia sunt non quidem absolutè necessaria, sed tamen cum praxi pietatis dogmatibusque absolutè necessariis magnam connexionem habentia, in quibus si erretur, periculum est ne error pietati labem afferat; nihilominus contingere potest, ac non rarò contingit, quia homo doctrinæ suæ genium, quam theoreticè tantum menti impressam habet, non cognoscit, mentemque in præcepta Dei, Scripturis clarè expressa, intentam habet, ut illæsam servet pietatem. 3. Alia sunt absolutè ad salutem necessaria, in Scriptura clarè cum addita necessitatis nota expressa, sine quorum fide nec præceptis Dei obedire, nec promissis confidere possumus: sine quorum fide sicut nemo salutem consequi, ita nec illorum notitiâ carere potest. Quæ diximus pauca esse numero.

XXVI. Hæc cum itaque clara sint, & passim in nostrorum scriptis compareant, mirari satis nequeo quorundam Theologorum, impudentiam dicam an calumniam, qui nobis impingere non verentur, nullos nos statuere articulos fundamentales. Quid in scriptis nostrorum magis tritum ac vulgatum celebri illâ, quæ passim in illis occurrit, distinctione, inter articulos fundamentales, & non fundamentales? Quis verò illius distinctionis usus, si nulli à nobis fundamentales articuli agnoscantur? Ne jam dicam, variis in libris, Apologia Confessionis nostræ, Responsione ad Specimem Calumniarum, præsertim Institutionibus Theologicis Episcopii, accuratè necessaria à non necessariis distingui. Dices. Non tamen fundamentales agnoscitis articulos, de quibus inter varias Christianorum sectas dissensus est, qui tamen à variis Conciliis necessarii definiti sunt. Resp. Fateor, nos articulorum controversorum necessitatem non ex hominum judicio, Ecclesiarum Confessionibus, aut Synodorum decretis æstimare, quibus nullam dogma non necessarium in necessarium convertendi auctoritatem adscribimus; sed ex verbo divino, seu Scriptura Sacra omnium Reformatorum unanimi confessione unica fidei nostræ norma, omnia ad salutem necessaria plenè ac perspicuè comprehendente. Quicquid illa damnat, nec nos damnare veremur: quicquid illa nusquam damnare legitur, illud ne à nobis damnetur sedulò cavemus. De necessariis aut nullas aut raras admodum inter Christianos, Scripturæ debitam reverentiam exhibentes controversias esse credimus. Quomodo tamen & in illis errari possit, & nonnunquam erretur, ex dictis liquere potest.

Remonstrantes agnoscunt articulos fundamentales.

CAPUT XXII.

Inter dissidentes in articulis non necessariis, mutuam colendam esse tolerantiam.

I. Hisce ita adstructis, ut ad Ecclesiæ pacem applicentur, cum eodem Archiepiscopo Armachano, §. 15. tria hæc deducimus consectaria. *Primum. Non, si in visibili aliqua Ecclesia errores demonstrari possunt, consequens esse ut illa statim desinat esse vera Christi Ecclesia; modò errores sint ejusmodi, qui neque fidei fundamentum exscindunt, neque piorum salutem intervertunt. Nam,* si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit adspergere, deserenda est. *Alterum. In omnibus omnium locorum ac temporum visibilibus Ecclesiis frustra*

Unio servanda.

Ambros. lib. 6. Comment. in Luc. cap. 9.

ſtra quæri omnium; doctrinarum (multòque minus ceremoniarum, tanquam unorum veſtimentorum) quaſi concentum conſenſumque; quando ille non niſi in præcipuis, & quæ maximi ſunt momenti religionis capitibus præſtari poſſit; ipſaque antiqua ſanctorum Patrum conſenſio (*quemadmodum in Commonitorio ſuo prudenter monuit Vincentius Lirinenſis*) non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum, certè præcipuè, in fidei regula, magno nobis ſtudio & inveſtiganda ſit, & ſequenda. *Tertium: Quotieſcunque de unius aut alterius Eccleſiæ cum tertiâ aliquâ in religionis negotio ſeu conſenſione ſeu diſſenſione movetur quæſtio, delectum eſſe quendam habendum, neque tam numerandas eſſe doctrinas, in quibus vel conſentiunt, vel diſſentiunt, quàm appendendas, momentoque ſuo ponderandas.*

Et fraternitas, cum omnibus fidei fundamentum retinentibus.

II. Quibus Archiepiſcopi verbis ita porrò ſuperſtruimus: Cum omnibus fidei fundamentum retinentibus, licet in aliis minoris momenti capitibus, quæ nec fidei fundamentum exſcindunt, neque piorum ſalutem intervertunt, errantibus, pacem ac fraternam communionem colendam, eamque ſacro ſpiritualis unionis ſymbolo, ejuſdem nim: ſacræ Cœnæ uſurpatione, teſtandam. Aut enim communio hæc cum diſſentientibus colenda eſt, aut illis anathema dicendum; quoniam proſcriptio è communione Eccleſiaſtica publica denuntiatio eſt reatus æternæ condemnationis, juxta Euangelii divini normam; quoniam quicquid in terris ligatur, in cœlo etiam ligari creditur. Cum itaque Deus unicus ſit legiſlator, nullamque (ut vidimus) ſalutis acquirendæ normam præter Scripturam Sacram reliquit, evidens eſt, quicunque ob diſſenſus in capitibus non fundamentalibus aliis anathema dicunt, Eccleſiæque unitatem ſcindunt, multipliciter peccare.

Rationibus id adſtruitur.

III. Primò: In Deum, cujus tribunal ac jus invadunt, leges ſalutis ac damnationis ab ipſo non dictatas præſcribentes. Quâ autem ratione ſe Deo placere poſſe ſperent, ſi eas condemnent, quos ille abſolvit, fratrum nomine indignos judicent, quos ille filiorum ſuorum titulo dignatur; aut à communione ſuâ arceant, quos ille cœlo recipere vult, ac à Chriſti corpore ſeparent, qui viva illius membra ſunt? 2. In proximum & in charitatem ipſi debitam; quoniam infirmitates illius ferre recuſant, & condemnatione ſuâ obicem, quò minus ab errore liberetur ac veritati auſcultet, ponunt. 3. Unde conſequitur eos in ipſam veritatem divinam eſſe injurios, cujus promotioni reſiſtunt, & prophetias extinguunt; contra Apoſtoli monitum, 1 *Theſſ.* v. 19, 20. Cùm enim judicio infallibili non ſit deciſum, penes quem ſit genuina verborum Sacræ Scripturæ controverſorum interpretatio, fieri poteſt, ut veritas ſit penes illam partem, quæ ab alterâ erroris condemnatur, & è communione ſua ejicitur: quod ſi contingat, manifeſtè in veritatem injurii ſunt, eam ex Eccleſiis ſuis proſcribendo. Si verò pars condemnata erret, errantium emendationem & reſipiſcentiam impediunt, quò minus ad agnitionem veritatis perveniant, & ſalvi fiant; quoniam hac ſuâ condemnatione eorum à ſe animos alienos reddunt, occaſionemque meliora diſcendi, ejectione ex Eccleſia, præſcindunt. Præclarè hanc in rem diſſerit Franciſcus Rous, *Præfat: in Mella Patrum. Hodie nimis multis artis cujuſdam horrendæ apex & eminentia videtur, quæ errores aut judicii aut praxeos, quos Chriſtus membris ſuis juſtificando remittit, irremiſſibiles faciat. Sic Chriſti membra, quæ ipſe vivificat, illi interficiunt; & ſpiritus regenerantis characterem verè indelebilem delere conantur. At meminerint terribilis illius effati,* Qui templum Dei deſtruunt, ipſos Deus deſtruet: *Et qui fratres occidunt, propriam charitatem perimendo (ſine qua omnis homo mortuus) ſeipſos perimunt: Sciant ulterius, & pœnitentes ſciant, quod ſpiritus ſpirituales non odit, ſed caro; & carnis ſapientia mors eſt, ut Deo, qui vita eſt, inimica. Amor autem verè Catholicus, ſine quo fides Catholica nec videtur, nec eſt, omnia Chriſti membra diligit, licet morbida, licet ſaucia. Et eorum morbi & vulnera in amantibus non odium (infernalem utique furiam) ſed ſacras & cœleſtes affectiones, miſericordiam, compaſſionem, & ſanandi deſiderium excitant. Novit enim amor ſpiritualis, qui & catholicus, nos in hac vita non niſi ex parte cognoſcere: at amor carnalis, non niſi omnia ſcientem, & per omnia conſentientem, amare novit. Interea tu etiam, quem caro tranſverſum agit, non niſi ex parte cognoſcis, & fortaſſe hoc ipſum in quo fratrem judicas, extra tuam partem extenditur, & in parte fratris invenitur. Et tum tua ignorantia fratrem ſcientem judicat & odio proſequitur. At ſi intra partem tuam ſit, Deo gratias repende, qui te ſolus diſcernit, fratrem verò ne odio habeas quia minus accepit. Ignoſce cui Deus ignoſcit, dilige quem Deus diligit. Sanctos enim & ſinceros diligit Deus licet non omniſcios; & ſalvamur non quia omniſcii, ſed quia Chriſtiſcei*

Et præcepto divino.

IV. Tandem & graviſſimè impingunt in omnia illa per totum Novum Teſtamentum ſparſa præcepta de charitate, dilectione fraterna ac pace ſectanda, quæ magno numero coacervavimus in Capite de Pacis ſtudio: præſertim quibus tolerantia mutua inter diverſum ſentientes expreſsè commendatur; *Rom.* xiv. 3, 4, 5, 6. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumſit. Tu quis es qui judicas alienum ſervum; Domino ſuo ſtat aut cadit,* &c.

&c. Et *vers.* 19. *Itaque quæ pacis sunt sectemur; & quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus.* Et *cap* xv. 7. *Suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Gal.* vi. 2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Eph.* iv. 3. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Phil.* iii. 15, 16. *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.*

Et quia sine hac schismata evitari nequeunt. V. Denique, nisi mutua hæc dissentientium tolerantia admittatur, Ecclesiam, quæ Christi corpus est, in partes scindi ac lacerari necesse est. Sicut enim in necessariis, utpote Scripturâ Sacrâ clarè expressis, facile convenimus; ita in minus necessariis, quorum dijudicatio, utpote aliquando aut per se abstrusorum, aut minus clarè Scriptura expressorum, non adeo facilis nec obvia est, ut omnes consentiamus, pro maxima humani ingenii diversitate, tantum non impossibile est. Aut ergo discrimen inter necessaria & non necessaria dogmata ex Scripturis agnoscendum est, paxque spiritualis cum omnibus necessaria ac salutis fundamenta nobiscum retinentibus colenda est: aut ob quemvis dissensum anathema dicendum, paxque abrumpenda. Si enim ab hoc fundamento recedatur, neque tolerantia Christiana ad omnes in necessariis consentientes extendatur, nulla reddi ratio poterit, cur dissensione ortâ tolerantia magis in uno quàm altero dogmate controverso exercenda sit; itaque vel ob quemvis dissensum, licet non fundamentalem, in partes discedendum; aut temere tolerantia uni offerenda, alteri deneganda: aut tandem in sententiam doctorum, omnem errorem fundamentalem urgentium, concedendum erit. Quæ omnia cum absurda sint, & vel veritati divinæ, vel charitati fraternæ directè adversantia, restat ut tolerantia ad omnes in salutis fundamento consentientes extendatur.

Refellitur objectio prima. VI Huic nostræ doctrinæ multa à pacis ac tolerantiæ Christianæ hostibus objici solent. Ac 1. quidem magnum coacervant testimoniorum Scripturæ numerum, quibus nos cavere jubemur a falsis prophetis & doctoribus; anathema dicere illis qui aliud Euangelium annuntiant præter id quod annuntiatum est, etiamsi angelus de cœlo sit; recedere ab iis qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ; nec illi, qui doctrinam hanc non affert, ave dicere; quæ passim occurrunt, *Matth.* vii. 15. *Act.* xx. 29, 30, 31. *Gal.* i. 8. 1 *Timoth.* vi. 3, 4, 5. 2 *Joan.* 10, 11. Resp. Manifestum est, omnibus illis locis agi de ejusmodi, qui fundamentum salutis rejiciunt, & pietatem subvertunt; quos & nos à communione Christiana excludi volumus. Non enim salutis fundamentum Jesum Christum arctè retinentibus, & in non fundamentalibus solummodò errantibus, rectè applicatur, quòd sint falsi prophetæ, aliud Euangelium annuntient, aut sanis Domini nostri Jesu Christi sermonibus non acquiescunt: ad summum tantum, quòd quorundam Domini sermonum, quos fide sincerâ ac obsequiosâ amplectuntur, sensum non plenè aut non rectè percipiant; sibique viam ad salutem æternam difficiliorem ac salebrosam, non autem prorsus inviam reddant.

VII. Secundò objicitur, Apostolum 2 *Cor.* vi. 14, 15. dicere; *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Resp. Solam hujus textus citationem argumentum inde desumtum satis refellere: non enim nos pacem colendam volumus cum infidelibus, sed fidelibus, verùm in dogmatibus non absolutè necessariis errore quodam infectis. Quis verò errorem iniquitatem aut infidelitatem vocet, nisi maxima cum iniquitate? Quis, nisi ab omni pace alienus, errorem à fundamento non recedentem Belial nuncupaverit? Apage ejusmodi absurditates. *Secundâ.*

VIII. Tertiò. Proferuntur verba, *Rom.* xvi. 17. *Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.* Resp. Non qui simplici errore mentis ab alio dissentit, dissensiones & offendicula contra doctrinam Apostolicam facere dicendus est; sed qui ab Apostolis non necessaria prædicata in necessaria convertit, suæque verborum Apostolicorum explicationi alios alligatos cupit; & ob dissensum in rebus minoris momenti Ecclesiam in partes scindit. Non enim de nudo dissensu, qui innoxius esse potest, agitur; sed de animorum dissensione, seu διχοστασίᾳ, quæ expressè *Gal.* v. 20. opus carnis vocatur; & de manifesta à doctrina Apostolica recessione, negando verum esse, quod Apostoli ut verum & necessarium inculcabant: quales erant Judæi infideles, negantes Jesum esse Christum, & docentes, non per fidem in Jesum Christum, sed per opera Legis Justificationem esse obtinendam, falsi illi fratres, qui Mosem cum Christo conjungi volebant. Hinc ergo potiori jure concludat quis, recedendum à talibus, qui ob errores non fundamentales Ecclesiam scindunt, fratresque à se dissentientes Ecclesiâ ejiciunt. *Tertiâ.*

IX. Quartò. Vult tamen Apostolus *Tit.* iii 10, 11. *Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem vitari*; utpo- *Quartâ.*

te *scientes quia sub subversus est qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Resp. Per *hæreticum* hic non intelligi simpliciter errantem, exinde liquet, quod qui ipsum monet sciat eum esse subversum, & proprio suo judicio condemnatum; nemo autem de errante certus esse potest, eum proprio judicio esse condemnatum; sed, uti vidimus, hominem contentiosum, de rebus exigui, aut potius nullius ad pietatem usus, acriter contendentem. Qui proprio judicio condemnatus est; quoniam novit ob res adeo exiguas non esse contendendum, nec Ecclesiæ pacem in periculum adducendum. Sed de hoc loco antea egimus.

Quinta. X. Quintò. Ita argumentantur: Tolerantia hæc est absurda, & præcepto Apostolico repugnans; quia mutua exigitur; atqui Apostolus jubet ut *firmiores imbecillitates infirmorum tolerent, Rom.* XV. 1. Atqui in mutua tolerantia, non tantum firmus infirmum, sed & infirmus firmum toleret necesse est: quod quammaximè absurdum: præterquam enim quod firmus nullâ tolerantiâ indigeat, etiam infirmus viribus ad tolerandum destitutus est. Verùm facilis est responsio. Licet enim reverâ unus tantum sit firmus, quoniam duarum opinionum contradictoriarum altera tantum potest esse vera; tamen uterque suo judicio est firmus, quoniam penes se veritatem esse credit; & uterque alterius judicio infirmus; judicium autem conscientiæ actionis nostræ norma est. Uterque itaque cùm à suâ parte veritatem stare, ac proinde se firmum esse statuat, alterum tanquam infirmum, juxta præceptum Apostolicum, toleret necesse est. Sicque tolerantia ut mutua sit res ipsa postulat. Imo quantò quis firmior est, quantòque confidentius se rectè sentire credit, tantò magis ipsius officii est infirmioribus indulgere, & suâ opinione errantes tolerare. Dices. Infirmi quidem sunt, qui errorem suum agnoscunt, & in veritate instructionem petunt; non autem errorum doctores, omnibus ad errorum suum incrustandum armis ac artibus instructi; illi potius firmi dicendi sunt. Resp. Infirmi non vocantur aut firmi respectu peritiæ minoris aut majoris errorem suum defendendi; sed respectu erroris ipsius, qui expressè infirmitas vocatur, *Rom.* XIV. 1. 21. quantò ergo quis magis errore suo imbutus est, tantò infirmior est, majoreque opus habet toleratione, ut ab errore liberetur. Potest itaque qui se firmum credit, quam maximè esse infirmus. Sunt enim errores remoræ; quibus via salutis salebrosa ac difficilior redditur. Infirmitates itaque vocantur, quoniam iis imbutus homo imbecillior est ad viam pietatis calcandum; ægroti instar, aut à morbo convalescentis, cui viam, aliàs planam ac facilem, pro ratione virium exiguarum non sine labore ac sudore calcare datur. Dices. Error quidem tolerari potest, & exigere ut toleretur; veritas nequaquam: ea enim tolerantiâ non indiget; imò tolerantia illa mutua nihil aliud est quàm universalis confessio erroris. Resp. Veritas considerata ut veritas tolerari nequit, neque potest quis nisi absurdissimè dicere, se toleraturum veritatem: potest tamen judicii errore contingere, ut veritas erroris damnetur, error in veritatis thronum evehatur: sicut veritatis est errorem tolerare, ut evidenti convictione exstirpari possit; ita etiam erroris, qui pro veritate recipitur, est, veritatem, judicio suo errorem creditam, tolerare. Neque potest veræ doctrinæ doctor exigere, ut tanquam verus doctor toleretur; quid enim absurdius? sed quidem, sicut ipse errantem tolerare paratus est, exigere ut alter se verum doctorem, sed alterius judicio errantem, toleret: neque hic ullum veritati præjudicium fit. Cùm enim utraque pars penes se veritatem esse, eamque validissimis è Scriptura Sacra depromptis rationibus se adstruere posse credit, aut mutua illa tolerantia est urgenda, aut utrique parti æquale in alteram jus, eam ut errantem à se repellendi, concedendum est: sicque non dominabitur veritas, sed potentior minus potentem à se expellet; & non quia rectius sentit, sed quia mundanâ potentiâ armatus est, veritatem à sua stare parte decidet. Atque ita facillimè fieri potest, ut veritas ex Ecclesia proscribatur; & utcunque retineatur, charitatem tamen exstingi necesse est.

XI. Sextò. Addunt, quòd tolerantia hæc sit injusta, quia illius pronuba debet esse veritas. Resp. Certum est nullam esse posse Deo gratam pacem ac tolerantiam, absque veritate salutari: non itaque ulterius eam extendendam cupimus, quàm ad eos, qui in veritate fundamentali consentiunt: sed non requiritur, ut consensus sit per omnia, adeo ut omnes idem sentiant ac loquantur. Quæ enim tolerantia, ubi nihil est quod tolerari potest? Deinde: Conditio illa moraliter est impossibilis; tolerantiam autem admittere sub conditione impossibili, est eam prorsus rejicere. In fundamentalibus potest esse consensus, & hisce si contenti simus, per tolerantiam pax in Ecclesia conservari, & amissa restitui potest. Deinde: Tolerantiæ hujus finis est veritas. Vera enim methodus errantem ab errore revocandi non est, eum tanquam hostem cum ignominia & offensione ex Ecclesia expellere; sed tanquam fratrem amicè ac benignè habitum argumentorum evidentiâ ad veritatem amplectendum disponere. Quis enim sapiens pater, vel amicus prudens, sperabit unquam filium vel amicum aliquo errore im- *Sexta.*

butum

butum è domo suâ hostiliter extrudendo in viam reducere? Ita facti sunt homines, ut duriter ac contumeliosè tractati à monitoribus alienentur, & cum animorum offensione augeantur opinionum divortia, ita ut errorem, qui amicâ monitione & lenibus argumentis facile eximi potuisset, per vim & pro imperio extorquere frustra laboretur.

Septima. XII. Septimò objiciunt. Hoc modo omnes errores & hæreses in Ecclesia tolerandæ erunt. Resp. 1. Nostrum non est, è communione nostra excludere, quos Scriptura cœlo non excludit. 2. Errores, quos Scriptura ut exitiales non damnat, hæreses vocandi non sunt. 3. Qui Scripturæ debitam exhibet reverentiam, eamque credit unicam fidei normam, plenè ac perspicuè omnia ad salutem necessaria continentem, nihilque pro fundamento salutis admittere cupit, nisi quod è Scriptura clarè ut fundamentum urgeri ac demonstrari potest, non facile in errores exitiales salutemque evertentes incidet. 5. Ac tandem, tolerabilius est, errore non exitiali infectum esse, quàm veritatem non necessariam facere prætextum schismatis. Si enim erremus, modò fundamenta salutis salva sint, & pietas adsit, salvi esse possumus; at charitate destitutis, omnem licet fidem habeamus, nihil nobis proderit, 1 *Cor.* XIII. 2.

Octava. XIII. Octava objectio. Non quicquid ad salutem præcisè necessarium requiritur sufficit ad communionem Ecclesiasticam: quoniam discrimen faciendum est inter fundamentalia ad salutem, vel ad fidem, vel ad communionem Ecclesiasticam. Ad salutem est fundamentale, absque quo salvari aliquis non potest: Ad fidem, quod ad ejus acceptionem, vim, professionem omninò requiritur: ad Ecclesiam, id quod salus & pax postulat præsentis Ecclesiæ. Jam usu venit aliquando, ut error sit fundamentalis ad Ecclesiam, id est, ut non possit cum ædificatione in Ecclesia tolerari, propter multas communis pacis & ædificationis rationes, ut tamen ita errans non possit pronuntiari infidelis, aut fide prorsus privatus & cœlo. Rursum, ad fidem ordinariò concipiendam & fovendam plura requiruntur, ut verbi, Sacramentorum, aliaque doctrinæ sacræ; quæ singula non sunt æquè, vel ad summum perinde necessaria. Resp. 1. In genere, posse aliquando in Ecclesia non tolerari disputationes, non quia occupantur circa dogma necessarium ad salutem, sed quia nullius ad fidei confirmationem pietatisve promotionem, ac proinde salutem sunt momenti: quæ itaque ipsis, qui eas movent, judicibus, nullam habent ædificationem quæ in pietate est. Tales disputationes ex Ecclesia arcere eorum est, quibus Ecclesiæ inspectio ac cura est demandata; suntque illæ, quas Apostolus vitari jubet, 1 *Tim.* 1. 4. *Tit.* III. 9. De quibus in sequentibus pluribus agemus. Illæ arceantur, non quia sunt fundamentales ad Ecclesiasticam communionem; sed qui nullo modo respiciunt fundamentum, produntque animum contentiosum, & ne minima quidem paci Ecclesiæ donare paratum. 2. In specie: Discrimen illud nobis videri planè præter rationem, & directè Scripturæ adversum. Quæ enim illa sunt fundamentalia ad fidem, quæ non perinde sint fundamentalia ad salutem? cùm fides conditio sit ad salutem absolutè necessaria. Fundamentale itaque ad fidem, etiam ad salutem fundamentale est.

XIV. Dices. Ad salutem quæ requirat Deus, & quæ nobis velit esse cordi, verbum ejus copiosè tradit; at quid ipse velit facere, & quomodo aut quousque vel pro misericordia cum hominibus agere, aut justitia, ipsi relinquendum est. Resp. Quando agimus de necessariis ad salutem, non ea consideramus cum respectu ad immensam misericordiam Dei, quam aliquando præter & supra verbum scriptum pro absoluto suo beneplacito exercet: quis enim eam, utpote inter arcana Dei, determinabit? aut quis Dei consiliarius fuit? sed cum respectu ad voluntatem Dei revelatam, quam nobis fidei vitæque normam dedit. Quicquid itaque Deus adeo arcto cum salute nexu conjunctum esse voluit, ut per ejus fidem salutem obtineri, aut absque illius fide damnationem evitari non posse, nobis revelaverit, illud ad salutem fundamentale pronuntiare nobis licet: etiamsi interim fateamur, Deum pro immensa sua misericordia ad errorem aut peccatum illud connivere, eoque non obstante salutem largiri posse. Pronuntiamus ergo, quid Deus secundum ordinariam gratiam nobis in verbo suo revelatam, facere velit; non autem quid pro absoluto suo dominio facturus sit. Hic enim nos non judicamus, sed judicium Dei in verbo clarè definitum pronuntiamus. Quando ergo de necessariis ad salutem quærimus, solummodò intelligimus necessaria ad salutem juxta normam Euangelii, hoc est, necessaria ad fidem. Addimus: Necessaria ad fidem etiam sola necessaria esse ad communionem Ecclesiasticam; quoniam quos salutari fide præditos credimus, communione nostrâ arcere non licet. Dices. Nulla est Ecclesia, Papali excepta, ejus sententiæ, ut quoscunque extra communionem suam ponit, putet propterea extorres cœlo & gratiâ. Passim contingit ut tales & tales homines prohibeat suâ communione, non quòd errent propterea in fidei & salutis absoluto fundamento; sed quòd status & pax Ecclesiæ non ferat, eos qui tales errores docent & tueantur apud se tolerari. Resp. 1. Non video, quomodo id dici possit à Doctoribus, qui excommunicationem cre-

Quæ ad communionem Ecclesiasticam, etiam ad salutem sunt necessaria.

dunt exercitium esse potestatis clavium à Domino Jesu Ecclesiæ concessæ, quo quicquid ligatur in terra, etiam ligatum sit in cœlo. Qui enim in fidei ac salutis fundamento non errat, etiamsi hic ab Ecclesia ligetur, in cœlo ligatus esse nequit. Talem itaque Ecclesia excommunicatione suâ ligans, nonne manifestè potestate sua abutitur, eumque ligat, quem Deus solutum vult, & quem Deum solutum velle credit? 2. Si fundamentalia ad communionem Ecclesiasticam non æstimentur ex fundamentalibus ad fidem, ex quo indicio à reliquis non fundamentalibus discriminabuntur? Quis determinabit necessarium ad communionem Ecclesiasticam, quod ipse nec ad fidem, nec ad salutem necessarium credit? An id cujusque Ecclesiæ particularis judicio determinabitur? At ubi ea Ecclesiis auctoritas concessa? Et si id particularis Ecclesiæ judicio committatur, ea semper declarabuntur necessaria ad communionem ecclesiasticam, quæ homines factiosi, qui in Ecclesiis illis dominatum affectant, ambitioni suæ stabiliendæ commoda credent; Atque ita semper sub prætextu religionis via parata erit schismata in Ecclesia faciendi, quando hominibus factiosis suæ placuerint vires, ut alios ex Ecclesia ejiciant, ipsique soli dominentur. Et pax Ecclesiæ conservari tantum poterit, quamdiu factiosi in ordinem cogi possunt; verùm quamprimum prævaluerint, statim schisma introducetur, omnesque ab ipsis dissentientes Ecclesia ejicientur, non quia errore exitiali infecti sunt; sed quia à factione jam prævalente ac dominante ejiciuntur, quæ eos in Ecclesia tolerare non vult: quoniam nempe Ecclesiæ, qualem jam illi sibi finxerunt, status non fert, ut illi tolerentur, ne conatibus ipsorum factiosis obsistant. 2. Uno tempore ad communionem Ecclesiasticam necessarium erit, quod alio tempore non necessarium: liberum nempe erit, quamdiu ab Ecclesia non est determinatum; accedente Ecclesia determinatione, fiet necessarium. Perinde fere uti in Ecclesia Pontificia; à Synodo aut Papa non determinata in utramque partem ventilantur; semel verò Ecclesiæ auctoritate decisa ulteriori examini non subjacent. 3. Quod una Ecclesia ut intolerabile eliminat, alia ut necessariò confitendum exigere potest: uti in dissentientibus Lutheranorum ac Reformatorum Ecclesiis videmus. Atque ita pro variis hominum judiciis aliquid simul & necessarium erit, & illicitum. Imo nulla tum erit regula quousque tolerantia extendi debeat: quia Scripturæ Sacræ norma infallibili relicta nulla superest regula unde necessaria dignosci possint: ac tandem illa ex usu & utilitate partis prædominantis determinabuntur, & pax Ecclesiæ ab arbitrio hominum commodis suis inservientium dependebit; quæ cum pro temporum ratione admodum varient, etiam necessaria ad communionem ecclesiasticam multum variabunt: quod nunc necessarium non est, arbitrio ejusmodi hominum necessarium fiet. In quas absurditates recidere necesse est, si semel Scripturæ simplicitate relicta, alia ad fidem, alia ad communionem Ecclesiasticam necessaria statuamus.

XV. Dices. Determinanda ergo illa necessaria sunt, ut sciamus quousque tolerantia hæc extendi debeat. Resp. 1. Ex indiciis antea à nobis indicatis, si quis judicium adhibeat, necessaria facile à non necessariis discerni posse. Orta itaque controversia aliqua ad indicia illa ejus necessitas exploretur; statimque utrum tolerari debeat nec ne, patebit. Præcisè autem determinare velle de omnibus, quid & quousque creditu sit necessarium, nec utile, nec necesse puto. Utile non est. Quid enim fructus sperari potest, si dogmatis non controversi inquiratur necessitas? Imò disquisitio & determinatio illa nonnunquam obesse potest. Si enim dogma, cujus unanimis omnium est confessio, non omninò ad salutem necessarium deprehendatur, posset pruriginosis ingeniis ansa dari illud, de quo nunquam fortasse dubitassent, in dubium vocandi. Sed nec necesse est. Potest enim quis sufficientem omnium ad salutem creditu necessariorum habere scientiam; licet non exquisitè perspectum habeat, quid in omnibus præcisè ad supremum punctum negationis, ubi affirmandum aut negandum peremtoriè quid de fundamento sit, requiratur. Non enim sola ad salutem absolute necessaria, sed & maximè utilia, Scripturâ clarè exstant: istum autem utilitatis gradum adeo præcisè determinare, adeo ut vel infra necessitatem consistat, vel cum ea coincidat, uti non ita in omnibus facile, ita nec necessarium duco. Cum de iis, perinde uti de necessariis, raræ incidant controversiæ; & controversiâ vigente tum inquisitionem illam institui sufficiat. *Necessa non est determinare quænam sint necessaria.*

XVI. Nona objectio. Tolerantia illa est impossibilis. Resp. 1. Non esse impossibilem documento nobis ex Papatus, in quo omnes fermè inter Reformatos agitatæ controversiæ vigent; solaque Papæ Romani auctoritas omnes cohibet, ne in apertum erumpant schisma. Si Reformati eandem, quam Pontificii Papæ suo, reverentiam exhibeant Domino suo Jesu Christo, pacem & charitatem tanquam κριτήριον unde genuini ejus dignoscantur discipuli commendanti, quid ni & eandem, imò multò sanctiorem & sinceriorem colere possent, non metu supplicii cujusdam humani, aut vi coacti, ut in Papatu, sed sponte ac lubentes, ut Domino suo placeant, seque genuinos Dei pacis filios, principisque pacis discipulos ostendant? 2. Impossibilem eam fatemur, quo usque qui auctoritate in Ecclesia pollent illi sunt adversi, omniaque *Nona.*

que

que pacis consilia disturbant. Nos autem quem alium in finem hæc disputamus, nisi ut eos ad saniora & pacifica consilia pertrahamus? Si mundus remedium salutare sibi oblatum respuat, sufficiet nobis, quod paci, quantum in nobis est, litare non destiterimus. Quomodo autem non impossibilis sit hæc tolerantia, in sequente membro ostendetur.

Decima. XVII. Decima objectio. Per hanc tolerantiam merus Scepticismus introducetur, nihilque in religione erit certum. *Resp.* Mirari nos ejusmodi objectionem, cum antea adeo sollicitè inter dogmata exigui momenti, utilia & necessaria, distinxerimus. Non quicquid ad salutem præcisè necessarium non est, statim est indifferens. Multa habent magnam ad salutem consequendum utilitatem, quibus tamen si careamus non statim de salute actum erit: alia promotioni pietatis ac salutis adeptioni admodum noxia sunt, non tamen ejus adeptionem penitus impediunt. Ad vitam hominis jucundè transigendam multa requiruntur ad ipsam vitam non præcisè necessaria. Multa sanitatem lædunt, quam vitam non penitus exstinguunt: ita & alia viam reddunt sal ebrosam admodum ad difficilem, non tamen prorsus inviam. Quemadmodum itaque nemo indifferentia vocabit, quæ corporis sanitati adversa sunt, licet non lethalia; ita nec errores quis indifferentes dicet, qui salutis adeptionem difficiliorem reddunt, licet spem ejus penitus non præcidant. Et sicut prudentis medici est, morbis non exitialibus medicinam adhibere, ne tandem in lethales degenerent: ita etiam Christiani est, erroribus periculosis refellendis laudabilem insumere operam, neque hic ulli nec labori nec operæ parcere; ne tandem aut fides illis penitus corrumpatur, aut pietas exstinguatur: attamen nec Christianæ moderationis limites transilire, sed errantes, quamdiu errant, fraternè tolerare, ut ita ab errore suo revocentur, tenetur.

CAPUT XXIII.

Qua ratione Tolerantia illa, salva unicuique prophetandi libertate, coli, omnisque nihilominus in Ecclesia confusio vitari, veritasque conservari possit.

IV. Modus tolerantiam servandi. I. RESTAT tandem, ut ostendamus, quomodo tolerantia hæc, salva unicuique prophetandi libertate, coli, omnisque nihilominus in Ecclesia confusio vitari, veritasque conservari possit.

Libertas prophetandi. II. Libertatem quandam prophetandi, salvo charitatis Christianæ vinculo, in Ecclesiâ vigere debere, in confesso est apud omnes. Veritas enim nusquam magis emicat, quàm cum accuratè inquiritur, & nusquam magis obscuratur, quàm ubi liberè illam inquirendi facultas est adempta, prout in Papatu videre est. Quis enim tantum sibi arrogabit, ut solus omnia perspiciat? Supra sortem humanam illud est. Deus dona sua diversis distribuit, non uni omnia concessit: quod itaque uni obscurum est, alteri est revelatum. Ut ergo cognitio hæc omnibus fiat communis, veritasque in plures propagetur, ac validioribus fulcris confirmetur, prophetandi libertas concedenda est, juxta 1 *Thess.* v. 19, 20.

III. Ut autem distinctius hæc tractemus, considerandum quomodo in Ecclesiis non separatis libertas hæc concedenda sit, salvâ tamen Christianâ pace ac unione. 2. Quomodo Ecclesiæ jam separatæ, salvâ cuique sententiam suam profitendi ac defendendi libertate, in mutuam communionem consentire possint. *Duo spectanda.*

IV. Primum quod attinet, cavendum ne specioso libertatis prophetandi prætextu quidvis in dubium vocandi licentia quæratur. Primò ergo fundamenta salutis immota volumus. Quod si quis ea negare, aut in dubium vocare sustineat, nec audiendus, nec tolerandus est; juxta *Gal.* 1. 8. *Si licet nos, aut Angelus de cœlo, euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit.* Et 2 *Joan.* 10, 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Et ab altera parte pertinaciter nimis contendendum non est de rebus exiguis, nulliusque ad pietatem ac salutem usus; produnt enim illa animum contentiosum, & non gloriæ divinæ, sed suæ studiosum. Tales Apostolus post unam atque alteram admonitionem vitari præcipit, *Tit.* III. 9. 10. *I. Quomodo ea concedenda in Ecclesiis nondum separatis.*

V. Secundò. Summa cum prudentia est procedendum & animi moderatione. Quoniam enim temerè procurrendum non est ad refutationem dogmatis, jam publico consensu in Ecclesiam cujus membrum quis est recepti; nec etiam aliorum hominum, perinde uti nos errori obnoxiorum, placitis mancipare nos decet, sed in veritatis inquisitione semper est proficiendum; unicuique veritatis divinæ ac pacis Ecclesiasticæ studioso, omni præjudicio ac affectu seposito, ante omnia dogmatis, de cujus falsitate evidentibus argumentis est persuasus, in timore Domini pondus ac momentum expendendum est. Si comperiat non magni esse momenti, aut exigui ad pietatem usus, ut sunt omnia externa, & purè speculativa, dissimulandum est, neque ob rem leviculam Ecclesiæ tranquillitas in periculum adducenda. Si majoris comperiatur momenti, non statim ad illius refutationem publicam ruendum est; nec nisi privatim cum viris piis ac doctis instituta collatione, siquidem illorum ope nobis satisfieri possit, aut illi erroris commoneri: ne *Quæ prudentia hic adhibenda.*

aut

aut arrogantiâ aut temeritate quicquam committamus, quod postea emendare arbitrii nostri non est.

Etiam ratione auditorum.

VI. Sed & prudentia hæc accuratam auditorum, coram quibus veritatis disquisitio instituitur, rationem habere docet. Multa in Scholis subtiliter disputantur, & cum fructu, quæ è suggestu coram tota concione non nisi maximo cum Ecclesiæ incommodo traduntur. Doctoris Ecclesiæ est, prudentis ac periti medici officio fungi, qui non tantum morbi naturam ac medicamentorum virtutes, sed & potissimum ægroti vires considerat. In negotio religionis quidam sunt infantium instar, alii adultorum qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali: illi, docente Apostolo *Hebr.* v. 13, 15. lacte, hi solido cibo pascendi sunt. Imò fortasse præstaret de iis in Ecclesia tacere, eaque inter magis exercitatos in conventibus minoribus placidè tractare, aut saltem communi consensu limites quosdam ac cancellos definire, intra quos disputationes coërceantur.

Et qua efficia charitatis.

VII. Verùm hæc, aliaque plura, quæ circa libertatis hujus legitimam limitationem observare oportet, unicâ hac æquissimâ, omniumque animis inscriptâ naturæ regulâ, comprehendi existimo: Quicquid vultis ut faciant vobis homines, hoc facite illis; &, Quicquid non vultis ut faciant vobis homines, nec hoc facite illis. Æquissimum enim est, eandem nobis figi legem, quam aliis præscriptam volumus; neque alios vinculis, quæ ipsi ferre recusamus, adstringi. Et intra hanc legem si consistatur, nec libertas degenerabit in licentiam, neque libertatem destruet tyrannis. Dogma enim à receptâ Ecclesiæ doctrinâ diversum si quis pro vero amplectatur, considerabit quantum alteri, si ipse cum Ecclesia sentiret, alter verò dogma, de cujus veritate se persuasum credit, tueretur, illius propalandi ac defendendi libertatem sit concessurus; sibi itaque majorem arrogare non debet. Si itaque æquum credat, ne Ecclesiæ pax in periculum adducatur, ut alter de dogmate illo altum agat silentium, idem sibi præscribere debet. Ab altera parte, si contingat alium à communi Ecclesiæ doctrina dissentire, considerabit quantam sibi, si cum illo sentiret, sententiam suam proponendi ac defendendi libertatem desideraturus esset; eandemque etiam dissentienti a se fratri, sine ulla pacis Ecclesiasticæ diremtione, concedet. Dices. Quid si quis, lege hac naturæ neglectâ, temerè in disputationes ruat, turbasque ob res exigui momenti excitet? Resp. Eadem illa naturæ lex, qua ratione absque ulla libertatis prophetandi læsione in ordinem cogendus, & ad officium revocandus sit, docebit. Considerent quippe, quibus Ecclesiæ salus cordi est, quam censuram erga se, simili modo si delinquerent, æquam judicaturi forent; eandemque & non graviorem erga alium adhibeant. Ita nec supina negligentia veritatis defensionem deserent, nec nimia severitate prophetandi libertatem exstinguent, eandemque, quam sibi ab aliorum sententia recedendi libertatem vindicabunt, etiam aliis concedent.

Hæc à Remonstrantibus sunt observata in quæstione de Prædestinatione.

VIII. Neque contra has adeo æquas, & à natura dictatas leges, in controversia illa celebri de Prædestinatione, quæ nobis cum Contraremonstrantibus intercedit, deliquisse, sed omnia quæ ad Ecclesiæ pacem in veritate servandam requiruntur sedulò observasse videmur. 1. Non enim novum erat nostrum dogma; sed in primitiva Ecclesia unanimi consensu à Patribus traditum, & ab initio Reformationis à pluribus non infimi nominis Theologis receptum. 2. Nec fuit controversia de dogmate parum utili aut exigui momenti; sed quod ramos suos per multos Theologiæ locos diffundit, pietatisque necessitatem ac utilitatem quammaximè concernit. 3. Nec præcipiti consilio dissensum coram populo testati sumus: Sed Dominus Arminius privatam primo cum Domino Junio collationem habuit; postea aliorum suspicionibus quasi protracti pleniorem sententiæ nostræ explicationem facere tantum non coacti fuimus, 4. Sponte à Contraremonstrantibus non discessimus, sed mutuam obtulimus tolerantiam, & ne contrariis concionibus nimium turbaretur plebs, etiam certos intra concellos disputationes redigi non recusavimus: tandemque à Contraremonstrantibus, dogma ab Antiquis nunquam decisum ut necessarium definientibus, è communione ipsorum pulsi fuimus. Sed quid schismatis causas indagamus? Inquiramus potius remedia, non illi tantum, sed & quibusvis sanandis schismatibus accommodata.

2. Quomodo Ecclesia jam separata reunienda.

IX. Itaque examinemus. 2. Quomodò inter Ecclesias jam separatas, salva cuique sententiam suam profitendi ac defendendi libertate, per mutuam tolerantiam pax & unio restaurari queat. Varii sunt unionis modi, quarum altera alterâ perfectior est. Perfectissima est qua omnes unius ejusdemque Cœnæ participatione, sine ullo doctorum aut doctrinæ discrimine, suam communionem ac fraternitatem testantur. Hæc quando exigitur ea conditione, ut omnium eadem, etiam de minimis, sit fides, idemque in omnibus sermo, optanda magis quàm speranda est. Itaque alia illius est species, qua non obstante dissensu in non fundamentalibus, qui in fundamento salutis conveniunt ejusdem Cœnæ celebratione in eodem templo unionem suam testantur. Alia imperfectior est, ab aliis consociatio vocata, qua duæ aut plures Ecclesiæ propter opinionum discrepantiam se mutuò non damnant, sed altera alteram amore mutuo & honore prosequitur,

nec

nec communio hinc inde negatur dignis, eamque in usu verbi ac Sacramentorum ambientibus. Posteriorem hanc quidam solummodò intendunt; & revera illa facilius obtineri potest, & ad mutuas Christianorum condemnationes tollendas sufficere videtur. Ego verò, sicut ab ea inchoandum credo, ita causam nullam video, cur in ea conquiescendum sit, & ulterius ad arctiorem communionem adspirare non debeamus. Non quod doctrinarum confusionem, aut generales confessiones verbis ambiguis, quæ utraque pars in sensum suum trahere dogmatibusque suis incrustandis aptare potest, conceptas probem: ambigua enim contentionem pariunt, ac postea de genuino ejusmodi phrasium sensu, dum pars utraque eas pro se stare urget, majore studio contenditur: sed quod non obstante dissensu sententiarum, quem pars utraque fatetur, consensus in fundamentalibus ad unionem illam fraternam sufficere debeat.

Quibus gradibus eo contendendum. X. Ut itaque unio illa obtineatur, per gradus credo procedendum; perinde enim atque schismata in Ecclesiâ oriuntur, etiam tolli optimè credo, sed ordine inverso. Subitò atque unico ictu Ecclesiæ in partes non scinduntur; sed sensim schismatum causæ suppullulant, ex quibus cum ad maturitatem pervenerint, schisma generatur. Ortâ circa dogma quoddam religionis controversiâ disputandi fervor animos utrinque incendit: in fervore illo alter alterius sententiam odiosè proponit, & absurdis consequentiis gravat: inde oriuntur animorum exacerbationes ac inimicitiæ: & tandem Ecclesiæ scinduntur in partes. Eodem modo Ecclesiis jam divulsis etiam per gradus ad unionem contendendum. Primò schismatum causæ, odia & inimicitiæ exstirpandæ sunt, alternaque debet fieri declaratio, quod alter alterum, non obstante dissensu, pro fratribus in Christo ac vitæ æternæ hæredibus agnoscat. Ita redintegratâ charitate via ad pacem strata est. Possent tum utriusque Ecclesiæ Doctores simul ac membra alternatim ad alterius conciones audiendas accedere; aut saltem illis Ecclesiæ consensu libertas concedi, sine ullo censuræ Ecclesiasticæ metu, eas audiendi. Et ne quis ab alterius Ecclesiæ concionibus audiendis deterreatur, quantum fieri potest videndum, ne controversiæ in publicis concionibus, aut saltem non nisi summâ cum moderatione, & præmissâ fraternitatis cum dissentientibus colendæ propensione, ventilentur. Hunc in finem rarius tractabuntur textus, quibus articuli controversi adstrui ac niti creduntur. Et occasione ejusmodi textuum tractationem exigente, ut omnis offensio vitetur, unusquisque sensum illorum, quem credit verum ac genuinum, tradet; contrarium non refutabit, nec absurdis consequentiis exagitabit; multò minus consequentias illas alteri tanquam ipsius sententiam impinget. Ita animis utrinque præparatis, odiisque exstinctis, alternatim utriusque Ecclesiæ membra, quin & ministri, ad sacræ Cœnæ communionem accedent, hocque fraternitatis Christianæ symbolo unionem suam testabuntur. Ita duæ licet sint distinctæ Ecclesiæ, non tamen propriè sunt divisæ; animisque ita mutuo amore conglutinatis, possent facile Ecclesiæ in unum corpus coalescere.

Alius unionis modus. XI. Hoc si quis non facile obtineri posse credat, alia est via fortasse commodior fraternitatem colendi: Nempe ut particulares Ecclesiæ, ita prout nunc distinctæ, singulæ à Ministris suis doceantur, & in veritate non tantum fundamentali, sed & aliorum articulorum, etiam controversorum, instituantur: & communis quædam ex omnibus erigatur Ecclesia, seu templum aliquod commune ac catholicum, in quod omnes conveniant communionis suæ testandæ causâ; in eoque templo nullæ controversiæ, sed sola ad salutem necessaria, in quibus omnes consentiunt, doceantur: Cœnaque omnibus ut Christianis, sine ullâ controversiarum inter Christianos agitatarum mentione, administretur. Ita & pax esset rata, & in suâ particulari Ecclesiâ quisque veritatis, etiam non prorsus ad salutem necessariæ, cognitione imbui posset.

Quæ facienda ut unio obtineatur. XII. Ut verò fraternitas illa obtineri, & pax semel coalita perpetua esse possit, hæc facienda sunt. 1. Omnes decisiones, quibus dogmata quædam non clarè in Scripturâ expressa, definita sunt necessaria, sunt abrogandæ, aut saltem non urgendæ tanquam decreta quibus necessariò standum sit. 2. Nullæ etiam tanquam necessariæ urgendæ sunt formulæ loquendi, quæ Scripturâ Sacrâ non continentur, quocunque demum prætextu excogitatæ. Illud enim est injurium Spiritui Sancto, & libertati conscientiarum præjudicat. Nemo alligandus humanæ sapientiæ verbis, sed ad Apostolorum exemplar loquendum, prout Spiritus Sanctus nobis dedit eloqui. *Act.* 11. 4. 3. At tandem revocanda pristina illa simplicitas, quæ in primitivâ Ecclesiâ viguit: non enim tunc tot exigebantur articuli necessariò credendi, prout hodie, sed solummodò fides in Jesum Christum. *Matth.* XVI. 16, 17. cum Petrus, rogante Christo, quemnam se crederent esse, confessionem hanc edidisset, *Tu, es Christus, Filius Dei vivi: respondens Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed* Pa-

Pater meus qui in cælis est. Act. VIII. 37. dicit Philippus Eunucho Baptismum petenti: *Si credis ex toto corde, licet: Et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Et hac editâ confessione mox à Philippo baptizatus est. *Act.* XVI. 30, 31. commentariensis Paulo ac Silæ dicit, *Domini, quid me oportet facere, ut salvus sim? At illi dixerunt; Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua.* His adde *Rom.* X. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.*

Votum. XIII. Hæcque est mutua illa tolerantia, quam nos Remonstrantes omnibus Christianorum Ecclesiis, in fundamentis fidei consentientibus, offerimus, & à quâ, tanquam Societatis nostræ tesserâ, ab aliis præcisis, & Confessiones humanas ut fraternitatis tesseras exigentibus, sectis discerni cupimus; ut ita per nos non stet, quò minus omnes, qui Dominum Jesum invocant puro corde, in unam Ecclesiam coalescant, omniumque, non obstante in minoribus dissensu, fit per mutuam ac sinceram charitatem cor unum & anima una. Si oblationem nostram alii respuant, nostrum tamen est remedia sanandis schismatibus idonea indicare, dextrasque fraternitatis offerre, ut ita τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν notum sit omnibus hominibus, *Phil.* IV. 5. Et dubitandum non est, quin Deus pacis aliorum corda sit inflexurus, ut, nostram videntes æquanimitatem, tandem etiam pacificas nostras fraternitatis oblationes animo benigno sint amplexuri. *Ipse autem Deus patientiæ & solatii det nobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum; ut unanimes uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi. Quapropter suscipiamus invicem, sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei. Rom.* XV. 5, 6, 7. Ipsi sit honor ac gloria in secula. Amen.

F I N I S.



PHILIPPI

PHILIPPI a LIMBORCH
RELATIO HISTORICA
DE
ORIGINE & PROGRESSU
CONTROVERSIARUM IN
FOEDERATO BELGIO
DE
PRÆDESTINATIONE,
ET CAPITIBUS ANNEXIS.

TRACTATUS POSTHUMUS.

I

manif
copios
moniis
vellem
operos
hi suff
nium,
Patres
qui an
eos ess
piè rec
loquunt
severat
εἰς ζωὴ
interpre
facta d
persever
tam cu
versum
cum fe
ardore
par est
sive no
re, cu
ties agr
absoluta
clesiam
defendit

Quia
toritas,
suæ adh
cres adv
tione di

RELATIO HISTORICA
DE
ORIGINE & PROGRESSU
CONTROVERSIARUM IN
FOEDERATO BELGIO
DE
PRÆDESTINATIONE,
ET CAPITIBUS ANNEXIS.



PRimos doctores Christianos usque ad Augustinum prædestinationem absolutam prorsus ignorasse, & ad unum omnes conditionatam docuisse prædestinationem, adeò manifestum est, & à variis autoribus ita copiosè ac evidenter, allatis ipsorum testimoniis, probatum, ut soli lucem fœnerari vellem, & non nisi actum agerem, si id operosè probare instituerem. Unicum mihi sufficit Gerardi Joannis Vossii testimonium, Histor. Pelag. lib. VI. th. VIII. *Græci Patres semper, Patrum Latinorum verò illi, qui ante Augustinum vixerunt, dicere solent, eos esse prædestinatos ad vitam, quos Deus piè rectéque victuros prævidit: sive, ut alii loquuntur, quos prævidit credituros & perseveraturos: τῶν μέλλοντας πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον, ut est 1 Tim. 1. quod ita interpretantur, ut prædestinatio ad gloriam facta dicatur secundum præscientiam fidei & perseverantiæ.* Ipse Augustinus ante ortam cum Pelagio controversiam nihil diversum à prioribus Doctoribus sensit: sed cum se Pelagio opposuit, sive disputandi ardore & ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς longius quam par est in contrariam sententiam abreptus, sive non satis plene à Manichaico errore, cui se immersum fuisse ipse aliquoties agnoscit, purgatus, sententiam de absoluta prædestinatione primus in Ecclesiam Christianam invexit, & animosè defendit.

Quia magna illius in Ecclesiâ fuit autoritas, multos semper habuit sententiæ suæ adstipulatores; sed & non minus acres adversarios; ideoque de prædestinatione divina disputatio aliquoties in Ecclesiâ recruduit, multis Augustini reverentiâ illi patrocinium suum commodantibus, aliis verò eam ut Scripturæ Sacræ & rationi adversam acriter impugnantibus.

Recruduit illa disputatio tempore Reformationis. Lutherus, Monachus Augustinianus, etiam Augustini sententiam de prædestinatione secutus fuit: quin & ulterius progressus, non tantum voluntati reipsâ libertatem ademit, quæ, stante de absolutâ prædestinatione sententiâ, nulla esse potest; sed & ipsum libertatis nomen sustulit, edito contra Erasmum libro *de Servo arbitrio*: cum tamen alii absolutæ prædestinationis patroni, minus hac in parte candidi quam Lutherus, libertatis nomen sollicitè retineant, ne libertatem penitus negare videantur. Philippus Melanchthon, in priore Locorum Communium editione sententiam Lutheri secutus, eum in posterioribus editionibus mutavit; & ab eo tempore Lutherani, desertâ sententiâ de prædestinatione absolutâ, conditionatam docuerunt.

Calvinus, & qui cum eo sensere, acerrimi prædestinationis absolutæ fuere defensores: & quamvis Calvinus se Augustini autoritate maximè tueatur, ulterius tamen quam Augustinus processit, illiusque sententiæ hunc novum articulum addidit, veram fidem non posse penitus amitti, ac proinde fideles jam plenè ac absolutè certos esse de suâ salute. Illum secuti sunt Genevenses: in Germaniâ Zanchius, Ursinus, Piscator, Paræus, aliique: in Helvetiâ etiam & alibi non pauci.

In Belgio in principio Reformationis non anxiè de hac controversiâ disputatum

fuit: satis videbatur crassiores Ecclesiæ Pontificiæ errores ac superstitiones impugnare: de reliquis, quæ cum superstitiosis illis cultibus nullam habebant communionem, nulla contentio fuit. Sed cum postea Genevensium, Palatinorum, & Nassaviorum Doctorum, qui omnes absolutæ prædestinationis rigidissimi erant patroni, discipuli undique affluerent, & in Belgicis Ecclesiis numero superiores essent, etiam Doctorum suorum placita in Ecclesias Belgicas introducere voluerunt, aliisque tanquam fidei regulam, à quâ nulli dissentire fas esset, præscribere.

Nihilominus fuere semper prædestinationis conditionatæ patroni, qui publicè in Ecclesiis Belgicis docuerunt, & nonnunquam scriptis editis sententiam suam declararunt: In Geldriâ, Anastasius Veluanus, seu Velausus: In Hollandiâ, Holmannus Professor Leidensis; Goudæ, Hermannus Herberti; Hornæ, Clemens Martini & Cornelius Meinardi, nec non Cornelius Wigeri; Medimblicæ, Taco Sibrandi; Leidæ, Caspar Coolhasius; Trajecti, Hubertus Duifhusius Pastor Ecclesiæ Sancti Jacobi: In Frisiâ, Gellius Snecanus. Contra eos Synodi processum quendam Ecclesiasticum instituere voluerunt, eosque ad palinodiam adigere, aut muneribus suis abdicare, sed obstitit Magistratuum auctoritas. Solus Cornelius Wigeri, qui separatos voluit agere cœtus, & præter eum Coolhasius, fuit excommunicatus.

Marnix. Epist. à Belgis Cent 11. Ep. 51. Inde conflictus quidam oriri cœpit de autoritate condendi leges Ecclesiasticas inter Magistratum & Ecclesiasticos; & disciplina Ecclesiastica, quam Ministri juxta formam Genevensem in Ecclesias Belgicas introducere moliebantur, Magistratibus valde odiosa esse cœpit. Sed de hac quæstione mox latius.

Similiter cum illi, qui prædestinationem conditionatam docebant, premerentur autoritate Confessionis Belgicæ & Catechismi Palatini, de eorum autoritate disputari cœptum. Confessio Belgica primum conscripta fuit à Guidone de Bres, & aliis quibusdam Ministris, quos difficillimis illis temporibus consulere potuit, communicata; sed non ut canon fidei esset, verum declaratio sententiæ quam docebant, illiusque adstructio ex Scripturis. *Epist. Sarav. Præst. Vir. Epist. 181.* Constat illa triginta septem articulis. Illa in nullâ Synodo fuerat examinata nec lecta in Consistoriis & Classibus, & maturè expensa an in omnibus Scripturæ Sacræ conformis esset: & tamen in quibusdam Synodis, à paucis qui in eam convenerant Deputatis, tanquam communis Ecclesiarum Belgicarum Confessio fuit approbata; atque ita sensim in Ecclesias irrepsit. Non autem illam in Synodis fuisse, antequam approbaretur, examinatam, exinde constat, quod nulla in Actis Synodalibus illius examinis mentio fiat: & præsertim, quod cum in Synodis de triginta septem articulis (tot enim Confessio Belgica constat) recipiendis ageretur, ex Ministris nonnulli adeo fuerint ignari hujus Confessionis, ut quando triginta septem articulorum mentio fiebat, quæsiverint, quinam illi articuli essent. Illâ occasione disputari cœptum, an non oporteat Confessionem & Catechismum revideri & ad examen revocari.

Rebus ita se habentibus ad Ecclesiam Amstelodamensem vocatus fuit Jacobus Arminius. Fuit Arminius civitatis Amstelodamensis alumnus. Studiorum causâ missus fuit Genevam. Rami Logicam docendo, eamque paulò fervidius defendendo magnam sibi invidiam conflavit. Inde Basileam contendit, ibique amicitiam contraxit cum Grynæo. Titulum Doctoris sibi oblatum modestè recusavit. Posteà Genevam rediit, studiumque suum, ingenium ac diligentiam usque adeò Bezæ probavit, ut illi honorificum valdè ad Martinum Lydium, tunc Pastorem Amstelodamensem, perhibuerit testimonium. *Ut paucis omnia, scitote, ex quo Arminius ad nos Basileâ rediit, ita probatam esse nobis ipsius tum doctrinam, tum etiam vitam, ut optima quæque, si, quod facturum illum, Deo favente, existimamus, eodem porrò cursu perrexerit, de ipso speremus. Tribuit enim illi Deus inter cætera felix ingenium rebus tum perspiciendis, tum dijudicandis; cui si pietas, cujus sese studiosum ostendit, deinceps moderabitur, fieri non potest, quin hæc vis ingenii, tùm ætate ipsâ, tum rerum usu confirmata, uberrimos fructus proferat.* *Præst. Vir. Epist. 12.* Non multò post Arminius Romam profectus est: id Mecænates ægrè tulerunt; etiam multi de eo rumores sinistri sparsi sunt, de quibus domum reversus plenè se purgavit: & mox Ecclesiæ Amstelodamensis Pastor ordinarius vocatus fuit.

Incidit tum contentio inter Coornhertium, & Arnoldum Cornelii ac Reginaldum Donteklokkium Ministros, de prædestinatione divinâ. Rogatus fuit à Presbyterio Amstelodamensi Arminius, ut Coornhertii libellum refutaret: idem illi commendatum à Martino Lydio. Verum in libelli illius examine plures Arminio de prædestinatione oboriuntur difficultates, quibus se extricare non potuit. Itaque refutationem illam ad tempus abrumpit, & accuratiori illius dogmatis inquisitioni totum se applicat.

Ex-

Explicabat in concionibus Epistolam ad Romanos: cum pervenisset ad *Cap.* VII. totum illud, & præsertim posteriorem illius partem, à *vers.* 14. ad finem usque, de homine irregenito, cujus miseriam Apostolus sub suâ personâ describat, interpretatus est. De hac explicatione, duce præsertim Petro Plancio, lis mota fuit, Arminioque objectum, quod suâ explicatione se doctrinæ in Ecclesiâ receptæ opponeret, & opinioni Pelagianæ patrocinaretur. Verum prudentiâ Magistratus lis hæc composita fuit: & Arminius scriptum concinnavit de sensu Cap. VII. ad Rom. quo ostendit, sententiam suam esse consentaneam Sacræ Scripturæ & doctrinæ omnium Patrum ante Augustinum, quin & nonnullorum Doctorum Reformatorum.

Cum Arminius pervenisset ad explicationem *Cap.* IX. illud non de absoluta prædestinatione interpretatus est; sed docuit Apostolum in eo refutare objectiones Judæorum, contra suam de Justificatione sententiam, capitibus præcedentibus expressam. Hic, licet Arminius aliorum Doctorum explicationes non refutaret, sed suam solummodò proponeret & adstrueret, multorum indignationem evitare non potuit. In argumentum heterodoxias inter alia & hoc Arminio objectum, quod Lutherani, Mennonitæ, aliique, magno numero ad audiendas ejus conciones confluerent, quod consensum aliquem doctrinæ cum ipsis arguere criminabantur. In Synedrio aliquoties cum Arminio de sensu capitis IX. ad Romanos actum fuit. Ille nihil se S. Scripturæ ac Confessioni Ecclesiarum contrarium docuisse contendit; provocavitque omnes adversarios, ut in medium prodeant. Cum id aliquoties fecisset Arminius, nemoque quippiam illi objiceret, tandem ait Cuchlinus, ubi nunc est Plancius? ipse nunc prodeat, & accusationes suas contra Arminium probet. Plancius ita provocatus tandem prodiit, & pauca quædam Arminio objecit: quæ cum Arminius facilè diluisset, lis composita est. Ex eo tempore Arminius per plures annos in Ecclesiâ illâ quietè vixit.

Synod. Nation. Haga a 1586. art. 44. Ecclesiastici intereà, qui decreverant singulis trienniis in Hollandiâ celebrare Synodum Nationalem, quam tamen jam à pluribus annis Ordines convenire non permiserant, Synodi Nationalis convocationem ab Ordinibus flagitarunt. Ordines Hollandiæ petitioni huic consenserunt, sed sub hac conditione, ut in eâ Confessionis Belgicæ & Catechismi Heidelbergensis revisio instituatur. Ea conditio displicuit Ecclesiasticis, ideoque Synodi convocationem ulterius non urserunt.

Arminius intereà variis animo angebatur scrupulis de prædestinatione divinâ, quos sibi eximi cupiebat. Itaque nihil illi magis in votis fuit, quam de prædestinatione conferre cum viro erudito, cujus ope omnes, quæ animum ipsius cruciabant, dubitationes tollerentur. Hic dum circumspicit in cujus sinum cogitationes suas effundere posset, commodam ipsi præbuerunt occasionem cum Francisco Junio, SS. Theologiæ in Academiâ Lugduno Batavâ Professore doctissimo, amicè ac familiariter colloquendi, nuptiæ Cuchlini, ad quas uterque, Junius & Arminius invitati fuerunt. Ediderat Junius anno cIɔ Iɔ xcv. libellum de peccato primo Adami, & genere causæ quâ ad peccandum inductus est. Occasione ergò inde desumtâ, varios cum Junio de causâ lapsus Adami, ejus modo, nec non de contingentiâ & libertate, habuit sermones. Tandem indicavit Arminius, se in variis circa prædestinationis doctrinam hærere, unde Junii operâ extricari se posse sperabat. *Præf. Vir. Ep. 19.* Junius operam suam benevolentissimè obtulit, si Arminius considerationes suas ipsi per literas aperiret; quod Arminius se facturum recepit. Et hinc enata est collatio cum Junio per epistolas, quæ post utriusque obitum in lucem emissa est. Non multò post Arminius, ut penitius doctrinam de prædestinatione investigaret, sibi scripsit Examen libelli Perkinsii de prædestinationis modo & ordine.

Anno cIɔ Iɔ c. Synodus Hollandiæ Australis Arminio munus omnes Anabaptistarum errores excutiendi & refutandi imposuit. Alacri animo provinciam istam suscepit Arminius. Sed cum posteà animadverteret, id sibi onus impositum, non tam quod ab ipso solidam errorum illorum refutationem exspectabant, quam ut illius de nonnullis dogmatibus, ac præcipuè de prædestinatione & libero arbitrio sententiam ex illâ refutatione eruerent, atque ita luculentiorem ipsum criminandi haberent occasionem, tardè sibi in eâ refutatione procedendum duxit. Huc accessit, quod in opere illo novæ subinde ipsi oboriebantur difficultates, ex quibus plenè se extricare non poterat. Itaque prorsus illi supersedendum censuit.

Eodem anno Harlemenses in gravaminibus in Synodo expendendis, Confessionis & Catechismi subscriptionem quotannis ab omnibus Ecclesiæ Ministris iterari debere urgebant. Verum id & Ministris injurium, & libertati præjudicare censuit Arminius.

Circa finem anni CIↃ IↃ CII. obitu primò Lucæ Trelcatii, dein Francisci Junii, vacabat professio Theologica in Academiâ Leidensi. Hic Curatores oculos conjecerunt in Arminium, cujus eruditio amplius latere non potuit. Thysius eum sæpius laudaverat, vocaveratque *lumen Belgarum, & ad scholas natum.* Itaque non temerè nec absque ratione Arminium ad Theologicam professionem destinari Curatores crediderunt. Vocationi Arminii quidam acriter obstiterunt, præsertim ex Ministris Amstelodamensibus, & præter hos, Gomarus Theologiæ Professor, & Cuchlinus Collegii Theologici Regens. Cuchlini omnes rationes facilè dissolutæ sunt. Gomarus ad Curatores accessit, multisque eos à vocatione Arminii deterrere voluit. Curatores maturâ habitâ deliberatione, & post institutam jussu ipsorum inter Arminium & Uitenbogardum collationem, ei professionem Theologicam decernunt. Remoram injicere conantur Ecclesiarum Deputati. Curatores, ut omnia removeant obstacula, quosdam Amstelodamum ad Arminium deputaverunt, qui ipsi professionem offerant, & Synedrium Amstelodamense permoveant, ut Arminium dimittat. Synedrium Amstelodamense Deputatis respondit, se, ob egregia quæ Ecclesiæ suæ præstabat officia, Arminio nequaquam carere posse. Cum urgerentur, an quicquam impuri in doctrinâ Arminii deprehendissent, adderentque Deputati, si illius convinci posset, nolle DD. Curatores ejus vocationem ad professionem urgere, à Synedrio responsum fuit: Nequaquam! Verum alias esse rationes, quæ obstarent quò minus ipsum dimitterent. Cum Deputati instarent, tandem Synedrium in ipsius dimissionem consensit: sed duas addidit conditiones; quarum prior fuit, ut vitandæ æmulationis causâ Gomarus esset primus Theologiæ Professor: Altera, ut amica inter Gomarum & Arminium collatio instituatur, ut illi & aliis hac ratione magis satisfiat.

Orig. Controv. fol 9.

Collatio hæc inter Gomarum & Arminium habita est præsentibus DD. Curatoribus ac duobus Senatoribus. E presbyterio Amstelodamensi, quanquam rogati, nulli aderant; neque è Deputatis Synodi aliqui, nisi Arnoldus Cornelii & Wernerus Helmichius. Collatio instituta est super explicatione *Cap.* VII. *ad Rom.* & super quibusdam quæ occurrunt in replicâ Arminii ad Junium, quam, ab Arminio nulli ostensam, inter Junii defuncti chartas Gomarus repererat. Quidam ex Amstelodamensibus varia de Arminii explicatione *Cap.* VII. *ad Rom.* Gomaro narraverant; sed cum nemo eorum compareret, Gomarus nihil contra Arminium se probare posse vidit: nam quæ à Gomaro objiciebantur, Arminius se docuisse, & quæ docuerat, Confessioni & Catechesi repugnare negabat. Rogatus ergò fuit Arminius, ut se declararet: quod excusavit, dicens, quoniam quidam videbantur Gomarum instigasse ad ipsum accusandum impuritatis in doctrinâ, oportere ergo tales adesse, ut accusationem suam probent; non autem accusationem ex ipsius ore expiscari. Postquam Gomarus & Deputati Synodi declararunt, se nihil contra ipsum aut doctrinam ejus habere, tunc Arminius rotundè ac prolixè sententiam suam de Cap. VII. ad Rom. explicuit: in quâ explicatione omnes acquieverunt. Postea Arminius suam capitis illius explicationem in mensam posuit, petiitque, ut Gomarus aut Deputatorum aliquis eam examinaret: verum cum nemo eam acceptaret, Arminius eam recondidit; eoque facto dextras fraternitatis Arminio dederunt. Non multò post gradum Doctoratus in Theologiâ Arminius promotore Gomaro obtinuit: & Leidam dimissus est ornatus amplissimo testimonio à Synedrio Amstelodamensi.

In functione muneris sui Arminius præcipuè explicabat libros quosdam Veteris Testamenti, initio facto à Jonâ; ita tamen, ut & quandoque datâ occasione locum quendam Novi Testamenti explicaret. Id indignè tulit Gomarus, qui, quandoque Arminio obvius, commotior illi dixit, tu involasti in professionem meam. Arminius verbis placidis respondit, & accusationem illam redarguit. Exinde cum series habendarum disputationum, inter Gomarum & ipsum constituta, requireret ut de prædestinatione publicam haberet disputationem, ipse sententiam suam exposuit, quod divina prædestinatio sit decretum, quo Deus statuit, fideles in Christum, & in fide perseverantes, justificare & salvare: infideles verò damnare. Illi extra ordinem disputationem opposuit Gomarus, & cathedram conscendens animo perturbato causas exposuit, quæ ipsum ad disputationem hanc extra ordinem habendam impulissent; ubi non pauca dixit, quibus Arminius satis apertè perstringebatur: qui, præsens licet, hæc omnia concoxit. Scripsit autem illius disputationis examen, quod multis demum post ejus mortem annis à Stephano Curcellæo in lucem est emissum. Inde rumor spargi cœptus de dissidiis inter Academiæ Professores, & dicta factaque Arminii in sequiorem partem detorta. Imprimis Festus Hommius Arminii famam clan-

clanculum rodere, & in absentem multa dicere cœpit; quem tamen Arminius coram quibusdam verbi divini ministris ita confutavit, ut obmutesceret. Quidam etiam inceperunt severiora instituere discipulorum ipsius examina, quando ad publicas conciones promovendi essent: & si forte non in omnibus ad ipsorum gustum, aut aliis quam quibus ipsi assueverant verbis respondebant, novas subinde proponebant quæstiones, si forte quid elicere possent quod carperent: & quicquid minus ad ipsorum gustum respondebant, id Arminio impingebant.

Armin. in Declar. sent. Tandem Deputati Synodorum Hollandiæ Australis & Borealis ad eum sunt missi, ut collationem cum ipso instituant, & rationem doctrinæ ejus ab ipso requirant. Arminius hanc agendi rationem iniquam judicavit: Si quis discipulorum suorum quippiam respondeat Confessioni adversum, qui se ab ipso hoc habere dicat, se ad sui purgationem paratum affirmavit. Nihilominus si Deputatorum titulum deponere velint, sibique eandem quam sibi ipsis vendicarent libertatem concedere sententiam suam exponendi, & contrariam refutandi, se ad collationem paratum ostendit: additâ tamen hac conditione, ne illius colloquii ulla fieret relatio nisi in Synodo Nationali. Cum hæc conditio rejiceretur, aliam proposuit: ut eandem collationem Collegis suis offerrent, quia non majorem quam ipsi tali collationi ansam dedisset. Sic illi discesserunt. Hoc censuit Arminius, adversarios suos turbas movere voluisse, ut ipsum tanquam turbarum autorem insimularent, & *Præst. Vir. Ep. 78.* sic cogeretur in apertum prodire. Verum ille judicavit intempestivum esse; & quantò magis alii criminandi illius causas quærebant, tanto magis se continuit Arminius, ne ullo prætextu turbarum autor censeri posset. Hinc & collationem, quam non multò post Synedrium Leidense per aliquot Deputatos ab ipso petiit, modestè declinavit.

Anno CIↃ IↃCV. Classis Dordrechtana gravamen exhibuit proximâ Synodo expendendum: *Quoniam rumores audiuntur, in Academiâ & Ecclesiâ Leidensi controversias quasdam circa doctrinam Reformatarum Ecclesiarum obortas esse, censuit Classis; necessarium esse, ut de mediis, quibus controversiæ istæ commodissimè citissimèque componantur, Synodus deliberet; ut schismatibus omnibus & offendiculis, quæ inde oriri possent, tempestivè occurratur, conserveturque Ecclesiarum Reformatarum unio contra adversariorum calumnias.* Hoc gravamine Arminius ejusque fautores satis apertè perstringebantur. Curatores Academiæ evocatis ad se Theologiæ Professoribus, ac prædicto gravamine in medium prolato, quæsivere, num ipsis de ejusmodi controversiis constaret? Illi impetrato deliberandi spatio, & seorsim gravamine expenso, unanimiter responderunt: Maluisse se Classem hic consideratius egisse: opinari se, inter studiosos quidem plura disputari quam ipsis gratum esset; inter Theologiæ verò Professores nullam quidem, quantum sibi constet, esse dissensionem in fundamentis doctrinæ. Huic responso Cuchlinus Collegii Regens etiam subscripsit.

Synodus Australis Hollandiæ illo anno Roterodami congregata per Delegatos de controversiis in Academiâ obortis diligentissimè inquirendum decrevit. Deputati Curatoribus novem quæstiones exhibent, ut Professores Curatorum autoritate constringantur, de iis sententiam suam declarare. Verum id Curatores recusarunt, easque quæstiones ad Synodum Nationalem, cujus habendæ spes affulgebat, rejiciendas censuerunt. Imò noluere Curatores, ut ipsi Deputati quæstiones has Professoribus proponerent. Omnia hæc à Deputatis clam Arminio agebantur; ita quidem, ut eorum in urbem adventus aliquot diebus Arminium latuerit. Arminius posteà amicorum ope illarum quæstionum apographum nactus, responsum ad illas in discipulorum gratiam scripsit.

Arminius undique se peti videns placidè ac cautè in munere suo se gessit. Gratus erat studiosis, tum ob eximiam eruditionem, tum ob singularem comitatem ac humanitatem; quare magnum eorum numerum tam in Collegiis privatis, quam in publicis lectionibus ad se pertraxit. Hoc ipsi apud Collegam Gomarum non levem conflavit invidiam, quam Gomarus dissimulare non potuit: auditus quippe est Arminio ex auditorio egredienti cum quâdam animi commotione dixisse, ajunt te esse doctiorem Junio. Plancius etiam Amstelodami in ipsum fautoresque ipsius in concionibus sæpe satis acerbè invectus est, eosque Coornhertianorum, novorum Pelagianorum, aliisque odiosis nomenclaturis traduxit. Alii Confessionis Belgicæ doctrinam, tot martyrum sanguine confirmatam, in dubium vocari, alii Libertinismum introduci, in vulgus verbis odiosissimis spargebant.

Intereà Ecclesiastici Synodi Nationalis convocationem ab Ordinibus Fœderatis flagitant. Ordines Fœderati Synodi convocationem concedunt, verum sub eâdem, quâ ante octennium Hollandiæ Ordines, conditione, ut nimirum in eâ Confessionis & Catechismi revisio instituatur,

tuatur. Hæc conditio multis Ecclesiasticorum non placuit.

Synodus Gorinchemensis Deputatis suis, qui renuntiarunt quid à se in promovendâ Synodo apud Ordines esset actum, Ordinumque de Synodo decretum, mandavit, ut prospicerent, non solum, ut quantum fieri posset Ordinum sententiæ satisfieret, verum etiam ne quid fieret in Ecclesiarum præjudicium: Et ut, qui ad Conventum præparatorium evocarentur, moneantur, ut nomine Ecclesiarum petant, clausuram hanc de revisione Confessionis & Catecheseos tolli, aliamque mitiorem & minori offensioni obnoxiam substitui. Mandavit etiam omnibus pastoribus, nec non Professoribus Theologiæ, ut Confessionem & Catechesin diligenter expendant & explorent: ac deinde, ut Ministri considerationes suas Classibus, Professores verò Deputatis Synodorum exhiberent, à quibus postea Synodo Nationali exhiberentur. Arbitrabantur multi hoc decreto sibi ac libertati præjudicium creari: rectius se suas considerationes ipsi Synodo Nationali offerre posse: per hoc decretum id spectari, ut detegantur qui in Confessione quippiam desiderent, & quid in eâ ad examen revocari cupiant, ut illorum considerationes in Classibus ventilentur, & de iis judicium pronuncietur; cui judicio si qui non acquiescerent, tum res per provocationem ad Synodum Nationalem evocaretur, ipsique tanquam rei ad causam dicendam citarentur, atque ita sine ullâ præviâ de ipsorum considerationibus collatione institutâ condemnarentur. Quem metum non fuisse vanum, eventus postea in Synodo Dordracenâ nimis manifestè ostendit.

Præst. Vir Epist. 88. Hoc anno habita fuit sub Arminio disputatio de Trinitate: occasione cujusdam objectionis nata est quæstio, an Filius rectè vocetur αὐτόθεος? Negavit Arminius: inde rumor sparsus, illum malè sentire de Deitate Filii. Jam anno *Præst. Vir. Epist. 44.* CIↃ IↃ XCIX. Arminius in epistolâ ad Uitenbogardum de hac quæstione sententiam suam fusè & perspicuè declaraverat.

Omnia jam Synodi Nationalis convocationem spectabant: Itaque à Synodi Hollandiæ Australis ac Borealis Deputatis conventus præparatorii habendi facultas ab Ordinibus Hollandiæ impetrata est. Convenere ex singulis provinciis fœderatis aliquot Hagam Comitis, XXII. die Maji: Ordines ipsis octo quæstiones de modo ac formâ habendæ Synodi proposuerunt. De loco, tempore, & quibusdam quæ modum spectant, facile inter omnes convenit.

Verum dissensus fuit de tribus præcipuè capitibus. 1. De controversiarum in doctrinæ negotio judice. Gomarus, & qui ab ejus partibus stabant, censebant, Ministrorum ab Ecclesiis ad Synodum delegatorum esse, controversias de doctrinâ judicio peremtorio definire. Arminius verò cum suis, Synodi nomine non tantum delegatos, sed & delegantes esse intelligendos, urgebant; ac proinde delegatorum esse, delegantes de totâ controversiâ instruere, eorumque suffragia audire, nec quicquam ipsis invitis definire.

Altera controversia fuit de normâ secundum quam judicandum esset. Arminius cum suis statuebat, unicam ad quam respiciendum esset normam esse verbum divinum: ac proinde judices ab omni aliâ obligatione, quâ se subscriptione suâ Confessioni obligaverant, durante actu judiciali, planè debere esse solutos. Gomarus cum suis, judices quidem verbo divino adstrictos voluit; ita tamen, ut & ad Confessionem Ecclesiarum Belgicarum ipsis respicere fas esset.

Tertia controversia fuit de revisione Confessionis & Catecheseos. Gomarus cum suis censebat clausulam de revisione in literis convocationis Synodi debere omitti, aliamque ejus loco substitui. Arminius cum suis eam retinendam censebat. Hac occasione quæstio de revisionis necessitate ventilari cœpit, in quâ concertatione Gomarus inter alia dixit, *se quidem verbum Dei pro regulâ primariâ, Confessionem verò & Catechesin pro regulâ secundariâ recipere.* Bogermannus addidit: *Sacras Literas juxta Confessionem & Catechesin esse interpretandas:* quæ reliqui approbabant. Arminius ejusmodi effata Papismum redolere censuit. Ut tamen cum suis Ecclesiarum paci consuleret, consensit ut clausula illa in literis convocationis omitteretur, modò ea omissio fieret sine ipsius revisionis præjudicio. Hæc responsa Ordinibus exhibita sunt.

Ob hanc suffragiorum discrepantiam de Synodo habendâ Arminius & qui cum ipso sentiebant, multorum sermonibus traducti sunt, non aliter ac si Synodo habendæ remoram injicere studuissent. Synodus Hollandiæ Borealis non multò post Amstelodami congregata Arminii & Uitenbogardi nomina ea propter acerrimè perstrinxit. Quin & Sibrandus Lubbertus literis ad Melvinum, Paræum, aliosque scriptis, quibus rem gestam non ex vero narravit, Arminium & Uitenbogardum ubique exosos reddere conatus est, quarum ad Melvinum apographum cum hi nacti essent,

essent, literis satis prolixis calumnias Sibrandi diluerunt.

Synodus Hollandiæ Australis ab Uitenbogardo suffragii sui in conventu præparatorio rationem requisivit; Uitenbogardus verò contendit, sibi Ordinibus, à quibus ipse cum reliquis ad suffragia liberè ferenda esset evocatus, rationem reddendam, non Synodo, cujus mandato in illo conventu neutiquam fuerat adstrictus. Qua occasione disceptatio de jure Magistratus circa sacra in Synodo orta est.

Exinde Synodus agere cœpit de revisione Confessionis & Catechismi: & cum aliquot Classium deputati nullas sibi observationes esse exhibitas respondissent; Uitenbogardus aliique responderunt, se examinationi illorum scriptorum seriò incumbere, animadversionesque, si quas haberent, opportuno tempore tradituros. Non acquievit illi responso Synodus, sed utrum quas haberet considerationes quæsivit. Respondit ille, omnia ad salutem necessaria libellis illis contineri, seque omnia quæ fundamentum doctrinæ spectant probare. Ulterius quæsivit Præses, an omnia scriptis illis contenta, quoad substantiam, verba ac phrases, Scripturæ consentanea crederet. Ille verò respondit, non posse talem declarationem ex tempore fieri, sed opus esse justo temporis spatio isti negotio expediendo. Tandem Synodus omnibus mandavit, ut attentè hæc scripta expenderent, non tantum quoad doctrinæ substantiam, sed & quoad verba & phrases. Quin & ulterius progressa, decrevit unam Provincialem, ex duabus Australis ac Septentrionalis Hollandiæ Synodis conflatam, ab Ordinibus petere, ad quam Doctores Theologiæ ac ministri, quotquot Synodo citare placuerit, vocarentur, & ad collationem amicam de omnibus Christianæ doctrinæ capitibus cogerentur, ut ita de controversiarum momento Ecclesia judicium ferre, & remedium ad sopienda dissidia & doctrinæ integritatem conservandam maximè idoneum adhibere posset. Verum cum hoc decreto Synodum hanc vice Nationalis introducere, ac Ordinum decretum de revidendâ Confessione & Catechismo, eorumque jus Synodum convocandi, infringere velle censerentur, Ordines huic decreto assensum suum minimè præbuerunt. Arminius verò ac Uitenbogardus, quoniam ob suffragia in conventu præparatorio passim admodum traducebantur, suffragiorum suorum rationes scripto comprehensas Ordinibus exhibuerunt.

Hoc anno prodiit Goudæ libellus exiguus instituendis ad pietatem pueris destinatus, qui posteà titulo Catechismi Goudani celebris fuit. Scriptum erat dilucidum ac breve, eoque nomine multis placuit, quod omissis dogmatibus controversis Christianam spiraret simplicitatem, & credenda paucis, nec aliis quam ipsis Scripturæ verbis, complecteretur. Alii libellum hunc damnarunt, tanquam primaria fidei capita vel omittentem, vel auferentem; contendebantque, simplicitatem, quæ primæ conveniebat Ecclesiæ, cum ignota adhuc mala remediis non indigebant, nostræ hodiernæ non convenire; ac proinde libellum hunc errorum latibulum esse. Quin & Reginaldus Donteklok Minister Delfensis aculeatum contra eum libellum edidit; atque ita primus publico edito scripto autor litis & discordiæ in Ecclesiis Belgicis fuit. Eodem anno idem Donteklokkius refutationem libelli cujusdam Castellionis de Prædestinatione in lucem emisit.

Non sufficiebat Arminium ac Uitenbogardum ob suffragia sua traducere: ulterius progressa est calumnia. Sparsus fuit rumor, Papam Romanum benignissimis literis, & ingentis stipendii pollicitatione, Romanæ Ecclesiæ patrocinium Arminio ac Uitenbogardo commendasse. Addidere alii, Arminium non solum Castellionis & Coornhertii, verum etiam Suarezii aliorumque Jesuitarum scripta discipulis commendare solitum: de Calvini verò, Bezæ, Martyris, Zanchii, Ursini, aliorumque præstantium Ecclesiæ Reformatæ Doctorum scriptis contemtim loqui. Sed has calumnias generoso animo Arminius excepit, & egregiâ ad Sebastianum Egberti Consulem Amstelodamensem epistolâ refutavit. *Præst. Vir. Epist. 123.*

Sparsi hoc circiter tempore de Arminio fuerunt XXXI. articuli, quibus illius in variis Religionis Christianæ capitibus heterodoxiam probare cupiebant. Verum Arminius, postquam eos nactus est, responsum ac apologiam scripsit*, in qua sententiam suam de illis clarè ac apertè explicat. Unde liquet, quosdam calumniosè fuisse confictos, aut odiosis terminis expressos.

Hippolytus à Collibus, Comitis Palatini Legatus, cum jam etiam in Palatinatu Arminius traductus esset, ipsius colloquium petiit. Coram illo Arminius sententiam suam de Filii Dei divinitate, de providentiâ & prædestinatione divina, de gratiâ & libero arbitrio, ac tandem de Justificatione, candidè ac apertè proposuit, eamque posteà illius rogatu scripto comprehendit, missâ ad ipsum eruditâ quæ in operibus ejus exstat epistolâ.

Cum verò sinistros de se rumores Arminius ac Uitenbogardus indies magis magisque increscere viderent, libello supplice ad Ordines Hollandiæ de injuria sibi illatâ conquesti sunt, Synodique Nationalis convocationem orarunt. Obtulit præterea Arminius privatim libellum supplicem, quo petiit, ne gravarentur Ordines de causâ ipsius legitimè cognoscere, & seu per modum collationis, seu ecclesiastici conventus sub ipsorum præsidio habendi, rationem decernere, quâ ad refutandas tot calumnias via sibi sterneretur. Itaque ab Ordinibus Hollandiæ decreta collatio inter Arminium & Gomarum coram supremo Senatu juridico. Huic decreto repugnabant Ecclesiarum Deputati, urgentes Synodum, ut judicium de causâ ecclesiasticâ penes ecclesiasticos esset. Ordines responderunt, non se judicium, sed solummodò causæ cognitionem supremæ Curiæ mandasse, ipsum verò judicium Synodo, seu Provinciali seu Nationali, committendum. Cum uterque coram Senatu comparerent, Gomarus de ratione dissidii inter ipsum & Arminium exorti rogatus, primò moras nectere, & exceptionem fori urgere cœpit. Tandem post varios sermones Gomarus sententiam suam de variis articulis scripto comprehensam tradidit. Idem fecit Arminius, obtulitque etiam, se velle conscribere & tradere considerationes suas in Confessionem & Catechesin, quando id Ordinibus videretur. Deputati Senatus Ordinibus Hollandiæ retulerunt, nullum esse inter Professores discrimen de aliquo fundamentali articulo fidei. Gomarus, impetratâ loquendi veniâ, dixit, se cum sententiâ Collegæ sui non ausurum comparere coram tribunali Dei, dissensumque admodum exaggeravit. Ad quæ Arminius modestè respondit.

Exinde Ordines Synodos ordinarias ad tempus suspenderunt. Posteà verò eas convenire permiserunt, sed sub conditione, ne controversias inter Professores deciderent, neque Pastores constringerent ad patefaciendum considerationes suas in Confessionem & Catechesin. Synodus Hollandiæ Australis contrarium decrevit. At Ordines id ægrè tulerunt, mandaruntque, ut quicunque considerationes haberent, eas non Classibus, sed sigillo munitas ac obsignatas Deputatis Ordinum traderent asservandas, donec Synodus Provincialis haberetur: Interdixerunt quoque, ne Synodus quicquam definiret contra Ministros, qui suffragia sua de conventu præparatorio Hagæ Ordinibus exhibuissent.

Non multò post Arminius in Conventum Ordinum fuit evocatus, ut coram ipsis sententiam suam aperiret: Quod Arminius prolixè satis ac plenè fecit, & sententiæ suæ declarationem scripto comprehensam Ordinibus tradidit. Gomarus petiit etiam coram Ordinibus audiri: varias contra Arminium accusationes instituit: ac tam impotenter efferbuit, ut Arminium Ario, Uitenbogardum Eusebio, homini aulico, qui Imperatorem Constantinum seduxerat, compararerit. Tandem in conclusione oravit Ordines, ut Synodum Provincialem convocarent, eique controversiarum examen committerent.

Arminius jam anno CIↃ IↃCIV. uti jam narravimus, theses conscripserat de Prædestinatione, juxta seriem disputationum inter Gomarum & ipsum anteà constitutam. Illis Gomarus, sive proprio motu, sive ab aliis instigatus, paucis post mensibus extra ordinem contrariam disputationem opposuit, in quâ sententiam suam de prædestinatione hominum, ante lapsum consideratorum, asserit, & objectum prædestinationis statuit *creaturas rationabiles, damnabiles, creabiles, reparabiles.* Hæ duæ disputationes anno CIↃ IↃCIX. in linguam Belgicam versæ, in lucem emissæ sunt. Reginaldus Donteklokkius Minister Delfensis, jam senex, Dialogum edidit, in quo contendit, Arminii sententiam de prædestinatione adversari sententiæ Ecclesiarum Reformatarum, quæ in regionibus hisce obtinet, atque in Theologiæ Professore esse intolerandam, Gomari verò sententiam, licet altius quam communis sententia adscendat, optimè tamen cum eâ convenire. Contra hunc Dialogum Joannes Arnoldus Corvinus edidit *Christianam & seriam admonitionem ad pacem*; in qua contendit, non Arminii, sed Gomari sententiam recedere à sententia Ecclesiarum, quoniam Ecclesiæ Belgicæ nunquam sententiam rigidiorem, quæ adscendit ante & supra lapsum, pro suâ agnovissent. Illi Donteklok opposuit responsum, in quo Monitorem criminatur, quod mutationem in religione meditetur: quam criminationem Corvinus edita prolixâ satis declaratione diluit. Hæc quidem inter ipsos Professores non agitabantur, attamen dissensum, qui jam incipiebat erumpere, summoverè augebant. Quare Ordines mense Julio Gomarum & Arminium Hagam evocarunt, ut in Consessu suo collationem de controversiis exortis instituerunt, si forte ulla pacis in Ecclesia conservandæ ratio iniri posset: sed irrito successu. Gomarus controversias multum exaggeravit; & non multò post, ob adversam Arminii valetudinem collatio abrumpi debuit. Arminius jam aliquo tem-

tempore languebat corpore, ac vix finitâ hac collatione in gravem incidit morbum, ex quo decimo nono die Octobris obiit. Fuit Arminius vir pius ac Dei timens, prudens, candidus, quin & mitis, placidus & pacis ecclesiasticæ studiosissimus. Sed in infelicia incidit tempora, & res ipsi fuit cum Gomaro, iracundi ac admodum impotentis animi virô. Quod ne quis à me ex affectu aliquo scriptum criminetur, judicia tam de Arminiô quam Gomarô adscribam eorum, quæ iis, qui contra Arminium sentiunt, minimè suspecta esse possunt. Joannes Hoornbekius, qui in oratione de Ecclesiarum inter se communione, Arminium non veretur appellare *violatorem fœderis, per quem diabolus publicum patriæ & ecclesiarum excitavit incendium*: illi tamen alibi tribuit *mitiorem animum*. Matthias Martinius non diu post Arminii obitum in epistola ad Conradum Vorstium hoc ei elogium tribuit.

Summa Controv. p. 575. Præst.Vir. Ep. 133.

D. Arminius certò obiit. Cum eô locutus sum imprimis de articulis, qui sparsi passim Ordinibus oblati dicebantur, quos in se calumniosè confictos querebatur. Jam tum æger erat, etsi extra lectum: quare ei parcendum ducebam, ne mea colloquia crebriora vel prolixiora essent. Mihi vir visus est verè Dei timens, eruditissimus, & in controversiis Theologicis exercitatissimus, & in Scripturis potens, & valdè circumspectus & ἀκριβὴς in Philosophicis terminis ad res Theologicas accommodandis. De ejus erroribus, an, qui, quanti, & quot sint, nondum ego cognoscere potui. Deus novit quid sit rei. Autor qui nobis vitam conscripsit Antonii Walæi, quæ exstat in Vitis selectorum aliquot virorum, quamquam inclementer

p. 624. passim in Remonstrantes invehatur, de Arminio tamen ait: *Erat ingenio subtilis, eruditione solidus, moribus probatus.* Idem verò autor Gomarum longè aliųm nobis

p. 607. describit. *Franciscus Gomarus vir multijugæ eruditionis, fervent zelo & vehementi.*

p. 627. Et mox. *Vir affectibus suis nimium indul-*

p. 656. *gens.* Ac tandem. *Gomarus tetricus non erat aut malignus, sed iracundus, & in re subitâ haud facile moderator fui.* Gualtherus verò Balcanquallus, à rege magnæ Britanniæ nomine Scoticarum Ecclesiarum ad Synodum Dordracenam missus, qui durante Synodo Gomari indolem propius cognoscendi luculentam occasionem habuit, plenius & expressius eum descri-

Præst.Vir. Ep. 133. bit in epistola ad Legatum Regis Carletonum. Postquam Legato narravit acres Lubberti & Gomari invectivas contra Theologos Bremenses, in quibus Gomarus adeo incaluit, ut ipsi anhelitus defecerit, eâque de causâ sermonem suum abrumpere coactus fuerit, tandem ita concludit. *Duo in Synodo viri sunt, Sibrandus, & Gomarus imprimis, ad omnia in Synodo turbanda, dissidiisque replenda nati, ni tempestivis remediis coërceantur.* Et in alia Epistolâ. *Videtur mihi multò minus turbarum in Synodo futurum fuisse, si duo viri abfuissent, quibus præsentibus nunquam turbæ Synodo deerunt; Sibrandum & Gomarum intelligo, qui alternas habent vices furendi ac tumultuandi. Proxima ante hodiernam procella à parte Gomari detonuit: hodie Sibrandus invectus est in nostrum collegium, tantâ cum iracundiâ & impotentiâ, tantûque cum acerbitate verborum, ut nullâ re magis de ipso ultio sumatur, quam nudâ relatione verborum quæ protulit. Atque ea quidem uterque præses, tam Politicus quam Ecclesiasticus, dum pergere conabatur, abrupit.* Et paulo post. *Quod ad Sibrandum & Gomarum attinet, non magis eos ab furorem accusare possem, quam lapidem quod deorsum cadat: ita enim sunt facti à naturâ.* *Ep. 345.*

Statim post Arminii obitum nova, quæ jam dudum gliscebat, recruduit controversia, de Autoritate Magistratus Christiani circa sacra. Ministri qui Geneva & Palatinatu in patriam nostram se contulerant, ut & in eâ Reformatorum doctrinam prædicarent, Magistrorum suorum placitis penitus imbuti, autoritatem sibi adscribebant ac potestatem circa externum Ecclesiæ regimen, à nullo homine, sed ab ipso Domino Jesu Christo immediatè dependentem, condendi nimirum leges Ecclesiasticas, omniaque juxta illas dirigendi, & quoscunque contra illas delinquentes, pro delicti gravitate, aut ab usu S. Cœnæ ad tempus suspendendi, aut excommunicandi ac satanæ tradendi. Hunc in finem erigebant consistoria, quæ essent tribunalia ecclesiastica, in quibus Ministri cum Presbyteris tanquam judices de quibusvis juxta leges ecclesiasticas sententiam pronuntient. Hancque vocabant potestatem clavium sibi immediatè à Domino Jesu concessam, quæque nullatenus Magistratûs potestati subjecta esset. In initio belli contra Hispaniarum regem, cum tumultibus militaribus, variisque quæ passim edebantur crudelitatibus, patria esset perturbata, Magistratibusque de curanda Repub. totis occupatis, de negotiis ecclesiasticis consultare otium non esset, Ministri propriâ autoritate Synodos aliquot convocarunt, in iisque leges ecclesiasticas ex suo arbitrio condiderunt; quarum quasdam Magistratus, cum rebus Politicis jam meliorem in statum digestis, etiam de ecclesiasticas deliberandi consilia ceperunt, suæ potestati præjudicium non leve adferre judicarunt; qualis inter alias fuit lex de Anabaptistis civitate excluden-

dis, eo prætextu, quod Religione quâdam gravabantur juramentum obire. Quod Philippus Marnixius in Epist. ad Caspa-

Epist. select. à Belgis vel ad Belgas, Cent. II. Ep. 21.

rum Heidanum plenius describit: Quod princeps *causaretur id statui non posse: nisi cum novâ Ecclesiarum convulsione, propterea quod Ordines haud sint passuri, legem ejusmodi præscribi, quam ex usu Reip. planè non esse statuant: imò* quod asseveraret, *hanc*

Epist. Eccles. & Theol. Ep. 101.

unicam fuisse causam, quamobrem consistoria in tantam invidiam apud Ordines venerint, ut prope abfuerit, quin Senatusconsulto facto penitus tollerentur. Idem scribit Adrianus Saravia tunc Professor in Academiâ Lugduno-Batavâ, ad Wernerum Helmichium. *Suspectam censuram nostrarum ecclesiarum passim esse video Magistratibus, tanquam sub illâ tyrannis aliqua lateat, quæ tandem successu temporis aucta viribus, Magistratus autoritatem sibi subjiciet. Quam sit humanum ingenium imperii illegitimi impatiens, notum est: odit enim omnes, qui potestatem aliquam sibi vindicare volunt.* Exinde quæstio hæc inter Magistratum & Ministros aliquoties renovata fuit, donec post varias deliberationes & remedia frustra adhibita, tandem Ordines Hollandiæ, ut contentioni huic finem imponerent, neque alterutri parti aliquod crearetur præjudicium, octo è numero Politicorum, & octo ecclesiasticos deputarunt, qui leges ecclesiasticas concipiant, quas maturo adhibito examine Ordines autoritate suâ confirment. Verum id plurimis Ministris neutiquam probatum fuit: tum quod ad concipiendas leges Ecclesiasticas etiam Politici fuerint deputati, cum id sibi solis vindicarent ecclesiastici; tum quod in illô legum conceptu quædam Magistratui autoritas major adscribebatur, quam illi tributam vellent. Ab altera parte, quarundam civitatum Deputati Ecclesiasticis nimiam in illis autoritatem tribui causabantur. Itaque vim Legis nunquam habuerunt. Ecclesiastici interim, si quæ de quibusdam dogmatibus oriebantur controversiæ, omnia pro potestatis suæ amplitudine decidere, sententiâ suâ damnatos exautorari, & à Magistratu pœnis civilibus coërceri cupiebant, quin & à publicâ ecclesiâ dissidentes nullo modo tanquam cives tolerari; ita ut ipsi soli in negotiis ecclesiasticis essent judices, Magistratus verò judiciorum ecclesiasticorum executores. Recruduit hæc contentio, quando de revisione Confessionis & Catechismi, & de convocatione Synodi, ad decidendas de prædestinatione divinâ exortas controversias disceptari cœptum est. Ecclesiastici considerationes, si qui aliquas haberent, sibi exhiberi voluerunt, & Synodum conscribi, in qua ipsi de considerationibus istis, & de omnibus exortis controversiis peremptoriam pronuntiarent sententiam: idque animis adeo calidis urgebant, tantaque affectuum vehementiâ, ut manifestè proderent, se omnes decisioni suæ promptâ obedientiâ colla non submittentes, exauctorare ministeriisque suis exuere velle. Ordines verò, ut communes omnium civium parentes, communisque non tantum civilis, sed & conscientiarum libertatis patroni ac vindices, considerationes in Confessionem & Catechesin, non Ecclesiasticis aut Synodis provincialibus, sed sibi exhiberi mandarunt: & quia animis adeò exulceratis & disputationum æstu flagrantibus, ac nil nisi dissentientium condemnationem spirantibus, nullum Synodi exitum nisi Ecclesiæ & Reipub. perniciosum præsagiebant, tempestivum non crediderunt Synodum convocare, sed ejus convocationem aliquantisper differre, donec animis sedatioribus majore cum fructu Synodus convenire, & controversiæ in ecclesia enatæ placidè & amicè expendi possent. Inde ecclesiastici magis magisque indignari, Magistratum jura Ecclesiæ violare, neque potestatis quam à Christo immediatè acceperunt, exercitium liberum ipsis permittere: Magistratus ab altera parte causabatur, ecclesiasticos ea quæ Magistratus sunt sibi arrogare velle, Magistratuique præscribere, quod post audita ecclesiasticorum judicia, pro suâ autoritate ipse Magistratus definire potest. Cum hæc ultro citroque agitarentur, Joannes Uitenbogardus in conventum Ordinum vocatus, in oratione prolixâ, quâ coram Ordinibus se & Jacobum Arminium contra varias aliorum criminationes defendit, sententiam suam de ratione controversias enatas sopiendi, fusius explanans, inter alia dixit, suo judicio contentiones has oriri ex conflictu duarum potestatum collateralium; itaque ut contentiones sopiantur collateralitatem (duarum nimirum potestatum, Civilis & Ecclesiasticæ) debere abrogari. Id dictum ecclesiastici ægerrimè tulerunt. Gomarus edito libello acerrimè in Uitenbogardum invehitur, tanquam adulatorem aulicum, contenditque Reformatis non nisi per calumniam objici hanc collateralitatem, eamque locum habere in Ecclesiâ Pontificiâ, & signum esse Antichristi. Huic Gomari libello Uitenbogardus mense Februario anni CIϽ IϽCX. eruditum & accuratum opposuit tractatum, *de autoritate Christiani Magistratus in rebus ecclesiasticis*, in quo controversiam, quam Gomarus admodum intricatè proposuerat, dilucidè & perspicuè explanat, docetque Pontificios non collateralitatem duarum potesta-

tum

tum urgere, sed, ut ita dicam, superioritatem; quod nempe potestas ecclesiastica superior sit potestate civili, civilemque potestatem ecclesiasticæ esse subjectam: Gomarum verò, eosque qui cum ipso sentiunt introducere duas potestates sibi collaterales, quarum una ab alterâ nullo modo dependeat, quæ singulæ negotia sua potestate supremâ decidant: Quod quoniam cum pace Reipubl. consistere nequeat, omnique bono ordini adversum est, Uitenbogardus inde infert, etiam in rebus Ecclesiasticis Magistratui Christiano summam sub Jesu Christo Domino nostro competere autoritatem: & quidem speciatim in hisce: Ut in ditione suâ instituat cultum veræ religionis: templa erigat in quibus cultus ille exerceatur, omniaque, quæ ad ordinem in templis cultumque debitè conservandum ac propagandum necessaria sunt, dirigat: Ministros ad cultum illum prædicandum constituat, utque in religione exactè instruantur, ut ita idonei illius sint præcones, procuret: leges ferat de loco, tempore, aliisque circumstantiis cultus, omniaque quæ externum Ecclesiæ regimen & ἐυταξίαν respiciunt dirigat, & pro autoritate impediat, ne cultus divini exercitium ullo modo turbetur: Ministros delinquentes pro delicti gravitate puniat: officio suo prorsus non fungentes, aut atrociora crimina committentes, exauctoret, aliosque idoneos officiique sui magis observantes in illorum locum substituat: & si quæ sunt his similia, quibus externum Ecclesiæ regimen constat. Tractatus hic ab omnibus, quibus dominationis ecclesiasticæ jugum jam à multis annis suspectum fuit, quique per consistoria novam tyrannidem, Papali non multùm dissimilem, prout princeps Auriacus Philippo Marnixio objecit, quæri præsagiebant, pronis animis exceptus fuit. Adrianus Saravia, antehac Professor Theologiæ in Academiâ Lugduno-Batavâ, tunc in Anglia degens, continere se non potuit, quin epistolâ prolixiore Uitenbogardo illius tractatus editionem gratuletur, cujus hoc est initium. *Tuus ad meas manus de summi imperii in rebus ecclesiasticis autoritate tractatus pervenit: unde tantam percepi lætitiam, quantum tristitiæ de altercationibus Leydanis. Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem & animum dedit, quod publico scripto à tam pernicioso errore vestros homines deterrere ausus es.* Joannes Meursius, tot editis voluminibus nomen immortale inter eruditos consecutus, id de eo judicium tulit: *Distinctè, ordinatè, addo etiam ornatè, qui genius tuus est, omnia ponis, examinas, & dispungis; ut negem aliquid fieri in eo genere posse perfectius. Ubique ostendunt se judicium exactum valde, & multiplex lectio, rerumque cognitio. Affirmo omninò, æstimabit te posteritas vel ab uno hoc scripto, quod dignum transfundi in plures linguas.* Ne jam alios commemorem. Ecclesiastici verò certatim contra eum insurrexerunt, non aliter quam si toti ordini ecclesiastico bellum indixisset, & jura Ecclesiæ Magistratui prodidisset: Quin & quidam contumeliosis eum traducere satyris veriti non sunt. Et quotquot contra ipsum scripserunt, statum controversiæ mutarunt, aut involutè & intricatè constituerunt; cum tamen, uti Episcopius in epistolâ ad Corvinum bene observat, Uitenbogardus *statum controversiæ in apice constituisset, secus quam Gomarus fecisse creditur, & quidem sine ullo cujusquam opprobrio dulci verborum rivo fluentem currentemque intra ripas humanitatis & prudentiæ.* Præcipuus inter eos, qui calamum contra hunc Uitenbogardi tractatum strinxerunt, fuit Antonius Walæus, qui mense Novembri anni CIƆ IƆCXV. fermè integro sexennio post editum Uitenbogardi tractatum, majus volumen illi opposuit. Illi statim respondere cœpit Uitenbogardus; verum tot occupationibus, quibus in contentionum Ecclesiasticarum æstu tantum non obrutus fuit, aliquandiu responsum suum seponere coactus fuit: posteà anno CIƆ IƆCXVIII. munere suo exauctoratus, in exilium missus, unde non nisi post octennium clam in patriam reversus, & in amicorum domibus latens, variisque pro Ecclesiis Remonstrantium laboribus oppressus, illud non perfecit: tandem circa vitæ finem aliquid Voetio opposuit, illique scripto quicquid contra Walæum jam exaraverat inseruit: quod demum post illius obitum lucem conspexit. In posthumo hoc opere conqueritur Uitenbogardus controversiæ statum à Walæo planè perverti; cum enim controversia solummodò sit de externo Ecclesiæ regimine, Walæus longè aliam format, *utrum institutio & directio Religionis, sine provocatione, in supremâ definitione, supremo Magistratui demandata sit; ita ut, sicut in papatu homines mittuntur ad fidem Ecclesiæ, nunc apud nos respiciendum sit ad voluntatem & mandata Magistratuum, ut conscientiis coram Deo satisfiat.* Cum ex hoc Walæi scripto, aliisque Uitenbogardo oppositis, liqueret, controversiæ statum non sincerè proponi, & multum intricar, Episcopius editâ anno CIƆ IƆCXVIII. disputatione de jure Magistratus circa sacra, omnes illas ambiguitates & obscuritates sustulit, adhibitâ distinctione inter templa publica & privata. Quanquam enim

Epist. à Belgis vel ad Belgas Cent. II. Ep. LI.

Epist. Eccles. & Theol. 181.

Ep. 146.

Epist. Eccles. & Theol. Ep. CXXXVI.

enim Uitenbogardus toto suo tractatu non nisi de templis publicis locutus fuerat, idque clarè ex libri lectione appareret; tamen quia verba illius in alienum sensum detorquebantur, ut detorsionibus illis occurratur opus fuit claram & apertam inter templa publica & privata distinctionem adhibere. Ita nempe statuunt Remonstrantes: templa publica esse Magistratus, ac proinde posse Magistratum statuere, quid in Ecclesiis publicis doceri velit. Non quod autoritatem habeat articulos fidei decidendi, eorumque fidem Ministris & membris Ecclesiarum præscribendi; sed tantum quid in publicis templis doceri velit; illis autem nullius conscientia, nisi quatenus de eorum veritate ex verbo divino est persuasa, alligata est: sed qui Ecclesiæ publicæ Minister aut membrum esse cupit, illi, quæ ibidem sub Magistratus autoritate prædicatur, doctrinæ adstipulari debet; & in illis templis omnia quæ ad ἐυταξίαν Ecclesiæ spectant Magistratus autoritati subjecta sunt. Si qui religioni in publicis templis à Magistratu receptæ acquiescere nequeunt, liberum illis esse debet religionis suæ in templis aut ædibus privatis exercitium, neque subditis privatum illud religionis suæ exercitium Magistratus impedire, aut ad suæ religionis, quam falsam credunt, professionem invitos cogere potest, quin subditorum conscientiis vim inferat, & jura Dei invadat. Hæc fuit & etiamnum est perpetua & constans Remonstrantium de autoritate Magistratus in rebus ecclesiasticis sententia. Unde liquet vana esse, quæcunque Voetius *Polit. Eccles. part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 11. *cap.* 11. *p.* 125. *& seqq.* de Remonstrantium in hoc capite inconstantiâ dicit, imo meram calumniam; uti ex omnibus Remonstrantium libris, etiam (quod quis miretur) illis ipsis ad quos lectorem suum remittit Voetius, sole meridiano clarius liquet. Contraremonstrantes verò judicium de negotio fidei Ecclesiæ, hoc est, Ministris vindicant: Magistratui autem gladium tribuunt, ut eum pro ministris contra omnes dissentientes stringat: non enim, juxta ipsos, Magistratus, sed Ecclesiæ sunt partes de hæresi judicare: Magistratus autem, hæreticos ab Ecclesiâ judicatos punire. Similiter penes Ecclesiam esse dicunt, omne regimen ecclesiasticum; & quæcunque Remonstrantes Magistratui tribuunt, illi Ministris & Consistoriis vindicant. Quod verò templa privata attinet, de iis ita sentiunt Remonstrantes: quia Magistratus religionum à suâ diversarum nullam curam habet, sed illarum administrationem ipsis illis Ecclesiis permittit, aut aliquando eas persequitur, Ecclesiæ est sibi deligere, quibus directionem omnium, quæ ipsius ἐυταξίαν spectant committat. In hac sententia Remonstrantes semper constantes fuerunt, neque unquam deprehendentur variasse. Quæcunque Voetius illis objicit, planè præter rem sunt, neque Ministros Remonstrantes, sed Magistratus Politicos spectant. Controversia quippe tum erat, penes quos summa regiminis Politici in singulis fœderati Belgii provinciis potestas esset: de qua videri potest Hugonis Grotii Apologeticus. Remonstrantes autem semper contenderunt, penes summum Magistratum, quicunque tandem is esset, supremam circa externum Ecclesiæ regimen potestatem esse. Sed Voetius cum suis hoc in articulo maximè fuere inconstantes, & sese tempori accommodarunt. Quod malo ipsius Adriani Saraviæ in epist. ad Uitenbogardum verbis quam meis probare: *Judicii improbitatem istorum hominum specta. Oppressi tyrannide Papæ Romani ad Magistratus civilis, qualis qualis erat, autoritatem & defensionem provocavimus, & audiri in causâ mere ecclesiasticâ postulavimus, & tunc nihil non potestatis civili Magistratui tribuebamus, quisquis ille esset. Hujus rei testis est epistola ad Hispaniarum Regem, & Ordines Belgicarum provinciarum quæ olim præfixa fuit Confessioni fidei Ecclesiarum, & tecum reputa, cujus religionis illi fuerint, quantum tamen illis tribuerimus in fidei negotio.* Illisque porrò objicit, quod *suæ aristocratiæ tribuunt illam autoritatem in rebus ecclesiasticis, quam Papa tribuit suæ Monarchiæ.* Hæc secum conciliari minimè possunt, & magnam horum hominum inconstantiam arguunt.

Epist. Eccles. & Theol. Ep. 181.

Interea ecclesiastici autoritatem quam hactenus exercuerant urgere non destiterunt, ut omnes cum Arminio idem de prædestinatione sentientes Ecclesiis expellerent, & ulterius nulli ad ministerium ecclesiasticum admitterentur. In variis classibus, etiam contra mandata Ordinum, decreta ejusmodi condebantur. In Alcmarianâ, ut singuli subscriptione manus suæ testarentur, *Confessionem & Catechismum Heidelbergensem in omnibus convenire cum verbo Dei & fundamento salutis, promitterentque se eandem doctrinam conservaturos, & quicquid illi repugnat rejecturos, illique pro viribus sese oppositoros.* Quatuor Ministri, qui se Confessioni subscribere paratos ostendebant, sed Catechismo subscriptionem hanc recusarunt, tanquam rem novam, ac decreto Ordinum de horum scriptorum revisione contrariam, in functione muneris sui suspendebantur. Inde multæ contentiones ortæ, etiam

etiam in Ecclesiâ Alcmarianâ. Eandem subscriptionem decrevit Classis Burana: *Quodque novitatibus Arminii ejusque sequacium nunquam addicti fuerint, neque futuri sint: & si forte aliqua illis dubitatio orietur, quod eam promerent, & soli Classi aperirent; & si Classis eam illis eximere nequiret, statim à ministerio suspensi essent, donec exortæ controversiæ decisæ essent.* Verum id decretum filia Principis Auriaci Wilhelmi, Maria, Comes Buræ & Hohenlo, tanquam jugum conscientiis imponens, delevit. Simile decretum in Zelandiâ Veræ à cœtu variorum Ministrorum conditum fuit. Itaque aliquot Ministri, sententiam Arminii sequentes, libellum supplicem, titulo Remonstrantiæ, à qua postea Remonstrantes sunt appellati, Ordinibus Hollandiæ obtulerunt, in qua conqueruntur de duris Ecclesiasticorum processibus contra eos, qui sententiam de absolutâ prædestinatione admittere gravantur; sententiamque suam, quam veram ac verbo Dei consentaneam credunt, quinque articulis comprehendunt: quorum hæc est summa. I. Quod Deus ante jacta mundi fundamenta decreverit credentes in Christum, & in fide perseverantes, servare; incredulos verò ac contumaces damnare. II. Quod Jesus Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus sit, & remissionem peccatorum impetraverit; ita tamen ut nemo reipsâ illius remissionis particeps fiat præter credentes. III. Hominem salvificam fidem non habere à se, neque ex liberi sui arbitrii viribus: sed necesse esse, ut à Deo in Christo per Spiritum Sanctum regeneretur. IV. Hanc Dei gratiam esse principium, progressum & complementum omnis boni: Cæterum quod ad modum operationis ejus gratiæ attinet, illum non esse irresistibilem. V. Fideles auxilio gratiæ Spiritus Sancti abundè instructos esse viribus quibus in fide possint perseverare: Utrum vero rursus possint deficere, esse prius accuratius ex Sacrâ Scripturâ inquirendum, antequam illud cum πληροφορίᾳ animi sui alios docere possint. Petunt porrò, ut Ordines procurent, ut ipsi in legitima Synodo sub Ordinum autoritate congregandâ, audiantur, ut dogmata controversa in illa expendantur. Si id fieri nequeat, ut alteri alteros tolerent, ac tandem, ut contra omnes Ecclesiasticorum censuras, quas ob hanc Remonstrantiam quidam forte in ipsos stringere vellent, autoritate Magistratus protegantur. Declarant tandem, se hanc Remonstrantiam offerre, non ut separationem faciant, aut lites foveant; sed solummodò, ut se contra aliorum criminationes defendant, & ut paratos se ostendant ad alios melius instruendum, aut aliorum meliorem instructionem admittendum. Si neutrum obtinere, nec bonâ conscientiâ publicis suis Ministeriis ulterius fungi, queant, paratos se ostendunt ad mandatum Ordinum publicis se ministeriis abdicare, & aliâ ratione Ecclesiis suis suæque conscientiæ satisfacere. Hanc Remonstrantiam alii ægerrimè tulerunt, palamque Remonstrantes traduxerunt, quòd repudiato legitimo tribunali, sc. ecclesiastico, ad alienum, nempe politicum, confugerunt: Ordines Hollandiæ lectâ Remonstrantiâ decernunt, ut Classibus mandetur pacem colere, &, donec aliter statutum sit, neminem, sive jam ministerio fungentem, sive in posterum ad ministerium admittendum, ulterius esse inquirendum, aut gravandum, in articulo de prædestinatione illique annexis, quam in Remonstrantiâ esset expressum. Repugnarunt huic Ordinum decreto Classis Leidensis & Woerdana: ad eas aliquot ex Ordinibus fuere deputati, ut autoritate Ordinum Classes cohibeant, ne quid decreto illi contrarium moliantur. In Classe Woerdanâ Swanius, qui cum Remonstrantibus sentiebat, examinatur; & Deputatorum autoritate Classis inhibetur, quò minus ipsi imponat subscriptionem Confessionis & Catecheseos. Aliqui in Classe Roterodamensi Simonis Episcopii, quem cum Arminio sentire sciebant, vocationi ad ministerium Ecclesiæ Bleisvicensis omni conatu sese opposuere: Sed cum numero inferiores essent, quinque ex Classe discedunt, examini Episcopii interesse recusant, & postmodum missâ epistolâ protestationes interponunt.

Intereà successor Arminio à Curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ vocatur Conradus Vorstius. Huic vocationi passim se opposuere Ministri, qui in prædestinatione contra Arminium sentiebant, prætextum arripientes ex libro ipsius de Deo & attributis divinis: implorarunt etiam autoritatem Regis Angliæ, qui & per Legatum suum, & literis ad Ordines datis, vocationem Vorstii impedire conatus est. Passim plurimi undique in ipsum insurgunt: mittuntur ex Anglia articuli ex ipsius libro de Deo excerpti. Varias ille edit apologias, in quibus dicta sua explicat; quædam etiam detorqueri ostendit. Sed non satisfacit. Post aliquot concertationes orationem habet apologeticam in Consessu Ordinum Hollandiæ. Tantum autem effecit adversantium potentia, ut nunquam actualem professionis functionem obtinuerit.

Durante hac de Vorstii vocatione lite Or-

Ordines Hollandiæ evocarunt Hagam Comitis utriusque partis sex Ministros, ut coram ipsis Collationem de articulis controversis instituant. Collocutores ab unâ parte erant Ruardus Acronius, Petrus Plancius, Joannes Becius, Libertus Fraxinus, Joannes Bogardus, Festus Hommius. Ab alterâ, Joannes Uitenbogardus, Adrianus Borrius, Eduardus Poppius, Nicolaus Grevinkhovius, Joannes Arnoldus Corvinus, Simon Episcopius. Antequam Collatio inchoaretur sex priores Ordinibus obtulere Contraremonstrantiam, oppositam Remonstrantiæ, unde & Contraremonstrantes dicti: in hac ipsi suam sententiam aliquot articulis declarant, quorum hac est summa. „ I. Deum ex humano genere corrupto in Adamo liberare certum quendam hominum numerum, quem in æterno suo & immutabili consilio ex merâ misericordiâ secundùm voluntatis suæ beneplacitum elegit, quos per Christum salvaret, reliquis justo suo consilio præteritis, & in peccatis suis relictis. II. Pro electis Dei etiam habendos filios fœderis, quantisper reipsâ contrarium non declarant. III. Deum in hac suâ electione non respexisse ad fidem aut conversionem suorum electorum, tanquam ad causas electionis; sed statuisse iis, quos ex beneplacito voluntatis suæ elegit, dare fidem & perseverantiam in pietate, atque hoc modo eos salvare. IV. Deum Filium suum Jesum Christum in mortem tradidisse ad salvandos suos illos electos; adeo ut licet mors Christi sufficiens sit ad satisfactionem pro peccatis omnium hominum, in solis tamen electis vim suam habeat ad reconciliationem. V. Deum non tantum externè per prædicationem Euangelii, sed & internè tam efficaciter operari in cordibus suorum electorum, ut non tantum possint sese convertere & credere, sed etiam, ut reipsâ ac sponte suâ convertantur & credant. VI. Verè fideles & regenitos, licet per imbecillitatem carnis in gravia peccata incidant, tamen eâdem Spiritus Sancti virtute quâ regenerati sunt ita sustentari ac conservari, ut fidem nec totaliter nec finaliter amittere possint. In eâdem Contraremonstrantia negant Remonstrantes in sua sententia tolerari posse tanquam Ecclesiæ Reformatæ Ministros, eosque censuris ecclesiasticis debere esse subjectos contendunt.

Mox Collatio inchoata est: & tam vivâ voce quam scripto omnes quinque articuli prolixè ventilati sunt: & utriusque partis scripta posteà in lucem emissa, titulo *Collationis Hagiensis*, cujus crebra in scriptis adversariis & in ipsa posteà Synodo Dordracena est mentio.

Finitâ Collatione Ordines decrevere, nihil in hisce articulis in alteram partem definire, Ministros utriusque partis monere, ut se mutuò tolerent, alter alterum amicè compellet, omnia ad pacem dirigant, & de controversis articulis moderatè ac sobriè loquantur, prout maximè paci Ecclesiæ & ædificationi inservire possit. Contraremonstrantes urgebant Synodum, quæ quæstiones decideret: Remonstrantes mutuam tolerantiam. Ordines decernunt; sicut nunquam probaverant Remonstrantium sententiam cuiquam præscribi; ita nec quenquam ultra illorum sententiam gravandum; & mutuam esse colendam tolerantiam. Ordines Trajectini sanciunt leges ecclesiasticas, in iisque mutuam tolerantiam stabiliunt. Eas leges Ordinum jussu concepit J. Uitenbogardus. Non diu post habitam Collationem Hagiensem Gomarus professionem suam resignavit Academiæ Curatoribus, & in ejus locum vocatus est Joannes Polyander. Testimonium Gomaro perhibitum est à Curatoribus, perinde atque Arminio defuncto; nisi quod, cum in Arminii testimonio legeretur, *nam de controversiis non judicamus*, idem in Gomari verbis paululum immutatis expressum sit: *controversias enim aliis relinquimus.* Anno sequente CIƆ IƆCXII. quoniam Vorstius ad professionis functionem non admittebatur, Polyandro Collega datus est Simon Episcopius.

Quoniam in Collatione Hagiensi nihil ad pacis promotionem effici potuit, quorumdam hortatu visum fuit, ut minore numero aliquot tam ex Remonstrantibus quam Contraremonstrantibus Delfos convenirent. Itaque mense Februario anni CIƆ IƆCXIII. illuc convenerunt à parte Contraremonstrantium Joannes Bogardus, Joannes Becius, & Festus Hommius: à parte Remonstrantium, Joannes Uitenbogardus, Adrianus Borrius, Nicolaus Grevinkhovius. Primò res per colloquium tentata est: sed tandem scriptis actum. Priores scriptum exhibuerunt Contraremonstrantes, in quo declarant, pacem Ecclesiæ constare non posse, nisi declarent Remonstrantes ad unum omnes suam sententiam de variis religionis capitibus: videlicet, de Satisfactione Christi, de Justificatione hominis peccatoris coram Deo, de fide salvifica, de peccato originis, de certitudine salutis, de perfectione hominis in hac vita; quæ certis thesibus & antithesibus comprehensa tradebant: quia ajebant, suspicionem esse, imò

imò luculentis teſtimoniis probari poſſe, Remonſtrantium aliquos de hiſce capitibus malè ſentire; aut cum malè ſentientibus familiaritatem colere. Non tamen declararunt, ſi Remonſtrantes hiſce capitibus ſubſcriberent, eos in ſua ſententia de prædeſtinatione tolerandos eſſe; ſed ſe deliberaturos, quid porro fieri poſſet circa illorum tolerantiam. Reſponderunt Remonſtrantes, poſtulatum illud iniquum eſſe: Si Contraremonſtrantes aliquos ea negantes noſſent, cum iis ſeparatim agerent: Remonſtrantes huc conveniſſe, ut de articulis Remonſtrantiâ comprehenſis agerent: Si tamen Contraremonſtrantes declarare velint, quinque articulos eſſe tolerabiles, ſe cum omnibus Remonſtrantibus acturos, ut etiam de hiſce ſententiam ſuam ingenuè aperiant: Sin verò quinque articulos non tolerabiles judicent, fruſtraneum eſſe de hiſce declarationem ſententiæ edere: per eam enim nihil ad pacem obtinendam promoveri poſſe. Verum hæc oblatio rejecta fuit. Itaque dixerunt Remonſtrantes, ſe hæc cum omnibus Remonſtrantibus communicaturos. Contraremonſtrantes viciſſim ſe cum ſuis conſilturos, an tolerantia, quam exigebant Remonſtrantes, certâ aliquâ formulâ limitari poſſet: illimitatam enim tolerantiam in quinque capitibus concedendam nefas putabant. Illi Remonſtrantes incuſabant, quod alios errores animo foveant, & autores ſint diſſenſionis, quam ingenuâ declaratione componere poſſent. Remonſtrantes verò oſtendebant, ſe nullo modo autores eſſe diſſenſionis, quia, licet ſe declararent, nihil illâ declaratione ad pacem promoturi eſſent; quia Contraremonſtrantes quinque articulos nihilominus minimè tolerandos cenſebant: Quare credebant illos hoc fraudulenter excogitaſſe, ut vel Remonſtrantes à ſe invicem divellerent, ſi hic ſubſcriberet, alter recuſaret: vel ſi omnes recuſarent, eos in ſuſpicionem adducerent, tanquam malè de his capitibus ſentientes: & nihilominus eſſe graves non ſubſcribendi cauſas, quia in negotio fidei non per formam inquiſitionis, ſed accuſationis & probationis ſit procedendum; &, uti dictum, nihil illâ ſubſcriptione ad pacem promoturi eſſent.

Controverſiis ita gliſcentibus Ordines Hollandiæ id operam dabant, ut pax in Eccleſia conſervaretur; Contraremonſtrantes, ut ſchiſma fieret. Hunc in finem petebant Synodum, in qua penes ſe ac ſuos judicium eſſet de doctrina. Ordines credebant, animos non ſatis eſſe ſedatos ad habendam Synodum: itaque decreverunt mutuam tolerantiam, ut interea animi mitigarentur, & donec Synodus habeatur alter alterum fraternè toleraret. Initio anni CIↃ IↃCXIV. Ordines Hollandiæ decretum condidere pro pace Eccleſiarum, in quo extrema quædam utrique ſententiæ objecta, ſed ab earum patronis non agnita, in Eccleſiâ doceri vetant; & tolerantiam ſuper articulis controverſis ſanciunt. Decreto huic Remonſtrantes libenter paruerunt: verum Contraremonſtrantes acriter illi ſeſe oppoſuerunt: inde nova de mutua tolerantia controverſia enata fuit. Verum ea illo tempore ulterius non extendebatur, niſi ad quinque controverſos de prædeſtinatione articulos. Non gravatè Contraremonſtrantes pacem ſervari poſſe inter duas de prædeſtinatione diverſas ſententias agnoſcebant, quarum una (uti in ſua Contraremonſtrantia loquuntur) ſtatuit Deum in æterno concilio ſuo hominem conſideraſſe ut nondum creatum, altera vero Deum concipit ex lapſo genere humano quoſdam ad ſalutem elegiſſe præteritis reliquis; quia utræque in fundamento conſentiunt; nimirum, eſſe certum quendam numerum electorum filiorum Dei, qui perire non poſſunt: Deinde, Deum in hac electione non reſpexiſſe ad fidem, aut ullum bonum quod in electis magis ſit, quam in iis quos ipſe præterit, priuſquam illud in iis ipſe operetur, idque hac ratione, ut de ſuo nihil eò conferant, ſed ut fides & pietas fructus ſint electionis. Qui verò ſtatuunt Deum in æterno ſuæ electionis decreto hominem conſideraſſe, non ut creatum & lapſum, ſed ut credentem, aliud conſtituere ajunt fundamentum electionis, & per conſequens etiam ſalutis. Remonſtrantes verò pro mutua diſſentientium in articulo prædeſtinationis tolerantiâ pugnarunt. Non diu poſt editum hoc Ordinum decretum prodiit libellus ſine nomine autoris, reſponſionem continens ad tres quæſtiones, quibus decretum hoc impugnatur, ac tanquam Eccleſiæ Reformatæ ſententiam damnans traducitur. Decreti defenſionem ſuſcepit Uitenbogardus, edito contra tres illas quæſtiones erudítiſſimo libro. Illi Triglandius craſſum tractatum oppoſuit, cui titulum fecit, *Defenſio honoris & Doctrinæ Reformatarum Eccleſiarum.* Idem Triglandius non multò ante tolerantiam mutuam directè oppugnavit, edito libro, cui titulus, *Rectè moderatus Chriſtianus.* Ab alterâ parte Jacobus Taurinus Paſtor Ultrajectinus edito doctiſſimo tractatu mutuam tolerantiam pluribus argumentis propugnavit. Ita Remonſtrantibus pro tolerantiâ, Contraremonſtrantibus verò contra tolerantiam acriter di-

micantibus, nullus tam salutaris edicti Ordinum fructus percipi potuit. Contraremonstrantes enim non contenti scriptis tolerantiam oppugnare, quà clàm quà palàm secessionem à Remonstrantibus moliebantur. In schisma maximè propendebant Amstelodamenses. Ordines è suo cœtu Deputatos mittunt Amstelodamum, anno CIↃ IↃCXVI. quos inter fuit Hugo Grotius, qui prolixâ habitâ coram Senatu Amstelodamensi oratione, quæ in operibus ejus exstat, tom. III. pag. 177. multis rationibus Magistratui, ut unà cum aliis civitatibus consilia pacis ac tolerantiæ amplecterentur, persuadere conatus fuit. Verum frustrà. Omnia jam ad schisma inclinabant. Mense Januario anni CIↃ IↃCXVII. Amstelodamum convenerunt aliquot Ministri Contraremonstrantes cum Senioribus, qui præside Plancio, Ministro Amstelodamensi, schisma decreverunt, in quo declarant se Remonstrantes *agnoscere pro iis, cum quibus licitum sibi minimè sit conventus ullos habere, & quos pro membris cœtuum suorum non habent; verum se finaliter ab iis separare, donec à doctrinâ suâ desistant*: petuntque à *symmystis, eandem secum doctrinam & ordinem servantibus, ut eandem sibi esse mentem subscriptione manuum suarum testentur, ut istâ ratione concordibus & Christianis studiis in bono opere se mutuo devincientes Ecclesiam Dei fideliter regant*, &c. Mense Martio ejusdem anni literis fiduciariis aliquos instruxerunt, qui eos in Classibus, *qui gravati fuere decreto secessionis inter Remonstrantes & Contraremonstrantes subscribere, ad intermissam illam subscriptionem permoveant*, & simul apud eosdem procurent, *ut pecuniæ colligantur in usum dolentium Ecclesiarum*. Simile decretum factum Hagæ Comitis mense Julio; in cujus pressiore explicatione declarant, *se Remonstrantes & Remonstrantium sententiæ addictos habere pro falsis doctoribus, & tantummodò Synodum Nationalem exspectare, cujus nunc magna spes affulgere videtur, ut in eâ facta à Remonstrantibus secessio legitimè & præeunte ecclesiastico judicio executioni mandetur: promittentes etiam, si Synodus Nationalis primo non procedat tempore, se una cum aliis fratribus, qui jam secessionem fecere (quam ipsi indicant gravissimis & sufficientibus de causis factam) deliberaturos de idoneâ ratione & modo universalem & unanimem secessionem formandi*. Quæ omnia decreta, & aliud præterea Schiedamense anni CIↃ IↃCXVIII. exstant integra in vol 2. Operum Episcopii, in Antidoto Synodi Dordracenæ cap. 1.

Nec intra mera decreta spiritus ille schismaticus stetit, sed variis in locis Contraremonstrantes schisma fecere. Habebant in Ecclesiis publicis suos pastores, perinde atque Remonstrantes: verum quibusdam in locis cum Collegis suis Remonstrantibus communionem colere recusabant, quorum præcipui fuerunt Alcmariæ Cornelius Hillenius, Trajecti Cornelius Dunganus, & Roterodami Cornelius Geselius, qui cum possent publicis in Ecclesiis sententiam suam docere, privatos cœtus, ne cum Remonstrantibus ullam haberent communionem, erexerunt extra ecclesias publicas, imò extra civitates, ad quos ex variis pagis & civitatibus plures confluxerunt, ut cœtus separatos erigerent. Tales segreges cœtus habiti fuerunt in agro Schielandico: & licet illo in territorio etiam fuerint pastores sententiæ Contraremonstrantium addicti, eamque in publicis ecclesiis, sed absque schismate, profiterentur, quos audire poterant, iis neglectis segreges adibant cœtus: paucissimi autem inter illos erant, qui in agro Schielandico larem habebant; & ad hos quidam ortu Flandri à Lugduno, alii à Schiedamo, alii ab Amstelodamo confluebant, quibus, cum domi possent audire pastores secum sentientes, cur illuc procurrerent nihil erat causæ, nisi ut schisma facerent: qui inter Ministros ferocioris erant ingenii, schismatis se duces præbuerunt, & in privatis illis cœtibus docuerunt. Hi cœtus separati decreto Schielandico prohibiti fuere. Similis scopus fuit decreti Trajectini, non ut Contraremonstrantibus liberum religionis exercitium, sed schisma & seditio impediretur: quod omnibus, quibus molimina eorum, qui tunc cœtus illos extra urbem cum Dungano erigebant, ignota non erant, manifestum fuit.

Jam omnia ad schisma & Remonstrantium condemnationem dirigebantur, & ad Synodum Nationalem præparabantur. Ordines Hollandiæ maluerant viam concordiæ tentari per Synodum Hollandicam, ad quam & vicinarum Provinciarum Deputati invitarentur: verum alii urgebant Synodum Nationalem. Interim & contentiones quædam politicæ ortæ sunt inter Ordines & Principem Mauritium: ac ipse Princeps, quorundam impulsu decreta Ordinum pro mutuâ dissentientium tolerantiâ improbare cœpit, desertisque templis publicis adjungere se illis qui secesserant. Etiam Proceribus Hollandiæ ignaris præcepta dedit ordinariis militibus, ne se moverent in negotiis, quæ ex controversiis illis orirentur. Proceres autem sentiebant, suis decretis obsequium à milite, cui ipsi stipendia solvebant, de-

beri,

beri, & tutelam oppidorum rectoribus, locisque publicis, adversus vim quamcunque & seditionem. Quare nonnulli oppidorum Magistratus, ubi aut nulla, aut suspecta ipsis præsidia erant, ex decreto Ordinum Hollandiæ oppidi sui custodias auxere atque ordinavere. Fecerunt idem in suâ ditione Ordines Trajectini; & tam hi, quam illi, professi sunt, habituros se hunc militem suis impendiis extra communia rei bellicæ onera. Quanquam eo jure & antehac sæpius usi fuerant, nihil contradicentibus Proceribus Fœderatis, aut Præfecto, qui idem & ordinariorum militum est Magister; id tamen suæ præjudicare autoritati contendebat Princeps Mauritius. Itaque Nationes nonnullæ, Principis autoritate suffultæ, Synodum Nationalem Fœderatorum nomine indicunt. Opponunt se isti molimini Hollandi ac Trajectini, negantque licere Fœderatis ex majoris partis sententiâ, sese intercedentibus, in iis rebus quicquam constituere. Pergunt illi Synodum indicere, vocatis etiam aliarum gentium Theologis; nec aliis tamen, quam quos constaret illius esse sententiæ cui victoria destinabatur. Interim Princeps Mauritius cum nonnullis ex conventu Ordinum Generalium Trajecti, invitis illius Nationis primoribus, militiam exarmat: ibidemque & per omnes Hollandiæ civitates pulsis Magistratibus alios in illorum locum surrogat: adeo ut nova Reipublicæ facies subitò apparuerit. Jam consenserant Hollandiæ Proceres in convocationem Synodi Nationalis. Provinciales itaque Synodos, per omnes Provincias, convocari prius placuit, ut omnia ad Nationalem Synodum celebrandam præparentur. In illis autem omnia ita componebantur & dirigebantur contra Remonstrantes, ut jam ex eo tempore satis prospicerent, quis Nationalis Synodi exitus futurus esset. Ut pluribus suffragiis in Synodis Provincialibus prævalerent Contraremonstrantes, omnes Classes, in quibus numero inferiores erant, in duas dirimebantur, & unaquæque Deputatos ad Synodum mittebat: eas verò Classes, in quibus numero prævalebant, dividi non patiebantur. Hoc modo evitari non potuit, quin Contraremonstrantes in omnibus Synodis suffragiis essent superiores. Lites quoque movebantur de literis fidei, quibus instructi erant Remonstrantes; aliquot eorum ob causas quæsitas à Synodis excludebantur; atque hac ratione Contraremonstrantes, quales volebant, Deputatos ad Synodum Nationalem mittebant. Tandem & quosdam constituerunt, qui non paucos Remonstrantium Ministros, haud exspectato Synodi Nationalis judicio, variis sub prætextibus exautorarunt. Cum in Provinciâ Trajectinâ quinque solummodò essent Ministri Contraremonstrantes, illis quinque singularis Synodus concessa est, eaque à Remonstrantium Synodo secreta, ut ad Synodum Nationalem duo Contraremonstrantes ex illâ Provinciâ mitti quoque possent; è quibus unus tamen Hollandus fuit, illuc ad tempus missus, ut Ecclesiis illis inserviret. Remonstrantium Synodus duos etiam ad Nationalem misit Deputatos: at illi, cum Remonstrantium res tractanda fuit, Synodo exclusi fuere. Coram hac Synodo Remonstrantes aliquot citati fuere; ut tanquam rei coram illo judice causam dicerent, judicisque illius sententiam exspectarent; inter quos etiam erat Simon Episcopius Ordinum Hollandiæ literis ad Synodum conscriptus, verum à Synodo non admissus. Hic statim Remonstrantes contra Synodum illam exceperunt, tanquam partem adversam, & in propriâ causâ judicem: & cum nihil proficerent, solenni protestatione declararunt, *se Synodum non habere pro legitimo controversiarum suarum judice; ideoque judicium ejus nullum apud se & ecclesias suas habiturum pondus.* Cum huic protestationi non renuntiarent, Synodo ejecti fuerunt: ac post varias habitas deliberationes à Synodo condemnati tanquam convicti & rei corruptæ religionis, schismatis in Ecclesia, intolerandæ adversus decreta Magistratuum in Synodo promulgata, & contra ipsam reverendam Synodum pertinaciæ; omnibusque ecclesiasticis ministeriis exautorantur: & quicunque solenni manus suæ subscriptione silentium promittere gravabantur, quod imposterum ab omnibus ecclesiasticis ministeriis & officiis, vel eo quod ab iis pendere posset, abstenturi sint, tam clam quam palam, directè vel indirectè, tam intra quam extra urbes, pagos, &c. in exilium missi sunt. Tum & Edicto Ordinum Generalium omnes religiosi Remonstrantium conventus severè vetiti sunt, variæque pœnæ ac mulctæ adversus edicti hujus transgressores constitutæ. Permisere nihilominus unumquemque propriâ in domo, absque aliorum, qui extra eam degerent, conventu, pro sua familia vel legendo, cantando, vel monendo, liberum Religionis exercere cultum: censentes eos hoc modo libertate conscientiæ, huc usque hisce in regionibus defensâ, fruituros. Mense Februario anni sequentis, novo edicto hoc non tantum confirmatum est, sed & perpetui carceris pœna in Ministros & ministerii candidatos, quos vulgo Proponentes vocant, decreta, &

& proditoribus præmia constituta, quingenti floreni iis qui Ministrum, trecenti qui ministerii candidatum delatione suâ in carcerem compingi procurarent.

Inde jam novæ ortæ controversiæ: Primo: An Remonstrantes bonâ cum conscientiâ possint separatos habere cœtus? Contendebant quippe Contraremonstrantes, quoniam Remonstrantes obtulerant mutuam tolerantiam, semperque contenderant dissensum non esse de articulis ad salutem creditu necessariis, illicitum esse cœtus separatos erigere. Remonstrantes verò contendebant, non posse se bonâ conscientiâ professionem ac defensionem veritatis, licet non præcisè ad salutem necessariæ, maximi tamen ad promotionem pietatis momenti, deserere: obtulisse se mutuam tolerantiam, quæ requirit, ut utriusque sententiæ patronis liberum sit suam asserere ac defendere; aut ut limites utrimque constituantur, intra quos, evitatis utrimque extremis, omnis controversia coërceatur; sic liberam omnibus permitti veritatis inquisitionem: Nunc autem longè alium esse controversiæ statum, suam enim sententiam, veram, ac magni ad pietatis promotionem momenti, condemnatam tanquam errorem intolerabilem: contrariam verò, quam persuasi sunt esse erroneam, & si genius illius attendatur, rotam comparatam ad omne studium pietatis exstinguendum, definitam ut necessariam veritatem: Omittere ergo cœtus religiosos, seque veritatis condemnatoribus aggregare, esse veritatis proditionem, & erroris patrocinium: posse errorem tolerari in errantibus; sed de veritate persuasis non licere patrocinium suscipere erroris; aut silentio ac communione cum veritatis condemnatoribus, speciem præbere approbatæ falsitatis. Ideoque licet Remonstrantes, qui antea cum Contraremonstrantibus in eadem templa ad cœtus sacros convenire soliti erant, nunc segressi agant cœtus, non propterea reos agi posse schismatis ob controversiam de Prædestinatione in Ecclesiam Reformatam invecti; quia non sponte discesserunt, nec salvo bonæ conscientiæ studio in Ecclesiæ publicæ communione continuare potuerunt: sed illius culpam imputandam Contraremonstrantibus, qui Remonstrantes à se expulerunt. Non enim qui templa publica possidet, sed qui divortii est causa, reus est schismatis. Non qui dissentientem tolerare paratus est, sed qui eum à se expellit, schisma facit. Et tantò injustius hoc schisma est, quia innititur decisioni dogmatis, quod hactenus in Ecclesia indecisum fuit, quodque nulla ante Dordracenam Synodus definire ausa est: Quare & judicium illud temerarium haberi debet, vel ipso Balcanquallo, Synodi illius membro, judice in Epistola ad Legatum Regis Angliæ; *Nimis mihi durum videtur, quemque, qui singulis canonibus non vult subscribere, munere suo moveri. Nunquam vetus Ecclesia, nunquam ulla Reformata adeo multos articulos servandos proposuit, sub pœnâ excommunicationis.* Cui adde, quod sit dogma illi ecclesiæ illiusque patronis peculiare, quo ab omnium aliarum Ecclesiarum sententiâ diversi abeunt, nullamque secum consentientem habent: quod ultrò agnoscit & urget Abrahamus Heidanus, in *Judicio de doctrinâ Remonstrantium*, quod examini & refutationi Catechismi Remonstrantium annexum voluit, p. 414. *Præcipuè Remonstrantes hoc præ aliis habent, quod eorum divortium ab Ecclesiâ fundatum est in tali doctrinæ capite de divinâ prædestinatione & libero arbitrio, &c. quod nostræ Ecclesiæ sola hodie in toto Christianismo adversus omnes alias Ecclesias asserunt, adeo ut nulla alia Ecclesia in ejus partem veniat; ita quidem, ut, si per nos non esset, causa Dei (sic vocamus cum Bradwardino doctrinam gratiæ) universaliter suo patrocinio destituta, & à nullâ Ecclesiâ defensa foret.*

Epist. Eccles. & Theol. Ep. 350.

Altera fuit quæstio, de libertate conscientiarum, quam Contraremonstrantes urgebant Remonstrantibus concedi, etiamsi in cœtus religiosos convenire ipsis interdictum esset; modò non inquiratur, quid quisque privatim sentiat, neque impediantur domi cum propriâ familiâ religionis quam veram credunt exercere cultum. Remonstrantes agnoscebant quidem, aliquam hic esse libertatis conscientiarum speciem; verum ut plena sit conscientiæ libertas majus quid requiri. Conscientiam enim homines ad duo obligare: primò, ne quid faciant quod illicitum, aut profiteantur quod falsum credunt: secundò, ne quid omittant, quod factu necessarium credunt. Itaque conscientiis vim inferri, non tantum quando homines constringuntur ea facere quæ illicita, aut profiteri quæ falsa credunt; sed & quando impediuntur ea facere aut profiteri, quæ necessaria ac vera judicant. Itaque cum hæc omnium Christianorum sit obligatio, ut conveniant in cœtus, Deumque juxta conscientiæ suæ, verbo divino illustratæ, dictamen colant; omninò per cœtuum ejusmodi religiosorum interdicta, & mulctas in cœtus illos convenientibus constitutas, conscientiis vim inferri. Docebantque Remonstrantes, idem contendisse Reformatos, cum oppressi essent tyrannide Ecclesiæ Romanæ, ac sub jugo Hispa-

næ dominationis gemerent: non suffecisse ipsis, liberam sibi permitti in ædibus privatis fidei suæ ac religionis exercendæ facultatem: sed sibi etiam in cœtus conveniendi, ac fidem suam publicè profitendi facultatem exigebant. Hanc libertatem conscientiarum egregiè vindicavit Uitenbogardus erudito tractatu, cui titulum fecit; *Liberum ac cordatum examen variorum edictorum intra biennium in Fœderato Belgio adversus Remonstrantes publicorum.* Cum Magistratus variis in civitatibus post annos aliquot elapsos Remonstrantium cœtus per conniventiam tolerare viderentur, Ministri Contraremonstrantes singulis fermè Comitiis Ordines Hollandiæ oblatis libellis supplicibus flagitabant, ut edicta adversus Remonstrantes extremo cum rigore executioni mandarentur, ac propterea à variis malè audiebant, & à Remonstrantibus editis libellis redarguebantur. Henricus Arnoldi van der Linden, Minister Delfensis tractatum satis prolixum edidit, *de conscientiarum coactione*, quo probare contendit, nullam conscientiis Remonstrantium vim fieri, etiamsi cœtus illorum religiosi prohibeantur, & per vim impediantur. Verum illi eruditum tractatum opposuit Uitenbogardus, quo conscientiarum libertatem propugnat, ostenditque, non tantum vim conscientiæ alicujus inferri, cum illi imperatur metu grandis cujusdam mali, ut vel credere se simulet, vel agat, quod sine crimine ille nec agendum sibi, nec credendum, nec simulandum quasi crederet, putat: Sed &, cum illi similium malorum periculo imperatur, ne, quod ille sibi profitendum, aut agendum, ex officio necessarium arbitratur, profiteatur, aut agat. Esse quidem, pro ratione gravioris aut minoris mali, comminationis distinctos gradus, omnes tamen conscientiarum esse tortores, & à gradibus minoribus ad altiores, à mulctis ad carceres, à carceribus ad pœnas corporales, ab his ad gladios ac rogos, atque ita ad summum gradum coactionis facillimum esse progressum.

Huic & tertia connexa fuit controversia, de hæreticidio. Jam statim post supplicium Serveti Calvinus peculiari edito libello contendit hæreticos gladio à Magistratu esse coërcendos. Illi oppositus fuit dialogus inter Vaticanum & Calvinum, perperam Castellioni tributus; verisimilius est, eum à Lælio Socino scriptum. Castellio verò de eâdem materiâ alium edidit, sub ficto nomine Martini Bellii. Huic tractatum satis prolixum opposuit Theodorus Beza, in quo totam hanc materiam fusius tractavit: & cum anteà Calvinus in suo libro nusquam hæretici definitionem dedisset; Beza distinctius quid hæreticus sit explicare conatur. Exinde plures in Ecclesiâ Reformatâ Doctores in scriptis suis sententiam eandem defenderunt; & suppliciis Valentini Gentilis Bernæ in Helvetiâ, & Joannis Sylvani Heidelbergæ securi percussorum comprobatam voluerunt. In Belgio Joannes Cuchlinus Collegii Theologici in Academiâ Leidensi Regens, eandem in Disputationibus suis publicè defendit. Joannes Bogermannus, qui postea fuit Synodi Dordracenæ Præses, cum Collegâ suo Geldorpio, tractatum Bezæ, de hæreticis gladio Magistratus coërcendis, in linguam Belgicam transtulit; & prolixâ Dedicatione Magistratui urbis Sneccæ commendavit. Remonstrantium aliqui ut se à sanguinariâ illâ doctrinâ abhorrere ostenderent, novam dialogi inter Vaticanum & Calvinum, quem à Castellione conscriptum credebant, procurarunt editionem. Bernardus Dwinglo, Pastor Leidensis, tractatu quem suppresso nomine edidit, titulo, *Conspicilli Christallini*, sententiam hanc sanguinariam aliquot argumentis refutavit. Illi aliquis ex Contraremonstrantibus opposuit librum anonymum, titulo *Polysteen*, quo designatur lapis quo vitra poliuntur: & deinde illius apologiam, titulo, *Euphrasia*: utroque hæreticidium acriter propugnat. Eodem circiter tempore etiam Medioburgi in Zelandiâ, quidam qui sub literis H. J. latere voluit, edito exiguo tractatu, cui titulus, *Velitationes quorundam leviter armatorum militum*, &c. candem sententiam tuetur: ut jam alios prætercam. Remonstrantes ab altera parte ab illâ sævitiâ se alienos passim ostenderunt. Inter alios Episcopius in prælectionibus suis Theologicis in Academiâ Leidensi publicè sententiam illam sanguinariam prolixè consutavit. Videantur illius Commentarii in *Apoc.* 11. 2, 3. *tom.* 1 1. *pag.* 442. *col.* 1. & præsertim in 1. *Joan.* 11. 9. 10, 11. *ibid. pag.* 245. *& seqq.* Tandem Remonstrantes citati, quia sciebant præsidem Bogermannum edito tractatu Bezæ, à se & Geldorpio, in linguam Belgicam verso, hæreticidii esse patronum, in eximio illo scripto, quo ad acrem illam invectivam, quâ eos Præses è Synodo dimisit, respondent, circa finem ita sententiam suam declarant: *Eradicanda ex Ecclesiis sanguinaria illa quorundam de occidendis hæreticis (quales facillimè præsumuntur esse adversarii quilibet) sententia, non solum ad innocentium sæpe Christianorum carnificinam, sed patriæ hujus nostræ, quæ libertate conscientiarum potissimum hactenus flo-*

floruit, *perniciem comparata*. *Ista ut seriò expendatur*, *nostro & Ecclesiarum nostrarum nomine petimus ac flagitamus.* Tantum verò abest, ut Synodus sanguinariam illam quorundam sententiam rejecerit, aut condemnarit; ut ne levissimo quidem indicio eam sibi non probari ostenderit; sed non levia indicia dederit, se ab eâ minimè abhorrere: quoniam in fine sententiæ suæ de Remonstrantibus Illustrissimos & Præpotentes Fœderati Belgii Ordines *obnixè & demissè rogat*, *ut arceant suborientes omnes hæreses & errores*, *spiritus inquietos & turbulentos* (qui ipsis sunt quotquot ipsorum decretis ultrò se non submittunt) *compescant*: & secuta illa horrenda adversus Remonstrantes persecutio luculentius probatum dedit. Remonstrantes non tantum in privatis scriptis crudelem hanc sententiam impugnarunt, sed communi nomine Confessione editâ, quam ab eâ alieni sint toti mundo testatum voluerunt: *Cap.* XXIV. *de disciplinâ Ecclesiasticâ*, §. 9. quod *qui hæreticidio*, *aut simili tyrannidi*, *aut persecutioni ob conscientiam*, *ullo modo patrocinantur*, *tum à mitissimo Christi spiritu prorsus sunt alieni*, *tum ineptis ac præposteris armis adversus hæreses pugnant*, *adeoque gravissimo peccato se coram Deo obstringunt.* Professores Leidenses in *Synopsi purioris Theologiæ*, & in *Censurâ Confessionis Remonstrantium*, videri voluerunt ab hæreticidio alieni, interim illud fortiter defendunt: Negant quemquam suorum hæreticidium *simpliciter asseruisse*, *ob nudam ac simplicem hæresin.* Voetius *Disp. Theol. Tom.* III. *parte octavâ de errore & hæresi pag.* 804. clarius hæc exprimit, distinguendo inter *hæreticum simplicem*, & *qualificatum.* Verum ut se ab hæreticidio alienos ostendant, officii ipsorum erat, declarare quis sit hæreticus simplex: cum enim juxta ipsorum definitiones, hæreticus non sit errans simplex, sed qualificatus; omninò necesse erat, definitionem dare hæretici simplicis, ut sicut errans simplex ab hæretico, ita & hæreticus simplex ab hæretico qualificato, dignosci posset: quod cum nusquam faciunt, meritò concludit Episcopius in Apologia pro Confessione Remonstrantium, hæreticos ejusmodi simplices in rerum naturâ non esse; & Professores sub voce hæretici pro arbitrio ludere, & nunc hos, nunc illos, eo nomine censere; ut, sive pro hæreticidio stent, sive contra, callidè in utramque partem sese possint vertere. Exinde & plures inter Contraremonstrantes simili modo hæreticidium defenderunt; neque hactenus quisquam ex illis prodiit, qui apertè hæreticidium improbavit; tantum abest, ut id communi Ecclesiæ Contraremonstrantium nomine factum sit.

Quoniam autem controversia hæc plenè decidi non potest, nisi determinetur, quousque unicuique liberum suæ religionis exercitium concedi debeat, Remonstrantes illam libertatem per æquissimam, & nulli ambiguitati obnoxiam naturæ regulam, quicquid vultis ut vobis faciant homines, idem facite illis, determinarunt in Confessionis suæ apologia fol. 277. *Libertas conscientiarum eò usque est extendenda*, *quo eam unusquisque sibi concedi amat.* Voetius, ut materiam habeat Remonstrantes traducendi, pro more suo hæc eorum verba plane præter & contra ipsorum mentem detorquet, quod Remonstrantes velint, unicuique qui sibi libertatem conscientiæ petit, eam concedendam tantam, quantam ille sibi eam concedi petit. *Polit. Eccles. lib.* IV. *tract.* I. *cap.* I. *p.* 355. & 356. Cum ex totâ orationis serie manifestum sit, Remonstrantes longè aliud dicere; nimirum, libertatem, quam quisque sibi petit, regulam esse debere libertatis quam alteri concedere tenetur; ac proinde illam eò usque esse extendendam, quo eam unusquisque, à quo nimirum alter concessionem libertatis petit, eam sibi, si in alterius statu foret, concedi cuperet. Qui sensus manifestè exprimitur *fol.* 274. *verso. Non erit finis nisi libertatis & licentiæ fines rectè designentur*, *non ex arbitrio partis dominantis*, *aut ejus cujus interest quomodo distinguantur*, *sed ex naturâ rei ipsius*; *quæ tum optimè intelligitur*, *cum is qui dominatur se ponit loco ejus qui opprimitur.* Quid clarius? Vide & Episcopium in *vero Theologo Remonstrante cap.* VI. *Oper. Theol. tom.* II. *pag.* 525. *b. col* 2. *Alterutrum necessarium est*: *Vel Pontificiorum vestigiis insistendum*, *& papatus in alios occupandus*, *ac nemini*, *præter eos quibus nobis placuerit*, *libertas concedenda est*: *Vel unicuique Christiano eadem permittenda libertas*, *quam nobis omnibus ac singulis dari & concedi cupimus.*

Remonstrantes à Contraremonstrantibus condemnati, & Ecclesiis publicis ejecti, cum gravibus premerentur calumniis, quod multas hæreses foveant, quas profiteri erubescant, atque ideo Confessionem fidei suæ edere non audeant, Confessionem ediderunt, additâ prolixâ præfatione, de vero usu ac scopo Confessionum, earumque autoritate; quod non sint regulæ fidei, præscribentes quid quisque credere debeat; sed solummodò declarationes sententiæ illorum, qui Confessionem edunt; quam proinde semper ad verbum Dei explorare oporteat, quæque neminem ulterius obstringant, quam qua-

quatenus eas cum verbo Dei convenire judicat. Hac occasione renovata fuit controversia de autoritate Confessionum. Contraremonstrantes urgebant illas esse normas non primarias, sed secundarias, & non propriè normas fidei, sed consensus. Remonstrantes ajebant, normas secundarias esse superfluas, ubi est norma primaria, Sacra videlicet Scriptura, omnia ad salutem necessaria plenè ac perspicuè continens; quod omnes Reformati contra Pontificios uno ore profitentur: Et normam consensus vere esse normam veritatis, quia consensus urgeri non debet, nisi in veritate.

Ante habitam Synodum Dordracenam Remonstrantes disquisitionem de mutuâ dissentientium tolerantiâ ulterius non extenderunt, nisi ad controversiam de prædestinatione. Licet enim ipse Arminius, pro eo quo flagrabat pacis ecclesiasticæ amore, jam tolerantiæ universalioris fundamentum agnovisset, nimirum, *discrimen esse faciendum inter fundamentalia & non fundamentalia, ut de illis certi esse possemus, de his liberè prophetare;* easque Arminii cogitationes, *sanctas* deprædicasset Isaacus Casaubonus: quin & jam olim ad Uitenbogardum scripserit: *Pessimum hoc videtur in religionis controversiis, quod nulla non cum salutis dispendio & jacturâ gloriæ divinæ conjuncta videatur. Moneo ego meos discipulos, ut non tantum inter verum & falsum discant secundum Scripturas discernere; sed etiam inter articulorum necessitatem majorem minoremque ex iisdem Scripturis.* Et aliâ in Epistolâ: *de altis illis mysteriis* (sc. SS. Trinitate) *non tantum cum Scripturâ sentiendum, sed &, quantum fieri potest, loquendum.* Tamen quia temporum illorum conditio non requirebat exactiorem tolerantiæ inquisitionem, quam quatenus illa ad præveniendum schisma ob controversias jam enatas necessarium foret, intra solam illam disquisitionem sese continuerunt. At jam à Contraremonstrantibus ejecti, accuratius investigare cœperunt, quibus tolerantia Christiana nitatur fundamentis; ut sic distinctè determinari possit, quò usque, & ad quos ea extendenda sit.

Epist. Eccles. & Theol. Ep. 144 p. 251

Ep. 80 p. 149.

Ep. 44. p. 89.

Quoniam ab omnibus Reformatis Sacra Scriptura agnoscitur unica ac perfecta fidei vitæque Christianæ regula, omnia ad salutem scitu, creditu, speratu ac factu necessaria, plenè ac perspicuè continens, illi principio, ut indubitatè vero, porrò hanc superstruxerunt doctrinam; de dogmatis cujusque credendi necessitate ex solà Scripturâ esse judicandum, vocibus ac phrasibus Scripturæ, quando de necessariò credendis agitur, arctè inhærendum, neque quemquam esse alligandum vocibus aut phrasibus ab hominibus excogitatis. Hoc constituto fundamento facilè quousque tolerantia Christiana extendi, & intra quos cancellos limitari debeat, determinari poterit. Cum enim Deus summus & unicus sit legislator, qui servare potest & perdere, nostrum non est, quemquam damnare, quem Deus in verbo suo æterno exitio non addixit; neque è communione nostra arcere, quem Deus cœlo non excludit. Cum ergò omnia necessaria creditu speratu ac factu in Scriptura exstent, non tantum perspicuè, sed & additâ necessitatis nota, quod quicunque ea crediderit aut fecerit salvabitur; qui non crediderit aut fecerit condemnabitur: hinc evidenter elicitur, quod quicunque ea credit, & quantum humana infirmitas permittit auxilio gratiæ divinæ fecerit, salvabitur: quicunque horum unum non credit, nec facit, in eoque præfractè perseverat, juxta verbi divini sententiam condemnabitur. Quicunque ergò juxta Scripturæ regulam salvabuntur, in communionem nostram sunt admittendi, & pro fratribus in Christo agnoscendi: quicunque juxta Scripturæ regulam sunt damnandi, soli illi fraternitate nostrâ excludendi sunt, neque Christiana cum iis communio colenda est. Ex hisce principiis porrò deducimus, quænam speciatim pro necessariis habenda sint, & quæ in necessariorum numero censeri non debeant. Ab hoc fundamento si recedatur, nulla certa regula constitui potest, ad quam dogmatis alicujus necessitas exigi possit. Necessaria ergò ad salutem creditu non sunt, quæ in Scriptura, aut planè non, aut non perspicuè, aut non cum additâ necessitatis notâ exstant. Sed cum & præceptorum divinorum observatio necessaria sit, etiam ea creditu necessaria sunt, sine quorum fide nec præceptis Dei obedire, nec promissis confidere, nec comminationes metuere homo potest. Necessaria itaque non sunt, quæ arctam adeò atque necessariam cum præceptorum divinorum observatione connexionem non habent: qualia sunt omnia, quæ in sola speculatione terminantur: quæ credita aliquem quidem usum ad pietatis praxin habent; sed tamen quibus ignoratis aut negatis, pietas tamen salva esse potest: ac tandem quæ si proprius eorum genius attendatur, suâ naturâ quidem ad eversionem pietatis tendunt; attamen ab iis, qui errore isto tenentur, hic eorum doctrinæ genius non animadvertitur, sed errore quodam mentis ea ad pietatem incitare creditur: atquoniam magis ad clara Dei præcepta, quam ad doctrinæ suæ genium respiciunt,

per

per eam ad impietatem non abripiuntur. Hac doctrinâ viam sterni credimus ad universalem totius Ecclesiæ Reformatæ unionem, ut abolitis omnibus temerariis condemnationibus & anathematismis, exstinctis odiis & inimicitiis, diversum licet in aliis sentientes, conveniamus in fundamentis salutis; & sicut cum Scripturâ sentimus, ita etiam cum eâdem loquamur.

Non possum autem, quin hic paucis moneam, hanc nostram rotundam ac ingenuam confessionem ab aliis, qui se Christianæ unionis inimicos declarant, iniquissimè esse traductam, & verba nostra in sensum planè contrarium & à mente nostrâ alienum detorta. Scripsit Curcellæus in præfatione Operum Episcopii: *Summa huc redit: Cum Christiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter se consentiant, eum qui superest in aliis minoris momenti dissensum impedire non debere, quò minus in unum Ecclesiæ corpus coëant, & se ut fratres mutuâ in Christo charitate prosequantur: Si modò, qui ista magni æstimant, cæteros diversum sentientes ad ea suscipienda non cogant. Hæc enim est tyrannis in Ecclesiâ non ferenda: cujus qui rei sunt, fundamentum evertere, & fraternitatis vinculum abrumpere censendi sunt. Quod etiam de idololatris dictum volo.* Quibus postremis verbis evidens est, Curcellæum idololatras, utpote fundamentum evertentes, ac proinde fraternitatis vinculum abrumpentes, à communione excludere: Ea tamen Hoornbekius in *Summâ Controversiarum lib.* VIII *pag.* 580. contra Curcellæi mentem detorquet: *Quod de idololatris in unum cœtum secum agendis, optimè mentem ipsorum explicat, & qualis hinc ecclesia oritura sit, ostendit: videlicet haræ alicujus instar, vel quale lararium Adriani fuisse dicitur, ubi inter idola etiam Christus aliquis apparuit.* Et, licet ab Arnoldo Poelenburgio monitus, errorem tamen suum non emendavit, sed pertinaciter hæc verba contra Curcellæi mentem pervertere non destitit. Quod verò Hoornbekius se non intellexisse simulat, alii nobis minimè æqui satis distinctè mentem Curcelæi se percepisse demonstrant. Calovius in *Consideratione Arminianismi pag.* 25, 26. postquam hæc Hoornbekii verba, à me citata, repetiit, addit: *Sed docuit hoc specimine Hoornbeek, quâ sive diligentiâ sive fide utatur in adversariorum scriptis: siquidem notissimum sit, Arminianos non admittere idololatras in communionem, quos ipsi etiam Sociniani excludunt: neque de idololatris admittendis ibi agit Curcellæus, sed contrarium docet, eosdem reos peragens, quod fundamentum evertant, æquè uti illi qui tyrannidem in Ecclesiâ exercent.*

Imprimis verò criminati sunt, quod Remonstrantes, juxta solida illa tolerantiæ Christianæ ab ipsis jacta fundamenta, errantibus in arduo SS. Trinitatis dogmate anathema scribere gravarentur. Inde enata criminatio Socinianismi, quam & Professores Leidenses Censurâ suâ in Confessionem Remonstrantium confirmatam voluerunt. Verum ab illâ, licet sæpius repetitâ, se satis superque purgaverunt Remonstrantes: longè quippe aliud est, dogma aliquod non admittere; aliud, licet id non admittas, non tamen illud profitentes condemnare: aliud est, adstruere dogmatibus veritatem; aliud, dogmatis quod verum credimus, urgere necessitatem. Nulla est ecclesia, quin de quibusdam inter Doctores sit quædam sentiendi varietas, & licet quisque quod verum credit argumentis adstruere, & oppositum refutare conetur; non tamen illum dissensum tanti facit, ut propterea dissentientem condemnet, aut fraternitati renuntiet. Itaque orta fuit disputatio, non de veritate dogmatis de S. Trinitate: agnoscunt quippe Professores Leidenses Remonstrantes in hoc dogmate rectè sentire, *si modò quod verbis testantur ex animo sentiunt*: Atqui ex verbis homo judicari debet de suâ fide: aliàs nemo de ipsorum Professorum mente certus esse potest. De animo solius Dei καρδιογνώστου est judicare. Remonstrantes autem tam in Apologiâ Confessionis, quam responsione ad Specimen calumniarum à Professoribus editum, & nominatim Episcopius in *Instit. Theol. lib.* IV *sect.* II. *cap.* XXXIV. & XXXV. rationibus non contemnendis ostenderunt, cur hoc dogma inter absolutè ad salutem creditu necessaria censeri, ac in eo dissentientibus anathema scribere graventur. Si qui id se posse ac debere credant, & hunc illorum dissensum tolerare parati sunt, neque aliis legem tolerantiæ præscribere intendunt, sed, si possint, argumentis persuadere; quia unicuique Deo supremo omnium judici, sui judicii quod in alios stringit ratio reddenda est. Et si in negotio non usquequaque claro ac evidenti in alterutram partem forte excessus committatur, malumus in mitiorem inclinare partem, & bene sperare de salute eorum, quos inde excludi è Scripturâ clarè probari non potest; quam orco adjudicare, de quibus Scripturâ duce bene sperare nos posse judicamus. Placet nobis verè Christianum, & omnibus Principibus ac Theologis imitandum judicium, quod exstat in *Succinctâ Expositione Consensus Ecclesiæ Reformatæ Marchicæ cum aliis*

Spanhem. Elench. Controv. 215.

in

in Germaniâ & extra Germaniam Reformatis Eccleſiis: Indultu & approbatione Sereniſſimi Electoris Brandenburgici in lingua Germanicâ anno 1666. *prælo commiſſa*; & ex linguâ Germanica in Latinam tranſlata; & tanquam *Appendix quarta* ſubjecta *Criticæ Concionatoriæ Samuelis Strimeſii SS. Theol. Doct. & Prof. in Eccleſia & Univerſ. Francofurtenſi* anno 1700. pag. 42. *Nos perſuaſi ſumus, in illo judicii die benignius nobiſcum actum iri, ſi forte nimiâ potius charitate, lenitate, & benignitate, quam nimio rigore, odio & ſeveritate erga diſſentientes uſi fuerimus. Vel, prout alii iſthæc efferunt: Malumus in extremo judicio rationem reddere nimiæ erga diſſentientes lenitatis (ſi forte eâ uſi fuerimus) quam nimii rigoris; (beati enim ſunt pacifici.) His autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio, anguſtia, in omnem animam hominis operantis malum*: Matth. v. 9. Rom. II. 8. *Et Sapientia quæ supernè primum quidem caſta eſt, deinde pacifica, modeſta, (æqua) obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum, abſque diſceptatione, & minimè ſimulata.* Jac. III. 17.

Ut autem Contraremonſtrantes hanc ſuam de Socinianiſmo criminationem aliquo colore palliare, atque ſub ſpecioſo Socinianiſmi inter Remonſtrantes latentis, & ſeſe ſenſim prodentis prætextu, ſchiſma ſuum ac perſecutionem adverſus Remonſtrantes defendere poſſent, diſtinctionem excogitarunt, inter Remonſtrantes priores, ſeu quinquarticulanos, & poſteriores, ſeu Socinianos. Quidam hac bimembri diſtinctione non contenti quatuor Remonſtrantium claſſes confingunt; quæ tamen tandem in duas haſce terminantur. Sed vero fruſtra in hac diſtinctione aliquod ſibi præſidium quærunt. Omnibus enim notum eſt, ob ſolos quinque de prædeſtinatione articulos Remonſtrantes à Synodo Dordracena eſſe condemnatos; id quippe clamant Acta & Canones Dordraceni: ob illos ſolos miniſteriis ſuis ſunt privati, in exilium miſſi, eccleſiæque Remonſtrantium graviſſimâ illâ perſecutione integro decennio vaſtatæ: eam profitentibus fraternitatis communio per judicia Synodorum Provincialium denegata fuit, uti in antecedentibus oſtenſum eſt. Etiamſi itaque poſteriores Remonſtrantes Socinianiſmum adoptaſſent, inde nullum argumentum peti poteſt, ad excuſandum ſchiſma, ob ſolum de prædeſtinatione diſſenſum jam antea introductum, & atrocem quæ ſchiſmati connexa fuit perſecutionem.

Spanhem. Elench. Controv. 225.

Verum conquerimur nos criminationem hanc maximè eſſe injuſtam, minimeque tutum adverſariorum criminationi cæcam adhibere fidem; ac proinde non ex adverſariorum ſcriptis, ſed noſtris quid ſentiamus eſſe hauriendum. *Primò* enim multa apertè falſa, quæque nemo noſtrûm docuit, imo quorum contraria in ſcriptis noſtris adſtruuntur, nobis adſcribere non verentur. Adeo ut jure merito, de illis idem dicere poſſumus, quod Withakerus de Campiano ait, reſp. ad Rationem VIII. p. $\frac{111}{223}$. *Hic tuus mos eſt, ut quando non potes quæ dicimus reprehendere, ea dici à nobis fingas quæ facile reprehendi poſſunt. Secundo*: ſententiam noſtram plerumque odioſè proponunt, verbiſque quæ ordinariè in malam accipi norunt partem, non verò iis quibus nos utimur, exprimere ſolent; atque hac ratione eam ita detorquent, ut longè alia eſſe videatur; aut verbis noſtris alium quam reverâ habent, & lectori non malevolo repræſentant, affingunt ſenſum. Quod licet candori ac veritatis ſinceræ inquiſitioni minimè conſentaneum ſit, tamen in ipſis inexſpectatum nobis non eſt; cum & Balcanquallus in Epiſt. ad Legatum Regis Brittanniæ Carletonum XIII. Calend. Majas 1619. jam de Synodo Dordracenâ, cujus ipſe membrum fuit, aut ſaltem maximâ Synodi parte, conqueſtus fuerit, quod *tanto fervore ad opprimendos Remonſtrantes ferantur, ut omni operâ id agant, quò verbis ipſorum eam affingant ſententiam, quam iis ineſſe nullus Grammaticus opinabitur.* Et mox: quod aliquid ut nimis curioſum damnabant, *& tamen retineri volebant, ut Remonſtrantes odioſos redderent; quamvis verba ipſorum contrarium ejus, quod iis affingebant, præ ſe ferrent. Tertiò.* Non ipſam noſtram ſententiam exhibent, ſed illius loco conſequentias ſuas, tanquam genuinam noſtram ſententiam ſubſtituunt. Agnoſcimus ſententiam, quam falſam credimus, etiam legitimè oppugnari abſurdis, quæ neceſſaria aut valde veriſimili conſequentiâ inde eliciuntur: illa autem accuratè ab ipsâ ſententiâ diſtinguenda ſunt. Candidi itaque diſputatoris eſt ſententiam adverſarii nudè, & ipſis, quibus ille eam exprimere ſolet, terminis proponere; & tum oſtendere, quænam ex illâ ſequantur abſurda. Non autem abſurda illa, quæ ipſe non agnoſcit, illi tanquam genuinam ſuam ſententiam imputare. Quando illorum ſententia à nobis gravibus primitur abſurdis, ſemper reſpondent: has conſequentias ſibi tanquam genuinam ſententiam non debere imputari. Et rectè quidem: ſed nec nos id facimus, ſed tantum illas ex illorum ſententiâ fluere urgemus. Verum eàdem ergo nos

Epiſt. præſt. Vir. CCCXLIX. *p.* 567.

æquitate ipſos uti oporteret: ſed eum à nobis propterea reprehenduntur, reſpondere non verentur, conſequentias legitimè ex ſententia quadam deductas, pro ipsâ ſententiâ eſſe habendas. Atqui cogitare oporteret, ſibi in alios minime competere jus, quod aliis in ſe non concedunt. *Quarto*: Quæ per occaſionem dicta ſunt, cur nimirum hoc vel illo argumento non ſimus uſi, id tanquam controverſiam principalem exaggerant: & nos tanquam Socinianos criminantur, non quia dogma Socinianum credimus; ſed quia argumento aliquo, ad illius deſtructionem non ſumus uſi: Adeo ut ratio quam allegamus cur hoc argumento uſi non ſimus, ab ipſis convertatur in controverſiam principalem. Quæ peſſima mali animi ærugo eſt. *Quintò*. Quæ unus inter nos ſcripſit, & ſolus, illud toti Societati imputant. Imo quæ aliquis de ſpeciali quodam caſu, aut loci Scripturæ explicatione conſultus privatim reſpondit, ea toti noſtræ Societati tanquam commune dogma impingunt. Cum verò ipſis horrida quorundam doctorum dicta, aut opiniones paradoxæ objiciuntur, reſpondere ſolent, non hæc eſſe Eccleſiæ ſuæ placita: de Eccleſiæ dogmatibus ex Confeſſione ſuâ & ſcriptis communi totius Eccleſiæ nomine editis eſſe judicandum. Eâdem ergo & erga alios æquitate utantur. *Sexto*. Ut nos odioſos reddant, tanquam Sociniana traducunt quæ Socinus etiam cum aliis communia habet, imò cum quibuſdam patribus, quin & ipſo Auguſtino: Imò quicquid à ſuis placitis recedit, licet nihil cum Socino commune habeat, infami Socinianiſmi nomenclaturâ traducere ſolent; quia hoc convitio ignaræ plebi ſententiam maxime inviſam reddi ſciunt. Et jam eò uſque invaluit iſtud cacoëthes, ut jam ipſos ſuos fratres, in eâdem ſecum Eccleſiâ viventes, & pro illius (uti credunt) orthodoxiâ ſtrenuè pugnantes, infami Socinianiſmi maculâ, ob diſſenſum qui nullam ad dogmata Sociniana relationem habet, adſpergere non vereantur. Hoornbekius ob diſſenſum de rigidâ obſervatione Sabbathi, Heidano conſenſum cum Socino objicit. Et ob plura alia eundem multis Theologis, quos Carteſianos vocat, Socinianiſmum impingit Mareſius in libellis ſuis *de Abuſu Carteſianæ Philoſophiæ*, &, *De afflicto ſtatu ſtudii Theologici in Fœderato Belgio*. Quin & eò uſque inconſultus Remonſtrantes traducendi fervor proceſſit, ut tanquam Pelagianum traducere non ſint veriti, quod ex ipſorum formula Baptiſmi deſumtum fuit: quale egregium in Walæo ſpecimen proferunt Remonſtrantes in *præf. reſp. ad Speciem Calumn.*

Adeo ut Remonſtrantes meritò hanc calumniandi conſuetudinem contemnant; & non ſine gravi causâ olim ſcripſerint, *Remonſtrantes ſimul ac ſemel declarant, modum illum agendi, Hoc Socinianum eſt, Hoc Pelagianum eſt, non majoris apud eos eſſe pretii, quam putridum meſpilum. Talia ipſi derident, ac hujuſmodi agendi modum pro ludibrio habent.* Quæ ipſorum verba Profeſſores Leidenſes *præfat. in Specim. Calumn. & Heterodox. Opin. ex Apolog. Remonſtr.* pro more ſuo invidioſe ita detorquent. *Præcedentia itaque prioris ac melioris Chriſtianiſmi adverſus Socinianos judicia, non ſunt in majore apud ipſos pretio, quam putridum meſpilum*: Planè contra mentem Remonſtrantium; qui aliud nihil his verbis voluerunt, quam modum illum agendi, ut Socini ac Pelagii nominibus etiam veriſſima depretientur, à ſe contemni & improbari: quem etiam Reformati in ſcriptis ſuis contra Pontificios reſpuere ac damnare ſolent. Et meritò. Quia Reformati Pontificiis hæreſes olim damnatas ipſis objicientibus reſpondere ſolent, *quod falſitatis κριτήριον non ſunt nomina hæreticorum, nec orthodoxorum, veritatis: nec humana autoritas, quæcunque tandem ſit, ſufficit ad cujuſquam damnationem: Scripturis tantum pugnandum eſt & rationibus, quæ ſolæ in auditorio Chriſti conſtant.* Vide *Reſp. ad præf. Speciminis, p.* 8, 9, 12. Eò jam in patriâ noſtrâ res proceſſit, ut nihil fermè, qualecunque ſit quod alicui diſplicet, à quoquam proferatur, quin tanquam Socinianum proclametur. Quare non eſt, quod Remonſtrantes hanc accuſationem operoſè à ſe amoliri conentur; ſed bonæ conſcientiæ teſtimonio acquiſcentes, Deo cauſam ſuam probatam reddere cupiant. Hoc unum orant omnes veri ſtudioſos, ne accuſationibus adverſariorum, quæ paſſim in illorum ſcriptis reperiuntur, & maxime eorum, qui catalogos controverſiarum cum Remonſtrantibus contexuerunt, & ex unâ controverſiâ plures fabricati ſunt, ut tantò major articulorum controverſorum numerus appareat, & ſpecioſior Remonſtrantes condemnandi color prætexi poſſit, temere fidem adhibeant; ſed catalogos illos cum ſcriptis Remonſtrantium conferant; omnes illas ſententiæ noſtræ depravationes à me enumeratas, liquidò deprehendent. Poſſem ſingula variis allatis exemplis demonſtrare: verum id non patitur opuſculi hujus, quam mihi præſcripſi brevitas; & licet ea hic ad oculum demonſtrarem, tamen, ut quis de ſingulis ſine deceptionis periculo judicet, ipſa ſcripta ad quæ mihi provocandum foret, inſpicienda ſunt.

Etiam

Etiam alia de Remonstrantibus inter ipsos Contraremonstrantes enata est quæstio Doctrinam Remonstrantium in Ecclesiâ suâ non esse tolerandam judicavit Synodus Dordracena; itaque omnes Remonstrantes pastores, qui Synodi Canonibus subscribere recusabant exautorati sunt; & quicunque silentium promittere gravabantur in exilium missi. Sic Remonstrantium doctrina penitus è publicis Ecclesiis exclusa fuit. Sed alia incidit quæstio, de membris Ecclesiæ Remonstrantium, an admitti possint ad communionem Ecclesiæ Contraremonstrantium. Cum enim viderent Remonstrantes de doctrinæ suæ veritate persuasos, refugere communionem eorum, qui sententiam suo judicio veram condemnaverant, &, non obstantibus severis, quæ Edictis Ordinum Generalium continentur, pœnis, in cœtus sacros convenire, neque pœnarum metu ingenuam veritatis Professionem deserere: quidam inter Contraremonstrantes, inter quos etiam fuit Festus Hommius, censebant privatos Remonstrantes posse ad Ecclesiæ publicæ communionem admitti. Dissentiebant autem alii; quærebatur itaque, an Remonstrantes salvâ suâ sententiâ ad communionem admitti possent. Quidam urgebant, oportere ut prius sententiæ suæ renuntient, & doctrinam Synodi amplectantur: alii putabant eos admittendos, absque solenni sententiæ suæ renuntiatione, modo se dociles præbeant, suamque sententiam occultam habeant. Res hæc ventilata fuit in variis Synodis Provincialibus. Synodus Leidensis habita anno CIↃ IↃCXIX. artic. LXXVIII. decrevit, *illos ex membris Remonstrantium, qui ex simplicitate; errore aus infirmitate, doctrinam Reformatarum Ecclesiarum, in uno aut altero quinque controversorum articulorum nondum plenè possunt comprehendere, illive assentiri, neque doctrinam Remonstrantium in iisdem vapitibus plenè rejitere, ad ecclesiarum suarum communionem solummodò admittendos esse*: & quidem tub hac conditione; *ut se dociles præbeant, & instrui permittant, maneantque in bono quod jam receperunt, optentque porrò in veritate proficere; & porrò promitsant, se quietem seu silentium servaturos, operamque daturos, ut in verisatis cognitione magis magisque proficiant; & simul declarent se doctrinam Reformatæ Ecclesiæ habere pro verâ ac perfectâ doctrinâ salutis, sibique esse propositum ope gratiæ divinæ in eâ permanere.* Anno proximo CIↃ IↃCXX, in Synodo Goudanâ decretum est, eos ex Remonstrantibus, *qui tosi sunt in sententiâ Remonstrantium circa quinque controversos articulos, & se in illis velle persistere declarant, licet silentium promittant, nullo modo ad cœnæ communionem admittendos esse.* Anno CIↃ IↃCXXVII. Synodus Provincialis Doctraci mense Julio celebrata, declaravit, *Articulum* LXXVIII. *Synodi Leidensis nullo modo intelligendum esse de ejusmodi Remonstrantium membris, qui in omnibus quinque articulis sunt in sententiâ Remonstrantium: quod etiam illi, qui suam Remonstranticam sententiam in omnibus, sive in uno aut altero capite quinque controversorum articulorum, seriò ex verbo Dei defendere conantur, pro docilibur nullo modò sunt habendi, neque od Sacræ Cœnæ communionem admittendi.* Tandem quæstio hæc editis publicè libellis ventilata est. Rippertus Sixti decem adhibitis argumentis Remonstrantes ad sacræ Cœnæ communionem neutiquam admittendos esse, contendit. Quorum sextum ita sonat. *Si doctrina Remonstrantium quinque articulis comprehensa nunc in Ecclesiis nostris Reformatis tolerabilis habeatur; necessariò consequetur, sententias à judicibus delegatis de Barneveldii neco ac de reliquorum ipsius asseclarum incarceratione latas, palam iniquitatis & injustitiæ damnari: quia in peregrinæ hujus doctrinæ introducendæ & vehementer propagandæ studio, fundatæ suns.* &c. *Consequitur etiam eximiam illam Nationalem Synodum sine necessitate ac frustra tantis impensis, laboribus ac molestiis esse celebratam; Et consentiens ac pium Synodi illius judicium, quo quinque articulorum doctrina condemnatur, falsum esse & fundamento carere.* &c. Idem, edito libello, asserit Joannes Cloppenburgius, contenditque cum Remonstrantibus non posse tractari, ut cum Reformatâ Ecclesiâ uniantur; *tam à parte Reformatarum Ecclesiarum: quia sententia Remonstrantium in Synodo Nationali judicata est non tantum esse falsa, sed & intolerabilis, quam à parte Remonstrantium: quia prætendunt se habere rationes graves ac sufficientes, ob quas bonâ cum conscientiâ cum Reformatâ Ecclesiâ spiritualem communionem colere, & externum religionis cultum exercere sibi illicitum eredunt.* Antonius Walæus eodem circiter tempore in Academiâ Leidensi disputationem edidit; *de quatuor controversis Remonstrantium articulis vulgò notis, in quâ status controversiæ nudè proponitur, & Remonstrantes ad Ecclesiæ Belgicæ unitatem invitantur integrâ verstate*: quam, postquam controversiæ statum terminis odiosissimis, suo more, proposuit, tandem ita concludit. *Ergo si Remonstrantes ad Ecclesiæ Reformatæ societatem redire volunt, his suis erroribus renuntiare debent, atque cum ecclesiis nostris ingenuè & rotundè profiteri, se totum salutis gloriam soli gloriosæ gratiâ Dei in Christo*

Jesu servatore unico, non autem humano arbitrio attribuere, & si quæ dubia habent in formulis publicis Ecclesiæ, nempe, Catecheseos, Confessionis, & Canonum Dordracenæ Synodi, illorum interpretationem ab Ecclesiæ Reformatæ judicio, non suo, modestè accipere, &c. Episcopius edito hujus disputationis Examine, non ineleganter ait, quod Walæus invitat, non invitat, Remonstrantes non Remonstrantes, integrâ veritate non integrâ veritate, & læsa conscientiâ. Alii etiam illo tempore prodiere libelli, quibus Remonstrantes ut rei schismatis traducuntur, & porrò ad Ecclesiæ Contraremonstranticæ unitatem invitantur, sed non aliâ conditione, quam in decretis illis synodalibus præscriptâ, admittendi.

Multi tamen viri primarii ostendebant, se desiderare Ecclesiæ unionem restitui. Petiit Præses Curiæ Hollandiæ, ut Uitenbogardus suam de hoc negotio sententiam conscriberet. Uitenbogardus scriptâ epistolâ, quam cum Episcopio aliisque communicavit, quibus fundamentis tolerantia Christiana nitatur ostendit, & amicam de sopiendis controversiis collationem instituendam suasit. Hæc epistola Præsidi tradita fuit; sed nihil ulterius fuit tentatum. Contraremonstrantes, quia Remonstrantes docebant, suos bonâ conscientiâ non posse desertis cœtibus profitentium veritatem, de quâ se persuasos credunt, se adjungere veritatis condemnatoribus, ac periculosorum errorum patronis, eorumque professionem tanquam veritatis creditu necessariæ urgentibus, criminabantur Remonstrantes, quod cum omnibus aliis sectis parati essent fraternitatem colere; à suâ verò communione auditores suos averterent. Sed planè falsò. Eandem quam aliis communionem etiam Contraremonstrantibus, & sub eâdem conditione offerebant, nempe mutuæ tolerantiæ, paratosque se ostenderunt, omnia quæ ob ingenuam religionis suæ professionem passi essent, oblivisci: sed non posse se abnegatâ veritate contra conscientiæ dictamen errorem profiteri: ideoque nunquam à primâ suâ mutuæ tolerantiæ oblatione recesserunt: Verum illa continuò à Contraremonstrantibus rejecta fuit. Anno CIↃ IↃCXXX. in pleno conventu ministrorum Remonstrantium decretum fuit, quoniam viri quidam primarii ostendebant, gratum sibi fore ecclesias posse reuniri, mutuam quam hactenus obtulerunt, denuò offerre tolerantiam. Sed frustra fuerunt. Anno CIↃ IↃCLIII. Synedrium Ultrajectinum scriptum concinnavit, continens confessionem, à Remonstrantibus qui publicæ Ecclesiæ adjungi cuperent, edendam; quæ mollioribus, & nonnunquam ambiguis terminis sententiam Contraremonstrantium exprimebat. Remonstrantes denuè obtulere mutuam tolerantiam, *ut per deputatos ab utrâque parte congressus & amicum colloquium instituatur, ut tentetur quo pacto mutua tolerantia placidè, piè ac commodè introduci ac foveri possit, sive in unâ eâdemque, sive in diversis Ecclesiis, celebrantibus tamen unam sacram Cœnam, ad publicam declarationem unitatis in articulis ad salutem necessariis.* Sed Contraremonstrantes scriptum hoc, tanquam quod ab ipsis admitti nequeat, restituerunt, responderuntque, *rem esse judicatam, non tantum apud omnes Reformatos, sed & Lutheranos & Pontificios, nullam Christianam tolerantiam in Remonstrantium quinque articulis, & iis, quæ in illorum Confessione ac Catechismo continentur, observari posse.* Ad hæc omnia Remonstrantes paulò prolixiore scripto responderunt: sed hoc scriptum à Contraremonstrantibus fuit rejectum, atque ita hæc tractatio abrupta. Nec mirum; quoniam scriptis illo circiter tempore publicè editis, Remonstrantium quinque articulos fundamentum salutis evertere, fortiter quidam inter ipsos asseruerunt. Inter alios Petrus de Witte, Pastor Leidensis, in suis quæstionibus Catecheticis in quæstionem LIV. Catechismi Heidelbergensis: Operæ pretium est verba ipsius adscribere. Quæst. *Suntne quinque famosi articuli Remonstrantium fundamentales, vel, lædunt fundamentum salutis?* Resp. *Ut quæstio hæc rectè intelligatur, considerandum, quid sit fundamentum salutis. Hoc est, gratia Dei & Christus Filius Dei, tanquam noster Mediator & Redemtor. Dominus ipse hoc fundamentum gratiæ explicuit & proposuit in fœdere gratiæ. Vide Jerem.* XXXI. 33, 34. & XXXII. 38, 39, 40, 41. Erunt mihi in populum, & ego illis ero in Deum. Et dabo ipsis unum cor & unam viam, ut me timeant omnibus diebus. *&c. Quod fœdus morte Christi confirmatum est, uti Apostolus docet Hebr.* VIII 6, 7, 8, 9. *&c. Huic adversantur quinque articuli, utpote in quibus, quicquid Deus sibi, aut suæ gratiæ & operationi adscribit, ad rectum usum liberi arbitrii humani transscribitur, in quo tamen nihil est nisi corruptio. Fœdus gratiæ, cui fides & spes salutis innititur, loquitur de gratiosa electione & adoptione in filios*, Ego ipsis ero in Deum, & ipsi mihi erunt in populum. *Huic Dei declarationi oppositus est primus Remonstrantium articulus de conditionata electione, & electione fidelium, sive eorum qui in fide & obedientiâ fidei ad finem usque perseveraverint. Reconciliationi cum Deo & gratiosæ remissioni peccatorum*, Condonabo ini-

iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordabor amplius, *repugnat articulus secundus, qui applicationem impetratæ remissionis, hoc est, actualem peccatorum remissionem suspendit à conditione actus fidei. Porrò habes in fœdere efficacem gratiæ Dei operationem, per quam electi certò convertuntur.* Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam. *Huic adversatur tertius & quartus articulus, utpote qui eam suspendunt à resistentiâ & non resistentiâ humanæ voluntatis. Denique æternitatem & stabilitatem divinæ gratiæ & beneficiorum:* Et reverentiam meam indam animo ipsorum, ut non recedant a me. *Huic adversatur articulus quintus.* Quæst. *Nullamne ergo cum Remonstrantibus possumus habere unionem?* Resp. *Nullam, ob rationes jam allatas.* Huic concinit Cornelius Poudroyen, Minister Heusdanus, cujus Quæstiones Catecheticas & Responsiones Voetius in approbatione libro illi præfixâ 23. Julii CIↃ IↃCLIX. testatur *se exactè examinasse, & ubi necesse fuit, pro viribus, imo usque ad minutissimas voces & loquendi phrases, ita reformasse, ut in Domino confidat nihil in illis repertum iri, quod sanis Scripturæ verbis, & receptæ Ecclesiarum suarum doctrinæ repugnat.* Hic pag. 14. edit. tertiæ, postquam dixit religionem Reformatorum inter Christianos esse veram religionem, quærit, *Quales ergo sunt reliquorum religiones, Pontificiorum scilicet, Remonstrantium, Socinianorum, Mennonitarum, inter Christianos?* Resp. *Falsæ religiones & sectæ.* Quæst. *An non ergo per eas religiones possumus salvari?* Resp. *Non.* Et pag. 16 *Si quis vult esse salvus, an ergo is se separare debet à falsâ illâ religione in quâ est, & se conferre ad veram religionem Reformatorum?* Resp. *Ita, juxta id quod Dominus dicit Apoc.* XVIII. 4. *exite ex illâ populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Idem pag. 291. in quæstionem XXX. Catecheseos Heidelbergensis, quærit: *Possesne dicere Papistæ, Remonstranti, &c. tu abnegas Christum unicum Salvatorem?* Resp. *Possum.* Mox addit, ipsos *Christum abnegare, non quidem expressis verbis, & directè; sed indirectè & per consequentiam.* Et non multo post, pag. 293. quod *qui Christum abnegant salvari nequeunt.* Ac tandem, pag. 295. quod *in solâ fide Reformatorum & Protestantium, eorumque qui in fundamento cum eâ consentiunt, sit salus: Non tamen omnes alios orco se adscribere* ait; sed *hoc Deo committit, quem orat, ut oculos eorum aperiat, ipsos convertat, ipsisque det veram in Christum fidem, ut unà secum salvari possint; quemadmodum & certò confidit, Deum suo tempore oves suas efficaciter vocaturum, quas ab omni æternitate ad vitam æternam elegit.* Idem in Quæst. LIV. Catechismi. Quæst. *An possumus quidem Ecclesiasticam communionem habere cum Papistis, Socinianis, Mennonitis, Remonstrantibus?* Resp. *Nullo modo.* Quæst. *Cur non?* Resp. *Quia ipsi & nos differimus in fundamentalibus articulis fidei?* Quid expressius dici potest? Idque autor hic toties inculcatum voluit, ut appareat quam alienus sit à tolerantiâ Remonstrantium. Et idem ille Voetius eodem circiter tempore, videlicet 17. Septemb. CIↃ IↃCLXI. unà cum Collegis suis Andrea Essenio, & Matthiâ Netheno, testatur, *se judicare tantum esse inter Protestantes, tum Reformatos tum Lutheranos, in capitibus Religionis Christianæ consensum, ut non obstante dissensu in quibusdam, sese mutuò non ut hostes odisse, condemnare & persequi, sed contra pro fratribus agnoscere, amare, juvare contra communes hostes, tolerare in controversis, & fraternis officiis prosequi debeant:* Quin & *sibi placuisse rationem concordiæ & fraternæ tolerantiæ, delineatam in brevi relatione colloquii, autoritate Hassiæ Lantgravii inter duos Marpurgenses & duos Rintelenses Theologos hujus anni mense Junio Cassellis habiti:* Vide Duræi Irenicorum tractatuum Prodromum, pag. 536. Atqui in illo Colloquio controversia de prædestinatione, quæ Lutheranis cum Remonstrantibus communis est, refertur inter ea dogmata, circa quæ tolerantia Christiana stabilita fuit; Ibid. pagg. 524, 525. Lutherani considerantes quod ob eandem sententiam, quam Reformati in Lutheranis tolerare se paratos ostendunt, Remonstrantes condemnarunt, & è communione suâ ejecerunt, semper causantur, sinceram hanc non esse posse tolerantiæ oblationem, sed sub eâ anguem latere, indeque plausibilem prætextum quærunt Reformatorum oblationem respuendi. Id alias ostendi, allato prolixo loco ex Theologorum Wittenbergensium admonitione ad Lutheranos in Bohemia. Similia habet Musæus Quæst. Theol. de Syncretismo pag. 82. *Cum superioribus annis in Belgio inter Remonstrantes & Contraremonstrantes hæc doctrinæ capita disceptarentur, Contraremonstrantes receptam in iis capitibus Reformatorum sententiam ita creditu necessariam judicarunt, ut Remonstrantes Belgio propterea expellerentur: & mirum est Reformatos tantoperè laborare de Syncretismo nobiscum ineundo, non obstante de his doctrinæ partibus dissensu; qui tamen Remonstrantes ob eundem dissensum in communione Ecclesiæ*

In vitâ Episcopi, p. 253.

 suæ

suæ tolerare noluerunt, quin etiam Belgio expulerunt. Et pag. 86 *In Remonstrantibus judicavit* Paræus dogma de prædestinatione *esse planè intolerabile, ob multiplicia absurda, quæ inde deducit, ipsum fidei & salutis fundamentum evertere. Et tamen hoc ipsum dogma jam in Lutheranis tolerabile judicat, ita ut dissensus de eodem, salvâ unitate fidei, charitate & pace, stare possit. Scilicet animadvertebat Paræus, Remonstrantes in medio Ecclesiæ Reformatæ veritatem hujus doctrinæ facile propagaturos, & commentum absolutæ prædestinationis & reprobationis decreti hominum mentibus exemturos esse. Ne igitur ipsorum doctrinæ aperiretur janua, noluerunt dogma hoc tolerare in Remonstrantibus, ob periculum quod suis imminebat Ecclesiis. In nostris autem tolerandum putant hoc ipsum dogma, quod nos Reformatorum Ecclesiis nihil obfuturos videant: contra autem ex tolerantiâ mutuâ sperent fructum quendam, nempe sibi apertum iri fores ad errores suos in Ecclesiis Lutheranis propagandos, præsertim in iis locis, qui sub Magistratu Reformato sunt, ut sunt Ecclesiæ Hassiacæ & Marchicæ. Ex quo facile intelligitur, fraudem & dolum latere sub hactenus expetito syncretismo.* Et pag. 98. post allatum Synodi Dordracenæ de Remonstrantibus judicium, ita concludit. *Quæ si jure dicta sunt in Remonstrantes ob illos quinque articulos controversos, omnem profectò viam præcludunt ineundæ inter Reformatos & Lutheranos concordiæ, quamdiu de iisdem capitibus controversis inter se dissentiunt.* Vide & Joannis Hulsemanni, Professoris Wittenbergensis *Calvinismum irreconciliabilem, pag. 44. & seqq.* & *pag.* 247, 248. & *pag* 366. Et Petri Habercorni Professoris & Superintendentis Giessensis *Admonitionem contra Syncretismum, Disp. IV. pag 75. & seqq.* Ex quibus, aliisque quæ passim apud Doctores Lutheranos occurrunt testimoniis, constat, hanc nostri condemnationem Reformatis, quando de pace colloquia offerunt, objici à Lutheranis: nec quid solidi huic objectioni reponi posse video. Ipse Joannes Duræus id expertus est, qui se medium inter Lutheranos ac Reformatos obtulit: Verum à Balthasare Bebelio Professore Argentoratensi ipsi objectum fuit; intempestivum esse ipsius conatum; *quia prius inter se conciliandi erant ii, qui Reformatorum nomine gaudent, Presbyteriani & Independentes cum Hierarchicis Episcopis; Amyraldus, Tessardus, Dallæus &c. cum Spanhemiis, Rivetis, &c. Contraremonstrantes cum Remonstrantibus, damnatis à vestris ob ea ipsa dogmata, quæ κατὰ ῥητὸν saltem nostra quoque sunt, vel*

Consult. Irenic. προδιοςθ. p. 65.

certè minus distant à vestris dogmatibus; quam nostra. Hæc cum verissimè dicantur, non sine admiratione legi, Joannem Duræum, qui annis aliquot in Fœderato Belgio vixit, in *Consultationum Irenicarum προδιοςθώσει pag.* 116. Balthasari Bebelio respondere, *non opus esse conciliatione controversiarum inter Remonstrantes & Contraremonstrantes; nam Remonstrantes ad communionem Contraremonstrantium admittuntur, si id animo placido & modesto expetant; etiamsi in quinque articulis in Synodo Dordracenâ definitis, suam retineant sententiam.* Ex Decretis Synodorum Provincialium, & aliorum autorum scriptis jam contrarium probavi. Credibile quidem est, plerosque, qui desertis Remonstrantibus sese Contraremonstrantibus adjungunt, animo non deseruisse sententiam Remonstrantium; attamen ore eam abnegant; atque ita, relictis cœtibus Remonstrantium, etiam amor veritatis animis ipsorum persuasæ refrigescere incipit: & quia, quod plerumque ob causas hujus seculi faciunt, non sine ratione fecisse videri cupiunt, argumenta sibi conquirunt, quibus sententiam, à qua hactenus abhorruerunt, sibi probabilem faciunt; donec tandem errore implicentur, & inveniant quod quærunt. Ut autem tantò evidentius constet, Remonstrantes salvâ suâ sententiâ ad communionem Contraremonstrantium non admitti, adscribam luculentissimum Marezii testimonium, contra præfationem Apologeticam Curcellæi, pag. 260, 261. *Non simpliciter usquam in Belgio Remonstrantes ad sacram eucharistiam nobiscum celebrandam salvâ suâ de prædestinatione sententiâ invitantur, & invitati admittuntur; sed sub prævia protestatione multiplici, de rejectis omnibus aliis capitibus Socinianismi, quæ nunc in vestris cœtibus vigent; de non turbandâ unquam pace Ecclesiarum propter suum dissensum, de agnoscendâ humanâ corruptione & ineptitudine sine Dei gratia ad omne bonum; de tribuendâ laude huic uni Dei gratiæ, fidei nostræ & omnis boni operis quod à nobis possit proficisci, quantum ad initium, progressum, & perfectionem; de nostri justificatione gratuitâ per fidem ex imputatione meriti & satisfactionis Christi; & si quæ sunt istius generis, quibus reverâ vestrum Remonstrantismum ejurant, & omnes illius succidunt nervos. Neque ille dissensus, qui in infirmioribus Ecclesiæ membris & auditoribus circa prædestinationis mysterium tolerari potest, donec ad pleniorem cognitionem traducantur eum tempore, ideò admittendus est in docentibus & pastoribus, per quos error latius spargeretur, & pugnæ & contentiones*

inter

inter conservos quotidie orirentur. Plura hic recensentur, quæ sano sensu accepta à Remonstrantibus minime negantur; verum cum Contraremonstrantes eorum suo sensu acceptorum confessionem exigunt, manifestum est, sententiam Remonstrantium ab iis quos in communionem recipiunt abnegari.

Cum itaque ex omnibus hisce constet, nullam Remonstrantes cum Contraremonstrantibus posse habere unionem, nisi suâ, quam veram credunt, abnegatâ sententiâ; manifestum est eos schismatis olim facti, & hactenus continuati, minimè esse reos; licet post suam per Contraremonstrantes condemnationem separatos coetus religiosos celebraverint. Quod vel ex eodem illo libro Quæstionum à Voetio adeo follicitè correcto probatu facile est. In illo quippe pag. 446. duos ponit casus, quibus ab Ecclesiâ aliquâ secessionem facere licet. 1. Quando hæretica est, seu errat in fundamentis salutis, aut cultum idololatricum exercet. 2. *Etiam tum, quando hic aut ille error in Ecclesiâ obtinet, licet non fundamentalis, cujus cogimur participes fieri, si in eâ maneamus, atque ita conscientiam nostram puram & immaculatam conservare non possumus.* Quæst. *Qui talibus in casibus se ab Ecclesiâ separat, estne is schismaticus?* Resp. *Nullo modo.* Possunt itaque Remonstrantes, non obstante mutuæ tolerantiæ oblatione, postquam ea est rejecta, ipsorumque sententia ut intolerabilis condemnata, ipsique ad communionem à Contraremonstrantibus non admittuntur, nisi sententiâ suâ abnegatâ, sine crimine schismatis separatos habere coetus; quia sub durâ hac conditione sese Contraremonstrantibus adjungentes, participes fierent erroris, si non expressè agniti, saltem defensi ac propagati.





INDEX

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ

Quæ in hoc Opere explicantur.

Numerus primus notat Librum, secundus Caput, tertius Paragraphum.

VI.

Cap. XVI.

Cap.



INDEX

INDEX

RERUM & VERBORUM.

A.

B.

C.

Ca-

D.

uſus

E.

F.

Cor-

N.

O.

cum

R.

T.

V.

Vo-

F I N I S.









